CHRISTOPHORI SCHEIBLERI, ... METAPHYSICA DUOBUS LIBRIS UNIVERSUM HUIUS...

Christoph Scheibler

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
140
30

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
6D
4

CC
V
8

14-2.G.1

Digitized by Google

CHRISTOPHORI

SCHEIBLERI,

ANTEHAC IN ACADEMIA GIESSENA PROFESSORIS.

METAPHYSICA

DVOBVS LIBRIS

Universum hujus scientiæ Systema comprehendens.

OPUS, TVM OMNIUM FACULTATUM tùm inprimis Philosophiæ & Theologiæ Studiosis utile & necessarium.

PRÆMISSA EST SUMMARIA METHODUS, Sive dispositio totius scientiæ, & Proœmium de Usu Philosophiæ in Theologia, & prætensa ejus ad Theologiam contrarietate.

Cum Indicibus duobus, uno Capitum, Titulorum, Articulorum, altero Rerum.

EDITIO ULTIMA ET EMENDATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bibl. PP. Sanct.

Rolandi Pii Pantaleonis

OXONIÆ,
Excudebat *HEN: HALL* Academiæ Typographus;
Impensis *GEORG: WEST.* 1665.

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. LVDOVICO, HASSIÆ LANDgravio, Comiti in Cattimeliboco, Decia, Ziegenhainia & Nidda, &c.

Domino suo Clementissime,

NON est ulla, in universa Philosophia, scientia, Princeps Illustrissime, cujus major sit utilitas atque necessitas, ad quarumvis rerum cognitionem, ac est Metaphysica, quo intuitu ab Aristotele meritissimè Regina, Princeps ac Domina aliarum scientiarum omnium vocata est, cùm nulla prorsus earum ad scopum sibi propositum, hoc est, ad veri cognitionem, pervenire possit, nisi in subsidium acceptâ declaratione generalissimorum terminorum, quos Metaphysica explicat. Et, ut alias mittam disciplinas, Theologia idipsum abundè comprobat. Ex ea enim frequentissimè ad Metaphysicorum terminorum explicationem recurrendum esse, norunt omnes, qui primis labris studium illius attigerunt. Memorabile est, quod Boëthius narrat, cùm in Nicæno concilio omnes dicerent, duas naturas & unam personam Christi, neminem

usus Metaphysicæ in Theologia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

minem tamen sciviſſe, quid *persona* sit. Ex qûa etiam ignorantia factum est, ut cùm aliqui dicerent, tres esse personas divinas, alii tamen nollent ita loqui. Apparétque adeò satis necessàriam esse doctrinam in Metaphysicis, quâ, quid in communi suppositum sit, vel persona, dilucidatur. Ita frequenter quæri solet, de personarum divinarum *distinctione*. Damascenus ait eas *ratione* distingui: alii *realiter*. At quid sit realiter vel ratione distingui, alùnde non, quàm ex Metaphysicis sciri potest. Cùm de divinâ providentia disputatur, sæpissimè incidit mentio *Necessitatis & Contingentiæ*, quibus terminis non rectè cognitis, satis difficulter explicatur divinæ præscientiæ infallibilitas, & humanorum actuum libertas atque contingentia. Contra Pontificios celebris est Disputatio de *notis Ecclesiæ*. At quæ notarum sit natura & conditio, solus præscribit Metaphysicus. In doctrina de Sacramentis, frequentissima est *signorum* mentio, quorum doctrina ex Metaphysicis petenda est. Indéque eâ cognitâ, facilè istæ Calvinianorum ineptiæ cadunt, quòd Sacramenta *non* sint *signa nuda*, quia *significant*: Item quòd ob rationem signi quæ intervenit, aliquo modo loquendi, inter panem Eucharisticum & corpus Domini, censendum sit, corpus Domini esse præsens, cùm solùm, opinione illorum in Cœlo sit. In Photinianis controversiis, cùm de Trinitate disputatur, frequenter argumenta sunt ex natura *causæ* Entis *independentis et infiniti, singularis et universalis, simplicis & completi*. At hos omnes terminos declarat Metaphysica. Post Papatus reformationem à *Luthero* institutam, magnoperè Ecclesia turbata fuit opinione *Flacii Illyrici*, qui aiebat: peccatum originale substantiam esse & non accidens. Sed lapsus in eo erat, quòd non sciebat rationem accidentium: Arguebat nempe ex remotione accidentis prædicabilis, ad esse substantiale. Neque enim accidens prædicamentale definiri solet, (ut ille assumebat,) quòd sit id, quod adesse & abesse potest, &c. Sed longè aliter. Taceo doctrinam Metaphysicam de Deo,

In controversiis Pontificiis.

Calvinianis.

Photinianis.

In controversia Flacii.

Ange-

Angelis,& ſeparatis mentibus: quorum conſideratio Philoſophica (cùm de iiſdem etiam Theologia tractet) non poteſt non plurimum conferre ad pleniorem eorundem Theologicam cognitionem.

Atque hæc & ſimilia facilè à me obtinuerunt, ut cùm prolectione publica, verſarer in doctrina Metaphyſica, animum deinceps etiam adjicerem, aliquid hac de re edendi in publicum.

Cur verò T.C. Princeps Illuſtriſſ. dicarem hunc librum meum, cauſas habeo & multas & magnas. Cui enim potius approbarem ſtudia mea, ac Tuæ Celſitudini, quippe, quæ non ſolùm ante ſeptennium fermè, mihi honorificum profeſſionis, in Græca lingua officium contulit primùm, ſed etiam deinceps Logicæ ac Metaphyſicæ profeſſionis munus addidit, ac tandem Pædagogii regimen, atque adeò Pædagogiarchæ munus, tranſlato Græcæ profeſſionis munere, clementiſſimè commiſit: & hactenus in munerum meorum adminiſtratione acquievit clementiſſimè? Æquum igitur exiſtimavi, ſi, ex quo fonte derivata ſunt ſtudia mea, ad eundem etiam recurrant, Accedit quòd quicunque animum ad ſcribendum appellunt, ſoleant iſtiuſmodi operas ſuas, ſtudiorum patronis offerre. Tua verò Illuſtriſſime Princeps, ea eſt in promovendis ſtudiis promptitudo, & verè Magnifica liberalitas, ut illuſtriſſima Tua Celſitudo ea in re parem vix habeat, ſuperiorem verò neminem, quippe quæ non ſolùm hoc loco, paucis abhinc annis Gymnaſium erexit, ſed etiam deinceps Cæſarea Privilegia, poſt longinqua itinera, ejus rei cauſâ ſuſceptâ, ſumptuſque plurimos, iſti Gymnaſio ſuo acquireret, atque adeò iſtam Academiam ſuam, ingenti pecuniæ ſummâ munificentiſſimè, idque ex cameralibus ſuis redditibus, nuper dotaret, exemplo in omnem poſteritatem laudabili & memorabili. Accipe igitur, Princeps Illuſtriſſime, ſtudiorũ Mecœnas Inclyte, hos meos in primã Philoſophiam cõmentarios, ſtudiorũ meorum rationẽ ex iis cognoſce, & quâ ſoles

clementiâ, deinceps etiam me tibi commendatum habe. Vale Princeps Illustriss. Domine Clementissime, diu & feliciter, in Reipubl. literariæ emolumentum, tuorumque subditorum commodum atque prosperitatem. Datum ex Museo: Anno M. DC. XVI. Mens. Decemb. decurrente.

Illustriss. C. V.

Subjectissimus

M. Christophorus Scheiblerus,
Logic. & Metaph. Profess.
& Pædagogiarcha.

SVM-

SUMMARIA METHODUS SIVE dispositio totius operis.

Juvandæ Memoriæ causâ, placuit summariam Methodum & dispositionem totius hujus tractationis præmittere.

Ad Librum Primum.

Quia in omni tractatione præmitti debet definitio cujusque rei: Ideo statim primo loco disseritur de natura & definitione Metaphysicæ. Indeque ibi explicantur varia hujus scientiæ nomina, tractatur de ejusdem genere, abstractione, objecto, variis muneribus & attributis. Et tandem subjicitur ejus distributio in partem universalem & particularem, Cap. 1.

Porrò: Universalis pars Metaphysicæ continet doctrinam Entis in communi, ejusque generalium principiorum & affectionum. Hinc ergo generatim de Ente & essentia, adeoque generalibus Entis principiis, Cap. 2.

Deinceps de affectionibus Entis generatim, Cap. 3.

Cæterum affectiones Entis aliæ sunt quasi primariæ & fundamentum aliarum: Alia autem inde oriuntur. Et primariæ quidem sunt: Unum, Verum, Bonum & perfectum. *Hinc ergo primò agitur de Uno,* Cap. 4. De uno.

Jam sub uno continentur affectiones aliæ, quæ constituunt quasdam divisiones Entis, juxta varietatem unitatis. Inter has est primò simplex & compositum, *ac quibus est,* Cap. 5.

Jam verò compositum dicit aliquem ordinem ad terminos componentes, unde componitur, qui consequenter dicuntur Partes *compositi, & compositum respectu totum dicitur. De composito igitur & componentibus terminis sub nomine totius & partium, est,* Cap. 6. Divisiones ex uno.

Secunda divisio Entis ex unitate proveniens, est, quâ Ens distinguitur in singulare & universale, *de qua est,* Cap. 7.

Denique quia unitas rei impertat divisionem à quovis alio. Idcò ad ejusdem doctrinæ complementum, additur de Identitate & distinctione *rerum,* Cap. 8. *Atque ita absolvitur consideratio unius, quod erat prima affectio Entis.*

Altera primaria affectio Entis, erat Verum, *de quo est,* Cap 9. De vero.

Tertia primaria affectio Entis erat Bonum, *de quo est,* Cap. 10. De Bono.

Quarta primaria affectio, Entis est Perfectio, *de qua est,* Cap. 11. De perfecto.

Jam secundum perfectionem sumuntur omnes cætera transcendentales distinctiones Entis. Atque ita primo secundum perfectionem distribuitur Ens in Incompletum & completum, Cap. 12. Divisiones ex perfectione.

Deinde, secundum perfectionem, Ens dividitur in Infinitum & Finitum, Cap. 13.

Tertio

Tertio, secundum perfectionem dividitur Ens *in* actum & Potestatem, *& hinc in* Ens actu & potestate, Cap. 4.

Deinceps ad plenioren entis actualis tractationem, agitur primum de Existentia, *quæ est quasi formalis ratio entis actualis* Cap. 15.

Tum de duobus attributis entis actualis. Horum primum est Duratio: *Inde que de ea, variisque ejus generibus est*, Cap 16.

Alterum attributum entis actualis est, esse alicubi. *Inde que de eo, variisque generibus adessendi est*, Cap. 17. (*Atque sic absolvitur doctrina entis actualis.*)

Quarto igitur nunc secundum perfectionem distribuitur ens, in necessarium & contingens, Cap. 18.

Quinto, in ens permanens & successivum, Cap. 19.

Sexto, in Absolutum & respectivum, Cap. 20.

Divisiones Entis respectivi. *Jam sub respectivo explicantur cætera, quæ supersunt, entis divisiones: Prima igitur classis entium respectivorum continet* Principium & principiatum, Cap. 21.

Sub principio & principiato continentur Causa & causatum, *de quibus, ut & singulis causarum generibus, est*, Cap. 22.

Secunda classis, sub ente respectivo, continet Subjectum & adjunctum, *de quibus est*, Cap. 23.

Tertia classis continet Signum et signatum, Cap. 24.

Sub signo autem & signato, continetur Mensura et mensuratum, *quæ rationem signi contrahunt ad quantitatem. De his igitur est*, Ca. 25.

Quarta classis entis respectivi, continet, esse Prius, posterius vel simul, *cum alio. Hæc igitur expediuntur*, Cap. 26.

At denique, quia Metaphysica per se est, de entibus realibus, pro Appendice, explicatur natura Entium rationis, Cap. 27.

Atque ita concluditur pars Metaphysica universalis. Quæ primo libro proponitur.

METHODUS.

Ad secundum Librum.

PArs Metaphysica specialis est ea, quæ dividit Ens in Substantiam & accidens, eáque explicat, quæ sub iis sunt. *Ista igitur divisio Entis statim tractatur, simúlque generatim agitur, de* Substantia, Cap. 1.

Tùm proponuntur Divisiones substantiæ, *atque inter alias ea, quæ est in substantiam corpoream & incorpoream*, Cap. 2.

Ex his, quia corporea substantia ad Physicam pertinet, ideò de ea nihil porrò agit Metaphysicus, sed solùm persequitur substantias incorporeas. Atque ita agitur primùm, de Deo, Cap 3.

Deinde inter substantias incorporeas tractandum est de Angelis, quod fit, Cap. 4.

Tertiò de Anima rationali separata, Cap. 5. *Atque sic absolvitur consideratio substantiarum. Reliqua doctrina est de Accidentibus.*

Atque ita agitur primò de Accidentibus *in genere*, Cap. 6.

Deinde distinctis capitibus tractantur novem genera accidentium: nempe est tùm De Quantitate, qualitate, Relatione, Actione, Passione, Quando, Ubi, Situ & Habitu. *Atque sic completur hæc etiam Metaphysica pars, & proinde Metaphysica in universum.*

INDEX
AD LIBRUM PRIMUM,
CAPITVM, TITVLORVM,
ARTICULORUM ET PUNCTORUM.

Numerus appositus notat numerum marginalem, in unoquoque capite.

Et nota, primum segmentum Capitis *vocari* Titulum. *Si quando* Titulus *dividitur in* Articulos *dividitur: &* Articulorum *segmenta dicuntur* Puncta.

CAPUT. I.

De definitione & distributione Metaphysicæ.

TITUL. I. *De nominibus Metaphysicæ & equipollentibus.* 2

Tit. II. *De genere Metaphysicæ* 9

Artic. 1. Metaphysicæ genus non esse prudentiam 12

2. Metaphysicæ genus non esse artem 14

3. Metaphysicæ genus non esse sapientiam 20

4. Eam esse scientiam & genus ejus esse scientiam 24

5. An Metaphysica sit scientia speculativa 35

Tit. III. *De abstractione Metaphysica.* 41

Art. 1. In quo explicatur abstractio Metaphysica. 44

2. In quo soluuntur objectiones de abstractione Metaphysica. 50

Tit. IV. *De subjecto Metaphysicæ.* 64

Art. 1. In quo referuntur, qui in constituendo objecto Metaphysicæ in defectu peccant. 65

2. In quo soluuntur objectiones, præcedenti articulo contrariæ 79

3. Referuntur illi, & refutantur qui in constitutione subjecti Metaphysici, in excessu peccant. 92

4. De objectionibus priori articulo contrarijs 99

Punct. 1. An Metaphysicæ objectum debeat comprehendere etiam Entia rationis, & ea quæ sunt per accidens 100

2. An debeat descendere ad quævis particularia 103

Artic. 5. In quo proponitur sententia propria de objecto Metaphysicæ 107

6. Proponuntur & soluuntur objectiones 112

Tit. V. *De muneribus seu officijs Metaphysicæ* 116

Art. 1. In quo enumerantur munera Metaphysicæ: 117

2. An

2. An scientiæ particulares subalternentur Metaphysicæ 129
Punct. 1. In quo constituuntur conditiones ad subalternationem requisitæ 130
2. Probatur Metaphysicæ non subalternari alias scientias 143
Tit. VI. *De attributis Metaphysicæ* 149
Art. 1. In quo explicantur attributa sapientiæ 150
2. De unitate Metaphysicæ 157
Punct. 1. An & quomodo in se una sit 158
2. An Metaphysica sit divisa à quovis alio, & præsertim à Logica 161
Tit. VII. *De divisionibus Metaphysicæ* 172
Art. 1. In quo refutatur opinio *Pereriі*, dividentis Metaphysicam, in duas specie distinctas disciplinas. 173
2. De *Fonseca* divisione, in &c. 180
3. De *Keckermanni* divisione, in &c. 183
4. Proponitur divisio Metaphys. in partem universalem & specialem. 185

CAPUT II.

De Ente in genere ejusque principiis.

Tit. I. *De vocibus* 1
Art. 1. De voce, Ens 2
2. De voce, res 4
3. De voce, aliquid 5
4. De voce, non Ens 6
5. An Ens rationis comprehendat Ens ut in Metaphysicis tractatur 8
6. An solum Deum, vel solum Ens creatum comprehendat. 9
7. An Ens in Metaph sumatur nominaliter an participialiter. 17
Tit. II. *In quo declaratur definitio Entis* 18
Tit. III. *De conceptu Entis in ordine ad inferiora* 31
Art. 1. An is conceptus sit æquivocus. 33
2. An sit vere unus & præcisus ab inferioribus 35
3. An sit univocus an analogus. 37
4. Quomodo Ens contrahatur ad inferiora 41
Tit. IV. *De principiis ex quibus demonstrat Metaphysica* 43
Art. 1. De principio demonstrationis ducentis ad absurdum 48
2. De principio demonstrationis à priori. 51

CAPUT III.

De transcendentalibus affectionibus Entis in genere.

Tit. I. *De transcendentibus* 2
An sex tantum sint transcendentia 3
Tit. II. *De affectionibus Entis* 8
Art. 1. An Ens habeat affectiones 9
2. An habeat reales & positivas affectiones 14
3. Quænam sint conditiones passionum Entis 18
4. Quænam sint generales affectiones Entis 21
Punct. 1. An existentia sit generalis affectio Entis 26
2. An duratio sit generalis affectio Entis 27
3. An impossibilitas sit affectio Entis 28

CAPUT IV.

De Unô

Tit. I. *De voce unius & ejus ambiguis significationibus* 2

De eo quod est per se unum 7
De eo quod est unum per accidens 10
Tit. II. *Quid sit unitas Entis* 16
Art. 1. An addat aliquid positivum rationis 17
2. Quid unum addat Enti 23
3. An unum connotet divisionem ab alio 29
Tit. III. *De adæquatione unius ad Ens* 37
Art. 1. Unum esse attributum adæquatum 38
2. An Ens rectè dividatur in unum & multa. 40

CAPUT V.

De Simplici & Composito.

Tit. I. *Ubi debeat tractari de simplici & composito* 1
Tit. II. *De voce simplicis & compositi* 4
Tit. III. *Quid sit simplicitas* 13
An simplicitas significet perfectionem & eam quidem eminentiorem, quàm compositio 14
Tit. IV. *De composito & variis compositionum generibus* 22 *(rectè 23*
Art. 1. De compositione ex esse & essentia An ea compositio sit realis an rationis 29
Artic. 2. De compositione ex natura & supposito 31
3. De compositione ex actu & potestate 35
4. De compositione ex genere & differentia 38
5. De compositione ex differentia & forma 41
6 De compositione ex materia & forma 44
7 De compositione ex partibus quantitativis 46
8. De compositione ex subjecto & accidente 48
9 De compositione quæ est ex pluribus accidentibus. 51

CAPUT VI.

De Toto & Partibus.

Tit. I. *De voce & totius & partium* 4
Tit. II. *De definitione & distributione totum* 17
Art. 1. De definitione totius & partiũ 18
2. De distributione totius 22
Punct. 1. An totum perfectionale connumerandum sit generibus totorum aliis 23
2. An potestativum totum connumerandum, &c. 27
3. An totum numerale 33
4. An totum individuale 37
5. Exponitur propria divisio 39
Tit. III. *De toto essentiali ejusq; partib.* 42
Art. 1. Quid sit totum essentiale 43
2. De divisione totius essentialis 45
3. De partibus totius essentialis 48
Punct. 1. De differentia ejusque conditionibus 50
2. An materia rectè dicatur pars essentialis 67
3. An quod est Metaphysicè totum, sit & Physicè totum 77
Art. 4 Quomodo totum distinguatur à partibus suis 81
Tit. IV. *De integrali toto ejusq; partib.* 90
Art. 1. De voce & definitione totius integri 91
2. De divisione totius integri ejusque partibus 96
Punct. 1. De divisione totius, in similare & dissimilare 97
2. De divisione partium, in principales & minus principales 107
Tit. V. *De toto universali ejusq; parti.* 109
Art. 1. De voce generis & speciei 110
2. De definitione generis & specici 120
3. De divisione generis & speciei 138
Punct. 1. De genere generalissimo & subalterno: specie specialissima & subalterna 139
2. De divisione generis in remotum & propinquum 143
3. In univocum & Analogum 145

CA-

CAPUT VII.

De Singulari & Universali.

Tit. I. *De voce singularis et equipollentibus* 2
Tit. II. *Quid sit singularitas & singulare* 11
An Deus sit res universalis an singularis
Tit. III. *Quid singulare super addat naturæ communi, ut sit singulare* 39
Tit. IV. *De principio individuationis* 52
Art. 1. De individuatione Dei 53
2. De individuatione substantiarum simplicium, veluti Angelorum 54
3. De individuatione formarum 57
4. Materiæ 62
5. Compositi corporum naturalium 64
6. De individuatione accidentium 76
7. Non individuari accidentia per subjectum 77
Tit. V. *De nomine universalis* 87
Tit. VI. *De rei universalis acquisitione* 92
Art. 1. Quomodo universale dicatur unum 94
2. Quomodo dicatur commune 103
Tit. VII. *De Entitate universalium* 111
Art. 1. An universalia sint res extra singularia 112
2. An solum sint communia nomina 116
3. An in singularibus sint actu universalia 119
4. An sit actu universale per operationem mentis 1
5. Per quam operationem fiat 131

CAPUT VIII.

De Identitate & Distinctione.

Tit. I. *De voce idem* 5
Tit. II. *De voce diversitatis & equipollentibus* 7
Tit. III. *De distinctione reali* 13
Art. 1. Explicatur phrasis hæc: realiter differre 14
2. Quid sit realiter differre 17
3. De indiciis realis distinctionis 20
Punct. 1. In quo removentur indicia spuria
2. Declarantur indicia genuina 27
Tit. IV. *De distinctione rationis* 36
Art. 1. De phrasi differre ratione 37
2. Quid sit distinctio rationis 42
3. Quotuplex sit distinctio rationis 45
Tit. V. *De distinctione modali* 53
Art. 1. An præter distinctionem realem & rationis necessarium sit dari aliam distinctionem 54
2. In quo explicatur modalis distinctio 63
Tit. VI. *De aliis nominibus distinctionum* 76
Art. 1. De distinctione ex natura rei 77
2. De distinctione formali 83
3. De distinctione essentiali 86
4. De distinctione potentiali 92
5. De distinctione includentis & inclusi 95
Tit. VII. *De distinctione rei à re per respectum ad tertium* 103

CAPUT IX.

De Vero.

Tit. I. *An Metaphysica sit scientia veritate* 3
Tit. II. *De voce veritatis* 9
Tit. III. *Quid sit veritas transcendens* 12
Tit. IV. *An veritas sit adæquata Enti & cui* 31

CAPUT X.

De Bono.

Tit. I. *De voce Boni, inæque de aliquibus ejus distinctionibus.* 2
Tit. II. *Quid sit bonitas transcendens* 19
Art. 1. Quid ea non sit 20
Eam non differre ab essentia 21
Non esse qualitatem 23
Non significare negationem nec esse aliquid quod perficitur 29
Non esse in sola extrinseca denominatione 33
Art. 2. Quid sit bonitas transcendens 35

Index Capitum

Tit. III. *An bonitas transcendens sit adæquata Enti* 52
Art. 1 Omne Ens esse bonum 53
25. An etiam vitia moralia sint bona 58
3. An Omne bonum sit Ens 64
Tit. IV. *De malo* 70

CAPVT XI.

De perfecto.

Tit. I. *De voce perfecti & aliis nominibus, eiusque distinctionibus variis* 2
Tit. II. *De imperfecto* 14
Tit. III. *Quid sit perfectio transcendens* 29
Tit. IV. *An perfectum vere sit transcendens, & distinctum Enti affecto* 34
Art. 1. An perfectum æquipolleat Enti 35
2. An perfectio contineatur sub bonitate 39
Tit. V. *An perfectio transcendentalis sit* [illegible] 50
Art. 1. Omne perfectum esse Ens 51
2. Omne Ens esse perfectum 53

CAPVT XII.

De completo & incompleto.

Tit. I. *De voce completi vel incompleti* 6
Tit. II. *De qualibet Entibus in particulari, an sint completa an incomplet[illegible]* 20
Art. 1. An genera sint Entia incomplete 21
2. An Anima seperata a corpore sit Ens completum 29
3. An Deus etiam possit aliquid complere sui 36
4. An accidentia possint esse Entia completa 43
5. An substantia non satis aucta sit Ens completum 48
Tit. III. *Quid sit Ens completum & incompletum in genere* 51

CAPVT XIII

De Finito & infinito.

Tit. I. *De voce finiti & infiniti* 1
Tit. II. *Quid sit finitum* 6
Tit. III. *Quid sit infinitum* 12
Tit. IV. *De aliis appellationibus Entis finiti & infiniti* 20
Art. 1. *In quo* declaratur diuisio Entis in Ens a se & ab alio 21
2. De divisione Entis in dependens & independens 24
3. De divisione Entis in increatum & creatum [illegible]
4. De divisione Entis in Ens per essentiam & per participationem 33
5. *In* purè actuale & potentiale 34
6. *In* purè necessarium & contingens 42
7. *In* increatum finitum & [illegible]
Tit. V. *An divisio Entis infinitum & in* [illegible]
Tit. VI. *An sit illa divisio analogi* 59

CAPVT XIV.

De Actu & potestate.

Tit. I. *De divisione* [illegible]
1. De triplici vocis potentiæ 3
2. De variis significationibus hujus vocis 5
3. De definitione potentiæ 14
Tit. II. *De diuisionibus potentiæ* 27
Art. 1. De divisione potentiæ in Naturalem & obedientialem 18
Punct. 1. De potentia naturali 19
2. De potentia obedientiali 20
3. De potentia objectiua 24
Art. 2. De potentiæ divisione in activam & passivam 26
Punct. 1. De earum potentiarum definitio-

tionibus
5. De illius divisionis adæquatione
Art. 3. De divisione potentiæ in remotam & proximam 48
4. De divisione potentiæ in rationalem & irrationalem 50
Tit. III. De actu in genere 57
Art. 1. 58
2. De definitione actus 61
Tit. IV. De divisione actus 62
Art. 1. De divisione actus, in purum & impurum
2. In primum & secundum 64
Punct. 1. Insus illius divisionis 65
2. De actu primo 67
3. De actu secundo 69
4. An ea divisio sit adæquata 71
Art. 3. De divisione actus in formalem & Entitativum 74
4. In actum existentiæ & essentiæ 79
5. In signatum & exercitum 80
Tit. V. De divisione Entis in Ens actu & potentia
Ens in Ens actu & potestate 84
2. An ea divisio sit adæquata Enti 86
Tit. VI. De Ente in potentia 90
Art. 1. Quid sit esse in potentia 91
2. An etiam illud sit in potentia, quod nunquam futurum est 94
3. An & quomodo Ens in potentia sit Ens 94
Tit. VII. De Ente actu 101

CAPUT XV.

De Existentia.

Tit. I. De vocc existentiæ 112
Tit. II. Quid sit existentia 4
Art. 1. Existentiam non esse accidens 5
2. Nec substantiam 6
3. Esse transcendens 8
4. Eam in conceptu suo adæquato
Liber primus
invidere essentiam 9
significet exis-
14
6 18
Tit.
tia & essentia 25
Tit. IV. An sint separabiles 40
Art. 1. Essentiam non esse sine existentia 41
2. Non posse esse sine propria existentia 42
beat existentiam propriam 42
2. An materia existat per se ipsam
3. An partes existant existentia propria 50
Art. 3. Existentiam non esse sine essentia 56
Tit. V. Quibus rebus conveniat existentia 57
Art. 1. Non convenire Enti possibili 58
2. Nec universali 60
3. Quibus igitur conveniat 61

De Duratione.

Tit. I. De ratione Methodi, ubi & quæritur: An soli Enti actuali conveniat duratio 2
Tit. II. Quid sit duratio 6
Art. 1. An existentia & duratio sint realiter idem 7
2. Quid duratio addat existentiæ 14
3. An duratio sit denominatio extrinseca 18
4. ponat in ratione mensuræ 21
Tit. III. De divisione durationis 28
Quæst. An adæquata & bona sit divisio durationis per æternitatem, ævum & tempus 29
Tit. IV. De æternitate 37
Art. 1. De vocc æternitatis 38
Tit.

Tit. V. *De Ævo* 49
Art. 1. De nomine ævi 50
2. De definitione & quidditate ævi 52
Punct. 1. Aliorum opiniones recitantur 53
2. Exprimitur sententia propria 65
Art 3. Quænam res durent ævo 67
Tit. VI. *De Tempore* 72
Art. 1. De voce temporis 72
2. Quid sit tempus 73
3. Quarum rerum sit hæc duratio 79
Tit. VII. *In quo solvuntur argumenta contra istam durationum divisionem* 84
Tit. VIII. *De duratione permanente & successiva* 91
Art. 1. In quo ea divisio exponitur 92
2. An entia creata habeant durationem permanentem 97

CAPUT XVII.

De Esse alicubi

Tit. I. *De phrasi esse alicubi* 5
Tit. II. *Quid sit esse alicubi* 7
Art. 1. In quo aliorum opiniones referuntur & refutantur 7
2. In quo exponitur sententia propria 19
Tit. III. *De divisione ejus esse alicubi* 21
Tit. IV. *De esse alicubi repletivè* 22
Art. 1. De phrasi, esse alicubi repletivè 23
2. Quid sit 24
Tit. V. *De esse alicubi definitivè* 35
Art. 1. De phrasi &c. 36
2. Quid sit 38
Tit. VI. *De esse alicubi circumscriptivè* 47
Art. 2. De phrasi &c. 48
2. Quid sit 51
3. De distributione ubi circumscriptivi 62

CAPUT XVIII.

De Necessario & Contingenti.

Tit. I. *De vocibus* 2
Art. 1. Explicatur vox necessitatis 2
2. Explicatur vox incorruptibilis 9
Tit. II. *Quid sit necessarium & contingens* 11
Tit. III. *De adæquatione illius divisionis* 14
Art. 1. In quo probatur illa adæquatio 15
2. An detur in rebus contingentia 22
3. An quod est liberum, sit medium inter contingens & necessarium 29
4. An impossibile sit inter ea medium 36
5. An solus Deus sit Ens necessarium 38
Punct. 1. Deum esse Ens necessarium 41
2. Substantias separatas non esse Entia necessaria 47
3. Nec corpora cœlestia 55
4. Nec materiam primam 57
5. Nec universalia 61
6. Nec mundum 67
7. An dentur aliquæ propositiones absolutè necessariæ, & quænam sint illæ 70
Tit. IV. *De distinctionibus necessarii & necessitatis* 88
Art. 1. De divisione necessitatis in complexam & incomplexam 89
2. In absolutam & hypotheticam 90
3. In necessitatem consequentis & consequentiæ 91
4. In necessitatem naturæ & violentiæ 94
5. In eam quæ est ad esse, & ad bene esse 97
6. Dividitur per habitudinem ad causas 98
Tit. V. *De voce contingentis* 99
Tit. VI. *De divisionibus contingentis* 102

CAPUT XIX.

De permanente & successivo.

Tit. I.

Tit. I. De voce & natura Entis permanentis 1
Tit. II. De voce & natura Entis successivi 7
Tit. III. De conditionibus Entis successivi 13
Tit. IV. Quanam sint Entia successiva 23
Art. 1. An qualitas sit Ens successivum 24
2. Motus an & quatenus sit Ens successivum 27
3. Tempus an & quatenus sit Ens successivum 29

CAPUT XX.

De

Tit. I. De voce absoluti 2
Tit. II. De voce respectivi 7
Tit. III. De definitione absoluti & respectivi 9
Artic. 1. An in absoluto & respectivo contineatur perfectio 10
2. Secundum quem respectum intelligatur illa divisio 13
3. Traditur eorum definitio 20
4. De distinctione respectivi 21

CAPUT XXI.

De Principio & Principiato.

Tit. I. De voce principii & principiati 1
Tit. II. De definitione principii 2
Art. 1. In quo eorum definitiones examinantur 5
2. Traduntur definitiones propriæ 10
3. Declaratur definitio Aristotelica principii 15
Tit. III. De definitione principiati 21
Tit. IV. De conditionibus principiorum 24
An principium sit prius principiato 29
Tit. V. De divisionibus principii & principiati 55
Art. 1. De divisione in principium essendi & cognoscendi 56
Punct. 1. De principiis essendi 57
2. De principiis cognoscendi 66
3. De divisione principiorum cognoscendi in propria & communia 75
4. In indemonstrabilia & demonstrabilia 79
Artic. 2. De principiorum divisione in causalia & non causalia 101
3. In interna & externa 108

CAPUT XXII.

De Causa & causato.

Tit. I. De quæstionibus præmialibus 3
Quæst. 1. Cujus disciplinæ sit de causis agere 4
2. Ubi & quomodo in Met. de causis agi debeat 12
Tit. II. De voce & quidditate causæ 17
Art. 1. De nomine causæ 18
2. De natura & definitione causæ 20
Tit. III. De divisionibus causarum 23
Art. 1. De divisione in efficientem, materiam, formam & finem 24
Quæst. 1. An una tantum causa sit, nempe efficiens. 24
2. An insit ur entalis causa augeat numerum causarum 28
3. An idea sit peculiaris causa 35
4. An causa sine qua non sit peculiaris causa 40
5. Probatur, quatuor esse causas 41
Art. 2. De divisione causæ in internas & externas 42
Tit. IV. De efficiente in genere 45
Artic. 1. An efficiens recte præponatur causis aliis 47
2. Quid sit efficiens 51
3. Quæ sit ejus causalitas 53
Tit. V. De causa procreante & conservante 56

Art. 1. Quid sint 57
2. Quomodo distinguantur 63
3. De adæquatione illius divisionis 66
Punct. 1. An solius efficientis sit conservare 67
2. An detur causa media inter has 69
Tit. VI. *De divisione causæ in solitariam & sociam* 73
Art. 1. De causa solitaria & socia in genere 74
2. De causis coordinatis & subordinatis 77
Tit. VII. *De causa principali & instrumentali* 82
Tit. VIII. *De causa efficiente divisione, in causam per se & per accidens* 85
Art. 1. Quid sit causa per se & per accidens 86
2 De causis per se in specie, hoc est, de naturali & voluntaria causa 92
3. De causa per accidens in specie 99
Punct. 1. An in solis efficientibus detur causæ per accidens 100
2. An rectè distinguatur in eam quæ agit necessitate vel fortuna 103
3. Declaratur divisio propria 107
Tit. IX. *De divisione efficientis in univocam & æquivocam* 110
Tit. X. *De divisione efficientis in eam quæ agit per emanationem & per transmutationem* 119
Art. 1. Exponitur illius divisionis sensus 120
2. An causa per emanationem rectè dicatur causa efficiens 124
Tit. XI. *De divisione causæ in universalem & particularem; primam & secundam* 127
Tit. XII. *De divisione efficientis in externam & internam* 137
Tit. XIII. *De divisione efficientis in Physicam & moralem* 138
Tit. XIV. *De nomine & definitione materiæ* 142
Art. 1. De nomine materiæ & æquipollentibus 142
Punct. 1 Ad vocem materiæ 143
2. Ad vocem elementi 145
3. Explicatur definitio elementi 149
An forma propriè sit elementum 151
An materia prima sit elementum 152
An vulgata quatuor elementa rectè dicantur elementa 154
Art. 1. De definitione materiæ 158
Tit. XV. *De Entitate materiæ* 166
Art. 1. An materia sit Ens 167
2. An omnis materia sit substantia 171
3 An materia sit Ens actuale 175
4. Per quid materia sit Ens actuale 182
5. De potentia materiæ 183
Tit. XVI. *De causalitate materiæ* 190
Art 1 An materia sit causa 190
2 Quarum rerum materia sit causa 196
3 Quomodo causet materia 204
Tit. XII. *De divisionibus materiæ* 205
Art. 1. De divisione materiæ in remotam & propinquam 206
2. In immanentem & transeuntem 227
3. In sensibilem & intelligibilem 210
4 In primam & secundam 214
Tit. XVIII. *De appellationibus formæ* 219
Art. 1. De voce formæ, ejusque divisionibus nominalibus 219
2. De aliis nominibus formæ 232
Tit. XIX. *De definitione formæ* 241
Tit. XX. *De Entitate formæ* 244
Art. 1. An forma sit 245
2. An forma habeat esse substantiale an accidentale 257
Tit. XXI. *De causalitate formæ* 256
Art. 1 An forma sit causa 257
2. Cujus rei sit causa 261
3. Quæ sit formæ causalitas 269

Tit. XXII. De *divisionibus formarum* 270
Art. 1. De divisione formæ in substantialem & accidentalem 271
2. In genericam, specificam & numericam 273
3. In totalem & partialem 277
Quæst. An plures formæ possint esse in eodem composito 280
Punct. 1. De formis specificis 281
2. De formis generalibus 283
3. An plures animæ in homine 292
4. De formis partialibus 304
5. De forma mixti 309
Art. 4. De divisione formæ in materialem & immaterialem 314
Tit. XXIII. *De nomine finis* 320
Tit. XXIV. *De definitione finis* 326
Tit. XXV. *De causalitate finis* 328
Artic. 1. An finis causa sit 329
2. Quæ agentia possint agere propter finem 334
3. Quænam res possint esse propter fines 343
Punct. 1. An malum possit esse finis 344
2. An quod est indifferens possit esse finis 352
3. An quod est medium possit esse finis 354
4. An incognitum possit esse finis 357
5. An non Ens possit esse finis 359
Art. 4. An finis causet in esse reali, an in esse intentionali 361
5. Quomodo finis causet 369
Tit. XXVI. *De divisionibus finalis causæ* 370
Artic. 1. De divisione in finem ultimum & non ultimum 371
2. In finem cujus & finem cui 374
Punct. 1. An finis cui vere sit causa 375
2. An finis cujus sit verè finis 382
Art. 3. De divisione finis, in formalem & objectivum 385
4. In finem indigentiæ & assimulationis 388
5. In finem principalem & minus principalem 392
6. In finem per se & per accidens, internum & externum 396
7. In inadæquatum & adæquatum 399
8. In finem actionis & rei factæ per actionem 400
9. In eum qui est per motum & citra motum 401
Tit. XXVII. *De mediis destinatis ad finem* 405
Tit. XXVIII. *De causato* 406
Art. 1. De causato in genere 406
2. De divisione causati in effectum, materiatum, formatum & finitum 410 402
3. De effecto specialiter dicto 411
4. De materiato 417
5. De formato 418
6. De finito. 419

CAPUT XXIII.

De Subjecto & Adjuncto.

Tit. I. *De voce subjecti & adjuncti* 2
Tit. II. *De definitione eorum* 6
Tit. III. *Quænam res possint esse subjecta vel adjuncta* 10
Art. 1. An substantiæ possint esse adjuncta 11
3. An accidentia possint esse subjecta 14
3. An non Entia possint esse subjecta vel adjuncta 22
4. An deus possit dici subjectum 24
Tit. IV. *De divisionibus subjecti & adjuncti* 32
Artic. 1. De divisione in proprium & commune 32
Punct. 1. De voce proprii 33
2. De definitione proprii ejusque conditi-

conditionibus 37
3. Continens varias quæstiones de propriis 54
Quæst. 1. *An adjuncta propria suscipiant magis & minus* 55
2. An possint à subjectis separari 63
3. An possint communicari 73
4. An communicato uno communicentur & alia 90
Punct. 4. De adjuncto communi 95
Artic. 2. De divisione subjecti in subjectum informationis & denominationis 97
3. De divisione in separabile & inseparabile 100
4. De divisione in subjectum inhæsionis, adhæsionis & occupans 103
Punct. 1. Explicatur sensus illius divisionis 104
2. An objectum rectè referatur inter subjecta 107
3. De divisionibus objectorum 110

CAPUT XXIV.

De Signo & Signato.

Tit. I. An *doctrina Signorum debeat esse Metaphysica* 1
Tit. II. *De voce Signi* 8
Tit. III. *De essentia & definitione signi* 11
Quæst. 1. An essentia signi implicet respectum ad signatum, & cognoscentem potentiam, & quo ordine 16
2. An respectus signi sit vera relatio prædicamentalis 26
3. An ad essentiam signi pertineat actu repræsentare 31
4. An signum & signatum debeant esse realiter distincta 33
Tit. IV. *De divisionibus signorum* 41
Art. 1. De divisione signi in naturale & arbitrarium 42
Punct. 1. Quid sint 42
2. An bene sic dividantur 43
Art. 2. De divisione signi in rememorativum, demonstrativum & prognosticum 54
3. In contingens & necessarium 57
4. In formale & instrumentale 59
Punct. 1. Quid sint 60
2. An bene signum sic dividatur 65
Art. 5 De divis. signorum in Theorica & Practica 72
6. In σημαντικὰ & μεταδοτικὰ 77
7. In doctrinalia & non doctrinalia 80
Punct. 1. In quo generatim illa divisio exponitur 81
2. De voce & distinctione conceptus 83
3. Cujus signum sit formalis conceptus 87
4. An conceptus apud omnes sint idem 94
5. De distinctione seu varietate conceptuum 98
6. De vocibus 101
7. Cujus voces sint signa 104
8. An voces sint signa naturalia an arbitraria 122
9. De varietate seu divisionibus vocum 129
10. De scripto 137
Artic. 8. De divisione signi in actuale & aptitudinale 138
9. In proprium & improprium 139
10. In suppositivum & manifestativum 141
11. In notificans, commonefaciens & obsignans 142

CAPUT XXV.

De Mensura & Mensurato.

Tit. I. An *Metaphysici sit agere de mensura & mensurato* 2
Tit. II. *De voce mensura.* 5

Tit.

Tit. III. De *definitione mensuræ* 8
Tit. IV. De *divisione mensuræ* 13
Art. 1 De mensura quantitativa 14
2. De mensura perfectionis 18
3. An Deus aliarum rerum rectè dicatur mensura perfectionis 23
4. Cui primò conveniat ratio mensuræ 26
5. An rectè distribuatur mensura, in extrinsecam & intrinsecam 34
Tit. V. De *conditionibus mensurarum & mensuratorum* 38

CAPUT XXVI.

De *priori & Posteriori & simul.*

Tit I. De *voce prioris* 4
Tit. II. De *definitione prioris* 6
Tit. III. De *generibus prioritatis* 10
Tit. IV. De *iisdem speciatim* 14
Art. 1. De prioritate temporis 15
2. De prioritate naturæ 22
3 De prioritate ordinis sive enumerationis 29
4. De prioritate cognitionis 34
5. De prioritate dignitatis 37
6. De prioritate loci 39
Tit. V. De *cæteris generibus prioritatis & eorum reductione* 41

CAPUT XXVII.

De Ente Rationis.

Tit. I. *Cujus disciplinæ sit agere de Ente rationis* 3
Tit. II. *De voce Ens rationis* 15
Tit. III. *An sit Ens rationis* 18
Tit. IV. *Quid sit Ens rationis* 22
Art. 1. In quo declaratur opinio asserens Ens rationis esse, quod est in ratione 25
2. In quo refutatur opinio, asserens Ens rationis consistere in denominatione extrinseca, eâ scilicet quæ est à ratione 29
3. Declaratur propria sententia, quid sit Ens rationis 35
Punct. 1. An intellectus efficiat Ens rationis 39
2. An Ens rationis sit solùm per intellectum 44
3. An etiam divinus intellectus efformet Ens rationis 51
Tit. V. De *divisionibus Entis rationis* 53
De divisione Entis rationis in Relationem, Privationem, & negationem 58
An privationes & negationes sint Entia Relationis 56

Finis Indicis ad Librum Primum.

INDEX
AD LIBRVM SECVNDVM.

CAPITVM, TITVLORVM, ARTICULORUM ET PUNCTORUM.

Numerus assignatus notat numerum marginalem, cujusque capitis.

CAPUT. I.

De *Substantia in genere.*

TITUL. I. *An Metaphysica liceat descendere ad species.* 2
Tit. II. *De divisione Entis in Substantiam & Accidens* 8
Art. 1. Quidnam in illa divisione intelligatur per divisum, *seu* quænam sint in prædicamento 9
Punct. 1. An incorruptibile comprehendatur in prædicamento 10
2. An Deus sit in prædicamento 11
3. An Angeli sint in prædicamento 12.
4. An transcendentia sint in prædicamento 13
5. An & quomodo negationes sint in prædicamento 14
6. An & quomodo Entia rationis sint in prædicamento 15
7. An & quomodo Entia per accidens sint in prædicamento 16
8. An & quomodo concreta sint in prædicamento 17
9. An & quomodo Entia incompleta sint in prædicamentis 18
10. An & quatenus æquivoca sint in prædicamento 19
11. An artificiosa sint in prædicamentis 20
12. Summaria decisio propositi Articuli 21
Artic. 2. An bona sit divisio Entis in substantiam & accidens 22
3. Qualis sit divisio Entis in substantiam & accidens, an univoca, an analoga; an nominis solum 25
Punct. 1. In quo referuntur variè opiniones 26
2. In quo ostenditur: Ens non esse æquivocum ad substantiam & accidens 28
3. In quo ostenditur: Ens non esse merè univocum ad substantiam & accidens 33
4. In quo ostenditur: Ens analogum ad substantiam & accidens 38
5. In quo solvuntur objectiones, pro univocatione propositæ 43
Tit. III. *De substantia* 47
Art. 1. De voce substantiæ 48
2. De quidditate & definitione substantiæ 51
3. De Aristotelis attributis substantiæ 55

Punct.

Punct. 1. Substantiæ non sunt in subjecto 56
2. Substantiæ prædicantur synonymicè 58
3. Substantia significat hoc aliquid 60
4 Substantia non habet cõtrarium 62
5 Substantia non accipit intensionem & remissionem 65
6. Maximè proprium substantiæ est, cùm una sit, & eadem numero, contraria suscipere posse. 68

CAPUT II.
De Divisionibus Substantiæ

Tit I. *De divisione substantiæ in completam & incompletam* 2
Tit. II. *De divisione substantiæ, in materiam, formam & compositum* 4
An illa divisio sit bona 6
Tit. III. *De divisione substantiæ in primam & secundam* 19
Artic. 1. Quid intelligatur per substantiam primam & secundam 17
2. Continens dubia & objectiones ad harum definitiones 24
3. An bene distinguatur substantia in primam & secundam 30
Tit. IV. *De specialibus rationibus substantiæ primæ, veluti de* Hoc aliquid, *suppositо, hypostasi & persona* 37
Art. 1. De hoc aliquid 37
2. De supposito 38
Punct. 1. De voce suppositi 39
2. De definitione suppositi 41
3. An suppositum sit idem quod persona vel substantia prima 45
Art. 3. De Hypostasi 47
4. De persona 49
Punct. 1 De voce personæ 50
2. An persona sit nomen substantiale 52.
3. In quo percensentur & defenduntur aliæ conditiones personæ 64
4. In quo traditur definitio personæ 69
Art. 5. Quid suppositum vel persona addat naturæ, & quomodo distinguantur 72
Punct. 1. In quo permittuntur aliquæ observationes 72
2. In quo referuntur variæ sententiæ 74
3. In quo statuuntur conclusiones declarantes sententiam propriam 77
4. In quo proponuntur conclusiones contra opiniones aliorum 88
5. In quo solvuntur objectiones 93
Tit. V. *De divisione substantiæ in corpus & spiritum* 99
Art. 1. De corpore 100
Punct. 1. De voce corporis 100
2. In quo exponitur, quid corpus sit cùm dividit substantiam 103
3. An & quatenus Metaphysici sit agere de corpore 104
Art. 1. De spiritu 110
Punct. 1. De voce spiritus & spiritualis & incorporei 113
2. Quid sit spiritualis sive immaterialis & incorporea substantia 119
3. De generalibus proprietatibus substantiæ immaterialis 127
4. Quænam substantiæ in particulari sint immateriales. 132

CAPUT III.
De Deo:

Tit. 1. *De quæstionibus proœmialibus* 2
Artic. 1. An Dei tractatio pertineat ad Metaphysicam 2
Punct. 1. De objectionibus & sententiis variis 2
2. In quo ponuntur assertiones 4
3. In quo solvuntur objectiones 12

Art. 2.

Art. 2. An Deus naturaliter possit cognosci 17
Punct. 1. In quo referuntur objectiones 18
2. In quo confirmatur quòd *Deus* sit naturaliter cognoscibilis 19
3. In quo solvuntur objectiones 21
Art. 1. Quomodo Deus cognoscatur 24
Modus Deum cognoscendi triplex 27
4. Probans Deum esse 31
Prima probatio. *A subordinatione causarum in eâque evitando processu in infinitum* 34
Secunda probatio. *Ex ordine & constitutione mundi* 39
Tertia probatio. *Ex conditione hominum* 43
Tit. II. *De nomine Dei* 45
Art. 1. De nomine Hebræo Dei 45
2. De Græca voce θεὸς & aliis 46
3. De voce Germanica *Gott* 49
4. De voce Latina Deus 50
5. An vox Deus sit nomen essentiæ an officii 54
6. Exponitur ambiguitas in voce Deus 58.
Tit. III. De *definitione* Dei 60
Art. 1. An Deus definiri possit 61
Punct. 1. De argumentis; quòd *Deus* definiri possit 61
2. Deum perfecte definiri non posse 64
3. Deum definiri posse definitione imperfecta 71
4. Solvuntur objectiones 72
Art. 2. Quomodo & qualiter Deus definiri possit 75
3. Ponuntur Dei descriptiones 79
Tit. IV. *De attributis Dei in genere* 86
Art. 1. De voce attributi & æquipollentibus 87
2. An Deo conveniant attributa 90
3. Quid sint attributa divina 96
4. Quomodo attributa divina à Deo & inter se distinguantur 109
Punct. 1. Quomodo se habeant attributa divina ad essentiam Dei 110
2. Quomodo se habeant attributa divina ad invicem 111
3. Quod attributa divina distinguantur ratione ratiocinata 113
Art. 5. Quomodo attributa divina de Deo enuncientur 117
6. De divisione attributorum divinorum 127
7. De ordine attributorum divinorum ac deinceps dicendorum 136
Tit. V. *De attributis Dei quoad titivis* 139
Art. 1. De Entitate Dei 140
Punct. 1. Deus est Ens 140
2. Quomodo Ens prædicetur de Deo & creaturis 142
3. Ens non esse nomen æquivocum ad ad *Deum* & creaturas 144
4. Continens primum corollarium de unitate conceptus Entis ad *Deum* & creaturas 147
5 Continens secundum corollarium: Quòd Entis conceptus in ordine ad Deum & creaturas non sit analogus, analogia illa quæ est per proportionem & denominationem extrinsecam 154
6 Ens non esse univocum ad Deum & creaturas 160
7. Ens non esse analogum ad Deum & creaturas 168
8. Solvuntur objectiones 171
Art. 2. *De* esse Dei substantiali 174
Punct. 1 An Deus sit substantia 175
2. Quomodo Deus sit substantia 181
Art. 3. De esse Dei spirituali 184
Punct. 1. Probans Deum esse spiritum 186.
2. Solvuntur objectiones 192

Tit.

Tit. VI. De *unitate* Dei. 197
Art. 1. An Deus sit aliquid singulare & unus numero 200
Punct. 1. In quo referuntur variæ opiniones 201
2. Probatur Deum unum numero esse 204
3. In quo proponuntur & solvuntur objectiones contra unitatem Dei 213
Art. 2. De simplicitate Dei 218
Punct. 1. In quo prægnoscuntur aliqua 220
2. Removetur à Deo compositio ex genere & differentia 224
3. Removetur à Deo compositio ex materia & forma 225
4. Removetur a Deo compositio ex esse & essentia 236
5. In quo removetur à Deo compositio ex natura & suppositio 240
6. In quo removetur à Deo compositio ex subjecto & accidente: adeóque disquiritur: an in Deo sint accidentia 245
Probatur: Deo non convenire accidentia 251
Proponitur sententia Vorstii, ponentis in Deo accidentia 256
Examen sententiæ Vorstianæ de accidentibus Dei 264
Quid sint actus liberi Dei, & quomodo se habeant ad Dei essentiam 268
Cognitionem & volitionem Dei esse eadem cum essentia Dei 268
Esse unam respectu omnium objectorum 272
An decreta divina faciant in Deo realem compositionem 274
Examinantur argumenta Vorsti 275
Punct. 7 An Deus sit componibilis cum aliis 282
8. In quo ponuntur & solvuntur generalia argumenta contra simplicitatem Dei 293
Tit VII. *De Dei veritate & cognoscibilitate* 297
Tit. VIII. De *Dei bonitate* 300
Arti. 1. An Deus sit bonus 301
2. An Deus solus sit bonus 304
3. Quomodo Deus sit bonus 308
4. An res creatæ sint bonæ, bonitate divinâ 311
Tit. IX. *De perfectione Dei* 313
Art. 1. An Deus sit aliquid perfectissimum 316
2. Quomodo Deus contineat, aliarum rerum perfectiones 320
Tit. X. *De infinitate Dei* 327
Art. 1. An & quomodo Deus sit infinitus 328
2. In quo solvuntur objectiones contra Dei infinitatem 338
4. In quo declarantur attributa æquipollentia 342
Tit. IX. De *Dei æternitate* 347
Art. 1. An Deus sit æternus 348
2. Qualis sit Dei æternitas 353
Tit. XII. *De omnipræsentia Dei* 360
Quæst. 1. *An Deus sit omnipræsens* 361
Art. 1. In quo referuntur variæ sententiæ 361
2. In quo probatur Dei omnipræsentia 366
Punct. 1. De præsentia Dei in omnibus partibus mundi 367
2. De præsentia Dei extra mundum 367
Art. 3. In quo solvuntur objectiones veritati contrariæ 380
Punct. 1. In quo considerantur objectiones de potentiali Dei præsentia in hoc mundo 387
2. In quo solvuntur objectiones, quibus disputatur, Deum non esse supra cœlum 398

Quæst. 2 *Qualis sit Dei omni præsentia* 403
Tit. XIII. *De vita Dei* 411
Artic. An Deo conveniat vita propriè loquendo 412
2. Quomodo Deo conveniat vita 414
Tit. XIV. *De intellectu sive scientia Dei* 417
Artic. 1. Quid sit scientia sive intellectus divinus 418
2. De objecto divinæ intellectionis 422
Punct. 1. De cognitione Dei quâ cognoscit seipsum 423
2. An cognoscat Deus res creatas omnes quæ sunt in mundo 424
Corollarium: de notitia singularium & universalium corporalium & spiritualium 429
Punct. 1. An Deus cognoscat res creatas in se ipso solum, an verò cognoscat eas juxta proprias earum essentias 432
2. An *Deus* cognoscat res contingenter futuras 440
3. An Deus etiam mala cognoscat 455
Art. 3. De modo divinæ cognitionis 460
Punct. 1. Cognitio Dei est perfectissima 460
2. Est certa & infallibilis 461
3. *Deus* comprehendendo se seu comprehensivè & adæquatè se cognoscendo cognoscit creaturas in seipso juxta proprium esse eorum 463
4. *Deus* non cognoscit res creatas per speciem & proinde nec seipsum 464
5. Deus non cognoscit componendo & dividendo 465
6. Deus non cognoscit discurrendo 468
Art 4. *De* variis distinctionibus divinæ cognitionis 473
Punct. 1. De divisione scientiæ Dei, in scientiam simplicem & scientiam approbationis 473
2. De divisione scientiæ *Dei* in scientiam visionis & intelligentiæ 475
3. De distinctione scientiæ divinæ in speculativam & practicam 481
Quæst. 1. *Quid sit practica & speculativa cognitio, atque adeò an Deo conveniant* 482
2, *Quarum rerum sit cognitio Dei speculativa & practica* 485
Punct. 4. In quo differitur de aliis humanæ scientiæ nominibus, & eorum applicatione ad scientiam divinam 489
Tit. XV. *De voluntate Dei* 499
Art. 1. Quid sit Dei voluntas 500
2. De objecto voluntatis divinæ 507
Punct. 1. Deus amat seipsum primario 508
2. Dei voluntas terminatur etiam ad res creatas 510
3. Deus non vult malum culpæ seu peccatum 512
Art, 3. Qualis sit Dei voluntas seu quomodo velit Deus 517
Quæst. 1. *An & quatenus voluntas Dei sit libera* 518
2. *An & quatenus voluntas Dei sit immutabilis* 527
Art, 4. De divisionibus divinæ voluntatis 531
Punct. 1. Volitionem Dei unam esse 531
2. De divisione voluntatis in voluntatem signi & beneplaciti 535
An permissio rectè dicatur voluntas signi 543
Punct. 3. *De* divisione voluntatis *Dei* in voluntatem antecedentem & consequentem 545
Artic. 5. De virtutibus & affectibus divinæ

vinæ voluntatis 547
Punct. 1. De virtutibus voluntatis divinæ 547
2. De effectibus voluntatis divinæ 554
Tit. XVI. *De potentia Dei* 556
Art. 1. An in Deo sit potentia, & quid ea sit 557
2. Qualis sit Dei potentia 564
3. Quodnam sit objectum divinæ potentiæ 568
Quæst. 1. *An Deus possit facere infinitum, atque adeò alium Deum* 578
2. *An Deus possit facere ut præteritum non sit præteritum* 579
3. *An potentia Dei extendatur ad peccandum, moriendum, aliósque materiales actus* 582
4. *An Dei potentia extendatur ad impossibilia* 587
5. *An Deus possit aliquid quod non fecit* 588
6. *An Deus solùm possit facere quæ vult* 594
7. *An Deus possit melius facere, quod fecit ac quomodo fecit* 597
Art. 4. De distinctione divinæ potentiæ 603
5. De distinctione potentiæ Dei in absolutam & ordinatam 604
Tit. XVII. *De creatione* 609
Art. 1. De voce creationis 612
2 De definitione & quidditate creationis 617
Punct. 1. In quo constituitur definitio creationis 618
2. Quid sit creatio respectu Dei creantis, vel in Deo 624
3. Quid sit creatio ex parte rei creatæ 632
4. An creatio possit dici mutatio 635
5. An creatio possit dici actio, & quidem transiens 637
6. An ad rationem creationis sit necessaria novitas essendi 641
Art. 3. Cujus sit creare 652
An creatura possit esse creationis causa principalis 653
An aliqua creatura possit esse creationis causa instrumentalis 658
Art. 4. Cujus sit creari 663
5. An probari possit, quod aliquid de facto sit creatum 668
Tit. XVIII. *De conservatione* 676
Art. 1. Quid sit conservatio, & quotuplex, & quomodo se habeat ad creationem 677
2. An & quomodo Deo conveniat res conservare 688
Tit. XIX. *De cooperatione sive concursu Dei cum causis secundis* 695
Art. 1. An res creatæ aliquid verè agant 696
2. An Deus concurrat ad quosvis actus causarum secundarum 703
3. Quomodo Deus concurrat ad actus rerum creatarum 713
Oratio, *In qua referuntur Metaphysica Photinianorum argumenta, contra Trinitatem* 719
Argum. 1. *Ex singularitate Dei* 722
2. *Ex infinitate Dei* 725
3. *Ex simplicitate Dei* 729
4. *Ex ratione causæ.* 737

CAPUT IV.

De Angelis.

Tit. I. *De præmialibus* 1
Art. 1. De voce Angeli 2
2. Angeli an dentur 4
3. Cujus disciplinæ sit agere de Angelis 9
Punct. 1. An & quatenus Physici sit agere de Angelis 11
An ἀγγελολογία sit peculiaris scientia 16

Tit. II. De *definitione angeli* 18
Tit. III. *De attributis angelorum quiditativis iisque generalibus* 20
Art. 1. Angeli sunt Entia 21
2. Angelos esse substantias 22
3. Angeli an sint spiritus an corpora 23
Tit. IV. *Angelos esse intellectuales* 40
Tit. V. *Angelos esse finitos* 42
Tit. VI. De *simplicitate angelorum* 44
Art. 1. Angeli an sint compositi ex esse & essentia 45
2. An sint compositi ex natura & supposito 46
3. An sint compositi ex genere & differentia 48
4. An sint compositi ex materia & forma 50
5. An Angeli sint compositi ex partibus quantitativis 54
6. An sint compositi ex subjecto & accidente 58
Tit. VII. De *duratione angelorum* 61
Art. 1. An Angeli sint æterni 62
2. An sint incorruptibiles 67
3. Quâ duratione duret Angelus 81
Tit. VIII. *De loco sive Ubi & præsentia Angelorum* 82
Art. 1. An Angeli sint immensi & proinde in omnibus locis 83
2. An sint in loco Physicè 84
3. Quomodo Angeli sint alicubi 86
Tit. IX. De *numero Angelorum* 98
Tit. X. *De distinctione Angelorum* 101
Art. 1. An Angeli possint solo numero differre 102
2. An Angeli possint differre specie 105
3. Quomodo Angeli sint alicubi 111
Tit. XI. *De actibus Angelorum, ubi primùm est de cognitione angelorum* 112
Art. 1. De cognitionis Angelicæ principio 114
Punct. 1. An Angeli intelligunt per animam 115
2. An intellectio Angeli sit ejus esse 116
3. An in Angelo sit potentia cognoscitiva distincta ab illius essentia 118
4. An Angelus ad intelligendum requirat species 121
5. An intellectio Angelica fiat ex habitu 127
Art. 2. De objecto cognitionis Angelicæ 135
Punct. 1. An Angelus seipsum cognoscat 136
2. An Angelus unus cognoscat alium 139
3. An Angeli cognoscant animas separatas 144
4. An Angeli naturaliter possint cognoscere Deum 145
5. An Angeli possint cognoscere res materiales 148
6. An Angeli futura cognoscant 153
7. An Angeli cognoscant cogitationes humanas. 166
Art. 3. De modo cognitionis Angelicæ 173
Punct. 1. Angeli cognoscunt per species 174
2. An cognoscant sic, ut modò sint cognoscentes actu, modò potestate 175
3. An intellectus Angelicus omnia intelligat verè 181
4. An Angelus intelligat componendo & dividendo 183
5. An Angeli cognitio sit discursiva & Dianoëtica 188
Tit. XII. *De volitione Angelica* 196
Artic. 1. Angelos habere voluntatem & velle 197

2. De

2. De principio volitionis Angelicæ 199
3. De actu & modo voluntatis Angelicæ 206
4. De objecto voluntatis Angelicæ 208
Tit. XIII. *De Angelorum locutione* 209
Art. 1. An Angeli loquantur 210
2. Quomodo loquantur 216
Tit. XIV. *De Motu Angelorum* 219
Art. 1. An Angeli moveantur 220
2. Quomodo moveantur 226
Punct. 1. An motus Angeli sit motus Physicus 227
2. An Angelis motus conveniat per extrinsecam denominationem 228
3. An Angeli motus sit instantaneus 231
4. An Angelus transiens ab extremo ad extremum necessario transeat per medium 235
Tit XV. *De actionibus transeuntibus Angelorum* 237
Art 1. An Angeli possint producere substantias 238
2. An Angeli possint producere qualitates materiales 248
3. De Angelorum vi motiva 253
Punct. 1. An Angeli moveant aliqua corpora 254
2. Per quid Angeli moveant aliqua corpora 257
Quæst. 1. *An in Angelo sit peculiaris potentia motiva* 258
An Angelus movendo imprimat impetum mobili 261
Tit. XVI. *De assumptione corporum* 264
Artic. 1. An Angeli assumant corpora 265
2. Qu alia sint ea corpora 267
3. Quomodo Angelus uniatur corpori 270
4. Quos actus possit Angelus exercere in assumpto corpore 273

CAPUT V.

De Anima separata.

Tit. I. *An Metaphysici sit agere de anima rationali* 1
Tit. II. *De anima immortalitate* 8
Art. 1. In quo referuntur opiniones 9
2. In quo ponuntur quædam præcognita 12
3. Ponuntur assertiones 14
4. Probatur animæ rationalis immortalitas ex natura 20
5. Solvuntur objectiones 26
Tit. III. *An anima persistat in statu quodam à corpore separato* 30
Tit. IV. *An anima sit separationis status naturalis, nec ne* 38
Art. 1. Declarans terminos hujus quæstionis 38
2. In quâ proponuntur variæ opiniones cum fundamentis eârum 44
3. Ponuntur assertiones, & defenduntur 50
Tit. V. *An anima separata retineat propensionem ad corpus* 63
Animæ separatæ an conveniat appetitus elicitus 79
Tit. VI. *De comparatione Angelorum & animarum separatarum* 81
Art. 1. An animæ & Angeli sint ejusdem speciei 82
2. An anima seperata sit dignior seu nobilior Angelo 85
Tit VII. *Quas potentias, vel habitus, vel actus habeat anima separata* 91
Art. 1. De potentiis animæ separatæ 92
An in ea maneant potentiæ vitales & animales 93
Art. 2. De habitibus animæ seperatæ 101

An anima aſportet ſecum ſpecies intelligibiles 110
Artic. 3. De actibus animæ ſeparatæ 113
Punct. 1. De cognitione animæ ſeparatæ 114
Quæſt. 1. *An anima ſeparata actualiter cognoſcat* 117
2. *De obiecto cognitionis animæ* 123
3. *De modo cognitionis animæ ſeparatæ* 130
Punct. 1. De volitione animæ ſeparatæ 133
3. De actu movendi animæ ſeparatæ 138
Quæſt. 1. *An anima ſeparata moveatur* 140
2. *An animæ ſeparatæ moveantur per ſe an per accidens* 146
3. *An anima ſeparata poſſit movere alia corpora* 152

CAPUT VI.

De accidentibus in genere.

Tit. I. *De voce accidentis* 2
Tit. II. *De definitione accidentis* 11
Tit. III. *De eſſentia accidentis* 15
Art. 1. Quòd accidenti conveniat eſſentia 15
2. Quòd accidens dicat unam eſſentiam 18
3. Qualis ſit eſſentia accidentis in ordine ad ſua inferiora, an ſit univoca an analoga 26
4. Conſtituitur quæ ſit eſſentia accidentis 31
5. An eſſentia accidentium requirat etiam materiam 42
Tit. IV. *De attributis accidentium* 50
Art. 1. An & quomodo accidens ſit poſterius ſubſtantia 51
2. De modo productionis, quo accidentia producuntur 58
Punct. 1. Explicatur productio accidentium per reſultantiam a ſubſtantia 59
2. In quo proponuntur & ſolvuntur objectiones 62
3. In quo explicatur alius modus quo producuntur accidentia 66
Artic. 3. De vi cauſativa accidentium 69
Punct. 1. An omnibus accidentibus conveniat actio 70
2. An accidens poſſit producere ſubſtantiam, & quomodo 78
Primò: *Referuntur opiniones* 79
Secundò: *Probatur contra* Scotum: *Subſtantiam non producere ſubſtantiam aliam, immediatè, ſed interventu accidentis, ejuſque rationes ſolvuntur* 82
Tertio *Probatur contra* Pererium: *Solum accidens non poſſe producere ſubſtantiam ſuâ virtute, hoc eſt, independenter ad ſubſtantiam, ejuſdemque exceptiones ſolvuntur* 86
Quarto: *Probatur, accidens in virtute ſubſtantiæ aliam ſubſtantiam producere* 95
Punct. 3. An & quomodo accidentia producant accidentia 96
Quæſt. 1. *An accidentia in productione accidentis neceſſariò exigant influxum formæ* 97
2. *An accidentia in accidentis productione debeant dici inſtrumentum ſubſtantiæ* 100
Punct. 1. An & quomodo accidentia ſint formæ 103
Tit. V. *De diviſione accidentium in novem genera* 112
Artic. 1. In quo referuntur objectiones 113
2. Defenditur propoſita diviſio 116
3. In quo ſolvuntur objectiones 118

Punct. 1. Quo disquiritur, quanta distinctio requiratur ad distinctionem prædicamentorum 118
2. An accidentium divisio sit abundans 121
3. An accidentium divisio deficiat 126
Tit. VI. De *ordine quo docenda sint accidentia* 130

CAPUT VII.

De Quantitate.

Tit. I. *De proximalibus* 1
Artic. 1 Cujus disciplinæ sit agere de quantitate 2
2 De voce quanti & quantitatis 10
Tit. II. *De essentia & definitione quantitatis in genere* 13
Tit. III. *De divisione quantitatis in continuam & discretam* 18
Quæritur: An bene sic dividatur quantitas 25
Tit. IV. *De quantitate continua* 26
Art. 1. An essentia quantitatis eadem sit cum essentia substantiæ corporeæ 27
Punct. 1. Opinio dicentium: quantitatem non distingui à substantia 28
2. In quo proponitur & approbatur alia sententia 30
3. Solvuntur argumenta contraria 35
Art. 2 An essentia quantitatis consistat in ratione mensuræ 39
Punct. 1 In quo declaratur sententia affirmans 40
2. Quantitatis essentiam non consistere in ratione mensuræ 43
3. An essentia quantitatis consistat in divisibilitate 48
4. Quomodo essentia quantitatis consistat in extensione 51
Tit. V. *De quantitate discreta* 56
Art. 1. An quantitas discreta sit Ens reale 58
2. An quantitas discreta sit aliquid unum, & quomodo 67
3. An numerus rectè ponatur sub quantitate, tanquam species ejus 74
Tit. VI. *De attributis quantitatis* 82
Art. 1. Quantitati nihil est contrarium 83
2. Quantum non recipit intensionem & remissionem, sive: non suscipit magis & minus 87
3. Maximè proprium est quantitati, secundum eam æquale & inæquale dici 92

CAPUT VIII.

De Qualitate

Tit. I. *De voci qualis & qualitatis* 2
Tit. II. *De definitione & quidditate qualitatis* 5
Art. 1. In quo examinantur definitiones aliorum 5
2. In quo proponitur & explicatur definitio propria 8
3. In quo proponuntur & solvuntur objectiones contra qualitatis definitionem 13
Tit. III. *De divisione qualitatis, in habitum naturalem potentiam, qualitatem passibilem & figuram* 16
Artic. 1. In quo proponitur & refutatur aliorum sententia de hac divisione 17
2. Quomodo distinguantur illa genera qualitatum 23
3. An divisio qualitatis in istas species sit sufficiens 28
4 In quo explicantur duplicata nomina

na ſpecierum qualitatis ab Ariſtotele propoſita 38
Tit IV. *De habitu in genere* 44
Art. 1. De voce habitus & diſpoſitionis 45
2. De eſſentia & definitione habitus 47
An omnis habitus ſit operativus 51
Quòd omnis habitus ſuper addatur alicui naturali potentiæ 56
Habitus juvat actus naturalium potentiarum 60
Art. 3 De ſubjectis habituum 63
Punct. 1. Quodnàm ſit primum & proprium ſubjectum habituum 64
2. An habitus ſint in brutis 68
3. An habitus ſint in potentia motiva 73
4. An poſſint dari habitus in appetitu ſenſitivo 77
5. An in voluntate poſſit eſſe habitus 79
6. An in intellectu poſſint eſſe habitus 82
7. Proponuntur generalia Theoremata de ſubjectis habituum 85
Art. 4. De cauſa habituum 90
Punct. 1. An aliquis habitus poſſit eſſe à natura 91
2. An & quomodo actus ſint cauſa habituum 93
3. An habitus poſſit fieri ex uno actu 107
Quænàm ſit finalis cauſa habituum 113
Artic. 5. De actibus qui ab habitibus fiunt 114
Punct. 1. An habitus ſint cauſa efficiens aliquorum actuum 115
2. An habitus concurrat ad ſubſtantiam actus 118
3. An habitus ſit primum principium operationis 123
Artic. 6. De extenſivo augmento habituum. 124
7. De diminutione & corruptione habituum 136
Tit. V. *De diviſionibus habituum* 142
Art. 1. De diviſione habitus in virtutem & vitium 143
2. De diviſione habitus in infuſum & acquiſitum 152
3. De diviſione habitus in moralem & intellectualem 156
4. De diviſione habitus in ſpeculativum & practicum 159
Tit. VI. De *potentia naturali* 167
Artic. 1. In quo declaratur nomen potentiæ naturalis 168
2. De definitione potentiæ naturalis 172
3. An potentia naturalis ſit accidens 177
Tit. VII. *De qualitate patibili* 182
Tit. VIII. *De figura* 184
Tit. IX. *De attributis qualitatum* 185
Art. 1. De qualitatum contrarietate 186
2. De qualitatum intenſione & remiſſione 188
Punct. 1. De voce intenſionis & remiſſionis 190
2. An detur intenſio & remiſſio 192
3. Quid ſit intenſio & remiſſio & quomodo ea fiat 200
4. Cui conveniat intenſio & remiſſio 205
5. Qualis ſit qualitas intenſibilis, ſimplexnè an compoſita 210
Artic. 3. De qualitatum ſimilitudine & diſſimilitudine 213

CAPUT IX.

De Relatione.

Tit. I. *De vice relationis ejuſdemque diſtinctionibus nominalibus* 2
De diſtinctione relationis, in realem &

& rationis 5
De distinctione relationis secundum dici & secundum esse 6
De distinctione relationis in transcendentem & prædicamentalem 7
Tit. II. *An omnes relationes pertineant ad prædicamentum relationis* 16
Tit. III. *Quænam sit generalis essentia relationis prædicamentalis* 13
Art. 1. An relatio prædicamentalis sit 14
2. An relatio sit accidens 19
Tit. IV. *In quo proponitur & explicatur definitio relationis prædicamentalis* 22
Tit. V. *De requisitis relationis prædicamentalis* 27
Art. 1, De istis requisitis generatim 28
2. De subjecto relationis prædicamentalis 33
3. De ejus fundamento 35
Punct. 1. Quænam in particulari possint esse fundamenta relationum 36
Relatio in quantitate, qualitate, actione & passione 39
An relationes possint fundari in substantia 40
An in relatione possit fundari relatio 43
An fundari possit in quatuor ultimis prædicamentis 46
Punct. 2. Relatio prædicamentalis & ejus fundamentum quando conveniant & quando differant 48
Art. 4. De termino relationis 55
Punct. 1. An terminus relationis semper debeat esse quid existens 56
2. An terminus relationis sit quid absolutum an respectivum 58
3. Terminus relationis quomodo ab ipsa debeat distingui 70
Tit. VI. *De divisionibus relationis prædicamentalis* 71
Art. 1. De divisione relationum *Aristotelica*, in eas quæ fundantur in unitate vel multitudine, vel in actione & passione, vel in mensura & mensurato 72
2. De divisione relatorum in relata æquiparentiæ & disquiparentiæ 74
3. De divisione relationis juxta diversitatem fundamentorum 79
Tit. VII. *De attributis relationum & relatorum Aristotelicis* 81
Art. 1. Contrarietas est in relatis 82
2. Relata suscipiunt intensionem & remissionem 84
3. Relata dicuntur reciprocè 89
4. Relata sunt simul naturâ 91
5. Qui novit unum relatorum, novit & alterum 96

CAPUT X.

De Actione.

Tit. I. De *voce Actionis* 2
Tit. II. *De definitione actionis* 11
Tit. III. *De essentia actionis* 18
Art. 1. An actio sit aliquid respectivum 19
2. De respectu actionis ad principium agens 23
3. De respectu actionis ad terminũ 25
Punct 1. An omnis actio habeat terminum 26
2. Quomodo actio comparetur ad terminum 37
Art. 4. De respectu rationis ad subjectum 45
Punct. 1. An actio transiens sit in agente 46
2. De subjecto actionis immanentis, atque adeo de subjecto actionis in communi 54
Tit. IV. *Unde sumenda sit specificatio atque adæquatum divisi actionum* 56

Tit. V. *De divisionibus actionum* 61
Art. 1. De divisione actionis in immanentem & transeuntem 62
2. De divisione actionis in instantaneam & successivam 68
3. De divisione actionis in materialem & spiritualem 70
4. De divisione actionis in mutuam & non mutuam 72

CAPUT XI.

De Passione

Tit. I. *De voce passionis* 2
Tit. II. *De passionis definitione* 5
Tit. III. *De essentia passionis* 7
Art. 1. An actio & passio idem sint 8
2. An passio & motus idem sint 19
3. An passio faciat peculiare prædicamentum 23
4. An ad essentiam passionis requiratur inhæsio actualis in subjecto, vel etiam successio 26
Tit. IV. *De distributionibus passionis* 31
Tit. V. *De actionis & passionis attributis Aristotelicis* 34

CAPUT XII.

De Quando.

Tit. I. *De nomine quando* 2
Tit. II. *Quanam duratio pertineat ad prædicamentum quando* 3
De duratione temporali 4
De duratione ævi 5
De duratione æternitatis 12
Generalis determinatio quæstionis 15
Tit. III. *Quomodo definiendum sit prædicamentum Quando* 16

CAPUT XIII.

De Ubi.

Tit. I. De *voce Ubi* 2
Tit II. *Quænam præsentia in particulari pertineat ad prædicamentum Ubi* 3
Tit. III. *Quomodo definiendum sit prædicamentum, Ubi* 10

CAPUT XIV

De Situ.

Tit. I. De *voce situs & æquipollentibus* 2
Tit. II. De *quidditate & definitione situs* 4
Tit. III. De *divisione situs* 10
Tit. IV. *An rectè Metaphysicus agat de situ.* 12

CAPUT XV.

De Habitu.

Tit. I. *Cui subjecto conveniat habitus* 2
Tit. II. *An habitus sit ipsum corpus adjacens, an verò corporis adjacentia* 7
Tit. III. *In quo constituitur & explicatur definitio habitus* 10

Finis Indicis ad Librum secundum

PRO-

PROOEMIUM
DE VSV PHILOSOPHIÆ IN THEOLOGIA, EJUSQUE ad eam prætensa contrarietate.

FRequenter hoc nostro tempore ea de re disceptari solet. Proinde ad vindicandam in hac controversia & veritatem, & Philosophiæ dignitatem, paucis rem ipsam persequar: Visurus. 1. de usu Philosophiæ in Theologia: Tum de ejus ad eam contrarietate. Denique etiam objecta quædam dissolventur, præmissis aliquibus, quæ ad voces intelligendas necessaria videbuntur.

CAPUT I.

DE VOCABULIS QUIBUSDAM, & eorum expositione.

RECORDANDUM est: Philosophiam esse quid aggregatum. Unde nihil aliud hactenus est Philosophia, quàm notitia rerum Metaphysicarum Physicarum, Mathematicarum: Item prudentis agendi ea quæ ad vitam civilem spectant, vel in communi, vel etiam particulatim, prout ea in Repub: vel domo nostra æstimatur. Quod si instrumentales etiam Disciplinas nomine Philosophiæ complecti velimus, tum porro hactenus Philosophia nihil aliud erit, quàm

Resolvitur vox Philosophia.

quàm artes, loquendi per distinctas linguas, Hebræam, Græcam, Latinam, &c. dicendi ornatè, disserendi acutè.

Quid hactenus fit, Philosophiam contrariari Theologiæ.

Ergo hactenus Philosophiam contrariari Theologiæ, nihil aliud esset, quàm notitiam universalissimorum terminorum, & attributorum rerum quarumvis, notitiam item de Deo & Angelis ex natura sumptam: Itemque eam, quæ est de cœlo, elementis, metallis, herbis, bestiis, homine: notitiam item numerandi, canendi, mensurandi cœlum terrámve, &c nec non ipsum temperanter, iuste, liberaliter, fortiter vivere, prudenterque adeo in Republica vel domo sua, officio suo fungi, hoc ipsum, inquam, esset contrariari Theologiæ. Imo & nosse varias linguas & modum persuadendi ornatè & rem propositam legitimè definire dividere, concludere, ordinare, hoc esset, contrariari Theologiæ.

Singula sunt evidentia, partim quòd aggregatorum natura non est alia à natura partium, partim quod hæc ipsa quæ inducta sunt, sunt definitio Philosophiæ, eorúmque quæ in Philosophia continentur: Unde utriusque erit eadem ratio.

Sicut & in oppositum: Philosophiam utilem esse ad Theologiam, nihil aliud est quam notitias istas &c. eò utiles esse.

Philosophia non est idem quod sophistica.

II. Observandum est, nomine Philosophiæ, Philosophiam intelligi, non sophisticam. Et proinde non intelligendi nunc sunt errores Philosophorum, quales prolixâ inductione ex singulis disciplinis & partibus Philosophiæ connumerari possunt, qui frequenter non Theologiæ tantùm: sed etiam veris Philosophiæ principiis, imò & sibiipsis quandoque, quæ falsitatis natura est, contrariantur. Ista enim vitia sunt artificum, non artium. Sicut ergo contrariari Theologiæ, non est, contrariari erroribus Theologorum, nec opiniones quibus Scripturæ prætexuntur, illicò Theologicæ sunt, cùm possint esse hæreticæ, ut ob id Theologiæ, non sint imputandæ: Ita etiam, quibus prætexitur Philosophia sententiis, non illicò Philosophicæ censendæ sunt, cum possint esse sophisticæ, & proinde nec Philosophiæ sint imputandæ. Nempe quod hæreticum est, Theologicum non est, & quod sophisticum est, Philosophicum non est. Proinde si quis offendere velit, Philosophiam Theologiæ contrariari, non errores & falsæ opiniones Philosophorum opponendæ sunt, ad Theologiam, sed ea quæ omnino Philosophica, hoc est, vera sunt.

Explicatur vox rationis.

III. Solet & in hac controversia usurpari vox Rationis. Unde, pro nomine Philosophiæ, supponendo vocem, rationis, quæri solet, an ratio Theologiæ & divinis mysteriis contrarietur, an secus. Sed termini revera non sunt æquipollentes.

Aliquando ratio est idem quod intellectus.

Adverte igitur, vocem rationis esse ambiguam. Aliquando ratio est idem quod intellectus altera nempe animæ nostræ potentia contradistincta voluntati. Ita Scalig. *Exerc.* 307. *sect.* 5. eam definit, quòd sit vis animæ, quæ movet se ab effectibus ad causas investigandas &c.

Sic rationi

Ad quæ hæc pertinent, quæ dicuntur de imperfectione, & debilitate, &

obscu-

obscuratæ rationis nostræ, rationis, inquam, hoc est, intellectus nostri. Hæc enim vulnera sunt menti nostræ inflicta ex peccato originali, ut bene persequitur Bellarm *lib.6 de amiss. grat. c.9.* Unde consequenter apparet, cum ista dicantur de ratione sive intellectu nostro per ordinē ad actum intelligendi, quod consequenter ea imperfectio & obscuritas comitetur intellectum in omni genere intelligendi & proinde in ordine ad quodvis intelligibile. Nempe visitiositas ista adhæret intellectui nostro, sive debeat res sacras sive profanas tractare, sive debeat versari in cognitione rerum Theologicarum, sive in cognitione rerum Philosophicarum, Juridicarum, aliarumvè

convenit multiplex imperfectio

Eaque cernitur in ordine ad quodvis intelligibile.

Ex quibus evidentissimum est, quæ ex illa rationis imperfectione, cæcitate, &c sumuntur, non magis facere, ut Philosophia contrarietur Theologiæ, quàm ut eidem contrarietur Medicina, aut Jurisprudentia, ut de habitibus Mechanicis nihil dicam. Imò sive etiam res Theologicas seorsim cognoscamus, sive etiam adscitis terminos Philosophicos semper tamen illis cognitionibus intellectus noster, sive ratio (cujus est omnis actus cognoscitivus) est humana ratio, est humanus intellectus, hoc est, obscurus, imperfectus, ita ut in omni genere intelligendi falli possit, & si quid cognoscat, imperfectè cognoscat. D. Paulus certè *1. Cor. 13. vers. 11.* omnem nostram de Deo notitiam, ἐνιγματῶδη vocat & tanquam in speculo, & D. Lutherus ait, ut infrà dicam, neminem Theologorum fœdius errasse in Scriptura, quàm qui præsumpserunt, se in ea nihil errasse.

Non magis efficit contrarietate philosophiæ, quàm alterius facultatis ad Theologiam.

Hactenus ergò nomen rationis humanæ non potest accipi pro Philosophia, non magis ac posset accipi pro Theologia. Cum ratio sive intellectus noster indifferenter se habeat, ad cognoscenda Theologica & Philosophica. Unde consequenter nulla causa est, quæ ad extenuandum rationis lumen rectè dicuntur, particulatim attrahere ad Philosophiam, aut potius æstimare in cognitione rerum sacrarum si quis terminus Philosophicus adhibeatur, quàm si res Theologicæ seorsim cognoscantur, cum etiam ista pura rerum Theologicarum tractatio non fiat nisi per intellectum, nisi forte cognitio sit non rationis, sive intellectus, sed manuum, pedùmve, alterius ve potentiæ vel organi.

Ratio sic non est idem quod Philosophia.

Jam *Secundò*, Ratio significat peculiare genus probādi contradistinctum Testamonio. Ita requiritur à Philosopho ut non tam authoritatibus quam rationibus disputet. Atq; tum ratio nihil aliud est, quàm probatio sumpta à natura extremorum, ut Aristot. fieri jubet, *1. Prior. c.26.* Et sic intelligitur vocabulū Rationis, cum argumentū definitur, quòd sit ratio rei dubiæ fidē faciens. Vid. Armand. de Bello Vis. *l.2. term. cap. 208.* Atque Hæc significatio iterum hujus loci non est. Nam dimissis testimoniis, ex natura extremorum differere, omnibus disciplinis cōmune est & convenit etiam Theologiæ. Atque ita hactenus non ad propositum reprehenduntur aliqui Autores, quod frequenter post probationes

Ratio significat peculiare genus probandi.

Quomodo Philosophus procedat ex ratione.

Ex ratione sic procedunt omnes disciplinæ, etiam Theologia.

tiones ex testimoniis Scripturæ & Patrum, in controversiis Theologicis utantur etiam rationibus, hoc est, probationibus, quæ ex natura extremorum petitæ sint. Ubi sicut alias testimonia gignunt fidem sive assensum propter authoritatem dicentis, divina divinam, humana humanam: ita ratio imprimis scientiam gignit, quàndo idonea est, & demonstrativa. Sicut Augustinus *de util. cred.* ait *c.* 11. *Quod intelligimus rationi, quod credimus authoritati; quod opinamur errori debemus.*

Rationibus utuntur Patres in rebus sacris.

Utrumq; certè genus probandi etiam in rebus Theologicis usurpant sancti Patres, in concertationibus contra hæreticos, quod qui negat, illum in Lectione & Analysi eorum valdè hospitem esse oportet. Athan. *in Epist. de sent. Dion. s. tom.* 1. *fol.* 428. provocat Arianos, ut suâ sententiam deducant, *aut ex Scripturis, ἢ κἂν ἀνθρώπινόν τινα λόγον ἔυρεῖν, aut humanâ aliquâ piâ ratione, εἰ ἢ μηδὲν τι τούτων ἔχουσι, σιωπάτωσαν, si autem nihil tale habent, taceant.* Et subjicit postea, illis nec ex Scripturâ (*fol.* 428.) nec ex humana aliqua pia ratione, aliquid ad sui defensionem relinqui (*fol.* 429.) Atque hinc utriusque probationis consonantiam & harmoniam laudat Augustinus *Epist.* 7. *ad Marcellin. Si ratio, inquit, contra divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine. Nam vera esse non potest. Rursus si manifestissima, certissimaq; rationi, velut Scripturarum sanctarum objicitur authoritas, non intelligit, quid hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit, nec quod in eis, sed quod in seipso, quasi pro eis invenit, opponit.* Et postea subjectis exemplis probat, pravam dictorum expositionem ratione corrigi posse. Similia exempla habet *Pererius*, in regulis, quas præmittit suis commentariis in Genesin.

Privâ dictorum expositio potest rationibus refutari.

Veluti: Si quis putet, Lunam majorem esse aliis stellis, quia *Genes.* 1. dicatur Luminare majus, ille facilè convincetur errâsse, in illa Scripturæ applicatione, quia manifestissimâ ratione Mathematicâ ostendi potest, Lunam majorem non esse, quibusque aliis stellis. Sic *Matth.* 15. *vers.* 17. dicitur: *Omne quod in os intrat, in secessum vadit.* Hunc locum ita interpretatur Lombard. *lib.* 2. *d.* 30. O quasi nutritio non fiat per conversionem alimenti in substantiam, sed quòd illâ quâsi percolatione cibi, resistatur nativo calori: Hinc Scripturæ sensus, qui aliàs primâ fronte videtur Magistri sententiam juvare idoneus non est, ut validissimâ ratione probatur, ex rerum accreationibus, quæ indicant alimentum in substantiam verti.

Ratio quomodo sumatur in malam partem.

Porrò *Tertiò*, ratio sumitur in malam partem. Estque nihil aliud, quàm intellectus nostri sibi relictus, & extra ductum & dictamen Spiritus sancti constitutus. Atq, tum ratio continetur sub nomine carnis, de qua dicitur, quòd concupiscat contra spiritum. Sicut nempè appetitus aliàs contrariatur rationi, ita ratio contrariatur spiritui. Ita effectus

ctus rationis est, quòd sub cruce constituti diffidimus Deo, certum auxilium promittenti, aut quod extimescimus vim & multitudinem hostium, sicut Ecclesia canit ex Psalm. 124. *Ach Herr Gott wie reich trost esstu, die gantzlich seind verlassen, die gnaden Thür stht nimmerzu, vernufft kan das nit Fassen, sie spricht es ist nun alles verlorhn, &c.* Et postea: *Die feind sind all in deiner Hand, darzu all ihr gedancken, ihr Anschlag sind dir wol bekandt, hilff nur daß wir nicht wancken, vernufft wider den Glauben sicht, auffs künfftig will sie trawen nit, &c.* Sic etiam hujus rationis effectus est, quòd cùm Deus jusserit non esse solicitum de crastino, & repromiserit etiam crastino diei, quæ ad illum necessaria essent, nihilominus tamen soliciti sumus, & futura nostri & nostrorum sustentatione, colligentes interim Manna cum filiis Israël, in diem sequentem, *Exod. 16. vers. 20.*

Hujus rationis effectus varii. In mortalibus.

Itidémque rationis sic sumptæ effectus est, reniti mysteriis fidei, iisdem difficulter assentiri, aut etiam ea prorsus negare (puta articulum de resurrectione corporum) & consequenter hujusmodi mysteriis, ad astruendam eorum incredibilitatem varia argumenta opponere, hinc inde conquisita, idque non ex Philosophia solum, sed etiam ex Scripturis malè intellectis. Puta, cùm oppugnatur resurrectio illa mortuorum, opponendo illud Aristotelicum, quòd idem numero non possit redire in vitam, quod semel morte deletum est, cui hactenus prætexerint Philosophia: aut cum eâdem intentione, *Matth. 22. v. 23, 24* Sadducæus adducit exempla quinque fratrum, ex *Deut. 25. v. 5.* Cui hactenus prætexitur Scriptura. Idémque est in aliis.

In ordine ad mysteria fidei.

Cæterum ratio sic sumpta, undecunq; obmurmuret, sive ex natura, sive ex Scriptura, est captivanda sub obsequium fidei, & tutissima via est, Piscatoriâ simplicitate in hoc & similibus mysteriis inhærere Dei verbo. Si quis tamen omnino respondere velit, contrariis argumentis, ostendit vel objectarum Scripturarum eum sensum non esse vel ea, quæ putantur impossibilia esse, revera tamen talia non esse. & sic utrobiq; rationi, vel ex Philosophia vel ex Scripturis obmurmuranti satisfiet, prout Christus docuit *Matth. 22. v. 29. Erratis*, inquit, *nescientes Scripturas & virtutem Dei.* Ubi duplex principium ponitur, erroris Sadducæorum, alterum, quòd Scripturas non intelligebant, alterum, quòd ignorabant virtutem seu potentiam Dei, existimantes id impossibile esse Deo, quod revera tale non erat.

Ratio sic sumpta est captivanda.

Porrò, etsi ratio sic omnino contrarietur & reniatur in assensu ad divinas promissiones, sacra mysteria, &c. tamen hoc nihil attinet ad Philosophiam, ut ipsa censenda sit iisdem contrariari, multoque minùs sic humana ratio & Philosophia idem sunt. Nam 1. id erat etiam in illis, qui nullâ Philosophiâ sunt imbuti, quique simpliciter erant idiotæ; unde per accidens est, ad rationem sic sumptam, an sit in Philosopho, an

Ex hac ratione contrarietate non sequi contrarietatem Philosophiæ ad Theologiam.

in

in alio.2.quia ratio renitens palliat se,non tantum Philosophicis,sed etiam, idque sæpius Theologicis principiis, nempe Scripturæ textibus. Unde si ex illa applicatione censenda est, Philosophiam contrariari Theologiæ,eodem modo censendum est, Scripturam Scripturæ,& proinde Theologiam sibiipsi contrariari. Denique,quod, cum ratio hujusmodi Philosophica principia assumit,frequenter tamen non assumit ea, quæ verè Philosophica sunt, sed quæ absolutè loquendo sunt falsa,etsi hunc istumve Philosophum Patronum habeant. Nam utique falsum est, quod dicitur: Impossibile esse, ut quid idem numero ad vitam redeat: Neque hac in re implicatio contradictionis, in ordine ad divinam potentiam ostendi potest, Falsæ autem opiniones non sunt Philosophia, ut ex dictis præsuppono.

Melius formatur status sub nomine Philosophiæ quàm sub nomine rationis.

Atque ita summatim apparet: dimisso vocabulo rationis, vel rationis humanæ,ad evitandam variam ambiguitatem, melius statum hujus controversiæ proponi sub nomine Philosophiæ.Cum,ut visum est termini illi non sint æquipollentes: Vel saltem nomine rationis intelligendæ sunt illæ notitiæ, & prudentiæ & artes, quas Philosophia complectitur,juxta factam resolutionem vocis Philosophiæ, in primo præcognito.

Contrarietatis vox explicatur.

IV.Præcognosco Sub voce contrarietatis intelligi veram contrarietatem,non autem ἐναντίωσιν τόπου. Indè que attendendæ sunt conditiones oppositionum, quas Aristoteles habet.Nempe,ut utrobique sit attributio ad idem, secundum idem,&c. si enim hic de cepis, & alius de alijs loquatur,non est contrarietas.Id fit,cum termini aliter atque aliter accipiuntur.Opposita non possunt eidem attribui, πρὸς αὐτὸ, ἐκ ὀνόματι ἀλλὰ πράγματι, inquit Aristoteles.Ita nulla est contrarietas, si Physica dicat: Ex nihilo nihil potest fieri .*Fieri*,inquam, hoc est, creari, & *potest*, nempe per potentiam Dei.Imò si hac in re esset contrarietas,inter Philosophiam & Theologiam, eadem etiam esset inter Physicam & Metaphysicam:In Metaphysica enim similiter docetur, posse aliquid fieri ex nihilo,explicando doctrinam de attributo omnipotentiæ divinæ,& de creatione,quæ actibus divinis connumerari solet.

Ex nihilo nihil fit,Et: ex nihilo fit aliquid,quomodo non contrarientur.

Cæterum contrariari hic est idem, quod esse verum hic & falsum alibi,unde hactenus idem est,quærere: An Philosophia contrarietur Theologiæ. Et: An quod verum est in Philosophia, sit falsum in Theologia, & vicissim

Theologiæ voce, quid hic significatur.

V. Nomine Theologiæ,cùm de usu Philosophiæ ad Theologiam sermo est, cumprimis intelligitur Theologia,in quantum ea significat habitum, qui hominem potentem sive efficacem efficiat ad exhortandum in doctrina sana,& arguendam eos,qui contradicunt, ut Dn.D. Meisnerus definit *part.1.Sob.Philos.in.q.gener.p.13.*

CA-

CAPUT II.

IN QVO OSTENDITVR PHILOSOPHIAM utilem esse ad Theologiam.

MAnebo hac in re in generalibus, tùm, quia prolixum esset, inducere, singulas partes Philosophiæ, Theologiæ utiles esse tum etiam quia, præter alios, prolixè id præstitum est, à celeberrimo Theologo & Philosopho, Dn. Jacobo Martini *in Vernunfft. Spiegel.*

Igitur Philosophiam instrumentalem utilem esse Theologiæ manifestum est, quia res non possumus cognoscere, nisi cognitis linguis. Linguarum autem cognitionem Theologia non tradit. Idem que est, de Rhetorica, quæ similiter ad intelligendum sermonem pertinet. Et est æquè evidens, de modis sciendi, puta de definiendo, dividendo, Syllogizando, ordinando. *Utilitas Philosophiæ instrumentalis.*

Quod autem idem procedat etiam de Philosophia reali, hinc liquet, quia universa Philosophia, ancilla vocatur Theologiæ. Unde sub ea ratione est instrumentum ad illam. Instrumentum autem utique suo principali utile est. Neque ancillæ nomen meretur, quod non est utile dominæ suæ. *Et Philosophiæ realis.*

II. Theologi utique est, ex professo interpretari Scripturam sacram. At in ea occurrunt plurima, quæ purè Philosophica sunt, & per hoc sine Philosophia per manifestam implicationem contradictionis tractari nequeunt. Patet assumptum, quia utique in Scriptura occurrunt multa, quæ ad rationem Oeconomiæ, aut vitam Politicam pertinent, item quæ referuntur ad actus virtutum & vitiorum, notitiam Dei naturalem, stellarum, volucrum, plantarum, quadrupedum, hominis, &c. *usus Philosophiæ in interpretatione Scripturæ.*

III. Multæ sunt controversiæ Theologorum, in quibus vel expressè vel implicitè cõtinentur termini Philosophici. Non potest autem quæstio ulla decidi, ignoratis terminis illius, cùm ex attributis extremorum sumendi sint medii termini. Igitur non potest non Philosophia eò utilis esse. Ita quæritur. An peccatum sit substantia an accidens? An sit quid positivum an privativum? An personæ Divinitatis realiter an modaliter, an ratione distinguantur? An vere & realiter in divinis distinguantur essentia & persona? Quænam sint genuinæ notæ Ecclesiæ? & quæ sunt quæstiones plurimæ aliæ, quæ inter Theologos agitari solent. At rationem substantiæ & accidentis, distinctionis realis, rationis, modalis, positivi privativi, notæ sive signi notificantis, &c. Theologia nullâ sui parte tradit, sed Philosophia tota. *Et in resolutione controversiarum.*

IV. Theologi est ἐλεγχειν τὸς ἀντιλέγοντας, redarguere contradicentes *Et in refu-*

tatione adversa-riorum.

centes, *Tit.* 1. *v.* 9. ἔλεγχειν autem significat τὸ μὴ δύνασθαι ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' ὅπως, ὡς ἡμεῖς λέγομεν, *quod non potest aliter se habere, sed sic, prout nos dicimus.* Ἀντιλέγοντες autem, etsi sint duorum ordinum, eo quod alii facto, alii doctrinâ contradicant, ut latè deducit B. Aug. *in ep.* 50. *Hom. homil.* 7. Et inter hos paucissimi sint, ut Augustinus ibi subdit, qui linguâ, plurimi, qui malè vivendo contradicunt: Nihilominus ex vi illius generalitatis, intelligendi sunt & illi, qui veritati salvificæ adversantur.

Ad hoc autem munus utilis est Philosophia, maximè cum Theologus officio respondentis fungitur. Sæpe enim adversariorum argumenta solent sumi ex cõsideratione terminorum Philosophicorum. Ita Antitrinitarii argumentantur contra pluralitatem personarum divinarum, ex consideratione simplicitatis, infinitatis, singularitatis, ex proprietate Syllogismi expositorii, &c ubi certè facilius se expediet, & Auditori satisfaciet, & adversario persuadebit, qui præter Scripturas, in quibus oportet, ut sit primarium fundamentum solutionis, etiam ex Philosophia ostendere potest, ea quæ objiciuntur detorta & contorta esse, non hunc sed alium sensum habere, quæ assumuntur, &c. Idemque est in aliis. Quanquam simplicitati fidei nihil detractum volo. Qui enim inhærens Scripturæ sacræ, contra hujusmodi argutias, eadem prorsus contemnit, sine dubio sibi incedit tutissimus. Ita Origenes, *l.* 1. *cont. Cels. fol.* 1. *A.* ait: *meliore conditione existimarim, si quis Celsi dicta, ut vana & vilia contempserit, ut nihil ducat his respondendum, &c.* Addit tamen in prioribus: *Sed cum infirmiores sint in Ecclesia, quos Paulus suscipiendos esse commonefacit, non abfuerit, deliri hominis ineptias refutare, ne forte, qui recens se ad veram hanc contulit disciplinam, sive verborum lenocinio quodam illectus, sive pristinâ & pravâ suâ ad memoriam revocatâ consuetudine ad vomitum relabatur.*

Ignoratione philosophiæ, occasio fuit errorũ in Ecclesia. In certamine Eluciano.

V Probatur etiam usus Philosophiæ in Theologia exinde, quod privatio & ignoratio ejusdem frequenter occasio fuit magnorum errorum. *Flacius* peccatum Originale dixit esse substantiam, non accidens, quia non posset abesse & adesse homini citra ejus corruptionem. Errat autem non solum, quod abstentia peccati originalis non tollit essentiam humanam, quo minus homo sit homo, si maximè eo careret (quod ad istam definitionem, hactenus satis est) sed etiam quod accidenti accommodat eam definitionem, quæ non loquitur de accidente, ut substantiæ contradistinguitur, de quo erat quæstio, dicitur que vulgo accidens prædicamentale, sed prout contradistinguitur proprio, & vulgo accidens prædicabile dicitur. De quo quæstio nulla erat, ut ex antithesi ad substantiam intelligitur.

Vorstiano.

Vorstius in Notis ad disp. de Deo, cum præter officium magis Metaphysicè ibi tractaret, quam Theologicè. Ita is hallucinatus est in consideratione attributorum divinorum, quod verbi gratiâ æternitatem

Dei

Dei dixit esse successivam, non autem totam simul: Item, Deum esse infinitum, &c. Ista nunquam dixisset, si satis ex Philosophia tenuisset, quæ & quomodo duratio successiva dicatur, quidque sit, Ens aliquod infinitum esse.

In distinctione personarum diuinarum.

Keckermannus ait: personas divinas distingui modaliter, intuendo, quòd personæ istæ distinguantur per τρόπους ὑπάρξεως, hoc est, modos subsistendi. Hic lapsus, est Keckermannus, non æquè in Metaphysica ac Logica exercitatus. Neque enim modaliter distinguuntur, quæ distinguuntur per modos, præsertim cum vox modi etiam ambiguè accipi soleat: Sed ea est modalis distinctio, quæ est inter rem & modum, puta inter quantitatem & figuram illius, inter accidens & illius inhærentiam, inter calorem, & illius gradus. Atque ita si modalis distinctionis terminus hic quidem usurpandus esset, non esset ea inter patrem & filium, sed inter patrem, & modum subsistendi huic personæ congruentem, item inter filium, & modum subsistendi ἰδιοτικὸν. Alia mitto.

Adeò scil. rectè dixit Schegkius *in exaic. lib contra Antitrin* quod Dn. D. Meisnerus inde laudat etiam *part.* 1. *Sob. Phil. in q. gen. p* 30. Verè, inquit Schegkius, *hoc mihi dicturus videor, nisi accuratissimè homines incipiant Philosophari, futurum ut nullus sectarum, nullus hæresium finis futurus quando hac ignoratione accidat, ut neque accipere legitimè, neque reddere rationes, disputatores imperiti valeant.* De *gubernatione Rerumpub.* dicebat *Plato*: *Tum demum beatas fore Respublicas, si vel Philosophi gubernarent, vel qui gubernant, Philosopharentur: ita certè rectissimè ac decisione controversiarum dici potest, tum demum rectè illas institutum iri, si, qui huic rei dant operam, Philosopharentur sobriè, vel sobrii Philosophantes easdem tractationes susciperent*; quod idem Autores alibi inculcant.

VI. Accurata speciei cognitio non potest haberi, nisi prævia cognitione generis vel quasi generis, cùm genus sit pars essentiæ & quidditatis in specie. At multoties tractatur in Philosophia de genere aliquo, cujus speciem vel quasi speciem tractat Theologia. Antecedens patet, quod Philosophia tractat de Ente ut sic, de uno, simplici, composito, necessitate, contingentia, principio, causa, signo, substantiâ, accidente, supposito, persona, spiritu, relatione, privatione, bono, malo, & sic in aliis tum in Metaphysicis, tum in disciplinis aliis. Apparet ergo, si in Theologiâ rerum suarum & quæstionum Theologicarum accurata & distincta cognitio requiratur, id sine illis fieri non posse.

VII. Et quomodo Philosophia non esset utilis Theologiæ, cum frequentissimè etiam nostrates doceant, contra Photinianos, esse aliquam de Deo naturalem notitiam, quæ ex libro naturæ sumatur. Liber autem naturæ non est alius ab eo, quem Philosophia explicat.

Quantum verebendus Philosophiam.

Cumque adeò hæc evidentissima sint & clarissima, facilè apparet, eos, qui contra Philosophiam loquuntur, compiere veritatem illius vulgati: *Ars non habet osorem & rosorem nisi ignorantem.* Ita scilicet admiratio sui etiam maximis viris aliquando imposuit, quod ab exemplo *Augustini* & *Hilarii* discimus, qui cum Hebræas literas non intelligerent, ausi sunt asserere, in V. Instrum. libris nihil requirendum, ultra translat. LXX. Interp id quod Hier, *in Præf. & Epist. suis* meritò refellit, & Erasmus *in lib. de Method. Theol.* ubi plurima de usu Philosophiæ in Theologia habet, hoc Elogio donat *B 2. fac. 2. vere hominum sit* inquit, *ne tantum quisque probet, quantum se assequi posse confidit, &c.*

CAPUT III.

IN QUO OSTENDITUR PHILOSOPHIAM Theologiæ non esse contrariam.

Si Theologiæ contrariaretur Philosophia, non esset utilis sed perniciosa.

I Digitur I. probatur ex prioribus. Id enim si esset, non utilis, sed perniciosa esset Theologiæ. Esse enim Theologiæ contrarium, est certè nihil aliud, quam esse contrarium doctrinæ, quæ est via salutis. At quod viam salutis intervertit, non magis utile, sed pernicioſissimum mihi est, quale quid sunt hæreses, rixè, & id genus alia, quæ non dona Dei sunt, in quorum numero Philosophia computatur, sed opera carnis. Unde his ipsis actuum & habituum generibus connumeranda esset Philosophia, siquidem Theologiæ contrariaretur: Et proinde peccaret maximè, quisquis vel docere vel discere vellet Philosophiam, quisquis item eam discentem docentémque stipendiis alere, aut quoquo modo juvare aut promovere vellet.

Philosophica effata sunt Dei effata. Ergo Theologiæ non contrariantur.

II. Dei effata non sunt sibiipsis contraria. Atqui utraq; effata, & Philosophica & Theologica, quæ inquam utrobiq; verè talia sunt Dei effata. Ergo, &c. Propositio patet, quia sibiipsi contrariari, tantæ imperfectionis est, ut in homine sit vel à vitiositate & mendacio, vel saltem ab imbecilitate intelligendi, unde fit, ut quæ semel docuimus, aliquando deinceps retractamus, melius edocti. Unde apparet, id maximè a Deo alienum esse, cui nec peccatum ullum, nec ulla in intelligendo imperfectio convenit, cui retractatio vel ἀναθεώρησις aliqua sit opponenda. Assumptio itidem clara est & indubia. Nempe sicut per Scripturam loquitur ad nos Deus de via salutis nostræ, ita per naturam loquitur ad nos Deus de aliis, puta, ut intelligamus res naturales, morales, &c. Ita utrobiq. Deus Præceptor noster est, & animo nostro infert, omnem illâ versam notitiam, quam intus habemus, u quaqua versum rectè dicatur, illa Dei ad nos effata esse, seu per seipsum, seu per Prophetam aut Apostolum, seu per alium Præceptorem docentem, aut etiam per ingeniosita-

niositatem homini divinâ donatione inditam, ad nos loquatur. Sic Origenes *l.1. Cont. Celsum* ait: *Non mirum videri debet, eundem Deum, qui per Prophetas & Salvatorem edocuit, in universorum etiam animos disseminâsse, ut in divino judicio omnis homo sit inexcusabilis*, & Apostolus ad *Roman. 2. vers. 2.* docet, etiam ipsas naturales notitias, quæ in homine etiam extra specialem Spir. S. illuminationem reperiuntur & in Philosophia continentur, ab ipso Deo inscriptas esse, ut æquè ad naturæ & Scripturæ effata Deus quasi communis Præceptor sit. Urget etiam hoc argumentum, inter alia plura, Thomas *l.1 cont. gent. c 7*

III. Si Philosophia esset contraria Theologiæ, tum ea contrarietas conveniret Philosophiæ vel ex toto, vel ex parte. Si primum dicatur: Ergo etiam hoc est Theologiæ contrarium: *Hominem habere animam: Deum esse primam causam: Substantiam esse Ens: quatuor esse Elementa: Bis tria esse sex: cœlum esse durum vel mollem: Lineam rectam esse brevissimam intra suos terminos: Homini vivendum esse temperanter, justè, &c. Regnum contra se divisum non posse consistere.* & similia infinita alia. Hæc enim sunt omninò Philosophica, ex variis disciplinis sumpta. Sin autem ex parte tantum sit illa contrarietas, tum inprimis nominentur illa particularia: Et apparebit, vel ea falsa esse, atq; adeò non *Philosophica*, sed sophistica esse: vel cum vera sint, in falso tamen sensu applicari, atq; adeò cum de cepis loquamur, eadem de allio non habere veritatem. Et rursus jam nulla causa erit, cur petatur fundamentum, & quasi adæquata causa hujus contrarietatis ex eo, quia res *Philosophicæ* sint rationis, Theologicæ verò sint, res fidei. Nam non minùs ea, quæ priùs inducta sunt, sunt rationis, ac omnia alia.

CAPUT IV.

IN QUO OSTENDITUR IDEM: probando non esse duplicem veritatem.

VNum & idem est, Philosophiam Theologiæ contrariam esse, & quod ibi verum est, hic falsum esse, atque ita duplicem esse veritatem. Placuit tamen eos modos loquendi nunc seorsim expendere, majoris lucis causâ.

Igitur IV. probo, non posse quid verum esse Philosophicè, quod sit falsum Theologicè. Nam inprimis per accidens est ad rerum vel propositionum veritatem, in disciplinis tractari vel enunciari. Id autem est illi essentiale, dicere conformitatem ad rem (loquendo de veritate propositionum) vel ad intellectum, cum primis divinum, loquen-

Duplex ista veritas introducit contradictionem.

Veritas rei quomodo se habeat.

do de veritate rerum, ut aliàs in Logicis & Metaph. doceri solet. Ita verum est aurum, vel argentum, vel corpus, quod est hoc ipsum, quod sub nomine auri, argenti, corporis, spiritus significatum, etiam à divino intellectu intelligitur. Unde si quid sit verè substantia, verbi gratia, in Philosophia, non autem sit verè substantia in Theologia (stando extra terminorum æquivocationem) cum utrobique denominatio veri sit per ordinem ad divinum intellectum: Idcirco erit conforme divino intellectui & non erit conforme divino intellectui, quæ involvunt cõtradictionem & proinde sunt impossibilia. Apprehendere inquam, Deum aliquid sub ratione substantiæ, & tamen non ita apprehendere. Sic rursus, propositio aliqua vera est, per conformitatem ad rem, quæ scilicet pronunciat ut res est quod sit, componendo vel dividendo aliqua, quæ à parte rei vel composita vel divisa sunt. Ita vera erit hæc enunciato: Homo non est lapis, si à parte rei unum non sit alterum. Similiter vera erit, universalis enunciatio.

Quomodo veritas propositionis.

Universalis enunciatio falsa fit ex unico exemplo contrario.

e.g. *Omne Ens est unũ* si nullum detur Ens, cui non conveniat unitas. Atque ita si unicum exemplum in cõtrarium habeatur, sive id sit in Philosophia, sive in Theologia, sive Medicina, sive alia quacunque disciplina, aut etiam extra omnem disciplinam allatum, falsò dixit Philosophus, omne Ens esse unum, cum universalia enunciata nõ sint vera, nisi quæ inductione omnium singularium, nullo excepto, firmantur, id quod probe observandum est. Atque ita, si quid esset verum in Philosophia, non autem esset verum in Theologia, tum aliquod enunciatum esset conforme rei, sive pronunciaret quod res est, hoc est, diceret (de universalibus enunciatis loquendo) nullum prorsus singulare esse exemplum, undecunque sumatur, in quo id nõ procedat: Et tamen non pronunciaret quod res est, hoc est, diceret esse aliquod singulare exẽplum, in quo secus sit. Ista autẽ apertè sunt cõtradictoris.

Ex necessitate propositionum refellitur duplex veritas.

V. Idem probatur specialiter ex necessitate propositionum. Nam verum enunciatum dividitur per necessarium & contingens. Aut igitur, quod dicitur, propositionẽ in Philosophia veram, in Theologia esse falsam, intelligitur de ea, quæ est vera in Philosophia necessaro, aut quæ talis est contingenter. Non hoc intendetur. Nam quæ contingens est, etiam extra disciplinarum varietatem, propter rerum & connexionum mutabilitatem est vera mutabiliter. Illud autem non est. Nam quæ est propositio necessaria, illa ita est vera, ut non possit esse falsa, per ullam extrinsecam circumstantiam, qualiscunque ea sit. Ergo non potest etiã variari veritas illarum, per disciplinarum diversitatem, quæ æquè extrinseca est propositionibus, ac circumstantia loci, temporis, aliæve. Et cõfirmatur quod propositio per se dicitur ex habitudine terminorum, adeo, fit ut quæ per se est in Geometria, etiam per se maneat, sive in Arithmetica, sive in Logica ponatur, loquendo de propositione præcisè & in se sumpta.

Si duplex est

VI. Si quod sic verum est, alibi posset esse falsum, tum duæ contradicto-

dictoriæ possent esse veræ, quod adeo falsum est, ut ejus cõtrarium pro cõmunissimo & generalissimo principio omnis scientiæ ponatur. Antecedens probatur illis exemplis, ubi quod Philosoph. cẽ verum dicitur, negatur esse Theologicè verum. Ut: *Nullum unum est trinum: Quoddã unum est trinum Nulla virgo potest parere: Quadam virgo potest parere. Omnis ignis urit: Quidam ignis non urit. Nullũ corpus potest esse in pluribus locis: Quodaam corpus potest esse in pluribus locis.* Hæ propositiones apertè sunt contradictoriæ, & tamen ab adversantibus utraq; vera dicitur. Mihi, qui novi, contradictorias non posse simul veras esse, altera vera est, altera falsa est. Falsæ sunt universales, veræ sunt particulares.

veritas tum possunt duæ contradictoriæ esse.

Dices: Eas falsas quidem esse, sed non in Philosophia, quia in Philosophia standō, & in exemplis Philosophicis, utique nullum trinum sit unum, & nulla virgo possit parere, &c. *Respondeo:* omnino istas propositiones falsas esse simpliciter & sine addito, adeo quidẽ ut illas vera Philosophia non admittat, Neque enim in Philosophia admittitur ulla propositio, tanquam universalis, cui vel unica singularis aut particularis enunciatio opponi possit. Et nihil refert undecunque singularis illa asseratur sive ex hac, sive ex alia disciplina id fiat. Ita e.g. falsa sunt, quæ in Metaphysica universaliter enunciãtur de signis, non tantum si secus sit in exemplis signorum Philosophicis, sed etiam si secus sit in illis, quæ à Medico dicuntur signa sanitatis & morbi, aut quæ à Theologis dicũtur signa gratiæ, vel signa aut notæ Ecclesiæ, signa extremi judicii, aliterve. Ita nempè ubicunq; asseritur universalis propositio vera esse, non prius vera erit, antequã veritatem habeat, in omnibus singularibus, quæ sub illa sumi possunt, cum ista & hæ identificentur & æquipolleant. Neque quicquam refert, unde illæ afferantur. Apparetque adeo illas, quas dixi, universales absolutè & sine addito, ut dixi falsas fuisse, ubicunque & in quacunque disciplina dicantur, quia deficiunt in inductione singularium sub illis contentarum. Et confirmatur. Nam si veritas universaliũ in Philosophia, æstimanda tantum esset ex Exemplis Philosophicis, sive iis quæ in Philosophia tractantur, tunc absolute nulla propositio Philosophica esset universalis. Nam singularia ex quibus universalitas colligenda est, non tractantur in Philosophia, sed sunt extra vel intra illam. Ita nõ magis in Physica v.g. docetur, de Magdalena, vel Elizabetha, vel Salome, quàm de Maria: de meo aut tuõ igne quàm de igne Babylonico: De Petro, Paulo, Johanne, quàm de Jesu Mariæ filio, itidem vero nobisque [illegible] homine. Omnia nempe illa sunt singularia, quæ sunt extra essentialem complexum Physicæ. Et tamen ut veræ sint propositiones Physicæ, universaliter, oportet, ut veritas illarum sit etiam in hujusmodi singularibus, atque adeo in exemplis non Philosophicis

CAPUT

CAPUT V.

QUOD NONSIT PRORSUS ILLICITUM, ex Philosophia ad res Th.ologicas argumentari.

PUtant aliqui, Philosophica enunciata tantùm vera esse, in suo, hoc est, Philosophico foro, si aliorsum referantur, & in specie ad Theologiam, esse μεταβασιν εἰς ἄλλο γένος, & vi illius μεταβάσεως esse ἀπροσκόλαστον. Ut ergo hac in re etiam de usu Philosophiæ constet, paucis videndum est.

Ex Philosophicis similitudinibus argumentamur ad res Theologicas.

Igitur 1. Aio: *Licere ex Philosophia in Theologiam argumentari.* Hoc 1. probatur ex variis similitudinibus, quæ ad illustrandas res Theologicas ex Philosophia petuntur, etiam illas, quæ sunt μετὰ τὸ ὅτι Justin. *in exposit. tom. 3. fol.* 20 & Athan. *Dial. 5. de Trin.* dederunt mysterium Trinitatis, ex similitudine Solis & lucis. Similitudine animæ & corporis utitur idem Justinus *ib. f.* 18. & Aug. *Ep.* 57 & Cyr *in Ep. Synod* & alii. Alia mitto. Argumentari autem a similitudine, est utique argumentari. Neque enim argumentari idem est, quod probare.

Ab effecto ad causam.

2 Ab effecto ad causam argumentari & vicissim, utique est bene argumentari At in Theologia agitur de causa, hoc est, Deo ipso. In Philosophia agitur de rebus creatis, quæ sunt effecta divina.

A genere ad speciem.

3. A genere ad speciem bona est argumentatio. At in Philosophia agitur de genere, cujus speciem expendit Theologia, cujus rei exempla fuerunt in superioribus. Ita ex generali natura signorum, possumus argumentari ad signa Ecclesiæ, vel gratiæ divinæ, &c.

4. Atque ita etiam ab universali ad singulare bona est illatio. Ita Physica agit de homine universaliter: Theologia, de homine hoc, hoc est, Christo. Hinc rectè probamus in Theologia: Christum esse hominem, quia habet animam & corpus & partes varias materiales, quod argumentum est ab essentialibus & integralibus partibus, hominis, in genere loquendo. Taceo modos argumentandi alios, qui specialibus hujusmodi materiis itidem applicari possent.

Probatur exemplo Christi.

Jam 5. idem probatur ab exemplo Christi. Is variis similitudinibus à natura petitis illustravit mysteria fidei. Probavit se non colludere cum diabolo, quia regnum contra se divisum non potest consistere, quod Politicum est: Probavit se non esse spiritum, vel spectrum, quia habeat carnem & ossa, quod Physicum est, & sic in aliis.

Et Theologorum universali praxi.

6 Probatur etiam ab universali Praxi Theologorum, qui frequentissimè disputant de rebus Theologicis ex indiciis variarum distinctionum, & aliis terminis Philosophicis, ut cuivis illicò fiet obvium, si quis unicam hujusmodi tractationem resolvere velit. Imo illis etiam untatum

Argunt e-

tum est ex rebus juridicis argumentari, quæ si non alieniores sunt, saltem æquè diversæ sunt à rebus Theologicis ac Philosophicæ. Est autem id, cùm v. g. ex proprietatibus Testamentorum multa inferunt de Cœna Domini cùm & ipsa contineat Testamentariam dispositionem: Et nominatim hinc infe unt, verba retinere ibi nativam significationem. *Etiam illi ex rebus juridicis ad Theologicas.*

11. Dico: *Progressum ex Philosophia in Theologiam, ut sic, non esse vel constituere μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*. Ita ex prioribus sequitur. Nam μετάβασις hæc Sophistica est, Ille autem progressus fundatur in idoneis regulis consequentiæ, ut visum est. Et certè ex ipsa vocabulorum apparet *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*, translatum à genere ad speciem, non esse à genere in genus aliud. *Ille modus argumentandi non est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος,*

Hanc autem erit illa Sophistica μετάβασις, quando de alio atque alio genere loquitur Philosophia & Theologia. Veluti si quis ad evertendam regenerationem spiritualem, arguentetur cum Nicodemo ex generatione naturali. Aut si quis cum Ario, ex generatione Physica disputet contra generationem filii Dei. Aut si quis contra manducationem spiritualem, disputet ex requisitis manducationis naturalis cum Capernaitis. Item si quis ex conditionibus motus Physici disputet contra justificationem: aut ex judicio Politico arguentetur, quod Scriptura non sit judex controversiarum: aut si ex Monarchico regimine in Republica, velimus exstruere Monarchicum regimen in Ecclesia. In his & similibus casibus, est illa Sophistica μετάβασις, & proinde nulla in illis est consequentia. *Quando fit illa μετάβασις,*

Ex superioribus autem porrò etiam apparet: quæ universaliter vera sunt in Philosophia, siquidem universaliter vera sunt, non in eo tantùm circulo & toro rerum Philosophicarum procedere, sed quousque sub illis universalibus ad particularia descendi potest. Quod si in ullo Entium Exemplo, ad quod sub tali genere descendi potest, secus sit, jam non fuit in Philosophia universaliter verum, sed particulariter tantum, ut dictum est. *Quæ universaliter vera sunt in Philosophia, in omnia particularia vera sunt.*

Dices: Ita necesse esse ei, qui defensurus est fidem nostram, respondere ad omnia, quæ ex Philosophia ad res Theologicas afferuntur. *Respondeo*: si quis respondere velit ad ea, eum sequi hac in re consilium B. Augustini, quod habet *l. 1. de Gen. ad lit. c. 21. Hoc indubitatùr*, inquit, *tenendũ est, quicquid sapientes hujus mundi, de natura rerum veraciter demonstrare potuerunt, ostendamus nostris literis contrarium non esse.* 2 Nihilominus, quia res & mysteria fidei nostræ, sunt supra rationem & [illegible] nostram, præsertim, si quis gnarus non sit rerum Philosophicarum, tutius faciet, qui vel nihil respondebit, vel respondebit per instantiam, & conclusioni adversarii opponet disertas Scripturas. Neq; turpe sibi ducet quisquam, si ignorantiam hac in re suam confiteatur, & solutionis directæ tempus à Domino expectet. Cum vel in rebus salutem nõ cõcernentibus, sæpè difficultates adeò graves occurrãt, quæ animum dis- *An ergo necesse est Theologo respondere quibusquæ Philosophicis,*

putatoris suspendant, ut sibiipsi satisfacere non possit. Ita suasit B. Chrysost: *hom:45. in Johann. f.64. D. Hoc Discipuli est, quæ Magister asserit, non curiosius investigare, sed audire & credere, & idoneum solutionis tempus expectare.* Et Hil: *l.10. de Trin: In simplicitate*, inquit, *fides est, in fide charitas, hæc per multas ac difficiles quæstiones Deus nos ad salutem vocat.* Usus est sæpe hoc modo respondendi Athan: Vide *de Sp: S: ad Serap: tom: 2. f. 25 & in qq. ad Antioch: q. 1. tom. 2. fol. 277, 278. & alibi.* Et Gregor. Nazianz. *orat. 2. de Theol.* prolixè inducit ea, quæ sunt inexplicabilia in natura, ut compescat nostram nimiam anxietatem circa res divinas. Et *orat. 4. de fil. Dei, f. 110* loquendo de generatione Filii, contra Arianos, deducit eos ad ignorationem multorum, circa propriam sui generationem, *At sine quidem tuam, quonam pacto Dei nosti*, inquit, *& ut maximè cognitam haberes tuam, non tamen cognitam haberes divinam generationem, &c.* Sed ut res clarior sit, seorsim de eo videndum est.

CAPUT VI.

An absolutè necessarium sit Theologo, respondere ad Philosophica, maximè in disputationibus contra hæreses.

Ubi id videri possit necessariò.

Duobus in casibus id inprimis absolutè necessarium videri possit. I. Quando objectiones ex Philosophia procedunt & descendunt ex genere, aut generali aliquo enunciato ad speciem, aut specialem aliquâ conclusione. II. Quando quæstiones proponuntur à Theologo ubi alteruter terminus est Philosophicus, quarú aliquæ superiùs tactæ sunt.

Sacra Scriptura continet omnia ad salutem necessaria.

Hæc igitur in re respondeo I. Sacram Scripturam continere omnia, quæ ad consequendam salutem necessaria sunt, ut habetur *ex Joh: 2. v. ult: Hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam æternam habeatis*, & 2. Tim: 3. v. 16. *Scriptura dicitur inspirata divinitus, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Atque hinc ex testimoniis divinis argumentamur, non affirmativè tantum sed & negativè in rebus ad salutem attinentibus Veluti de Invocatione Sanctorum nihil scriptum est. Ergo ea ad salutem necessaria non est.

Quæ inde expediri non possunt eo necessaria non sunt.

Atque hinc sequitur II. quæstionum illarum decisionem non esse absolutè necessariam Theologo, quæ ex Scripturis expediri non possunt. Si enim Theologus auditorem suum ad æternam salutem adducat, & quomodo alios porrò eò adducere possit edoceat, satis habet, si maximè eum de cætero non instruat ad doctrinam & scientiam, ut de hujusmodi subtilibus quæstionibus in utramque partem disputare nôrit. Quò pertinet illa priùs allegata elegans *Hilarii* sententia, & concinnè sunt versiculi *Prudentii* hanc ad rem:

Quid non libido mentis humanæ struat,
Quid non malorum pruriat.
Statum lacessunt omnipollentis Dei,
Calumniosis litibus.

Fidem minutiè dissecant ambagibus
Ut quisque linguâ est nequior
Solvunt ligantque quæstionum vincula;
Per Syllogismos plectiles.
Væ captiosis Sycophantarum strophis,
Væ versipelli astutiæ!
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta dissertantibus.
Iccirco munai stulta dilegit Deus,
Ut concidant sophistica.
Dique imbecillus subjugavit fortia,
Simplex ut esset credere.

Contrâq; illam hujusmodi, à Scopo Theologiæ & fidei simplicicitate maxima è extravagantium contentionum & quæstionum curiositatem, in quam secula nostra magno suo malo relabuntur, multis agit, *D. David Chytræus*, in oratione elegantı. Witteb. & Lemgoviæ Edita, de studio Theologiæ (ut verba tituli habent) exercitiis veræ pietatis & virtutis potius, quàm contentionibus & rixis disputationum colendo: Ejusdem argumenti est præfatio dedicatoria, quam Onomastico Theologico *Chytræus* præmisit, ad *D Bielfeld*, Episc. Berg. in Norweg. Et Epistola illius Episcopi ibidem Quibus adde *Dn. D. Gerhard.* in Præfat. ad lib. Meditationum, & Egregium libellum, quem ibi vocat & allegat, *Thomæ de Kempis* de Imitat: Christ. lib. 1. D *Chemnic.* in Introd: Acad. Helmstad. *Johan: Arnt.* l. 1. de vero Christian: c. 37, *Lubin.* in orat: Rectorali, Anno 1615. Et quis omnes enumeret?

Placet solum apponere elegans *B. Athanasii* & *Nazianzeni* dictum. Ille *in Epist ad Jovin. & Antiochn Compresbyteros tom: 1. f. 733.* Significatis, inquit, *de illis qui sub prætextu quæstionū simplices turbare volunt: Cæterū de illis præcipit Apostolus, non esse attendendum rixis verborum, aut nova quærentibus, neque oportere nos temeritatē nova audiendi, dicendive. Vos autem cùm habeatis firmum fundamentū, quod est Dn. Jesus Christus & Patrum de veritate Confessionum, aversamini illos, qui plus minusve, quàm est in confessione loqui velint, & majorem operam fratrum utilitati impendite, in metuendo numine & fratrum præceptis, ut doctrina Patrum & observatione Præceptorum grati Domino in die judicii apparere possitis.* *Athanasii judicium de præcidendis quæstionibus.*

Nazianzenus autē, qui cæteroquin infensissimus erat contentionibus Ecclesiasticis, & multo maximam operæ partem in hac tempestate se danda se impendisse ait, in funere Patris, *orat: 28 f: 474* & orationes tres de Pace, hanc ad rem scripsit, quæ sunt, *num. 8, 9, 10* ille, ut unum tantum allegē; in Athanasii funebrio oratione (quæ & habetur apud Athan: *t. 2. f. 504*) inquit, *Fuit quondā tempus, cùm res nostræ florerent, et præclarè se haberent, cùm nimiū superflua hæc, et verborū lepore atq; arte fucata tractāda Theologiæ ratio, ad divinas causas ne adiūi quidē habebas: Verū idē*

erat calculis ludere, inversionis celeritate aspectū fallentibus, aut omnigenis & lascivis corporis flexibus spectatores lasciuiari, quod novi quidpiā ac curiosi, de Deo vel dicere vel audire. Simplex contra, ingenuaq; oratio atq; doctrina pietatis existimabatur. At postquam Sexti & Pyrrhones (illi omnium aliorum sententias disputabant, ut *Niceias*, inquit ad hanc *orat.* 31. *Nazianz. in schol. n.* 11 *f.* 535. *& prodidit Laertius l.* 9. *in vita Pyrrhonis. Adde & Gelliū l.* 11. *c.* 5.) *& eōrum aicendi libidine incitata lingua velut gravis quidem ac malignus morbus in Ecclesias nostras irrepsit infeliciter, quódq; Alterū liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quàm ad novi aliquid dicendum vel audiendum: ô quis Hieremias confusionem nostram caliginémq; deplorabit, qui solus lamentationes calamitatibus exequare novit? Hanc rabiem auspicatus est ille à furore nomē habent, Arius, qui etiā petulantis & effrenatæ linguæ pœnas dedit, &c.*

Quid faciendū in Theologia, ad objectiones ex Philosophia petitas.

Jam 3. de objectionibus dicendum est. Hæ, inquam, turbare nos non debent, si maximè satisfacere illis per omnia non possimus. Simplicitas enim fidei id non requirit, ut quis omnibus strophis & argutiis satisfaciat, quippe qui *ne illa quidē scire? possumus, quæ ad pedes sunt, nec arenas maris guttas pluviæ, aut dies ævi enumerare, nedum ut per Dei profunditates incedere possimus, ac reddere rationem naturæ, usq; adeò inessabilis, supráq; rationem positæ*, ut loquitur Nazianz. *orat.* 6. *de Sp. S. fol.* 179. Quid igitur? Exemplum Christi imitari possumus, qui aliquando ad eludendas objectiones ipsi propositas respondebat, opponendo Scripturas, qui modus respondendi ut indirectus est, & in Schola Instantia vocatur, ita simplicitati fidei satis est, ut ex hoc Christi facto colligit Ath. *de Sp. S. ad Serap. tom.* 2. *f.* 25 & Nazianz *orat.* 36 *in cir. Christ. Math.* 19. *f.* 573. De cætero, si quis ignorantiam aliquando confiteatur suam, complebit illud Scaligeri, bona cum sui laude, & inviolata existimatione: *Humanæ sapientiæ pars est, quædam ignorare velle.*

CAPUT VII.

De quibusdam objectionibus.

Philosophia non est sapientia carnis.

ADversus usū Philosophiæ in Theologia solet frequenter objici, id quod ad Rom. 8 *sapiētia carnis dicitur esse inimicitia contra Deum.* Respondeo I. si per sapientiam carnis intelligeretur hoc loco Philosophia, Philosophia Dei donum non esset. Nam de Philosophia sic sumpta dici non potest, quod sit inimicitia contra Deum, item, quod qui tractant Philosophiam. Deo placere non possint, quod ibi dicitur de illis, qui in carne sunt. Repugnat certè maximè, esse aliquid Dei donum, & tamen Deo non placere. *Quorum Autor est Deus, eorum oder non est.*

Quid Apostolo sit sapientia carnis.

Unde II. Respondeo, vocem carnis ibi in malam partem accipi, & proinde sapientiā carnis esse illam quæ est hominis, in quantū est activus, ex sua carnali propensione; seu, sapientia carnis est solicitudo & cura

quæ,

quædam nimia providendi quæ carni sunt utilia, commoda, suavia neglectâ curâ & solicitudine eorum, quæ ad spiritum pertinent, ut Bellarminus definit *l. 5. de stat. peccati, c. 10.* Probo non solùm ex Antithesi, quod ibi caro spiritui & sic sapientia carnis, sapientiæ spiritus opponitur: Sed etiam ex simili corruptela, à nostris communiter rejecta, quod in versu statim seq. Syricius Papa 1. *Epist. c. 7* & Concil 1 Turon. *c. 1* dicunt, conjugium intelligi, quando dicitur: *qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Sicut, inquam, hic in carne esse, non potest idem esse, quod in conjugio vivere, cùm in conjugio quis possit Deo placere & non placere: Ita nec sapientia carnis potest Philosophia esse, cum Philosophus vel amicus vel inimicus Deo esse possit.

II. *Objicitur* contra Philosophiam, *quòd animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Dei, 1. Cor. 2.* Respondeo negando, quòd Philosophia ibi describta sit, sub nomine animalis hominis. Nam *homo animalis* ibi opponitur spirituali, sicut & *in Epist. Jude. v. 19.* ψυχικοὶ dicitur ὁ πνεῦμα μὴ ἔχων. *Spiritualis* autem est idem qui renatus. Ergo animalis est non renatus. Quicunq; ergo renatus non est, ille est animalis, & per consequēs non percipit ea quæ sunt Dei. Hominum autem non renatorum ordo omnes status complectitur. In omnibus, inquam, statibus sunt renati & non renati. Sicut ergo non illicò qui Theologus est, est spiritualis: Ita non illicò qui Philosophus est, est homo animalis, multoq; minus Philosophia hominem animalem facit. Non magis ergo id contra Philosophiam allegari potest, quàm contra aliam quamvis facultatem, etiam Theologiam. Prout Apostolus, in illo catalogo non sapientes tantum, sed etiam scribas, hoc est, peritos in Scripturis, sive Theologos, & inquisitores hujus seculi, recenset *1. Cor. 1. v. 20.* Similis corruptela hæc est illi, quod Stapletonus *l. 5. de Eccles. c. 4.* per hominem *spiritualem* intellectum vult Theologum, ut Laicis potestatem disputandi adimat. *Animalis homo quid sit Apostolo.*

III. Solet & opponi locus *ex Col. 2 Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, &c. Respondeo*: optimæ rei posse maximum abusum esse. Non ergo mirum, si Philosophia etiam huic abusui subjaceat, qui tamen Philosophiam non ob id malam facit. Similes monitiones sunt in Scriptura passim, ne patiamur nos inescari ab amabilitate mulierum, à specie & decore vini. Ita tamen omnia bona sunt maximè, si extra illum abusum congruè usurpentur. Imò hinc potius Philosophiæ studium commendatur, quia magis sibi cavere potest à deceptionibus Philosophicis, quod Apostolus monet, qui diligentem operam posuit in rebus Philosophicis, quàm qui easignorat. Quòd si quis omnino morosè hunc locum urgere velit, ille ostendat primum, id hoc loco, & tum temporis intellectum fuisse nomine Philosophiæ quod etiamnum ea voce intelligi solet, hoc est, notitiam linguarum, numerandi, canendi, mensurandi, rerum naturalium, Metaphysicarum prudentiam honestè civilitérque vivendi, juxta superiorem vocis hujus resolutionem. Neq; enim incommodè videri *Philosophiæ nomine hîc intelligi studia Philosophorum, &c.*

potest, nomine Philosophiæ hîc intelligi Pharisæorum, Essæorum, & Sadducæorum studia, quæ tum temporis Philosophia dicebantur, ficut postea studio & exercitia Monachorum nomine Philosophiæ appellata fuerunt, alio utrobique sensu, ac nunc de Philosophia sermo est. Atque ita intelligendam hic esse Philosophiæ vocem, multis docet Dn. Jacobus Martini, *in Lo: Theol: de Theol. const. disp: 5. th. 13. seqq:* prolixè, & confer, quos ad hanc rem allegat, Joseph. Scalig. *in Elencho Trihæres. Nicol. Serarii, c 22. p. 164. & c. 29. p. 434.* & Jan: Drus: *in resp: ad Scr. l. 1. c. 2. p. 4*

Objicitur, quòd ratio, quæ corrupta est, sit norma Philosophiæ.

IV. *Objiciunt* etiam rationem esse normam Philosophiæ, eam autem corruptam esse, proinde non posse quid incorruptum inde provenire. *Respondeo*: argumentum laborare quatuor terminis, propter æquivocationem, quæ est in vocabulo Ratio; Igitur ratio aliquando est nihil aliud, quàm probatio ex natura extremorum sumpta, quo sensu ratio Testimonio opponitur. Philosophus ergo sic procedit ex ratione, sive natura extremorum, puta, si velit tractare de homine, aut de cœlo, aut de lapide, aut de arbore, &c. non Philosophatur Philosophus, si, quæ de illis subjectis concludenda sunt, concludat adducendo Testimonium, hujus vel illius Autoris: sed tum demum Philosophatur, si ex natura arboris probet aliquid de arbore, & sic in aliis. Proinde in hoc ipso processu norma Philosophandi est natura arboris. Scibile enim ipsum est mensura scientiæ. Censetur igitur Philosophus rectè fuisse Philosophatus, non si dixit id, quod rationi sive intellectui suo ita videbatur (ut qui nequaquam est norma Philosophandi) sed si concluſit conformiter rebus. Hactenus ergo in norma Philosophandi nulla est corruptio. Intellectus enim qui corruptus est, non erat norma Philosophandi; Naturæ autem rerum manserunt eæ, quæ prius fuerunt.

Quomodo Philosophus procedat ex ratione.

Corruptio rationis etiam Theologo nocet tractan ti Scripturã

Jam 2. ut & suprà dictum est, ratio est idē quod intellectus. Ita, inquã, non voluntas nostra tantũ per peccatum originale corrupta est, ut appetat mala tanquã bona sed etiã intellectus, ut assentiatur falsis tanquã veris. Illa autē corruptio, quæ sic hæret in ratione, hoc est, intellectu, nõ magis nocet, ut itidē supra visum est, processui Philosophico, quã cuivis alii tractationi, etiam Theologicæ, cum nec Theologus possit res Theologicas tractare manu aut pede, sed omnis ea operatio sit intellectus, præsertim, cũ nõ illicò Spiritu facto præditus sit, qui Scripturã & res Theologiæ tractat, & si maximè eo præditus sit, non tamen illicò per omnē aberrandi immunitatē hominibus sanctis tribuat. Et de facto apparet, illam corruptionē, quæ intellectui sive rationi humanæ ex peccato originali insidet, cerni in tractationibus Theologicis, cum etiã Theologi frequenter errent, circa indagandum sensum Scripturarum, atq; adeo applicandã normã theologiæ, non minus ac errant Philosophi, expendendo naturas rerũ *Hoc dedici*, inquit, D. Luther. us, *Scripturam esse tam quæ nullius ingeniũ, nullius eruditionē, nullius diligentiã, nullius sanctimoniã nõ in multis partibus fallas & superet, atq;, cũ omnibus etiã parvulis*

sit

sit exposita ad satietatem usque, magnis tamen semper sepositа est ad esuriem. Ut verissime & sapientissime dixerit Gregorius: Scripturam esse fluvium, in quo agnus pedibus & equus natet. Nec in ea fœdius nec perniciosius errârunt, quàm qui se nihil in ea errâsse præsumpserunt: nec salubrius & felicius in ea profecerunt, quàm qui timuerunt se in omnibus errare. Sapientia enim est, cujus principium timor Dei, quæ intellectum dat parvulis, & sapientiam sapientum reprobat. Quare meos errores sic judices frater meus quisque, ut sese alicubi errare non dubitet, ne fortè superbus usquam non erret. Porrigamus potius sumis viribus mutuas operas in domino, præsertim in Scripturis sacris tractandis, etiâ sic errores non evademus, donec in vita hac sumus immûda. Solus hîc se glorietur nõ errare in ulla parte, qui sine peccato fuerit in hac vita. Hæc ille in Epilog. ad operat. in Psalterium.

CAPUT VIII.

Continens Imaginem & Picturam Philosophi ex Gregorio Nazianzeno.

QUandoquidem aliquot pagellæ supererant, placuit pro coronide subjungere lectu dignam imaginem & picturam Christiani Philosophi, qualem descripsit B. Greg Nazianz *orat. 13. post. red hab. f. 351. f. qq.* Unde apparet, B. Patrem longè aliter sentire, ac nostri temporis quidam Philosopho-Magistes, quibus Philosophia est ferè non nisi mater hæresium, sententia absurdorum, & quid non? At ille quicquid ferè magnum est in vita civili, quoad animi æquabilitatem, rerum mundanarum contemptum, & æstimanda fortunæ ludibria, Philosophiæ transcribit, eâdemq; præceptis se suâmq, vitam conformare studet, quæ duo membra sunt, istius descriptionis. Potestq; hæc ipsa Philosophi pictura, cuiq; Philosophiæ operam danti esse perpetuum speculum, unde se quotidie contueatur, ut tantùm se in Philosophia profecisse intelligat, quantum se isti imagini conformârit. Verba ita habent.

Fabulosa arbor continet picturam Philosophi.

Est quædam in fabulis arbor. *inquit Gregorius*, quæ secta floret, & cum forte certamen suscipit, acsi novum & insolens quiddam proferendum est, de re nova & inaudita, morte vivit & sectione germinat, incrementum deniq, sumit, cum absumitur Hæc quidem est ipsa fabula, figmentiq; libertas. Mihi verò videtur, omnino quiddam hujusmodi esse Philosophus. Ærumnis inclarescit, casus tristes materiam virtutis æstimat, rebus adversis ornatur. Non armis justitiæ dextris effertur, nec sinistris flectitur: sed idem semper in rebus non iisdem permanet, vel potius etiam probatior, ut aurum in fornace reperitur.

Sic autè rẽ ipsâ consideremus *Patricius est?* oppositâ sanguini morũ honestatem exhibebit, ut duplici adeò ratione clareat, quippe qui & ornamenta generis recenseat, & nobilis esse cõspiceatur, *Ignobilis est*, quod stativa ac latũ hoc attinet? (Si tamen esse magnũ discrimẽ potest, inter

lutam

lutum & lutum) adieret ejus loco nobilitatem illam, quam mente intelligimus, & quâ seipsum quisque vel in pejus vel melius fingit. Aliam omnem ceu floccipendendam & adulterinam rejiciet, quæcunque scil. vel a nomine proficiscitur, vel rescriptis confertur. Est enim tripiex genus, unum, quod superne originem duxit, cujus respectu omnes ex æquo nobiles sumus, ad Dei scil. imaginem facti. Alterum à sanguine provenit, cujus ratione numquis sit nobilis, equidem haud scio, præsertim cum ortus ejus cum interitu conjunctus sit. Tertium ex vitio vel virtute cognoscitur & estimatur, cujus vel magis vel minus participes sumus, prout, meâ quidem sententiâ, vel servaverimus imaginem, vel corrupetimus. Hanc nobilitatem diliget, quisquis vere sapiens ac Philosophus fuerit. Nam quartum genus ex rescriptis & edictis pendens, apud me tum erit in pretio, cùm pulchritudinem sitam in coloribus amplexus fuero, & simiam cœpero venerari, quæ leo sit esse jussa.

Juvenis est? Adversus animi morbos se geret viriliter, & eum juventutis fructum feret, ut iis rebus, quæ juvenibus accidunt, non sit obnoxius, sed prudentiam senilem in corpore vegeto ac florente declaret. Magis etiam hac victoriâ delectabitur, quàm ii, qui in Olympia coronam consequuntur. Vincet enim in publico totius terrarum orbis theatro, & quidem victoriâ nequaquam emptitiâ potietur.

Ad senilem virgit? At non animo quoque senescet. Accipiet dissolutionem corporis, tanquam præscriptum necessariæ libertatis tempus. Perlubenter ad ea, quæ vitam hanc sequuntur, transibit, ubi nulla est amplius immaturitas, nullum senium, sed omnes ætate spirituali sunt perfecti.

Formæ venustatem nactus est? Animi pulchritudo fulgore suo pulchritudini corporis respondebit. Flos ætatis illæsus præterit? Ad seipsum se convertit, ac ne cerni quidem se novit. *Turpis ac deformis est quâ sub adspectum cadit?* Sed abditâ parte sui est venustus, quemadmodum in folliculo non florido nec fragrante, rosa florida & fragrantissima latet. Formosus est elegantiâ singulari supra filios hominum, ac ne tempus quidem ad spectanda externa concedit, sed spectatorem ad internum hominem convertit.

Valetudine integrâ est? Sanitate corporis optimè utetur: admonebit, objurgabit, liber in dicendo erit, vigilabit, humi cubabit, jejunabit, crassitiem corporis exhauriet, terrena cœlestiaque contemplabitur, omni studio mortem meditabitur. *Ægrotus erit?* Pugnabit, quod si succumbit, vincet, hoc consecutus, ut non amplius pugnet.

Dives est? Commentabitur, quo pacto dediscat, cum egente facultates suas communicabit, tanquam alienorum dispensator, ut & ille per communicationem hanc beneficio afficiatur, & ad Deum ipse colligatur, præter crucem & corpus nihil habens. *Pauper est?* Deum pro divitiis habebit, & possessores earum irridebit, ut qui semper quidem adquirant

rant, verùm nihilominus semper inopes sint, dum pluribus egent, qui denique bibunt, ut magis sitiant.

Esuris? cum avibus aletur, quarum vita nec sementem nec arationem habet: Apud Sareptanam cum Elia vivet, cadus olei non deficiet, & farinæ seria non minuetur. Ille semper scaturiet fontis instar: Hæc largè proferet fructum, ut hospitalis vidua honoretur, & nutrientem nutriat. *Sitiet?* fontes habet ac flumina, quæ potum præbeant & quidem non inebriantem nec demensum. Quod si omnia propter imbrium inopiam deficiant, vel de torrente potum fortassis hauriet.

Algebit? Idem accidit Paulo, & algebit aliquandiu. Est & à Petra quoddam indumentum, cujus rei fidem tibi Jobus faciat, quem ait. Quia tegmen nullum habebant, rupem induerunt.

Nunc & perfectiora mihi considerato. *Convicijs proscindetur?* vincet, non vicissim conviciando. *Persecutores experietur?* patienter id feret. *Petetur maledictis?* obsecrabit. *Calumnijs vexabitur?* preces fundet. *In dextram ejus malam colaphus impingetur?* præbebit & alteram, ac si tertiam quoq; haberet, & illam objiceret: ut magis ad lenitatem percussorem ipsum erudiat, facto docens, quæ verbis docere non poterat. *Probris adficietur?* Idem Christo accidit; affectionis societate ornabitur. Etiamsi Samaritanus appelletur, etiamsi accusetur ut agitatus à malo genio, cum Deo cuncta accipiet. Quamvis multa perpetiatur, multa tamen restabunt: acetum, fel, corona spinea, sceptrum arundineum, chlamis coccinea, crux, clavi, latrones simul in crucem acti, prætereuntium contumeliæ. Nam Deum potiores ferre partes oportet, dum plus etiam ignominiarum fert.

Nihil invictius est Philosophiâ, nihil expugnatu difficilius Omnia prius cedent, quàm Philosophus. Sylvester asinus est in solitudine, quemadmodum Jobus ait, solutus ac liber urbanas turbas ridens, expostulationem tributorum collectoris non audiens Unicornis est, animal libertate gaudens. Si tibi servire volet, si sub jugum ducetur, videbis eum ad præsepe. Si rebus terrenis omnibus expellatur, paratæ sunt ipsi alæ, tanquam aquilæ. Convertet se ad domum præsidis sui, ad Deum convolabit.

Dicam summatim quiddam: Hæc duo venatu difficilia sunt, Deus & Angelus, ac tertiũ, Philosophus, in materiæ materiei expers, in corpore non circumscriptus, in terra cœlestis, in affectionibus, expers affectionũ: omnibus in rebus superari se facilè ferens, præter animi magnitudinem, vincens eâ re alios, qui potiri se victoriâ putant, quia vincitur.

Nunc quia Philosophum nobis expressit oratio ita pergit Nazianzenus) facto ab ea re initio, quam indicavimus: age nostra etiã ad hunc collata consideremus (etenim & ipse me Dei spiritũ habere puto, quãquam fortassis ab eorũ aliquo quæ dixi, vulnerari vinciq; possim, ut si me deprehendant inferiorẽ, qui oderunt, & oppugnãt, conatus sal-

tem sui veniam consequentur, si non voluntatis. Sin eis superiorem & sublimiorem, vel ab improbitate sua discedant, vel novam aliquam injuriæ viam excogitent, quando præsentem contemnimus: neq; committant, ut præter improbitatis culpam, etiam in eos amentiæ crimen cadat, tanquam frustra scelerate agentes, ac ne tenentes quidem lædendi rationem, in quo tamen ipso nullo non studio sunt occupati.

Enim vero ad omnia venientes, in quibus lædi ab hominibus homo potest. Ecqua nos in parte læsum sint, videamus. *Indoctum vocabunt?* Unam sapientiam novi, timere Dominum. Nam & initium est sapientiæ, Dei timor: Et finis (audi omnia) Deum time. Hæc sapientissimus Salomo dixit. Quare probent me Dei timore destitui, & vicerint, Reliquam verò sapientiam partim præterii, partim opto accipere. spirituque fretus me accepturum spero.

Non paupertatem mihi objicient, quæ divitiæ meæ sunt? Utinam & pannos hosce liceret exuere, quo nudus spinas hujus vitæ percurrerem. Utinam & gravem hanc tunicam liceret quamprimum deponere, ut leviorem consequerer. *Exulem vocabunt?* quam demisse de nobis sentiunt: homines reapse injurii, & hospitum osores. Quæso vos, estne mihi descripta certis finibus patria, cui tum quævis, tum nulla patria est? Non tu quoque peregrinus es & advena? Equidem habitationem tuam non laudo, si sic affectus es. Vide ne verâ excidas patriâ, ad quam conversatio nostra referenda est.

Non etiam senectutem & valetudinem hanc morbis obnoxiam nobis exprobrabis? Atqui non carneæ molis naturæque totum hoc est (ut aliquid meorum arcanorum scias) sed etiam ratio nonnihil absumpsit. Libet enim paulum gloriari. Næ tu quidem turgescens, & alendæ carni deditus, jucundum mihi spectaculum es. Utinam & ipse aliquo canitiei, pallorisque flore ornatus esses, quo saltem prudens & Philosophus esse credereris.

Quid amplius? *Solus & turbabunt?* at quibus obsecro? Num quæ vel modò, vel prius lubenti animo conscendimus? Num conscendentes beatos prædicamus? Num tu solia mihi jucunda grataque reddes, dum ea tam indignè conscendis? Nondum adhuc ea, quæ nuper acciderunt, animi mei sententiam vobis indicarunt? Num illa quoque jocus & delitiæ quædam erant, ac desiderii ergà me vestri exploratio? nimirum ita solent homines vafri, & ingeniosi, quibus obnoxii sunt ipsi, de aliis vel cogitare vel dicere. Quid dicam de animi compressione? quid de imprecationibus, quas publicè contra nos ipsos concepimus? quid de Lachrymis? quid quod mei vos miserum est, quanquam propemodum in odio propter reluctationem essemus?

Locum, principem nobis eripient? quis unquam mente præditus & cordatus hunc suspexit & admiratus est? In hoc verò tempore, illû (meâ quidem sententiâ) fugere, princeps est prudentia. Propter hunc omnia

nostra

nostra quassantur & perturbantur; propter hunc, orbis terrarum limites, suspicione ac bello quodam muto, nec nomen habente laborant: propter hunc periculum est, ne hominum finus, quos Deus condidit neve magnum illud novumq; nomen amittamus. Utinam nulla sit princeps dignitas, nulla prærogativa loci, nullum privilegium tyrannicum, quo ex virtute sola cognosceremur. Nunc autem dextrum illud & finistrum, & medium & sublimius & inferius & prætio & par incessio multas nobis, citra fructum ullum collisiones pepereruut, multos in foveam præcipitarunt, & ad hircos aggegarunt, non solum inferioris sortis homines, sed etiam Pastores, qui cum Hrachiticorum Magistri sint, hæc tamen ignorárunt.

Ab aris arcebunt? etiam aliam novi aram, cujus figuræ sunt ex quæ nunc sub oculos cadunt, cui nec ascia, nec manus est adhibita, non ferrum in ea, non aliud ullum artificum instrumentum est auditum. Sed totum hoc mentis est opus, & per contemplationem patet ad id adscensus. Huic adsistam, huic grata mactabo, victimam, oblationem solidas hostias, iis quæ hic offeruntur tanto præstantiores, quanto veritas umbrâ potior est. De hac mihi magnus ille Davides Philosophari videtur, quum ait: Ingrediar ad aram Dei, qui juventutem meam spiritualem exhilarat. Ab hac ara me non quivis abstraheat.

Ab urbe pellent? at non illa, quæ superne sita est, hoc si poterunt, qui nos odio persequuntur, reapte nos debellárint. Quàm vero diu non possunt hoc efficere. guttis nos petunt, vel auris feriunt, vel insomniis ludunt. Tanti ego bellum illorum æstimo.

Opes adiment? Quas obsecro? si mea, eâdem operâ præcidant alas mihi, quas ego nullas habeo. Sin Ecclesiæ: nimirum hoc ipsum, cujus causâ totum hoc bellum geritur. Earum causâ furit ille propter crumenam æmulatione quâdam accenditur: & Deum triginta, quod gravissimum est, argenteis acceptis prodit: quidem pretio, non qui prodebatur, sed qui prodebát, dignus erat

At excludent domo? delicias præcidet? amicos abalienabũt? Etenim plurimis uti vides, molesti fuimus, etiam nos arcessentibus: (non enim ue ingrati hoc reticebimus) ac si maximè molesti fuimus, potius id parcendo quàm accipiendo factum est. Ejus rei causa fuit, quod *domus* quædã religiosa, & amans Dei nos fovebat: sicut Eliæi domus viduæ Sunamitidis: domus, inquam, planè liberalis eorum hominum, qui nobis tam corpore, quàm spiritu cognati essent, apud quos hic etiã populus est consolidatus, quum furtim adhuc pietatẽ persequutionibus afflictã arriperet, non liberè nec sine periculo. Reddat ei vicem Dominus in die remunerationis. *Delicias* autem si sectamur; delicientur adversum nos, qui nobis infesti sunt. Non enim aliud quiddam mihi majus imprecabor. Cæterum *ex amicis* alii quidem, sat scio, ne quidem, si lædantur, nos deserent (nam acceptarum injuriarum societas

fecit,ut esse doloris etiam socii velint)aliorum verò fastum ferre,siquidem nos contemnant,longâ jam exercitatione didicimus.Etenim amici proximiq; mei,partim adversum me palàm accessêre propius, & constitére,partim steterunt procul, qui mecum agere scilicet humanissimè vellent:adeoq; cuncti hac nocte offenderunt. Parum abfuit,quin Petrus etiam me negârit,ac fortasse nequidem amarè ploràt, ut peccato medeatur.

Solus audax ego,confidentiæq; plenus, uti quidem videtur, solus spe bona subnixus,in rebus adversis ac terribilibus, solus tolerans,& publicè propositus.& privatim contemptus,& tum orienti,tum occidenti notus,ex bellis iis,quæ mihi inferuntur.O vesaniam!Si tota castrorum acies se mihi opponet,nihil sibi cor meum metuet:Si bellum ingruat,in hoc sperabo.Tantùm abest, ut præsentia formidanda putem,ut omissis meis rebus eos deplorem qui dolore me affecerunt, &c.

Hæc hactenus eloquentissimus Nazianzenus, tum in genere, tum in seipso Philosophum elegantissimè depingens.Claudat hanc digressiunculam ejusdem Nazianzeni sententia *ex orat. 33. in laudem Heronis Philosophi,fol.544.Sic*,inquit, *existimo, duorum alterum nobis faciendum esse,ut vel Philosophiæ demus operam, vel Philosophiam certè honoribus ac laudibus efferamus, nec alioquin à recto atque honesto penitus aberremus, ac brutæ cujusdam vecordiæ damnemur, qui rationis participes creati sumus, ac rationis ope & adjumento, ad primariam illam rationem properamus.*

FINIS.

CHRISTOPHORI

SCHEIBLERI METAPHYSICORVM *LIBER PRIMVS.*

Continens

PRIMAM PHILOSOPHIAM,

Quam vocant, seu partem Metaphysicæ universalem.

CAPVT I.

DE *DEFINITIONE & DISTRIBVTIONE METAPHYSICÆ.*

1. METAPHYSICA est scientia de Ente quatenus Ens est. *Vel:* Est scientia de Ente, secundùm rem & rationem abstracto à materia.

2. Ejus partes duæ sunt: Generalis & Specialis.

3. Generalis pars Metaphysicæ est, quæ agit de Ente in genere, ejusque adeò generalibus affectionibus transcendentibus, indeque nascentibus Entis divisionibus.

COMMENTARIVS.

AD generalem doctrinam Metaphysicæ rectè docendam, distincti tituli proponendi sunt. I. Agendum est de nomine Metaphysicæ & æquipollentibus. II. De genere Metaphysicæ. III. De abstractione competente Metaphysicæ. IV. De illius objecto. V. Tractandum est de principiis Metaphysicæ. VI. Agendum est de aliis quibus illius scientia, & sic etiam conferenda est cum disciplinis aliis. Et *denique* inquirendum est, an sit una disciplina, & quomodo sit dividenda. I. *Propositus tractandæ.*

TITULUS I.

DE NOMINIBUS METAPHYSICÆ & æquipollentibus.

2. Metaphysica.

I. Gitur primò vulgatissimum hujus scientiæ nomen est, quod dicitur *Metaphysica*, quod tamen apud Aristotelem non extat, sed sumptum est solùm ab Interpp. ex inscriptione Metaphysicorum Aristotelica. Libri enim illi dicuntur τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Est autem duplex sensus hujus appellationis. Μετὰ enim significat post & etiam trans vel supra. Metaphysica igitur uno sensu dicitur eo nomine, quia agit de iis, quæ *supra physicam* sunt, seu quæ sunt supra naturam.

3.

Alio autem sensu dicitur Metaphysica q. *post-physica*, quia post physicam ipsa inventa est. Quò pertinet, quod Aristot. *lib.* 1. *Metaphys. cap.* 2. disputat, homines primum tractasse ea, quæ faciliora & magis necessaria erant (quò pertinent ea, quæ in disciplinis practicis tractantur.) Deinceps ulterius processisse eos, ut specularentur de passionibus lunæ & iis, quæ circa solem ac stellas fiunt, ac de generatione Universi: tandem verò altius transcendisse, hoc est, Metaphysicam invenisse σχεδὸν πάντων ὑπαρχόντων τῶν ἀναγκαίων, inquit ibi, καὶ πρὸς ῥᾳστώνην καὶ διαγωγὴν ἡ τοιαύτη θεώρησις, ὅτε ἅπαντα ζητεῖται. Atque ita etiam apparet: Metaphysicam dici post physicam, solùm quoad ordinem inventionis. Nam quoad ordinem naturæ & dignitatis secus est. Cùm enim ipsa agat de Deo & divinis, nullâ Philosophiæ parte potest illa, quo ad dignitatem, posterior esse. Rursus, cùm agat de rebus universalissimis, non potest ulla scientia naturâ prior esse, quàm sit Metaphysica.

4. Philosophia.

II. Hæc disciplina vocatur simpliciter & sine addito *Philosophia. lib.* 4. *Metaph. c.* 2. & 3 & *lib.* 6. *cap.* 1. & *lib.* 1. *Phys. c. ult.* Idque κατ' ἐξοχήν, vel κατ' ἀντονομασίαν, quia ipsa est nobilissima pars Philosophiæ.

5. Prima Philosophia.

III. Vocatur hæc disciplina, πρώτη φιλοσοφία, prima Philosophia, *lib.* 4. *Metaph. c.* 1. 5. & 7. & 6. *Metaph. c.* 1. & *lib.* 1. *Phys. c.* 8. 3. & *aliis multis locis.* Dicitur autem *prima* Philosophia, non ordine inventionis ut ex prioribus constat, sed quia agit de primo scibili, hoc est de Ente communissimè sumpto, ejusque communissimis, si ita dicere licet, differentiis. Unde & factum, ut speciali acceptione, prima Philosophia dicatur Doctoribus ea pars Metaphysicæ, quæ de Ente communiter agit. Etsi interim diffitendum non sit, quod etiam vox ea pro tota Metaphysica accipiatur: & in hac oppositione, sicut Metaphysica dicitur prima Philosophia, ita Physica dicitur δευτέρα σοφία, secunda sapientia, vel secunda Philosophia, 6. *Met. cap.* 1.

6. Sapientia.

IV. Vocatur hæc disciplina σοφία sapientia ut 1. *Metaph. cap.* 1. & 2. & alibi. Idq; ideo, quia ipsa tractat prima rerum & scientiæ omnis principia. Atex principiis primis concludentes colligens, est sapientia. Autore Arist. *lib.* 6. *Eth. c.* 3. Tradit autem *Arist. lib.* 1. *Metaph. c.* 2. varias conditiones sapientiæ, quæ consequenter sub hoc nomine, Metaphysicæ competunt. Tales sunt, quod 1. sapientia versatur circa omnia. 2. Circa res difficiliores & minus sensiles. 3 Sapientia est cognitio certissima. 4. Est apta ad docendum & aperiendas rerum causas. 5. Debet appeti propter se, non alterius causa. 6. Debet sapientia dominari aliis scientiis, & eas dirigere atque adeò nobilissima esse. Quomodo hæ singulæ conditiones conveniant Metaphysicæ prolixè disputat Suarez. *disp.* 1. *Metaph.* & Fonseca 1. *Met. c.* 2. *in commentario in digress. ad lit. b.* Nos autem ea de re, quantum satis videbitur, dicemus in sequentibus *ad tit.* 6. *art.* 1.

Conditiones sapientiæ.

7.

V. Vocatur hæc disciplina *Theologia*, quod *Aristot. lib.* 6. *Metaph. cap.* 1. & *lib.* 12. *cap.* 6. & Damascen. *in Dial. cap.* 3. [illegible] per συνεκδοχὴν, quia aliquâ sua parte agit de rebus divinis. Dicitur autem Theologia non hoc sensu, quasi omnia, quæ de Deo cognosci possunt, tradat (utique enim quod Deus sit trinus, quod prædestinet

stinet ad salutem, quod redimat homines quod mittat filium, quod sanctificet per Sacramenta, &c. nulla Philosophiæ pars docet) sed quod de Deo agat, quoad ea quæ sunt intra sphæram naturalis intellectus sive luminis, prout infra occurret tractandum, *lib.* 2. *cap.* 3. Theologia enim vi vocis nihil aliud significat, quàm rationem vel sermonem de Deo, ut Augustinus meminit, *lib.* 8. *de Civit. Dei c.* 1. Juxta quam appellationem Poetæ ac gentiles appellati sunt Theologi, apud Aug. *lib.* 18. *de Civit. Dei c.* 14. & Ciceronem, *in lib.* 3. *de nat. Deorum*, & speciatim Orpheus Theologus appellatur à Clemente Alexand. *lib.* 5. *Strom.* Vide plura ea de re apud Clarissimum Finckium, *in disp.* 2. *Met. p.* 22.

8. Apud Platonem sæpe vocatur Dialectica: sic *lib.* 7. *de Rep. f.* 626. ait: *An ergo videtur tibi doctrinis omnibus Dialectica velut apex, nec illis doctrina eminentior vel ulterior reperiri.* Hic per Dialecticam, significari Metaphysicam, Pererius interpretatur, *lib.* 1. *de Philosoph. cap.* 12. *Dialectica.*

Denique solet & Metaphysica dici disciplina ἀρχιτεκτονικὴ, princeps & Domina aliarum scientiarum: sed hæc non tam sunt hujus disciplinæ nomina, quam honorarii tituli, unde etiam eorum dijudicationem hic dimitto.

TITULUS II.

DE GENERE METAPHYSICÆ

9. POstquam actum est de nomine Metaphysicæ, atque adeò de definito; nunc agendum est de ejus definitione, in qua primò occurrit Metaphysicæ genus.

10. Variant autem hac in re sententiæ & modi loquendi Philosophorum. Ramæi, qui, inter eos, Metaphysicam admittunt, Metaphysicam autem vocant, solúmque ad hanc rem urgere definitionem Luciani, τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγκαταλαμβανομένων, πρὸς τὸ τέλος ἕνεκεν τῶν ἐν τῷ βίῳ, hoc est: Ars est systema vel ordo præceptorum, usu cognitorum, ad finem in vita utilem. *Variæ sententiæ.*

Aristotelici plerique genus Metaphysicæ faciunt scientiam, aliqui etiam sapientiam: quin & φρόνησιν, prudentiam, vocavit Arist. *lib.* 2. *Metaph. c.* 2. 11.

De singulis videndum. Incipio à facilioribus.

ARTICULUS I.

Metaphysicæ genus non est prudentia.

12. ITa patet. Nam prudentia est περὶ τὰ πρακτὰ, atque inde est habitus practicus: Metaphysica autem est habitus speculativus. Unde porro ad locutionem Aristotelis dicendum est, quòd ea intelligenda sit κατ' ἀναλογίαν, ut bene interpretatur Suarez *disput.* 1. *Metaph. in proœmio.* Consistit autem ea ἀναλογία in hoc, quòd Metaphysica inter habitus speculativos excellit, sicut inter habitus practicos prudentia. 13. *Quomodo dicatur prudentia.*

ARTICULUS II.

Metaphysicæ genus non est ars.

14. ITa ut pateat, inprimis præmittendum est, vocem artis ambiguè dici. Igitur vox artis, quantum ad præsens pertinet, tripliciter sumi potest. *Primò* ars à natura contradistinguitur, proinde artificiosè ea dicuntur fieri, quæ melius fiunt, ac si per naturam solum fierent. *Alia* significatio est, quam exprimit defini- *Ambigua vox artis.*

nitio Luciani prius recitata. Denique alia est significatio, quam exprimit definitio hæc Arist. *lib. 6. Eth. c. 4.* Ars est habitus cum ratione recta effectivus.

15 *Metaphysica quomodo dici possit ars?*

Igitur, quo ad primam significationem artis, certum est, Metaphysicam artem dici. Sic enim omnes habitus artes sunt, hoc est, aliquid sublimius, quàm sit natura. Sic etiam prudentia est ars componendi actiones civiles, & justitia est ars distribuendi cuique quod suum est. Vide Piccolom. *grad. 5. Phil. Mor. cap. 50.* Et Zabarella *lib. 1. de Nat. Logic. c. 3. etiam* meminit, Averroem quandoque scientias appellare artes speculativas. Atque adeo sic in summa, ars est idem quod habitus. Proinde, etsi juxta hæc, ars de Metaphysica prædicatur per modum generis, non est tamen tale genus, quod nunc inquirimus, id est, id, ex quo metaphysica definiri possit. Ars enim sic valdè remote prædicatur de metaphysica. At peccat definiendo, qui transiliens genera, definit hoc est, qui ex genere remoto definit, ut Aristot. docet *lib. 6. Top. c. 4.*

16. *An sit Ars ex Luciani definitione.*

Juxta alteram significationem similiter dicendum est, 1. Si etiam maximè Metaphysica sit ars, istâ significatione, nihilominus eo sensu Metaphysicam non debere definiri per artem, quia ars sic remotè prædicatur de metaphysica. Est autem contra bonitatem definitionis, si ea per remotum genus fiat, ut prius tractatum est. Patet autem veritas. Nam inter artem in tanta generalitate dictam, adhuc mediat scientia. Ergo scientia propinquius genus est ad Metaphysicam quàm sit ars, ex hypothesi loquendo & juxta dictam significationem. Ergo potius scientia debet assumi quàm ars, ut interim taceam ἀκυρολογίαν & improprietatem, quæ est in voce artis, sub ea latitudine acceptæ, de qua diligenter agit Zabarella *dict. loc.* Certè valdè præposterum est, artes & scientias definire per ordinem ad librum, & farraginem præceptorum, in libro contentorum. Nam cùm artes & scientiæ sint habitus intellectivi, ad mentem potiorem habent ordinem quàm ad librum.

17.

Quanquam ad hanc rem porrò *secundo* dico: Non satis videri, quomodo Metaphysica ars dici possit, juxta istam significationem & definitionem à Luciano traditam, si rigorosè loqui velimus. Nam inprimis ars debet esse πρὸς τὸ τέλος ἐνέργειαν ἐν τῷ βίῳ ad finem utilem in vita. Hic modus loquendi, ex communi more loquendi significat usum civilem, quem unaquæque ars habere debeat. At talis usus non convenit Metaphysicæ, ex hoc, quia est libera disciplina ut inculcat Arist. *lib. 1. Metaphys. ap. 2.* Ferè, inquit, *omnibus inventis, quæ necessaria essent ad degendum, hujusmodi prudentia capta est quæri. Patet itaque quod ob aliam nullam utilitatem eam quærimus, sed quemadmodum dicitur liber homo, ille, qui sui ipsius & non alterius gratia est, ita & hæc sola scientia libera est.* Et prius, si, inquit, *propter fugam ignorantiæ διὰ τὸ φεύγειν τὸ ἄγνοιαν philosophati sunt patet quod causa cognoscendi, & nullius usus gratia ipsam scire prosequebantur.*

18.

Deinde etiam non satis apparet, quomodo, rigorosè loquendo, Theoremata metaphysica (veluti, quòd veritas consistit in conformitate ad intellectum; quòd unitas consistit in divisione, *&c.*) possint dici ἐγκεκαλλιέργειαι ἐγγεγυμνασμέναι, excitatione vel usu comprobatæ aut cognitæ, quæ omnia satis commode dicuntur de habitibus practicis, ut videri possit, ista definitio solùm habitus practicos comprehendere.

19.

Juxta tertiam artis significationem indubium est Metaphysicam artem non esse. Illa enim ars, quæ ibi intelligitur, præcisè est habitus practicus. Ποιητικὸν enim (quod in ista artis definitione continetur) continetur sub practico. Metaphysica autem non est habitus practicus, ut postea docebo. Neque sunt aliqua, quæ, in summa, hactenus dictis officiant.

ARTICULUS III.

Metaphysicæ genus non est sapientia,

Ad

AD veritatem hujus assertionis inprimis certum est: *Metaphysicam esse sapientiam.* Ita prius satis patuit, in priori titulo hujus capitis. Hoc nunc solum dico: Sapientiam, non esse *Metaphysicæ* genus, quod quidem ex priori non sequitur. Non, inquam, sequitur, si metaphysica sit sapientia, quod iccirco, sapientia sit ejus genus. Neque enim omnia prædicata sunt generica. Existimo igitur hos terminos esse æquipollentes, sapientiam & *Metaphysicam*: atque sic ita se habere eos, ac se habent *Metaphysica* & prima Philosophia, & hinc consequenter, non magis sapientia est genus metaphysicæ, ac metaphysica est genus sapientiæ. 20. *Metaphysica est sapientia.*

Ratio autem hujus assertionis hæc est, quod omne genus est aptum esse in pluribus, *Aptum* dico. Facile enim admitto, quod ad rationem generis, non necessariò requiritur actualis extensio ad plures species. Atque hinc sequitur, quod genus esse non possit, cuicunque repugnat esse in pluribus, hoc est, cui deest aptitudo essendi in pluribus. At tale quid est sapientia. Nam sapientia ut sic, dicit dependentiam notitiæ ex summis sciendi principiis. At non potest esse alia disciplina, præter *Metaphysicam*, quæ agat de summis sciendi principiis. Ergo non potest alia disciplina præter metaphysicam esse sapientia. 21. *Sapientia genus non est Metaphysicæ.*

Assumptum declaro. Nam illa disciplina quæ id præstaret, vel esset æquè universalis ac *Metaphysica*, vel minus Universalis, vel magis Universalis: *Magis* universalis esse non potest. Nam universalitas scientiæ sumitur ex universalitate Objecti. At non potest esse universalius objectum, quàm id, quod *Metaphysica* contemplatur, hoc est, quam sit ipsum Ens. Et deinceps, si talis disciplina daretur, tùm ista revera esset sapientia, *Metaphysica* a. non. *Metaphysica* enim demonstraret, dependenter ab illa universali disciplina. At hoc repugnat sapientiæ. Rursus neque potest aliqua disciplina sapientia esse, quæ sit æquè universalis ac metaphysica. Nam hæc hypothesis est simpliciter impossibilis. Quia non potest ullum scibile objectum esse, æquè universale ac est objectum metaphysicæ. Ens enim nulli condividitur, sed simpliciter, quicquid ullo modo est, Ens vocamus. Quod si aliqua sunt extra Ens, ut est Ens rationis, unum per accidens, & quæ sunt his similia, ista tamen non possunt facere peculiarem disciplinam, multoque minus possunt constituere disciplinam, quæ sit sapientia. Tandem verò, quod nulla disciplina possit sapientia dici, quæ sit minus universalis, ac est metaphysica, inde apparet, quòd minus universales disciplinæ omnes, demonstrant dependenter à metaphysica, hoc est universali scientia. Est a, contra rationem sapientiæ, demonstrare dependenter aliunde, hoc est, non ex primis principiis, sed ex iis, quæ aliunde dependent. 22.

Contra hanc assertionem ferè non aliud objicitur, quàm quod 1. *Metaphysica* omninò sit sapientia, 2. Quod genus possit saluari in una specie. *Sed* neutrum istorum, convincit propositum, ut ea dictis patuit. Neque enim illico genus est, quod de aliquo prædicatur, per quod prima objectio soluitur. Et rursus, ut maximè genus possit saluari in una specie, non tamen debet ei repugnare multiplicatio, quam repugnantiam de sapientia probavi. Non possunt genus & species ἀντιστρέφειν, seu æquè latè patere, docente Arist. *lib.* 4. *Topic. c.* 1. *&* 10. & Porphyr. *in Isagog. c.* 9. §. 6, 7. 23. *Solvuntur objectiones.*

ARTICULUS IV.

Metaphysicam esse scientiam: Atque adeò, scientiam esse ejus genus.

ITa patet imprimis, quòd *Metaphysica* sit scientia. Nam in ipsa cognoscuntur proprietates Entium, per demonstrationem; Ergo cognoscit conclusiones. 24. *Ostenditur.*

quod Metaphysica sit scientia.

siones suas scientificè. Scientia enim est demonstrationis effectus. Imo nihil aliud intendit Metaphysica, quam ut demonstret affectiones varias de Ente, generatim vel speciatim, quoadusque Metaphysica descendit. *Deinde* idem probatur à posteriori. Metaphysica est scientia speculativa, ut postea probabitur. E. etiam est scientia. Consequentia est evidens. Nam speculativum est differentia scientiæ Imò quod speculativa disciplina est, id absolutè & sine addito, tanquam, κατ' ἀξοχὴν vel ὑπεροχὴν est scientia.

Proponuntur & solvuntur objectiones.

24 *Prima obj. Elio.*

VAria hic objici solent. *Primo*, Metaphysica est sapientia, ut priori articulo visum, quicquid sit, an habeat rationem generis vel non. E. Metaphysica non est scientia. Consequentia patet, quia sapientia & scientia sunt oppositi habitus intellectivi, apud Arist. *lib. 6. Eth. cap. 2.* Opposita autem non possunt quidditativè de eadem re prædicari, multóque minus ejusdem respectu rationem generis habere ut & Arist. docet 4. *Top. cap. 2. §. 1.*

25 *Scientiæ vox ambigua.*

Respondeo esse ambiguitatem in voce scientiæ: Vox igitur scientiæ bifariam sumitur: *aliquando* scientia significat notitiam conclusionis præcisè, & sic distinguitur & opponitur ad intellectum & sapientiam. Intellectus enim notat ibi habitum principiorum, sapientia complectitur utrumque habitum. Hoc modo metaphysicus habitus non est scientia, sed sapientia. Neque enim Metaphysica continet notitias conclusionum, præcisis principiis, sed & cognoscit principia, & conclusiones per ista. *Aliter* autem sumitur vox scientiæ, ut implicat etiam notitiam principiorum. Ergo sic in communi, habitus eruens conclusiones ex cognitione principiorum est scientia. Estque hæc significatio frequentissima. Atque sic quicquid sapientia est, etiam scientia est, ut scientia, hoc sensu, ad sapientiam habeat rationem generis. Addit enim sapientia scientiæ, primitatem, quod scilicet ex primis principiis probet. Dicam breviter: Scientia est habitus eruens conclusiones ex principiis (sine addito & indifferenter loquendo, qualiacunque sint principia, Prima annon) sapientia autem est habitus eruens conclusiones, ex principiis (non qualibuscunque, sed addendo q. differentiam, nempe ex principiis) primis.

27 *Quomodo Metaphysica sit scientia & sapientia?*

Atque ita inter sapientiam & scientiam non est oppositio sed subordinatio, ut utrumque istorum de Metaphysica dici possit. Metaphysica itaque est scientia, quia demonstrat ex principiis, sicut & id faciunt scientiæ aliæ: Eadem v. disciplina est sapientia, quia principia ex quibus demonstrat, sunt prima principia, Conf. Thom 1. 2. q. 57 *art. 2. ad pri.* Picco. *grad. 5. Phil. Moral. c. 22.* & Suarez *disp. 1. Met. sect. 5. n. 52.*

28 *Secunda objectio.*

Deinde contra eandem sententiam objicitur. Omnis scientia circa tria est (verba sunt Arist. 1. *post c 7 text. 57. & 76.*) *Primum* quidem, circa illa, quæ ponuntur esse. Hoc 2. est ipsum genus (subjectum) cujus affectionum per se contemplatrix est. *Deinde* circa communia, quæ dicuntur *dignitates*, ex quibus primis demonstrat, & *tertium*, circa affectiones, quarum singulum, quid significet accipit. Hoc dicit Aristoteles, quod in unaquaque scientia debeat esse subjectum genus, principia & affectiones. At nihil horum potest convenire metaphysicæ. Ergo ipsa non potest esse scientia, cùm vel ex unius istorum defectu tollatur ratio scientiæ.

29 *Metaphysicam non habere subiectum genus.*

Assumptum probatur: quo ad singula. Et primo quidem de subjecto genere. Ens ponitur subjectum Metaphysicæ. At Ens non potest habere rationem generis, ad ullum eorum, de quibus prædicatur, ut Aristot. clarè docet 4. *Top. c. 6. §. 2. & 2. post. cap. 7.* & alibi, & probat id dictis locis, quia Ens omnibus rebus est consequens. Unde sequitur, quod nulla positiva differentia esse possit, quæ non sit Ens. At quicquid rationem generis habet, id extra se habet differentias de quibus ipsum non debet prædicari; ut Aristot. iterum docet 6. *Top. cap. 6. §. 9. & 14.* et Porphyr. in *Isagog.*

Isagog. t. 7. §. 5. Hactenus igitur deest Metaphysicæ una conditio ad scientiam requisita.

Quòd autem nec II. principia conveniant metaphysicæ, inde patet, quòd principia ex quibus fit demonstratio (propter hanc enim opus est illis in scientia) sunt Efficiens et Finis. Subjectum autem Metaphysicæ, hoc est. Ens omne, non habet efficiens & finem. Nam in ista latitud.ne abstrahit ab increato & creato, unde ne quidem omnes affectiones, quas contemplatur metaphysica, habent principia. Nam plèraque (ut in progressu apparebit) sunt prorsus eadem cum subjectis suis, quod inprimis clarum est de attributis divinis. Si igitur ipse Deus non habet efficientem & finem, etiam ipsius attributa non habebunt efficientem & finem, et per hoc in Metaphysica non sunt principia. Atque sic deest etiam secunda conditio ad scientiam requisita.

30 *In Metaphysica non esse principia.*

Quòd denique III. neque affectiones sint in Metaphysica, patet, quia in definitione affectionum debet subjectum poni ἐν πρώτοις, atque adeo debet esse aliquid ad essentiam accidentis πρόσθεμα adpositum: Ergo aliam debet habere essentiam, ab essentia affectionis. At Ens non potest habere affectiones, quæ essentialiter ab eo differant, quia sic ipsum, qua tale est, esset accidentaliter compositum. Compositione eâ, quæ est ex subjecto & accidente. Hoc autem tollit latitudinem et universalitatem subjecti Metaphysicæ, quæ hoc exigit, ut nullam determinatam differentiam essendi implicet, atque inde debet in quantum tale est, etiam præscindere à simplici et composito. Atque ita deest et Metaphysicæ, tertia ad scientiam requisita conditio.

31 *In Metaphysica non esse affectiones.*

Ad horum *primum* de subjecto respondeo: Non esse necessariam subjecti scibilis conditionem, quod debeat ipsum genus esse, prout genus relationem dicit ad speciem, ut rectè disputat Zabarel *lib. de trib. præcog. cap. 2.* Et patet, quia scientiæ et demonstrationis sunt æquales limites. Atqui ad demonstrationem non requiritur, ut subjectum passionis habeat species, Ergo nec id requiritur ad scientiam. Unde secundo respondeo: Cùm Aristoteles subjectum scientiæ vocat genus, non sumere ipsum genus, pro genere logico (quod respectum dicit ad speciem) seu pro genere physico, quod idem est cum materia, sub qua etiam comprehenditur materia circa quam hoc est. Subjectum vel objectum. Unde sic, id quod subjicitur, disciplinæ dicitur æquipollenter & *Genus* & *Subjectum* & conjunctim *genus subjectum.* Confer Fonsec. 4. *Metaphysic. in comment. ad t. 2. lib. 6.* Et tertio respondeo ex abundanti. Etsi Ens non sit genus ullius inferioris rigorosè loquendo, nihilominus ob amplitudinem suam vocari solet genus, & sic consequenter substantia & accidens, solent voceri species Entis, quod ipsum etiam satis est, ut Metaphysica totalem scientiam constituat, prout ea de re erit plus alibi.

32 *Respondetur de subjecto.*

Quomodo subjectum scientiæ dicatur genus.

Ad *secundam* conditionem, de principiis, respondeo: Principia ad scientiam non solere requiri ea, quæ sunt efficiens & finis rigorosè dicta; Sed sufficiunt ad eam complexa principia sive communissima axiomata, item qualescunque rationes, quæ à nobis apprehenduntur priores attributis. Et patet, quia hujus generis principia sufficiunt ad demonstrationem, ista quidem, saltem ad eam, quæ est per impossibile, Hæc autem etiam ad demonstrationes potissimas, quas *Dari* vocant. Et hinc ex utriusque generis principiis demonstrat Metaphysica, ut plenius doceo *seq. cap. ubi* etiam apparebit, quod hoc genus principiorum non repugnet divinis attributis.

33 *Respondetur de principiis.*

Ad *tertiam* conditionem de affectionibus respondeo: Affectiones non necessariò debere esse realiter distinctas à subjectis, eas inquam, quæ in communi ad scientiam requiruntur, sed id solum est in iis affectionibus, quæ accidentia, hoc est, ex accidentium prædicamentis desumpta sunt. Ad rationem enim affectionis scibilis satis est, si ea per modum accidentis sive παρεπόμενα prædicetur. Id enim si sit, demonstrari poterit. At si affectio demonstrabilis sit, sat habet ad rationem affectionis scibilis. Demonstratio enim & scientia hactenus habent eos-

34 *Respondetur de affectionibus.*

dem

dem limites. Porrò, posse aliquid de alio demonstrari, quod realem cum eo identitatem habet, clarè docent attributa divina, quæ de Deo demonstrantur. Atque sic Metaphysicæ non desunt affectiones. Sed ea de re, ex instituto erit *seq. c. 3.* & plenius ea de re egi *in Introduct. Log. in tract. prooem. de Philos. n. 47 seqq.*

ARTICULUS X.

An Metaphysica sit scientia speculativa?

35 UT præsentem tractationem de genere Metaphysicæ compleamus, postquam visum est Metaphysicam esse scientiam, inquirendum est etiam, qualis sit scientia speculativa vel Practica.

36 Hâc in re responsio expedita est, quod Metaphysica sit disciplina speculativa, & patet, quia ista non habet objectum θεωρητὸν & operabile, neque nos vel omne Ens vel aliquid ejus facere aut circa illud operari docet, sed totam suam cognitionem sistit in se, hoc est, acquiescit in cognitione veritatis. Illam autem disciplinam quæ ultimò requiescit in cognitione, & eam non terminat ad agendum vel faciendum, vocamus Theoricam seu speculativam.

37 *Objectiones.* Tria hic frequenter objici solent: *Primo* Metaphysicæ est aliquis usus, ut facilè admittunt omnes & infra plenius patebit, sub titulo quinto hujus capitis, E. cognitio rerum Metaphysicarum refertur ad istum usum. Ergo non est ea propter se, sed propter aliud, & proinde non est speculativa sed practica disciplina. *Deinde* Metaphysica imperat aliis disciplinis, unde & Domina & princeps aliarum disciplinarum dicitur, ab Arist. *6. Metaph. c. 1. & lib. 11. Metaph. c. 6.* Dominari autem & imperare est aliquid practicum. *Denique* Metaphysica agit plenè & adæquatè de Angelis. Neque enim ulla alia disciplina de Angelis agit, Ergo cognoscit de iis quicquid de iis cognoscibile est. Ergo & cognoscit & contemplatur de beatitudine illorum. At beatitudo eorum, ex parte aliqua in praxi consistit.

38 *Solutiones.* *Ad primum* respondeo: Ex usu non æstimari & constitui disciplinam practicam. Sic enim nulla esset disciplina Theorica, ne quidem Physica & Mathesis, quæ alias, & rectè, speculativæ scientiæ dicuntur. Nam Mathesis usum suum habet ad artes mechanicas prorsus necessarium; Physica ad medendum, & regendum affectus, aliaque. Practica igitur disciplina absolutè dicitur illa, quæ docet id, quod cognitum est, operari, vel secundum illam cognitionem, operati. Tale quid autem non convenit metaphysicæ, quæ nusquam docet, qualiter debeamus facere Ens, aut quomodo secundum eam cognitionem operari debeamus.

Practica scientia non dicitur ex usu.

39. *Imperium duplex.* *Ad secundum* respondeo: Metaphysicam omninò imperare & dominari aliis disciplinis ut dd. ll. Aristot. docet: sed sciendum est, imperium esse duplex: speculativum & practicum. Dominatur igitur Metaphysica aliis disciplinis *non practicè*, veluti jubendo ut hoc aut istud ab illis fiat, quale imperium in omnes disciplinas exercet Politica, quæ limites præscribit & officia, singulis artium & scientiarum professoribus, *sed speculativè*, declarando eos terminos, citra quorum declarationem non potest ulla alia disciplina veritatem attingere, aut ad scopum & propositum suum pervenire. Proinde ex tali imperio non fit metaphysica disciplina practica, cùm imperium illud, sit imperium merè speculativum. Confer Suarez. *disput. 5. Metaph. s. 4. n. 4. & s. 5. n. 44.*

Quomodo imperet Metaphysica?

40 *Ad tertium* respondeo. Si maximè Metaphysicus cognosceret beatitudinem Angeli, eaque consisteret in praxi. Non tamen metaphysica hinc fieret, etiam quoad hanc partem, disciplina practica, æstimando disciplinas per ordinem ad intellectum *humanum*. Loquimur enim de iis, prout hominibus ex tribuuntur. Neque enim ea, quæ Angelis sunt practica, illa etiam, nobis practica sunt, sed ea,

quæ

ea, quæ Angelis practica sunt, nos possumus Theoricè cognoscere. Imò quæ in una disciplina practicè cognoscimus, in aliâ possumus Theoricè cognoscere. Veluti in Physicis agimus de affectibus & actionibus mentis theoricè. At in Ethicis affectus considerantur practicè, prout subjiciendi sunt rectæ rationi, sic & actiones mentis in Logicis considerantur practicè, prout scil. subjiciendæ sunt, ad bene differendum, & sic in aliis.

TITULUS III.

De Abstractione Metaphysicâ.

POstquam constitutum est in priori titulo, quod genus Metaphysicæ sit scientia, nunc ulterius agendum est, de Abstractione Metaphysica. Unaquæque enim scientia exigit peculiare genus abstractionis à materia, quod constitutioni subjecti in unaquaque disciplina, necessariò præsupponendum est, ut saltem ex Physicis appareat. Ibi Physicæ subjectum est corpus naturale. Sub hoc corpore naturali continetur Petrus & Paulus, hic lapis, hæc & illa arbor. Cur igitur illa non considerantur in Physicis, cùm sint corpora naturalia, & proinde sub subjecto Physicæ comprehendantur? *Respondeo* id inde esse, quia non continentur sub abstractione Physica, quæ est, abstractum esse à materia signata sive singulari. Ista enim sunt inclusa materiæ signatæ: hoc est sunt singularia. Alia responsio dari non potest. Proinde hinc apparet, & necessitas considerandi abstractionis genus, in unaquaque disciplina; & sumitur ratio, cur hoc loco statim incipiendum dicere de abstractione metaphysicâ. 41. *Necessitas abstractionis in scientiis.*

Cæterùm in disciplinis speculativis intelligitur abstractio per ordinem ad *materiam*. Alias enim abstractio latius patet. Dicimus etiam aliquid abstractum à subjecto, & sic in aliis. Terminus igitur à quo abstractionis in scientiis est *materia*. Hactenus igitur disciplinæ speculativæ considerant Entia abstracta à materia. Porrò abstrahere, non est physicè vel positivè separare, ut hactenus abstracta à materia dicantur, quæ sint à materia sejuncta vel separata: sed abstrahere est actus mentis, quo apprehendimus unum, non apprehendimus aliud, etsi aliàs de facto sit ei conjunctum vel non. Veluti Physica abstrahit à materia signata, & tamen nulla res Physica est de facto in mundo, quæ non habeat materiam signatam, hoc est, quæ non sit corpus singulare. 42. *Quid sit abstrahere.*

Porrò, cùm sint tres scientiæ speculativæ, triplex quoque genus abstractionis est. Alia igitur scientia abstrahit suum subjectum à materia signata, hoc est, singulari solum: Talis est Physica. Alia abstrahit à materia sensili secundem rationem, Talis est Mathesis. Alia denique à materia sensili abstrahit secundum rem & rationem, talis est Metaphysica. Ac de singulis quidem istis abstractionibus plenius dixi in *tract. de Philosophia Num* 9. *& seqq.* Nunc tamen ne præsens mutila sit tractatio, de abstractione Metaphysica aliquid repetendum est. 43. *Abstractionis genus triplex.*

ARTICULUS I.

In quo explicatur abstractio Metaphysica.

IGitur Metaphysica abstrahit à materia secundum rem & rationem, hoc est considerat ea, quæ in conceptu suo materiam non implicant, seu quæ non habent materiam vel à parte rei, vel juxta ordinem apprehendendi nostrum. Id autem est bifariam. Aliquibus enim prorsus materia repugnat, & in se & in inferioribus, vel ad inferiora descendendo; Tale quid est Substantia spiritualis, quæ prorsus abstrahit à materia, non solùm in isto generali conceptu, sed etiam descendendo 44. *Abstractio Metaphysica duplex.*

scendendo ad quævis particularia, quæ sub substantia spirituali continentur. Idem igitur est etiam, particularem sumendo Angelum. Hæc igitur abstrahit à materia non solùm in isto generali conceptu, sed etiam descendendo usque ad individua Angelicæ naturæ. Hæc igitur dicuntur *abstracta secundum essentiam*. Possunt etiam dici abstracta à materia, per repugnantiam ad ipsam, quia ipsis in omnibus statibus repugnat materia. Aliqua verò abstrahunt à materia, quia solùm in præciso conceptu sunt expertia materiæ, juxta quem etiam solum considerantur in Metaphysicis. Descendendo tamen ad inferiora, (hoc est, ad ea quæ in metaphysicis non considerantur) possunt conjungi cum rebus materialibus. Tale quid est substantia v.g. quæ, ut sic, hoc est, in præciso & generali suo conceptu nullam materiam, neque à parte rei, neque in ratione vel in apprehensione nostra implicat. Et proinde hinc dicitur substantia abstracta à materia secundum rem & rationem. Isti tamen substantiæ, ulterius descendendo, non repugnat, ut reperiantur in rebus habentibus materiam, sicut neque ei repugnat, ut inveniatur in rebus immaterialibus. Et hujus generis sunt omnia transcendentia, quæ ut sic, hoc est, in generali & præciso suo conceptu nullam materiam implicant, non tamen repugnat eis deinceps reperiri in rebus materialibus & immaterialibus. Atque hæc dicuntur *abstracta* à materia *secundum indifferentiam*, quia scilicet, cum materiam non implicent, apta tamen sunt, ut reperiantur & cum materia, & extra materiam.

46 Atque hinc celebris est illa distinctio, quâ abstractio metaphysica alia dicitur esse secundum essentiam, alia secundum indifferentiam, quæ distinctio ex dictis intelligi potest, soletque frequenter sumi ex Thom. 6. *Metaph. c.* 1. & Avicen. 1. *Metaph. c.* 2.

47 *Objectio Pererii contra abstractionem per indifferentiam.* Pererius *lib.* 1. *de Phil. c.* 6. impugnat hanc distinctionem inde, quia quæ indifferentia sunt, non magis referuntur ad hoc, quàm ad aliud. Proinde, cum transcendentia sint indifferentia ad materialia & immaterialia, non magis debent dici immaterialia, seu à materia abstracta, quàm materialia seu materiæ immersa.

Responsio. *Respondeo* 1. Indifferentia dicit nuditatem ab ulterioribus differentiis. Proinde, cum transcendentia habeant indifferentiam ad res materiales & immateriales. Ideo ipsa nec materialia sunt nec immaterialia. *Positivè* intelligendo rem materialem & immaterialem. Ita enim intelligitur, cùm Ens aliquod dicimus materiale vel immateriale. *Materiale* enim apprehendimus tanquam constitutum per positivam aliquam differentiam, per quam opponitur immateriali. Et sic ad eundem modum immateriale apprehendimus, tanquam constitutum per positivam aliquam differentiam, per quam opponitur materiali, ut neque materiale, immateriale; nec immateriale, materiale possit esse aut fieri. Proinde negationem seu carentiam *talis* immaterialitatis secum fert indifferentia, quam habent transcendentia, ad (materialia & immaterialia. Nempe sicut transcendentia non sunt materialia, ita etiam non sunt immaterialia, juxta sensum declaratum. Præterea autem possumus sumere τὸ immateriale *negativè* & quasi præcisivè, tantùm pro eo, quod (non constituitur per positivam differentiam, repugnantem rei materiali, sed quod) solum non includit materiam. Et hoc modo Ens & omnia Transcendentia possunt esse, imò sunt immaterialia vel abstracta à materia, non obstante eorum indifferentia ad res materiales & immateriales, aliter enim hîc & ibi intelligitur immaterialitas. Simile est, cùm Ens dividitur in absolutum & respectivum: tum Ens est indifferens ad absolutum & respectivum positivè intellectum. Habet enim tum qualemcunque rationem generis. Genus autem præscindit à differentiis dividentibus. Nihilominus omnes dicunt, Ens in ista indifferentia & præcisione sumptum, posse dici absolutum negativè, quatenus scilicet ut sic nullum respectum implicat. Atque ita tandem apparet, ea, quæ sunt abstracta secundùm indifferentiam, rectè posse dici abstracta à materia, quia scilicet in ista præcisione sumpta, nullam implicant materiam.

Ex hactenus dictis hæc fluunt πορίσματα. 48

I. Quæcunque sunt prorsus immaterialia, & quasi positivè, ut loquebamur, Ea sunt considerationis Metaphysicæ. Talia sunt ea, quæ dicebantur abstracta à materia secundum etiam esse. *Quænam tractanda sint in Metaphys.*

II. Quæcunque sunt indifferentia ad res materiales & immateriales, seu quæ communiter de utroque Entium genere prædicantur, ea sunt etiam considerationis Metaphysicæ. Talia sunt ea, quæ hinc dicebantur abstracta secundum indifferentiam, qualia sunt omnia Transcendentia.

III. Quæ neutrius generis sunt, non pertinent per se & directè ad metaphysicam, ut in ea scientificè cognoscantur. 49

ARTICULUS II.

In quo solvuntur objectiones de abstractione Metaphysica.

VT quæ ad hanc rem dixi rectiùs intelligantur, oportet aliquas objectiones apponere, ex quarum solutione clarior etiam doctrina proposita. Multa enim videntur huic rei obstare. 50

Nam primo objicitur. Metaphysici communiter agunt de causis, atque adeò etiam de materia & forma. Illa autem solùm sunt principia eo potis, hoc est, rei materialis, non igitur videntur abstrahi posse à materia. Hanc objectionem infra solvo *capite 23. lib. 2. q. 2.* ubi vide. 51. *Objectio prima de Causis.*

II. Objicitur. Metaphysica tractat de decem Prædicamentis. At illa non sunt abstracta à materia secundum rem & rationem. Nam per *substantiam*, quæ sit genus generalissimum in Prædicamento substantiæ, plerique intelligunt Substantiam corpoream ut Durand. 2. *dist.* 3. *q.* 1. Æg. d. *quodlib.* 1. *q.* 8. Albertus *in lib. categ. c.* 2. alique. Rursus *quantitas* non fundatur nisi in materia. *Qualitates* autem præsupponunt in subjecto quantitatem. Hæc enim causa est cur quantitas in ordine Prædicamentorum præponatur qualitati. Sic *Habitus* significat adjacentiam corporis. *Situs* significat positum partium materialium. *Ubi* connotat locum: tempus connotatur per *Quando*. Atqui hæc omnia implicant materiam, vel connotant respectum ad materiam, vel connexionem cum ea. 52. *Obiect. II. de Prædicamentis.*

Ad hoc argumentum respondent aliqui. *Metaphysicam non agere de Prædicamentis per se & directè, sed per indirectum.* Abstractio autem restringit disciplinam solùm quoad ea, quæ directè ad eam pertinent, unde quasi per digressionem disciplinæ quandoque soleant attingere ea, quæ intra eas non continentur, sicut in physicis solet aliquando disseri de hoc vel illo singulari corpore, veluti de Ætne Cyrena eo vel Indico, de terra Lemnia vel Armenia. De mari Adriatico vel Oceano, quæ omnia directè in Physicis doceri non possunt quia illa disciplina abstrahit à materia singulariter signata. Juxta hanc igitur hypothesin (si scilicet solum indirectè de Prædicamentis in *Metaphysicis* ageretur) per se non deberent contineri sub abstractione *Metaphysica*. Sed tamen hæc sententia non procedit, & rectè confutata est à Pereyra *l.* 1. *de Philosophia cap.* 6. Imprimis si de tota Prædicamentorum doctrina intelligatur in Universum, ut ex dicendis etiam clarius patebit. 53. *Respondet. de Prædicamentis, quoad abstractionem Metaphysicam.*

Dimissa igitur ista responsione, aliter respondeo. Suppono tamen in aliquibus Prædicamentis eam procedere. Igitur 1. *de Substantia* dico, in cujus Prædicamento Genus generalissimum non esse substantiam corpoream. Nam Angeli etiam sunt substantiæ de genere Prædicamentali substantiæ ut infra disputabitur. Et tamen Angeli non sunt corporei. Proinde relinquitur, quòd substantia ut sic, indifferenter se habeat ad substantiam corpoream & incorpoream, quodque adeò ipsa abstracta sit à materia tàm abstractione, quæ erat secundum indifferentiam. 54. *Specialiter Respondetur de Substantia.*

Deinde, *Quantitas*, prout peculiare Prædicamentum constituit, indifferenter 55.

De Quantitatis abstractione.

dicitur de quantitate continua & discreta. Unde etsi quantitas continua, conveniat solùm rebus materialibus, non tamen id verum est, de quantitate discreta, ut plurimis placet. Numerus enim tribuitur etiam rebus expertibus materiæ. Proinde à fortiori apparet, quod quantitas generatim & præcisè considerata non involuat rationem materiæ. Ita ex mente aliorum respondeo. Deinde si generalis vel specialis Doctrina, quantitatis abstractione Metaphysicæ repugnet, & tamen agat Metaphysicus de quantitate, tunc non facit cognoscendo sed præcognoscendo eam, aut quasi per digressionem, ad eum modum, quo Metaphysicus etiam solet aliquid docere de corpore. Unde ex dicendis ad tertiam objectionem hæc illustrari hactenus poterunt. Sed ex professo hac de re infra tracto *lib. 2. c. 7. tit. 3. art. 1.*

56. *De Qualitate.*

Tertiò: *Qualitates* materiales ut maximè recipiantur in subjecto, mediante & præsuppositâ quantitate (unde sumpta est ratio ordinis inter quantitatem & qualitatem.) Nihilominus qualitas, qua talis est, non necessariò præexquirit quantitatem, atque adeò nec materiam. Dantur enim habitus & potentiæ naturales in Angelis, quibus nulla materia convenit. Proinde & qualitas est abstracta à materia abstractione ea, quæ est secundum indifferentiam.

57. *De Quando & ubi,*

Quartò: *Quando & ubi* tribuuntur etiam rebus immaterialibus. Nam Quando comprehendit etiam durationem ævi; & Ubi comprehendit etiam præsentiam definitivam, quam vocant, ut suo loco videbitur. Proinde quando & ubi ex se sunt indifferentia ut tribuantur rebus materialibus & immaterialibus. Ergo sufficienter sunt abstracta à materia, ut in Metaphysicis doceri possint. Nam omnia transcendentia non habent aliam abstractionem à materia, quam eam, quæ est secundum indifferentiam.

58. *De Situ & Habitu.*

Quintò: & *Situs* & *Habitus* solùm conveniunt corporibus; Et proinde non continentur sub abstractione Metaphysica sed solùm in Metaphysica docentur consequenter: Partim ut Metaphysicus compleat summa genera Entium. Partim etiam quia ex instituto debeat Metaphysicus solum ista accidentia præcognoscere; Præter talem autem tractationem, nihil ferè singulare occurrit, circa ista considerandum, propter quod eorum tractatio aliò remittatur.

59. *III. Objecti. De Corpore.*

Tertiò objicis: In Metaphysicis agitur de Corpore, Ergo non solum ibi tractantur ea quæ sunt abstracta à materia. Consequentia est evidens, quia corpus quidditativè includit materiam. Antecedens autem patet, quia Aristot. 7. *Metaph.* prolixè agit de Substantia generabili & corruptibili. At substantia generabilis & corruptibilis nihil aliud est, quàm corpus. Deinde Metaphysicus dividit substantiam in corpoream & incorpoream. Proinde sicut de hac agit, ita etiam debebat de illa agere. Et confirmatur, quòd si Metaphysicus non attingeret considerationem corporis non posset, Physicæ præscribere suum subjectum. Hoc enim est corpus naturale. At absurdum est, & pugnat contra naturam Universalis disciplinæ, inferioribus & particularibus scientiis non præscribere subjecta.

60. *Respondetur quomodo Metaph. agat de corpore.*

Respondeo. In Metaphysicis cùm agitur de corpore, fit id solum per διέξοδον sive digressionem, ad declaranda alia, vel præcognoscendo illud. Neutrum enim tollit abstractionem Metaphysicam vel ei repugnat. Nam intra illam solùm coercentur, quæ per se & directè in Metaphysicis tractantur scientificè, (prout illud antea ex Physicis illustratum fuit) quæque in ea *cognoscuntur*, hoc est, scientificè tractantur, non autem *præcognoscuntur*. Præcognitio enim consistit in scita notitia rei an sit, & quid nomen significet, unde quæ præcognoscuntur, in tantum, non tractantur scientificè, indèque in constitutione subjecti scientiæ, & ad eam pertinentis abstractionis, non attenduntur.

61. *Duobus modis de corpore tractat*

His ita positis dico: Metaphysicam dictis duobus modis agere de corpore. Primus modus est, ut Metaphysica de corpore agat, quasi per διέξοδον sive digressionem seu per modum commentarii. Id agitur facit Metaphysica, cùm vult declarare naturam substantiæ incorporeæ & incorruptibilis. Cùm enim contraria juxta

se

& posita magis elucescant, fieri non potest, quin illustretur natura substantiæ istius, si aliquid tractetur de substantia corporea & corruptibili. Sic etiam facere potest mentionem corporis ad declarandam essentiam. Essentia enim corporum, quæ in materia & forma consistit, nobis notior est, quàm essentia aliorum & proinde à fortiori, quàm sit essentia in communi. *Metaphysica.*

Alter modus est ut Metaphysica agat de corpore, præcognoscendo ipsum. Id facit Metaphysicus sub Ente accipiendo corpus, hoc est, Ens dividendo in corpus et alia. (Hinc enim relinquitur corpus esse Ens et non esse nihil) et rursus explicando nomen corporis. Prout id à nobis infra fiet *lib. 2. cap. 1. num. 104. & seqq.* Atque hoc modo Metaphysica Physicæ suum objectum præscribit. 62.

Cur autem Metaphysica progrediatur ad scientificam tractationem substantiæ incorporeæ dimissâ substantiâ corporeâ, non sumitur aliunde, quàm quia ista sub abstractione Metaphysica continetur, hæc non, ut *d.d.* attingant. 63.

TITULUS IV.

DE OBJECTO METAPHYSICÆ.

IN constitutione subjecti hujus scientiæ Philosophi aliqui in excessu peccant, aliqui in defectu. Nobis dimidio utroque extremo in medio ambulandum est. 64.

ARTICULUS I.

In quo referuntur & vexantur, qui constituendo subjectum Metaphysicæ, in defectu peccant.

TAles sunt I. qui Subjectum Metaphysicæ ponunt Deum. Ita tribui solet Averroi 1. *Physic. comment. ult.* Et Alberto *in init. Metaph.* refert ex Alpharab. *de divis. scientiarum.* 65.

II. Tales sunt, qui in oppositum solùm Ens creatum ajunt tractandum esse in Metaphysicis, referentes doctrinam de Deo ad solam Theologiam. 66.

III. Tales etiam sunt, qui adhuc latius subjectum Metaphysicæ ponunt substantiam immaterialem. Ita tribui solet commentatori 1. *Phys. comm. ult.* 67.

IV. Tales sunt, qui adhuc latius subjectum Metaphysicæ ponunt substantiam in communi, prout præscindit à finita & infinita, materiali & immateriali. Et hæc sententia vulgo à Doctoribus tribui solet Buridano. 68.

V. Tales sunt, qui adhuc latius subjectum Metaphysicæ ponunt, Ens divisum in decem Prædicamenta: juxta quam constitutionem, de accidente etiam per se in Metaphysicis tractant. Ita tribuunt Flandriæ, *Ex. 1. Metaph. q. 1.* 69

Hi omnes ut dixi in defectu peccant: Quod sic confficio. Inprimis subjectum Metaphysicæ ita constituendum est, ut supra illud nihil sit, quod sit per se scibile. Ita certum est, ex duobus certis principiis. Primum est quod Metaphysica sit Universalissima disciplina. Alterum est, quod quicquid est per se scibile per naturam: tractandum est in aliqua scientia, ut rectè & perfectè, quoad fieri potest, cognoscatur. His igitur præmissis, sic argumentor. Illud omne subjectum est angustius in Metaphysicis, supra quod relinquitur aliquid per se scibile, ut ex dictis constat. At talia sunt omnia illa subjecta, quæ prius relata sunt. Ergo sunt angustiora. 70 *Unde arguitur Defectus, in constitutione subjecti Metaphysici.*

Veritas assumptionis patet breviter incipiendo à posteriùs relata quinta opinione. Nam Ens divisum in decem Prædicamenta, convenit in aliquo positivo conceptu, cum aliquibus entibus quæ sunt extra Prædicamenta. Veluti in Prædicamentis sunt exempli gratia Entia finita & completa, Extra prædicamenta sunt, 71. *Ens divisum in prædicamenta nō*

esse objectum Metaphysicæ adæquatum.

Ens infinitum & Entia incompleta Hæc conveniunt in multis communibus prædicatis, & suprà se habent Ens præcisè sumptum cum istis proprietatibus, quæ similiter Entibus utriusque generis conveniunt. Atqui hoc Ens in ista præcisione & Universalitate sumptum est aliquid, & omninò aliquid per se scibile.

73 Dicis autem: Ens infinitum & incompletum contineri sub Ente diviso in decem Prædicamenta Respondeo, quod per qualemcunque reductionem ista Entia referantur ad Prædicamenta, ut suo loco disputo. At si istam Entis divisionem in tanta amplitudine sumere velimus, ut comprehendat etiam ea, quæ in Prædicamentis per se non sunt, & quæ ibi sunt per reductionem, tum revera subjectum illud latius erit. Nam inter ea, quæ ad Prædicamenta reducuntur, sunt etiam privationes v. g. & Entia rationis. Hæc tamen non comprehendenda sunt sub subjecto Metaphysicæ. Nam quia non sunt per se Entia, per se non sunt scibilia, unde per consequens nulla est scientia, quæ per se de illis agere possit. Ad evitandum igitur hoc incommodum, quod in Excessum declinat, per Ens divisum in Prædicamenta non potest intelligi, nisi quod in Prædicamentis per se est. Atque tum militat discursus prius factus.

74 *Nec substantia.*

Idemque nunc facilius patet contra quartam opinionem. Nam supra rationem substantiæ adhuc est ipsa ratio Entis in communi, quæ scilicet etiam extenditur ad accidens declarandum.

75 *Dices*: Accidens, non esse per se Ens, & proinde non esse per se scibile, proinde etiam non posse à substantia & Accidente abstrahi communem rationem Entis, ut in eo aliqua scientia per se occupetur: *Respondeo* Distinguendo antecedens: Accidens non est per se Ens, quatenus per se opponitur ei quod est in alio. Accidens enim utique est Ens in alio. Nihilominus tamen Accidens est Ens per se, quia non dicitur Ens solum æquivocè, aut per qualemcunque proportionem, vel extrinsecam denominationem; sed quia in se habet, quod ad positivam Entitatem sufficit, cujus positivæ Entitatis clarum est indicium, quòd accidentibus positivi actus conveniunt, ut suis locis videbitur; Proinde quia accidentibus convenit realis & positiva essentia, consequens est, quod Ens communiter se habet, ad substantiam & Accidens, quodque adeo supra substantiam sit aliquid per se scibile, hoc est Ens, simpliciter sumptum & indifferenter ad substantiam & Accidens.

76 *Nec substantia immaterialis.*

Atque hæc à fortiori procedunt contra tertiam opinionem. Nam supra substantiam immaterialem, non solum est per se scibilis in communi ratio Entis, sed etiam substantia simpliciter, præscindens scilicet à materiali & immateriali substantia. Quæro igitur ubi de substantia illa in communi agatur? An in Metaphysica? At ea excedit propositum subjectum Metaphysicæ. An in alia superiori scientia? At nulla superior datur. Per Metaphysicam enim omnes intelligimus Universalissimam scientiam. An in aliqua inferiori scientia? At repugnat inferiores scientias habere subjecta latiora, quam habeat Metaphysica. Relinquitur igitur, quod hactenus male constitutum sit subjectum Metaphysicæ, quod scilicet substantiæ nullum locum in disciplina relinquit.

77 *Nec Ens creatum.*

Sequitur ex iisdem etiam falsitas secundæ opinionis. Nam Ens creatum & increatum conveniunt in communi ratione Entis, ut suo loco ostendam. Atqui illud Ens in hoc communi conceptu est aliquid per se scibile. Nulla autem scientia de Ente in ea generalitate agere potest si summum genus, ut sic loquar, in Metaphysicis sit Ens creatum. Et alias etiam hæc sententia procedit ex falsa hypothesi, quod scilicet de Deo solùm sit in Theologia agendum, quia de re infra agam *lib. 2. cap. 3. lit. 1.*

78 *Nec Deus*

Ad eundem etiam modum hinc apparet falsitas primæ opinionis. Nam ratio jam facta communis est. Sive enim Deus, hoc est, Ens increatum, sive Ens creatum ponatur subjectum Metaphysicæ, remanet difficultas de Ente, quænam scientia tractet de Ente simpliciter & indifferenter & prout quasi præscindit à

creato

creato & increato. Deinde subjectum debet adæquatum esse disciplinæ. At multa tractantur in Metaphysicis quibus non adæquatur Deus. Neque enim apparet quo modo ad Deum omnia referri debeant, quod similiter in subjecto requiritur ut quæcunque in disciplina tractantur ad illud subjectum referantur. Talia sunt, Unum, Verum, Bonum, perfectum, singulare, simplex, compositum. Quomodo hæc omnia Deo adæquantur vel ad Deum referuntur?

ARTICULUS II.

In quo proponuntur & solvuntur Objectiones præcedenti articulo contrariæ.

UT res sit dilucidior, aliquæ objectiones sunt expediendæ, quæ inprimis videntur 29
prius relatis opinionibus favere & eas reddere probabiliores.

PUNCTUM I.

In quo sunt ad primam opinionem objectiones?

IGitur, quod Deus sit objectum Metaphysicæ inde probari potest. Inprimis Deus 30
non convenit cum rebus creatis, in Uno aliquo communi genere. Ergo nec cum *Obj. Quòd Deus sit objectum Metaphysicæ.*
rebus creatis potest tractari in una disciplina. Nam subjectum disciplinæ habet rationem communis generis, ad ea, quæ illi in eadem disciplina subjiciuntur, sive quæ quid dicativum illius conceptum participant. At nihilominus Deus est considerandus in Metaphysica. Alia enim nulla Philosophica disciplina est, quæ id facere possit. Deus igitur ibi erit subjectum, ut de rebus creatis ibi agatur, tanquam de Effectis Dei. Et sic sat commodè ad illud subjectum referri poterunt illa omnia, quæ in Metaphysicis tractantur. Effectus enim utique referri potest ad suam causam.

Deinde Metaphysica eodem sensu vocatur Theologia, apud Arist. *lib. 6. Met. cap. 1.* 31
& lib. 2. cap. 6. At denominationes optimè sumuntur à subjectis. Insinuabitur igitur hinc, Deum esse subjectum Metaphysicæ.

Solutiones.

REspondeo *ad primam* objectionem. *Primo:* Nititur ea falsa hypothesi, quod scili- 32
cet subjectum disciplinæ debeat esse genus rigorosè dictum, respectu eorum, quæ in disciplina tractantur. Quod enim hoc non sit evidenter appareat inde; quod in eadem disciplina agitur de substantia & Accidente, & ista participant communem conceptum Entis. Ens tamen istorum genus non est, ut suo loco patebit. Proinde *secundò* Respondeo, ad bonitatem subjecti sufficere, si unum conceptum dicat in inferioribus suis; ex qua conceptus Unitate subjectum imitetur rationem generis, ut & genus dicatur, etsi, rigorosè loquendo, genus non sit. Atque sic etiam Deus & res creatæ conveniunt in communi aliquo conceptu ipsius Entis indèque satis habent ad hoc, ut in una aliqua disciplina tractentur. *Tertiò.* Neque possunt omnia præter Deum in Metaphysicis tractari per modum Effectus Dei. Nam multa in Metaphysica tractantur in tanta generalitate ut præscindant à ratione creati & increati, & proinde utrumque transcendant. Unde ista non possunt referri ad Deum ut effectum Dei. Quicquid enim effectum est, id creatum est. Antecedens patet in plurimis, Veluti quod in Metaphysicis agitur de Ente præcisè & universalissimè; similiter de unò, vero, bono, perfecto, singulari, completo duratione, Existentia, &c. Quæ omnia in ista generalitate sua, neque creatum

quid

quid sunt neque increatum, sed sunt ad ista indifferentia. Possunt enim ista dici de Deo & de rebus creatis communiter.

83 Ad *secundam objectionem*: Respondeo Denominationes, hoc est, impositiones nominum esse liberas. Neque semper sumuntur illæ à Subjecto adæquato, sed frequenter sunt Synecdochicæ. Metaphysica igitur dicitur Theologia, non à subjecto totali sed partiali. Deus enim est subjectum perfectionis in Metaphysica. Subjectum autem perfectionis est subjectum partiale. Vide supra & ut. 1.

PUNCTUM II.

Continens ad secundam opinionem objectiones, earumque solutiones.

84. *Obj. Quòd ens creatum sit objectum Metaphysicæ.* PRimò pro ista opinione (qua Ens creatum dicebatur objectum Metaphysicæ) objici potest, ad eum modum, quo (servata proportione & mutandorum mutatione) ea proposita est primo loco, ad priorem opinionem. Sed responsio etiam consimili modo fieri potest.

85. *Deinde* objicitur: si de Deo tractaretur in Metaphysica, tunc Deo convenirent principia, & accidentia sive affectiones. Hæc enim in omni scientia requiruntur. At absurdum videtur ad Deum referre principia & affectiones: Ergo de Deo in nulla scientia tractari poterit. Proinde subjectum hujus scientiæ comprehendit Ens creatum.

Hujus objectionis solutio potest peti ex iis, quæ *n.* 33. *&* *n.* 34. dicta sunt, ubi ostensum est, Deo non repugnare principia et affectiones; qualia in scientiis requiruntur.

PUNCTUM III.

In quo ad tertiam opinionem, objectionum solutio continetur.

86. *Obj. Quòd substantia immaterialis sit subjectum Metaphysicæ.* IBi dicebatur substantiam immaterialem esse subjectum Metaphysicæ; Confirmatur: quia nihil aliud videtur immateriale, quàm abstractum esse à materia. At Metaphysica non considerat, nisi Entia abstracta à materia: Ergo etiam non considerat nisi Entia immaterialia.

87. Respondeo I. Aliud est: Ens immateriale et aliud substantia immaterialis. Hoc enim angustius quid est ac illud. Unde dicere Ens immateriale esse subjectum metaphysicæ, latius est, quam si illud subjectum dicatur esse substantia immaterialis. II. Neque tamen hæc procedit opinio. Nam supra Ens immateriale considerandum est Ens præcisè, quodque indifferens est ad materiale et immateriale. Huic autem nullus locus relinqueretur in Metaphysicis. Si subjectum adæquatum illius esset Ens immateriale.

88. *Immateriale & abstractum à materia differunt.* III. Non est idem Ens immateriale et Ens abstractum à materia. Ens enim immateriale dicimus, quasi per positivam differentiam constitutum, quæ sit addita ad Ens in communi sumptum, secundum quod opponatur materiali, ut et superius constituebamus. Ens autem abstractum à materia ut dicatur, ad hoc quidem sufficit negatio materiæ. Ideoque Ens, quum dividitur in materiale et immateriale, in ista, inquam, indifferentia sumptum, est quidem abstractum à materia, non tamen est immateriale. Si enim illud Ens esset immateriale, non posset sub illo sumi materiale, tanquam species illius. Species enim non debet repugnare generi. Et aliàs etiam differentia non debet actu contineri in genere. At immateriale ibi est quasi differentia Entis.

PUN-

PUNCTUM IV.

Ubi ad quartam opinionem objectionum solutio continetur.

Quarta opinio dicebat substantiam in communi esse subjectum Metaphysicæ. Probatur. Subjectum in scientia non debet ita constitui, ut ipsum etiam prædicetur de affectionibus subjecti. Veluti subjectum Physicæ est corpus naturale, quod non debet prædicari de suis proprietatibus, veluti de motu, aut quantitate. Et ex hoc principio subjectum Physicæ non rectè dicitur Ens naturale, quia etiam affectiones Physicæ Entia naturalia dici possunt. At affectiones substantiæ sunt accidentia. Ergo non debet esse subjectum in Metaphysica illud, quod commune sit ad substantiam & accidentia. Ergo substantia est adæquatum subjectum. 89.

Obi. Quod substantia in communi sit objectum Metaphysicæ.

Respondeo 1. Hunc syllogismum petere principium. Nam supponit substantiam esse subjectum Metaphysicæ, quod ipsum probandum est. Clarè id patet inde, quia dicitur: substantiam non debere prædicari de suis proprietatibus. Unde etiam, porrò mala est illatio. Id enim solùm sequitur: Accidens non esse substantiam quia Accidens est affectio substantiæ. Tertiò Respondeo: Accidens non esse adæquatum attributum substantiæ. Sunt enim aliqua attributa communia, veluti quòd sunt vera & bona, & indivisa & perfecta Entia. Et ex his communibus attributis indicatur, etiam communem ista habere essentiam. Proinde hinc etiam apparet, in Metaphysicis superius debere esse subjectum, quàm sit substantia, de quo istæ affectiones demonstrentur. Et sic deinceps, accidens in Metaphysicis, non ut affectio, sed ut species subjecti istius, non minus ac substantia, consideretur. 90.

PUNCTUM V.

In quo ad quintam opinionem objectionum solutio continetur.

Quinta opinio dicebat: Metaphysicæ subjectum esse Ens divisum in decem Prædicamenta. Hæc suadetur inde, quòd Aristoteles id Ens fecit subjectum Metaph. sicæ, quod postea divisit in substantiam & Accidens. Hæc autem divisio Entis constituit Prædicamenta. 91.

Respondeo: Ens dividi in substantiam & Accidens: non tamen primò: sed per subdivisionem. Diviso, inquam, Ente in finitum & infinitum. Omne Ens finitum deinceps est substantia vel accidens, & sic in aliis. De hac autem intentione loquor, si per divisionem istam constituere velimus Prædicamenta; eáque intelligamus de iis, quæ in prædicamentis collocantur per se. Ita enim intelligi ista debent. Sed hæc clariora erunt ex dicendis de adæquatione istius divisionis ad ens, de qua est *lib. 2. cap. 1.* 92.

ARTICULUS III.

In quo referuntur & refutantur illi, qui in constitutione subjecti Metaphysici in excessu peccant.

Tales sunt 1. Qui subjectum Metaphysicæ dicunt esse Ens in tanta latitudine, ut comprehendat sub se Ens reale & rationis; Ens positivum & privativum; Ens per se & Ens per accidens. Et ad hunc modum subjectum Metaphysicæ constituit Timplerus *lib. 1. Metaph. cap. 1.* 93.

94. II. Tales, hoc est, in excessu peccantes, sunt, qui subjectum Metaphysicæ sic constituunt, ut indicent, Metaphysicum debere ad specialissima quæque progredi: Ut subjectum Metaphysicæ sit omne intelligibile, quicquid sub ullam scientiam cadere potest. Et ita tenuit Ægid. 1. *Metaphysic. qu.* 22. & Antonius Mirandulanus *lib.* 13. *de everss. singul. certam sect.* 6. 7. Ubi consequenter disputat: omnes illas disciplinas esse partes Metaphysicæ sicut doctrina de cœlo aut homine, est Pars Physicæ, ut singulæ partes illæ integrent Metaphysicam tanquam totum.

Refutantur relatæ opiniones.

95. *Scientiæ subjectum non debet esse æquivocum ad sua inferiora.* NEutra tamen illarum opinionum potest subsistere; Nam subjectum scientiæ debet esse unum. Ab ejus enim Unitate sumitur unitas scientiæ. At Ens, in ordine ad istam rerum farraginem, non est aliquid Unum, sed dicitur de illis æquivoce, vel per analogiam proportionis, quæ sub æquivocationem reducitur Æquivocum enim non est Unum quid, sed multa. Et proinde si alicujus scientiæ objectum, ad sibi subjecta, esset æquivocum, non esset scientia, sed scientiæ. At quæ hinc absolutè sequitur, quòd nulla prorsus scientia possit agere de Ente in ea generalitate, ut comprehendat sub se & Ens reale & rationis & cætera priùs enumerata.

96. *Ens in ista latitudine ad Ens reale & rationis, &c. esse æquivocum.* Quòd autem Ens dicatur de istis æquivocè, facilè patet. Nam Ens rationis & reale, positivum & privativum, per se & per Accidens non conveniunt nisi in nomine Entis, non autem in ejus definitione. Et hinc Entia rationis non tam sunt, quàm finguntur esse. Et Entia privativa non dicunt Entitatem sed defectum Entitatis. Et ens per accidens non est ens, sed entia, ex quibus clarè apparet æquivocatio. Plenius erit de entibus rationis infrà *hoc lib. cap. ult. n.* 3. *seqq.*

97. *Quo sensu dicat Aristoteles, de eo, quod est per accidens, non esse scientiam.* De ente per Accidens frequenter allegari solet, quod Aristot. 6. *Metaph.* Ens per accidens excludit à scientia Placet tamen aliquibus Auctoribus, non ibi Aristotelem loqui de eo, quod est per accidens in ratione Unius, sive de eo quod est ens per aggregationem, sed loqui de eo, quòd per accidens est ratione causæ. Vide Colleg. Conimbr. *ad* 1 *post. c.* 10. *q.* 2. *a.* 1. Nam inprimis omnes scientiæ subalternatæ agunt de ente per accidens, hoc est, tali ente, quod sit ex pluribus aggregatum. Sed de sensu verborum istorum Aristotelis vide plenius infrà *lib.* 2. *cap.* 7. *tit.* 5. *articul.* 2. §. *Nunc ad objectiones.*

98. Quòd autem (quæ altera erat opinio) subjectum Metaphysicæ non debeat constitui, ut liceat Metaphysico descendere ad qua suis particulares rationes essendi, liquidum est ex absurdo consequenti, quia scilicet inde sequitur, omnes alias Philosophiæ partes esse partes Metaphysicæ, & proinde Metaphysicam & Philosophiam esse æquipollentia: quæ omnia pugnant contra communem modum loquendi, à quo cur recedere oporteat, nulla apparet ratio valida. Taceo jam diversitatem in modo procedendi, quæ omninò prohibet, omnes disciplinas in unum quasi chaos commiscere, vel potius confundi. Prolixè agit hac de re Suarez. *disp.* 1 *Metaph. s.* 2. *nu.* 2. *& seqq.* Peret. *lib.* 1. *de Philos. cap.* 8. Fons. *lib.* 1. *Metaph. cap.* 2. *qu.* 1. *aliique.*

ARTICULUS IV.

In quo solvuntur argumenta priori articulo contraria.

99. DUorum generum objectiones hìc solvendæ sunt, *primùm* istæ, quibus contenditur subjectum Metaphysicæ debere comprehendere Ens reale & rationis & cætera: *Deinde* istæ quibus contenditur, Metaphysicam debere tractare particularium de quovis scibili.

PUN-

PUNCTUM I.

De objectionibus, quòd Metaphysica subjectum debeat comprehendere Entia rationis & per Accidens.

OBjicitur *primò* pro priori opinione. Metaphysicum optimè agere de Entibus rationis, Negationibus & Ente per accidens. Oportet igitur ut ea etiam sub illius objecto contineantur. Oportet igitur consequenter Ens amplissimè sumi, ut complectatur etiam ista omnia Entia. 100.

Respondeo admittendo antecedens, cum distinctione tamen. Nempe Metaphysica debet agere de istis Entibus, sed non per se & directè sed indirectè, ad eum modum, quo Physici agunt de tenebris, στερήσει, Cæcitate & aliis, prout id de Entibus rationis specialius disputabitur infrà dicto *cap.* 28. hujus libri. Porrò quæ in disciplina aliqua solùm traduntur indirectè & per quandam ἀναγωγὴν ad ea comprehendenda non debet extendi constitutio subjecti. 101.

Dices: ergo dabitur alia aliqua scientia, quæ de iis per se agat? *Respondeo* negando consequentiam; Non enim illicò, quæ in una scientia tractantur per accidens & quasi eventualiter & indirectè, in alia tractantur per se. Fieri enim potest, ut non sint Entia per se. Unde consequens est, ut etiam non sint intelligibilia per se, & rursus ut non sint scibilia per se. Nam scientia commensuratur naturali intellectioni: Intellectio autem rebus. Atque hinc talia Entia in nulla scientia per se considerari debent. In Physicis indirectè agitur de tenebris, quatenus illæ removent lumen, quod cùm sit positiva affectio, per se in Physicis tractatur & directè. At nulla disciplina agit de tenebris per se. Sic etiam est de prius memoratis. 102. *Instantia. Quod in una scientia per accidens tractatur, non necessariò in alia tractatur per se.*

PUNCTUM II.

De Objectionibus, quòd Metaphysica debeat descendere ad quæsita particularia.

DEinde pro altera opinione inprimis objici solet quod Aristot. *lib. 4. Metaph. t. 2.* ait: *Unam scientiam speculari Ens, in quantum Ens & species ejus & species specierum.* Quibus verbis videtur indicare Aristoteles, quòd Ens debeat considerari à Metaphysica & minutissimæ species, quæ sunt sub Ente. Accedit, quod dicit Arist. 1. *post. t. 23. Ejusdem scientiæ est, considerare partes & totum.* At species utique partes sunt generis. Ergo ubi de genere agitur, agetur etiam de specie. Ergo ubi de substantia agitur, agetur etiam de substantia corporea & iterum eodem argumento, ubi agitur de substantia corporea ibi agetur etiam de Igne, Aqua Cœlo, Homine, &c. Nam hæc omnia sunt species corporum. Atque ita omnia redigerentur in unam disciplinam. 103.

Ad *primum* horum respondeo: sensum illius propositionis ambiguum esse, optimè autem intelligetur, si cum Græcè audiamus: τῶν ὄντων ἔστι θεωρῆσαι, φύσις ὄντος ἐπιστήμης τῷ γένει τὰ ἐν εἴδη πάντ' εἰδῶν. Hoc est, *Entis quæ species (sunt) contemplari, unius est scientiæ genere, & species specierum.* Hic inprimis scitu dignum est, Græcos pro adjectivis frequenter uti substantivis cum periphrasi aliqua. Ergo sic ἑνιαία τῷ γένει dicunt, pro ἑνιαία γενικὴ. Hactenus igitur Unius *generalis* disciplinæ est contemplari species Entis. Jam sequitur: *Et species specierum.* Hæc verba possunt vel ad Ens solum referri, vel divisim ad Ens & scientiam. Prior sensus est quòd species specierum Entis debeant διαφορὰς in illa ἑνιαίαν γενικὴν. Sed hic sensus pugnat contra receptam scientiarum partitionem & ipsum Arist. qui in proximè præcedenti textu 1. secus loquitur, satis clarè discernens scientias: 104. *Explicatur textus Aristotelis: Entis quæ species contemplari, est unius scientiæ genere, & species specierum.*

Nulla scientiarum inquit *de Ente, quatenus Ens est considerat, sed aliquam partem abscindunt & de ea speculantur.*

105. Alter igitur sensus accipiendus est, quòd voces hæc (*species specierum* intelligantur divisim ad Ens & ad scientiam. Nempe unius scientiæ generalis est contemplari species Entis; & specierum, h. e. specialium scientiarum, contemplari species ipsius Entis; subintelligè ulteriores. Et hoc modo interpretatur Aristotelem Fons. *lib. 4. Metaph. c. 2. ad d. 1. 2. lit. b.* & Suarez *disp. 1. Metaph. s. 2. nu. 21.* Et ad hunc modum non juvatur Mirandulanus ex isto loco Aristotelis, sed potius confirmatur inde distinctio scientiarum.

106. *Quomodo ejusdem scientiæ sit considerare partes & totum.* De altero loco Aristotelis prolixius dixi, *in lib. sent. Exerc. 16. Axiom. 5.* Nunc si per totum & partes intelligamus totum genericum & ei subjectas species, Dico: Ubi agitur de toto, h. e. genere; ibi agitur etiam de partibus, h. e. speciebus, saltem implicitè & confusè. Genus enim habet identitatem ad species. Unde qui agit de animali, agit etiam implicitè de homine & bestia. Et consequenter, qui agit de substantia agit etiam de Cœlo, Igne, Aqua, implicitè inquam & confusè. Explicitè tamen et distinctè exteræ disciplinæ subsequentes, possunt agere de specie. Ad scientiam enim non satis est rem confusè nosse. *Confer* Suarez. *d. l. nu. 11.* & Zabar. *l. lib. 2. de nat. Log. cap. 3.*

ARTICULUS V.

In quo proponitur sententia propria de subjecto Metaphysicæ.

107. APprobo hac in parte sententiam Aristotelis, qui subjectum Metaphysicæ facit *Ens, quâ Ens* est. Ex quo etiam eam definit *lib. 4. Metaphys. cap. 1.* ubi ait, eam esse scientiam, *quæ speculatur Ens quâ Ens est & quæ ei per se insunt.* Hanc sententiam Interpp. fere communiter ibi acceptant, quibus aide Comment. *lib. 3. Comment. 14. & lib. 12 Comment. 1.* Soncinas. *4. Met. q. 10.* Avicennam *lib. 1. Met. c. 1.* Ægid. *lib. 1. q. 5.* Fons. *lib. 4. Met. q. 1.* Suar. *disp. 1. Metaph. sect. 1. num. 24 seq.* Clar. ss. Jar. Martin. *in disp. Metaph. disp. 1. q. 15. ut & in exercitationibus.* Aliique plurimi ita sentiunt.

Igitur Ens, qua Ens est, esto subjectum Metaphysicæ. Hoc prius explico.

108. *Ens quomodo sumatur in constitutione subjecti Metaphysici.* Ens in præsenti sumitur, juxta famosius et principalius suum significatum. Analoga enim per se posita stant pro suo significato famosiori, ut vulgaris habet regula. Proinde de quocunque dicitur Ens per posteriùs sive æquivocè et transsumptâ ad id appellatione Entis, ob aliquam similitudinem cum ipso, id nunc voce Entis non venit. Atque ita per Ens in præsenti, intelligitur Ens reale et positivum, quodque non per aggregationem sed per se Unum est. Nam Ens rationis et negationes et entia per accidens, non sunt nisi æquivocè entia, ut suprà dictum est. Indèque ista non magis efficiunt hujus subjecti constitutionem, quàm si subjectum Physicæ dicam esse corpus naturale, vel homines, non curatis illis, qui sunt sculpti aut picti aut mortui homines. Hi enim non sunt homines nisi æquivocè. Atque hoc diligenter notandum est.

109. De particula, *Quatenus*, etiam controversia est, quomodo ea accipi debeat. Igitur inprimis animadvertendum est quod particula *quatenus* sumatur bifariam, reduplicativè & specificativè: Sed non eodem modo explicamus hæc distinctio. Matthias Aquarius *in disput. de subjecto Metaphysicæ* ait, particulam *quatenus reduplicativè* sumi, quando reduplicat subjectum propositionis, ut *homo, quâ homo* (est risibilis,) *specificativè* autem ait sumi, cùm per particulam illam subjecto propositionis apponitur quasi nova species. Ut *homo quatenus habens aures* (audit) *Homo quatenus habens pedes* (ambulat) *Homo quatenus est animal* (sentit.) Juxta hanc igitur interpretationem particula *quatenus* in præsenti reduplicativè sumitur. Sed hæc expositio non admodum est ad propositum, & per se est

Quid sit quatenus specificativè & reduplicativè.

evidens

videns, quod ibi τὸ quatenus reduplicativè sumatur, atque inde juxta hunc sensum nullâ opus fuisset quæstione.

Alii igitur aliter explicant dictam distinctionem, ut videre est apud Scotum 110.
4. *Metaphysic. cap.* 1. & Ant. Andr. 1. *Metaphys. quæst.* 1. Et Arnisæum *in Logic. Crellii. lib.* 1. *de demonst. cap.* 2. *lit. E. pag.* 586. 587. Illi igitur, ad utrumque modum, loquuntur de quatenus, prout reduplicat subjectum propositionis. Quando igitur reduplicat subjectum propositionis, non semper tamen sumitur eodem modo. Igitur illi dicunt τὸ quatenus *reduplicativè* sumi, quando significat prædicatum convenire subjecto per propriam ipsius essentiam. Ut *homo quatenus homo, est risibilis*: homo, inquam, quatenus homo, hoc est, secundum & per propriam suam essentiam est risibilis. *Specificativè* autem sumitur τὸ quatenus, quando non significat causam inhærentiæ prædicati ad subjectum, sed solùm determinat speciem, cui aliquid tribuitur, veluti: *homo, quâ homo, est albus*, hoc est, (specificativè sumendo vocem quatenus) ea res vel illa species, quæ homo dicitur, est alba, ut maximè albedo non conveniat homini per propriam essentiam. Atque ita, (ut discrimen istarum diversarum acceptionum in voce *quatenus* appareat) illa propositio: *Homo quâ homo est albus*, est vera, accipiendo τὸ quatenus specificativè; falsa autem est, accipiendo τὸ quatenus reduplicativè.

His positis dico, τὸ quatenus in præsenti non sumi specificativè sed reduplicativè. Nempe Ens, quatenus Ens est, est subjectum Metaphysicæ, non hoc sensu, quasi subjectum Metaphysicæ sit Ens, quatenus Ens, hoc est, ea res quæ dicitur Ens: Id enim procederet, si vel maximè practicè Metaphysica versaretur circa Ens. Igitur subjectum Metaphysicæ est Ens, qua Ens, hoc est, secundùm propriam suam essentiam spectatum. Debet igitur Metaphysica occupari in cognoscendo ente, in quantum tale est, hoc est, in investiganda & contemplanda, adeóque scientificè tractanda, ipsa entis essentia. Atque ita τὸ quatenus hic reduplicativè intelligitur. 111. *Metaphys. agit de Ente, quatenus Ens est, reduplicativè.*

ARTICULUS VI.

Proponuntur & solvuntur objectiones.

Dubio sunt, quæ frequenter huic sententiæ sic declaratæ objici solent. 112.

Primum est: si Metaphysicæ subjectum sit Ens, quâ Ens est, tum *Metaphysica* non licere descendere ad inferiora, sed solùm debere subsistere in generali contemplatione entis. Unde consequens est, quod non debeat agere de substantia, quatenus substantia est, aut de Finito, quatenus finitum est, &c. hoc est, secundum proprias quidditates istorum, sed solùm in quantum sub generali conceptu Entis continentur. At hæc omnia manifestè impugnant totum Systema Metaphysicæ, in quo frequenter agitur de Entibus, sub propriis & privatis ipsorum quidditatibus. 113.

Alterum est: quod Ens quatenus Ens est, non satis coerceat Metaphysicam. Et tamen subjectum debet finire & limitare scientiam. Antecedens patet. Nam cœlum, verbi gratia & homo, & animal, & argentum sunt Entia, & proinde sub objecto Metaphysicæ continentur, & tamen non considerantur in *Metaphysicis*. Imò non minus sunt Entia ac Angeli, & tamen hi ibi tractantur, illa non.

Solutiones objectionum.

AD *primam objectionem* respondeo: cùm Ens qua Ens dicitur subjectum Metaphysicæ, non habere hunc sensum, quasi Metaphysicus solum debeat Ens considerare in communi & generali conceptu, sed quod debeat considerare Ens, non secundum aliquid extrinsecum, sed secundum propriam essentiam vel quidditatem ejus. Unde nullo modo hinc prohibetur, quo minus Metaphysica agere 114. *Denominatio Entis, qua Ens est, non inhibet*

specialem considerationem.

possit particulari de determinatis modis vel rationibus essendi. Simile est, quòd Physicæ objectum dicitur esse corpus naturale, quâ tale est. Hujus sensus non est, quod Physicus debeat solum versari in corpore naturali, juxta ejus generalem & communem conceptum, sed quòd debeat corpora naturalia considerare non secundùm aliquid extrinsecum (veluti hominem, secundum quod beandus est, aut curandus, aut mensurandus) sed secundum propriam singulorum essentiam. Unde etsi ejus subjectum sit corpus naturale, quâ tale est, nihilominus potest descendere ad particulares essentias corporum, veluti cœli, Hominis & aliorum. Idem igitur est etiam in Metaphysica.

115. *Subjectum limitat scientiam, non solùm, sed juncta abstractione.*

Ad *alteram* objectionem respondeo: Officium coercendi vel limitandi disciplinam, non petit ex solo subjecto, sed ex subjecto, adjunctâ abstractione cuique disciplinæ propriâ. Ita similiter evidenter patet ex Physicis. Physicæ subjectum est corpus naturale. Sub hoc naturali corpore continentur etiam Individua, veluti Petrus, Paulus, Johannes, idque non minus, ac animal, equus, Homo, & alia universalia. Nihilominus hæc sola ibi tractantur, non illa. Cur hoc? Alia ratio non est, quàm quia Physica abstrahit à materia signata. Unde cùm singularia corpora sint materiæ signatæ immersa; (Sola enim universalia sunt ab ea abstracta.) Idcò de his solis speculatur Physica, dimissâ consideratione illâ singularium, etsi utrinque illa Entia participent de subjecto Physicæ. Ad eundum igitur modum, etsi & corpora & spiritus & alia sint Entia, adeoque sub subjecto Metaphysicæ contineantur, non tamen ista æquè ibi tractantur ac hæc. Cur hoc? quia Metaphysica requirit abstractionem à materia ad subjectum suum, ut suprà visum est. Corpora autem illam abstractionem sibi vendicare non possunt.

TITULUS V.

DE OFFICIIS SIVE MUNERIBUS Metaphysicæ.

116. Sub hoc titulo de duobus agendum est. *Primò* percensenda sunt illa munera Metaphysicæ. Deinde agendum est de subalternatione scientiarum, ad Metaphysicam.

ARTICULUS I.

In quo enumerantur munera Metaphysicæ sive officia.

117. *Metaphysica perficit & purificat intellectum.*

Munera & officia Metaphysicæ varia sunt; *Primum est*, quod Metaphysica perficit ac purificat intellectum nostrum, in intellectione rerum maximè universalium. Nempe naturaliter & quivis ferè rusticus, potest aliquo modo intueri, omnes res esse aliquid, & non prorsus nihil, hoc est, esse Entia, & specialiter, potest aliquid scire de natura & conditionibus Entis finiti sive creati, & sic in aliis. Ut igitur hæc & similia distinctissimè & perfectissimè quoad fieri potest, intellectus noster intelligat, juvatur ab habitu Metaphysico, sive scientia Metaphysica. Atque hoc sumitur ex generali conditione habituum. Omnes enim habitus ordinantur ad hoc, ut perficiant naturales potentias & actus. Sic igitur Metaphysica scientia perficit illam naturalem intellectionem, quæ refertur ad conceptus universalissimos.

118. Atque hoc etiam consequenter dicendum est de illis, quæ particulatim sub ipsius Subjecto continentur. Nempe officium Metaphysicæ est, ut juvet & perficiat intellectum nostrum, in cognitione naturali, quam habemus de Deo, de Angelis, de Anima, de Quantitate, Qualitate, rerum durationibus, & quæ sunt alia, quæ sub subjecto hujus disciplinæ contenta sunt.

119. *Metaphysicæ.*

Atque ex hoc Metaphysicæ munere, quo fungitur in declaratione istorum universalissimorum terminorum, patet multiplex ejus utilitas & necessitas ad omnes

omnes alias scientias. Nam omnes aliæ scientiæ agunt particulatim, de hoc vel isto Ente, ut Aristot. docet 4. *Metaph. c. 1.* Non potest autem hoc vel illud Ens cognosci, nisi dependenter ad cognitionem Entis simpliciter. Sicut non potest cognosci distinctè homo, nisi cognito animali, & animal nisi cognito corpore: ita non potest cognosci distinctè ullum Ens in particulari, nisi cognito Ente, usque quæ ad ipsum pertinent, in genere, ut interim taceam, quod termini illi propter universalitatem suam frequentissimè soleant admiceri specialibus materiis, veluti cùm quæritur: An peccatum originis sit *Substantia*? An *distinctio* inter personas Deitatis sit *modalis*? An Sacramenta sint *signa*? & quæ sunt infinita alia.

utilitas, & necessitas, ad alias scientias.

120. *Secundum munus Metaphysicæ, tradere prima principia.*

Secundum munus Metaphysicæ est, confirmare & demonstrare prima principia. Hoc officium Aristoteles Metaphysicæ tribuit, 4. *Met. ph. c. 3. & 1. post. c. 7. & 1. Phys. c. 1.* Exequitur autem id variis modis, ut præ aliis eleganter docet Suaretz *disp. 1. s. 4. n. 17.* Primùm id facit diligenter declarando terminos illos, ex quibus prima principia constant. Traditur enim in hac scientia, quid sit Ens, essentia, actus, potestas, totum, pars, aliáque, ex quibus illa prima principia conficiuntur. Ad primorum autem principiorum notitiam nihil ferè magis facere potest, quàm si termini rectè intelligantur. Sunt enim per se nota, modò à terminis absit obscuritas, et recta adsit illorum notitia. Deinde facit id Metaphysicus potissimum confirmando ea per deductionem ad absurdum, quod fit, si ejus oppositum involvat aliquid esse vel non esse. Impossibile enim est de eodem affirmare & negare idem. Sed hæc de re etiam plura *seq. capite.*

121. *Quomodo Metaphysica confirmet particularium scientiarum principia?*

Solet & dici, quòd Metaphysica confirmet & demonstret aliarum scientiarum particularium principia. Sumitúrque ex Arist. 1. *Phys. c. 2. t. 8. & 1. post. c. 7. t. 23.* & Averroe *l. 3. de cæl. comm. 4.* Verùm id non facit, ut *d. l.* Suaretz persequitur, proximè & immediatè attingendo principia istarum scientiarum, sed facit id, vel quatenus opus est generalibus terminis, ad proprias definitiones tradendas, & proprios terminos explicandos, vel etiam, quatenus in eis generales vel transcendentales habitudines includuntur, sine quarum cognitione, non potest aliqua ratio seu quidditas alicujus rei in particulari explicari; vel etiam, cùm ex generalibus suis principiis formet deductiones ad absurdum, pro astruenda veritate principiorum, quæ sumuntur inferioribus disciplinis. Confer Peter. *l. 3. de Phis. c. 25. & l. 4. de antiq. Phil. c. 11.*

122. *Unde probentur Principia Metaphysicæ si negentur.*

Sed quid si ipsi Metaphysicæ negentur sua principia, quis tunc ea defendet vel probabit? Si enim hoc facere potest ipsa Metaphysica cur non possunt idem facere disciplinæ aliæ, ut istâ precariâ quali & emendicatâ aliunde, principiorum probatione opus non sit?

123

Respondeo, præeunte Peretio *dicto l. 4. de antiq. Phil. cap. 11.* Qui negat principia scientiæ particularis, fieri potest, ut nihil penitus concedat eorum, quæ ipsi scientiæ subjiciuntur, ex quo fit ut nihil ei reliquum faciat, quò principia sua tueri possit. Qui autem negat principia Metaphysicæ, vel is concedit aliquid vel nihil. Si nihil, non erit cum eo disputandum. Omnis enim disputatio est ex aliquibus positis & concessis. Sin verò aliquid concedat quicquid sit, hoc ipsum aliquo modo attingit jus Metaphysicæ, utpote quæ agit de Ente, ut Ens est, cui subjiciuntur omnia, quæcunque sunt in rebus. Proinde Metaphysicus ex iis quæ ab adversario ponuntur & concediuntur, principia sua confirmare & adversarium redarguere potest. Ad quem modum & Arist. 4. *Met.* generalissima principia multis modis declarare probare contendit Confer Thom. 1. *quæst. 2. artic. 8.*

124. *Tertiò: Metaphysica scientiis inferioribus subjecta præscribit.*

Tertium principale munus Metaphysicæ est: disciplinis particularibus præscribere subjecta, & si opus sit, ea demonstrare, Ita tradit Averroës 3 *de cæl. comm. 4.* Et quoad præscriptionem objecti, inprimis scendum est, id non fieri modo Practico, quasi scil. Metaphysica jubeat hoc aut illud, ab hac vel illa scientia tractari. Sed id facit prorsus speculativè, dum scilicet Ens partitur ad determinationes species vel modos essendi. In his partitionibus progreditur eo usq; donec ostendat aliquid

præscribit. quid, quòd ipsa tractare non possit. Hoc igitur dimittit, & quia nihilominus illud est aliquid per se scibile, oportet, ut ejus scientificam cognitionem persequatur alia aliqua scientia. Et sic tali scientiæ, quæ sibi præscindit istud subjectum, censetur Metaphysica id præscripsisse. Veluti Metaphysica dividit Ens in substantiam & Accidens. Iterum substantiam dividit in corpus & spiritum. Hic offendit corpus, quod descendat intra abstractionem Metaphysicam. Non potest igitur id scientificè tractare. Ergo id dimittit. Hic ergo ubi Metaphysicus desinit, incipit Physicus, & accipit illud subjectum sibi à Metaphysico relictum. Hactenus igitur Metaphysica Physicæ subjectum præscripsit. Idem est, si sub accidente descendatur ad quantitatem. Ita enim præscribetur subjectum Mathesi.

125. Atque ex his etiam patet, quod Metaphysicus præscribendo subjecta scientiis particularibus, non agat quicquam contra abstractionem huic disciplinæ propriam. Neque enim attingit particularium scientiarum objecta, in ista præscriptione, scientificè ea tractando, sive cognoscendo, hoc est, earum naturas & affectiones considerando & demonstrando, sed solùm præcognoscendo. Consistitque ista præcognitio non in cognitione quidditativa, sed in his duobus. *Primò* ut cognoscatur quid nominis: *Deinde* ut teneatur, An sit id, quod portò inferiori scientiæ relinquitur, ut ex Arist. docet inprimis Zabarel. *lib. de scrib. præcogn. cap. 2. & l. 1. de Nat. Logic. c. 15. & l. de Nat. scient. constitut. c. 2.*

Quid sit præcognitio subjecti

126. *Metaphysica quomodo demonstrat objecta particularium scientiarum.*

Atque ex hoc etiam sequitur munus alterum, quòd Metaphysica circa subjecta scientiarum particularium exercebat, nempe, quòd earum subjecta demonstret. Dictum enim est, quòd Præcognitio, quæ ad subjecti præscriptionem requiritur, contineat notitiam *rei* an sit. Igitur subjecta ista demonstrat, quod sint, locando ea in gradibus Entium, sive sub Ente accipiendo ista particularia subjecta. Atque hinc etiam ad probandum, quòd ea sint, contra refractarium disputatorem uti potest suis generalibus indiciis, quibus essentiam declarat Metaphysicus, veluti quod tale quid non involvat in quidditate ea, quæ ei tribuitur, repugnantiam, vel quod ab ea proveniant actus positivi, & quæ sunt indicia alia.

127. *Quæstio de modis sciendi.*

Solet & inquiri: *An munus Metaphysicæ sit tradere modos sciendi, hoc est doctrinam definiendi, distribuendi?* Sed hac de re, quod scil. id munus huic scientiæ non congruat, satis egi in Topicis *cap. 29. n. 2. seqquabi vide.*

128. Id pro Coronide sub hoc titulo inquirendum est: *An Metaphysica subalternet sibi particulares scientias?* Id enim si esset, ex hoc speciale munus Metaphysicæ obtingeret.

ARTICULUS. II.

An scientiæ particulares subalternentur Metaphysicæ?

129. IN hoc articulo videndum est de duobus punctis. *Primò* generatim aliquid constituendum est de subalternatione scientiarum. *Deinde* magis ad propositum deveniendum.

PUNCTUM. I.

In quo constituuntur conditiones ad subalternationem requisitæ.

130. *Vox subalternatis exponitur.*

SUbalternatio scientiarum ex vi vocis ea est, secundum quam scientia una est *sub altera.* Atque hinc subalternata scientia ambiguè dicitur. Solentque frequenter notare Doctores, quòd generatim loquendo de subordinatione scientiarum possit ea in tribus attendi, nempè in subordinatione finium, principiorum, & subjectorum.

131. *Subordinatæ disciplinæ*

Subordinatæ disciplinæ *ratione finium* dicuntur, quando unius finis refertur ad finem alterius. Ita Ars frænefactoria & equestris sunt Artes subordinatæ. Nam finis frenefactoriæ ordinatur ad equestrem.

Ratione

Ratione principiorum autem dicuntur subordinatæ, quando, quod in una disciplina concluso est, in alia inferiori est principium. *ne ratione finium.*

Ratione subjectorum autem subordinatæ sunt, quando Vnius subiectum sumitur sub subiecto alterius. Idque potest esse bifariam *uno* modo, ut subiectum inferioris scientiæ, sit quasi species subjecti illius, quod subjectum est in scientia superiori, quomodo scientia de homine subordinatur scientiæ de animali. *Altero* modo, ut disciplina inferior retineat subjectum scientiæ superioris, addat tamen ei differentiam accidentalem, quomodo Optica, quæ de linea visibili agit subordinatur Geometriæ, quæ agit de linea: Et Musica, quæ de numero sonoro agit, dinatur Arithmeticæ, quæ agit de numero: Et Medicina, quæ de homine sanabili agit, subordinatur Physicæ, quæ agit de homine. In his enim omnibus sumitur subjectum scientiæ superioris ad inferiorem, cum additione alicujus accidentalis differentiæ. 132. *Ratione principiorum.* 133. *Ratione subjectorum.*

Atque hoc posterius genus subalternationis speciatim retinuit nomen subalternationis. Hic enim est maxima dependentia disciplinæ inferioris ad superiorem. Ad hanc autem dependentiam insinuandam institutum atque impositum est nomen subalternatæ scientiæ. 134.

Cæterùm conditiones ad istam rigorosè dictam subalternationem, aliqui tres, aliqui duas ponunt. Ut videre est apud Thom. 1. *post. lect.* 35. & *opusc.* 42. *c.* 14. Hervæum, *quæst.* 6. *Prolog.* Bonau. *quæst.* 2. *Prolog* Zabar. *l. de trib. præcog. cap.* 12. Suaretz *disp.* 1. *Metaph. s.* 5. *num.* 49. Colleg. Coninib. 1. *post. c.* 10. *q.* 2. *a.* 1. Perer. *l.* 1. *de Phil. c.* 13, 14, 15. Et Interpp. *ad* 1. *post. c.* 7 *s.* 20. & *cap.* 10. *s.* 30. aliósque. Colligam omnes in summam. 135.

Primò ad subalternationem requiritur, *ut sint duæ scientiæ*. Ideoque subalternatio non est de qua nunc sermo est, si maximè pars una ab alia in eadem scientia quandoque penderet. Hanc conditionem attigit etiam Suaretz *d. l. n.* 47. 136. *Subalternatio requirit duas scientias.*

Deinde: *Illæ duæ scientiæ non debent esse oppositæ sed subordinatæ*, hoc est, una debet esse superior, alia inferior. Ita sumitur ex ipso nomine subalternationis. Superior scientia dicitur *subalternans*. Inferior dicitur *subalternata*. Quanquam & conjunctim dicuntur subalternatæ scientiæ, quæ istiusmodi sunt, quia scilicet una illarum est sub altera. 137. *Easque non oppositæ.*

Tertio: *Subjectum inferioris debet contineri sub subjecto superioris scientiæ*. Et in hoc hæc subalternatio deviat ab ea, quæ est secundum subordinationem finium. Quæ enim subordinationem habent ratione finium, non necessariò etiam habent subordinationem subjectorum, quam nunc ad disciplinarum subalternationem rigorosè dictam requiro. Ratio autem, cur rigorosior subalternatio fiat in subjectis quàm in finibus, inde est, quod in scientia potior ratio est subjecti quàm finis. Indeque in scientia sumitur à subjecto & unitas & distinctio. Hinc igitur ubi dependentia est, in disciplinis quoad subjectum, fortior & arctior ea est, quàm si sit penes fines scientiarum. Loquor autem de subjecto scientiæ inferioris adæquatè & secundum omne quod implicat. Nam si seorsim loquamur de re considerata in isto subjecto, jam non debet sub subjecto superioris scientiæ *contineri*, sed debet illud ipsum *resumere*. Quod tamen non necessariò intelligitur de totali subjecto scientiæ superioris, sed sufficit, si aliquam illius particulam præscindat. Neque enim Optica assumit quantitatem continuam in communi, sed tantum lineam. Nec Medicina assumit omne corpus naturale, sed tantum hominem, & sic in aliis etiam potest esse satis, si pars subjecti de scientia subalternante accipiatur ad scientiam subalternatam. Atque ex defectu hujus conditionis Chirurgia non subalternatur Geometriæ etsi principium aliquod Chirurgia ex Geometria sumat, veluti de curatione vulnerum orbicularium. Neque enim Chirurgiæ subjectum (corpus sanabile) continetur sub quantitate continua. 138. *Subjectum inferioris debet contineri in subjecto scientiæ superioris.* *Cur in Disciplinis major sit dependentia ratione subjectorum, quàm ratione finium.*

Quartò: *Scientia subalternata debet subjecto scientiæ subalternantis addere differentiam accidentalem*. Accidentalem autem differentiam dicimus, quæ non est essen- 139. *Qualis differentia*

Scientia debeat addi à scientia subalternata?

tiali. Ideoque non debet illa differentia addita esse per modum differentiæ specificæ. Nec debet etiam esse per modum passionis sive affectionis essentialis. Atque ita animal, & animal rationale non possunt facere subalternatas scientias, quia rationale non est differentia accidentalis sed specifica. Rursus: Corpus & corpus mobile vel quantum, non possunt constituere subalternatas scientias. Nam mobilitas & quantitas non sunt in corpore per modum differentiarum accidentalium, sed per modum proprietatum sive essentialium affectionum.

110. *Cur differentia addita debeat esse accidentalis?*

Cur autem talis differentiæ additio requiratur ad rigorosam hanc subalternationem, explicant non malè Conimb. 1. *post. c.* 10. *q.* 2. *art.* 1. Dicam dilucidius. In primis ad subalternationem requiritur aliqua distinctio (juxta dicta in prima conditione) et etiam aliqua identitas, vel convenientia. Hæc autem non procedunt, si vel essentialis contractio sit, vel affectio propria addatur ad subjectum. Nam cum affectio propria additur ad subjectum, sistitur inter eandem disciplinam. Uniuscujusque enim scientiæ est demonstrare affectiones proprias de suo subjecto. Proinde hinc non possunt effici diversæ disciplinæ. Cùm verò est contractio essentialis, hoc est, ad peculiarem speciem, tum similiter non necessariò sunt diversæ disciplinæ. Genus enim et species, plerunque ad eandem disciplinam pertinent. Subalternatio autem semper efficit diversitatem disciplinarum. Evidens igitur est, quod ista habitudo subjectorum, quæ est per modum generis et speciei, inadæquata sit ad faciendam subalternationem. Et quanquam genus et species aliquando diversas disciplinas faciunt (cùm scil. diversitas est in abstractione) tamen absolutè negari non potest, quin major sit disciplinarum dependentia, cùm additur subjecto superioris scientiæ differentia accidentalis, quàm cùm additur differentia specifica Subalternatio autem in scientiis ponitur ad significandam maximam earum ab invicem dependentiam. Unde istis potius relinquendum est nomen scientiæ subalternatæ, quàm his. Antecedens patet. Nam cum additur subjecto superioris scientiæ differentia specifica, constituitur nova species. Datâ autem novâ specie, dantur etiam propria principia, ex quibus demonstrari possint passiones de illa specie. Non opus igitur est ut assumantur aliunde principia et demonstrationes. At cùm accidentalis differentia apponitur subjecto scientiæ superioris, tum non fit nova species, sed solum entia diversorum generum aggregantur, ideoque tales scientiæ sumunt principia et demonstrationes aliunde. Imò non habent proprias demonstrationes ullas, sed solum transumptas ex scientia superiori subalternante. Atque hinc

111. *Quinto*, in scientia subalternata requiritur, *ut utatur principiis demonstrabilibus.* Demonstratio autem ipsa sumitur ex scientia subalternante. Ita Optica cùm aliquid demonstrat de linea visibili, sumit principium et medium demonstrationis ex natura lineæ, quam contemplatur Geometra. Sic etiam cùm Musicus aliquid demonstrat de numero sonoro, facit id assumendo proportionem, quæ est inter numeros, et sic semper aliunde, hoc est, ex subalternante scientia transumit suas probationes.

112. *An subalternata scientia debeat addere differentiam sensilem.*

Solent denique aliqui Doctores addere, quod scientia subalternata debeat addere differentiam, quæ sit *sensibilis*. Ita facit Zab. *l. de trib. præcog: c.* 12 & Kekkerm. *in System: Log:* 511. et alii. Sed revera hæc conditio spuria est, quia ratio subalternationis adæquatè consistit in maxima unius disciplinæ ab alia dependentia. De ea autem dependentia non apparet, quomodo ipsa varietur sive differentia sensilis sit, sive non. Proinde prorsus per accidens est ad rationem subalternatæ scientiæ, an versetur in re sensili, an non. Neque sufficiens indicium hujus rei inde sumi potest, quod disciplinæ illæ Mathematicæ, quæ indubiè sunt subalternatæ, differentiam sensilem addunt. Nequeenim apparet ratio, cur non possit dissimile exemplum dari. Imò secus, id est in Medicina, quæ subalternatur Physicæ doctrinæ de homine, addendo homini sanabilitatem. Sanabilitas tamen non est differentia sensilis. Negat quidem Zabarella ibi subalternationem. Attamen etiam inter has

disciplinas

disciplinas eam admittunt, inter quos est et Suarez. *disp.* 1. *Met. s.* 5. *n.* 46. His ita præmissis propius ad propositum accedo.

PUNCTUM I.

In quo probatur, Metaphysicæ non subalternari alias scientias.

143. IGitur nunc facilè conficitur: Metaphysicæ non subalternari alias scientias. Fiétque id optimè, explicando quod conditiones aliquæ, ad subalternationem requisitæ hic deficiant.

144. *Prima ratio.* Desunt à potissimum duæ. *Prima*, est quod subjecta scientiarum particularium non addunt subjecto Metaphysicæ differentiam accidentalem, sed sumunt quasi speciem sub ipso. *Mathesis* enim sumit sub Ente, descendendo per accidentia, quantitatem. Physica autem sumit sub Ente, descendendo per substantiam, corpus. Quantitas autem et corpus habent se ad Ens per modum specierum. Habitudo autem quæ inter subjecta diversa diversarum scientiarum est per modum generis et speciei, tollit subalternationem, ut prius visum est.

145. *Instantia.* *Dices.* Physicam addere corpori mobilitatem. Corpus enim mobile est subjectum Physicæ. Mobile autem utique est differentia accidentalis. *Resp.* 1. Mobile non est differentia accidentalis, ut ea hic sumitur. Differentia enim accidentalis hæc, non solum opponitur differentiæ specificæ, sed etiam illi differentiæ, quæ est in subjecto per modum proprietatis, ut suprà confirmatum est. Mobilitas autem est affectio propria corporis. Atque ita, si vel maximè Physicæ subjectum esset corpus mobile, nondum tamen Physica subalternaretur Metaphysicæ, ut rectè contra Ægidium id asserentem in *Prin. Phys.* disputat Pererius *l.* 2. *de Phil. natur. c.* 1. *p.* 5. 62. 63. II. Non tam corpus mobile quàm corpus Naturale, seu, corpus quà corpus, aut substantia corporea, quatenus est substantia corporea est subjectum Physicæ. III. Si omnino corpus mobile ponatur subjectum Physicæ, tamen sciendum est, in illa locutione Philosophos non sumere mobile pro passione aliqua, sed potius per id vocabulum idem significare quod Naturale. Atque ita mobile idem est, ac habens principium motus & quietis. Et sic non significat differentiam accidentalem. Vide id iterum apud Pererium *d. l.* 2. *de Phil. Nat. cap.* 1 *p.* 67. *& cap.* 3 *p.* 73. *& p.* 77. ad Nonum. Et adde Zabarellam *de Nat. scient. const. c.* 3.

146. *Secunda ratio.* *Altera* conditio, quæ hic deest ad subalternationem alias requisita, est, quod scientiæ subalternatæ non habent propria principia ex quibus demonstrent, sed demonstrant solùm, principiis petitis ex scientiis subalternantibus. Singulæ autem disciplinæ speculativæ, in ordine ad Metaphysicam de iis loquendo, sua propria et adæquata Principia habent, quibus ad demonstrandum utuntur, quod adeò verum est, ut Aristoteles redarguat eos, qui de rebus Physicis non philosophantur ex causis Physicis 2. *d. cal. c.* 7. *t.* 65. Alia Argumenta mitto.

147. Loquor autem, in hactenus propositis, de rigorosè dicta subalternatione. Si enim mollius vel latiùs loquamur, (intuendo quòd particulares scientiæ præscindant sibi partem aliquam subjecti Metaphysici) aliæ disciplinæ, subalternatæ vel subordinatæ ad ipsam dici possunt. Quomodo boni autores quandoque loqui solent.

148. *Obiectiones*, quæ contra hanc opinionem sunt, partim sunt tactæ, partim autem solent sumi ex insufficienti conditionum, ad subalternationem requisitarum, enumeratione; Partim etiam consistunt in modo loquendi, quod modò latiùs, modò strictius vox subalternationis sumi solet, unde eæ ex dictis et fieri et solvi possunt.

TITULVS. VI.

De Attributis quibuſdam Metaphyſicæ.

149. INter attributa Metaphyſicæ, *Primò* numero ea, quæ ei ex hoc conveniunt, quia ipſa eſt ſapientia. Sunt enim ſapientiæ varia attributa apud Ariſtotelem *lib.* 1. *Metaphyſ. cap.* 2. Deinde etiam agam de Vnitate Metaphyſicæ, ejuſque ab aliis diſtinctione.

ARTICVLVS I.

In quo explicantur attributa ſapientiæ.

1. METaphyſica *ſive ſapientia verſatur in rebus omnibus.* Id facit ipſa, Ens communiſſimè conſiderando, partim etiam agendo de univerſaliſſimis cauſis in quarum poteſtate cætera continentur.

150. *Sapientia eſt de omnibus.*

2. *Metaphyſica ſive ſapientia agit de rebus abſtruſiſſimis.* Ita patet. Nam prima noſtra cognoſcendi ratio eſt à ſenſu. Vnde quò quid eſt à ſenſu remotius, eò cognitu difficilius & abſtruſius. Res autem Metaphyſicæ à ſenſu ſunt remotiſſimæ. Nam vel illæ ſunt prorſus ſpirituales, vel maximè Vniverſales. Senſus autem hæret in corporeis & ſingularibus.

151. *Eſt de abſtruſiſſimis.*

3. *Metaphyſica ſive ſapientia eſt certiſſima.* Ad hanc rem diſtinguendum videtur. Nam certitudo ſcientiæ poteſt ſpectari in duobus. *Primum* in certitudine ſubjecti. *Deinde* in certitudine & evidentia demonſtrationum. Igitur quoad modum poſteriorem frequenter dici ſolet: diſciplinas Mathematicas eſſe certiſſimas. Vtuntur enim demonſtrationibus valde evidentibus. Metaphyſica igitur certiſſima eſt ſolùm, attendendo certitudinem ſubjecti. Verſatur enim partim in rebus maximè Univerſalibus, partim in rebus divinis, quibus omnibus certitudo ſumma convenit, Confer Peter. *l.* 1. *de Philoſ. cap.* 16.

152. *Certitudo ſcientiæ duplex.*

153. *Aptitudo docendi eſt in duobus.*

4. *Metaphyſica ſive ſapientia eſt ad docendum aptiſſima.* Hic advertendum eſt, quod et Suarez. *diſp.* 1. *Metaphyſica ſect.* 5. *n.* 26. monet, quod aptitudo docendi poſſit intelligi in duobus: Primum *quoad modum* et ordinem docendi. Deinde quoad ſubminiſtrationem *rerum.* Quoad priorem modum, Dialectica eſt ad docendum aptiſſima. Ipſa enim agit de noëmatibus illis, quæ pertinent ad modum intelligendi. Vnde et τρόπος ἐπιστήμης, hoc eſt, modus ſciendi vocari ſolet. Metaphyſica igitur ad docendum aptiſſima eſt, quoad rerum ſubminiſtrationem. Quia enim univerſaliſſimos terminos explicat, quæ uſum habent in quibuſvis particularibus materiis, quomodo iſta, ad docendum, aptitudinem non faciat?

154. 5. *Metaphyſica ſive ſapientia per ſe appetitur & cognoſcitur.* Ita relinquitur ex eo, quia Metaphyſica eſt ſpeculativa ſcientia. Generatim enim ratio ſpeculativæ ſcientiæ poſtulat ut per ſe cognoſcatur et appetatur.

155. 6. *Metaphyſica eſt ſcientia nobiliſſima.* Ita patet ex objectorum nobilitate. Agit enim de Deo et de divinis attributis, de Angelis atque adeo de eis, quæ ſupra alias res nobilitate ſua eminent. A nobilitate autem ſubjecti ſumitur nobilitas ſcientiæ. Et confirmatur, quod Metaphyſicæ eſt dominari et præcipere aliis diſciplinis, eáſque dirigere. Id autem utique illius eminentiam ſignificat. Et quanquam Politica etiam imperet aliis diſciplinis, (quo in ſenſu ab Ariſtotele ipſa ἀρχιτεκτονικωτάτη dicitur) tamen id ſolùm eſt, quoad uſum ſive exercitium earum in politia. Metaphyſicæ autem imperium et directio, eſt quaſi intrinſeca ſcientiis, quia ejus beneficio, unaquæque ſcientia attingit veritatis cognitionem. Porrò, quòd imperium illud, quod Politica habet, in contemplativas etiam diſciplinas, atque adeò etiam in Metaphyſicam, non conſtituat eam his nobiliorem, pa-

Metaphyſica eſt nobiliſſima ob imperium.

156. *Politicæ non tam impe-*

tet

ter, quia hoc modo etiam Theologiæ vel potius Theologis præcipit, quoad usum & exercitium ejus. In quantum Politici leges ferunt de officiis & muniis Theologorum, & sic in aliis. At fine dubio Politica non est nobilior Theologiâ. Ergo imperium quod ipsa habet in usum disciplinæ non facit eam aliâ disciplinâ nobiliorem. Ergo nec inde nobilior est Metaphysicâ. *rat in disciplinâ quàm usum illorum.*

ARTICULUS II.

De unitate Metaphysicæ.

VNitas significat indivisionem in se & importat divisionem ab alio. Unde hic de duobus videndum est: 1. An & quomodo Metaphysica in se una sit. 2. An divisa sit ab omni alio. 157.

PUNCTUM I.

An & quomodo Metaphysica in se una sit.

IN quæstione hac involvitur communis aliqua ratio habituum, unde paricùs hic de ea re ago, reservatâ pleniori tractatione ad locum alium. 158.

Dico igitur I. *Metaphysica est una unitate subjecti.* Ita patet. Nam omnia, quæ in Metaphysicis tractantur, continentur sub Ente, juncta abstractione, huic disciplinæ propria. Sicut igitur Physica una est, quia omnia, quæ in ea tractantur, continentur sub ejus subjecto, hoc est, corpore naturali. Ita etiam est in Metaphysica. 159.

II. *Metaphysica non est una per se.* Ita patet, quia in habitu Metaphysico includuntur plurimæ conclusiones, velut de uno, de perfecto, de Universalibus, de compositione, de duratione, de Deo, de Angelis, de substantia, de Accidente, quæ conclusiones non habent in eo habitu essentialem Unionem. Sunt enim singulæ per se completæ notitiæ. Non possunt igitur aliquid per se unum facere. Nam ex duobus vel pluribus Entibus completis, tale quid, id est, Ens per se, fieri non potest. Nihilominus inter prædictas notitias est aliqua Unio. Habent enim, ut dictum est, Unitatem subjecti. Oportet igitur ut illa unio saltem sit accidentalis seu per aggregationem.

PUNCTUM II.

An Metaphysica sit divisa à quovis alio & præsertim à Logica.

QUÆSTIONEM hanc solùm propono propter Ramæos, qui Metaphysicam & Logicam dicunt esse eandem disciplinam, nisi quòd ipsi πνευματικῶς adhuc specialiter relinquunt. Annotabo igitur varia discrimina primum. 160.

Primò Metaphysica & Logica differunt ratione finium. Finis enim Metaphysicæ est specularі. Finis autem Logicæ est operari. Atque hinc illa appetitur propter se. Hæc autem propter operationem. 161. *Metaphys. & Logica differunt variè.*

II. Differunt *genere.* Metaphysica est scientia, Logica autem est ars.

III. Differunt *objectis.* Logicæ subjectum (considerationis) sunt notiones secundæ, quibus ad differendum mens nostra uti potest, Metaphysicæ autem objectum quod ipsa considerat, est omne Ens, in quantum Ens est, seu quod est à materia abstractum.

Objicis: Logicam etiam versari in omni Ente, ut Arist. insinuat. 1. *Rhet. cap.* 2. 162.
Et facilè patet Logica enim debet in universum juvare intellectum ad omnes actus intelligendi. Intellectus autem Objectum sunt omnia Entia: Ergo & Logicæ. 163.

Respondeo ad antecedens: Logicum versari in omni Ente, atque adeo omne Ens esse objectum Logicæ: Sed id intelligendum est, de objecto operationis Logis *Quomodo*

Logica objectum sint omnia Entia?

cæ ut prolixè exposui *in introduct. Log. c. 1. Num. 54.* Id tamen objectum operationis Logicæ, hoc est, illa omnia Entia Logica non tractat vel considerat. Non enim in Logicis agitur de cœlo, vel homine v.g. sed traditur in Logicis generalis modus definiendi & distribuendi rem quamvis, atque adeò etiam cœlum & hominem. Rursus traditur ib. generalis modus discurrendi & argumentandi de re quavis, atque adeò etiam de cœlo & homine. Unde hoc ipso ipsa Entia aliis disciplinis relinquuntur, in quibus juxta actus & essentias proprias considerentur, quod in particularibus materiis est evidens & admittitur à Ramæis. Nam secus, tollerentur omnes reliquæ scientiæ. Logica enim versatur in omni Ente particularissimè, veluti in rebus corporeis & incorporeis, in virtutibus & vitiis, in morbis & sanitate & sic deinceps, & tamen hoc non obstante sunt particulares disciplinæ, quæ de iis rebus agunt.

164. *Corollaria.* E quibus, ut ad propositum veniam, duo colligo. I. oportere aliquam scientiam distinctam à Logica esse quæ agat de omni Ente, sive de Ente prout præscindit à particularibus suis differentiis. Sicut enim aliud est modus sciendi Ens speciatim, (qui est in Logica) & aliud specialis scientia, quæ de ipso Ente agat. Ita etiam est aliud, modus sciendi Ens generatim & aliud ipsa scientia Entis generatim concepti. II. Si Metaphysica & Logica debent esse una disciplina, quia utraque versatur in omni Ente, tùm Physica etiam & Logica (idemque est de reliquis scientiis) est, sent eadem scientia. Nam utraque versatur in rebus corporeis. Ratio paritatis clara est. Unde, in oppositum, si Logica & Physica adhuc distinctæ sunt, quia ista in corporibus versatur sciendo & cognoscendo ipsum: hæc verò in iis versatur, tradendo modum sciendi ista. Ergo etiam sufficienter distinguentur Logica & Metaphysica, in quantum in omni Ente occupantur, quòd hæc versetur in Ente generatim, sciendo & cognoscendo ipsum: Ista tradendo modum sciendi (sicut alia omnia in particulari, ita etiam) Ens generatim.

165. *Secundum argumentum.* *Secundò* argumentor: Plurima in Metaphysicis docentur, quæ nuspiam doceri possunt in Logicis, imò nec uspiam ab iis in Logicis tractantur. Ergo vel ista in nulla scientia tractabuntur vel danda est Metaphysica. Consequentia est evidens. Nam omnes particulares scientias ista, quæ recensenda sunt, communitate sua transcendunt. Deinde absurdum est, illa in nulla scientia tractari. Pugnat enim id contra generalem scientiarum constitutionem. Sunt enim ipsæ ad hoc constitutæ, ut quicquid naturaliter intelligibile est, ipsæ distinctè & accuratè edoceant, cùm naturalis nostra notitia admodum tenuis sit, ut porrò habitu superaddito, quo juvetur, opus habeat. At certè isti communissimi termini naturaliter intelligibiles sunt.

166. Jam igitur veritas antecedentis patet, variorum terminorum Metaphysicorum inductione. Ubi Logicus agit, de Unitate, veritate, Bonitate, perfectione, singulari, universali, necessario & contingenti, finito & infinito, permanente & successivo, simplici & composito, substantia & accidente & ejusmodi pluribus aliis?

167. *Exceptio Ramæorum.* Solent dicere: De veritate, universalitate & singularitate agi in Logicis, quia Logicus propositionem in veram & falsam, universalem & particularem dividit. De substantia autem & accidente, agi in doctrina de subjecto & adjuncto.

168. *Resp.* 1. quid igitur fiet de cæteris quæ memorata sunt? Ergo illa saltem facient, vel indicabunt peculiarem scientiam, quæ non potest alia esse quàm Metaphysica.

169. *Dein.* Logicus solum agit de veritate & falsitate, universalitate & singularitate, necessitate & contingentia propositionum. At Metaphysica agit de iis prout sunt in terminis simplicibus. Quod si in Logicis non est idem contradictio in propositionibus & contradictio in terminis simplicibus, quomodo coincidunt, quæso, veritas v.g. Entis, hoc est, simplicis termini & veritas propositionis?

170. *Tertiò* Substantia & accidens non sunt nisi exempla subjecti & adjuncti: Unde sicut sub substantia homo & sub accidente calor (cùm exempla sint subjecti et adjuncti)

adjuncti) non docentur ibi quidditativè & scientificè, ita etiam est id de Substantia & Accidente. Ergo pro tali illorum tractatione relinquitur Metaphysica. Et confirmatur, quod substantia sæpè potest exemplum esse adjuncti, & vicissim, accidens esse exemplum subjecti. Adeò non coincidit in Logicis substantia cum subjecto & accidens cum adjuncto.

Argumenta pro identitate Metaphysicæ & Logicæ ferè non sunt, nisi ex identitate subjecti, quod scilicet utraq; versetur circa omne Ens; & quod multi termini tradantur in Logicis, qui etiam traduntur in Metaphysicis. Sed ad utrumq; genus argumentandi, quid responderi possit, ex dictis constitit. 171.

TITULUS. VII.

DE DIVISIONE METAPHYSICÆ.

POteramus de materia hujus tituli, etiam sub priori titulo agere, quia multitudo partium pertinet ad essentiam & unitatem compositorum. Nihilominus ut clariora sint singula, separatim de ea ago, atque ita postquam hactenus actum est de natura Metaphysicæ in genere, nunc inquirendum est, quomodo dividi possit? 172.

ARTICULUS. I.

Refertur & refutatur opinio Pererii, dicentis, Metaphysicam dividendam esse in duas species distinctas disciplinas.

PRincipiò Pererius Metaphysicam dividit in duas species distinctas disciplinas. 173.
Hanc a. suam sententiam proponit *l. 1. de Phil. c.* 6. 7 & ad hanc *c.* 7. constituit has propositiones. 1. *Oportet*, inquit, *esse aliquam scientiam universalem, diversam à scientiis particularibus, quæ agit de Transcendentib. & iis quæ sparsa sunt per omnes disciplinas. &c.* 11. *Prædicta scientia universalis non debet agere de intelligentiis per se & ut sunt species Entis, sed tantùm fortasse in ordine ad suum Subjectum, nimirum ut sint generalia principia & universales causæ omnium Entium.* 111. *Necesse est, esse duas scientias distinctas inter se,* Unam *quæ agat de transcendentibus & universalissimis rebus,* Alteram *quæ agit de intelligentiis. Illa dicitur prima Philosophia & scientia universalis.* Hæc vocabitur propriè Metaphysica, Theologia, &c. & tandem subjicit §. *ad posteriorem*: non debere videri absurdum, si ponatur quarta scientia speculativa, cùm ad id, ut inquit, manifesta & necessaria ratio cogat & impellat.

Ratio autem Pererii *dict. c.* 7. hæc est, ad secundam (nam de prima ipsius conclusione nunc nulla controversia est) conclusionem, unde & confirmat tertiam. *Subjectum*, inquit; *prædictæ ipsius universalis scientiæ est indifferens ad omnes species Entis particulares, sive materiales sive immateriales sint. Non debet igitur scientia considerans Ens universaliter sumptum, descendere ad tractationem & considerationem omnium specierum eius particularium. Vel enim descendet ad considerationem omnium specierum, & sic scientia universalis efficietur etiam particularis, imò tollerentur omnes scientiæ particulares, & una tantùm erit scientia omnium Entium,* quod absurdum est & à nobis admittitur: *Vel tantùm descendet ad species Entium immaterialium non autem materialium. At id est contra rationem. Cum enim Ens indifferenter se habeat ad Ens materiale & immateriale, & commiuter de utroque dicatur, aut non debet scientia agens de Ente, ut Ens est, descendere ad cognitionem Entis sive materialis, sive immaterialis ut ita servet modum suæ considerationis, aut si transgredietur modum sui subjecti & suæ considerationis descendit ad inferiora & particularia Entia, nulla ratio esse potest, cur potius descendat ad considerationem rerum immaterialium, quàm materialium.* 174.

Nihilomi-

175. Refutatio sextæ Pererii.

Nihilominus hæc sententia admittenda non est. Nam inde ut & Pererius inferebat, fiunt quatuor scientiæ speculativæ, quod pugnat contra communissimam Doctorum sententiam, à qua sine urgentibus & ponderosis rationibus temerè receditur. Eas autem Pererius non habet. Nam prior ipsius discursus, in quo solo nititur, involvit duas falsas hypotheses. Prima est, quod supponit, distinctionem & limites scientiarum sumi à solo subjecto. Referendum enim id officium est, ad subjectum, junctâ abstractione cuique disciplinæ propria: Prout id evidenter patet ex subjecto Physicæ. Id non minus comprehendit (dimissâ abstractione, quam à materiâ signatâ habet) corpora singularia, quam Universalia, Et tamen de singularibus corporibus in Physicis non agitur, sed solùm de universalibus: Ista tamen non arcentur, nisi quia sunt extra Physicæ abstractionem, sive quia sunt materiæ signatæ immersa & non ab ea abstracta. Supposito igitur, quod in limitandâ scientiâ, abstractio cuique disciplinæ propria, sit jungenda subjecto cujusque Scientiæ, jam satis clara ratio dari potest, cur Metaphysicus agat de Ente: Et cùm Ens indifferens sit ad materiale, & immateriale, de immateriali tamen solo tractet, dimisso materiali; quia & Ens in communi & Ens immateriale continentur sub abstractione Metaphysicâ, Ens autem materiale non item.

176. Expenduntur rationes Pererii. Limites scientiarum constituuntur à solis subjectis.

177. Altera falsa hypothesis Pererii est, quod supponit abstractionem, quam secundum indifferentiam vocant, non esse abstractionem à materia, prout & nominatim disputat *l. 1. de Philosophia c. 6.* Sed hanc distinctionem supra satis defendi N. 47. *hoc c.* Supposito igitur, quòd utraque abstractio, ea quæ est secundum essentiam, & ea quæ est secundum indifferentiam, sit abstractio à materia omni, utique & Transcendentia & substantiæ intellectuales, conveniunt in eodem genere abstractionis. Ergo pertinent ad Unam scientiam. Diversitas enim scientiæ sumitur juxta diversitatem abstractionum.

178. Instantia.

Dicis: Nihilominus alius modus abstrahendi est, qui convenit Transcendentibus & Prædicamentis; & alius, qui convenit substantiis intellectualibus. Illa enim ut nunc supponimus, abstrahunt à materia secundum indifferentiam, proinde eis non repugnat, ut deinceps materiascant, ut Iamblicus loquitur, quod fit, cùm rebus materialibus ea prædicata attribuntur. Ibi enim sortiuntur identitatem ad res materiales. At id non est de substantiis intellectualibus. His enim repugnat prorsus materia, unde & secundùm essentiam à materia abstractæ dicuntur.

179. Responsio.

Respondeo primò. Nihilominus conceditur, quod conveniant Transcendentia, &c. & substantiæ intellectuales, in eodem *genere* abstractionis. Vnitas autem, in genere abstractionis, ad unitatem scientiæ satis est. Nam *secundò*, si juxta varietatem in gradu abstractionis, prout ea purior est vel impurior, velimus secare scientias, tùm ex Physica fierent tot scientiæ, quot sunt essentiales divisiones. Nam illæ faciunt vel indicant, corpora magis vel minus universalia. At quæ minus universalia sunt, sunt propiora suis singularibus quàm magis universalia. Vnde & minùs à materia signata abstrahunt, quàm magis universalia. Vide & Colleg. Conimbr. *proœm. ad Phys. q. 1. a. 6. ad Sextum.*

ARTICULUS. II.

In quo expenditur sententia Taurelli dividentis Metaphysicam in partem, quæ agat de iis, quæ communiter conveniunt corporeis & incorporeis: & partem, quæ agat de substantiis incorporeis.

180. Nicolaus Taurellus Philosophus Clarissimus *in cæs. alpib. pag. 19. & 28.* ait; Metaphysicæ partem aliam esse, quæ circa substantias incorporeas occupetur, & aliam quæ consideret ea, quæ pariter corporeis & incorporeis insunt.

181. Incommodi-

Quanquam autem hæc divisio omnino adæquetur Metaphysicæ, tamen ex alio capite probanda non est. Nam traiicit ordinem partium Metaphysicæ, qui juxta

istam

istam divisionem haberi non potest. Nam inprimis quænam ex istis partibus præponetur? Non ea quæ est de communibus Prædicatis rerum materialium & immaterialium. Nam sub istis etiam continentur substantia & Accidens. Absurdum autem est de accidente prius agi, quam de substantia ulla, cujuscunque generis sit, quia totum genus accidentium toto genere substantiarum posterius est, cum etiam in Angelis & anima, quæ Entia immaterialia sunt, dentur Accidentia: quæ in iis fulciuntur & ab iis dependent. Quid quod eo in processu necessariò hiatus contingeret in Metaphysicis. Nam Metaphysicus, persequendo communia ista rerum & materialium & immaterialium, attributa, cùm commodè persequi posset Doctrinam substantiarum immaterialium post generalem doctrinam substantiarum, istis dimissis, atque adeò turbatâ connexione faceret saltum ad doctrinam accidentium. *tia Tauretti.*

Nec potest pars illa præponi, quæ est de substantiis immaterialibus. Nam generalia priùs docenda sunt, quàm specialia. Ea proinde antequam agatur de substantia immateriali, agendum est de substantia simpliciter. 182.

Nec obstat, quod hæc specialis Metaphysicæ pars nobilior & dignior est aliâ. Nam disciplinæ non ordinantur secundùm ordinem dignitatis, sed secundùm ordinem naturæ & melioris cognitionis. 183.

ARTICULUS III.

In quo expenditur divisio Keckermanni, facientis Metaphysicæ partes tres, quarum Prima *agat de Divisionibus Entis:* Altera *de cognatis:* Tertia *de oppositis.*

ITa distribuit Keckermannus *in compend. Metaph. c.* 1. Sed mala est hæc divisio, quæ multiplicem genuit confusionem in Keckermanni compendio, ut rectè observavit clarissimus Dominus Jacob. Martini *disp.* 1. *Metaph. q.* 23. Nam primo supponit, subjectum Metaphysicæ esse solum Ens creatum & finitum. At id subjectum nimis angustum est, ut antea disputavi. Deinde affectiones Transcendentales, quæque adeò & substantiæ & Accidenti conveniunt (Unitatem, Bonitatem, *&c.* dico) coarctavit ad solam substantiam. At cum de Ente in Metaphysicis agatur generaliter, prout præscindit à substantia & Accidente, cur non agatur etiam de affectionibus illis ibi generaliter. Sicut enim Accidens est Ens per dependentiam ad substantiam, ita etiam idem est Unum, Bonum, *&c.* per dependentiam ad substantiam sumptâ ratione partim ex Analogia Entis, partim ex identitate affectionum transcendentalium ad ipsum Ens. 184.

ARTICULUS IV.

In quo proponitur & perpenditur Divisio Metaphysicæ, in partem universalem & specialem.

DIcitur vulgatissimè dividitur Metaphysica in partem universalem & specialem, & quidem commodissimè, petitaque ratione ex natura cujusque disciplinæ speculativæ. 185.

Igitur id in primis certum est, quod unaquæque scientia debeat suum subjectum plenè tractare. Ergo omnis scientia debet primùm accurate tradere Doctrinam generalem de subjecto suo, & perquisitigare ejus generalia principia & generales affectiones. Prout hoc Aristoteles de corpore naturali fecit *in lib. Phys. ἀκροάσεων.* Jam præterea debet unaquæque scientia considerare species (eo modo intellectas quo eas quæque habet) subjecti sui. Nam ad rationem totalis scientiæ requiritur, ut habeat subjecti species, per Zabarell. *lib. de trib. præcogn. c.* 2. Prout & hoc Aristoteles prosequutus est, de corpore naturali, in cæteris libris Physicis. Atque hinc Physica dividitur communiter in partem universalem & specialem, juxta sensum eum, qui insinuatus est. 186.

187. Ex his autem sequitur quod Metaphysica etiam debeat agere de Ente universaliter & specialiter, quódque hinc commodissimè dividi possit in partem universalem, quæ agit de Ente communissimè, ejusque communibus principiis, communibúsque affectionibus: Et partem specialem, quæ agat de speciebus Entis, hoc est, de substantia & accidente & quæ deinceps sub illa sunt. Non enim potest diversitatis ratio utrobique dari.

188. Goclenio tamen *in disp. Metaph. disp.* 1 *th.* 1 displicet hæc divisio & aliter procedit, tum hic tum in Proœmio illius lib. *th.* 1. 6. *& seqq.* ubi scientiam aliam ait esse generalem, quam primam Philosophiam vocat. Et aliam vocat Metaphysicam & transnaturalem, quam subdividit in Deum & Mentes. *Partes* inquit *ejus duæ sunt: Deus & mentes.* Incidit sic profectò Goclenius in Scyllam dum vult vitare Charybdim. Nam partes scientiæ non possunt esse subjecta ejus partialia. Et quis ferat, Deum, hoc est substantiam nobilissimam, esse partem Metaphysicæ, hoc est habitus sive accidentis cujuspiam, & propter hanc ipsam absurditatem refutavit eam suam opinionem *lib.* 1. *controv. Logic. cap.* 1. *q* 7. Quod autem potissimam istius divisionem, quam recitavi, attinet, si habeat hunc sensum quòd Metaphysica constituat duas species disciplinas, jam satis contra eam dictum est *artic.* 1. *hujus tit.* Sin sensum habeat alium, ut istæ partes intelligantur per modum partium integrantium eandem scientiam, jam revera ea coincidit cum divisione nostra, quam tamen impugnare intendit. Sed nunc ad partem illam communem sive universalem progredienur.

CAPUT. II.

De Ente in genere eiusque Principiis.

1. Ens est quod habet essentiam.
2. Essentia igitur est id, quo Ens est Ens.

COMMENTARIUS.

1. *Proponuntur tria tractanda.*

IN hoc capite de quatuor nobis agendum. *Primò* vox Entis & non Entis cum æquipollentibus declaranda est. *Deinde* disserendum est de ipsa Entis quidditate & definitione: Et *Tertiò* de conceptu Entis in ordine ad inferiora: *Denique* quartò de principiis ex quibus demonstrat Metaphysica.

TITULUS I.

De voce entis & Æquipollentibus, item non Ente.

PRincipiò quia Ens in priori disputatione constitutum est subjectum Metaphysicæ, nunc id porrò declarandum est. Repetendum autem nunc est, sermonem esse de Ente reali. Hoc enim intelligebatur, cùm illud subjectum hujus disciplinæ poneretur.

ARTICULUS I.

De voce, Ens.

2. *Varia significationes hujus explicantur.*

IGitur Ens non uno modo sumitur. Principales significationes sunt hæ: *Primò* sumitur latissimè pro omni eo, de quo aliquid affirmativè enunciari potest. Estque ratio hujus appellationis, quod affirmativa enunciatio fit per verbum

EST:

EST: Cæcitas est in oculo. Sic Aristot. 4. *Metap. cap.* 2. Privationes & negationes adeoque Entia rationis, vocavit Entia: Posuntque adeò sic etiam Entia rationis vocari Entia, sicut statua Cæsaris vocatur Cæsar, aut imago hominis in speculo vocatur Johannes nempe propter imitationem istam & similitudinem.

Deinde strictissimè dicitur Ens pro eo, quod est incorruptibile. Sicut August. ait *l. 7. confess. c. 11.* Id, inquit, *verè est, quod incommutabiliter manet.* Et lib. 8. de Civit. Dei, cap. 11. *Quæ creata sunt*, inquit, *etsi videntur esse, non sunt tamen: Et Deus solus qui æternus est, essentiæ nomen verè habet.*

Rursus attendendo significationem concretivam in voce Entis, videtur ea locum habere in solis Entibus creatis. Nam concretum insinuat compositionem quæ non potest Deo convenire. Unde sic nec Ens videtur vocari debere, sed Entitas. Quò videntur Theologi aliqui respicere, cùm in descriptione Dei aiunt, Deum esse (non Ens, sed) *essentiam* spiritualem, &c.

Denique Ens vocatur, quod veram & realem & positivam essentiam habet. Quomodo Deum & Ens creatum vocamus Ens, contra posteriores significationes: non autem privationes & Entia rationis, contra primam significationem. Prolixius hæc proposui *Introd. Log. c. 4. n. 11. seqq. in Comm.*

3. *Ens nominaliter & Participialiter sumptum quid sit.*

Aliter Ens sumitur dupliciter: Nominaliter & participialiter. Ante cujus distinctionis declarationem sciendum est, Participia significare actus suorum verborum: ut, *Scribens* dicitur, qui actu scribit: *Currens*, qui nunc actu currit, & sic in cæteris. Nomina autem non solent connotare actus. Neq; enim *homo* vocatur ea res, quæ nunc actu existit. Sed nihil attinet ad significationem hominis, an res eâ voce significata actu existat, an verò sit demum possibilis. Dicitur utrumque sine repugnantia: Homo producibilis, &, homo productus. Sic igitur, quando Ens sumitur ad modum Participii à verbo *sum*, tum est illud quod actu est in mundo. Sumptum autem ad modum nominis, tum perinde est, sive existat, sive non, hoc est, indifferenter dicitur, ad id quod possibile est, & quod jam tum existit. Postea autem declarabo, quæ significatio ex utraque resolutione nunc hic valere debeat.

Voces æquipollentes sunt *Res & aliquid.*

ARTICULUS II.

De voce, Res.

4. *Unde dicatur Res?*

DE voce Rei, notat Armand. de Bello Visu *l. 2. Lexici sui, cap. 14.* dupliciter eam accipi, vel enim derivatur ex Participio verbi *Reor*, hoc est, à ratus, a, um. & sic rem nihil aliud esse ait, quàm id quod firmum esse habet. Dicimusq; secundum hanc significationem Ens reale, ut proinde res sic significet essentiam, sed cum independentia à ratione. Opponitur enim Ens rationis ei, quod res sive ens reale est, Aliter autem res derivari potest ex prædicti verbi præsenti tempore, ut res sit, de quo *reris*, hoc est, opinaris vel concipis aliquid.

Et secundum hoc ampliari potest *Res* etiam ad Entia rationis. Vnde utrinque & in voce Entis, & in voce Rei relinquitur æqualis æquivocatio. Ego existimo in communi modo loquendi, rem prorsus idem esse quod ens: etsi per prius dicta nō diffitear, (ut miter cur id neget Suarez *disp. 3 sect. 2. num. 13.*) vocē rei aliquando connotare carentiam fictionis. Hæc tamen carentia fictionis à Metaphysicis sub voce Rei, non connotari solet, sed sub voce veri.

Avicenna 1. *Metaphys.* distinguit ens & rem, ut Res significet ipsam essentiam et quidditatem præcisè; ens autem connotet actum essendi. Sed hoc discrimen non esse firmum apparet ex iis, quæ suprà dixi de ente, nominaliter sumpto.

ARTICULUS III.

De voce, aliquid.

ALiquid Armandus *ubi suprà c. 23.* ait dici tanquam *aliud quid*, indeq; sicut unum dicit individuationem cujusque in se, ita ait aliquid significare divisionem ab

5. *Aliquid unde dicatur.*

alio. Atque sic summatim ens vocatur aliquid, in quantum habet essentiam distinctam ab alio. Nihilominus quia Aliquid non solet à Metaphysicis poni inter affectiones entis, (quod secundum Etymologiam ἀπὸ τοῦ ἀλλοῦ dicendi faciendum esset) communiter ejus fit mentio, tanquam æquipollentis enti, utique melius dicetur aliquid, tanquam habens *aliquam quiddit. item*, quam Etymologiam etiam tradit Suarez *disputat. Metaph. 3. sect. 2. num. 1.* et plenius *num. 5. 6.* Item Fonseca 1. *Met. c. 2 q. 5. s. 2.* Congruitq; hoc Græcæ voci τὶ, qua Aristoteles utitur. Eam enim Interpretes vertunt per vocem, *Quid & aliquid.*

Aliquid æquipollet Enti.

Aliàs quoad latitudinem significationis suæ est revera æquipollens ad ens, ut mirabile sit, quòd Timplerus, *l. 1. Metaph. c. 2. in Theorem. & q. 3.* aliquid facit entis genus; neque merentur referri, quæ ibi pro se habet. Est igitur animadvertendum, sicut de ente ante dictum est, illud aliquando latè sumi, ut comprehendat etiam negationes et privationes, adeoque ea quæ verè sunt non entia; aliquando verò strictè, ut contradistinguatur contra ista: Ita etiam esse in voce aliquid. Illud igitur secundùm latam significationem suam comprehendit etiam entia & non entia, ut rectè ait Fonseca 5. *Metaphys. c. 1.* Secundum angustiorem tamen excludit, sicut et ens Adeoque sicut Timplerus ait, *Aliquid* positivum et *Negativum*; ita etiam rectè dici potest (ad omnimodam τῶ aliquid et entis æquipollentiam) ens positivum et *negativum*. De quo videri potest Gerhard. de monte *in Thom. de Ente & Essentia in initio.*

ARTICULUS IV.

De voce, non Ens.

6. *Non Ens quot modis dicatur.*

QVot modis sumatur Non-ens, ex superius dictis facile colligi potest. Igitur primo erit Non ens, quod non est æternum. Quomodo omnes creaturæ erunt Non entia. Deinde erit Non ens, quod non habet positivam essentiam et realem. Supra hæc omnia tamen, Non ens aliquando vocatur, quod habet esse diminutum et imperfectum, vel nondum actuatum, quomodo accidentia, materia, ens potentiale, &c. vocantur Non entia. De quo vide Scalig. *exerc. 307. sect. 24.* Perer. *l. 4. de Philosoph. antiq. cap. 15.* aliosque. Eleganter loquitur Marsilius Ficinus *Ennead. 1. l. 8. in Theolog. c. 3.* Non ens aliquando ait dici pro eo, quod *non est verè Ens*, (hoc est, quod est ens imperfectum et diminutum) aliquando verò pro eo, quod *est verè Non Ens*, hoc est, quod simpliciter nihil est.

7. Constitutis igitur nunc variis significationibus entis et æquipollentium, item Non entis, nunc constituendum est, quænam significatio nunc acceptanda sit, Quæro specialiùs ad hanc rem.

ARTICULUS V.

An negationes vel aliàs Entia rationis comprehendat Ens, ut in Metaphysicis tractatur?

1. HÆc quæstio solvi potest ex dictis priori capite. Vnde resumo 1. Negationes, utet in genere, entia rationis, non sunt per se intelligibilia. et per se non possunt tractari in scientia. Hæc ibi satis deducta.

2. Atque tunc sequitur: *Ens* in Metaphysicis non declarandum esse, ut ejus tractatio accommodetur ad istas negationes, et quævis alia entia rationis. Subjecti enim constitutio in unaquaque disciplina respicit non ea, quæ per accidens et secundariò in scientia cognoscuntur, sed quæ ibi primariò et ex instituto cognoscuntur.

3. Nihilominus quia negationes et alia entia rationis solent latissimè extendi, idcirco nulla disciplina convenientior est, ad eorum tractationem (secundariam) quàm Metaphysica. Vnde de istis infrà pro appendice ad hunc librum agam.

ARTI-

ARTICULUS VI.

An vel Deus solus, vel solum Ens creatum intelligatur per Ens in Metaphysicis.

Superius referebatur duplex significatio Entis, quorum altera solùm Deum, altera solùm Ens creatum comprehendebat; atque hæc est hujus quæstionis occasio.

10. Statuendum igitur est, *Deum & Ens creatum simul contineri sub Metaphysica significatione Entis.* Ita apparet, quod quæ de Ente Metaphysicè sumpto enunciantur, communiter utrique conveniunt, quod patebit magis ex mox declaranda definitione Entis. Talia sunt Ens ipsum, Unum, Verum, Bonum, &c. Vnde relinquitur, quod Ens & quæ ad ipsum pertinent, in Metaphysicis ita declaranda sint, ut utrique possit accommodari talis tractatio.

11. *Objectiones.* Contra hanc sententiam ex duplici principio disputari potest. *Altero*, quòd Deus cum Ente creato, non possit in eadem scientia considerari. Sic enim redigerentur ista sub unum genus, quod absurdum est, cùm corruptibile & incorruptibile differant genere. *Altero*: Quòd Deus non possit tractari in Philosophica scientia, sed solùm in Theologia, id quod video recentiores quosdam defendere velle: Probántque ita, quia Deo non conveniat genus; nec affectio, nec principia, quæ omnia conveniunt illi, quod sub aliqua scientia continetur. Repugnant autem ista Deo, partim, quia insinuant aliquid esse prius Deo, partim quia Dei tollunt simplicitatem.

12. *Corruptibile & incorruptibile quomodo differant genere?* Nihilominus hæc non sunt satis efficacia. Nam contra primum discursum. 1. Sciendum est: Genus in quo differunt corruptibile & incorruptibile, non intelligi aliud, nisi genus Physicum: quod nihil est aliud, quàm subjectum, sive materia (ut declaravi latiùs *in Introd. Log. cap. 2. nu. 4. comment.*) ut sic nihil istius axiomatis veritati derogetur, per tractationem Dei & Entis creati in communi aliqua scientia. 2. Alias etiam absurdum non est: Deum cum Ente creato convenire in aliquo genere, quale quidem subjectum scientiæ debet esse ad sua inferiora. Nam tum genus non intelligitur exquisitè, quia remota consideratione Dei ex Metaphysicis, adhuc tamen Ens non est genus accuratè loquendò, ad sua inferiora, veluti Substantiam & Accidens, al áque, ut mox videbitur.

13. *Solvitur altera objectio.* Quod autem in altero discursu tangebatur, repugnare Deo, ut tractetur in aliqua scientia Philosophica, ad id particulatim respondendum est.

14. *Quale genus requiratur ad scientiam.* 1. *Repugnabat Deo genus.* Resp. Verum id est, si de genere propriè sic dicto intelligatur. At id non requiritur in scientia, ut modò dictum. Genus enim ibi requisitum sufficit, si sit qualecunq; superius in prædicationis amplitudine hoc est, genus ibi vocatur, quod habet essentiam tam latam, ut aptum sit de rebus distinctis prædicari. Atque hoc habet Ens, dicitur enim Deus Ens, & creatura Ens.

2. *Repugnabant affectiones.* Resp. Non ita est. Deo enim convenit immensitas, omnipotentia, & alia. Tenendúmque est in scientia requisitam affectionem non esse de prædicamentis accidentium, sed satis esse, si sit prædicatum demonstrabile de Subjecto. Quodque ita sit, apparet, quia Ens sufficienter scibiles affectiones habet (Vnum, Verum, Bonum, &c.) quæ tamen accidentia prædicamentalia non sunt, hoc ipso quia Transcendentia sunt.

15. *Quales affectiones requirantur ad scientiam.* 3. *Repugnabant principia.* Resp. In scientia requiruntur principia, sed inprimis respectu affectionum. Harum enim ad scientiam requiritur demonstratio in scientia. At ista sine affectionum demonstrabilium principiis dari non potest. Cæterùm etiam principia divinorum attributorum, ex quibus illa inelle demonstrentur, dari non repugnat, ut deinceps patebit. Sed hæc de re etiam alibi disputo.

16. *Qualia principia.*

ARTICULUS VII.

An Ens in Metaphysica sumatur Nominaliter an Participialiter?

17. Assumendo superiores definitiones Entis Nominalis & Participialis, breviter dico: Ens Nominaliter nunc sumendum esse. Nam Ens dividitur in Ens actu & potestate. Vnde consequens est, Ens ut sic sumptum præscindere ab actu essendi, adeoq; nominaliter verè sumi. Participia enim solent actus suorum verborum significare. Vnde Ens quod est participium, est, quod actum essendi habet, sive quod est Ens actuale.

TITULUS II.

IN QVO DECLARATVR DEFINITIO Entis.

PRimò illa definitio sit sine genere. Ens enim est Prædicatum communissimum, & plus quàm genus generalissimum. At generalissimum non potest habere genus.

18. *Ens vellè definiri sine genere.* Contra hæc Timplerus *lib. 1. c. 3. q. 1.* ait: Ens habere genus, nempe, intelligibile & aliquid, ut noviter, ita & ineptissimè. Nam si Ens esset species ad intelligibile et aliquid, tum in Ente esset quid, quod non esset intelligibile & aliquid, differentia scilicet hoc genus restringens. De nullius enim speciei differentia debet prædicari illius specie. genus: Veluti Rationalitas (quæ est differentia hominis cujus genus est animal) non est animal: Vide Arist. *6 Top. c. 6* §. 9. & 14. & Porphyr. *in Isag. c. 7.* n. 5. At si illud, quod generi Entis (alicui & intelligibili) supraponitur ad coarctandum illud genus, non est aliquid, nec intelligibile, quomodo adhuc est differentia vera? Idemq; discursus fieri potest de Essentia, quam facit alteram speciem intelligibilis, cum Ente illud dividentem. Novo adhuc errore. Essentia enim est quasi differentia Entis. At illam non posse cum sua specie in eodem genere esse diu docuerunt Logici. *Vide Introd. Log. c. 2. num.* 29. Et certè nihil verius continetur in sententia Timpleri, quàm quod illa differentia non sit aliquid, vel intelligibile. Nam conceptus Entis est simplex, nec admittit compositionem ex genere & differentia, cùm Ens sine incommodo prædicetur de simplicissimo, quod fieri non posset si Ens ut sic, involveret aliquam compositionem, ex genere scil. superiori & differentia addita.

19. *Objectiones Timpleri.*

20. *Entis genus non est aliquid.* Denique in specie, Ens non potest pro genere habere *aliquid*. Nam æquè latè patent. Et ea, quæ in uno est latitudo vel angustia, similiter est in altero. Unde non magis aliquid potest esse genus ad *Ens*, ac Ens ad aliquid.

21. *Nec intelligibile.* *Intelligibile* autem non potest esse genus, quia de Ente prædicatur per modum affectionis Esto sit communis affectio ad Ens & alia, ut vult Timplerus. At affectio non potest esse genus subjecti, per Arist. 4. *Top. c. 6.* §. 3. ubi inde docet: Album non posse esse genus nivis.

Revera igitur nullum est genus Entis. Igitur & nulla est vera differentia Entis. Adhibentur tamen plura vocabula, (inter quæ est abstractum) Enti loco differentiæ: ut per plura clarius intelligatur, quod in uno vocabulo est obscurius. Dicamus ea de re plenius. Igitur Quæritur.

22.

Quid sit habere Essentiam.

23. PRimò tenendum est vocabulum *Habere* esse necessitate extortum, nec, si rigorosè loquamur, satis rei ipsi esse congruum. Propterea, quod vox illa videtur importare reale discrimen inter Ens & essentiam, quod non est admittendum de istis transcendenter sumptis. Nam si Ens & Essentia, ut sic, essent realiter distincta, ut habens & habitum, tum Deus non rectè diceretur Ens, in quo essentia non est ab ipso distincta, ut de aliis taceam. Animadvertendum tamen, similem necessitatem esse in aliis ubi similiter non est realis distinctio habentis & habiti. Nam frequentes sunt locutiones, quâ Deus dicitur *habere divinam naturam, & habere omnipoten-*

tispotentiam & alia, in quibus tamen nulla realis distinctio locum habere potest. Si minus incommodum est dicere, Ens est cui *convenit* essentia, dicatur ita,

Deinde quoad vocem *Essentiæ* sciendum est, aliquos Doctores (vide Gerhardum *de Ente & essentia* in initio) ponere discrimen inter Entitatem & essentiam. Indè- 24.
que *Essentiam* vocant actum Entis, non simpliciter, sed ejus, quod positivum & reale est. *Entitatem* autem ajunt latius dici, proportionaliter ad generalissimam significationem Entis, ut, sicut in ea privationes dicuntur Entia, ita etiam dicantur habere non essentiam, sed Entitatem. Hæc distinctio ad docendum non est adeò inutilis. *Entitas & essentia quomodo distinguantur.*

Aliter essentia vocatur *Esse rei, Natura, Quidditas*, item *forma*. Sciendum tamen: *Esse* bifariam dici. Est enim esse essentiæ, & esse existentiæ. Hoc est, esse aliquando significat ipsum existere cujusque rei, aliquando autem significat essentiam præcisè, quæ ut sic est indifferens, an sit producta sive existens an verò solùm producibilis. *Natura* autem vocatur eadem essentia, per ordinem ad operandum. *Et quidditas* vocatur essentia, secundum quod per definitionem indicatur, atque adeò in quantum pluribus conceptibus manifestatur, ut rectè docet Zab. *lib. 3. de Method. cap. 13.* & confer Arist. 2. *Post. c. 6. Forma* autem vocatur essentia, sed ea, quam vulgò formam totius vocant. Atque hæc forma totius forma dicitur, quia est ultima actualitas à qua Ens aliquod est Ens. 25. *Æquipollentia ad essentiam.*

Nunc ut enucleatius dicam quid sit habere essentiam, sciendum est, Metaphysicos variis viis uti, ad id declarandum, ut bene persequitur Suarez disp. 2. Metaph. s. 4. num. 56. *Principaliter* igitur declaratur essentia per ordinem ad *operationem* (latè sumendo hanc vocem pro omni influxu cujusvis causæ.) Atque ita essentiam habere, est operari vel influere ad aliquid. Atque hoc ex ipsis terminis clarum est, quòd essentiam operatio indicet. Nequeunt enim fingere possumus, quomodo aliquid verè operetur, & tamen non sit, sive habeat essentiam. Et sic elegantèr in Plutach. *de primo frigido*: ὡς τῷ ἐνεργεῖν ἀκολουθεῖ, ὅτου μὴ ἐνεργοῦντος μὴ ἐνεργεῖν, *ut ipsius esse consequens est operari; ita ad non esse consequitur, non operari*. 26. *Percensentur varia indicia essentiæ. Declatur ea ex operatione.*

Deinde hoc declarari potest per ordinem ad *affectiones*. Igitur sic habere essentiam est habere veras affectiones. Hoc etiam satis patet. Cùm enim affectiones (ex vi nominis) requirant aliquid quod afficiant, quódque adeò ipsas sustentet, utique non potest nihil esse, quod veras affectiones habet. Atque huc pertinet vulgatum illud: *Non-Entis, nulla sunt accidentia*. Ergo cujus sunt accidentia sive attributa, illud est Ens. 27. *Ex affectionibus.*

Tertiò declaratur per ordinem ad *definitionem*. De hoc etiam patet. Nam definitionis partes sunt genus & differentia, quæ nomina sunt significativa essentiæ. Unde quod genus & differentiam habet, utique essentiam habet. Hic tamen addendum est: Non esse hunc modum notificandi essentiam reciprocum. Etsi enim, quicquid definitur, Ens sit, tamen non vicissim, quicquid Ens est, id etiam definitur. Est enim definitio Instrumentum notificandi non essentiam simpliciter, sed essentiam rerum compositarum, ut alibi docetur. 28.

Quartò declaratur essentia *per Negationem*, sic essentia est ille actus, qui non involvit repugnantiam, atque sic Ens dicitur omne illud, quod non involvit repugnantiam, ut sit vel fiat. Atque sic non sunt Entia. *Hirco-Cervus, Homo sine anima, Deus ab alio creatus*, &c. Nam si aliqua res est cervus, non est Hircus & vicissim; Et si est sine anima, non est homo & contrà. Item si est Deus, est primum Ens & independens. At si id est creatum, non est primum Ens vel independens. Et sic in aliis. 29. *Per negationem repugnantiæ.*

Atque sic ex his puto clarum esse, quid Metaphysicus voce essentiæ intelligat, Nunc declarandus est Conceptus Entis in ordine ad sua inferiora.

TITULUS III.

De conceptu Entis in ordine ad inferiora.

Primò

31. *Conceptus objectivus.* PRimò animadvertendum est: Conceptum Entis duplicem poni. Alius est conceptus formalis, alius objectivus. *Objectivus conceptus* est nihil aliud quàm ipsa res intellectui objecta. Melius alii *rem intellectam, & intentionem intellectam* vocant. Vocantúrque istæ res intelligibiles *conceptus*; quia de iis concipi aliqua forma potest in intellectu. *Formalis* autem *conceptus* est, ipsa forma vel species in intellectu existens, quam res intellectui objecta eidem intulit. Veluti (ut rem clarè declarem) intueor equum qui currum trahit, indéque mente mea considero equum. Hinc igitur in intellectu meo est etiam species, vel forma quædam, realem istum equum repræsentans. Igitur equus ipse trahens currum est objectivus conceptus, seu quod idem est, est res intellectui objecta. Forma autem ab illo in mentem meam illata, est conceptus formalis. *Formalis,*

32. *Discrimina conceptus formalis & objectivi.* Est autem observandum: Conceptum formalem, si verus sit, conformem esse conceptui objectivo. Unde perinde est, nunc de hoc vel de isto quærere: Duo solum sunt discrimina, quæ notavit Suarez *disp. 2. s. 1. num. 1.* Primò; objectivus potest esse Ens rationis, at formalis (etiam de Ente rationis factus) est Ens reale, nempe vera qualitas in mente hærens, eámque actuans. Deinde conceptus objectivus potest esse aliquid universale. At conceptus formalis semper est aliquid singulare: etiamsi de universali fiat. Hæret enim iste formalis conceptus in hujus vel illius concipientis intellectu. At hæc sunt indicia singularitatis. Atque hoc, contra reprehensionem Monlorii *de Univers. cap. 5. pag. 446.* videtur voluisse Scotus, dicens *2. sent. d. 3. q. 1. & 7. Met. q. 18.* Naturam Universalem esse Unum numero intelligibile. Nunc aliquot articulis quædam quæstiones enodandæ sunt.

ARTICULUS. I.

An Entis conceptus ad inferiora se habeat æquivocè.

33. DAmasc. *in Dial. cap. 46.* ut & August. *in Categ. cap. 1.* & ante eos Aristoteles *lib. 1. Elench. cap. 6.* Porphyr. *in Isagoge cap. 2.* ajunt, Ens dividi in Substantiam & Accidens, ut vocem æquivocam: sed eam intelligunt, quæ est ab uno ad unum. Quæ quidem æquivocatio verè est analogia. Igitur, si æquivocum sit idem quod analogum, nunc nondum de eo est quæstio. Æquivocum igitur sumitur specialiter, ut contra analogum & univocum distinguitur. Estque tùm æquivocum, quod de pluribus prædicatur, solùm secundùm nomen, non autem etiam secundùm unam nominis definitionem, ut Arist. definit, *l. Categ. c. 1.* Quomodo canis æquivocè dicitur, de sidere, & de latratili animali.

34. *Ens non esse æquivocum.* Igitur, quòd Ens non sit æquivocum ad sua inferiora, hoc est, substantiam & accidens, apparet ex eo, quòd definitio Entis etiam Accidenti convenit & non solùm substantiæ. Ista enim significatur per habere Essentiam. At Accidens habet essentiam, per indicia priùs recensita, convenit enim Accidentibus operatio, veluti calori calefacere, frigori frigefacere, & sic deinceps. Idémque est de aliis indiciis essentiæ. Attingentur hæc infrà plenius, *lib. 2. cap. 1. num. 25. seqq. & cap. 3. num. 142. seqq.* ubi illum Entis conceptum speciatim declarabo, in ordine ad Deum & creaturam item ad accidens & substantiam.

ARTICULUS II.

An Entis Conceptus sit verè unus, & præcisus ab inferioribus?

35. EXistimant aliqui, Entis conceptum non esse Unum, sed actu esse plures Conceptus, atque adeò concipere Ens ajunt nihil aliud esse, quàm concipere substantiam, Accidens: finitum, infinitum; simplex, compositum, & sic deinceps.

Hæc

Hæc sententia non est admittenda. Nam 1. superius relata definitio entis non implicat ulteriores ejus differentias, ut patet. Ergo signum est, ens concipi posse, non conceptis ejus inferioribus. 36. *Ostenditur unitas conceptus in ente.*

Deinde patet hoc per experientiam cujusvis. Quilibet enim, concipiens essentiam, simpliciter experitur in mente sua, non ferri eam simul ad plura, sed ad unum quidam commune prædicatum aliarum rerum.

Et [redacted] (quod etiam argumentum ursi de Philosophia in *comment. num.* 56.) Si enim implicaret plures res in primo suo conceptu, tum illud esset vel copulativè (substantia & accidens) vel disjunctivè (substantia *vel* accidens, vel sine ulla conjunctione (substantia, accidens.) At nihil horum esse potest *Non primum.* Nam si ens statim idem esset, quod substantia & accidens. tum nulla res in particulari esset ens. Neque enim calor v. g. est substantia & accidens, nec homo est substantia & accidens. Opposita enim non possunt prædicari de eodem. Non potest igitur *Ens* æquivalere huic copulativo, *substantia & accidens.*

Nec secundum dici potest. Nam sic primùm committeretur negatio in Analysi harum propositionum: Substantia est ens, Accidens est ens. *Ens* enim juxta præsentem opinionem, supponit pro hoc disjuncto. *substantia vel accidens.* Jam in disjuncta propositione, quia ex oppositis sumitur, plus uno affirmi non potest. Dic ergo, *substantiam esse ens.* Hic primum, vi æquipolentiæ dicitur substantiam esse substantiam vel accidens. Deinde, ex natura disjunctæ propositionis, nihil amplius requiritur, quam, substantia est substantia. Accedit quod ens sic fieret univocum. Hoc enim disjunctum, *substantia vel accidens*, æqualiter prædicatur de substantiis & accidentibus Non minus enim aut dependentius Homo. v. g. est ens, hoc est, substantia vel accidens, ac calor est ens, hoc est substantia vel accidens. *Tertium* autem dici non potest, quod scilicet ens, sit idem quod *substantia accidens* dimissâ & copulativâ & disjunctivâ conjunctione. Tales enim prædicationes, in quibus quod substantiva sine conjunctione prædicantur, prorsus inusitatæ sunt in lingua nostra. At ex obtingerent, si ens idem esset, quod substantia accidens: Nempe calor est ens, id est, est substantia accidens. Ut taceam, omnes istiusmodi propositiones ex semisse falsas esse, vel etiam ex omnibus entibus monstra fieri, hoc est, chimæras, Hircocervos, & alia.

ARTICULUS III.

An conceptus Entis sit univocus an analogus?

HOc est quod quæro: *An quod concipitur voce Ens, dicatur ad inferiora univocè, an analogicè?* Ubi supponendum est, non esse sermonem de analogia *proportionis* qualis est inter verum risum, et videre pratum, (quia hæc coincidit cum æquivocatione, câ, quæ est à consilio) sed de ea, quam vocant analogiam *attributionis*, quæ requirit essentiam quidem communiter repertam in analogicis, sed ita tamen, ut uni conveniat prius, alii posterius. His positis statuo: 37. *Removetur analogia proportionis*

Entis generalem sive communem conceptum non esse univocum sed analogum. Loquor autem hîc de universa ejus significatione, secundùm quam comprehendit creatum et increatum, substantiam et accidens. Indéque de singulis istis prædicatur. Aliàs enim dubium non est, in particulari posse de aliquibus rebus ens prædicari univocè, veluti de homine et ligno, alveo. 38. *Ens est analogum*

Quod igitur Ens sit analogum, in comparatione ad creatum et increatum, apparet, quia ipsum Ens creatum requirit dependentiam ad creatorem in declaratione essentiæ suæ Unde cognitam non potest, essentia entis creati aquè primò accipi ab ente simpliciter, ac essentia entis increati. Vide plenam hujus tractationem infrà *lib.* 2 *can.* 3. *art.* 5. 39. *Ad creatum & increatum.*

Quòd etiam ens sit analogum ad substantiam et accidens, ex eodem fundamento patet, quòd essentia accidentis est per ordinem ad substantiam. Unde etiam declarari non potest nisi per habitudinem ad ipsam, veluti per inhærentiam, aut per afficere eam, et quæ sunt his similia. Et sic apparet, etiam ens esse prius 40. *Ad substantiam & accidens.*

communicabile ad substantiam,& posteriùs ad accidens. Cæterùm studiosè hic cogitandum est; ens non sumendum nunc esse,cum omni præcisione. Cùm enim sermo sit de analogia & univocatione, illa autem non cognoscatur nisi per *participationem* ejus, quod univocum vel analogum est; utique participatio entis est consideranda. Ideoque sic sensus quæstionis est; An iste entis conceptus æquè primo *participetur*, &c. Rursus, cùm ens non dicat distinctam in re entitatem ab inferioribus, idcirco quomodo ens participetur, optimè discitur ex [illegible]ibus entitatibus (ut sunt inhærentia & αὐθυπαρξία) Atque tum,si una essentia non possit intelligi, nisi per habitudinem ad aliam, alterius entis utique aliud ipsum aliud, prius participabit essentiam quàm alterum. Hæc diligenter considerandæ sunt. Plenius autem hac de re dicetur infrà, *lib. 2.cap.1.num.25.& seqq.*

ARTICULUS IV.

Quomodo Ens contrahatur ad inferiora.

41. *Ens non contrahi per differentias.*

Dico 1.*Ens non contrahi ad inferiora, per superadditas differentias, quibus ipsum tanquam genus restringatur.* Ita apparet. 1. in genere, quia repugnat officio differentiæ, ut de ipsa prædicetur genus suæ speciei,per Aristot. 6.*Top.c.1.6.*§.14. Unde si ens haberet ullas species, darentur in illis differentiæ, quæ tamen non essent entia. Quod absurdum est. Quomodo enim ultimam eamq; positivam perfectionem speciei dare potest, quod sit non ens? *Deinde* specialiter id apparet in aliquibus divisionibus entis, ex quibus sumi potest indicium de cæteris. Neque enim major ratio est in his, quàm in istis. Igitur sic ens dividitur in simplex & compositum. Hic si simplex intelligitur per additionem alicujus differentiæ, supra ens, per quam istius illimitata natura restringatur, tum simplex, non erit simplex. Nam utiq; compositum est, quod habet differentiam. naturæ communi additam Fit enim tum compositio ex genere & differentia. Item ens dividitur in finitum & infinitum. Quod si hic infinitum addit aliquam differentiam contrahentem ens, tum infinitum non remanebit per omnia simplex ut in priori patuit. At si non est simplex, neque infinitum est. Neque infinitas removet omnem dependentiam. At quod non est simplex sed compositum; utique dependentiam habet & ab efficiente componente, & à partibus componentibus. Rursus indicant hoc etiam Dd. de substantia & cæteris prædicamentis, quæ aiunt esse summa genera. Ex quo statim sequitur, in substantia vel accidente non esse aliquid per modum differentiæ: nec ea genus aliquod includere. Utrumque enim tollit rationem generis generalissimi. Si autem 7½ per sese subsistere, & subsistere per accidens, non sunt differentiæ, contrahentes ens ad substantiam & accidens. Multò minus alii determinati modi essendi erunt rationes vel differentiæ specificæ.

42. *Determinatos conceptus Entis esse simplices.*

Dico secundò, *determinatos conceptus Entis* (veluti simplex & compositum, finitum & infinitum, universale & singulare,substantiam & accidens, &c. *esse æquè simplices ac ipsum Ens* Hoc ex priori relinquitur. Unde consequens est, ens contrahi sine additione; solùm per expressiores & determinatiores conceptus. Atque ita sensit Thomas *q.1.de verit art.1.* Suarez *disp.2.Metaph.s.2.num.11.& s.6.n.7. & seqq.& disput.39 s.3.num 9 aliique.* Solent autem ad hanc rem etiam alia exempla afferri, quæ non differunt, nisi ut, expressum & confusum, citra aliam additionem veræ differentiæ. Veluti, quantitas alia est bicubita,alia tricubita. Hic bicubita significat quantitatem determinatam, sed tamen eam æquè simplicem,ac ipsa quantitas simpliciter eam indicat. Neque enim bicubitum potest resolvi in quantitatem.& aliquid amplius, quod quantitas non sit. Aliud exemplum est in calore, ut sic, & calore ad gradus quatuor,in sapientia simpliciter,& sapientia increata. Et sic deinceps.

TITUS

TITULUS IV.

De Principiis ex quibus demonstrat Metaphysica.

43. Hujus tituli hoc in loco occasio est, quòd priùs mentio facta est essentiæ, quæ ut apparebit, potissimum est principium, unde Metaphysicæ demonstrationes sumuntur.

Variæ autem hac de re contentiones sunt. 1. Insinuant aliqui Metaphysicam demonstrare per causas has, efficientem finem & cæteras. Hinc enim illi in compendiis & tractationibus suis Metaphysicis, statim post considerationem Entis, agunt de prædictis quatuor causis, ante affectiones Entis simplicis.

44. *Metaphysicam non demonstrare per genera causarum.*

Hæc tamen sententia admitti non potest, propter multa. Nam si hæc sunt principia Entis generalia, tum etiam Deus talia principia habebit, quod implicat. Aut supponetur subjectum hujus disciplinæ esse solùm Ens creatum, quod falsum esse, in primo capite satis demonstratum est. Deinde ista genera causarum, sunt Entia, per specialem participationem Entitatis. Unde sic hoc ipso sunt angustiora, quàm Ens simpliciter, atque adeò etiam posteriora Ente. Ergo non possunt esse causæ ipsius Entis, vel affectionum ejus, abstractissimè sumpti. Denique de ipsis his causis demonstrandæ sunt earum affectiones. Ergo tùm, si Metaphysica non demonstret nisi per tales causas, utique de efficiente demonstrabit per efficientem, & deinceps de hoc etiam efficiente demonstrabit per alterius efficiens, qui erit progressus in infinitum.

45. Hoc est quod dico: causarum considerationem ad Metaphysicam non pertinere, ut sint principia subjecti vel affectionum ejus, sed quia sunt determinati quidam gradus Entis, Entis scilicet respectivi.

46. Est autem 1. Observandum: principia quæ sumuntur ad demonstrationes Metaphysicas, ita constituenda esse, ut congruant attributis Entis in genere: adeò, ut non repugnet, ea accommodari ad attributa divina. Nam quia Dei consideratio ad Metaphysicam pertinet, utique quod in genere dicitur de Ente, tale esse debet, quod non repugnet iis, de quibus Ens dicitur.

47. *Demonstrationis genus duplex.*

2. Est considerandum, duplex esse genus demonstrationis, quo utuntur scientiæ, aliud est per deductionem ad absurdum, aliud est per demonstrationem à priori quam demonstrationem potissimam vocant. Estque porrò tùm notandum, cùm demonstratio dicitur à priori, non hoc dici, quasi principium talis demonstrationis, sit prius affectione demonstrabili, vel etiam subjecto demonstrationis, secundum ordinem naturæ rigorosè loquendo. Possunt enim termini demonstrationis, nempe subjectum, principium & affectiones realiter idem esse, dicitur igitur illa demonstratio à priori, quia saltem in ordine nostræ cognitionis, principium demonstrationis apprehenditur, tanquam aliquid antegrediens affectionem.

Quomodo demonstratio dicitur à priori.

PRIMO.

De principio demonstrationis ducentis ad absurdum.

48. *Quodnam primum principium?*

ARistoteles 4. *Metaph. c.* 3. *t.* 8. hoc posuit primum principium. *Impossibile est, idem simul esse & non esse.* Antonius Andræas tamen 4. *Metaphys. q.* 5. aliud prius posuit, hoc: *Omne Ens est Ens.* Alii hoc ponunt. *Necesse est quodlibet esse vel non esse*, quod etiam ponit Aristoteles 1. *post. c.* 10. Sed addit in superiori hoc fundari.

Hac in re dicendum est. 1. *Propositionem Antonii Andrææ non esse principium demonstrativum, quia est identica.* 2. reliqua duo prænemorata axiomata posse esse principia deductionis ad impossibile. 3. Omnium primum tamen esse, quod, Aristoteles

ſtoteles poſuit,& rectè primum vocavit citato loco.

50. Quòd ita ſit,apparet ex officio & fine deductionis ad abſurdum. Illa enim fit, concludendo,quod idem ſit & non ſit,ut videri poteſt, ex Ariſtot. *1.prior.cap.23. & 2.prior.c.11.12.* Atque ſic omnis deductio ad abſurdum,terminatur ad hoc principium.Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe. Eſtque tum tanta vis illius deductionis, ut nemo recurrat ad negandum hoc principium, (tanquam lumine naturæ notum)ſed vel ad deſertionem ſuæ ſententiæ,vel ad alia diverticula.

Eſto igitur principium illud demonſtrationis Metaphyſicæ. Ulius ejus patebit in ſpeciali diſſertatione de affectionibus Entis.

SECUNDO.

De principio demonſtrationis à priori.

51. HÆc, ut antè dictum eſt, non poteſt fieri per vulgata cauſarum genera. Duo autem ſunt illius media. *Prius* eſt ipſa eſſentia Entis. Ita apparet ex aliis ſcientiis, quæ affectiones ſuorum ſubjectorum demonſtrant per ſingulas eſſentias. Veluti Phyſicus, per eſſentiam corporis naturalis, demonſtrat naturales affectiones,& in ſpecie affectiones hominis per ejuſdem eſſentiam, & ſic in aliis.

52. *Alterum* eſt affectio prius demonſtrata, ex qua alia fluit, quæ hoc ipſo eſt principium alterius inde fluentis,quomodo inter divina attributa ſe habet independentia ejus,ad ejuſdem immortalitatem. Hæc enim ad iſtam ſequitur,ut alibi patet.

CAPUT. III.

De tranſcendentalibus Affectionibus Entis in genere.

1: Fuit de eſſentia,atque adeò de principiis: Sequitur de affectionibus Entis.

2. Affectiones Entis ſunt,quæ ad eſſentiam conſequuntur ut quod Ens dicitur Unum,verum,Bonum,& ſic deinceps. Rectius dicuntur *attributa.*

3. Variè diſtinguuntur: Alia Entis attributa ſunt ſimplicia, alia conjuncta.

4. Simplicia ſunt,quæ ſingula cum Ente recurrunt.Ut *unum.*Nam omne Ens eſt unum. Et omne unum eſt Ens.

5. Conjuncta ſunt, quæ complicatè cum Ente recurrunt ut *neceſſitas & contingentia.* Ut omne Ens eſt neceſſarium vel contingens. Et quod eſt contingens vel neceſſarium,eſt Ens.

6. Aliter diſtinguuntur ſic: ut connotent vel negationem vel reſpectum quendam,vel peculiarem ſtatum,*&c.*

7. Negationem; ut unum.

8. Reſpectum; ut verum, bonum.

9. Peculiarem ſtatum; ut actus & potentia, finitas & infinitas.

COM-

COMENTARIUS.

TITULUM capitis feci de Transcendentalibus affectionibus Entis, atque inde, in præsenti, duo tractanda sunt. 1. de Transcendentibus. 2. de Affectionibus Entis in genere. 1.

TITULUS. I.

De Transcendentibus.

ALibi notavi (quod etiam Lychetus docet *lib.* 1. *dist.* 8 *q.* 2. *fol.* 111. *fac.* 2. & Armand. 2. *Termin. c.* 174. Transcendens bifariam dici. Aliquando dicitur Transcendens à nobilitate vel eminentia & sublimitate Entitatis. Sic Deus dicitur Transcendens. Deus, inquit Athanasius *in orat. contra Gregales Sabellii*, non solum *transcendit* substantiam illam, quæ omnium aliarum substantiarum summum genus in Logicis constituitur: sed ipsum quoque Ens *sublimitate sua* supergreditur, tanquam Ens Entium & principium principiorum. Sic & Damasc. *lib.* 1. *de orthod. fid. cap.* 11. ait, Trinitatem esse omnia *Transcendentem.* 2. *Transcendens bifariam dicitur.*

Deinde: Transcendens dicitur respectu prædicamentorum, quod scilicet ea transcendit communitate Entitatis & prædicationis, sic, ut prædicetur de singulis prædicamentis, & sic Ens est transcendens. Hinc dicitur: Substantia est Ens & quantitas est Ens, & qualitas est ens, & sic in cæteris. Item substantia est quid unum, & quantitas est quid unum, & qualitas est quid unum. Et sic in cæteris prædicamentis.

Sic igitur transcendentia. 1. transcendunt prædicamenta. 2. habent tam commune significatum, ut secundùm illud de singulis prædicamentis prædicari possint. Atq; ita nihil potest dici transcendens, de quo nomen alicujus prædicamenti prædicari potest. Quæri hic solet de numero Transcendentium. Igitur

QUÆRITUR,

An sex tantùm sint Transcendentia?

VUlgo ponuntur sex. *Res, res, aliquid, unum verum bonum*, quod sit etiam à Suarez. *disp.* 3 *s.* 2. *n.* 10. aliíque Timplerus multiplicat illa, adultque inter alia etiam impossibilitatem, sed malè, ut apparebit ex seqq. 3.

Ergo existimo 1. *singula istorum esse transcendentia*: *Indeque non rectè numerum Transcendentium minui.* Ita apparet applicando ea, quæ jam de Transcendentibus dixi, & porrò repetendo quæ superius ad vocem entis: rei, & alicujus dixi, conferendo etiam quæ deinceps de uno, vero & bono dicemus. Non igitur probo, quod Valla *lib.* 1. *Dial.* solùm Rem facit Transcendens. Male etiam Monlorius *de universis c.* 7. disputat, quod res & aliquid non sint transcendentia, quia non sint affectiones entis. Neque enim omnia Transcendentia debent esse affectiones entis, cùm etiam ipsum ens sit transcendens. Satísque adeò est, ad naturam transcendentalem, transcendere categorias & singulis accommodari posse. Unde tùm sub transcendentibus comprehenduntur, & *res* & æquipollentia (ut sunt *Res* & *Aliquid*) & ejus affectiones illæ, quæ ab eo realiter non distinguuntur. 4. *Res non est solùm transcendens.* *Res & aliquid sunt Transcendentia.*

2. Dico: *divisionem illam transcendentium, non esse quasi in species infimas, sed tanquam in genera subalterna, ita, ut sub singulis plura comprehendi possint.* Veluti, sub uno, continetur singulare (quod constituitur per unitatem individualem) & universale (quod constituitur per unitatem universalem) sub eodem continetur simplex (quod dicitur unum per remotionem partium) & compositum, quod est unum ex partibus conjunctis ad unam essentiam. Unde porrò sequitur, quod sub composito contineatur totum, & proinde & partes. Rursus sub uno continetur identitas, quæ est unitas comparata ad aliud & proinde par tas, similitudo, aliáque. Item diversitas, in quantum unum consignificat divisionem à quovis alio. Eodem modo potest ampliari verum, ut comprehendatur sub eo possibilitas entis, seu quod affectio entis dicitur, non esse impossibile, item esse intelligibile, aliáque. 5. *Numerus, sex Transcendentium non est, ut in species infimas.*

6. *Plura esse Transcendentia quàm sex.*

3. Dico: *Nihilominus plura numeranda esse transcendentia*: Neque fortasse definitus eorum numerus assignari potest. Ubi interim satis est, si Metaphysicus persequatur ea, quæ alicujus momenti sunt. Veritas prioris propositionis apparet, ex necessitate, contingentia, finitate & infinitate, respectu causæ aliusque, existentia & duratione, aliisque.

Est autem observandum, cùm Doctores sex numerant transcendentia, tunc recensere eos solùm transcendentia simplicia. Conjunctas tamen affectiones (quæ jam enumeratæ sunt) revera habere naturam transcendentalem ex priùs dictis clarum est. Confer Monlorium *de universis cap.* 7.

7. Ubi hoc etiam accuratè pro coronide notandum: Transcendentia non solùm vocanda esse, quæ reciprocantur ad Ens in Metaphysicis, sed etiam ea, quæ etsi sint determinatiores affectiones Entis, tamen adhuc in tantum, non sunt determinatæ, ut sint redactæ infra classes prædicamentorum, sed adhuc aptæ sint in singulis, reperiri, quomodo existentia & duratio inter transcendentia sunt numeranda, etsi soli Enti actuali conveniant.

TITULUS I.

De Affectionibus Entis.

8. Circa hunc titulum primò inquirendum est, An ens habeat affectiones? 2. quales habeat affectiones? 3. Quas conditiones requirant? 4. Quænam illæ affectiones sint?

ARTICULUS I.

An ens habeat affectiones?

9. *Probatur ens habere affectiones.*

ENs habere affectiones certum est. 1. Unum, verum, bonum aliáque, habent se ad ens, ut de eo demonstrari possint. At non demonstrantur de alio, nisi ejus affectiones, ut certum est. *Deinde:* Metaphysica est scientia. Ergo & conclusiones ejus sunt scientiæ & notæ per demonstrationem. At demonstratio non est nisi in his tribus, subjecto, principiis & affectionibus. Ergo requiritur, ut ens quod subjectum est, habeat etiam affectiones. Vide de hoc requisito scientiæ Arist. *prim. poster. t.* 57. *omnis, usque*, Scientifica demonstratio est in tribus, subjecto, principiis & affectionibus.

10. *Objectiones.*

In oppositum tamen est ratio dubitandi inprimis triplex. 1. Si ens haberet affectiones, tum esset compositum, nempe ex entitate & sua affectione. Affectio enim addita subjecto, facit compositionem. At ens Transcendenter sumptum, non potest esse compositum, quia si id esset, tùm falsa esset hæc: ens simplex est ens. Nam ex parte prædicati involveretur prædicta compositio. Unde relinqueretur repugnantia inter hos terminos, esse ens, & tamen esse simplex.

Deinde affectio debet realiter distingui à subjecto: Debet enim de eo enunciari in secundo modo dicendi per se. At ibi inter subjectum & prædicatum requiritur reale discrimen, ut discurrit Zabarella, *Lib. 1. de propos. necess. c. 4.* ponens in eo discrimen inter secundum & tertium modum dicendi per se. At affectiones entis non possunt esse realiter distinctæ ab ente, ut ex tertio quæsito apparebit.

Denique affectio non debet de subjecto prædicari quidditativè. Ponitur enim subjectum in definitione affectionis, non ut genus, sed κατ' ἀφαίρεσιν seu tanquam additum ad ea, quæ sunt essentialia, ut Aristoteles habet. 4. *Topic. cap.* 5. §. 11 & 1. *post. c.* 18. *t* 35. & 7. *Metaphys. c* 5. *t.* 18. Et patet per exempla. Risibilitas non est homo. Calor non est ignis. Sensitivitas (ita ut mihi loqui liceat ad significandam potentiam activam sentiendi. Sensibilitas enim quâ vulgò utimur, est nomen potentiæ passivæ quâ quid sentitur) non est animal. Motus non est corpus naturale ergo & affectiones entis non erunt ens. At si non sunt ens, quomodo sunt verè affectiones,

His

His tamen non obstantibus, tenenda est superiùs probata sententia. Igitur *ad primum* dico: Ens non esse aliquid compositum, eo quòd habeat affectiones, seu (ut rectiùs vocari dixi) attributa. Neque id necessarium esse apparet, quia etiam Deus attributa habet, & tamen est aliquid simplex. Apparet igitur adjunctum cum subjecto non semper facere compositionem. Est autem utriusque illius rei ratio hæc, quòd attributum transcendentale, Entis; & divinum, Dei; non significat Entitatem, ab Entis & Dei entitate diversam: sed primò significat ipsam Entitatem Entis, & Dei. Deinceps verò eadem non superaponit nisi vel negationem, vel rationis respectum, vel peculiarem statum, quæ omnia inepta sunt, ut veram compositionem faciant. Veluti cùm dico, Deus est misericors. Hic attributum (misericors) non significat novam entitatem, sed misericordia illa, est ipsa Entitas divina, apprehensa cum respectu ad actum miserationis vel rem miserabilem. Idemq; est in aliis attributis divinis. Idem autem est etiam de ente. Igitur cum dico ens est unum. Hic attributum (unum) non significat novam entitatem. Sed unitas est, 1. ipsa entitas, 2 connotans indivisibilitatem. Atq; ita apparet nullibi in his exemplis importari compositionem.

11. *Solvuntur objectiones.*

Non omne attributum facit compositum.

Ad alterum respondeo: spuriam esse conditionem: *Nè* per se secundi modi, quod in eo debeat esse realis distinctio subjecti & prædicati, patétque id non solum ex hac doctrina transcendentalium affectionum, sed etiam ex quibusdam proprietatibus, quas Aristoteles prædicamentis attribuit, veluti, quòd substantia sit susceptibilis contrariorum. Item, quòd quantitas possit æquari alii, quæ non dicunt aliquid realiter distinctum à generibus ipsis prædicamentalibus. Fortiùs autem apparet id inde, quia de prioribus fortè dubitari posset, quod non debeat esse conditio arctior illius modi per se, quàm est ipsius demonstrationis, cum propter hanc tradatur ista perfectas. At demonstratio inter terminos suos non requirit realem distinctionem. Ergo nec iste modus dicendi per se. Assumptum patet, quia proprietates divinæ de Deo demonstrari possunt, ubi illa realis distinctio neutiquam est.

12. *Per se secundi modi non exigit realem distinctionem extremorum.*

Ad tertium respondetur: 1. Quod affectio est rigorosè dicta, talis scilicet, quæ sumatur ex prædicamentis accidentium, hæc non potest implicare in sua quidditate subjectum. Hoc per se patet.

13.

Secundò, Nihilominus posse esse affectionem (quæ sufficiat ad scientiam, quæque de subjecto demonstrari possit. Hoc enim principaliter requiritur ad affectionem scibilem) quæ in quidditate sua connotet subjectum, apparet ex divinis attributis, quibus assimilari transcendentalia attributa entis, antea dixi. Ista enim divina attributa (requirente id simplicitate Dei) sunt ipsa Dei essentia, sub inadæquato conceptu, hoc est, secundùm quod ea apprehenditur relatè ad objectum scibile, vel ad objectum possibile, vel sub negatione alicujus imperfectionis creatæ.

Affectionem scibilem posse connotare subjectum.

Atque ita est etiam in attributis entis, quæ significant idem quod ens, sed sub inadæquato conceptu, hoc est, qui non repræsentet ens, secundum omne secundum quod concipi potest, sed solùm, ut apprehensum cum respectu ad intellectum (ut est verum,) vel voluntatem (ut est bonum,) vel cum negatione divisionis in se, (ut est unum.) Et sic deinceps.

Tertiò: Nihilominus hæc etiam attributa imitantur (propter inadæquationem quam habent ad significandam essentiam subjecti) alias affectiones, quoad definitiones per additamentum. Is enim modus definiendi significatur, cum subjectum in definitione attributi ponitur in casu obliquo. At id est in definitionibus affectionum transcendentalium. Veluti unitas est affectio *Entis*, secundùm, quàm, &c. Et idem de cæteris.

Supra quæ omnia, est 4. observandum, omnibus proprietatibus, in concreto sumptis, convenire, ut prædicetur de iis subjectum earum. Et sic hæ æquales sunt. Risibile est homo. Calidum est ignis. Unum est ens, & sic in aliis; sed specialius de

de hac quæstione agendum est, ut appareat quales affectiones habeat ens.

ARTICULUS II.

An Ens habeat reales & positivas affectiones?

14. *Affectiones Entis sunt reales.*

Autores, qui in his sententiis in contrarias partes abeunt, vide apud Suarez *disp. 3 s. 1. n. 1 seqq* alioſque. Patet autem quæstionem affirmandam esse, ex prius dictis. Et nunc specialiter patet, quod si affectiones illæ non essent reales, sed consictæ per intellectum; jam in Metaphysica, quæ non curat passiones, à ratione consictas, istæ tradendæ non essent. Et apparet satis, operante intellectu, res non esse demum bonas, veras, unas.

15. Rursus, si non essent affectiones illæ positivæ, tum revera nihil essent. Positivo enim opponitur negativum. Negativum dicitur, quod negat essentiam. At negare essentiam, & nihil esse, idem sunt, si autem illæ affectiones nihil sunt, quomodo adhuc sunt affectiones?

16. Est tamen hic accuratissimè observandum, illam unitatem & positivitatem, quam tribuimus affectionibus entis, non habere eas, in eo quod enti superaddunt, sed in eo quod ens ipsum implicant & connotant. Veluti unitas non est indivisio, sed est ipsa entitas indivisa. Atque sic, quòd unitas est affectio, realis & positiva, non sumendum est ex eo, quod per eam entitati additur (quæ est indivisio) sed intelligitur de unitate, quoad implicitam entitatem, adcóque intelligendum est de hoc toto complexo, entitas indivisa. Idemque est in cæteris.

17. Atque hinc deinceps purè loquendo de unitate, quantum ad hoc quod præter entitatem significat, vel, ut Doctores loquuntur, quod enti superaddit seu supraponit, rectè respondetur, non esse id aliquid reale & positivum. Secus enim non evitaretur compositio in ente, quæ tamen ei transcendenter sumpto repugnat, quia de simplicissimo etiam dicitur, quòd ens sit.

ARTICULUS III.

Quænam sint conditiones passionum Entis?

18. *Generales conditiones affectionum.*

Harum conditiones aliæ sunt generales, aliæ speciales. Generales sunt, quæ requiruntur in omni affectione scibili. Suntque hæ, quòd affectio debeat competere subjecto; quòd non debeat tractari aliter ac in ordine ad subjectum; quòd debeat de subjecto demonstrari posse; quòd debeat converti cum subjecto, adeoque illi subjecto adæquata esse; ut non sit nihil, ut quodammodo à subjecto distinguatur. Videri potest hac de re Zabarella *lib. de nih. præcogn. c.* 3. & Suarez in *Metaphys. d.* 3 *s.* 1. *n.* 1. Hoc ipso autem quia conditiones generales sunt, debent etiã affectionibus, quas Metaphysica ponit, competere.

19. *Quæ requirantur in attributo Transcendentali.*

Igitur *primò* affectiones transcendentales entis debent habere jam recensita requisita.

Deinde, non debent enti inferre aliquam compositionem, quia ejus natura transcendentalis talis est, ut possit etiam ens prædicari de simplicissimo.

Tertiò, Enti nihil reale superaddere debent, quod sit positivum. Ita patet quia secus non evitaretur compositio.

Quartò, affectiones entis singulæ debent connotare entitatem sicut attributa divina connotant divinitatem sive Deitatem. Ita apparet, quia si non aliquid reale superaddierent enti, ut jam dictum, nec etiam ipsam entitatem indicerent, ut quæ non essent veræ affectiones, quæ non debent esse nihil ut in generalibus conditionibus dictum est.

Quinto, Debent tamen significare entitatem, sed sub inadæquato conceptu, hoc est, ut non significent simpliciter idem quod ens (quale quid sunt res & aliquid

quid) sed solum, ut significent Ens apprehensum cum aliqua negatione vel respectu' statuve peculiari. Veluti, qui apprehendit unum, apprehendit quidem entitatem, sed tamen ille conceptus non adæquatur toti significationi entis, sub quâ comprehenduntur etiam aliæ affectiones, veluti veritas, bonitas, &c. Est igitur solum conceptus inadæquatus, quia fit de entitate, solum ut connotat negationem divisionis in ipsa.

ARTICVLVS IV.

Quænam sint generales affectiones Entis?

1. SIne dubio affectiones entis sunt unitas, veritas bonitas & perfectio. His enim conveniunt omnes conditiones prius enumeratæ. 21.

2. Atque inde etiam rectè dicuntur affectiones entis, quæ porrò in iis continentur, ut sunt simplicitas & compositio, universalitas & singularitas, identitas & diversitas, quæ omnia sub uno continentur. Idemque est de iis, quæ sub cæteris attributis comprehenduntur. 22.

3. Eodem etiam jure huc pertinent aliæ conjunctæ proprietates entis, ut sunt necessitas & contingentia, actus & potestas, esse principium & principiatum, esse signum & signatum, esse prius & posterius, & sic deinceps. 23.

Postque, ex iis, sicut aliàs propriorum, ita etiam transcendentalium affectionum, esse duo genera. Aliæ nempe enunciantur de ente simpliciter, ut unum, verum & bonum. Aliæ enunciantur cum conjunctione, ut universalitas & singularitas; Actus & potestas. 24. *Affectionum duo genera.*

Est autem rursus inter has disjunctas affectiones hoc discrimen, quod aliæ tales sunt, ut ejus pars una conveniat huic Enti, alia alii. Aliæ autem tales sunt, ut utraque pars conveniat uni enti, solum sub diversa consideratione, sicut magnum & parvum in categoriis affectio quantitatis sunt, ubi quantitas quæ uno respectu parva dicitur, alio dicitur magna: Tales affectiones in ente sunt, actus & potestas, idem, & diversum, unum, divisum contra multa. Quod enim sic unum est, alio respectu est multum. Et quod sic idem est, alio respectu est diversum. Vide Mastor. *de universal. c. 7. p. 465.* ubi hujusmodi divisiones ait non esse in res diversas, sed in rationes diversas, qualis est divisio motionis in actionem et passionem. De aliquibus autem specialiter quærendum est. 25. *Discrimen affectionum disjunctarum.*

QVÆSTIO I.

An existentia sit generalis affectio Entis?

ITa existimat Timplerus, qui propterea eam primo loco explicat inter attributa Entis *lib. 1. Metaph. cap. 4.* Malè tamen, quia non convertitur cum Ente. Nam Ens ut Metaphysicæ subjectum constituitur, intelligendum est nominaliter, atqs adeò intelligitur indifferenter ad Ens actu & potestate ut suprà constitutum est. At existentia non convenit Enti in potestate. Significat enim existentia modum Entis, secundum quem apprehenditur, ut productum à suis causis, adeóque tanquam aliquid actuale. Ex quo sic apparet, Existentiam solùm convenire Enti in actu. 26.

QUÆSTIO II.

An Duratio sit affectio generalis Entis?

HÆc quæstio facilè solvitur ex priori. Duratio enim vel idem est quod existentia, vel aliquid eam consequens, & sic ipsa non potest majorem latitudinem habere quàm existentia. Pertinet huc quod Duratio desinitur permansio Entis in existentia. Sic igitur Enti in potentia non rectè tribuitur duratio, Suarez *disp. 3. Metaphys. sect. 2. n. 11.* eam ejicit ex numero generalium affectionum, quia sit 27.

speciale quoddam ens, refertque sic ad prædicamentum Quando, ex quo id constat. Verùm prædicamentum Quando non continet durationem simpliciter, sed solùm durationem creatam. Unde apparet, durationem in quantum abstrahit à creata & increata, non malè poni affectionem entis, sed specialem, entis scilicet actualis.

QUÆSTIO III.

An impossibilitas sit affectio entis?

11. SIc opinatur Timplerus *l. 2. Metaphys. cap. 7.* ejusque Scholiastes Goclenius *ibid.* ubi per possibile & Impossibile ens distinguunt. Male, quia impossibilitas est quid repugnans essentiæ, ut apparet ex iis quæ ad declarandam essentiam dicta sunt. Ibi enim nota essentiæ erat, non involvere repugnantiam, unde concludebamus non esse entia, hominem sine anima, Deum creatum, Hircocervum, quòd singula implicent contradictionem, & sic sint impossibilia. Quod autem dicit repugnantiam ad ens, quomodo adhuc dicetur affectio entis?

CAPUT. IV.

De Uno.

1. Fuit de affectionibus Entis in genere, sequitur de iis specialiùs.
2. Prima igitur affectio est, secundum quam Ens dicitur Unum.
3. Unum dicitur Ens, quatenus est indivisum in se.
4. Ejus consequens est, esse divisum à quovis alio.

COMMENTARIUS.

1. TRACTATIO de Uno in quinque capitibus continetur. *Primò* agetur de Uno in genere. *Deinde* de uno diviso in simplex & compositum, ubi etiam *Tertiò* incidet consideratio totius & partium. *Quartò* agetur de uno diviso per universale & singulare. *Denique* de unitate comparata (quæ alio nomine dicitur identitas) eique opposita diversitatè vel distinctione. Nunc autem solum ago de unitate in genere.

TITULUS I.

De voce Unius & eius ambiguis significationibus, ubi & de eo, quod est unum per accidens.

2. TRiplex inprimis occurrit æquivocatio in hac voce.

3. 1. Unum aliquando idem est, quod singulare, sive unicum & solitarium, Hoc modo Deus dicitur Unus, *Deut. 4.* Quia scilicet non sunt plures Dii. Hæc significatio comprehenditur quidem sub unitate transcendentali, tanquam aliquis ejus gradus, tamen ista latius patet. Nam universalia etiam suam unitatem & indivisionem habent. Unde sic rectè dicimus, animal esse quid unum, etsi multæ ejus species & individua sint. Atque sic hæc altera unius significatio, est quæ etiam unitatem universalium continet.

4. 2. Unum aliter accipitur in prædicamentis, aliter in transcendentibus. Ibi est principium Numeri. Et proinde sic illis solum competit unitas, quibus convenit quantitas. Inter transcendentia autem unitas significat omnem indivisionem in quovis ente, sive quantum sit, sive non.

Ambi-

Ambiguitates istæ dederunt occasionem diversis quæstionibus, quarum prima est ex priori ambiguitate: *An unitas transcendens sit idem quod unitas singularitas.* Quæ neganda est per ibi dicta, eò quod universalia etiam suam habent unitatem. 5.

Altera ex posteriori ambiguitate est, *An unitas transcendens sit eadem cum unitate quantitativa?* quæ similiter neganda est, propter ibi dicta, quia scilicet hæc unitas transcendens convenit etiam non quanto, quod est secus de unitate quantitativa. Est tamen observandum hic accuratè, cùm transcendentia non dicant naturam diversam ab inferioribus; sed contineantur in inferioribus intimè, solùm per expressiores conceptus transcendentes, hinc etiam unitatem quantitativam esse unitatem, solùm expressius determinando unitatem transcendentalem. Dicam clarius. Ens significat essentiam: ens tale habet essentiam talem: Veluti, substantia, essentiam αὐθυπαρκτον. Ita enim ens simpliciter requirit unitatem, ens tale (quantum) requirit unitatem talem, quæ est unitas quantitativa, in hoc entis genere, hoc est, in quantitate. 6.

4 Unum dividitur in unum per se et unum per accidens. Quæ similiter est solùm distinctio ambiguitatis, et non distinctio generis. Neque enim unum prædicatur aliter de istis ac æquivocum, quod ex consilio vocant, nempe propter similitudinem, quam habet unum per se, in ratione unitatis. Proposuit illam Aristoteles 5. *Metaph.* c. 6. 7. *Unius divisio in unum per se & per accidens.*

De eo quod est per se unum.

AC quid sit unum per se, postea apparebit clarius. Ea enim quæ de unitate simpliciter dicuntur, declarant quid sit unitas per se. Nihilominus nunc breviter declarandum est id, ut etiam intelligatur, quid sit unum per accidens. 8.

Cæterùm quid sit unum per se, optimè declaratur; si animadvertamus Entium aliud esse simplex, aliud compositum. Igitur, quod simplex est, statim est unum per se: Quia ad unum per accidens requiruntur plures Entitates. Illæ enim non sunt in eo, quod simplex dicitur, ut ex termino simplicis apparet. Vocatur enim *simplex*, quod non implicat res distinctas, tanquam *sine plica* rerum distinctarum. Quod autem est compositum, id est unum per se, si partiales entitates, quæ in eo sunt, contineantur ab una quadam communi essentia. Sicut v.g. aqua, etsi implicat formam suam & materiam, indeq; illius materiæ plures partes integrantes, tamen est una res per se, quia omnes illæ partes sub una essentia aquæ continentur. Idem est in homine, aliisque rebus tam similaribus quàm dissimilaribus. Est autem ista unitas per se, in illis compositis, quando in illis est pars alia actus sive forma, alia potestas, hoc est, essentialiter perfectibilis, per accessum formæ. Atque sic ex his apparet, Ens per se, in genere, rectè dici illud, quod essentiam habet, non includentem extraneum aliquid ab ea, sed solùm ea, quæ ad unius illius essentiæ integritatem & complementum per se & intrinsecè necessaria sunt. 9. *Quid sit unum per se.* *Quodnam compositum sit per se unum.*

De eo, quod est unum per accidens.

ATque tam Ens per accidens dicetur, quod implicat plures essentias non reductas ad communem quandam essentiam, vel ut Suarez describit in *Metaph. disp.* 4. *s.* 3. *n.* 13. quod ex rebus distinctis constat absq; physica & reali unione earum inter se. 10. *Quid sit Ens per accidens.*

Ex quo statim apparet, Quicquid est Ens per accidens id 1. non posse esse simplex. 2. sed debere implicare plures Entitates. 3. Illas tamen non debere ad gi sub communem aliquam essentiam. Ex quo statim apparet. 4. Ens per accidens, non esse accuratè loquendo unum. Nam unum reciprocatur ad Ens. Unde ubi plures sunt essentiæ, ibi statim non est Ens sed Entia. Indeq; expirat unitas & inducitur pluralitas. 11.

12. *Gradus Entium per accidens.*

Cæterùm, specialiter illud Ens per accidens est *Primo* quando entia diversorum prædicamentorum aggregantur: veluti quantitas colorata, homo albus, substantia quanta. Quod tamen non est sic intelligendum, quasi quantitas substans colori, aut homo albedini, &c. non possint esse entia per se, sed est intelligendum de toto hoc complexo, hoc sensu, quod homo conjunctus cum albedine, in ista conjunctione, non sit unum per se, & sic in aliis. Extra quod tamen, quando consideratur homo ut sic, in propria essentia (esto aliàs substet albedini) potest esse ens & unum per se.

Concreta accidentalia significant; Ens per accidens.

Et præterea est hîc observandum, illud ens per accidens non necessariò indicari distinctis vocibus, sed posse etiam indicari una voce. Sic *Pulchritudo* est Ens per accidens, quia componitur ex peculiari relatione, colore, & quantitate, eáque nec nimis magna, nec nimis parva, ut Arist. habet *in Poët. c.* 7. Et idem est de concretis accidentium, quæ significant subjectum & accidens. Veluti *Album, Nigrum, Doctus, &c.* Hæc enim æquivalent huic, *Res*, (sive substantia) *habens albedinem, Nigredinem, doctrinam.*

13. *Concreta ex entitate & privatione.*

Rursus est observandum, quadam ἀναγωγῇ posse huc pertinere ea, quæ sunt concreta ex entitate & privatione, ut sunt, *Cæcus, Surdus*, hoc est, res habens excitatem, surditatem. Dixi, ἀναγωγῇ sive reductione: quia aliàs ens per aggregationem fit ex pluribus entitatibus quæ ibi non sunt, cùm privatio non significet essentiam.

14.

Secundo, Ens per accidens est, quando ejusdem prædicamenti, species distinctæ congregantur ad unum. Hinc enim, quia species sunt, utique & plures entitates sunt, & ex tales, quarum una non possit actuari per aliam essentialiter, hoc est, quarum una possit esse alterius forma. Tale quid est *Mundus*, qui est quid aggregatum ex omnibus speciebus corporum naturalium: *Respublica*, quæ constat ex diversis hominibus. *acervus* lapidum, granorum, nummorum, lignorum.

15. *Summus gradus Entium per accidens.*

Atque in hoc genere entium per accidens, eminent ea, in quibus est aggregatio entium perfectorum sine ordine, ut est in acervo lapidum, granorum, lignorum, aliisque. Minus autem sunt entia per accidens, quorum partes vel remittuntur in unione sua, vel etiam sortiuntur aliquem ordinem. Nam in utroque horum, est major similitudo adens per se. Sic igitur entia per accidens, in quibus partes unitæ remittuntur, sunt vinum permistum aquæ, ubi neutrum retinet vim suarum excellentiam, sed fit confusio quædam & imminutio earum. Idemque est in aliis liquoribus & liquabilibus commistis. Alia etiam entia per accidens sunt, in quibus intervenit ordo inter partes, veluti Respublica, in qua omnia subordinantur ad unum caput, nempe principem, & ad unum finem, veluti Reipublicæ salutem. Item habitus disciplinarum, in quibus perfectæ distinctorum subjectorum partialium notitiæ, coordinantur ad idem subjectum totale & ad eundem finem. Atque hinc, quia ista entia quasi per unum vinculum cohærent, habent etiam vicinitatem ad entia per se.

TITULUS II.

Quid sit unitas entis?

16.

PRincipio ex superiori capite multa hîc repeti possunt. 1. Igitur unitas erit reale attributum entis, sed quia connotat ipsam entitatem. 2. non connotabit aliquid reale positivum, quia sic involveret aliquam compositionem ad ens. 3. Addet tamen aliquid vel positivum rationis, vel aliquam negationem. Aliàs enim non esset affectio, si supra entitatem nihil significaret, quia de causa etiam res & aliquid non erunt affectiones entis. Hoc ergo nunc est quod inquirimus, quid unitas addat Enti.

ARTICU-

ARTICULUS I.

An addat aliquid positivum rationis?

ITa existimant aliqui, qui aiunt, unitatem quidem addere Enti indivisionem, sed illam indivisionem (etsi modum habeat significandi negativum (revera tamen) significare aliquid positivum. Sic Scalig. *Exerc.65.s.5.* Indivisibilitatem ait poni in definitione unitatis, ad supplendum defectum vocabulorum positivorum. Idem docuit Bonau. *1.d.23.a.1.q.1.* Alensis. *1.p.q.13.* & hodie Timplerus *l.2 Met.ph.c.3.q.1.* 17.

18. *Fundamentum sententiæ acutis;*

Principale eorum fundamentum est, quia indivisio (quam significat unitas) negat divisionem. Divisio autem est nomen negativum. Divisa enim intelligimus, dum intelligimus hoc Ens non esse illud Ens. Neque aliter explicari potest divisio.

19. *Probatur unitatem non addere quid positivum.*

Nihilominus hæc sententia admitti non potest. Nam si maximè indivisio ponsita esset pro aliquo positivo, quia simplex vox non occurrere putabatur, tamen sine dubio multis vocibus circumscribi posset illud positivum. At id fieri non potest. Neque quicquam positivum hactenus dictum est, quod intelligatur per unum; solùm hæretur in eo, quod indivisio sit vox explens defectum positivæ, neque tamen est, qui positivum illud substituat aut circumscribat.

20. *An unitas significet identitatem ad seipsum?*

Videtur objici posse, quod unitas significet identitatem ad se ipsum. Sed rectè id refutatur à Suarez *disp.4.s.1.n.7.* inde, quod, esse unum, & esse idem sibi ipsi, sint valdè differentia; ita ut identitas ad seipsum quasi fundetur in unitate. Et apparet unum convenire rei sine omni operatione intellectus. At id secus est de Identitate. Identitas enim illa consistit in comparatione ejusdem ad seipsum, quod non fit sine operatione mentis.

21.

Atque ex hâ sequitur, indivisionem quam significat unum revera non significare aliquid positivum.

22. *Solvitur objectio.*

Ad objectionem autem, quâ id probatur. quia indivisio negat divisionem, quæ negatio est: indeq; putabatur, indivisionem esse aliquid positivum, quia duæ negationes æquivalent affirmationi: Ad eam *respondeo.* Divisionem non esse simpliciter negationem, sed solùm eam significare consecutivè. Nam *primo* divisio significat Entitates in se ipsis completas, vel res, quarum singulæ sunt suis Entitatibus terminatæ. Atque hoc positivum est significatum divisionis. Aliud autem negativum ad hoc consequitur, quod scilicet unum non sit aliud. Ex qua sic apparet, indivisionem, dum negat divisionem, non negare negationem, sed negare positivum quid, & propter hoc ipsum istam indivisibilem revera esse negationem.

ARTICULUS II.

In quo declaratur quid unum addat Enti.

23. *Unum significat indivisionem.*

PRimo certum est unum esse indivisionem. Ita apparet. 1. Ex oppositione unius, quod est multa. Multa enim dicimus, quæ inter se divisa sunt Entitatibus. Ergo unum erit quod non est divisum in Entitate sua, vi contradictionis. Atque sic, sicut divisio indicat multitudinem, ita indivisio significat unitatem.

Deinde confirmatur idem à specialibus unitatibus. Veluti, simplicitas est per indivisionem Entitatis talem, quæ removet etiam Entitates partiales. Item unitas quantitativa est, per remotionem divisionis in re quanta. Ergo relinquitur etiam unitatem simpliciter, nihil aliud dicere, quàm indivisionem simpliciter.

24. *Atque adeo negationem.*

Secundo, quia in superioribus conclusum, quod indivisio non sit nomen positivum. Ergo si unum non addit nisi indivisionem, utique unum non significabit nisi negationem.

25. *Unitas an*

Aliqui negationem illam, quam significat indivisio, vocant priuationem. Sic Henricus apud Scaligerum *Exerc.65.s.5.* ait unitatem esse privationem divisibilita-

significet privationem:

tis. Idemque faciunt Doctores alii. Sed sciendum est, Indivisionem vocari privationem, non propriè sed per Metaphoram sive similitudinem, quia scilicet assimilatur privationi in eo, quod hæc indivisio adhæret Enti reali, sicut omnes privationes. At id non est in negationibus, quæ non exposcunt subjectum, multoque minus subjectum definitum. Similia vide infrà de absoluto *cap.* 20. *n.* 21. Quod autem indivisio non sit privatio, propriè loquendo, id inde est clarum, quia aliquis ejus oppositum, hoc est, multitudo, per se & per naturam conveniret enti, indeque ipsa potius esset affectio Entis, quàm unitas. Privationes enim non removent nisi id, quod naturâ debitum fuit.

26. *Qualis hic intelligatur indivisio.*

Tertio, est hìc declarandum: *Qualis hic intelligatur indivisio*, ubi statim tenendum: indivisionem hic complicari cum Entitate, sic igitur unitas dicit *indivisionem Entitativam*. Hoc propterea noto, quia accidentalis divisio, quoad ubi vel locum, non tollit unitatem Entis, supponendo, quod mysterium Eucharistiæ clarè docet, Ens unum posse esse in divisis & separatis ubi. Vide hac de re inprimis Bellarm. *lib. 3. de Eucharist. c. 4.*

27. Remotâ igitur divisione accidentali, noto, indivisionem Entitativam posse complicari cum distinctis terminis. Dici potest aliqua indivisio, qua quid sit non divisum à *seipso*, & non divisum *ab alio* Ente, & non divisum *in se*. Ex quibus ultima hæc phrasis eligenda est, ad declarandum unitatem transcendentem.

28. Ergo sic quod est unum, est indivisum *in se*, hoc est, in se continet omnia quæ ad suæ essentiæ complementum pertinent & excludit omne extraneum, ut supra de Ente per se loquebamur. Indivisio autem *ab alio* non pertinet huc, quia uni potius convenit *divisio ab alio*. Hæc enim est consequens unitatis ut jam dicetur. Indivisio autem à *se* non significatur voce unum, quia hæc continet comparationem ejusdem ad seipsum, indeque non est sine operatione intellectus. Unum autem vocatur Ens, sine operatione rationis, ut prius discurrebamus. Sed hìc porro quæritur.

ARTICULUS III.

An unum connotet divisionem ab alio?

DIvisionem ab alio quidam faciunt essentiale requisitum unitatis; quidam ejus consequens, quidam prorsus rejiciunt illam à consideratione unitatis.

29. Hac in re suppono: Divisionem ab alio posse bifariam intelligi: *uno modo*, ut illud aliud non significet solùm illud quod existit, sed etiam illud quod possibile est. *Alio modo*, ut divisio ab alio intelligatur, tum ut ab Ente, tum ut à non Ente.

30. *Divisio ab alio bifariam intelligitur.*

Quibus positis, Dico: *Enti accidentalem esse, atque adeo ad unum non pertinere, divisionem ab alio tanquam Ente existente.* Ita apparet, quia sic aliquid potest esse Ens, & proinde unum, quod tamen sic non est ab alio divisum; ut apparet de Deo ante creationem mundi. Quia enim tunc non erant Entia creata, utique tum Deus non erat ab alio divisus. Et patet amplius quòd talis divisio requirit existentiam alterius. Existentia autem est Enti, qua tale est, contingens, eò, quòd Ens ut sic contineat Ens etiam potestate, cui non convenit existentia.

31. *Quatenus ad unitatem pertinet divisio ab alio.*

2 Aliter, divisio ab alio est Enti quasi essentialis, si divisio ab alio intelligatur indifferenter ad divisum esse ab alio, tum eo, quod est, tum eo quod non est. Et sive id quod Ens est, sit Ens potestate, sive Ens actu. Patetque tùm Deum ante creationem etiam fuisse unum, atque ita divisum. 1. à non Entibus. 2. etiam à possibilibus Entibus.

32. 3. Nihilominus illa divisio ab alio sic exposita, adhuc 1. non essentialiter significatur per unum, sed 2. eam consequitur. 3. multòque minus est aliquid unitate prius.

33. *Primùm* patet, quia illa divisio ab alio insinuat *relationem*, *unius* scilicet *ad* aliud. At hæc relatio, ut ipsa verba sonant, jamtum supponit aliquid unum. Ergo divisio

divisio illa ab alio, non datur demum unitatem. Et repetatur, quod suprà dictum est, unitatem esse attributum absolutum.

Alterum patet: quia si unitas ponit indivisionem in ipso, utique statim sequitur, quod ad extraneam entitatem statim inferat, multitudinem, hoc est, ut plura & aliud sint (non unum sed) multa. Multitudo autem posita est primò in divisione rerum, quæ multæ dicuntur. 35

Tertium ex modò dictis sequitur: potest tamen pornò, quia si divisio esset prior uno, tùm multitudo esset prior uno. Divisio enim statim importat multitudinem. At absurdum est, multitudinem esse priorem unitate, quia unitas est multitudinis mensura; & multitudo pro partibus componentibus exigit distinctas Entitates, quarum singulæ sunt unum quid. At partes componentes, non possunt esse posteriores composito. 36

TITULUS III.

De adæquatione unius ad ens.

SUb hoc titulo de duobus videndum est: *Primò*: An Ens & unum adæquentur? *Deinde*: quis sit sensus divisionis Entis in unum & multa. 37

ARTICULUS I.

An unum sit adæquatum attributum Entis? Ubi etiam redditur ratio, cur omne Ens sit unum?

QUod omne Ens sit unum, inde patet: quia si non esset unum, esset multiplex. At si est multum, est divisum. Si autem est divisum utique esset & divisa Entitas. Ubi autem sunt diversæ Entitates, ibi non est Ens sed Entia. Ergo quod non est unum, non est Ens, sed Entia. 38

Est solum hic observandum: unitatem illam non exigere ubivis unitatem summam, sed esse intelligendam cum proportione. Ergo simplex habet unitatem simpliciter. Compositum habet unitatem per resultantiam ex multis partibus. Universale habet unitatem universalem. Singulare habet unitatem numeralem. Et sic deinceps. 39

Sed tùm quæritur, de divisione Entis in unum & multa quæ hactenus dictis videtur contradicere. 40

ARTICULUS II.

An Ens recte dividatur in unum & multa?

ILla divisio vulgo usurpari solet: sed quia ostensum est Ens reciprocari cum uno, idcirco nunc *emendanda* utendum est, ut appareat, quomodo ens sit multa, adeóque ens dicatur, quod tamen non unum est. 41

Potest igitur duplex esse illius divisionis sensus: *Primò*, ut Ens illud dicatur multa: quod multas partes requirit ad complementum suæ essentiæ, quódque adeò hoc ipso tale est, ut sit resolubile in multas partes. Tale quid est omne Ens compositum. Si hoc modo explicetur vox multa, tum divisio illa erit sic intelligenda: omne Ens *est unum*, hoc est, tale, quod non possit dividi in multa, quod quidem idem est ac ens simplex, *vel multa*, hoc est tale, quod dividi possit in multas partes componentes. Unde summatim, divisio Entis in unum & multa, sic æquipollet ejusdem divisioni in simplex & compositum. Unde tandem apparet, adhuc unum reciprocari cum Ente, quia compositum, etsi habeat multitudinem partium, tamen, revera unum est, in quantum omnes ejus partes ab una essentia continentur, quod quidem ad unitatem satis est. *Duplex illius divisionis sensus.*

Secundò per multa intelligi potest Ens per accidens, & id quidem melius. Nam multitudo requirit separationem actualem, per Aristot. 5. *Metaph.* t. 13. 28. At illa non est in composito. Unde sic unum dicitur, quod est unum per se. Unde sic 42

sensus

sensus illius divisionis est idem cum sensu hujus: Ens est per se vel per accidens? Vel: Ens est unum simpliciter, vel est unum secundùm quid. Divisio autem illa, sic intellecta, nihil derogat reciprocationi Entis & unius, sed potius eam confirmat. Hoc quidem, quia dum per Ens, quod multa dicitur solum intelligit Entia per accidens, utique quod non est Ens per accidens, relinquitur esse unum, quod nobis satis est. Nam, ut prius etiam demonstratum, cùm unum & Ens reciprocantur, non sumitur Ens latissimè, secundum omnem significationem & æquivocationem suam, sed solum, id quod per se Ens est, vel quod subjectum Metaphysicæ positum est. Illud autem solum Entia per se comprehendit.

43. *Denique* recognitandum est, quod ex Monitorio *cap. 3. supra* ad divisionem affectionum, in commentario dictum est, esse aliquas divisiones Entium, quæ non sunt in res, sed in rationes diversas. Et sic Ens unum erit vel multa, quia aliquo respectu est unum, aliquo respectu multa.

CAPUT. V.

De simplici & composito.

1. Fuit de Uno generaliter: sequitur de eo specialius.

2. Unum ergo est simplex aut compositum.

3. Simplex est, quod habet Entitatem indivisibilem, ut Deus.

4. Compositum est, quod habet Entitatem (actu quidem indivisam, quia unum est, sed tamen) divisibilem, ut Homo, & in genere quodvis Ens creatum.

5. Termini ex quibus compositum sumitur sunt varii.

6. Est igitur sic. 1. compositio ex esse & essentia. 2. Ex natura & supposito. 3. Ex actu & potentia. 4. Ex genere & differentia. 5. Ex differentia & differentia. 6. Ex materia & forma. 7. Ex partibus quantitativis 8. Ex subjecto & accidente, & 9. Ex pluribus accidentibus.

7. Unde quod horum unam vel alteram, vel omnes combinationes habet dicitur compositum.

8. Termini illi componentes alio nomine dicuntur *partes*. Exinde compositum, alio nomine vocatur *totum*; Sub quibus nominibus agetur de iis, in seq. capite.

COMMENTARIUS.

1. PRINCIPIO quærendum est, de sede hujus tractationis, ubi scilicet agendum sit de simplici & composito. *Tum* de voce simplicis & compositi. *Tertiò* de quidditate simplicis. *Quarto* de composito, ubi etiam erit de variis compositionum generibus.

TITULUS I.

ubi debeat Tractari de simplici & composito?

ALiqui singularem faciunt ex his terminis divisionem Entis. Suarez sparsim docet de iis *in disput. 4. de uno, & disp. 30.* Inter attributa Dei, & *disp. 31.* Inter attributa Entium creatorum.

Exi-

Existimo tamen optimè hanc doctrinam conjungi cum Vno. Ita fecit Aristot. etiam 10. *Metaph. c. 6. dicens*, aliud unum esse indivisibile (simplex) aliud indivisum (compositum.) Et hinc compositum definitur, quod sit ἓν δι' ἄλλων *unum per alia*. Simplicitas autem in se nihil aliud est, quàm nomen maximæ unitatis, ut etiam Suarez docet *disp. 4. Metaphys. s. n. 11.* Ex quo sequitur, etiam ens dividi in simplex & compositum, quod tamen ibi ens sit sumendum cum unitate; ut sic simplex & compositum; proximæ sint differentiæ unius. Ex hoc liquet impertinens esse tractationem Timpleri, qui de simplici & composito tractat ante unius doctrinam. 2.

Aliter (quandoquidem simplicitas soli Deo convenit: & compositio omnibus entibus finitis.) Non incommodè, de ista inter attributa Dei, de hac inter attributa entis creati tractatur. Solùm hoc est, inconveniens: quod simplicitas ut sic, est quid latius, quàm simplicitas summa, quæ soli Deo convenit. Unde hoc intuitu existimo, simpliciter melius esse agere de simplici & composito seorsim, quàm inter attributa specialium entium, quæ ipsa ex generali hac doctrina sibi sumere possunt. 3.

TITULUS II.

DE VOCE SIMPLICIS ET *Compositi.*

SImplex ambiguè dicitur: Apud Oratores & in vulgari genere loquendi, simplex (homo v.g.) vocatur qui est ἁπλοῦς ἁλλ' ἀπλοῦς. Ita Christus jubet suos esse simplices, ut columbæ sunt, *Matth.* 10. Aliter simplex est idem, quod imprudens, unde Germanicè etiam dicimus, *ein Simpel Narren*, vel summatim sic simplex est, quod non est commistum cum aliquo ascititio, sive id ascititium sit per modum accidentis, artis ad naturam, vel etiam fuci alicujus, aliterve, quo sensu simplex sensus, & simplex oratio, &c. dicitur. 4. *Simplex quid dicatur extra Philosophiam.*

Apud Philosophos simplex dicitur absolutè & comparatè. *Absolutè simplex* est, quod est expers omnis compositionis. Ita solus Deus est simplex. Et huic significationi congruit Etymologia simplicis, juxta quam simplex est, quasi sine plica, sicut duplex vocatur, in quo duo plicantur, triplex in quo plicantur vel complicantur tria. 5. *Absolutè simplex. Simplex unde dicatur.*

Comparatè autem dicetur *simplex*, quod non caret omni compositione, sed aliqua, & ita hoc simplex vocatur secundum quid & in suo genere. Ita anima nostra vocatur simplex, apud Scalig. *Exerc.* 307 *s.* 27. simplex, inquiam, non quia nullo modo sit composita, in genere entium creatorum, sed comparatè intelligendo simplicitatem. Nam anima nostra, hoc ipso dum ens creatum est, est composita. & solùm est simplex, ad negandum specialem aliquam compositionem, quæ in aliis creatis reperitur, ut est compositio ex materia & forma. 6. *Simplex comparatè.* *Anima quomodo simplex.*

Hoc sensu etiam Angeli dicuntur simplices, qui tamen aliàs multiplicem compositionem habent, ut suo loco videbitur. Eodem sensu Cœlum & Elementa vocantur simplicia apud Aristot. 1. *de Cæl. cap.* 2. sed in genere corporum naturalium, hoc sensu, quòd inter corpora non sint entia tam implexa illis. Negat igitur ista simplicitas specialem compositionem, possibilem in genere corporum quæ significatur per mixtionem ex elementis. Aliàs utique ista corpora composita sunt, hoc ipso, quia corpora sunt. omne enim corpus habet materiam & formam, & à posterioribus componentes, quia quodvis ens creatum facium compositum. *Et Angeli. Item cœlum & Elementa.*

Secundum hanc sententiam etiam termini Logici aliqui dicuntur simplices, nempe termini inventionis, non, quia nullus eorum habeat compositionem & multitudinem conceptuum, (secus enim est de definitione, distributione, testimonio) 7. *Et termini Logici.*

sed quia non habent compositionem axiomaticam, sive quia illi non sunt integra axiomata, ut latiùs declaravi in *Top. commcat. c* 1 *num.* 6. & 33. Rursus in comparato sensu, axioma al quod vocatur simplex, & Syllogismus, non quia nullam habeant ista compositionem. Est enim omne axioma compositum ex argumento, & omnis Syllogismus ex tribus terminis, & distinctis propositionibus. Dicitur igitur aliquod axioma simplex, non ad removendam omnem compositionem, sed solùm ad removendam specialem compositionem, quæ est possibilis in genere axiomatum. Et idem est de Syllogismo.

8. Ex his igitur intelligitur, etiam compositum dici aliquando absolutè, pro omni eo, quod qualemcunque realem compositionem admittit. Quomodo omne creatum est compositum: Aliquando autem distingui, contra simplex, ut compositum significat specialem compositionem, in aliquo genere entium.

9. *Compositio ambigue dicitur.* Deinde observetur, vocabulum compositionis etiam esse ambiguum. Igitur potest significare actum effectivum, hoc est, influxum illius, quod componit efficienter. Unde sic compositio est actus efficientis, quo ipsum efficiens aliud componit. Atq; tum compositio sic sumpta, est aliquid extrinsecum compositis, sicut ædificatio ædificio, & omnis effectio suo effecto. *Deinde* compositio frequenter significat actum formalem; hoc est, illum actum, quo compositum est id quod est. Et hoc modo compositio ad compositum, sicut simplicitas ad simplex dicitur. Estque tum compositio intrinsecum quid ad rem compositam.

10. *Compositio realis vel rationis.* Rursus teneatur, compositionem aliam esse realem, aliam rationis. Indeq; *realis compositio* est, quando in re una entitates realiter distinctæ coadunantur. Quomodo homo v. g. est quid compositum. *Rationis* autem *compositio* est, quando in re non datur nisi una entitas, nostra tamen ratio eam unam essentiam, sub diversis conceptibus apprehendit. Quomodo in Deo aliter apprehendimus divinam essentiam, & aliter misericordiam, & sic per rationem Deus est quid compositum, cùm in re sit simplicissimus.

11. Den q; teneatur: Sicut de uno dictum est, ita etiam esse in composito. Nempe in genere compositorum quod est unum per se, hîc vocatur compositum per se. Dixi, *in genere compositorum*. Nam unum per se & compositum per se, non æquè latè patent, quia unum per se comprehendit etiam simplicia, ut priori disputatione constitutum est. Quod autem ibi fuit unum per accidens, hîc vocatur compositum per accidens. Indeque quid compositum per se & per accidens dicatur, ex istis satis clarum est.

12. Et circa has divisiones quidem Metaphysicus non debebat sollicitus esse circa compositionem rationis & eam, quæ est compositorum per accidens: nihilominus, in seriùs declarando speciales compositiones, aliquid de istis dicendum erit.

TITULUS III.
QUID SIT SIMPLICITAS.

13. *Simplicitas contrahit rationem unitatis.* REspondeo breviter: Simplicitas est summus gradus unitatis. Unde. 1. quæ de unitate dicta sunt, hîc recurrunt, nempe quod simplicitas significet ipsam entitatem, cum negatione divisionis in se. 2. Summum autem gradum unitatis constituit simplicitas, quia connotat (non simpliciter indivisionem, sed) indivisibilitatem, hoc est, quâ quid *non possit* ullo modo deinceps dividi in multa. Esse autem hunc summum gradum unitatis apparet sic: Unitas simpliciter dicit indivisionem entitatis. Ergo quò quid magis & sublimius indivisum est, eò magis & sublimius erit unum. At magis est indivisum, quod neque actu neque potestate est divisum quod est in simplici, ac quod est indivisum quidem actu, & proisto statu, divisibile tamen est, quodque adeò multa includit, potestate, in quæ etiam resolvi possit, quod est in composito. Simplex igitur majorem habet & sublimiorem unitatem, quàm compositum.

QUÆ-

QUÆRITUR.

An simplicitas significet perfectionem & eam quidem entitatem quàm compositio?

14. Cajetanus *de Ente & essent. c. 2.* negavit simplicitatem, esse nomen perfectionis, idque ideo, quia simplicitas significat negationem, non aliquid positivum. Vorstius etiam *in 3 tom. ad arist. 3. de Deo. p. 227.* contendit, Deum esse aliquid compositum. Unde sic, quia compositio infinitari potest, hoc est, attribui entitatem infinitam, relinquitur, de illius sententia, compositionem significare majorem perfectionem, quàm simplicitatem. Contrarium tenuit Scotus *1. d. 8. quæst. 1. ad 1. & quodlib. 5* & cum eo Soncin. *4. Metaphys. q. 14.* & Lychetus *in comment. ad Scotum d. l.* & Suarez. *disp. 30 sect. 3. n. 3.*

15. Tractavi hanc rem *in Top. commun. c. 2. n. 59* ad axioma, *quo quid est simplicius, eo est præstantius*, unde aliqua petuntur. Nunc dico breviter; Primò: simplicitas est nomen perfectionis, & quidem majoris quàm compositio: Ita apparet 1. quia unum & ens reciprocantur. Igitur quod nobiliori modo unum est, etiam nobiliori & perfectiori modo est ens. At simplex, per prioris quæstionis declarationem, nobiliori modo unum est. Ergo etiam nobiliori & perfectiori modo ens est.

Simplicitas significat majorem perfectionem quàm compositio.

16. *Imperfectiones, quæ insinuantur per compositionem.*

Deinde, compositio est nomen imperfectionis. Ergo simplicitas est nomen perfectionis. Contraria enim contrariorum sunt consequentia. Antecedens probatur. Nam compositum *primo* involvit imperfectionem dependentiæ. Dependens autem utique imperfectius est independente. Dependet autem compositum multipliciter, nempe à terminis intrinsecè componentibus, ex quibus scilicet quidque componitur. Deinde dependet ab aliquo effectivè componente, sicut Justinus ait *q. Christianorum quæst. 129.* Qui componentem non habet, quomodo est compositus? Est etiam tandem in eo, quod est compositum per se (Neque enim de composito per accidens ex instituto agit Metaphysicus) dependentia unius partis ad alium. Secus enim non esset in eo, nisi partium agglutinatio, quæ ad compositum per se non sufficeret.

17. Altera imperfectio, quam insinuat compositio, sumitur ex priori. Nam quia omne compositum est dependens: ergo omne compositum est posterius alio. Ergo nullum compositum est ens primum. At hæc satis magna est imperfectio, dicere repugnant am, quo minùs quid sit ens primum.

18. Denique compositum habet hanc imperfectionem, ut implicet aliquam potentiam. Nam in eo quod est per se compositum, alius terminus componens est per modum actus, alius per modum potentiæ. Ergo nullum compositum potest esse actus purissimus. Est autem utique imperfectio, implicare aliquid per modum potentiæ. Sed hæc plenius deduxi in oratione *de synergia* ad Metaphysica Photinianorum argumenta, quam inter vide *lib. 2. in fine. 3. de Deo, num. 734.*

19. 2. Est tamen observandum: Inter entia, quibus non repugnat illa imperfectio compositionis: fieri posse ut compositum habeat majorem perfectionem, quàm simplex, atque sic per multitudinem partium sortiatur aliquam perfectionem, quam non habet simplex, per defectum istarum partium. Ita partes sunt simpliciores, & tamen ignobiliores composito. Et sic Gerhard. de Monte *in Theol. de Ens. & essen. fo. 4.* ait, corpora naturalia, quòd sint compositiora, eò esse perfectiora, quia multitudine formarum recedunt magis magisque à simplicitate materiæ primæ, & sic multiplicant perfectiones.

Compositum non est simpliciter æqualibus quovis simplici.

20. Simile quid est in aliis attributis. Immutabilitas absolutè est nobilior & perfectior mutabilitate, unde Deo illa convenit. At in his, quæ non sunt simpliciter immutabilia postea nobilioris naturæ est, esse mobile, quàm esse immobile.

21. 3. Denique quod attinet ad argumenta Cajetani secundum est, negationem *minimè* non significare perfectionem, quia omnis negatio Entitatem removet, adeoque significat,

Solvuntur objectiones.

Negatio quomodo significet perfectionem?

significat perfectionem aliquam formaliter non convenire ei, cui accommodatur negatio. Atque sic simplicitas negat entitatem compositam, indéque insinuat, ei, quod simplex dicitur, non convenire illam perfectionem, quæ est entis compositi. N.h.lominus negatio *consequenter* potest significare perfectionem. Potest enim negatio negare imperfectionem, vel Entitatem ignobiliorem, post cujus absentiam relinquatur Entitas nobilior, & hoc dicendum est de omnibus divinis attributis negativis, quæ negant in Deo nostras perfectiones, quæ in comparatione ad divinam essentiam sunt imperfectiones, ideoque perfectiones istæ formaliter in Deo contineri non debent. Et hoc modo simplicitas est nomen negans, negans inquam imperfectionem compositionis, unde hoc ipso simplex relinquitur nobilius compositio. De opinione Vasthi suo loco plenius erit dicendum, cùm ad considerationem attributorum divinorum perventum erit.

TITULUS IV.

De composito & variis compositionum generibus.

22. PRiùs exposita est vox compositi. Nunc res ipsa tractanda est. Ac *primò* quidem, cùm compositum hic fecerimus quasi differentiam unius, declarandum erit quomodo, quod compositum est, sit adhuc unum? Sed id priori capite factum est, declarando unitatem per se in entibus compositis. Nunc declaranda sunt varia compositionum genera, quorum novem enumerata sunt in Theorematibus.

ARTICULUS I.

De compositione ex esse & essentia.

23. *Duplex sensus illius compositionis.*

HAnc compositionem Doctores dupliciter declarant. Igitur per *essentiam* intelligunt unumquodque Ens quasi in abstracto, sive id, *quo* est unumquodque Ens. Per *esse* autem intelligunt id *quod* est, veluti essentia hominis est *humanitas*, quâ homo est homo. Esse autem hominis est nihil aliud, quàm id quod est *homo*. Quo quidem modo non solùm includit essentiam suam, sed etiam attributa sua. Sic lapis & lapideitas, Asinus & asinitas, canis & canitas, differunt ut esse & essentia. Sic igitur creaturæ sunt compositæ ex esse & essentia, quia aliud est in iis quod sunt, & aliud quo sunt. In Deo autem idem est Deitas & Deus. Unde sic illa compositio in Deo locum non habet.

24. Alii, inter quos est etiam Suarez *disp 30 s.4.num.2. & disp 31. s.13.nn.8.seqq.* per esse intelligunt existentiam, unde compositio ex esse & essentia, idem est, ac compositio ex existentia & essentia.

25. Et hinc statim sequitur, istam compositionem sic solum habere locum in Entibus actu. Nam quæ sunt Entia potestate, ea existentiam non habent. Quanquam omnia Entia finita, etiam quando sunt in potestate, sunt possibilia, hoc ipso. Et proinde sic etiam in isto statu talia dici possunt, quæ apta sint ad suscipiendam compositionem, ex esse sive existentia & essentia.

26. *Congruentior sensus quis?*

Cæterùm hæc expositio istius compositionis videtur magis congrua esse, quàm prior, si ad vim terminorum respiciamus. Nam infinitivi solent significare actus suorum verborum. Ita currere dicitur, qui actu currit, & disputare, qui hoc actu facit. Unde sic *esse* dicitur id, quod actu est, indéque familiarissimè, esse significat existentiam.

27. *Esse & existentia quomodo sit eadem compositio num?*

Porrò tum existentia & essentia & faciunt in creato sive Ente finito, compositionem, qua ad creaturæ vel Entis finiti (quâ voce libenter utor, quàm creaturæ, ad evitandam ambiguitatem) essentiam non pertinet, ut actu sit, sed Ens finitum est indifferens an sit actu, an sit potestate. Unde sic in creatura apprehendimus. 1. essentiam ejus, quæ, ut sic, indifferens est, ut dictum est, ad actum & potestatem. 2. exi-

existentiam, per quam quasi constringitur ejus indifferens Entitas ad actuale esse. Unde hæc duo sic tum faciunt in Ente creato compositionem.

Et ex his statim sequitur: istam compositionem in Deo non posse habere locum, quia impossibile est, ut essentia divina sit indifferens ad essendum actu vel potestate. In potestate enim (objectiva) quod est, id actuatur sive educitur de potentia, per agens aliquod extrinsecum. At hæc omnia repugnant Deo, quia per hæc esset aliquid prius Deo, & proinde, tùm Deus non esset Ens primum, & independens, id est, non esset Deus. Unde sine omni distinctione in Deo idem est essentia & existentia. Et proinde facessit ibi ista compositio. Sed hæc infrà plenius exponuntur *l.b. tr.c.3 n.236.seqq.* 28. *Deus non componitur ex esse & essentia.*

Sed de rebus creatis quæritur: Qualis sit hæc compositio in rebus creatis. 29.

An in rebus creatis compositio ex esse & existentia sit realis an rationis?

PEndet hujus quæstionis decisio ex illa: *An esse* (sive existentia) *& essentia differant realiter?* De qua Doctores variant. Si enim hæc realiter differunt, etiam illa realem faciunt compositionem in Ente. Quod enim ex multis realiter distinctis unum est, id est realiter compositum. Si autem existentia & essentia non differunt realiter sed ratione, etiam non facient compositionem realem sed rationis, tanquam intellectus apprehendat plura in una aliqua re, quæ tamen revera unum sunt.

Quia igitur probabile existimo, essentiam & existentiam realem non distingui. Ideirco dico: compositionem illam ex essentia & existentia non esse realem sed rationis. 2. habere tamen fundamentum aliquod reale. Prius patet per modò dicta. Fundamentum autem reale est, quòd essentia Entis creati, ut sic non involvit existentiam, quòd adeò verum est, ut definitiones Entium creatorum, per quas eorum essentiæ significantur, etiam veræ sint, si maximè nunquam, illa existerent. Unde mens nostra occasionem habet existentiam apprehendendi per modum alicujus supervenientis vel superadditi, quod secus erat in Deo. 30.

ARTICULUS II.

De compositione ex natura & supposito.

HÆc commpositio solùm habet locum in Entibus singularibus. Suppositum enim est res singularis, eáque ultimò completa, sic ut non sit pars alterius. In genere substantiarum intelligentium, suppositum vocatur persona: Unde ibi ista compositio dici potest ex natura & persona. 31.

Est igitur *natura* hic nihil aliud quàm essentia alicujus rei individuæ. *Suppositalitas* autem, vel *personalitas*, est iste modus, per quem proximè vocatur persona, sive per quem illa essentia individua coarctatur ad esse personæ. Horum utrumque est v.g. In Paulo qui habet & essentiam singularem, & modum, unde per se completum suppositum dici potest. At in humana natura τῇ λόγῳ est quidem essentia singularis, sed non est ille ulterior modus secundùm quem res singularis persona dicitur. Alias enim θεάνθρωπος & esset duplex persona, quod Nestorianum est. 32. *Declaratur terminus.*

Patet autem per hoc Christi exemplum, in rebus creatis, naturam & suppositum facere compositionem, quia in actu & re ipsa separari potest essentia à personalitate, indéque istorum distinctio indicatur, patétque ex eodem exemplo in illis naturam singularem, quâ talis est esse indifferentem ad essendum in supposito proprio & alieno. 33.

Ex quo rursus patet 2. compositionem ex natura & supposito in Deo locum non habere. Impossibile enim est essentiam divinam suppositari in alieno supposito, atq; ita secundùm se indifferentem esse ad subsistendum in supposito proprio & alieno. 34. *Deum non esse compositum ex*

natura & suppositio.

no, quæ solùm erant fundamenta hujus compositionis in rebus creatis, quia his creatis nullum remanet indicium distinctionis naturæ à supposito. At distinctio simul per præsupponitur à compositione. Vide Thom. 1. *part. q.* 3. *a.* 3. & 4. & Suarez *in Metaph. disp.* 30. *s. n.* 3. *seqq.*

ARTICULUS III.

De compositione ex actu & potestate.

35. *Prior sensus hujus compositionis.*

HÆc compositio vagatur per cæteras compositiones, ex quibus consurgit unum per se. Si enim utrumque sit potestas, non possunt ad invicem coadunari. Si autem utrumque sit actus, consurgit inde Ens per accidens. Ex duobus enim actibus non potest fieri unum per se. Sic igitur in compositione ex natura & supposito, natura est veluti potestas, suppositum veluti actus. In compositione ex esse & essentia, essentia est potestas, esse est actus. In compositione ex materia & forma, forma est actus, materia potentia, & sic deinceps.

36.

Est autem ista compositio in isto sensu sic intelligenda, ut *potestas* id dicatur in Ente creato, quod est determinabile & perfectibile, per accessum alterius. *Actus* autem id, quod est determinans & perficiens.

37. *Sensus alius.*

Est tamen in alio sensu hæc etiam compositio, diversa à cæteris generibus: Atque tùm per potentiam intelligenda est potentia passiva, secundùm quam Ens creatum, in esse jam constitutum, sit aptum ad accipiendum aliquid, veluti perfectiones accidentales, aut etiam, secundùm quam deponi possit ab illa Entitate in qua est. Estque hæc potentia passiva in omni Ente creato ponenda. Nam quia nullum ens creatum habet summam perfectionem, ideircò omne illud ens potest admittere adventitiam aliquam perfectionem, propter quam supponenda est in eo esse potentia passiva. Et rursus, quia omne ens creatum est dependens, ideircò statim ab eo unde dependet, posset annihilari vel mutari, si ipse velit.

Summatim igitur: Sic ens creatum est compositum ex actu, hoc est, essentia sua & potentia passiva, secundùm quam possit admittere aliquid extraneum.

ARTICULUS IV.

De compositione ex genere & differentia.

38.

HÆc compositio convenit omni enti creato, ut est in mundo. Dico: *ut est in mundo.* Nam sumptum cum aliqua abstractione carere potest genere & differentia, ut est genus generalissimum. Unde sic solum relinquitur, illa compositio enti illi quod species est.

39. *Non est realis compositio.*

Est igitur species creata composita ex genere & differentia, hoc est, natura communi, & restricta per supervenientem differentiam. Unde statim apparet: hanc compositionem esse non realem sed rationis. Quia genus & species adeóque differentia realiter non distinguuntur. At omnis realis compositio supponit realem distinctionem terminorum componentium.

40. *Deo non convenit.*

Nihilominus talis compositio Deo attribui non potest; Nam etsi compositio rationis non repugnet Deo, nec tollat Dei simplicitatem, tamen aliunde compositio ex genere & differentia importat imperfectionem, Deo repugnantem. Est autem ista, quod differentia omnis est extra rationem generis & ipsius speciei, hoc sensu, ut nec genus alicujus speciei, nec species ipsa possit de differentia ista prædicari, quomodo rationalitas, quæ est differentia hominis, nec animal est, nec homo est, ut id de differentia tradidit Aristoteles 6 *Top. c.* 6. & alibi.

At nihil apprehendi potest in Deo quod non sit Deus. Ergo signum est, in Deo non posse aliquid apprehendi per modum differentiæ. Atque ita relinquitur Deus simplex, etiam removendo hanc compositionem, quæ ex genere & differentia est. Sed hac de re alibi est plenius.

ARTI-

ARTICULUS V.

De compositione ex differentia & differentia.

HAnc compositionem pono propter genus sive totum universale. Omne enim totum habet sibi correspondentes partes, atque hinc illud compositum, hæ autem termini componentes dicuntur. Convenitque adeò hæc compositio generi, ut genus est. 41.

Ex quo statim sequitur, hanc compositionem non reperiri actu in re & in mundo. Nam genus ut sic, quia universale est, in mundo non est. 42.

Neque rursus cogitandum est, genus esse compositum ex differentiis, quasi actu sint in illo (sunt enim illæ differentiæ contrariæ, quæ non possunt esse simul in eodem) sed quia sunt in potestate & latitudine generis, quæ ex genere emergere, vel ut rectius loquamur, ad quod genus uniri possit. Atque, hoc sensu, non incommodè recentes quidam Metaphysici, genus vocant compositum *potestativum*. Sed horum intelligentia juvabitur etiam ex seq. capite. 43.

ARTICULUS VI.

De compositione ex materia & forma.

EX notitia materiæ & formæ hæc compositio satis est perspecta. Talis compositio est in homine ex corpore & anima. Idéoque est in omnibus corporibus, quæ necessariò implicant materiam & formam. 44.

Quod autem hæc satis distincta sint, ut possint facere realem compositionem, apparet, quod materia & forma separari possunt, ut apparet in separatione animæ humanæ à corpore. At entia, quæ realiter distincta sunt, ea cum uniuntur, faciunt realem compositionem. Clariora hæc erunt ex seq. capite, ubi agetur de toto essentiali, & infra tractanda Causarum doctrina. 45.

ARTICULUS VII.

De Compositione ex partibus quantitativis.

HÆc compositio emergit ex priori. Unde sicut illa erat solùm corporum: Ita & hæc. Suntque *partes quantitativæ* nihil aliud, quàm partes integrantes materiam. Sic aqua est composita ex partibus quantitativis, hoc est, ex particula hac & illa & alia aquæ. Et sic in aliis. 46. *Partes quantitativæ quæ?*

Cæterùm hæc compositio ex partibus integrantibus, ut de aliis dictum est, planiùs dilucidabitur per doctrinam totius integralis de quo *sup. cap.* agitur. Vide etiam *l. 2. c. 4. §. 14.* 47.

ARTICULUS VIII.

De Compositione ex Subjecto & accidente.

TAlis compositio significatur per hos terminos. *Homo doctus.* Vbi subjectum est homo. Accidens est doctrina. Fac untque hæc compositionem, quia entitas doctrinæ unitur cum entitate nominis. At plurium essentiarum unio facit compositionem. 48.

Ex hoc exemplo sic declarato (idem autem est in aliis) apparet ex hac compositione, emergere non compositum sive unum per se, sed per accidens. Semper enim exurgit ens per Accidens, quando entia distinctorum prædicamentorum conjunguntur. 49. *Compositio ex subjecto & accidente facit Ens per accidens.*

Et rursus observandum, hanc compositionem, tum demum realem esse, quando affectio, sive attributum realiter distinguitur à subjecto, seu quando attributum verè est accidens. Nam cùm attributum realiter idem est cum subjecto, tum, quia perit realis distinctio componentium, perit etiam realis compositio. Atque hoc est in Deo & divinis attributis, item in Ente & transcendentibus ejus passionibus. Vnde in Deo, & Ente transcendenter sumpto, realis compositio ex subjecto & accidente non datur. 50. *Non semper est realis.*

AR-

ARTICULUS IX.

De compositione ex pluribus accidentibus.

9. ACcidentia sive attributa hic iterũ intelligenda sunt, quæ realiter ab invicem distinguuntur. Secus enim non facient compositionem realem. Quia realis compositio requirit entitates realiter distinctas, unitas tamen in eadem. Atque tum ista, sic realiter distincta, accidentia faciunt compositionem, quia per multitudinem entitatum recedit̃ à simplicitate ad compositionem, ut per se patet. Realis igitur compositio est in Angelo ex scientia & potentia: In anima ex scientia & prudentia. In homine ex risibilitate & capacitate disciplinæ. Et sic in aliis

---

CAPUT VI.

DE TOTO ET PARTIBUS.

1. Fuit de composito, ut opponitur simplici, sequitur de eodem, ut opponitur partibus, quo respectu totum vocatur.

2. Totum est quod continet partes.

3. Estque triplex: totum essentiale, integrale & universale sive genus.

4. *Totum Essentiale* est, quod est compositum ex partibus constituentibus essentiam per modum actus & potestatis.

5. Huc pertinet compositum ex materia & forma, ex genere & differentia, ex natura & supposito: & ex esse & essentia.

6. Illud dicitur totum physicum: hæc dicuntur tota Metaphysica. Partes igitur totius illius sunt materia & forma, genus & differentia, natura & suppositum, esse & essentia.

7. *Totum integrale* est, quod est compositum ex partibus quantitativis sive integralibus.

8. Partes quantitativæ sunt, quæ integrant materiam: ut, in homine ossa, nervi, caro &c. ex quibus integratur corpus.

9. Totum integrale est similare sive homogeneum, vel dissimilare sive heterogeneum.

10. Totum homogeneum est, quod habet partes ejusdem speciei, ut aqua, cœlum, ignis, sanguis.

11. Totum Heterogeneum est, quod habet partes diversæ speciei, ut Animal.

12. *Totũ universale* sive genus est, quod de pluribus differentib. specie prædicatur in Quid est, nõ cõversim Ut animal respectu hominis.

13. Unde ejus principales conditiones sunt, 1. Prædicari de multis 2 Prædicari de iis in quid est. 3. Prædicari non cõversim. 4. Vt ea de quibus tanquam genus prædicatur, differant specie, indeque nec solum accidentaliter, nec ut primò diversa ea differre debent Specie autem differre sumendum est, ut comprehendat etiam differentiam numericam, atque inde homo etiam genus sit Petri et Pauli, &c.

14. Pars generis dicitur species.

15. Spe-

15. Species igitur est pars generi subjecta.

16. Est autem genus generalissimum vel subalternum.

17. Generalissimum est, ante quod non est genus, ut: Substantia.

18. Subalternum est, quod inferioris genus, et superioris species est, ut: Animal.

19. Ampliando vocem generis, genus est vel univocum vel analogum.

20. Univocum est, quod æquè primò participatur à speciebus, ut animal ad hominem et bestiam.

21. Analogum est, quod ab una specie prius: ab alia posterius participatur, ut Ens ad substantiam et accidens.

COMMENTARIUS.

DE Toto & Partibus alibi etiam egi, nempè *in Top. comment. c.* 28, 29. ex parte etiam, hoc est, de genere & specie, & differentia, *in Introd. Logic. c.* 3. Nihilominus ne præsens mutila sit hac in parte tractatio, iterum de iis aliquid commentandum est. 1.

Ratio autem Methodi & cohærentia cum præcedente capite est satis evidens. Inprimis enim in præcedenti capite actum est de composito. Jam omne compositum est ex aliquibus, tanquam componentibus, compositum. Ergo compositum hoc sensu et respectu est idem quod totum. Termini autem componentes sunt idem quod partes. Quanquam non est diffitendum, sub nomine compositi modò, modò sub nomine totius, solere Philosophus latius loqui, ac sub nomine alterius. 2. *De ratione Methodi.*

Porrò est in hoc capite *Primò* agendum de voce Totius & partium. *Deinde* de eorum definitione et distributione. *Tertiò* de toto essentiali; *Quartò* de toto integrali. Et tandem *Quinto* de toto universali sive genere. 3.

TITULUS I.

De voce totius & partium.

VArias vocum harum significationes recenset Aristot. 5. *Metaph. c.* 25, 26. Proponam eas distinctius. Igitur Totum aliquando solet speciatim sumi, ad significanda ea solum, quorum positio differentiam facit. Sic Aristot. *d. lib. cap.* 26. *Ea*, inquit, *quorum partium positio non facit differentiam, dicuntur* omne, *quorum autem facit, dicuntur* totum, *quibus vero utrumque accidit, in iis &* totum *&* omne *usurpatur.* Et juxta hanc significationem in liquidis iisque quæ mensuris concavis mensurantur, ut sunt aqua, oleum, cinis, frumentum, usurpanda est vox omnis non totius, sed hæc significatio potius est ad vulgatiorem Græcorum consuetudinem, quàm Latinorum, ut rectè observat Fonseca 5. *Metaph. c.* 26. *ad lit. h.* Et ad præsens inst. totum ista significatio nimis angusta est. 4. *Ambiguitas in voce totius.*

Secundò totum aliquando idem est, quod perfectum, ut Aristot. docet 3. *Phys. cap.* 6. *t.* 64 et Scalig. *lib.* 1. *de Plant. p.* 107. *&* 1. 5. *de caus. L. I. cap.* 10. *pag.* 285 Sic Deum totum dicimus Veluti, cum Deus dicitur totus adesse cuilibe parti mundi. Unde sic Augustin. *contra Felician. de unit. Trin. ad Optat. c.* 14. *c.* 16. Non dimisit patrem Christus cum venit in virginem, ubique *totus* ubique perfectus. Uno eodémque tempore *totus* erat in inferno, *totus* in cœlo. Sic Scaliger in carmine ad finem exercitationum: Ante omnia, post omnia, *totus*, unus, ipse. *Et antea.* Ante omnia 5. *Totum pro perfecto sumitur.*

omnia omnis, *sine partibúsque totus*. Ad hunc etiam modum anima tota dicitur esse in qualibet corporis parte, tota, inquam, totalitate essentiæ & perfectionum suarum, ut declarat Zabarella *de partit. anim. c. 1.*

6. Porrò totum hoc non dicitur per respectum ad partes. Dicebatur enim, hoc totius genere, Deus totus *sine partib.* à Scaligero. Ejus igitur consideratio nunc etiam non intenditur sub voce totius. Opponitur a. hoc totum, imperfecto. Unde & ipsum solet dici, totum *perfectionis & perfectionale*, quasi sc. totum hoc idem sit, quod perfectum. Sub imperfecto autem quod huic toti opponitur, continetur etiam id, quod dimidiatum est & mutilum & mancum, de quibus erit infrà. *c. 11. num. 12.*

7. *Totum dicitur omne Ens in quantum distribuitur.*

Tertiò totum sumitur valdè latè pro omni eo, quod distribui potest. Proindè cùm distributio etiam detur ex causis & effectis, & subjectis & adjunctis. Ideò singula istorum possunt totum & partes dici. Veluti cùm dico, hominum alii sunt boni, alii mali: homo qui bonitatis & malitiæ subjectum est, est aliquo modo totum: Sic: Bonorum alia sunt homines, alia Angeli, *&c.* Hìc Bonum, quod aliàs est adjunctum hominis & Angeli, habet rationem totius ad istos. Sic hominum alii sunt creati, alii generati. Hæc hominum divisio est per causas. Homo igitur, qui effectum est, ibi habet rationem totius. Idem est in aliis.

8. *Totum Potestativum.*

Atque huc pertinet etiam totum *potestativum*, quod solùm in ista amplitudine totum dici potest. Aristotelici solent hæc vocare tota per accidens, qua de re vide Fonsec. *lib. 4. Instit. Log. c. 7.*

9. Cæterùm, totum in ea amplitudine à Metaphysico non sumitur, quia ea quæ recensui, solùm sunt artificiosè talia, in quantum scilicet illis adaptatur distributio aliqua. At nunc tota dicuntur, quæ non tàm per artificium talia sunt, quàm quæ statim per naturam suam implicant respectum ad partes, ut posteà dicam.

10. *Totum generi contra distinguitur.*

Quartò, totum angustè accipitur ad significandum totum integrale & essentiale, in qua acceptione totum distinguitur contra genus. Ita Logici frequenter, alium locum argumentandi dicunt esse à toto, & alium à genere: sumátque ad eandem significationem interpretatio axiomatis illius, quo partes dicuntur priores toto, quod occurrit apud autores passim. Hoc enim non procedit de omni toto & partibus, sed istis solùm, quæ dixi. Neque enim species, quæ est pars generis tanquam totius universalis, est prior genere. Sed contra, genus est prius specie, per Aristot. 4. *Top. c. 2. §. 2 &* Porphyr. *in Isag. c. 7. §. 8.*

11. *Quinto.* vox Partis aliquando angustè sumitur ad significandas solùm partes quantitativas. Hoc modo formæ dicuntur carere partibus, & esse impartibiles. Sunt, inquam, illæ impartibiles per defectum partium quantitativarum.

12. *Vox totius quomodo à Metaphysico intelligatur?*

Denique totum & partes sumimus in communi, pro iis Entibus, quæ juxta naturam suam talia sunt, ut unum destinetur ad esse alterius, vel alia destinentur ad esse illius. Utrobique enim significatur Entitas partialis, cui ex opposito totum respondet. Atque ita vox totius comprehendit totum essentiale, integrale & universale, de quibus etiam sub nomine totius solùm in Metaphysicis docetur.

De distinctione inter Totus & Totum.

13. *Totus & totum Damasceno quid?*

SOlet & distingui inter *totum* & *totus*. Ea apud Damasc. *l. 3. de orthodox. fide, c. 7. circa fin.* differunt sic: *Totum* inquit Damascenus, *est naturæ repræsentativum. Totus autem hypostaseos sive personæ, quemadmodum* aliud *est naturæ*, alius *hypostaseos. Igitur Christus totus Deus perfectus, sed non totum Christi Deus; Nam non solùm Deus, sed & homo. Et totus est homo perfectus, non Totum autem homo. Non solùm enim homo, sed & Deus.*

14. *Totum con-*

Æquipollenter huic modo loquendi, juxta hunc sensum, videtur loqui Zabarella, distinguens inter totum conjunctim & disjunctim sumptum. Vide ipsum

lib. de

lib. de gener. & inter. c. 4. Totum enim conjunctim sumptum illud est, quando prædicatum convenit toti secundùm utramque partem. Totum autem disjunctim sumi insinuat, quando prædicatum convenit speciebus, ut maximè id sit secundum unam solùm partem. Sic cùm Aristot *lib.* 1. *de gener. & inter. c.* 23. ait generationem esse mutationem, tanquam transmutabilis *totius* in totum, vox totius sumitur conjunctim. Neque enim omnes ejus partes transmutantur, cùm saltem materia maneat, ut ibi disputat Zabarella. *junctim & disjunctim sumptum quid?*

14. D. Hutterus *in lib. Concord. art.* 9. *p.* 3. *p.* 972. per masculinum *totus* (in applicatione ad personam τῷ λόγῳ) intelligit Christum duabus naturis constantem. Per Neutrum autem, *Totum*, intelligit, illas ipsas naturas ratione proprietatum essentialium consideratas. Sic & Pelarg. *in Damasc. lib.* 3. *c.* 7. *membr.* 4. *p.* 128. *fac.* 2. Et secundùm hunc sensum solent explicare Lombard. qui *lib.* 3. *distinct.* 22. ait, *Totus Christus est ubique, non autem totum Christi est ubique.* Nempe *Totum Christi est* ubique loquendo ex naturalibus proprietatibus naturarum, sed tamen *Totus Christus* est ubique, comprehendendo sub voce *Totus* naturas, tum quoad id, quod eis per se, tum, quod eis aliunde convenit. Totus enim, inquit, Hutterus *dict. loc.* non est Christus, ubi non est Deus & Homo. Homo autem non est sine sua humanitate. Sed hæc θεολογικώτερα sunt; Redeo ad vocem Totius. *Aliis quid totus & totum.*

Alia distinctio vocis, totum.

15. TAndem igitur ex Boëthio frequenter solet distingui vox totius. Sic igitur 1. est totum in quantitate sine multitudine, quod est universale, signo universali notatum, ut omnis substantia. 2. vel est totum in loco, ut libiq;. 3. Vel est totum in tempore, ut semper. 4. Vel est totum in modo, quod est universale sine adjectione prolatum, ut Homo. Confer Fonsec. *lib.* 7. *Dial. Instit. c.* 8. & Francisc. Titelm. *lib.* 5. *comp. Logic. c.* 6. Tantum de nomine totius & partium.

TITVLVS II.

DE TOTIVS ET PARTIVM DEFINITIONE & distributione.

16. DUo proponuntur sub hoc titulo, nempe primò definitio totius & partium. Deinde eorum distributio. De singulis seorsim videndum est.

ARTICVLVS I.

De definitione totius & partium.

17. ARist. 5. *Metaph. c.* 25. *totum*, inquit, *dicitur, cujus nulla pars eorum abest, ex quibus naturâ totum denominatur.* Hæc definitio ab aliquibus commendatur, tanquam congrua, huic tractationi, de toto & partibus. *Examinatur Definitio Aristotelis.*

Sed tamen revera congrua non est, nec est ad mentem Aristotelis ea intentio. Aristoteles enim solum voluit unam totius significationem circumscribere, quâ totum idem est quod integrum, ut Fonseca ibi notavit *ad text. 11. a.* Quod autem bona non sit, patet, quia homini mutilato, v. g. deest aliquid eorum, quæ habere debet, & tamen homo mutilatus adhuc est aliquid totum, quia adhuc post mutilationem, habet suas partes et essentiales et quantitativas. Impossibile autem est, ut totum non dicatur, quod partes habet, sicut impossibile est, non esse filium, qui habet patrem, aut non esse dominum, qui servum habet.

18. Deinde placet aliquibus, totum definire citra mentione partium, quia scil. detur aliquod totum quod partibus omnibus careat, ut est totum perfectionale. Totum enim perfectionis de Deo dicitur. At is dicitur totus sine partibus, ut superiùs ex Scaligero relatum est. Vt igitur totius definitio generalis sit, videtur, oportere partis mentionem dimitti. *An debeat totum definiri sine mentione partium?*

Nihilominus hæc non placet intentio, quia totum de toto perfectionis & aliis, non dicitur nisi per æquivocationem. Æquivocum autem non debet significare unam essentiam & definitionem. Antecedens apparet. Nam totum nunc respectivè dicitur. Nam aliàs, cur copulatur ad eandem tractationem doctrina totius et partium? At totum perfectionis, quod vocant, non dicitur respectivè, sicut neque perfectum, cui æquipollet. Atque hoc exprimere voluit Scaliger, cùm quod hoc genere totius totum dicitur, vocat totum *sibi* vel totum *suum*, præscindens hoc ipso respectum ad aliud. Vide ipsum *lib. 5. de caus. LL. c. 100. p. 285.*

21. *Propria definitio totius.*

Optimè autem definietur totum, si cogitetur quod totum dicatur respectivè ad partes. Relata enim mutuò se definiunt, ut Aristot. docet *lib. Categ. c. 7.* Totum igitur necessariò definiendum per ordinem et respectum ad partes, quod non incommodè fit hoc modo: *Totum est quod continet partes. Et pars est, quæ continetur à toto.*

ARTICULUS II.

De distributione Totius.

22. ANtea persecutus sum distinctiones vocis, quæ ad vocem totius pertinent nunc de re ipsa agendum est. Armandus de Bello Vis. *lib. 2. Term. c. 256.* ponit sex genera totius. *Totum essentiale, integrale, perfectionale, potentiale sive potestativum, Universale & numerale*, sive quod ex numeris constat. Addunt aliqui *totum individuale*. Sed aliqua istorum non rectè videntur aliis connumerari, de quibus seorsim videndum, ut tandem retineamus, quæ genuina tota sint, in quæ distribui possit.

PUNCTUM I.

An totum perfectionale connumerandum sit aliis generibus totorum?

23. REspondeo ex præcedente articulo, totum perfectionale non debere aliis connumerari totorum generibus. Totum enim definiendum fuit, per respectum ad partes. At toti perfectionis non conveniunt partes. Vnde prius Deus dicebatur totus, sed sine partibus.

24. Elegantèr hoc explicat Clarissimus Martini *disp. Metaph. 4. Theor. 5. Deus*, inquit, *totus dicitur. Atque id propterea, quia partibus caret. Partium verò carentia huic toti est etiam tribuit: quippe, quæ perfectissimam dat unitatem & absolutissimam perfectionem & totalitatem.* Atque ita totum perfectionis quod vocant, non tam venire debet ad distributionem totius, quàm distinctionem ambigui. Plato Deum prorsus noluit vocare totum quid, quia videtur totum aliquid imperfectionis insinuare. De quo *Scaliger* Exerc. 65. s. 2. p. 246. *Primam causam nequidem totius nomine*, inquit, *appellandum esse censuit Plato, quia totum partes habeat, & quod habet partes aliquo modo multa sit, non unum.*

25. *Objectio.*

Sed excipitur, quod, ut Armandus docet *d. cap. 256. & 257.* etiam totum perfectionale partes habeat, sed solâ ratione differentes. Ergo utique partes habet. Ergo debet contineri sub toto propriè dicto, et non solùm secundùm æquivocationem.

26. *Respondeo:* Hoc ipso, quia in toto perfectionis non sunt partes realiter differentes, ideò verò totum non est. Nam ita relinquitur quod tale totum purè loquendo et absolutè, sit aliquid simplex et non compositum. At quod non est compositum, id ne quidem totum est. Accedit maximè, quod perfectiones impropriissimè partes dicuntur ejus rei, quæ perfectiones habet, et per similitudinem. Ergo id hìc etiam obtinet, quod statim de toto potestativo dicetur.

PUN-

PUNCTUM II.

An totum potestativum connumerandum sit aliis generibus totorum?

POtentiæ animæ sæpe dicuntur partes animæ; Ergo vi relationis anima est totum quid, respectu istarum potentiarum. Idemque est in aliis potentiis et habentibus potentias. Totum ergo potestativum sive potentiale est, cujus partes sunt potentiæ. Exemplum ejus jam fuit in anima. 27.

Hoc igitur totum potestativum aio dimittendum esse in enumeratione generum totius, sed quomodo? 28.

Fonseca *lib.4.Inst.Dialect.c.* 3 totum hoc revocandum esse ad totum integrale docet, et causam istius revocationis ait hanc esse, quia, *inquit*, ut res extensa constat suis partibus integrantibus, quo ad totam extensionem. Sic res quæ multas habet vires, constat suis viribus potentiisve, quo ad totam potestatem, quæ extensio quædam censeri potest. Hæc ille. *Fonseca quò referat Totum potestativum?*

Sed ista sententia non placet, quia fundamentum hujus reductionis ponit in sola similitudine. Similitudo autem non dicit essentialem sed accidentalem identitatem. Convenientia igitur in sola similitudine insufficiens est, ad duo pluráve conjungenda sub eodem genere. Quódque totum potestativum incommodè referatur ad totum integrale, inde præsertim patet, quia horum differentia est, penes ea, quæ potissima sunt in toto integrali. Nam de ratione totius integralis est, ut partes integrent illius essentiam. Sunt enim illæ partes materiales. Materia autem utique ad essentiam pertinet. At potestates sive potentiæ non pertinent ad essentiam totius illius quod potestativum dicitur. 29. *Refutatur.*

Dimissâ igitur hac Fonsecæ reductione, dico totum potestativum similiter non debere connumerari aliis totis, nec sub aliis totis comprehendi debere, sed solùm æquivocè totum esse, prout Metaphysicus sub nomine totius loqui solet. 30. *Totum potestativum omittendum esse in divisione totius.*

Ita patet quia totum potestativum non habet partes alias quàm potestates. At potestates animæ v.g. sunt adjuncta animæ. Subjectum autem ad adjunctum non habet propriè rationem totius, sed solùm dicitur totum in ea amplitudine, juxta quam totum dicitur omne illud, quod distribuitur. Et confirmatur, quod nulla major ratio est hic usurpandi rationem totius & partium, quàm in aliis subjectis & adjunctis. Cur igitur anima etiam totum non est respectu suorum Habituum? aut Elementum vel mixtum aliquod, respectu suarum qualitatum? 31.

Accedit, quòd ista denominatio nimis materialis est, quæ à potentiis sumitur. Adversitate materiarum autem non debet constitui ullum totum, sed potius ex vario modo respiciendi partes. Aliàs in infinitum multiplicanda essent totius genera, fieréque adeò aliud totum humanum, aliud Metallicum, aliud Meteorologicum, aliud habituale, aliud, quod jam ponitur potentiale. 32.

PUNCTUM III.

An totum numerale aliis totis connumerandum sit?

VOx totius numeralis ambigua est. Vel enim totum numerale seu numericum significare potest, totum singulare, vel totum illud, quod est ex numeris compositum. Et de priori quidem significatione seq. puncto agitur. Nunc de posteriori agemus. 33. *Totum Numerale bifariam dicitur.*

Igitur inprimis ad resolutionem propositæ quæstionis sciendum est, numerum non esse aliquid per se, sed per accidens, ut infra disputo *lib.2.cap.7.tit.5.a.7.* Porrò quæ sunt unum per accidens, ex instituto à Metaphysico in Entium divisionibus non curantur. Quia tamen qualiscunque unitas est in numero, propterea que ipse sub quantitate, tanquam ejus species, continetur, idcirco hoc totum numerale 34. *Numerale totum continetur sub toto integrali.*

tale revocari potest ad totum integrale. Et patet. Nam totum integrum dicitur per ordinem ad partes materiales. At unitates in numero sunt veluti materia ejus. Ergo numerus ex iis constatus est totum integrale. Et alioquin hæc etiam totius denominatio est nimis materialis, ut de toto potestativo antea arguebatur.

35. *Objectio.* Ad ea quæ dixi, excipit Armand. de Bello Vis. *l. 2. Term. c. 257.* totum numerale & integrale differre, eò quòd quælibet pars totius numeralis pertinet ad essentiam ejus. At non quælibet pars totius integralis, pertinet ad essentiam totius integralis.

Responsio. Sed hæc partim falsa, partim inconsequentia sunt. Falsum est, quòd non quælibet pars totius integralis pertineat ad essentiam totius integralis. Nam quælibet pars totius est pars materiæ. At materia est pars essentiæ. Quod si in toto integrali non quâvis parte ablatâ tollitur essentia illius totius, id non satis indicat talem partem non esse essentialem toti, sed solùm non esse principaliter essentialem. Et ad hunc modum (nempe pro sola principaliter essentiali parte) scio aliquos sumere partem essentialem, unde non admodum litigo de vocabulo. Sic Suarez *disp. 36. Metaph. s. 2. nu. 14.* non omnes partes materiales, inquit, sunt essentiales, quia non omnes sunt necessariæ, ut forma complete possit cum materia illud compositum, in quo essentia rei consistit. Et ideo illa materia est simpliciter essentialis (ubi sub hac voce *simpliciter essentialis* indicat tamen alias partes *suo modo essentiales* dici posse) quæ ad hoc necessaria est; reliqua verò dicitur esse de integritate ac complemento rei.

36. Admisso autem isto discrimine, adhuc tamen inconsequentia sunt, quæ dicuntur, quia in particularibus exemplis alicujus generis facile potest evenire aliqua varietas. Sub toto essentiali continetur & totum Physicum & Metaphysicum, quæ vocantur, & tamen multiplex inter ea est differentia. Cur igitur non debeat aut possit esse varietas in exemplis totius integralis? Quod hîc imprimis locum habet, quia quod de toto numerali nulla pars auferri potest, non sumitur ex ratione totius simpliciter, sed ex ratione numeri. Indéque illud discrimen iterum est à diversitate materiarum.

PUNCTUM IV.

An totum individuale connumerandum sit aliis totis?

37. INprimis hîc certum est, non omne individuum esse totum, ut nunc de eo loquimur. Nam totum non dicitur nisi per respectum ad partes. At individuum potest esse Ens simplex.

38 Loquendo igitur de individuis compositis, in quibus scilicet discernuntur materia & forma numerica, sive species aut genus & differentia numerica, hæc sunt & dicuntur tota, ex genere totius essentialis. Nam materia & forma simpliciter, item genus & differentia simpliciter, sunt partes essentiales. Ergo totum quod ex iis constat, hoc est, ipsum individuum, eorum respectu est totum essentiale. Confer & Fonsec. *lib. 4. Instit. Logic. c. 5.*

PUNCTUM V.

In quo exponitur propria divisio.

39. EX dictis nobis relinquuntur solùm tria totorum genera: nempe *totum essentiale, integrale, & universale.* Ita apparet, quia hæc singula & sola, naturâ suâ tota sunt. At Metaphysicus sub nomine totius ea solùm intelligit quæ talia sunt naturâ. Quod si quæ alia talem totalitatem habent, non faciunt peculiaria genera totorum, sed sub istis continentur. Vnde colligitur superiorem totius divisionem non esse in species infimas, sed subalternas, ut unaquæque istarum iterum subdividi possit.

Objicis:

Objicies: Totum integrale & essentiale non verè distingui: Indéque duo solùm relinqui totius genera, essentiale & universale. Antecedens patet. Quia partes totius integralis etiam sunt essentiales integro. 40. *Objectio de distinctione totius integralis & essentialis.*

Respondeo: Totum essentiale & integrale distingui, quod integrale dicitur per ordinem ad Partes materiæ, essentiale autem dicitur per ordinem ad materiam junctæ formæ. Et apparet à posteriori, eorum distinguendorum necessitas, quia secus nullum totum possemus dicere similare. Si enim totum essentiale solùm datur, hoc est, tale totum, quod ordinem habet ad materiam & formam, tùm omne totum erit dissimilare, quia hæ partes, hoc est, materia & forma sunt diversæ speciei. At partes diversæ speciei faciunt totum dissimilare. Æstimando autem seorsim partes materiales dimissa forma, aut etiam sub singulis complectendo formam, tùm alia res similares, alia dissimilares partes habet. Discrimen igitur traditum inter totum integrale & essentiale constans est. 41.

TITULUS III.

De toto essentiali ejúsque partibus.

PRima totius speciei continet totum essentiale. De quo quatuor considerandæ sunt. *Primò* generatim constituendum est, quid sit totum essentiale. *Deinde* proponenda est ejus divisio. Ubi & *tertiò* erit de partibus hujus totius agendum. Et *tandem* quomodo hoc totum ab utraque parte sua distinguatur? 42.

ARTICULUS I.

Quid sit totum essentiale.

DIcitur totum essentiale, cujus partes complent totam illius, sive compositi essentiam. Dico: *totam* compositi essentiam, propter totum integrale, quia partes totius integralis etiam pertinent ad essentiam compositi, Sed non integrant ex nisi unam solùm partem essentiæ, hoc est, materiam compositi. Materia autem sola non absolvit compositum. 43. *Discrimen inter totum integrale & essentiale.*

Potest tamen etiam discrimen illud sic constitui, ut totum essentiale dicatur illud, quod accipit essentiam à partibus habentibus rationem actus & potestatis. Semper enim in illo toto pars alia est perfectiva alterius, & proinde alia ab alia perfectibilis. At hoc non est in toto integrali, ubi neutra pars aliam actuat. Neque enim in homine v. g. caput, brachia, cor, pulmo, hepar, aut alia ulla pars habet rationem actus ad aliam. Idémque à fortiori est in totis integralibus homogeneis. Intelligiúrque adeò ex his, quid sit totum essentiale generatim loquendo. 44.

ARTICULUS II.

De divisione totius essentialis.

TOtum essentiale distingui solet in totum essentiale Physicum & Metaphysicum. Vide Fonsec 5. *Metaph. c.* 25. *lit. d. s. ad text.* & Scalig. *lib.* 1. *Poet. c.* 9. Et sumitur ex *Arist.* 5. Metaph. c. 25. t. 31. *Ea*, inquit, *quoque partes sunt, in qua aliquid dividitur, aut ex quibus totum componitur, qualia sunt forma & formam habens.* Hactenus notantur partes Physicæ. Subjungit autem posteà Aristoteles. *Præterea sunt in ratione, quâ quæque res declarantur, ea etiam sunt partes totius. Et sic*, inquit, *genus est pars speciei, cum alio modo species pars generis dicatur.* Hactenus igitur notantur partes Metaphysicæ. 45. *Totum essentiale est Physicum vel Metaphysicum.*

Porrò totum *Physicum* dicitur per ordinem ad partes Physicas. Dicuntúrque partes Physicæ, quæ in ipsa rerum natura, præciso omni actu mentis, distinguuntur, quales sunt materia & forma. Totum igitur in ordine ad materiam & formam dicitur totum essentiale physicum. 46.

Totum

47. Totum autem essentiale *Metaphysicum* dicitur per ordinem ad alias partes, quæ non nisi Metaphysicas sive generales compositiones essentiæ faciunt: Ita quælibet species componitur ex genere & differentia, natura & supposito, esse & essentia. Igitur genus & differentia & quæ alia jam sunt enumerata, sunt Metaphysicæ partes, respectu suorum compositorum, quæ ob id etiam tota essentialia Metaphysica dici possunt.

ARTICULUS. III.

De partibus totius essentialis.

48. AC de natura quidem & supposito, sufficienter erit infrà *lib.2. cap.2.* tractando de substantia prima: Item de esse & essentia, hoc libro, infra *cap.14, 15.* tractando de Ente actuali & potentiali. Iterum de materia & forma erit, tractando de causis. Rursus de genere mox erit hoc capite. Proinde nunc ex omnibus partibus vel Physicis vel Metaphysicis, nulla, ulteriori declaratione eget, quàm differentia, de qua non occurret alibi locus tractandi.

49. *Proponuntur dicenda.* Hic igitur aliquid de ea commentandum est. Deinceps etiam considerandum est, an materia rectè dicatur pars essentialis, & denique: an quod Metaphysicè totum est, sit etiam Physicè totum.

PUNCTUM. I.

De differentia ejusque conditionibus.

50. *Differentia quid sit?* IGitur per differentiam intelligitur actus ille, per quem ad certam speciem coarctatur indifferens & illimitata natura generis, seu, quod idem est, per quem constituitur species in esse ultimo. Tale quid est rationalitas, quæ addita animali, restringit ejus indifferentiam, quam habebat ad hominem & bestiam, & restringendo istam indifferentiam, constituit hominem in esse ultimo. Porrò ejus varias conditiones recenset Arist. *lib.6. Top.c.6.* & Porphyr. *in Isagog.cap.3. & alibi passim*, conferens differentiam cum prædicabilibus aliis. Excerpam eas inde conditiones brevissimè.

51. 1. *Differentia non debet esse negativa.* Est Aristot.*d.l.6. Topic.cap.6* §.5. ita patet, quia negationes nullam dicunt Entitatem, & differentia debet dare esse, nempe suæ speciei. Essentiam ergo ipsa habere debet. Fieri tamen potest, ut aliqua differentia in defectu vocabulorum exprimatur vocibus negativis, modo ea supponant pro aliquo positivo, quales sunt, quæ apud Græcos per α, & Latinos per *in* componuntur. Has enim privationes vocat Arist. *l.5. Metaph. c.22.* Sic bestiæ differentia ponitur *irrationalitas*, supponendo vocem privativam pro positiva. Confer Scalig. *exer.6 s. 4 & 5. & lib.2. de Plant. pag.306.*

52. 2. *Omnis differentia debet habere ἀντιδιαιρέσιν sive oppositam sibi differentiam.* Per Aristot.*6. Top.c.6* §.2. Ita rationalitas, quæ est differentia hominis, habet sibi oppositam irrationalitatem. Observat autem porrò Aristoteles de illa differentia ἀντιδιαιρέτῳ si ea non verificetur de genere, aut etiamsi maximè ei jungatur, non tamen facit speciem, tùm neutram illatum esse veram differentiam.

53. 3. *Species generis non potest esse differentia.* Est *6. Top.c.6.* §.9. Ita irrisio non potest esse differentia convitii, quia est species convitii.

54. 4. *Genus non potest esse differentia speciei.* Est *ibid.* §.10. Ita bonum non potest esse differentia virtutis, quia generatim dicitur de virtute.

55. 5. *Differentia debet prædicari in quale quid.* Ibidem §.11. Quale autem duplex est, substantiale & accidentale. Differentia igitur debet prædicari in quale, non tamen simpliciter in quale, sed in quale *quid*, hoc est, in quale ad substantiam vel essentiam rei pertinens. Atque ex hoc colliguntur duo. 1. Quod non sit vera differentia quæ prædicatur ad quæstionem quid est. Æque inde nullum genus po-

test

test esse differentia. 2. quod non sit vera differentia, quæ est adjunctum sive accidens speciei.

6. *Differentia non debet esse per accidens ad speciem*, Est *lib. 6. Top. c. 6* § 12. Sic et Scal. Exerc. 182. *s.* 1. puerorum & mulierc ularum est, non subtilium judiciorum, res partiri fortuitis distinctionibus. Atq; ita malè Peretius *lib. 2. de Philos. natural. c.* 3. differentias corporis facit Physicum & Metaphysicum, quia consideratio in scientia est rebus accidentalis. 56.

7. *Differentia non debet prædicari de genere.* Est 6. *Top. c. 6.* §. 13. Ratio hujus theorematis est, quia differentia est genere angustior. Prædicatum autem non potest esse angustius subjecto, sed vel est latius, vel ejusdem latitudinis. 57.

8. *Genus non debet prædicari de differentia.* Est *ibid.* §. 24. et apud Porphyr. *c.* 7. §5. Ita rationalitas non est animal. Et per hoc axioma sequitur Ens nullas posse habere differentias rigorosè dictas, per quas dividatur. Nam Ens in omni inferiori includitur. Et sic quia Ens non potest habere differentias, ideo non potest habere species, et per consequens nec ullius rei potest esse genus. 58.

9. *Differentia non potest attribui speciei, aut quicquam eorum, quæ sunt sub specie.* Est *ibidem* §. 15. Ita Rationalitas non est homo vel Petrus aut Paulus. Sic et in oppositum non debet prædicari de specie, intelligè de quidditativa prædicatione. Veluti homo non est rationalitas. 59.

10. *Differentiæ sibi posterior genere, prior specie.* Est 6. *Top. c.* 6. §. 16. Et apud Porphyriũ *c* 12. §. 5. Est a. prior specie, quia est speciei pars essentialis. Pars autem essentialis, est prior suo toto, apud Arist. 7. *Metaph. c.* 10. Iterum, differentia est posterior genere, quia ista generi supraponitur, et sic est quid accessorium ad genus. 60.

11. *Differentia non debet esse duorum generum, quorum neutrum sub altero continetur.* Est 6. *Top. c.* 6. §. 17. Sic et *lib. categ. c.* 3. §. 2. Heterogeneorum, quorum alterũ sub altero non collocatur, diversæ specie sunt differentiæ. Sic & *lib.* 1. *Top cap.* 15. § 15. Ita animalis et scientiæ non possunt esse eædem differentiæ Animalis differentiæ sunt terrestre, volucre, bipes, aquatile, quorum nulla est differentia scientiæ. Non enim harum una ab alia differt, quia bipes est. 61.

Porro ejus rationem assignat Aristoteles hanc, quia secus contingeret, si eædem differentiæ adderentur heterogeneis, quod tum species etiam eædem essent sub oppositis generibus. Porro disertè axioma loquitur de omnibus generibus, *quorum neutrum est sub altero.* Subalternorum enim generum (ut Aristot ait *lib. categ. cap.* 3. §. 3. nihil prohibet easdem differentias esse. Nam superiora inferioribus generibus attribuuntur. Quare quotcunque attributi differentiæ sunt, totidem etiam subjecti erunt. 62.

Cæterùm id hic studiosè notandum est, quòd identitas differentiæ non æstimetur ex identitate vocis, sed æstimetur ex identitate definitionis. Si enim eadem vox accipiatur sub diversa significatione, poterit etiam heterogeneorum differentia esse una. Una, inquam, unitate vocis non significationis. Sic rationale est differentia animalis. Astronomus tamen etiam Horizontem dividit per rationalem, &c. 63.

12. *Differentia non debet esse affectio.* Est 6. *Top. c.* 6. §. 23. Sic nivis differentia non debet poni albedo.

13. *Differentia est immutabilis.* Sic Arist. 5. *Top. c.* 6. §. 22. ut simpliciter dicam, inquit, secundùm quæ variatur id quod eam habet, eorum nihil differentia illius est. Quocirca qui talem aliquam differentiam tradidit, peccavit, quoniam omnino non variatur secundùm differentias. 64.

14. *Differentia non debet esse generi repugnans*, hoc est, absoluti absoluta, relativi relativa debet esse differentia 6. *Top. c.* 6 §. 21. 65.

15. *Differentia cuique assignanda est, juxta naturam ejus.* Est 6. *Top. c.* 6. §. 14. Ita oculi differentia recte dicitur ea esse, quòd sit ad cernendum [illegible] vigilis malè ponatur differentia, quòd ea hauriamus aquam, quia etsi ea aqu[illegible]ri possit, tamen ad hoc non est natura ejus. Alias differentiæ proprietates [illegible]ptio. 66.

TITULUS II.

An materia vellè dicatur pars essentialis?

67 HAc in re dico 1. *Non cujusvis essentiæ pars est materia.* Hæc assertio est contra eos, qui generalia omnium entium principia faciunt materiam & formam. Sed id secus est, quia nec materia ad essentiam Dei, vel formæ, vel ipsius materiæ, vel etiam eorum pertinet, quæ sunt Entia spiritualia. Spiritualia enim Entia dicuntur indè, quòd sint expertia materiæ & formæ.

68 2. *In habentibus materiam, materia est pro parte essentiæ.* Sunt, inquam, Entia aliqua immaterialia: de iis quæstio esse non potest, an materia, quam pro sua non habent, ad eorum essentiam pertineat. Alia autem sunt Entia Materialia, in quibus alio materiam non esse ut aliquid accessorium, vel ut extraneum ad esse rei materialis, sed omnino pertinere ad illius essentiam. Itaque hæc assertio est contra Averroëm id negantem 7. *Metaph. com.* 21. & 34. qui cum aliis docet materiam esse solùm velut vehiculum essentiæ. Formam autem esse totam rei essentiam. Docent autem eadem contra jam relatam sententiam, Avicenna 5. *Metaphys. cap.* 4. Thom. 1. *p.* 75. *a.* 4. & 7. *Metaph. ad t.* 34 laudun. 7. *Metaph q.* 12. Pererius *lib.* 6. *Phil. Nat. c.* 6. 7. 8 Suarez. *in Metaph. disp.* 36. *s.* 2.

69. *Materiam esse partem essentialem probatur.* Potro veritas hujus assertionis patet. 1. Corpus est Ens compositum. Ergo & habet Entitatem compositam. Consequentia est evidens ex conjugatis. Ad rationem corporis autem non est alia Entitatis illius compositio, præter eam quæ sit ex materia & forma. Ergo ex materia & forma est Entitas corporis composita. Deinde, sicut se habet genus ad speciem (quod est totum essentiale Metaphysicum) ita se habet materia ad compositum (quod est totum essentiale Physicum) Ratio similitudinis illius jam insinuata est, quòd scilicet ista ad idem genus totus & partium pertinent. At genus pertinet etiam ad essentiam speciei; nec absolvitur ea in sola differentia. Ergo etiam materia pertinebit ad essentiam compositi, ut ea non absolvatur in sola forma. Quod si putatur inefficax argumentum esse, quia videtur solùm ex similitudine duci, detur ratio diversitatis: cur cùm genus solùm confusè attingat essentiam speciei, & sit tamen pars ejus essentialis: Materia autem non sit pars essentiæ compositi, quia materia compositum non actuet, distinguat, determinet, ultimò perficiat, &c. Prout adversæ partis defensores loqui & argumentari solent.

70. *Tertiò*: Materia ponitur in definitione corporum. Ergo & pertinet ad essentiam corporum. Antecedens patet: quia corpus generatim definitur, quòd sit substantia ex materia et forma composita, & in specie homo, vel definitur quòd sit animal rationale. Animal autem non solùm animam sentitivam significat, sed significat eam in partibus organicis existentem. Ad hunc modum Augustinus *lib.* 19. *de civ. Dei, c.* 3. Laudat Varronem, quod dixerit, hominem non esse vel solùm animam, vel solùm corpus, sed utrumq. Consequentia autem evidens est. Nam imprimis, corpora sunt Substantiæ. Substantiæ autem non definiuntur ex προσθετικῶς, hoc est, ex additione alius, quod non sit essentiale. Id quod accidentibus convenit.

71. Tandem etiam hæc sententia confirmatur ex Aristot. 8. *Met. t.* 15. ubi disputat, quòd essentia entium materialium sit per se una, quia conflatur ex actu et potentia. At per potentiam ibi non potest intelligi nisi materia.

Observationes.

72. SUnt tamen ad hanc rem duo observanda. *Primo*, quòd materia et forma non concurrant æqualiter ad essentiam. Materia enim pertinet ad essentiam, solùm tanquam illius inchoatio quædam, & primum essentiæ fundamentum. Forma autem requiritur totam, tanquam ejus ultimum complementum.

73. *Essentia bifariam sumitur.* *Deinde* observandum est, quòd possit esse ambiguitas in vocabulo essentiæ, ut notat Pererius *lib.* 6. *Phil. Natur. c.* 8. *ad finem.* Igitur essentia aliquando sumi potest, ad

test ad significandum omne illud, quod in re quavis non est ab essentia extraneum sive accidentale, seu quicquid pertinet ad integritatem substantiæ & naturæ ipsius compositi. Aliter essentiæ vox sumitur angustius, pro eo solo, quod in quolibet composito, ejus actuativum, distinctivum, denominativum, definitivum, determinativum & perfectivum est, ut Pererius loquitur *dicto loco*. Atque ex hac distinctione 6
superiores etiam sententiæ conciliari possunt. In quantum tamen simpliciter existimatur, quòd materia non debeat dici pars essentiæ, sic objectiones solvendæ sunt, quoad ad hanc intentionem facere videntur.

Solvuntur objectiones.

Objiciuntur igitur varii textus ex Aristotele, *lib. 7. Met. t. 10.* dimissâ materiâ formam vocat quidditatem. Sic 8. *Metaph. t. 12.* Idemque est aliis multis locis. 74.

Respondeo formam dici quidditatem, quia est ejus principalior pars. Indéque per excellentiam ei convenit dici partem quidditatis. Ita plerique respondent. Pererius tamen *l. 6. Phil. Natur. c. 7.* existimat omninò Aristotelis sententiam fuisse, quòd sola forma sit tota rei quidditas. Istas criticas contentiones aliis relinquo.

Deinde *objicitur:* Si materia esset pars essentiæ, tum etiam per eam corpora ab 75.
invicem distinguerentur. At hoc non est. Nam omnium rerum eadem est materia, & ex parte materiæ non est diversitas. Connexio autem patet: quia quod essentiale est, utique distinctionem dare debet.

Respondeo negando propositionem, quia materia est solùm inchoatio essentiæ, indéque est illud essentiale, in quo quævis istæ res conveniunt. Forma autem est 76.
ultimum essentiæ complementum, indéque ipsius officium est, compositum ab aliis distinguere. Declaratur à simili. Nam & genus est pars essentialis speciei. Et tamen genus non dat speciebus distinctionem, quod inprimis procedit de genere generalissimo, & à fortiori, in Ente, quod rectè dicitur prædicatum essentiale. Et tamen nullam prorsus dat distinctionem. Sicut igitur differentiæ officium est (ut ipsa vox insinuat) dare distinctionem speciebus, eo tamen non obstante, genus est pars essentialis. Ita etiam formæ officium est compositum distinguere, ut eo non obstante, materia possit esse pars essentiæ. Alia argumenta mitto.

PUNCTUM III.

An quod est Metaphysicè totum, sit etiam Physicè totum?

IN præcedentibus totum essentiale, divisum est in totum Physicum & Metaphy- 77.
sicum, ubi satis apparuit formale discrimen eorum totorum. Nunc autem quæritur, *An semper in eadem rem conveniant?* Ubi id certum est, quod, quicquid est Physicè totum, hoc est, quod ex materia & forma constat, quòd id etiam sit Metaphysicè totum, ut constet ex genere & differentia. Nam compositiones illæ Metaphysicæ sequuntur simpliciter ex ratione Entis creati. Unde illis nullum Ens creatum carere potest. Hoc autem non quæritur: An etiam, vice versâ omne illud sit Physicè totum, quod genus & differentiam, *&c.* habet, hoc est, quod *Metaphysicè* totum dicitur.

Suarez *disp. 9. Met. s. 11.* aliique sic hanc quæstionem informant: Quòd sit in 78.
rebus principium unitatis universalis, h. e. ut ipse explicat, unde sumantur genus & differentia. Nam si genus & differentia non sumuntur nisi ex materia & forma, ut aliquibus placet (Autores vide apud Suarez *dict. loc. n. 3.*) Patet quæcunque genus & differentiam habent, quòd eadem etiam habeant materiam & formam.

Nihilominus omninò existimo: non quicquid est Metaphysicè totum, id etiam 79.
Physicè totum esse. Ita patet: Nam in rebus etiam immaterialibus [illegible] ratio est, *Metaphysicè totum non statim est Physicè totum.*
cur non assignetur genus & differentia, idemque est de cæteris [illegible]nitionibus. Speciatim autem alio loco constabit, Angelos omninò esse ex genere & differentia compositos. Illi tamen non sunt materiales, sed sunt Materiæ & formæ expertes.

81. *Materia & genus quomodo idem sint?*

Objici solet: Materiam frequenter dici idem esse quod genus: & differentia solet vocari forma. *Respondeo*, si illa eadem dicuntur, vox *identitatis* non sumitur pro identitate essentiali, sed accidentali, hoc est, solâ similitudine. Est enim multiplex inter ista convenientia. Veluti quod materia & genus sunt naturæ illimitatæ, & proinde communia ad multa, isdemque posteriora. In oppositum autem forma & differentia sunt naturæ limitatæ & limitantis, & proinde restrictæ ad peculiarem speciem. Nam quòd essentialis identitas inter ista non sit, ex multis discriminibus colligitur, de quibus, studiosè, ea colligentes, vide Averroën. 1. *Met. com.* 17. Alexand. *l.* 2. *Nat. quæst. c. ult.* Zabar. *l.* 2. *de prim. rer. Mater. c.* 18. *p.* 221. & Pererium *lib.* 5. *Phys. c.* 17.

ARTICULUS IV.

Quomodo totum distinguatur à suis partibus?

81. HAnc quæstionem, quæ ex vi vocum generalis esse videtur, hîc speciatim disputo, quia per totum in ista disputatione potissimùm intelligi solet totum essentiale. Quanquam eadem ratio est etiam de toto integrali.

82. Atque tùm tres ad eam sunt sententiæ. Alii distinguunt totum istud à partibus re, Alii modo: Alii etiam nullum intervenire discrimen ajunt, nisi quod est in modo loquendi & concipiendi. Singularium sententiarum defensores, vide apud Suarez *disp.* 36. *Met. sect.* 3. Pererium *l.* 7 *Phys. c.* 18. seqq. Colleg. Conimb. 1. *Phys. c.* 2. *q.* 1. Suntque in his sententiis quidam adeò dubii, ut nihil asserere velint.

83. *Quomodo totum à parte una distinguatur?*

Igitur 1. dico: *totum & partes simul sumptas à toto non distingui realiter.* Loquor hic de partibus simul sumptis. Nam si totum comparemus ad partem unam, sine dubio ab ea distinguitur, nempe ut includens ab incluso: Aliud est homo, & aliud anima, quia homo præter animam includit etiam corpus. Et rursus homo est aliud quàm corpus. Nam præter corpus includit etiam animam.

84. Quòd igitur à partibus simul sumptis homo v. g. realiter non distinguatur, apparet, quia Entitas compositi quæ ei convenit, ut totum est, & secundùm quam contra partes distinguitur, est vel simplex vel composita. Simplex esse non potest. Nam quærimus de Entitate compositi. Compositum autem non potest esse compositum, per simplicem Entitatem, ut ex ipsis terminis, apparet. Si autem ista Entitas est composita. Ergo oportet eam totam includere aliquos terminos ipsam componentes. Atqui non alii termini sunt, qui componant compositum essentialiter, sive qui dent essentiam composito, præter materiam, & formam, &c. Si autem illæ partes sint ita includuntur in composito, ut nihil sit per quod distingui possit, ejus essentia à partibus, remotis istis partibus. Ergo certè partes illæ ab eo non possunt realiter distingui.

85. *Objectionum solutio indicatur.*

Argumenta, quæ contrarium evincere debent, sumuntur inde, quòd alia sint attributa totius & partium, veluti quòd partes constituant, totum constituatur.

86. *Constituens non necessario realiter distinguitur à constituto.*

At, quod hæc argumenta sint inefficacia ad probandam realem distinctionem, apparet, quod ea sumuntur ex generali ratione totius & partium. Unde si ad constituere & constitui (ab istisque consequentia) sequitur realis distinctio inter partes essentiales & totum: Tunc inter omne totum & partes erit realis distinctio, quod est absurdissimum. Consequentia patet. Nam etiam genus constituit speciem, & pars integralis in toto per accidens, constituit totum; Et tamen nec genus à specie, nec totum per accidens à partibus suis realiter distinguitur. Et (quod fatetur etiam Timp. *l.* 3. *Met. c.* 6. *q.* 2. & Joh. Neapol. *quodlib.* 2. *q.* 7. pars totius homogenei constituit totum homogeneum, sine reali hujus ab illo distinctione. Unde statim negari possunt [illegible] positiones & similes: *Quæ differunt ut constituens & constitutum, aut quæ [illegible] ut constituens & constitutum, differunt realiter.* Nam falsas eas esse in prioribus patuit per exempla allata.

87. Dico. 2. *Addit tamen totum partibus, rationem essentialem.* Ita apparet, quòd in omni

omni composito partes debent conjungi, ut unum sit velut actus alterius. Aliâs enim compositum non potest esse quid unum. Unde porrò apparet illam unionem debere esse non accidentalem, quæ consistat in præsentia nuda ad idem spatium, sed debere esse essentialem, quæ fiat per περιχώρησιν talem, quæ ad actuandum satis sit, hoc est, quo et pars una actuet aliam, et sic consequenter composito totum esse attribuat.

Porrò illa unio non est res distincta à partibus, sed solùm est modus harum, unde totum præter Entitatem partium singularum, includens earum peculiarem modum, hoc est, dictam unionem, non includit peculiarem aliquam rem, in qua fundetur realis distinctio ejus à partibus. 88.

3. Dico: *Totum à partibus distinguâ ratione.* Hoc satis sequitur ad præcedentia. 89.

TITULUS IV.

De toto integrali ejusque partibus.

Sub hoc titulo de duobus potissimum agendum est. *Primo* de voce et definitione totius hujus. *Deinde* de ejusdem divisione. 90.

ARTICULUS I.

De voce & definitione totius integri.

VOx integri trifariam sumitur. Aliquando integrum opponitur mutilo. Et proinde tùm integrum est peculiare nomen perfectionis, sicut esse mutilum est speciale nomen imperfectionis. Dicitúrque tùm integrum, cui nulla pars quantitativa deest: quanquam id cum certis conditionibus intelligendum. Sicut enim non cui jusłibet partis ablatio rem facit mutilam, ita non cui jusłibet partis defectus tollit hanc integritatem. Neq; enim homo mutilus, atque adeò non integer dicitur, si ei particula cutis præsecetur, aut si calici adimatur pars de medio, veluti perforatione. Vide Aristot. 5. *Met. c.* 27. Et adde hoc libro *infrà c.* 11. *n.* 12. 91. *Integri vox trifariam sumitur.*

Et hæc significatio non est hujus loci, ut ex tribus potissimum apparet. 1. Quia nunc agitur de toto ut partibus opponitur. At juxta hanc significationem opponitur mutilo. 2. Quia quod est aliquod mancum et mutilum, adhuc tamen est totum integrale. (Integrale enim melius nunc possumus dicere, quàm integrum, ad evitandam æquivocationem) juxta præsentem significationem, quia habet et illud partes quantitativas sive materiales. 3. Quia totum hoc sub se comprehendit totum similare & dissimilare. At totum, ut integrum dicitur, solum sumitur sub toto dissimilari. Quia in toto homogeneo non requiritur definita magnitudo, vel definitus partium positus, hinc quâlibet parte ablatâ nunquam tamen aqua v. g. dicitur mutilata, sed in omnib. istis statibus semper dicitur æquè perfecta, ut Arist. docet *d. l.* 92. *Integrum hîc non sumi ut opponitur mutilo.* 93.

Ab ista autem significatione ducitur alia Metaphorica, in qua integritas significat virtutem moralem, eam, quâ quis candidus est, nec habet dissensum sermonis ad sententiam cordis, ut quasi unum eorum ab alio ablatum sit.

Tertiò autem integrale vel integrum dicitur, idque juxta præsens institutum pro omni eo toto, quod habet partes materiales, hoc est, partes tales quibus materia ejus constituitur seu habeat omnes seu aliquas. Ita homo est totum integrale, respectu capitis brachiorum, cordis, hepatis, pulmonis, *&c.* seu careat pede, seu non. Idémque est si alia pars absit non tollens essentiam speciei: Dico: *non tollens essentiam speciei.* Quia si essentia speciei tollatur, non relinquitur, nisi totum per accidens. Sub toto autem integrali nunc non comprehendimus nisi quod per se unum est. 94.

Atque ex his etiam quæ ad vocem integri hactenus commemorata sunt, apparet, quid sit totum hoc integrale, seu quomodo definiendum sit. Quibus junge ea, quæ in principio præcedentis tituli dicta sunt, constituendo discrimen inter totum essentiale & integrale. 95.

ARTICULUS II.

De divisione totius integralis, ejusque partibus.

96. SUb hoc articulo de duobus punctis agendum est. *Primò* de divisione totius integri in totum similare & dissimilare. *Deinde* de divisione partium in principales & minus principales.

PUNCTUM I.

De divisione integri in similare & dissimilare.

97. TOtum integrale dividitur in totum similare & dissimilare. Scaliger *lib. 1. de Plant. p. 168.* rejicit has appellationes & mavult dicere, *consimile*, & *consimile*. Sed lites vocabularię ad nihil prosunt. Unde mihi perinde est quomodo dicatur hoc vel illud totum. Aliâs etiam Arist. totum dissimilare vocat *organicum*, ejúsque partes ὄργανικὰ καὶ ὄργανα. *lib. 2. de generat. animal. c. 1.* Latinè dicuntur etiam totum homogeneum & heterogeneum.

98. Atque ex hoc loco Aristot. sumpta est hæc totius divisio, ut & *lib 2. de part. anim. c. 1.* ubi dicit partes alias esse ὁμοιομερεῖς, alias ἀνομοιομερεῖς, & alibi, eodem sensu, ut modò retuli, partes alias esse ὁμοιομερεῖς, alias ὀργανικὰς. Suntque ista Græca vocabula admodum significantia, & statim declarant naturam totius similaris & dissimilaris.

99. *Quid similare & dissimilare.* Ergo totum similare est, quod habet partes ejusdem essentiæ, ὁμοιομερὲς enim dicitur tanquam habens ὅμοια μέρη. Totum dissimilare autem est, quod habet partes diversæ essentiæ. Ἀνομοιομερὲς enim dicitur quod habet μέρη ἀνόμοια. Sic aqua dicitur totum ὁμοιομερὲς similare & homogeneum, hoc est, habens partes ejusdem essentiæ. Animal autem dicitur totum ἀνομοιομερὲς sive dissimilare & heterogeneum, hoc est, habens partes diversæ essentiæ.

100. *Ex disconvenientia in nomine non bene discernitur totum similare & dissimilare.* Frequenter discerni solet totum similare & dissimilare ex convenientia vel disconvenientia nominis. Sic igitur ajunt totum similare esse, de cujus partibus, prædicatu nomen totius, sicut quælibet pars aquæ vocatur aqua: Totum autem dissimilare esse, de cujus partibus non prædicatur nomen totius, sicut non quælibet pars (imò nulla pars) hominis est homo. Vide Damasc. *in Dial. c. 6.* & Zabar. *de nat. scient. const. c. 27.* Goclen. *l. 1. Inst. Log. p. 115.*

101. Sed hoc discrimen non est constans, quod ex nomine sumitur. Cùm enim impositiones nominum sint ab arbitrio hominum & proinde liberæ, fieri potest, ut aliquod totum similare, habeat nomen ab aggregatione partium, unde cùm illius totius nomen non poterit partibus accommodari. Neque enim singulæ partes sunt aggregatæ partes. Tale quid est in vocibus maris et cœli. Hæ sunt sumptæ ab aggregationibus plurimarum partium, hinc igitur non quælibet pars cœli, cœlum; aut quælibet pars maris, mare dicatur. Et tamen mare et cœlum sunt tota homogenea.

102. Dum illâ igitur convenientiâ et disconvenientiâ in nomine, ab essentiæ identitate et diversitate optimum sumitur discrimen discernendi totum similare à dissimilari. Totum ergo similare dixi quod dividitur in partes, ejusdem essentiæ. Totum autem dissimilare, quod dividitur in partes diversæ essentiæ.

103. *Differentiatur per essentiam eandem specie.* Cæterùm diversitas et identitas in essentia, non intelligitur nisi de eadem vel diversa *specie* essentiâ. Aliâs enim totum similare potest dividi in partes diversæ *numero* essentiæ, veluti tota aqua, in varias aquæ guttulas, quæ guttulæ habent essentias, numero diversas. Iterum totum dissimilare potest habere partes ejusdem *generis* essentiæ. Conveniunt enim animalis partes, verbi gratia, in communi ratione Entis, et sic in aliis. Indicâtque hoc Aristoteles. Is enim describens hanc similitudinem in Elementis, ait ea esse ἀδιαίρετα εἰς ἄλλα τῷ εἴδει. *lib. 3. de Cœl. c. 3. t. 32.* Et ἀδιαίρετα τῷ εἴδει 5. *Met. 3.* hoc est, indivisibilia in alia *specie* (diversa) & *specie* tenus indivisibilia.

104. Rursus cogitandum est, cùm totum sic dividatur, quod est totum quantitativum, proinde divisio etiam in partes diversæ essentiæ intelligenda est, non ut in materiam

tiam et formam (quomodo omne integrale totum habet partes diversæ Speciei) sed ut in partes quantitativas sive materiales.

Cæterum quia totius similaris partes conveniunt in eadem specie essentia, et partes totius dissimilaris ejusdem speciei non sunt. Hinc sequitur, quòd istorum tororum distinctio etiam sumi possit juxta identitatem et diversitatem eorundem specie attributorum essentialium. Attributa enim sequuntur ad essentiam. 105. *Et attributa specifica.*

Dico autem eorundem *specie* attributorum. Nam totum similare potest habere attributa, in differentibus partibus, numero diversa. Ita aqua est totum similare. Et proinde habet partes ejusdem speciei, conveniuntque illæ omnes in iisdem specificis attributis. Et proinde aqua undiq; est humida. Sed tamen alia numero humiditas est, quàm aqua Lani nostri habet hic, et alia, quàm aqua ejusdem Lani habet Vvetzlariæ, vel Vvirtzburgi.

Addidi etiam majoris claritatis causâ, *attributorum essentialium*. Nam totum similare variare potest in attributis accidentalibus. Ita totus aer est aliquid similare, etsi aliis atque aliis partibus variet, sicut hic sit salubris, alibi insalubris, et sic in aliis. Mare est aliquid similare, etsi in superficie sit salsius, quàm in partibus inferioribus. Huc pertinet quod Scalig. ait *Exerc. 61. sect. 1. p. 224.* ex Averroë. *Non est*, inquit, *in cœlo heterogeneitas, etsi partes ejus differant raritate & densitate, motu celeriori & tardiore.* Et proinde et stellæ (quæ condensatam habent materiam) et aliæ cœli partes, quæ raræ sunt, homogeneæ cœli partes sunt. Idemque est in varietate actuum. Ita terra est aliquid similare, etsi alia ejus pars moveatur, alia non. Vide Pereс. *l. 7. Philos. sat. c. 5. & l. 11. c. 7.* 106

PVNCTVM II.

De divisione partium in principales & minus principales.

HÆc divisio partium referenda est solum ad totum dissimilare sive heterogeneum. In toto enim homogeneo nihil habet pars una præ alia. Potro pars principalis non est hic idem, quod pars nobilior; et minus principalis, quod pars ignobilior: sed alia duo discrimina sunt, quibus istæ partes discernuntur. *Primum* est, quod parte principali ablatâ tollitur totum, sive species. Sic partes principales hominis, sunt caput, cor, pulmo. Illis igitur ablatis, vel aliquâ illarum, tollitur esse humanum. Partibus autem minus principalibus ablatis non tollitur totum. Ita præsecto digito, manu vel brachio, vel auricula, vel pede, homo tamen manet homo. Istæ igitur sunt partes minus principales. Ratio hujus discriminis sumi potest ex altero, quod statim attingo. 107. *Divisio hæc pertinet ad solas partes dissimilares. Discrimina partium principalium à minus principalibus.*

Alterum igitur discrimen, ut rectè constituatur, præsciendum est, quod & suprà est constitutum, quòd essentia totius non consistit in sola forma, sed in forma & materia. Forma igitur non potest explere officium suum, hoc est, ultimò speciem aliquâ absolvere, nisi subjectetur in materia, proinde illa pars materiæ, quæ formæ est prorsus necessaria ad effectum suum formalem, sic, ut forma citra eam non possit absolvere speciem, ea est pars principalis. Atq; hoc est in iis quas antea enumeravi. In oppositum igitur, quæ partes non sunt necessariæ formæ, ut effectum suum formalem exhibeat, eæ sunt partes minus principales. 108.

TITVLVS V.

DE TOTO UNIVERSALI, EJUSQUE partibus, hoc est, de genere & speciebus.

PEr totum universale nihil aliud solet intelligi, quàm genus. Genus enim habet naturam universalem. Et universali aliqua totius ratio convenit, sicut Zab. *2. post. ad text. ult.* ait, universale esse totum, quod complectitur omnia singularia. 109.

Porro etsi frequenter totum distingui soleat à genere, ut in primo titulo hujus capitis dictum est, tamen in Philosophia Aristotelica non est insolitum, genus appellare totum. Sic Arist. 5. *Metaphys. 25.* ait, speciem esse generis partem. Ergo opponitur

ſicum, genus eſt reſpectu ſpeciei totum. Atque ita ad complendam hanc de totâ & partibus doctrinam, docendum eſt aliquid de genere & ſpecie. Dicendumq; *primo* de voce generis & ſpeciei: *Deinde* de ejus definitione. Et *denique* de generis & ſpeciei diviſionibus.

ARTICULUS I.

De voce Generis & ſpeciei

110. *Generis ſignificationes oratoriæ.*

VOx generis & ſpeciei variè accipiuntur, ut tradit Ariſt. 5. *Metaph. c.* 28. Porphyr. *in Iſagog. c.* 2. Damaſc. *in Dial. c.* 9. aliiq;. Igitur *Primo* dicitur Genus pro patria & parentibus. Sic Achillem dicimus ex genere Pelidem. Et nos Dei genus dicimus, ex Arato ab Apoſtolo Ludov. Vives *l.* 3. *de cauſſ. corrupt. arti. p.* 110. rejicit hanc ſignificationem, ſed exempla propoſita ſatis eam confirmant.

111. *Secundo* vicina huic eſt ſignificatio, in qua genus familiam ſignificat, ut Heraclidarum genus, hoc eſt familia.

112 *Tertio* genus eſt idem quod generatio. Sic ſolemus dicere, inquit Ariſtotel. 5. *Met. t.* 18. quouſq; erit hominum genus, hoc eſt, quouſq; erit hominum generatio.

113. *Genus eſt idem quod ſubjectum.*

Quarto genus ſumitur pro ſubjecto: Sic vulgò dicitur, corruptibile & incorruptibile non convenire in eodem genere, hoc eſt, ſubjecto: hoc eſt, eandem rem non eſſe corruptibilem & incorruptibilem, prout in ipſo axiomate hanc vocem interpretatur Fonſeca. 5, *Met. c.* 8. *q.* 4. *ſ.* 2. Suarez *diſ.* 35. *in Met. ſ.* 3. *n.* 37. Ex Thoma, Conimbricenſes *lib. Categ. c.* 5. *q.* 1. *art.* 2. & Arriſæus *in Epit. Metaph. p.* 229. aliique. Sic & cum Ariſt. 1. *poſt. c.* 7. *t.* 57. *et c.* 10. *t.* 7. ait: omnem demonſtrativam ſeu ſpeculativâ ſciẽtiã circa tria verſari: circa *genus*, &c. Per genus nihil aliud intelligi poteſt, quàm ſubjectum. Eadem ſignificatio eſt, ipſo Ariſtotele interprete 5. *Metaph. c.* 28. Cùm ſuperficiem dicimus *genus* figurarum ſuperficialium, & ſolidum ſolidarum.

114. *Genus dicitur quod confuſum ad alia conceptum hab. t.*

Quinto: omne illud genus dicitur, quod naturam confuſam & determinabilem habet, ſic ſubſtantia & accidens dicuntur ſpecies Entis. *l.* 4. *Metaph.* 12. Unde Ens iſtorum genus dicitur. Et tamen non eſt genus propriè ſed impropriè, ſolùm attendendo ejus communitatem & confuſam naturam. Ens enim aliàs nullius rei genus eſt, ſecundùm Ariſtot. 2. *poſt. cap.* 7. & 4. *Top c.* 5. §. 2.

115. *Sexto*: genus ſignificat omne illud univerſale, quod naturam habet inferioribus communicabilem, & per veras differentias contrahibilem. Hoc modo etiam ſpecies infima dicitur genus reſpectu individuorum, apud Ariſt. 2. *Met. cap.* 2. & 4. vide de hac ſignificatione Ramum. *lib.* 3. *Schol. Dialect. c.* 5. 6.

116. *Denique* apud Ariſtotelicos frequenter genus ſumitur pro illo univerſali, quod ſit contrahibile per differentias ſpecificas. Vnde ſic ſpecies infima non eſt genus, quia non contrahitur niſi per differentias numericas ſive individuificas. Atq; ita ſpecies numerabitur inter Prædicabilia. Prædicabile autem & Univerſale æquipolent, & aliàs individua non prædicantur.

117. *De voce ſpeciei.*

Speciei vox quot modis nunc ſumatur, facilè apparet. Pleraq; enim ſignificationes occurrentes ad vocem generis, redundant ad vocem ſpeciei. Unde iſtæ inde peti poſſunt.

118. *Forma quomodo dicatur ſpecies?*

Sumitur autem præterea ſpecies pro pulchritudine, unde & ſpecioſus dicitur pro pulchro. Ad hunc modum aliqui aiunt, Formam vocari ſpeciem, quod paſſim Ariſt. dicit, & repetit Scalig. *Exercit.* 80. *ſ.* 3. quia ſcilicet ipſa ſit ornamentum materiæ, quanquam & ſpecies vocari poteſt forma, quia cùm materia compoſitum, ſive ſpeciem conſtituit. Utrumque attingit Fonſeca 1. *Met. cap.* 7. *q.* 3. *ſ.* 8.

119. Iterum ſpecies aliquando ſumitur pro apparentia, & opponitur veritati. Ita dicimus bonum, aliud eſſe verè bonum, aliud autem habere ſpeciem boni. Vicina iſti ſignificationi, eſt illa, quâ Philoſophi dicunt ſpeciem ſenſibilem et intelligibilem. Ibi enim ſpecies ſumitur pro imagine rei, et diſtinguitur contra rem ipſam. Nempe ſpecies ſenſilis eſt quæ ſeſui, intelligibilis, quæ intellectui aliquid adumbrat. Confer Armand. de Bell. viſ. *lib.* 2. *Tom. cap.* 184. Nobis hic ſpecies dicitur, id omne, in quo per differentiam additam alicujus generis natura reſtringitur, ſive coarctatur.

ARTI-

ARTICULUS II.

De definitione generis & speciei.

Duo hîc proponuntur: Primò generis; Deinde speciei definitionem tradere & explicare. 120.

PUNCTUM I.

De definitione generis.

ARistot. 2. *Top. cap.* 5. §. 6. Et Porph. *in Isag. c.* 2. & Damasc. *in Dial. cap.* 9. & alii genus ita definiunt: *Genus est, quod de pluribus differentibus specie prædicatur in quid est, non conversim.* Μεταφυσικῶς ergo erit hæc definitio. Si pro voce *prædicatur* (quæ magis Logica est,) sumatur vox ὑπάρχειν, *convenit* sive *inest*. Ita enim etiam Aristoteles Logicam & Metaphysicam universalis discernit definitionem. In Logicis enim, inquit. *lib. de interp. c.* 7. Universale id esse, quod est aptum de pluribus κατηγορεῖσθαι *prædicari*. At in Metaphysicis ait, *lib.* 7. *Metaph. cap.* 13. universale id esse, quod aptum est ἐν πλείοσιν ὑπάρχειν *esse* in pluribus. 121.

Ramus *lib.* 1. *Dial. cap.* 27. 2. t. genus esse totum partibus essentiale. Sed non placet illa definitio, quia juxta eam omne commune prædicatum, quod aliis inferioribus esset essentiale, esset itidem genus, quod falsum est in multis exemplis. Ens v. g. est quidditativum prædicatum substantiæ & accidentis: Animal maris & fœminæ, quantitas ad bicubitum & tricubitum: & tamen nihil istorum rationem generis habet: ut mox patebit, excluduntúrque à definitione Aristotelica, inde, quod ista non prædicantur de differentibus specie. 122. *Rami definitio rejicitur.*

Explicatur definitio generis Aristotelica.

IGitur: *Primò* dicit Aristoteles: *Genus prædicari de pluribus.* Ita patet, quia genus est aliquid universale. Universale autem ut jam relatum est, est quod de pluribus prædicatur. 123. *Genus quomodo de pluribus prædicatur.*

Porrò illa extensio ad Plura est intelligenda non de actu, sed de aptitudine. Ea enim de causa Aristoteles in definitione universalis ait: ὃ πέφυκε *quod aptum natum est*. Atque inde genus potest esse genus, si maximè de facto uni soli insit, modò naturam habeat multiplicabilem, ut in pluribus inesse *possit*. Sic animal est genus bestiæ & hominis simpliciter & ad quemvis statum: Et tamen antequam crearetur homo, animalis natura non erat nisi in bestia, & post hujus mundi destructionem non erit de facto nisi in homine. Hæc de re plura erunt agendo de universalibus. 124.

Apparet autem ex istis, id non posse esse genus, quod non potest esse in pluribus, seu quod non habet naturam in plures species (de multitudine enim specierum intelligitur illa pluralitas) multiplicabilem. Et sic Deus nullius rei potest esse genus, quia simpliciter, ob Dei infinitatem, repugnat ut plures sint Dii, ut suo loco videbitur. Sic neque sapientia potest ullius disciplinæ genus esse, quia repugnat ut sint plures sapientiæ, ut fuit suprà *cap.* 1. *n.* 21. 125.

Secundò dicit Aristoteles: *Genus prædicari de pluribus in quid est.* In quid est autem ea dicuntur attribui; quæ aptè respondentur, cùm rogatur, quid res sit, ait Arist. 1. *Top. c.* 5. §. 6. Sic, cùm animal sit genus hominis interroganti, quid homo sit, rectè respondebitur, quòd sit animal; Et sic in aliis. 126. *Genus prædicatur in quid est.*

Et hinc sequitur, quòd accidens rei, ejus non possit esse genus, sicut & Arist. docet 1. *Topic. cap.* 6. 3. Ita album non potest esse genus nivis, aut Cygni, vel lactis, & ratio est, juxta præsentem definitionem, quia accidentia prædicantur non in quid, sed in quale est. 127.

Deinde ex eodem etiam sequitur, quod differentiæ, etsi sint communes, non sint genera specierum. Ita sentiendum, si in rigore loquamur, non potest habere 128.

rationem generis ad hominem & bestiam. Differentiæ enim non prædicantur in quid, sed in quale est, apud Porph. *in Isagog. c. 3.* Dixi *si in rigore loquamur*, quia qualicunque ratione differentiæ communes sive generales, in concreto sumptæ, supponunt pro ipsis generibus: Unde cùm dicitur: *Sensitivorum aliud esse hominem, aliud bestiam*, divisio dicitur à Logicis esse generis in species, ut plenius disputo in Topicis *cap. 29. n. 9. seqq.* Aliter autem genera, & aliter definitioni conveniunt, in quid prædicari, ut statim attingam.

129. *Genus non prædicatur conversim.*

Tertiò dicit Aristoteles: *Genus prædicari non conversim.* Genus, cùm alterutra specie non debet reciprocari. Τὸ δὲ γένος εἶναι ἀντιστρέφειται, ait Porphyrius *in Isagog. cap. 9* §. 6 7. Et in hoc distinguitur genus à definitione. Definitio enim etiam in quid prædicatur de definito, sed conversim. At id, ut nunc Aristot. dicit, non convenit generi. Hoc sensu, Rudolph. *lib. 2. de invent. cap. 9.* ait: Genus respondere quæstioni quid sit, sed ita ut totam interrogationem non absoluat. Pertinetque huc, quod Plato in Menone ait: quòd δικαιοσύνη non sit ἀρετὴ sed ἀρετή τις & quod τετράγωνόν sit σχῆμά τι, οὐχ ἁπλῶς σχῆμα: hoc est, quod justitia non sit virtus, sed virtus quædam, & rotunditas non sit figura, sed figura quædam.

130. *Genus prædicatur de differentibus specie. Differre specie, quid Ramæis & Aristotelicis.*

Quarto dicit Aristoteles: *Genus prædicari de differentibus specie.* Inprimis ad hanc hujus definitionis particulam intelligendam, est prænotandum, quod Phrasis illa *differre specie*, bifariam accipiatur. Ramus ejúsque sectæ essentialem distinctionem ponunt vel in genere, vel in specie, omissâ differentiâ numericâ. Ergo istis etiam individua dicuntur differre specie, sicut & individua ab illis dicuntur species. Vide inprimis Ramum *l. 3. Schol. Dialect. cap. 4, 5, 6.* Aristotelicis autem specie differre, est medium quid inter differre genere, & differre numero. Indéque Socrates & Johannes istis non differunt specie sed numero. Idémq; est de omnibus individuis quæ ejusdem speciei sunt. Prout igitur latè vel strictè accipitur *ni* differre specie, ita etiam ampliandum vel constringendum est nomen generis.

131. Nam Ramæi etiam speciem infimam (quam Aristotelici dicunt) vocant individuum. At Aristotelici infimam speciem genus non vocant. Infimam enim speciem propterea vocant, quia non sit divisibilis in alias ulteriores species. Estque species infima illud universale, quod in ordine essentialis prædicationis est proximè supra individuum, quale quid est homo.

132. *Per Phrasin de differentibus specie, quidnam ab Aristotele à definitione generis arceatur.*

Ad mentem autem Aristotelicorum explicando eam definitionis particulam, *Prædicari de differentibus specie*, tria inprimis, si accuratè eam intueamur, in ea involuuntur. *Primò* igitur dicitur, quòd genus debeat prædicari de *differentibus* specie. Porrò differentia discernuntur à diversis, apud Aristot. 10. *Metaph. t. 12.* Dicuntúrque diversa, quæ se totis distinguuntur. Differentia, quæ per aliquid sui, veluti per additam generi differentiam distinguuntur. Sic homo & bestia differentia sunt. At rationalitas & irrationalitas primò diversa sunt. Idemque est de summis generibus. Hæc enim hoc ipso, quia summa genera sunt, simplicia sunt sive expertia differentiæ distinguentis. Confer Perer. *lib. 5. Philos. Naturalis. 12.* Colleg. Coninbr. *in Porph. cap 3 q. 1. a. 1. p. 250. & lib. 1. Phys. c. 9 q. 3. a. 3* & Scaliger. *de Plantis lib. 1 p. 149.* & Interpp. *ad. l.* Atque ex his dico S. quid in quid prædicetur, non tamen de differentibus, sed de diversis, tùm id non habere rationem generis. Tale quid est, cùm Ens prædicatur de substantia & quantitate, & qualitate & cæteris.

133. *Differre specie excludit ni differre accidentaliter.*

Deinde: differre specie, est species differentiæ essentialis: Differre, inquam, essentialiter, est genere, specie, numero differre. Atque ita hactenus, quicquid habet rationem generis, debet esse in differentibus specie, atque adeo in iis, quæ differant essentialiter.

Hinc sequitur: Si quid prædicetur in quid, non tamen de essentialiter differentibus, quod id non habeat rationem generis. Sic animal prædicatur de mare & fœ-

& fœmina. Jam sexus diversitas non facit discrimen essentiale. Animal igitur non potest esse genus maris & fœminæ, etsi de iis in quid prædicetur. Sic quantitas prædicatur in quid, de quantitate longa, & parva, bicubita & tricubita. Item fides de fide firma & languida. Et tamen ista non habent ad hæc rationem generis. Nam quantitas longa & parva, fides firma & languida differūt solùm per majus & minus, item magis & minus differunt, quæ non mutant speciem. Sic Zabarella *lib. de propos. necess. cap. 2. p. 378.* Albedo, *inquit*, simpliciter sumpta, quæ puram & impuram complectitur, latiùs patet, quàm albedo pura, nec tamen est latius genus.

Atque ex hac etiam affectione sumi potest ratio, cur Deus non sit genus ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, nempe id exinde est, quia istæ personæ non differunt essentialiter. At omne genus ad ea refertur quæ essentialiter differunt & specie distinguuntur. Vide August. *lib. 7. de Trinit. cap.* 6. & Suarez *disp.* 30. *Metaph. n. 4. n. 31.*

Deus, non est genus ad Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

134

Denique differre specie, distinguitur à differre genere & numero. Nam quæ genere differunt, differunt etiam specie. Quæ autem numero differunt, non necessariò differunt specie, sed possunt esse eiusdem speciei, ut Johannes & Petrus. Hinc si quid prædicetur de iis, quæ solo numero differunt, tum id non potest habere rationem generis. Ad mentem Aristotelico...m loquor. Ita homo in quid prædicatur de Johanne & Petro. Et tamen illorum genus non est, quia non differunt illi specie, sed solo numero. Atque hic sensus est summatim definitionis priùs traditæ. Sunt aliquæ objectiunculæ contra hanc definitionem, quas discussi *in Intr. L. c. 3. num. 21.*

PUNCTUM II.

De definitione speciei.

135.

Definitiones Porphyriæ examinantur.

Porphyrius *in Isag. c. 2.* duas habet definitiones speciei. Primò: *species est id quod generi subjicitur.* Secundò: *species est id quod de pluribus differentibus numero in quid est prædicatur.* Sed utraque definitio mala est, si Aristotelicè philosophemur. Prima quidem, quia ea definitio etiam individuo convenit. Nam & individua subjiciuntur generibus. Ut Socrates est animal. Hic equus est equus. At individua in Philosophia Aristotelica non sunt species.

136.

Altera definitio similiter bona non est. Nam & genera prædicantur de pluribus differentibus numero, etiam genera generalissima. Et tamen ista non possunt esse species.

Antecedens sequitur ex censura prioris definitionis. Nam si individua subjiciuntur generibus. Ergo genera prædicantur de individuis, quia subjici & prædicari dicuntur relativè. Alia ad hanc rem addidi *in Introd. Log. cap 3. q. 2. num. 29. seqq.*

137.

Ampliando autem vocem speciei, ut ad individua etiam extendatur, quod non incommodè potest fieri, sic generatim species definiri potest quòd sit pars generi subjecta, seu, quòd sit id quod generi subjicitur, ut Porphyrius loquebatur.

138.

Species quomodo dicatur pars generis?

Dicitur autem species *pars* generis, quia partem de potestate generis sibi præscindit. Velut. cùm homo in potestate sua contineat rationalitatem et irrationalitatem, homo, qui animalis species est, non nisi rationalitatem sibi præscindit. Quanquam aliàs intuendo speciei constitutionem, quæ est ex genere et differentia, non incommodè etiam genus speciei pars dicitur. Vnde Aristot. *lib. 5. Metaph. cap. 27.* utrumq; dicit, nempe et genus esse partem speciei et speciem esse partem generis. Distinguit hæc Boeth. *in lib. de divis.* aiens, genus in definitione partem esse speciei, in divisione totum.

ARTICULUS III.
De divisione generis & speciei.

TRes potissimum sunt divisiones hîc explicandæ.

PUNCTUM I.

Genus est generalissimum vel subalternum: Et vicissim, species est specialissima & subalterna.

139. DIvisiones has tradunt Arist. 1. *prior. cap.* 27. & Porphyr. *in Isag. cap. c.* 2. §. 21. Unde frequenter & ab Autoribus aliis usurpantur. Sumitur autem ratio distinctionis, ex ista rerum diversitate, quòd res quædam aliis communiter insint; Aliæ autem adhuc communiùs insint ut istis & aliis communiter insint. Veluti animal communiter est in homine & in bestia. Sed corpus adhuc communius est,

140. cujus natura reperitur in animali et in planta, et in lapide.

Genus generalissimum. Igitur cùm genus generalissimum dicitur, quod cùm sit aliorum genus, non habet tamen aliud supra se genus, cujus species sit, seu ὁ γένος & ὃ οὐκ ἔστιν εἶδος & seu *quod genus est, & nullo modo species*, seu ὑπὲρ ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλος γένος, ut autores dicti loquuntur.

Talia summa genera dicuntur esse decem prædicamenta. Nam etsi vox Entis significet in eis communem quandam naturam: tamen Ens non est genus eorum,

141. imò nullius rei, ut alibi disputavi. Vnde relinquitur, quòd ad constituendum

Decem prædicamenta sunt genera generalissima. genus generalissimum exigatur, non habere supra se genus exactè et rigorosè dictum. Græcis dicitur γένος & γενικώτατον.

Genus subalternum. Genus autem subalternum (Græcis genus ὑπάλληλον) est, quod cùm genus sit ad aliqua inferiora, est tamē species superioris vel superiorum. Sic animal erat genus hominis, est tamen species viventis. Ergo animal est genus subalternum.

142. Et ex his patet, quid sit species specialissima et subalterna. Nempe sicut genus

Species specialissima & subalterna. subalternum erat, quod hujus quidem genus, alterius verò species est. Ita species subalterna erit, quæ hujus quidem species, alterius tamen genus est: Ita animal est species, subalterna, quia cùm species sit corporis, est tamen genus hominis. Summatimque quodcunque genus est subalternum, id est etiam species subalterna, materialiter loquendo, sive de rebus ipsis, quæ talia genera et species denominantur. Rursus sicut genus generalissimum erat, quod non habebat genus, ita etiam species specialissima est, cujus non est species.

Quid veniat nomine speciei specialissimæ. Est autem hæc quæstio inter Ramæos et Aristotelicos, *quidnam sit ista species specialissima?* Ramæi enim individua vocant species specialissimas. Aristotelici, autem individua simpliciter distinguunt à speciebus, omnemque speciem, faciunt esse quid universale. Inprimis autem video, pro utraque opinione inveniri doctorum locutiones, sæpeque individua dici species. Vnde hæc λογομαχία solitum est. Prolixius hanc rem persecutus sum, in *Top. c.* 28. *n.* 77. *seqq.*

PVNCTVM II.
De divisione generis in remotum & propinquum.

143. HÆc altera est divisio generis, sumiturque inde, quod prædicata quidditativa possunt plura de eadem re dici. Id autem non potest esse citra subordinationem. Neque enim eadem res potest esse sub generibus oppositis. Subordinatio autem est in eo, quòd plurium illorum generum, quæ de una dicuntur specie, unum est genus alterius generis, et sic universalius altero. Nam juxta Aristotelem *lib. Categ. c.* 3. Quod dicitur de prædicato, dicitur etiam de subjecto. Vnde quod genus est animalis v.g. id etiam dicitur de homine, et est genus hominis.

Ex his

Ex his ergo subordinatis generibus *propinquum* est, quod est minus universale, ac aliud: *Remotum* autem, quod est universalius alio, cumq; propinquit iis & remotionis illius certi gradus sint, sumentur illi similiter ex majori vel minori universalitate. Conf. Arist. 4. *Top. cap.* 2. §. 2. 144.

PUNCTUM III.

De divisione generis in univocum & Analogum.

APud Aristotelem *lib. Categ. cap.* 1. univocum opponitur æquivoco; sed id est, dividendo nomen, non dividendo genus. Nomen enim pluribus potest esse unum, sub diversa significatione & essentia. At genus non potest esse diversæ essentiæ. Est enim genus nomen communis essentiæ, dicente Arist. 10. *Met. c.* 3. Atque ita potest quidem nomen esse æquivocum, non autem genus. Atque hoc propterea diligenter observandum est, quòd aliqui definitionem *generis univoci* volunt extruere, ex isto loco Aristotel. quatenus univocum etiam Analogo opponitur, quod propter dicta esse non potest, præsertim cùm ibi nulla mentio sit generis analogi. Sed de hac re erit postea observatione quinta. 145. *Vox univoci exponitur. Æquivocum non est genus.*

Deinde observandum est: cùm genus dividitur in analogum & univocum, quod vox generis non sumatur in rigore, juxta expositam ejus definitionem; atque adeò, comparando hanc divisionem ad genus, juxta illam definitionem, nunc non tam est generis distributio, quàm vocis distinctio. Analoga enim nunc dicuntur, quæ isto modo genera non sunt. Ita Ens dicitur analogum ad substantiam & accidens, et tamen non est genus illorum, quia substantia et accidens non sunt specie differentia, sed primò diversa. Atque ideo dixi in *Theorem.* 10. *hujus capitis*, ampliandam esse vocem generis, cùm per analogum et univocum dividitur. Ampliatio autem hæc est, ut scilicet omne illud dicatur genus quod significat unam essentiam, vel unum conceptum in pluribus, quod aliàs ad rationem generis rigorosè loquendo, non sufficit, ut suprà constitutum est. 146. *Vox generis non sumitur rigorosè cùm genus distinguitur in analogum & univocum.*

Tertiò est observandum; vocem analogiæ et analogi frequenter significare proportionem et proportionale. Unde *Zab. lib. de nat. scient. constit. c.* 10. negat, quod aliàs πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς dicitur, rectè analogum dici. *Multi putant*, inquit, *illud esse analogum, quod ab uno ad unum vocant, decipiuntur tamen, quia in iis quæ ab uno ad unum dicuntur, est pendentia quædam necessaria aliorum ab uno, quatenus talia sunt, sicut accidentia, eò ratione sunt Entia, quatenus inhærent substantiæ, quæ primariò dicitur Ens. At unum analogiâ nihil aliud est, quàm unum proportione, etiamsi nulla sit pendentia aliorum ab uno.* Hæc ille. Et verum quidem est, analogiam significare similitudinem et proportionem, sed tamen et usus apud Doctos obtinuit, ut etiam illud quod πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς apud Aristotelem dicitur, dicant analogum. Atque ita hoc loco etiam id per analogum intelligimus. 147. *Vox analogi & analogiæ explicatur.*

Atque tum *quarto* Porro observandum τὸ πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς (Nunc analogum id dicimus) duplex esse, aliud consistit solùm in extrinseca attributione, et pendentia unius ad aliud, præterea autem nullam dicit communitatem essentiæ ad analogata. Sic sanum dicitur de sano animali et urina, et aëre et remedio, etc. Aliud verò præter illam extrinsecam denominationem dicit etiam communitatem essentiæ, quale quid est Ens ad substantiam et accidens. Proinde in divisione generis, in univocum et analogum non intelligitur prius ejus generis. Cùm enim id non dicat communitatem in essentia sub communi nomine. Ergo simpliciter non est nisi æquivocum, et non genus. Genus enim necessariò sub sert communitatem in essentia. Proinde nunc alterum solum genus τὸ πρὸς ἓν intelligitur. 148. *Analogum distinctum à proportione duplex.*

Atque ita à præsenti consideratione analogi sive divisione generis in univocum et analogum, rejicimus omne illud analogum quod in analogatis non significat communem essentiam. Genus enim est, inquit Arist. 10. *Met. c.* 3. quo, quæ 149.

conveniunt, secundùm essentiam idem sunt. Atque ita & analogum & æquivocum communem essentiam significant.

150 Proinde specialiùs loquendo: duo genera analogorum huc non pertinent. *Primum* ea, quorum analogia consistit in sola proportione, sive similitudine, de quibus antea erat secundâ observatione. Similia enim non sunt (ratione essentiæ) eadem. *Deinde* ea, quæ ex sola attributione & dependentia extrinseca analoga dicuntur, de quibus proximè actum.

151. *Univocum bifariam sumitur. Analogum dicitur univocum et æquivocum.* *Quinto* observandum est, univocum bifariam dici. *Aliquando* æquivoco soli opponitur: *Aliquando* verò non opponitur æquivoco adæquatè, sed junctim æquivoco & analogo. In quo posteriori sensu medium analogum inter univocum & æquivocum: Indeq; ob vicinitatem ad utrumq; modò dicitur univocum, ut *l. Cat. cap.* 1. modò etiam dicitur æquivocum, quomodo frequenter occurrit, quod Ens ad substantiam & accidens dicatur æquivocè apud. Aristot. 1. *Elench. c.* 6. Porphyr. *In Isag. c.* 2. Aug. *in Cat. c.* 2. Damasc. *in Dial. c.* 46. & alios.

152. *Univocum quid Arist. l.* 1. *Categ.* Igitur univocum, quatenus soli æquivoco opponitur, non etiam analogo, definitur ab *Arist.* lib. Categ. c. 1. *Univoca ea dicuntur*, inquit Aristoteles, *quorum & nomen commune & ratio substantiæ, nomini accommodata eadem est.* Hæc significatio non est ad præsentem divisionem. Nam nomina hic dicuntur univoca, quæ sub uno nomine unam etiam essentiam significant. At non nisi hoc ipsum, quod scilicet unam essentiam significat, potest dici genus. Ergo sic omne genus est univocum. Ergo & analogum hoc sensu est univocum. Ergo univocum genus, nunc non opponitur analogo. Ergo univocum genus accipiendum nunc est in significatione à priori diversâ.

153. *Univocum quid hic sit?* Hanc significationem constituit Scaliger *Exer.* 299. *s.* 2. *p.* 890. Cùm nomen utrinque æqualiter secundùm eandem essentiam convenit, univocum dicitur. Et rursùm, *lib.* 4. *de caus. l. l. c.* 91. univocum, *inquit*, est, quod idem genus æquè omnibus dispertit. *Analogum*, quod non æquè, sed ordine quodam. *Æquivocum* quod nomen solùm communicat.

Constituitur quid sit univocum & analogum.

154. His præmissis facilè est constituere, quid sit univocum & analogum genus. Nempe genus univocum est, quod eandem essentiam æquè sub univocatis communicat, ut modò loquebar ex Scaligero.

155. *Explicatur definitio univoci.* Hujus autem definitionis *Primo* non est hic sensus, quasi statim sit genus univocum, cujus essentia (sistendo in ea, ut generica) *æqualiter, hoc est, non secundum plus & minus* reperitur in inferioribus. Nam id etiam est in analogo genere, veluti Ens est analogum ad substantiam & accidens, hic accidens non minus habet de generali ratione & definitione Entis quàm substantia. Nam & Accidens est aliquid habens realem essentiam.

156. Nec *Secundo* illius sensus est, quasi species generis univoci debeant esse æquales ratione *dignitatis*. Fieri enim potest, ut sub genere univoco una species sit nobilior alia propter differentiam, quæ sit in alia nobilior quàm in altera. Sic Zab. *lib. de nat. scient. const. c.* 10. *p.* 25. Si cœlum, *inquit*, propter nobilitatem esset magis corpus naturale (seu principale analogatum corporis naturalis) quàm corpora caduca, oporteret eâdem ratione hominem magis quàm lapidem esse corpus naturale & magis quàm alinum animal esse, quod tamen dicendum non est. Atque ita species generis univoci, cùm aliæ aliis sint nobiliores, per id tamen non stat, quin participatione generis sint æquales.

157. *Æqualiter quomodo univocum se communicet?* Proinde æqualitas, quæ in communicanda essentia ad univocum genus requiritur, intelligitur solùm *de identitate ordinis*, ut scilicet illa generalis essentia, non conveniat alii prius, alii posterius, aut per dependentiam ab isto. Sic animal est univocum ad hominem & bestiam, quia generalis essentia animalis, nec prius homini, nec prius bestiæ convenit, ut alterutrum eorum sit animal, per dependentiam ad alterutrum.

Atque

Atque ita genus analogum dicitur, quod eandem essentiam analogatis communicat, inæqualiter, hoc est, (removendo prius omnes heterogeneos sensus antea tactos ad definitionem univoci) in diverso ordine, ut scilicet unum analogatorum habeat eam prius, aliud posterius. Sic Ens est analogum ad substantiam & accidens. Accidens enim non participat rationem Entis nisi inhærendo in substantia, vel generaliùs loquendo, afficiendo eam. Semper igitur postulat accidens, ut substantia jam dum habeat esse, in quo accidens fulciatur & sustentetur. Atque adeò ut Entitatem habeat per dependentiam ad substantiam sustentantem. Alia exempla mitto. 158. *Analogum genus quid?*

Sunt aliqui, qui genus analogum dari negant, sed exempla sunt multa illud in oppositum confirmantia. Atque ita etiam de toto universali satis esto. 159.

CAPUT. VII.

De Singulari & Universali

1. Secundò ad unius considerationem pertinet singularitas & universalitas.

2. Singulare est, quod est hic & nunc: vel quod non est commune (incommunicabile) multis, numero distinctis, ut Socrates: Hæc terra. Hic Angelus.

3. Universale est, quod est unum, commune multis, numero aut etiam specie distinctis. Ut Angelus ad Michaelem & Raphaëlem. Homo ad Petrum & Paulum. Animal ad hominem & bestiam.

COMMENTARIUS.

POTIORES Metaphysici agunt de singulari & universali in doctrina Unius. Hos nos sequimur potiùs, quàm ut ex istis terminis faciamus peculiarem divisionem Entis, quod quidam faciunt. Et facit huc, quod frequenter horum Periphraseis & descriptiones fiunt per vocem unius, veluti quod singulare dicitur *Unum* numero. Universale etiam apud Aristotelem passim dicitur, *unum* in multis. Vide inprimis 1. *post. c.* 8. 1.

Agam autem *primò* de singulari. *Posteà* de universali. Ac de singulari quidem de quatuor capitibus differendum est. 1. De voce Singularis & æquipollentibus. 2. De quidditate rei singularis. 3. Quid singulare addat naturæ communi, & deinceps de principio individuationis. 2.

TITULUS I.

De voce singularis & æquipollentibus.

SIngulare apud Oratores dicitur, quod peculiariter eminet in genere aliquo, vel vel quod habet aliquid, quod communiter in aliis ejusdem generis non solet reperiri. Et sic opponitur vulgari. Quomodo singulariter doctus singulare ingenium, singularis nequitia in re aliqua gesta dicitur. Hanc significationem nunc non curamus. 3.

Apud Philosophos sumitur singulare duobus modis: 1. Singulare dicitur latè, pro omni, quod superiori contractius est quomodo singulare dicitur, non solùm individuum, sed etiam minus universale. Hoc sensu Aristoteles ait 1. *Top. c.* 10. & 2. *Post. c.* 14. Inductionem progredi à singularibus, Sæpe enim inductio progredi- 4. *Philosophis quid singulare?*

ur

tur à speciebus ad genus. Veluti homo nutritur, bestia nutritur, planta nutritur? Ergo omne animatum nutritur. Rursus 2. *Post. t. 82. ait:* Facilius definiri singulare quàm universale. Ubi per singulare rectè intelligitur minus universale, docente Zab. *ad hunc text.* & Perer. *lib. 3. de Phil. c. 11 & 13.* Nam aliàs singulare, hoc est, individuum non potest definiri, secundùm Aristot. *7. Met. c. 4. & 5.*

5. 2. Singulare est idem quod individuum vel particulare. Unde singularia Græcè dicuntur καθ' ἕκαστα, κατὰ μέρος, ἐν ἀτόμοις. Vide Arist. *cit. loc.*

6. *Singulare individuum & particulare quomodo differant?*

Est tamen discrimen quoddam inter singulare, Individuum & particulare? ut non malè tradit Armandus de Bello Visu *Lexici lib. 2. c. 286.* Una igitur eadémque res sic dicetur *singularis*, in quantum est ab aliis numero diversa. *Individua* autem, in quantum in se est indivisa, nec porrò in alia individua est divisibilis. *Particularis* autem dicitur, in quantum exceditur à natura communi sive universali, ejúsque partem solùm (loquendo de rei universalis potestate) vendicat.

7. *Tres conditiones singularium.*

Unde sub his distinctis rerum singularium nominibus insinuantur tres earum proprietates. 1. Quòd debeant esse ab aliis numero distinctæ. 2. Quod debeant esse indivisibiles in alia individua. 3. Quòd non debeant totam naturam universalis significare; sed eam contrahere ad particularem quasi differentiam.

8. *Alia distinctio singularis & particularis.*

Necessariò tamen notandum est: in aliquo alio sensu adhuc singulare & particulare distingui. Veluti, in doctrina propositionum, aliud est subjectum singulare, & aliud est subjectum particulare. Indéque aliud etiam est propositio particularis, aliud propositio singularis. Particulare ergo (ut quidam homo, quidam equus) ibi significat ad modum partis & est vagum, indéque in eo potest esse ambiguitas, ut particulare axioma sæpè rejiciatur à loco, in quem singulare admittitur, in doctrina syllogismi. Atque sic singulare significat ad modum totius, & pro.nde nullam ambiguitatem habet, ut Socrates, Bucephalus, &c. Vide Zabarell. *1. post. ad text. 63. p. 767. & de quarta figurâ syllogismi c. 7.*

9. Rursus: sicut universale distinguitur in universale, quod est in essendo, & quod est in prædicando, & quod est in causando: ita etiam est in singulari, unde quæ ad hanc distinctionem de universali dicentur, hic etiam applicanda sunt.

10. *Specialia nomina singularium.*

Specialia nomina rerum singularium sunt: *Hoc aliquid* (sicut Arist. *lib. categ. c. 5. §. 16.* Substantias primas, ait significare Hoc aliquid) *substantia prima, suppositum, persona.* Igitur *Hoc Aliquid* est individuum substantiale completum. Veluti Socrates, unde quâdam proportione trahitur etiam ad partes separatas & abscissas, ut dicantur Hoc aliquid. Vide Coloniens. *ad Hispan. tract. 3. copul. Logic. fol 110.* Bellovisium *in Lexico lib. 2. c. 290.* Idémque est de *Suppósito. Substantia prima* est, idem quod substantia singularis. Atque sic ipsa est nomen singularitatis, in genere substantiarum. *Persona* autem similiter contrahit singulare ad esse substantiale, eorum, quæ sunt suppósita intellectiva. Hæc in doctrina de substantiis clariùs proponentur.

TITULUS II.

Quid sit singularitas & singulare.

11. SIngularitas est nomen unitatis. Unde superaddit Enti non nisi negationem. Hæc igitur in genere est indivisio. Ergo sic singulare, quia est aliquid unum, est aliquid indivisum. Quia autem est unum tale, nempe singulare, ideò est indivisum numero: hoc est, singulare ita dicitur unum, ut non possit dividi in plura numero distincta. Vocatur aliàs hæc negatio *incommunicabilitas.* Sumitúrque ex oppositione ad universale, Universale enim est, quod est unum commune. Singulare igitur erit, quod est unum incommunicabile, seu non commune multis.

12. Atque ex hac oppositione ad universale, intelligitur, quomodo singulari conveniat

veniat incommunicabilitas, nempe id est, opposito modo, quo universali convenit communicabilitas. Nempe universale est communicabile aliis, ut hoc dicatur esse istud, & in istis fiat numero multiplex. Veluti animal communicatur homini, & homo Petro per modum universalis. Et hinc homo est animal: Et Petrus est homo, Indeq; pluralisatur animal in iis, quibus se communicavit: Sicut & homo, in iis, quibus iste se, ut universale, communicavit. In oppositum igitur, singulare est incommunicabile, quia non habet alia intra se, in quibus pluralisetur, & dicatur de istis quidditativè. Dicam clarius. *Singulare quomodo incommunicabile?*

Communicatio, ut non obscurè tradit Lychetus *l. 1. dist. 2. q. 4. in initio ad Scotum*, est duplex: alia est quidditativa, alia effectiva. *Effectiva* est, qua quid per modum efficientis alii communicat essentiam. Hoc modo individuum non est incommunicabile. Nam gignens (veluti Anchises) communicat essentiam genito, veluti Æneæ. Atque ex hac communicatione, non sequitur hæc prædicatio quidditativa, ut Æneas dicatur Anchises. 13. *Communicatio duplex.*

Quidditativa communicatio est, qua communicans communicat essentiam alii, sic, ut istud ad complementum essentiæ hujus intrinsecè pertineat. 14.

Atque tum hæc quidditativa communicatio iterum est duplex. Est enim aliquid alii communicabile, ut *Quo* vel ut *Quod*. Quod est communicabile ut *Quo*, est tanquam forma. Forma enim communicat se compolico. Sic, ut id, quo compositum est hoc aliquid, sit forma. Et proinde hinc sic apparet, nec hoc genus communicabilitatis repugnare rei singulari. Nam forma singularis, ut anima Petri, est communicabilis supposito, nempe Petro. Atque ex hac communicabilitate etiam non semper sequitur, ut hoc, dicatur istud, quod est in communicatione universalium. Neque enim Petrus est anima Petri. 15. *Quidditativa communicatio duplex.*

Loquitur autem hoc genus communicationis potissimum de ea, quæ est inter partem & Totum. Est tamen proportionaliter etiam amplianda ad communicationem, quæ est inter partes ad invicem, veluti quod forma (etiam singularis) se communicat suæ materiæ. 16.

Est igitur alia communicatio præterea, qua quid communicatur ut *Quod* Estque sic communicabile ut Quod, quod habet aliqua inferiora, ab invicem essentialiter distincta, de quibus prædicari possit in recto, sive prædicatione dicente, hoc est hoc. Veluti animal communicat se homini & bestiæ per modum universalis. Et inde dicitur, homo est animal, bestia est animal. Quæ duo (homo & bestia) inter se essentialiter distinguuntur. Atq; hæc communicabilitas negatur de singulari. Neque enim Socrates, verbi gratia, se communicare potest, ut aliæ res dicantur, ex participatione illius naturæ, Socrates. Dixi *ex participatione illius naturæ*. Nam per æquivocationem potest fieri non attendendo hanc participationem, quæ est in generatione, ut genitum accipiat nomen gignentis. Veluti ut filius Sophroniscis dicatur Socrates. Neq; tamen hinc Socrates est res universalis. Et rursus, si aliquod individuum se communicet, sic, non tamen dividitur in plura, specie aut numero distincta. 17.

Atq; ex his statim apparet 1. Quòd individuo non repugnet incommunicabilitas omnis, Potest enim communicari per effectivam communicationem & per modum formæ. 18. *Non omnis incommunicabilitas repugnat individuo.*

2. Apparet: Incommunicabilitatem non satis distinguere singulare ab universali: Si omne id dicatur universale, quod est communicabile, ut hoc dicatur istud: & singulare non sit, quod est communicabile. Nam ex communicatione, quæ est inter partes aliquando eveniunt prædicationes directæ. Neque tamen illæ universalia sunt. Et hac de causa dixi, communicabile ut Quo non semper facere prædicationes has, hoc est, istum. 19.

Antecedens patet. Nam ὁ λόγος ὑποστάσεως suam communicat cum assumpta carne. Indeq; dicitur, Filius Mariæ est Deus. Et nihilominus ὁ λόγος sive Deus nō est aliquid universale, per talem communicationem. Idémque est in fictitiis ut- 20.

nionibus Poëtarum, veluti Tragelaphi aliorúmq;. In Tragelapho enim, in quo concurrunt natura hirci et cervi, fiunt ex communicatione illa ad istud suppositum, hæ prædicationes: Tragelaphus est hircus, Tragelaphus est cervus. Sic etiam Homerus *Iliad. 7.* Chimæram vocat Leonem et Draconem. ὄφρα λέοντ᾽ ἐσάωσαν τε δράκοντα, etc. Et tamen illæ sunt partes chimæræ. Neque intelligitur in istis prædicationibus: Draco aut Leo: aut cervus, ut quid universale, sed omnino hic cervus, etc. Vt satis apparet. Nam rectè dici potest, Tragelaphus est hic cervus et sic in cæteris. Atque sic apparet posse esse aliquid communicabile ad gignendam propositionem directam, nec tamen esse universale.

21. *Communicabilitas quæ faciat universale?*

3. Igitur communicabilitas, quæ facit universale requiret: *Primo* ut communicetur ut Quod, hoc est, quicquid est communicabile per modum universalis de iis, quibus communicatur in quid est dicitur. *Secundo*, ut communicetur ad alia, quæ non ejusdem sed inferioris ordinis sint. Interioris, inquam, ordinis, quoad latitudinem prædicandi, hoc est, non debent ea tam latè patere, sicut ipsum universale. Contrahunt enim naturam universalem. Et hinc, huius respectu, ejus inferiora dicuntur particularia, κατὰ μέρος. *Tertio*, ut communicetur ad multa. Vbi nihil refert, an actu, an potestate multa habeat, quibus communicetur. Hoc enim respectu dicitur universale commune multis.

22. Porro multiplicari non potest universale, nisi per specificas differentias aut numerales. Vnde sic, universale est communicabile multis specie, vel saltem numero distinctis. Atque sic summatim: Vniversale est. 1. Communicabile, ut quod. 2. Suis multis inferioribus. 3. Specie aut numero distinctis.

23. Singulare igitur erit incommunicabile, modo oppositio. Nempe, singulare non est communicabile, ad inferiora, specie aut numero distincta.

Ergo sic ὁ λόγος non est quid universale, etsi prædicetur, ut quod de filio Mariæ. Quia in ordine prædicandi sunt æqualis latitudinis, ὁ λόγος sive Deus et Filius Mariæ. Vnde dici potest conversim. Filius Mariæ est Deus, et Deus est Filius Mariæ propter personæ unitatem.

Et rursus Deus non est aliquid universale, respectu Patris, Filii et Spiritus S. Quia etsi divina essentia sit communicabilis personis: tamen iis non communicatur, ut specie aut numero distinctis, quod in universali, quale quidem nobis notum est, semper requiritur. Sed videamus seorsim de illo.

QVÆRITVR:
An Deus sit res Singularis, an Universalis?

24. *Quod Deus sit quid universale ad tres personas.*

VIdetur Deus esse res universalis. Nam est ejus essentia communicabilis, ut Quod (hoc est, ad directam prædicationem) ad tres personas realiter distinctas, Patrem, Filium & Spiritum S. Atq; hinc Cajet. *1. part. q. 3. n. 3. & alibi locis*, dicit, vocem Dei sumi posse & ad modum speciei (quod est nomen rei universalis) & ad modum individui. Et istud quidem intelligit esse, cùm est prædicatum hâc propositionum. Pater est Deus, Filius est Deus. Antitrinitarii etiam docent, si Dei essentia sit communicabilis pluribus, tum revera, non esse singularem sed universalem. Vide Goslavium *l. 3. contra Keckerman. c. 4.*

25. *Aliquorum opinio.*

Alii igitur nec universalem nec singularem aiunt esse essentiam divinam sive Deum, ut Suarez *disp. Met. s. 1. n. 6.* refert. Aliquot Patrum dicta recensent Lombardus *l. 1. sent. dist. 23. Lit. I.* Quibus dicunt, Deum unum esse singularem. Ita *Augustinus*. Et non singularitatis, sed unitatis esse, cùm Deus unus dicitur. Ita *Ambrosius*, qui addit, Deum non esse confitendum, singularem vel solitarium, vel unicum, quia singularitas personarum pluralitatem excludat.

Decisio quæstionis.

26. *Deus non*

DIco 1. *Non potest Deus esse nec singularis, nec universalis sed necessariò est aliquid horum.* Opponuntur enim singularitas & universalitas per communicabile

cabile pluribus numero distinctis (quod convenit universali.) Et non communicabile pluribus numero distinctis. At ista sic sumpta sunt contradictoria. Inter contradictoria autem non datur medium.

Non est nec singulare nec universale.

2. *Deus non est aliquid universale.* Nam universale est aptum esse in multis, h. e. universale potest pluribus fieri, vel per species, vel per individua. Universale autem sic est multis communicabile, ut multa hæc sint ejus species vel individua, ut per se notum est. At tale quid non est Deus, quia Deus ut sic, est infinitus. At non possunt multa esse infinita. Si enim essent plura infinita, essent ea ab invicem distincta. Ergo singula haberent perfectionem aliquam, quæ non esset in aliis, secundùm quam distinguerentur. Illa autem perfectio non posset esse aliquid finitum. Distinctio enim sumitur ab ultima cujusque perfectione, quæ in infinito est infinitas. At si esset illa perfectio infinita, in qua unum infinitum distingueretur ab alio, tùm utrumque eorum careret aliquâ infinitâ perfectione, ea scilicet, quam habet alterum. At repugnantia est, infinitum carere aliqua infinita perfectione. Fieret enim, per defectum illius perfectionis, finitum in perfectione. Non possunt igitur plura esse infinita. Atque adeò non possunt esse plures Dii. Et sic repugnat Deo multiplicari. Ergo Deus non est Ens universale. Argumenta hic multiplicare nolo.

Deus non est aliquid universale.

Damasc. *lib. 3. de Orth. fid. c. 4. & 6.* vocat essentiam divinam communem, & personas individua. Sic & Fonseca *lib. 5. Metaph. c. 8. q. 5. s. 6.* ait: essentiam esse commune quid & indeterminatum, sed per dicta apparet, id accurate loquendo non esse. Dicitur igitur natura esse communis, & persona individuum per similitudinem. De quo vide Lomb. 1. d. 19.

27. *Naturam divinam quomodo communem dicat Damascenus?*

3. *Deus est aliquid singulare.* Hoc ex prædictis sequitur. Si enim non omne Ens est singulare vel universale, per primam propositionem, & Deus non est aliquid universale, per secundam. Relinquitur, ut sit singulare Ens.

28. *Deum esse quid singulare.*

Et confirmatur. Quod maximum singularitatis signum est repugnantia ad multiplicationem. Hoc enim intuitu individuum dicitur res singularis. Et, in contrarium, universale dicitur commune multis. At requirente id infinitate Dei, repugnat quàm maximè, Deum multiplicari, hoc est, plures Deos esse, ut prius ostensum est. Ergo Deus verè est aliquid singulare.

29.

Et confirmatur, quia si Deus non esset res singularis, sive unus numero, tum unitas, quæ Deo tribuitur in Scripturis, intelligenda esset, de unitate generica, vel specifica. At hoc absurdum. Nam hæc locutio Deut. 4. & 32. *Non est alius præter eum. Et non est alia præter me*, negant apertè plures numero Deos. Neque enim v. g. Adam distinctus ab Eva posset dicere: Non est alius homo præter me.

30.

Atque sic etiam Patres dicunt: Deum esse Unum numero & singularem. Justinus *lib. de Monarch. Dei.* vocat Deum singularem. Nazianz. *ad Evagrium de Deitate.* Individua summi numinis natura est. Augustin. *lib. 1. contra Maxim.* Pater, Filius & Spiritus sanctus unum sunt, propter individuam eandemque naturam. Nazian. *in tract. tu de fide:* Quæ est, inquit, substantia Dei, nisi ipsum, quod Deus est Ens simplex, singulare, purum, nullâ concretione permixtum. Et sic in aliis. V. de plura apud Bellarminum *lib. 1. de Christo c. 3. Argumento 3. ex Patribus.*

31. *Sententia Patrum.*

Objectio. Essentiam divinam esse communicabilem Deo Patri, Filio & Spiritui sancto: *Respondeo.* Non omnis communicatio arguit naturam universalem sed ea solùm, quæ quid est communicabile multis speciebus, aut individuis, ut priùs constitutum est. Personæ autem istæ non sunt species vel individua Dei. Quia species & individua ab invicem distinguuntur essentialiter. Specifica enim & numeralis distinctio essentialis est. At personæ istæ non distinguuntur essentialiter. Vide Suarez *in Metaphys. disp. 30. sect. 4. n. 31.* Fonsec. 5. *Metaph. c. 8. q. 5. a. 2.* ubi ait: Deus non est genus (universale) respectu trium personarum, siquidem dici de pluribus, ut de subjecto) speciebus vel individuis simul est aliud quàm prædicari prædicatione essentiali de pluribus, in quibus id quod prædicatur, diversum sit, & multiplicatum,

32. *Objectio.*

multiplicatum, quo pacto Deus non est in Patre, Filio & Spiritu sancto.

33. Hoc ipsum etiam gravi ratione probat *Augustin* lib. 7. de Trinit. c. 6. *Si essentia*, inquit, *genus est, species autem persona, oportet appellari 3. sui substantias* (essentias) *ut appellantur 3. personæ. Sicut, cum animal sit genus, & equus species, appellantur 3. equi & eadem tria animalia. Non enim ibi species, pluraliter dicitur, & genus singulariter, ut si diceretur 3. equi sunt unum animal, sed sicut 3. equi nomine speciali, ita etiam illa tria animalia, nomine generali, dicuntur. Cùm ergo 3 personas fatemur esse unam essentiam, non tres esse essentias, cùm tres equi tria animalia dicantur, non unum; Patet ratione essentiæ non significari genus, nec nomine personæ speciem significari, sed aliquid singulare atque individuum & nomine essentiæ speciem intelligi, ut personæ dicatur, non sicut homo, sed sicut hic homo, velut*, Abraham, Isaac, Jacob; *Sic quoque illos eadem ratio confutabit. Sicut enim* Abraham, Isaac, & Jacob *dicuntur tria individua* (*personæ*) *ita etiam dicuntur tres homines & tria animalia*: Hæc Aug.

34. *Molinæus* de Univers. p. 445, 446. *Natura divina*, inquit, *una numero est, in tribus personis. Natura verò universa non debet una numero esse in multis, sed communione essentiali, quæ sit supra individuum.*

35. *Instantia.* *Instas*: Pater & Filius & Spiritus sanctus omninò distingui numero. Sunt enim *tres*, quæ vox numeralis est. Ergo Deus prædicatur de his ut Universale. Significat enim essentiam communem multis numero distinctis.

36. *Personas Trinitatis non distingui numero.* *Respondeo*: Si accuratè, & modo loquendi Philosophico loquamur; Personæ illæ non distinguuntur numero. Nam, ut prius dictum, numeralis distinctio est distinctio essentialis. At istæ personæ essentialiter non distinguuntur, quia singularium est una essentia. Dicuntur igitur numero differre personæ istæ alio modo, qui ad contrahendam naturam universalem insufficiens est, nempe in quantum numero distinguuntur, quæ in enumeratione sive computatione sibi non adjungitur. Et hoc, non priori sensu ait Damasc. *lib. 3. de orthod. fid. c. 4.* personas illas distingui numero, ut benè exposuit Lomb. *lib. 1. d. 19. q.*

37. *Alia Objectio.* 2. *Objectum* fuit ab Ambrosio. Tolli pluralitatem personarum, si essentia dicatur singularis. *Resp.* (quicquid sit de verbis Ambrosii ut & Augustini) singularitate essentiæ non tolli pluralitatem personarum, quia per generationem & spirationem æternam supponitur, non obstante singularitate ejus, naturam illam esse communicabilem per realem identitatem. At ista communicabilitas infert pluralitatem ὑποστάσεων.

38. Ubi non est quidem diffitendum, communicationem istam videri similem communicationi universalis ad singulare (quo sensu etiam, ut prius dictum, Damasc. naturam vocavit communem, personas individua) nihilominus verè talis non est: per dicta ad secundam propositionem. Verè autem, vel quàm maximè est hæc communicatio talis, qualis est naturæ ad suppositum. Communicat igitur se divina essentia tribus personis, ut natura suppositis, in quibus nec ab ipsis, nec à se ipsa illa dividitur, docente etiam Suarez *in Metaph. disp. 5. sect. 1. n. 6.*

TITULUS III.

Quid singulare superaddat naturæ communi, ut fit singulare.

39. IN primis ex præcedenti discursu apparet, singulari convenire incommunicabilitatem ad plura numero aut specie distincta. Illa autem incommunicabilitas cùm sit negatio, non inseccè conveniens singulari, necessariò fundatur in aliqua Entitate. Hoc igitur fundamentum istius negationis nunc inquiritur.

40. *Singularitas Dei.* Unde 1. Dico: *Dei & divinarum personarum singularitatem fundari statim in ipsa Entitate divina & non in aliquo addito.* Ita apparet, quia Deus, ut sic, non est res universalis: sed in se statim concludit repugnantiam ad multiplicationem, quod est

est signum singularitatis. Unde satis clarum est, non requiri aliquid porrò, quod determinet Deum ad singulare esse.

II. *Omnia Entia creata determinantur ad esse singulare, per differentiam individualem.* Sicut enim species contrahit genus ad esse specificum per differentiam specificam: ita etiam individua contrahunt communem sive universalem naturam, ad esse individuum per differentiam individualem. 41. *Singularitas Entium creatorum.*

Unde sic creatum individuum componitur Metaphysicè ex natura communi & differentia individuante. Estque fundamentum ibi hujus compositionis satis clarum quod omnia individua creata habent naturam, cui non repugnet, ut detur huic similis, atque adeò quæ actu possit esse in multis. Et hinc in individuo sumitur alter terminus hujus compositionis nempe natura communis. Rursus de facto illa natura sumitur in individuo, ut incommunicabilis & indivisibilis ad plura individua. Ergo sic habetur in individuo & alter terminus illius compositionis. Faciúntque adeò hæc compositionem in individuo, ad eum modum, quo id fieri diximus per esse & essentiam, naturam, & suppositum suprà, *cap.* 5. 42. *Entia creata composita ex natura & differentia individuali.*

An singulare creatum constituatur citra additionem differentiæ individualis.

DIcunt aliqui naturàm communem contrahi ad esse singulare, non per aliquod additum, sed solùm per expressionem conceptum superioris, qui tamen sit æquè simplex, ac conceptus naturæ communis, quemodo Ens coarctatur ad finitum & infinitum, substantiam & accidens; simplex & compositum, ut suprà constitutum, *cap.* 2. 43. *Aliorum opinio.*

Sed eò devenire hic necessarium non est. Nam inveniuntur in individuo creato, fundamenta sufficientia ad inducendam compositionem in individuo, quæ contrahat naturam communem, ut prius dictum. Neque repugnat creato individuo admittere compositionem quod erat in Ente, generaliter sive transcendenter sumpto. Et rursus non poterant ultra Ens assignari, differentiæ quæ istud contraherent, quia omnes veræ differentiæ implicant Entitatem, quam contrahere debent. At id est, contra rationem differentiæ ut includant id genus, cui adduntur. At id secus est in individuis creatis. Nam differentiæ individuales non implicant hoc quod contrahunt; Neque enim Platonitas v.g. est Plato vel etiam homo, & idem est in cæteris individuis. 44. *Refutatur.*

Individuum non addere aliquid naturæ communi realiter distinctum ab ea.

III. *IN dividua non addunt aliquid naturæ communi ut natura & individuum realiter distinguantur.* Hoc est quod dico. Monstrato aliquo individuo, non esse in eo duas res: Naturam communem, & individuum, ut aliud sit homo & hic homo in re ipsa. Unde rursus dico compositionem ex natura communi & differentia individuali, sicut aliàs in genere, compositionem ex genere & differentia, non esse realem. 45.

Hæc assertio est contra Monlorium *in tr. de univers. in Proœm. & c.* 5. 6 *seqq.* qui contendit realiter distincta esse singulare & universale. Et ut maximè non reperiatur universale extra singulare: (quod asserit contra Platonem) tamen aliud esse universale, aliud singulare; sicut materia nunquam est sine forma, & tamen aliud est à forma, & sicut color pomi non est separatus ab odore pomi, & nihilominus est aliud color pomi & aliud odor pomi, quibus exemplis utitur, *cap.* 8. 46. *Monlorii sententia refertur.*

Ubi observandum est: Monlorium aliquando dicere universale & singulare *differre ratione*, sed ipse specialiter utitur phrasi illa, *differre ratione*. Nam ratione differre, ille non accipit, pro differre operâ mentis sive intellectione & cogitatione, sed λόγῳ ἐσίας hoc est ratione essentiæ juxta quod sæpè Aristoteles essentiam vocat λόγον sive rationem rei, ut ipse explicat & expressè docet *c.* 4. 47. *Monlorio quid sit differre ratione.*

48. Cæterùm pendet hæc Monlorii sententia, ab alia, quâ ipse statuit universale, esse in re completè ante operationem mentis. Si enim universale non est in re, (præcisa operâ mentis) sed quicquid est in re, est singulare, quomodo universale in re, ubi non est, à singulari distingui potest. Distinctio enim realis requirit utrinque terminos reales.

49. *Probatur esse singulare, quicquid est in re.* Pendet igitur hæc quæstio ex illa, quæ est de Entitate universalium de qua posteà disputabo, quò pleniorem hujus dijudicationem rem ito. Nunc patet breviter: Quicquid est in re, esse singulare. Ita igitur patet 1. Quia quicquid est in re, id habet existentiam, ac proinde est productum à suis causis. (Loquor de Ente creato, in quo solùm sermo est, de additione alicujus ad essentiam communem;) At quod producitur à causis, id est aliquid singulare. Actio enim non est nisi in singulari & ad singulare. Ergo quicquid est in re, est singulare.

50. Aliud argumentum efficax Suarezii est *disp. 5 Met. sect. 1. n. 4.* Quicquid existit habet certum & determinatam Entitatem. Sed omnis Entitas talis necessariò habet adjunctam negationem divisionis. Ergo & habet singularitatem, inò v. duámque Entitatem. Minor patet: quia omnis Entitas, hoc ipso, quòd est determinata Entitas, non potest dividi à seipsa. Ergo non potest dividi in plures, quæ tales sint qualis est ipsa. Alioquin tota illa Entitas esset in singulis & consequenter, ut est in una, divideretur à seipsa, in quantum est in alia. Quod manifestam involvit repugnantiam.

51. *Respondetur ad exempla Monlorii.* Cæterùm, exempla proposita à Monlorio, illustrant quidem illius sententiam. Est tamen hujus & istorum manifesta diversitas. Inprimis enim facilè datur, quæ conjuncta & de facto separata non sunt, posse realiter differre. Estque hujus realis differentiæ in materia & forma; pomi colore & odore manifestum indicium, quod materia, quæ nunc est cum hac forma, potest manere amissâ formâ, ut patet in rerum corruptionibus. Et rursus pomi odor mutari potest manente colore, & color manente odore. At id secus est in universali & singulari. Nam Humanitas v. g. Socratis, non potest admissâ hac individual. differentia, quæ scilicet est Socratis, acquirere aliam, ut non sit Socratis, sed ea, quæ fuit Socratis, sit Platonis, ut patet.

TITULUS IV.

De Principio individuationis sive singularitatis.

52. HActenus constitutum est, individua (creata) constitui per differentias individuales: Nunc inquirendum est principium, quod in re est, unde ista individuatio sumatur. Quæ quidem quæstio est satis & lata & difficilis.

ARTICULUS. I.

De Individuatione Dei.

53. DEus individuus est per propriam suam essentiam, ut sæpiùs dictum. Essentiæ enim Dei repugnat multiplicari, unde in se ipsa stratum est singularis & individua.

ARTICULUS. II.

De individuatione substantiarum (creatarum) simplicium velut Angelorum.

54. EOdem modo existimant aliqui, Angelos individuari: nempe hoc ipso, quia habent essentiam Angelicam. Ajunt enim non posse esse, plures Angelos solo numero differentes, intra eandem speciem. Ut refert Suarez *in Met. disp. 5. sect. 2. n. 22, 23.* ubi etiam hujus sententiæ patronos vide.

Hæc

Hæc tamen sententia falsa est. Nam essentia Angelica, quæ in individuo angelico est, de se non dicit repugnantiam, cujus similis possit esse in alio Angelo. Et proinde essentia Angelica potest esse universalis. Ergo essentia Angelica ut sic, non potest dare esse individuum. Rectè itaque Suarez, *ubi supra num.* 18 Eos propriam vocem ignorare, in naturis Angelicis dari conceptum specificum, & tamen illam naturam esse ex se incommunicabilem, ita, ut importet contradictionem esse in pluribus individuis solo numero distinctis. Conceptus enim specificus, est conceptus universalis, cui hoc ipso convenit aptitudo essendi in multis. 55.

Angeli igitur individuantur, non per essentiam Angelicam ut sic, sed per essentiam Angelicam talem, nempe hanc vel istam. Estque satis clara. Nam singularitas est gradus unitatis. Unitas autem proportionatur Enti, & Entitatem immediatè sequitur. Vnde per quod habet aliquid Entitatem, per id etiam habet unitatem. Ergo essentia hæc etiam dabit unitatem hanc, hoc est, singularem. 56.

ARTICULUS III.

De individuatione formæ substantialis.

VElúti per quid forma Johannis vel Christophori est hoc aliquid; & singulare? 57.

Formæ non individuantur per compositum.

Respondeo 1. *Formæ non possunt individuari per compositum*, veluti ut forma Christophori sit singularis quia sit Christophori, & si à posteriori signum singularitatis in formis, sumatur ex singularitate compositi. Ita patet: quòd formarum est ordine naturæ posterius formâ. Ergo non potest formæ dare esse individuum. Nam sic in ordine naturæ supponitur forma habere suum esse, antequam compositum sit, Vnde in tali statu erit etiam singularis ista forma.

Nec per materiam.

II. *Nec possunt formæ individuari per materiam.* Ita apparet: quia forma potest eadem numero manere deposita materia, ut apparet in anima separata. Hæc enim non est aliud individuum post separationem, ac fuit in unione. Et proinde servat suam individualitatem. Et tamen non est in utroque statu conjuncta cum materia. 58.

Aliter idem patet. Materia non concurrit ad dandum esse formæ. Ergo etiam non ad dandam unitatem. Nam Vnitas & Entitas se consequuntur. Antecedens patet: Nam materia non dat Entitatem, nisi per intrinsecam compositionem ad aliud, ut notum. At forma non componitur ex materia. 59.

Nec per accidentia.

III. *Non possunt formæ individuari per accidentia.* Eodem argumento, quo priùs utebamur de composito. Quia accidentia sunt natura posteriora substantiâ. Vnde in proportione sequitur, quòd accidentia talia sint naturâ posteriora substantiâ talis Individua individuâ. Unde sic in isto naturæ statu, forma erit singularis, etsi non habeat accidentia singularia. 60.

IV. *Est igitur Forma Substantialis una numero, per propriam suam essentiam. Neque datur est aliquid distinctum ab illa, quod det esse individuale illi.* Nam forma est res simplex. Sicut igitur non habet essentiam per aliud; Ita etiam non habebit unitatem per aliud. Ergo erit individua forma Christophori, vel Johannis quia est talis essentia. Hoc est, est individua à se non ab alio. A se, inquam, non removendo efficiens, sed removendo id, quod intrinsecè actuet individualiter. 61.

ARTICULUS IV.

De individuatione Materiæ.

EOdem modo, quo de forma, Philosophandum est de materia singulari. Ergo igitur hæc etiam individuatur per se ipsam, et non per aliud, quia Entitatem 62.

tem non habet, per aliud, sed quia simplex est, habet Entitatem per se ipsam reno-
vendo omne aliud, quod intra essentiam materiæ non continetur.

63. Ergo materia non individuatur per compositum, quia hoc ista est posterius. Indè-
que 2. nec per accidentia, eodem argumento. 3. Non etiam per formam substan-
tialem, quia hæc materia, ordine naturæ est posterior, cùm sit subjectum formæ,
Vnde etiam eadem numero manet materia, variatâ formâ, sicut viventis & mor-
tui materia est eadem, forma diversa. Et rursus forma non dat Entitatem, indè-
que nec unitatem, nisi per intrinsecam compositionem ad suum formatum; At materia
non componitur ex forma.

ARTICULUS V.

De individuatione compositi materialis, sive corporum naturalium.

64. HOc compositum ultimò dico individuari per formam. Sicut enim se habet res
in esse, ita & in unitate. Vnde quod dat essentiam corpori naturali, dabit etiam
ei unitatem & proinde singularitatem; unde rursus sequitur. Cùm compositum,
etsi aliàs essentialiter includat materiam, ultimò esse habeat per formam, idcircò
ultimò etiam formam dare composito singularitatem: Non exclusâ tamen mate-
ria à toto officio.

65. *Materia non est principium individuationis in corpore.* Atque hinc dico in oppositum, specialiter 1. *Sola materia non est principium in-
dividuationis in corpore naturali.* Ita patet *Primo* per inversum prius argumentum.
Nam si materia sola daret esse individuum, tum ea etiam sola daret esse simplicis-
ter, quod est absurdum. Consequentia autem est evidens. quia individualitas ni-
hil reale addit ad naturam, sicut nec unitas (cujus species est singularitas) sim-
pliciter. *Deinde*, quod dat unitatem, dat etiam divisionem ab alio. At secundùm
materiam non sumitur rerum divisio, quia materia ex se indifferens est, & com-
munis pluribus.

66. Solet *objici*, quòd Vnum numero sint, quorum materia est una, dicente Arist. *lib.
5. Metaph. cap. 6. t. 4. 2.*

67. *Respondeo*; Aristotelem ibi non declarare ex instituto principium singularitatis,
sed solùm per occasionem declarare rerum unitatem, ex unitate materiæ, quia ipsa
certis quibusdam attributis quasi signata & determinata, est singularitatis signum.
Vide Zabarell. *de constitut. Indiv. c. 10.* Javell. *lib. 5. Met. q. 14.* Et interpr. *ibid.*

68. *Nec forma sola.* 2. Dico: *Nec sola forma est principium individuationis in corpore naturali.* Ita pa-
tet eodem argumento. Nam ea sola non dat essentiam composito, ut disputabatur
superiori capite.

69. *Nec materia signata.* 3. Dico: *Nec materia signata est principium individuationis in corpore.* Hujus
assertionis contrarium tenet Thomas *1. p. q. 3. a. 3. & q. 50. art. 4. & 3. p. q. 77. a. 2. et
lib. 1. de cælo ad tex. 92. de Ente & ess. cap. 2. & aliàs.* Sequuntúrque eum aliqui e jus
interpp. Per signatam materiam intelligentes, materiam determinatam per quan-
titatem.

70. Nihilominus veritas nostræ assertionis patet: quia si materia cum quantitate
individuaret corpus; tum individuum, in quantum tale est, esset Ens per accidens.
Materia enim et quantitas non possunt facere Ens per se, quia sunt diversorum
prædicamentorum. At absurdum est, Socratem &c. esse aliquid per accidens. Quia
individua sunt per se in prædicamentis.

71. *Nec accidentia.* 4. *Nec accidentia sola possunt individuare compositum materiale.* Ita tenetur con-
tra Porphyrium, qui docere id dicitur *in Isagog. c. 2. §. 38.* Mihi tamen ibidem id
docere non videtur. Circumloquitur ibi solùm naturam singularem ex accidenti-
bus. Non declarat autem, an ultima ratio individui in eo consistat. Magis autem
eam sententiam defendit Chlichtoveus *ad Damasc. lib. 3 c. 6. in comm.*

72. Veritas autem assertionis nostræ patet per aliquoties dicta, quòd corpora quæ
in mundo sunt, sunt in omni statu individua. At non habent in omni statu ac-
cidentia.

cidentia. Accidentia enim sunt posteriora naturâ substantiis: Ergo accidentia in isto primo naturæ statu non possunt corporibus dare individualitatem. Ergo cùm non habent corpora eam ab accidentibus. Ergo simpliciter non habent individualitatem ab accidentibus.

73. *Nec existentia.*

5. *Existentia corporis non potest individuare corpus.* Ita patet, quia esse individui præscindit ab esse actuali & possibili. Unde Socrates dicitur simpliciter esse res singularis, sive sit producibilis, sive productus. At existentia non convenit rebus possibilibus. Est enim formalis ratio, unde aliquid actuale, sive Ens actu dicitur. Oppositum tenuit Carthus. *l. 3. sentent. disp. 3.*

74. *Nec agens.*

6. *Denique agens non potest individuare corpus naturale.* Hæc assertio est contra Henric. *in quodl. 5. q. 8.* Ita patet, quia efficiens solùm extrinsecè attingit effectum. Unde ad rem in facto esse nullum amplius influxum præbet. Potestque adeò domus Fabro, sive Architecto, & filius, parente mortuo, superstes esse. At individualitatem non habent solùm res naturales cùm fiunt, sed etiam cùm factæ sunt. Quæritur que nunc, non de eo, quid extrinsecè largiatur individualitatem, sed quodnam sit intrinsecum principium ejus seu formalis ratio, unde res individua sit individua, cùm aliàs certum sit, efficientem causam, sicut extrinsecè largitur essentiam, ita etiam largiri essentiam individuam, *atque adeò etiam individualitatem.*

75. *Quodnam sit individuationis principium formale.*

Relinquitúrque adeò, quod principiò dictum est: *formam cum materia esse principium individuationis in corpore naturali.* Plura vide apud Fonsec. 5. *Metaph. c. 6. q.* 2 Perer. *l. b. 6. de Forma. c. 9. seqq.* Zabarell *in peculiari libro de constit. Individui.* Suarez *disp. 5. Metaph. 3. seqq.* alósque.

ARTICULUS VI.

De individuatione Accidentium.

76.

CElebris sententia est: Accidentia individuari per subjecta. Veluti Calorem esse aliquid individuum, quia recipitur in subjecto singulari sive individuo. De eo igitur.

QUÆRITUR.

An Accidentia individuentur per subjecta?

77.

Hujus sententiæ affirmativa non est admittenda. Nam subjectum non pertinet ad essentiam accidentium, unde cùm accidentia definiuntur per subjectum, definiuntur ἐκ προσθέσεως, hoc est, ex appositione ejus, quòd non est essentiale. At quod non dat essentiam, etiam non dat unitatem, indéque nec singularitatem. Hæc enim semper se consequuntur.

78. *Accidentia solo numero differentia sunt in eodem subjecto.*

Idem probatur per experientiam, *Primò* quòd accidentia solo numero differentia sint in uno numero subjecto. Unde evidens est, numeralem accidentium unitatem non sumi ex numerali sivè individuali unitate subjecti. Antecedens clarum est, in speciebus intentionalibus quæ simul sunt in eodem subjecto. Veluti, species omnium rerum albarum in aëre. Hic species albedinum realium, distinguuntur numero, & aliàs sunt eædem specie. Et tamen sunt in eodem subjecto. Ita in intellectu simul est species hujus singularis accidentis & alterius solo numero distincti ab isto, veluti species intelligibilis de temperantia duorum hominum aut justitia, & sic in aliis. Idémque docent aliqui de relationibus, quas secundùm numerum distinctas ajunt in eodem patre v.g. ad plures filios esse.

79. *Quænam accidentia solo numero differentia possint in*

Cæterùm de hac re difficulter traditur regula: quænam accidentia, solùm numero differentia possint esse in eodem subjecto, quæ non. Ajunt aliqui: realia non posse. At posse intentionalia.

At nec intentionalia omnia id possunt, nec omnibus realibus id est negatum, prius patet de lumine. Non possunt enim plura numero differentia lumina in eodem subjecto esse, cùm sine omni causa negetur, plurium v.g. candelarum lumina, in aëre

eodem subjecto esse.

coalescere in unum lumen, intensius scilicet. Posterius patet, de relationibus paternitatis, pluribus, fundatis in uno patre ad diversos filios.

80. Alii inquiunt: Accidentia *propria* solo numero differentia non posse esse in eodem subjecto. At *communia* posse.

81. Falsò. Nam multa communia sunt, quæ non possunt numero plurificari in eodem subjecto, veluti duæ temperantiæ, aut duæ albedines. Quia nullum indicium est, quòd hæc debeant esse numero distincta, & non coalescere in unum, intensius, ut nempe faciant subjectum v.g. hominem magis album, ut magis temperantem.

82. Alii ajunt: *Absoluta* non posse, *relativa* posse.

Falso. Nam species intentionales sunt Entia de absolutis prædicamentis, & tamen solo numero differentes sunt in eodem subjecto compossibiles. Ex alia parte sunt relationes, veluti creaturæ ad creatorem, quæ solo numero differentes, non possunt esse in eodem subjecto. Unde adhuc inquiritur: quænam accidentia solo numero differentia inesse possint, quæ non.

83. *Propria sententia.*

Igitur hoc in primis certum est ex dictis. *Primò* aliqua accidentia, solo numero differentia esse in eodem numero subjecto. Unde sequitur individuationem accidentium non pendere ex individuatione subjectorum.

84. *Idem Subjectum potest habere successivè accidentia solo numero distincta.*

Secundò Quoad discrimen horum, quænam in subjecto esse possint, quæ non, nihil mihi magis placuit, quàm quod Suarez reliquit, *in Metaph. disp. 5. s. 8. n. 15.* Quædam, *inquit*, accidentia ita differunt solo numero, ut præter distinctionem Entitatum, in reliquis omnibus habeant quandam similitudinem & convenientiam, scilicet in munere vel officiis, ad quæ destinantur, in quacunque habitudine, quam dicunt. ut sunt duo cólores, duæ albedines & similia. *Alia* verò sunt, quæ licèt in specifica ratione conveniant, & sub ea tantùm numero differant, tamen non habent inter se tantam similitudinem, ut priora: sed differunt vel in munere vel in habitudine ut sunt v. g. duæ species visibiles, quæ differunt munere sic, ut hæc hanc rem albam, illa aliam rem albam repræsentet. Unde quæ posterioris generis sunt, multiplicari possunt in subjecto uno numero, etsi inter se solo numero differunt De prioribus autem secus est. Nam quando accidentia sunt prorsus similia, otiosa & superflua esset multiplicatio eorum. At ista superfluitas non est, cùm Accidentia sunt quodammodo muneribus suis distincta.

Secunda Experientia, unde probatur, accidentia non accipere unitatem numeralem à subjecto, est, quòd subjectum, manens idem numero, possit distinctis temporibus, sive successivè, acquirere diversa numero accidentia. Veluti paries, qui nunc habet albedinem, potest cras denigrari, & perendie iterum dealbari. Hic albedo, quam nunc habet, & ea, quam perendie acquirit, sunt accidentia; differentia numero. Et nihilominus manet paries unus numero & singularis in utroque statu. Antecedens patet. Nam ipsa natura requirit, ut agens etsi pro nunc indifferens sit ad producendum hoc vel illud, tamen non producat distinctis temporibus unam eandémque rem numero, sed nunc hoc individuum, postea aliud: Legatur de his Suarez. *in Met. disp. 5. s. 9.*

85. *Unde individuentur accidentia?*

Dimissâ igitur & refutatâ sententiâ, quæ individuationem accidentium sumebat à subjectis; Dico: *Accidentia individuari per propriam suam essentiam.* Sunt enim sicuti formæ. Unde quod dictum est de formis substantialibus, proportionaliter intelligendum est de accidentibus. Inprimis, quantum ad hoc, quòd formæ dicebantur non individuari posse per materiam. Nam materia etiam comparatur ad formam, ut subjectum, sicut accidentia comparantur ad substantias, ut ad subjectum. Et confirmatur porrò, quod accidentia sint Entia simplicia. At simplex non habet essentiam ex pluribus, sed habet essentiam per se ipsum, removendo sic partes, à quibus habet dependentem essentiam. At si habet essentiam per se ipsum, & non per aliud, etiam habet unitatem per seipsum & non per alia.

Hactenus fuit de Singulari: sequitur de universali.

DE

DE UNIVERSALI.

86. PRimo hîc tractandum est de nomine Universalis. *Deinde* de ejus definitione; & consequenter de essentia rei universalis. Ac *denique* de variis distinctionibus universalium.

TITULUS V.

DE NOMINE UNIVERSALIS.

87. VNiversale vulgò triplex ponitur, *in essendo*, *in causando* & *in prædicando*, quæ distinctio nominis solùm est, non rei. Est enim solùm hic sensus, quòd aliter sumatur vox Universalis in distinctione Entium, & aliter in doctrina causarum, & aliter in doctrina prædicationum, quanquam aliter hanc distinctionem declarat Suarez. *in Met. disp. 6. s. 8. n. 2.* *Universale in essendo, causando & prædicando.*

88. Nobis universale *in causando*, est idem quod causa universalis. Estque tum universale, quod illimitatum est, & indifferens ad (simul aut successivè) producendos plures effectus. Sic Deus est universalis causa, etsi sit Ens singulare.

89. Universale *in prædicando* est, idem quod universalis propositio vel prædicatio. Dicitur tamen universalis propositio bifariam. Uno modo universalis propositio dicitur omnis ista, quæ non est particularis, ut de ea agit Arist. *de Interp. c. 7.* Deinde universale Aristoteli *1. post. c. 4.* dicitur axioma reciprocum, sive quod est de omni per se & quatenus ipsum. Et hoc sensu non omne axioma dicitur universale, quod non est particulare. Sed præterea requiritur, ut sit in materia necessaria, rursus ut habitudo sit reciproca. De hac re in Logicis ago.

Universale *in essendo* est, quod intelligitur, cùm Ens dividitur in universale & singulare. Sumiturq; ab hoc universali, universale *in cognoscendo*, quod nihil aliud est, quàm species, quæ in intellectu, sive cognitione nostra repræsentat universale. Dicitur autem illa species universalis, non in se, sed propter repræsentationem. Repræsentat rem universalem, sed tamen in se est singularis. De isto igitur universali in essendo agit Metaphysicus.

90. Est tamen porro animadvertendum: Universale Ens ambiguè dici. Aliquando sumitur comparatè, pro eo scilicet, quod est magis universale alio. Sicut singulare etiam dicitur, pro omni quod contrahit aliquid superius, sive aliàs sit individuum sive Universale. Sic sumitur universale *2 post. c. 8.* cùm ait Arist. Facilius definitur singulare quàm universale, h. e. minus universale, quàm magis universale. V. de suprà de singulari, titulo primo. Aliquando autem sumitur universale absolutè, pro omni eo, quod singulari, h. e. individuo contradistinguitur, sive sit in universalium superiori sive inferiori gradu. Tale quid est corpus, Homo, Animal. Individua autem sive singularia sunt, Petrus, Paulus, hic equus, hæc ruta, hic adamas. *Alia ambiguitas in voce universalis.*

91. Alia ambiguitas Aristoteles occasionem distinctis locis dedit, ut mox videbitur: Aliter igitur universale dicitur omne illud, quod quoquo modo est aliquid superius in communicate prædicandi. Sic etiam Ens universale dicitur, ab Aristotele *4. Metaph. tit. 10.* Potestque ad hunc sensum calor dici universale quid, ad calorem duorum & trium graduum. Similiter, omnia transcendentia sic sunt universalia. Sed aliter sumitur universale pro eo, quod naturam habet determinabilem per supervenientes differentias specificas vel individuales. Et sic Aristoteles negat, Ens esse quid universale *4. Met. c. 2.* Et hæc significatio est hujus loci: Neque sunt secundùm illam transcendentia quid universale. *Confer* Suarez *disp. 6. s. 3. n. 12. 13.* *Alia ambiguitas.*

TITULVS VI.

DE RÉI UNIVERSALIS DEFINITIONE.

92. VNiversale vulgò definitur, quòd sit unum commune multis. Hæc definitio ex variis textib. Aristotelis sumitur. Sic *7. Met. c. 13.* τὸ καθόλου τοιόνδε. Καθόλου δὲ λέγεται, ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκε, h. e. *universale est commune.* *Universale*

autem illud dicitur, quod pluribus ineſſe natum eſt. Et poſt ea: τὸ καθόλου καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται ἀεί. *universale ſemper dicitur de aliquo ſubjecto.* Sic de Interp. c. 7. *universale dico, quod natum eſt prædicari de pluribus.* Hæc definitio coincidit cum priori. Solùm diſcrimen eſt, quòd Ariſtoteles in Logicis eſt uſus termino Logico, *Prædicandi*, in Metaphyſicis, termino Metaphyſico, *Exiſtendi, vel Eſſendi.* Sic & de Partib. Anim. c. 3. univerſalia, inquit, ſunt communia. Vniverſalia autem dicimus, τὰ πλείοσιν ὑπάρχοντα, quæ multis inſunt.

Docenda autem & explicanda ſunt duo, circa hanc definitionem. *Primo*, quo-
93 modo univerſale dicatur unum? *Secundo*, quomodo ſit commune? Et quidem nullis.

ARTICULUS I.

Quomodo univerſale dicatur unum.

94. SVmamus pro exemplo univerſalis, *Animal*, quod eſt commune pluribus beſtiis & hominibus.

95. Præcognoſcendum igitur, Vnitatem eſſe triplicem. Alia eſt unitas formalis: A-
Vnitas triplex. lia unitas individualis: Alia unitas univerſalis. Vnde providendum eſt, in conſtituenda unitate univerſali, ne iſtarum unitatum fiat commixtio.

96. *Vnitas* igitur *Formalis*, eſt ſimpliciter unitas eſſentiæ, præſcindendo, an ſit eſſen-
Vnitas formalis. tia ſingularis an univerſalis. Vnde poſtea & in ſingulari & univerſali iſta unitas repetitur. Veluti, animal per eſſentiam ſuam unam, eſt aliquid unum, ut maximè nondum apprehendatur tanquam univerſale. Eſtque adeò ad unitatem formalem, perinde, an ſit in univerſali Ente, an in ſingulari.

Vnitas autem *Individualis* addit quaſi formali unitati, repugnantiam ad multi-
97. plicationem. Vocatur enim individuum, tanquam in alia indiviſibile. In alia, in-
Vnitas individualis. quam, non tanquam in partes eſſentiales vel integrales, (Hæ enim facilè dantur in individuo) ſed tanquam in partes ſubjectas, quomodo genus, univerſale, eſt diviſibile in ſpecies vel individua.

Vnitas univerſalis autem addit unitati formali aptitudinem ad multiplicatio-
98. nem; Vt ſumitur ex ſuprà relata definitione univerſalis.
Vnitas univerſalis.

Ex his ſtatim apparet: Nondum ſufficienter explicari unitatem univerſalem, ſi dicatur: univerſale eſt unum, quia habet unam eſſentiam. Hæc enim ſolùm deſcribunt unitatem formalem.

99. Optimè igitur explicatur unitas univerſalis, per ſimilitudinem ad alia tota. Ve-
In quo ea conſiſtit? luti unum eſſentiale eſt, quod habet eſſentiam indiviſam, in pluribus partibus eſſentialibus; Et unum integrale eſt, quod habet eſſentiam indiviſam in pluribus partibus integrantibus. Vnde quia totius univerſalis partes ſunt, diſtinctæ differentiæ, quæ in ipſius poteſtate continentur, erit unitas rei univerſalis in eo, quòd res univerſalis habet Entitatem indiviſam in pluribus differentiis, quas in poteſtate & latitudine ſua implicat.

101. Hæc diligenter tenenda ſunt, & oſtendunt evidentiſſimè, præſcindendo ab omni operatione intellectus, nullam rem habere unitatem univerſalem in re, unitas enim implicat in univerſali (ſicut & in aliis totis) plures partes, hoc eſt, differentias oppoſitas. At iſtas differentias in re non habet animal v.g. niſi actu, natura animalis conjungatur cum ſuis differentiis, veluti cum rationalitate. Conjunctione autem ea ad rationalitatem factâ, eſt incompoſſibilis altera differentia nempe irrationalitas, & ponitur in animali ſic repugnantia ad irrationalitem. At natura univerſalis, cùm eſt univerſalis, non implicat repugnantiam ad ſuas differentias.

Cæterùm à differentiis iſtis nuda eſt res univerſalis ſolùm per intellectum, qui rem univerſalem apprehendit, cum gemina poteſtate, nempe ad differentiam hanc & differentiam iſtam. Vnde ſic natura univerſalis relinquitur & tota, & una unitate univerſali. Hæc in ſeqq. clariora erunt.

Atque

Atq; sic ex his clarum est: universalia in re non habere unitatem universalem sed solùm formalem, ut scilicet per universale, quæ essentia significatur in hac specie, ea etiam significetur in alia specie, veluti cùm homo dicitur animal, tum per animal id intelligitur, quod intelligitur etiam, cùm Bestia dicitur animal. Nam utrobique animal significat essentiam sentientem & se movent. 102.

ARTICULUS II.

Quomodo universale sit commune & id quidem multis?

COmmunitas sive communicabilitas rei universalis, suprà, inter ea, quæ sunt dicta de singularibus, multùm illustrata est. 103.

Vnde teneatur 1. communitatem illam esse quidditativam, in quid. Veluti quia animal per modum universalis communicat se homini. Hinc dico, homo est animal, & interrogando quid sit homo? respondetur est animal. 104. 105.

2. Et proinde ex iisdem multa illa, de quibus universale prædicatur, sunt inferioris ordinis, quàm ipsum universale; unde si sit universale per modum generis, multa illa erunt species: Et si universale sit per modum speciei erunt illa multa, illius speciei individua: proinde multa illa distinguuntur ab invicem vel numero, si sint individua, vel specie si sint generis species. Utrobique autem essentialiter differunt, quia Numeralis & specifica distinctio sunt distinctiones essentiales. Suntque hæc adeò vera, ut Arist. 4. *Met. c.* 2. negârit Ens & unum esse universale, cujus ratio est, quia non prædicantur de pluribus, vel speciebus vel individuis, ut suprà apparuit *cap.* 2. *de Conceptu Entis. q.* 4. Confer de hoc Suaretz *in Met. disp.* 6. *s.* 8. *n.* 12. 106.

Unde rursus sequitur. 3. Quòd communitas universalis, quâ ad multa habet, talis sit, ut ipsa natura universalis simul in iis multiplicetur, veluti, ut acutè disputat Aug. *de Trinit. l.* 7. *c.* 6. quia corpus vel animal est aliquid universale (genus) respectu trium equorum, idcircò hi equi, non solùm tres equi, sed etiam tria animalia, & tria corpora dicuntur. In quo deviat communicabilitas essentiæ divinæ ad personas divinas, à communitate vel communicabilitate ea, quæ requiritur à natura universali. Neque enim sicut tres personas, ita tres Deos dicimus.

Et proinde hinc cognoscitur: naturam divinam ad istas personas, non esse quid universale (de quo suprà satis) sed communicabilitatem illam esse alterius ordinis. 107.

Cæterùm multa requirit sub se Natura universalis. Non tamen illa necessariò sunt actu, sed sufficit si multa sub Ente universali dari *possint*. Et hinc Aristot. *de Interp. c.* 7. *ait.* ὃ πόυνα, *quod natum est*, vel *quod aptum est*, ut de pluribus prædicetur. Potest enim de facto natura universalis salvari in uno, quo ad totam suam essentiam. Veluti antequam homo crearetur, bestiæ erant; & proinde animal erat: & post mundi interitum solus homo supererit, deletis bestiis. Et adhuc animal erit, utrinque in una specie. Nihilominus tamen utrinque animal est universale quid, quia convenit ei natura multiplicabilis. Sicut enim animal ut sic, habet aptitudinem ut possit esse irrationale: ita etiam habet aptitudinem, ut possit esse rationale. Multiplicabilitas autem non potest convenire singulari, cui convenit repugnantia ad multiplicationem. 108. *Sub universali* multa *continentur saltem aptitudine.*

Ex quibus colligitur, quòd etsi essentia Solis, de facto sit in uno individuo, nihilominus sit essentia universalis, ut sic sumpta, sine addito. Neque enim repugnat ei multiplicatio, ut duo astra sint ejusdem speciei solaris, quorum v. g. unum illustret hoc hemisphærium aliquot horis, aliud horis sequentibus, pluribus vel pauciori-bus, prout variant situs solis in Zodiaco. Idémque est de cæteris Planetis. 109. *Sol est quid universale.*

Imò etiam naturam universalem habent, quæ etsi de facto non possint simul ad plura multiplicari, possunt tamen id successivè. Veluti Monarcha Romanus, ut ex vi nominis apparet, non potest nisi unus esse. Et proinde, de simul existentibus pluribus, non potest dici nomen *Monarcha*. Nihilominus Monarcha est quid universale 110. *Naturam universalem habent quæ*

multiplicatur successivè.

universale, quia quam multiplicationem simul non habet, eam habet successivè; veluti quod multiplicatur ad Rodolphum & Matthiam, & sic deinceps.

TITULUS VII.
DE ENTITATE UNIVERSALIUM.

111. HIc Titulus propter varias opiniones de Entitate universalium latè patet. Declarabo eum per distinctas quæstiones.

ARTICULUS I.
An universalia sint res Extra singularia.

112. *Ideæ Platonicæ.* AFfirmativa hujus quæstionis ab Arist. 1. & *Met.* 7. tribuitur Platoni. Hic enim dicitur statuisse Ideas, hoc est, res à singularibus abjunctas, quæ tamen habent essentiam multiplicabilem in species vel individua. Idémque docuisse Eustatium & Simplicium, passim refertur Metaphysicis. De Platone autem, etsi Aristoteles sic ejus sententiam referat, dubitant tamen aliqui, an Plato id senserit.

113. Sed quicquid sit de Autore hujus opinionis, Falsa est. Dico igitur: *universale non esse aliquid abjunctum à singularibus*, veluti hominem non esse aliquid extra Platonem, Catonem, Paulum, Petrum, &c. ita, ut sit aliquid loco avulsum & distans à suis individuis. Ita patet, quia quicquid est in mundo, præter Deum, h.e. productum à causis. At actio causæ non potest terminari nisi ad singulare. Et præterea productum Ens, statim est existens. At existentia non convenit nisi singularibus.

114. *Ratio Platonis.* Ratio, quâ dicitur Plato motus esse ad hanc sententiam, est ista, quòd scientiæ sint de rebus sempiternis. At hoc non est verum de singularibus, quod sint sempiterna. Nam ipsa sunt corruptibilia & quicquid in eis est. Ergo dandum est aliquid à singularibus abjunctum, quod sit inceptionis & desitionis expers.

115 *Solutio.* *Respondeo*, id totum fieri posse de universalibus, nempe ut de iis sit scientia, tanquam incorruptibilibus, si maximè non sint à re singulari avulsa. Quomodo autem universalibus conveniat incorruptibilitas seqq. docebunt. Et ex parte constabit infrà *c.* 18. *n.* 59. *seqq.*

ARTICULUS II.
An universalia sint solùm communia nomina.

116. ITa aiunt: Gabr: 1. *d* 2. *q.* 7. & 2. Occamus *quod. l.* 5. *q.* 12. & 13. & alii, qui ab hoc dogmate *Nominales* dicti sunt. Alii tamen universalia aiunt esse (non nomina communia sed) res communes, ex Arist qui τὰ κοινὰ γένη, hoc est, *res* dividit per universale & contingens, *de Interp. cap.* 7. §. 1. Et τὰ ὄντα *Entia* in 1. *prior. c.* 27 §. 3. & locis aliis.

117. Cæterùm universalia non solùm esse nomina communia, sed etiam significare res communes. apparet: quia cùm universale prædicatur de singulari, veluti homo de Petro, tunc homo significat naturam talem, quæ ex se non est astricta ad Petrum, sed quæ ex se est indifferens, an sit in Petro an in Paulo vel alio individuo. Indéque pro voce illa *homo*, potest substitui ejus definitio. Nempe Petrus est animal rationale. Definitio autem rem significat.

118. Porro idem etiam constat ex distinctione æquivoci & univoci, cùm prædicatum infert secum, suam definitionem, non solùm nomen, sed ipsam rem prædicari. Vnde in oppositum relinquitur, juxta nominalium sententiam, omnia nomina ambigua esse nullum autem esse univocum. Vnivocum enim & æquivocum in eo distinguuntur, quòd æquivocum solùm nomen significat. Plura mitto. Qui volet videat Fonsecam, prolixè, *l. b.* 5. *Met. c.* 28. *q.* 2. & Coll. Coimb. *ad Porphyr. in præf. q.* 1. *a.* 2.

ARTIS

ARTICULUS. III.

An Universalia in singularibus sint actu universalia?

HOc est quod quæro: An universalia in singularibus, habeant omnia, quæ ad universalitatem requiruntur, ut proinde non egeant alio, quicquid hoc fit, ut fiant universalia. Igitur tùm affirmativa sententia hujus, est Monlorii *in tract. de Universi. in Proœmio, & cap.* 5, 6, 7, 8, 9. Tribuit eandem sententiam Platoni, Veneto, Scoto (quem tamen in toto sibi non consentire fatetur *cap.* 6. *p.* 449.) Scaligero, Doctoribus Parisiensibus & Aristoteli in proœmio illius tractatus *pag.* 414. *operum suorum.* 119.

Argumentum Monlorii principale est, quod universalia; prout in singularibus sunt, habent universalitatem sufficientem & unitatem & communitatem, Unde relinquitur quod revera sint universalia. Nam universalitas consistit in his duobus. Et utrumque probat prolixè. 120. *Argumentum Monlorii.*

Hæc sententia tamen admitti non potest. Nam quicquid est in aliquo singulari, est hic & nunc, nempe hic, ubi est singulare; & nunc, quando est singulare. At hæcceitas (sive hic & nunc esse) est signum individualitatis. Ut præterea manifestum est, quia quod hic est, non est multiplicabile in talia, quale ipsum est. Ergo signum est, quod hic est, semper esse singulare. 121. *Refutatur sententia Monlorii.*

2. Retorqueri potest argumentum Monlorii: universalia in singularibus non habent sufficientem unitatem & communitatem. Ergo in singularibus non sunt universalia. De unitate apparet. Nam universale est unum sicut alia tota. Ergo implicat partes in unitate sua universali, juxta quas universale dicitur. Sicut totum essentiale implicat suas in sua unitate. Partes autem totius universalis sunt differentiæ specificæ vel species. Unde non potest totum universale esse totum sive unum universale, sine istis suis partibus. 122. *Universale in singulari non habet unitatem universalem.*

Hinc ergo argumentor. Aut universale in singulari habet illas suas partes actu vel potestate. Non actu. Nam differentiæ illæ sunt oppositæ. Ergo actu simul esse non possunt. Neque potestate. Nam de facto cum una sua differentia universale est conjunctum in singulari, veluti est humanum cum differentia individuali Petri. At per præsentiam actus tollitur potestas ad actum istum. Materia humana non est amplius in potentia ad formam humanam, hoc ipso, quia eam jam secum habet. Non potest etiam tùm universale esse in potestate ad oppositam differentiam. Nam differentia individualis coarctat omnia quæ sunt in individuo. Veluti, ut Petrus non solùm dicatur Petrus, sed etiam hic homo, & hoc animal, & hoc corpus, & hæc substantia. At hoc est officium differentiæ individualis, tollere vagam potestatem eorum, quæ ad essentiam illius rei pertinent. Et si maximè daretur adhuc illa potestas ad aliam differentiam: Tamen illa satis non esset ad naturam universalem, cujus universalis unitas est in indivisione *plurium* partium, quæ partes in toto universali sunt differentiæ oppositæ, in potentia universalis contentæ, ut secundùm eam multiplicari possit in species vel individua. 123.

Apparet igitur universale in singulari non habere unitatem quæ ad universalitatem requiritur. 124.

Potest etiam exinde deduci, quòd universale in singulari non habet communitatem universalem. Nam illa communitas non aliter explicari potest, quàm per indifferentiam ad plura, sive apitudinem essendi in multis. At hæc indifferentia non potest universali, ut in re est, convenire ante omnem operationem intellectus. Nam ex una parte sublata est illa indifferentia, quia de facto v.g. humanitas est sub individuali essentia Petri, Ergo homo non est amplius indifferens ad esse Petri. Quia quod indifferens est, debet esse nudum ab eo, ad quod est ejus indifferentia. Ad alia autem individua, non est humanitas Petri, indifferens, quia illa est identificata ad Petrum; At quod est sic uni appropriatum, non potest adhuc esse indifferens 125. *Nec communitatem.*

indifferens ad alia. Confer superiùs dicta quibus probatum est, quòd omne Ens, ut in mundo est, sit singulare.

126. Sæpè excipitur: Hoc quod significat *Homo*, cùm Petrus dicitur homo, esse de se indifferens ad esse Petri & Pauli, & aliorum. Et sic esse aliquid commune.

127. *Respondeo.* Verum est: Hominem de se, hoc est, in unitate formali, non esse determinatum ad esse Petri, sed esse indifferentem ad plura suppositа humana. Nam essentia humana potest etiam singularis & universalis esse. Et proinde ut sic: sicut non includit determinatum esse Petri. Ita etiam ut sic hoc est, in unitate formali sumpta non includit indeterminationem. At nihilominus cùm homo non sumitur præcisè, secundum suam formalem unitatem, sed ut concurrens jam cum aliqua differentia individuali, tum non est aliquid indifferens amplius ad esse Petri aliorúm ve hominum.

128. Teneatur igitur, quod latiùs exponit Suarez *disp.* 6. §. 4. *n.* 11. ut natura sit universalis, non satis esse, ut ex se non habeat determinationem ad unum, si aliunde, saltem ex adjuncta differentia individuali, illam habeat, sed requiritur ut absolutè & simpliciter sit indifferens.

129. Relinquitur adeò ex dictis: Universale in re sive singulari, non esse actu universale.

ARTICULUS IV.

An universale fiat actu universale per operationem mentis.

130. VT universale actu sit universale, requiritur, ut sit indifferens ad plura & ad ista æquabilem habeat aptitudinem. At sic esse non potest, aliquid in re, ante operationem mentis. Ergo non est actu universale ante operationem mentis. Antecedens apparet: quia vel illam indifferentiam haberet, Extra singulare, vel in singulari. Non hoc. In singulari enim est coarctatum per individualem differentiam. Non igitur sic est amplius indifferens ad hanc differentiam. Neque etiam est indifferens ad alias differentias, quia dum conjungitur cum differentia individuali, ponitur per eam repugnantia ad multiplicationem. At repugnantia ad multiplicationem aufert universalitatem actualem. Nec etiam eam indifferentiam habet aut ipsum à singularibus, quia universalia, in tali statu esse non possunt, ut primo articulo dictum est. Relinquitur igitur, quòd universale, ut sit actu tale, sic fiat per operationem mentis. Hoc igitur ut intelligatur, quæritur:

Quænam sit operatio mentis per quam fiat universale actu?

131. VAriant hîc Doctores, quorum alii volunt: universale fieri actu universale, per abstractionem à differentiis contrahentibus. Alii ajunt, fieri actu universale per comparationem, in quantum per comparationem plurium invenitur convenientia vel similitudo eorum in prædicatis essentialibus.

132. Ego hac in re existimo, utrumque non incommodè dici posse, prout & Suarez docet *disp.* 6. *s. nu.* 10. pertinétque hoc ad fœcunditatem intellectus, quòd eandem rem per diversos actus facere potest. Nec sunt, quæ alteruti opinioni obstent.

Quomodo fiant universalia per comparationem.

Igitur per comparationem facit intellectus universale, quando intuetur varias res, & conferendo unam cum alia, invenit, dimissis aliquibus, in quibus differunt, esse tamen aliqua, in quibus conveniant. Hinc, quia communia attributa invenit, imponit eis etiam aliquod commune nomen: Et hoc commune nomen signat naturam communem, ob rationem eandem repertam in singulis. Veluti, intuetur intellectus hominem, artem, bovem, leonem, piscem aliásque. In his omnibus invenit conferendo res eas ad invicem, quòd sentiant, quódque se moveant. Hinc ergo imponit eis commune nomen ut scilicet singulum eorum dicatur *Animal*.

Animal

Animal igitur tunc est quid universale.

De Abstractione, per quam intellectus universale facit tale esse actu, est aliquid prænotandum.

134. *Abstractio duplex.*

Igitur abstractio est realis vel intentionalis. *Illa* fit per actualem separationem rei à re, veluti animæ à corpore, surculi ab arbore. *Intentionalis* autem abstractio est, quando unum intelligimus, non intellecto alio, ut maximè à parte rei sint ea maximè unita.

135. *Abstractio intelligendi duplex.*

Hæc iterum duplex est, negativa & præcisiva. *Negativa abstractio* est, quâ dicimus hoc non esse illud, verè sic id an falso, nihil interest. Hoc modo abstrahimus à corvo nigredinem, vel albedinem, cùm dicimus, corvum non esse nigrum, vel non esse album. *Præcisiva* autem *abstractio* est, quâ mens nostra præscindit aliquid sibi ad intellectionem suam, non cognoscendo aliud, nec tamen dicendo, hoc non esse illud, aut hoc non habere illud. Sic abstrahimus à corvo nigredinem, cùm eum definimus, idemque est in omnibus aliis rebus cùm definuntur ut abstrahuntur ab attributis. Nam definitiones purè declarant essentias, dimissis proprietatibus, & omnibus quæcunque ullo modo sunt extra essentiam definiti.

136. *Universalia per qualem abstractionem fiant.*

Igitur universale *Primo* non fit per abstractionem realem; Nam universalia extra singularia non sunt. Et singularia non manerent, si ab iis auferrentur prædicata communia, veluti si à Socrate auferretur esse humanum, vel esse animal.

137.

Secundo. Nec fiunt ea per abstractionem negativam. Nam universalia (veluti homo) ad singularia (veluti Socratem) habent realem identitatem. Unum igitur de alio negari non potest. Socrates, inquam, est homo. Falsum est, Socratem non esse hominem.

138.

Tertio. Igitur relinquitur abstractio præcisiva quæ faciendis universalibus congruit, nempe animalis natura conjuncta est cum variis differentiis, cum esse volatili, cum esse Natatili, latratili, hinnibili, rationali. Ab his differentiis cùm præscindendo animal naturam apprehendo animalis, tum dimissis omnibus istis differentiis, animal provehitur in statum universalis actu.

139. *Ordo in actibus mentis.*

Porro actus in mente hoc modo se consequuntur. *Primum* extrinsecè aliquid offertur sensui, quòd sui speciem imprimit vel oculo. Oculus per nervos opticos eam speciem transmittit ad sensum communem, qui eam speciem dijudicat, hinc resultat Phantasma impressum quod vocant, in Phantasia. Hactenus nihil adhuc universale est.

Porro igitur intellectus agens depurat istud impressum Phantasma, & id offert intellectui possibili, qui sine conditionibus singularibus, quæ in sensitivis potentiis erant, potest rem illam apprehendere. Eodémque modo deinceps progredi potest in faciendis magis universalibus, prolixè hac de re disserunt Coll. Con. *Præf. in Porphyr. q. 5. a. 2.* & Suarez *in Met. disp. 6. sect. 6. n. seqq.*

CAPUT VIII.

DE IDENTITATE ET DISTINCTIONE vel diversitate.

1. TErtiò ad Unitatis considerationem pertinet identitas & distinctio.

2. Identitas est convenientia sive unitas vel unio duorum; ut similium in quantitate eadem.

3. Diversitas est Entium disconvenientia, vel inter se, vel in tertio,

Sic distincta sunt. Leo & Lapis. Lumen & animal in substantia, quorum hoc est substantia, illud non.

COMMENTARIUS.

1. *Cur hic agatur de identitate & diversitate.*

DOCTRINA de Identitate & Distinctione, non malè refertur ad doctrinam Unius. Nam Unitatis consequens, ut suprà dictum, est divisio ab alio. At hæc est rerum distinctio.

2. Deinde Identitas explicatur per indivisionem, veluti hominis & bestiæ in esse animalis. At indivisio pertinet ad unitatem. Et hinc etiam Aristoteles identitatem & diversitatem reduxit ad unitatem. Vide ipsum 10. *Metaphys. c.* 5.6. *seqq. & lib.* 5.*c.*9.

3. *Unum & idem differunt.*

Ex quibus tamen apparet, unitatem non esse prorsus idem quod identitatem. Nam unitas est quia absolutum. Unde remotis omnibus aliis dicitur quid unum. At Identitas est quid respectivum. Et hinc unitas est indivisio cujusq; in se. At Identitas est indivisio comparata, in quantum duo sunt indivisa in tertio. Atque Ita Identitas præsupponit unitatem, quâ quid in se sit unum.

4. *Proponuntur tractanda.*

Est autem hic *Primò* tractandum, de voce Identitatis. *Deinde* de voce diversitatis. *Tertiò* de distinctione reali. *Quartò* de distinctione rationis. *Quintò* de distinctione modali. *Sexto* de aliis nominibus distinctionum: & *denique* de distinctione, quæ est per respectum ad tertium.

TITULUS I.
DE VOCE IDEM.

5. *Explicantur variæ significationes vocis, Idem.*

ALiquæ ambiguitates hîc occurrunt, quæ notandæ sunt: 1. Idem sumitur specialiter, & significat identitatem, vel convenientiam in tertio essentiali. Sic Aristot. 5. *Metaph. cap.* 9. *Quorum materia*, ait, *una est, aut quæ sunt unum specie vel numero, hæc ταὐτὰ eadem dicuntur, & quorum substantia* (οὐσία essentia) *una:* Hoc sensu dicitur: *similia non esse eadem.*

Aliter identitas sumitur latiùs pro omni convenientia in tertio, sive id sit essentiale sive non. Et sic Arist. 10. *Metaph. c.* 3. ait: Similia esse ταὐτὰ Eadem. Ponitúrque adeò sic identitatis species etiam similitudo & æqualitas.

6. 2 Idem sumitur negativè & positivè *Negativè* sumptum nihil aliud est, quàm non diversum: Unde sic etiam potest esse aliquid idem sibi ipsi, quia non est diversum vel divisum à seipso. *Positivè* autem sumptum importat relationem, per quam ad aliud referatur, cum quo sit idem. Unde tum identitas non potest esse, qua quid sibimpsi dicitur unum. Quia non habet quid ad seipsum relationem, quæ semper est (si de relatione reali sermo sit) inter res oppositas. Unde & Aristoteles relata fecit speciem oppositorum. 1. *Categ. c.* 10. *l.* 2. *Top. c.* 8. *& l.* 5. *c.* 6. *& l.* 5. *Metaph. c.* 10.

TITULUS II.
DE VOCE DIVERSITATIS ET æquipollentibus.

7. *Exponitur vox diversitatis.*

VOx diversitatis ambiguè sumitur. 1. *In Logicis* diversa opponuntur oppositis. Estque sic diversitas inter istos terminos, qui ab invicem negantur, tamen non habent repugnantiam, ut de se affirmentur. Ita hæc propositio (Homo non est lapis) est ex oppositis. At hæc (Homo non est formosus) est ex diversis.

8. *Differentia quæ?*

II. *In Metaphysicis* diversa aliquando opponuntur differentibus. Vide 4. *Metaph. c.* 2. & inprimis 5. *Met. c.* 9. *& l.* 10. *c.* 5. Tum igitur *differentia* dicuntur, quæ in aliquo conveniunt, & in aliquo differunt, vel quæ distinguuntur per aliquid sui, veluti differentias. *Diversa* autem dicuntur, quæ in nullo conveniunt, & proinde se ipsis distinguuntur, & non per aliquid sui, veluti differentias. Ita differentia sunt homo-

homo & bestia, quia distinguuntur per suas differentias, rationalitatem & irrationalitatem, Deus autem ab aliis non differt sed est diversus. Idémque est in differentiis ipsis, veluti rationalitate & irrationalitate, & cæteris.

III. In Metaphysicis diversum opponitur eidem. Sic Aristoteles 3. *Metaph. c. 9.* Diversum & idem oppositè dici ait. Sintque adeò sic omnia diversa, quæ non sunt idem. 9

Unde porrò dicendum est, in proportione, de diversitate, quod dictum est de identitate, nempe illam aliquando sumi strictè ad signandam diversitatem essentialem, aliquando autem sumi ad signandam disconvenientiam simpliciter, qualiscunque sit essentialis an accidentalis. 10.

Aliàs æquipollenter dicuntur: *differens, diversum, & distinctum*, præsuppositâ ambiguitate, quæ inter *differens* & *diversum* relata est. Videtur etiam *distinctum*, aliquo loquendi modo distingui à diverso, sic ut distinctio solùm neget realem identitatem, eámque essentialem. Diversitas autem neget convenientiam quamvis. Veluti una imago dicitur esse distincta ab altera, quia non est eadem quæ ista, etiamsi sit similis. At cùm diversæ dicuntur, non solùm signatur essentialis diversitas, sed etiam dissimilitudo, quæ scilicet non sit huic similis, vel æquè perfecta ac ista. Vide Suarez. *in Metaph. disp. 7. s. 3. n. 6.* Quicquid autem sit in aliquo loquendi modo, certum est, frequenter accipi istos terminos æquipollenter. 11. *Æquipollentia.*

Cæterùm doctrinam de Identitate & diversitate inprimis declarabo in distinctione sive diversitate, unde sumi possunt proportionaliter, ad doctrinam de identitate, quæ ad eam pertinent. Hæc enim oppositorum natura est, ut uno benè declarato; facilè intelligatur alterum. 12.

TITULUS III.

De Distinctione reali.

Distinctio à nobis potissimum duplex ponitur: *Realis & Rationis.* Atque nunc à prima specie distinctionis incipio. 13.

ARTICULUS I.

Explicatur Phrasis: realiter differre.

Primò hìc prænoscendum: vocem Realis distinctionis ambiguè dici. Igitur in Philosophia Peripatetica, realiter differre est; *Primò*: Subjecto differre. Sic materia & privatio sunt idem re, quia non habent diversa subjecta. Item album, & dulce, & similia concreta, quæ idem subjectum connotant 1. *Phys. c. 2. t. 21.* 14. *Realis distinctio ambiguè dicitur.*

Secundo: Realiter differre est essentiâ differre. Differúntque adeò sic realiter, quæ præter operationem intellectus habent essentias diversas. Sic realiter differunt Petrus & Paulus. Dix.: *Præter operationem intellectus.* Nam sumendo unam rem in majore vel minore abstractione, possumus ei tribuere diversas essentias. Neque tamen differunt realiter. Veluti animal sumendo cum abstractione à differentiis divisivis, aliam habet essentiam, aliam homo. Nihilominus homo & animal realiter non differunt. Et hoc modo loquendi ait Damasc. *lib. 1. de Orth. fide c. 11.* personas divinas non distingui realiter, quia habent unam essentiam, vel potius quia sunt una essentia. 15

Unde, *Tertio*. Complectendo etiam distinctionem personarum divinarum sub distinctione reali, realiter differre nihil aliud erit, quàm sic differre, ut intellectus præcisè non faciat differentiam, seu, realiter differunt quæ differunt ante operationem mentis, quodcunque tandem fundamentum sit illius distinctionis, an diversitas essentiæ (quæ non est in divinis) an diversitas ὑποστάσεων sive subsistentiarum, quæ in divinis poni solet. Et ita Doctores & Patres contra Sabellianos (qui à condit one dogmatis, Noetiani dicti sunt) ajunt, personas divinas non distingui ratione sed realiter. 16.

ARTICULUS II.

Quid sit realiter differre.

17. POnò igitur dari realem distinctionem certum est: Dicuntúrque adeò omnia realiter differre, quæ differunt ante operationem mentis, adeóque inter quæ intellectus non excogitat discrimen.

18. Suntque talia 1. Supposita ejusdem speciei, ut Petrus & Paulus. 2. Supposita etiam diversarum specierum, Petrus & Bucephalus, & hic lapis. Estque inter hæc realis distinctio evidens. Sunt enim de facto separata, indéque multa reverâ. Ergo ab invicem sunt realiter distincta. 3. Etiam realiter differunt, quæ etsi non sint separata de facto, separari tamen possunt. Ita realiter differunt, quæ etsi non sint separata de facto, separari tamen possunt. Ita realiter differunt materia & forma, Ignis & calor. Et hæc realis distinctio sic potissimum est inter res distinctas.

19. *Ampliatur realis distinctio.* Dupliciter tamen, porrò ampliatur realis distinctio. 1. Ad negationes, tùm quatenus hæ ad invicem referuntur, tum etiam quatenus referuntur ad res positivas. Et sic realiter dicuntur distingui, tenebræ & luditas, cæcitas, paupertas, non solùm ab invicem, sed etiam à luce, adjutu, visu, divitiis. 2. Ad alia Entia rationis; quæ in specie (distinguendo ea contra Negationes,) Entia rationis dicuntur. In quantum scilicet Entia rationis eo modo, quo sunt, verè distinguuntur. Ita realiter differunt Cerberus & Charon & Chimæra, & aureus mons tùm inter se, tùm à realibus Entibus, veluti lapide, bove, cælo, igne, &c. Vocari hæc distinctio solet, *quasi realis*, quia Entium rationis distinctio assimilatur distinctioni rerum. Sed de indiciis realis distinctionis peculiariter videndum est.

ARTICULUS III.

Quodnam sit indicium realis distinctionis.

20. HAnc quæstionem latè tractat Suarez *disp. 7. s. 2.* & Fonseca 5. *Metaph. cap. 6.* Ursinus *in disp. de rerum distinct. q. 13.* alique. Conter etiam Aristot. *lib. 2. Top. c. 1.* cujus doctrinam, quoad hoc, extraxi *in Top. comm. cap. 21. n 7. seqq.*

PUNCTUM I.

In quo removeatur indicia spuria.

21. *De diversitate loci.* HIc dico. 1. *realem distinctionem non posse statim extrui ex diversitate Loci, ut ad unitatem Entis realis sequatur unitas Loci, & pro vice ad multitudinem locorum sequatur multitudo rerum.* Ita patet, quòd una numero res potest esse in pluribus locis, ut per mysterium Eucharistiæ docetur. Nihilominus hoc verum relinquitur: Quod quæ realiter habent separatas essentias, quòd ea etiam realiter distinguantur, ut prius dictum, de suppositorum distinctione.

22. *De diversitate temporis.* 2. *Realis distinctio non potest statim extrui per diversitatem temporis.* Ita patet quòd idem numero redire potest, quod semel interiit, ut docet mortuorum resuscitatio. Atque ex hoc, quod Calviniani aiunt, creditur potest fieri prius, quod illi negant. Nam si unum numero potest esse, quod est in distinctis & separatis temporibus, nulla causa amplius est, cur non possit idem numero esse quod est in distinctis & separatis locis. Locus enim & tempus æquiparantur.

23. *De diversitate prædicamentorum.* 3. *Quæ distinguuntur prædicamentis non statim distinguuntur realiter.* Ita apparet in actione & passione, quæ non differunt nisi ratione. Et tamen sunt duo prædicamenta. Distinguuntur enim actio & passio solùm per inadæquatos conceptus. Veluti calefactio est actio, in quantum concipitur ut prodiens à calefaciente. Eadem illa res tamen vocatur passio, in quantum recipitur in calefactibili. Neque in re aliud est, quod exit ab agente & aliud quod recipitur in patiente. Idem

apparet

apparet in figura & quantitate. Nam figura est in prædicamento qualitatis. At ibi non est quantitas. Neque tamen realiter distinguuntur. Nam figura solùm est modus quantitatis unde à quantitate non differt ut res à re, sed ut modus à re. Et hinc etiam Petrius *in Phil. l.* 10. *c.* 2. negat sequi, quòd quantitas & substantia realiter distinguantur, quia sunt diversa prædicamenta, & rursus *lib.* 7. *c.* 3. Quod forma artificiosa realiter distinguatur à subjecto, quia hoc substantia, illa in quarta specie qualitatis sit.

24

4. *Quæ differunt ut constituens & constitutum, non necessario differunt realiter* Ita apparet, quod partes totius per accidens, constituant illud totum, & tamen realiter idem sunt partes illæ & illud totum. Idemque est de toto integrali (similari & dissimilari) & essentiali, quod constituuntur à partibus suis, sine reali distinctione ab ipsis. Loquor autem de eo, quod intrinsecè constituit; Secus enim est de eo, quod constituit effectivè. *De diversitate inter constituens & constitutum.*

25.

5. *Quæ differunt definitione, non statim distinguuntur realiter.* Ita malè Mercenarius ex hoc colligit differre mistionem & misti generationem realiter: Item Simplicius realiter differre animam & naturam. Patet autem quia alia est etiam definitio animalis & alia hominis. Et nihilominus ista realiter non differunt: Et apparet quia diversitas definitionis fieri potest; prout res magis vel minus abstrahitur. Unde nasci potest solùm ex inadæquatione conceptuum. At ista est insufficiens ad reale discrimen. Atque hoc est in tribus prioribus exemplis. Aliter etiam potest diversitas definitionis esse solùm quo ad accidentia. Unde nec sic realiter intelligitur esse diversa essentia. Sic aliter Ethicus, & aliter Physicus potest definire affectus. Confer *in Top. c.* 30. *n.* 173. & infra *hoc. cap. tit.* 6. *art.* 3. *De diversitate in definitione.*

26.

Cæterùm in superioribus propositionibus dixi: *non statim extrinsecè* reale discrimen ex distinctione loci, temporis, prædicamenti; Hoc sensu; quod talis distinctio non satis sit, ad efficiendam talem differentiam: cùm aliàs multa sint realiter distincta, quæ locis, tempore vel prædicamentis distinguuntur.

PUNCTUM II.

In quo declarantur indicia propria realis distinctionis. 27.

6. *Quæ essentias habent actu separatas ea differunt realiter.* Ita apparet, quia ibi est vera multitudo. At multitudo requirit plura Entia, & ita plures Entitates. At plures Entitates necessariò sunt realiter distinctæ. 28.

7. *Quæcunque habent essentias separabiles, ea differunt realiter.* Ita realiter differunt anima & corpus, quia anima separatur à corpore, & utrinque separatum subsistit anima, emissa à corpore, & corpus desertum ab anima. Sumiturq; hinc indicium, simile discrimen habere etiam cæteras formas à materia.

Notandum hìc est. 1. Separationem esse duplicem, aliam mutuam quia utrumque separatorum postea existit; Aliam non mutuam, quia unum separatorum manet, alio intereunte. Ubi hæc posterior separatio non est semper indicium distinctionis realis sed prior solùm Ita patet quia quæ distinguuntur modaliter, ea etiam separari possunt, ut unum maneat alio intereunte, ut postea patebit. 29. 30.

Deinde notandum hìc est: Separabilitatem, quæ est indicium realis distinctionis, non intelligi solàm eam, quæ completur sive actuatur per agens naturale; sed etiam quæ educitur in actum per Deum. Ergo quæcunque separatione mutuâ possunt separari à Deo vel à natura, ea distinguuntur realiter.

Cæterùm quia de facto, multa unita nondum sunt separata, ideirco in istis quando dubitari potest de separabilitate, hoc ipso simul dubitatur de reali distinctione & vicissim. 31.

In hunc eventum accuratè tenendum est, quod & Suarez monet *disp.* 7. *s.* 2. *n.* 12. Signum ex separatione sumptum, neque esse adæquatum, neque unicum, nec semper primum, solumque assignari ut certius & notius, quando haberi potest.

32. 8. *Quæ habent se ut res efficiens & res effecta realiter differunt:* Repugnantiâ enim est, idem seipsum producere. Nam si se produceret utique ageret. At actio non est nisi Entis. Ergo illud producens esset Ens. At si demum est producendum, hoc ipso est non Ens. Ergo quod se ipsum producit, erit & non-Ens & Ens. Non Ens, quia producitur demum: Ens, quia producendo agit.

33. 9. *Quæ habent diversas essentias, ea distinguuntur realiter.* Diversas intellige, sive separatæ sint, sive unitæ. Diversas essentias, veluti si unum sit animatum, aliud inanimatum, si aliud sit homo, aliud pestis. Diversitas enim essentiæ: quæ est cum subordinatione, non indicat realem diversitatem, quia quæ est una & eadem essentia unius rei, potest per plures inæquatos conceptus essentiales apprehendi, veluti Petrus sub voce Petri & animalis & hominis, & tamen ista omnia non distinguuntur realiter.

34. 10. *Inæque quorum genera (accuratè sic dicta) aut differentiæ sunt diversa, realiter distinguuntur.* Dico: *accuratè si dicta*; Nam prædicamentalia summa genera, sunt quasi genera suorum inferiorum, & non accuratè dicta: Illa tamen quæ sunt in diversis generibus prædicamentalibus, non necessariò realiter distinguuntur, ut visum est propositione tertia. Ita realiter differunt avis & aurum, quia illa est animal, hoc metallum. Item homo & bestia realiter distinguuntur per rationalitatem & irrationalitatem. Item individua, ut Petrus, & Paulus, &c.

35. 11. *Quorum subjecta sunt realiter distincta, ea ipsa sunt realiter distincta.* Ita differunt realiter, quorum unum est in anima, aliud in corpore.

TITULUS IV.

De distinctione Rationis.

36. DE distinctione rationis tria sunt tractanda. *Primo* est explicanda phrasis τῶ differre ratione, *tum* quid sit distinctio rationis, & *tandem* quotuplex ea sit.

ARTICULUS I.

In quo explicatur phrasis: Differre ratione.

37. PRimò explicanda est phrasis τῶ differre ratione.

38. Ramus in Logicis differre ratione ait, quæ tàm leviter dissentiunt, ut iis non repugnet consensio, quomodo se habent termini hujus propositionis. *Ulysses non est formosus.*

Ramo quid differre ratione & re.

Re autem differre ait, quæ dissentiunt cum repugnantia ad affirmationem vel consensionem qualis differentia est inter hos terminos, *Homo non est Lapis.*

39. *Secundo* λόγῳ sive ratio sæpè sumitur pro essentia. Ideò sic differre λόγῳ est differre essentia. Sic Aristoteles ait, cùm dulce & album prædicantur de eodem, nihilominus differre λόγῳ sive ratione, hoc est (non per operationem intellectus, sed) per essentiam & definitionem, ut rectè exponit Suarez *in Metaph. disp. 7. s. 1. num. 14.* Et ad hunc sensum ait Monlor. *de Univers. c. 4.* Universale & singulare differre λόγῳ, hoc est, ratione εἰδικῇ, non λόγῳ, hoc est, operâ intellectus. Sic & Perer. *lib. 13. Phys. c. 3.* ait, actionem & passionem distingui ratione per rationem non intelligendo operationem intellectus, sed definitionem & ipsum esse rei.

40. *Tertio*, Quia differre ratione opponitur τῶ differre realiter, & verò differre realiter infert rebus creatis differentiam essentialem, iccircò sic differre ratione dicuntur, quæ non differunt essentialiter. Et hoc sensu Damasc. *lib. de Orthod. fid. c. 11.* ait, personas Trinitatis differre ratione, Ratione, inquam, hoc est, non essentia. Est enim una numero essentia.

41. *Quarto:* differre ratione dicuntur, quæ in re sunt aliquid unum, apprehenduntur tamen ut multa. Veluti attributa divina omnia sunt unum idemque, propter

præter identitatem, quam habent ad essentiam divinam; nihilominus apprehenduntur ut multa, & ut distincta ab essentia divina. Hoc modo loquendi Noëtiani dicebant personas Trinitatis distingui ratione, hoc est, solùm nostro modo apprehendendi, ut Epiphan. refert *lib. 2. Tom. 1. hæres. 57.* Et proinde hanc locutionem Ecclesia admisit in Damasceno, reprobavit in Noëtianis. Et hoc posteriori modo nunc intelligitur distinctio rationis.

ARTICULUS II.

Quid sit distinctio rationis?

42. ATque ex his statim apparet, quid sit distinctio rationis? Nempe distingui ratione, dicitur, quod simpliciter est aliquid unum, apprehenditur tamen tanquam includens multa.

43. *Aliorum opinio.* Alii putant distinctionem rationis esse, qua distinguuntur Entia rationis: Realem, quâ distinguuntur Entia realia. Sed malè.

44. *Rejicitur.* Nam primò Entia rationis, postquam acceperunt esse, per intellectum, etiam distinguuntur realiter, ut prius dictum, *Tit. 3.* Deinde sic non relinquitur nomen illi distinctioni, qua in re præcisè nostra ratio apprehendit multa, veluti in Deo plura attributa. Neque enim talis distinctio vocari poterit rationis, quia non est in Ente rationis. Neque etiam est realis. Nam realis distinctio supponit plura in re, fundatúque adeò in eo, quòd hæc res non est ista.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit distinctio rationis?

45. ESt autem distinctio rationis duplex. Alia est rationis ratiocinatæ, alia est rationis ratiocinantis.

Distinctio rationis ratiocinatæ est, quando ratio ratiocinatur (ut sic barbarè loquar) hoc est ad ratiocinandum movetur per fundamentum aliquod ex re sumptum. *Distinctio rationis ratiocinatæ.* 46.

47. *Quodnam fundamentum in distinctione ratiocinata.* Vbi per fundamentum hujus distinctionis, non intelligitur multitudo rerum, quæ supponatur ante hanc distinctionem. (Id enim si esset, esset distinctio realis) sed qualiscunque occasio sumpta ex re ad multiplicandos conceptus. Veluti, quòd una eadémq; res connotat distinctas negationes vel respectus. Vnde quia negationes tales negant res realiter distinctas, & respectus significant ad res realiter distinctas, inde ex reali distinctione earum, quæ extra aliquod Ens sunt, sumitur occasio, inadæquatè concipiendi rem aliquam modò cum hac negatione, modò cum alia, modò cum hoc respectu, modò cum alio.

48. Et sic distinguitur Deus ratione à suis attributis: Et similiter ea inter se. Veluti quia immensitas significat essentiam divinam, sed ut carentem finitudine & commensuratione ad aliquod spatium, immortalitas significat essentiam divinam, sed ut carentem corruptibilitate, & sic deinceps in aliis attributis negativis: Ergo sic fundamentum distinguendi immortalitatem & immensitatem in Deo, sumitur ex reali distinctione mortalitatis & finitudinis, quæ in Deo non sunt. Rursus misericordia significat essentiam divinam, sed quatenus dicitur misereri. Justitia significat eandem essentiam quatenus denominatur vel dicitur punire. Vnde quia aliud est misereri & punire, sumitur qualiscunque occasio & fundamentum distinguendi misericordiam & justitiam, quæ istos actus respiciunt.

49. Vocatur etiam aliàs hæc *distinctio virtualis & eminentiæ*, fitque semper per inadæquatos conceptus ejusdem rei, quorum unus representet rem sic sumptam, ac iste eandem rem aliter sumptam, eo modo quo declarandum est.

De

De distinctione rationis ratiocinantis.

50. Distinctio rationis ratiocinantis est, ubi tale fundamentum non supponitur in re unde ratio occasionem distinguendi sumat. Estq; tum, quando eadem res comparatur ad se ipsam per repetitionem solùm. Veluti cùm dico, *Homo est homo*, ratio distinguit hominem, faciendo ex eo distinctos conceptus, prædicati & subjecti, in re tamen est prorsus idem, quod est homo in prædicato, & quod est homo in subjecto.

51. Atque ita apparet distinctionem rationis ratiocinantis indicari per repetitionem ejusdem conceptus, ut dictum est. Distinctio autem rationis ratiocinatæ est, quando tale fundamentum in re reperitur, quod declaratum est.

52. Vbi tamen cavendum est, ne declinetur ad distinctionem realem à distinctione rationis, ubi opus non est. Proinde quamdiu adhuc sistitur solùm in multitudine conceptuum, nondum necessarium est, venire ad distinctionem realem. Nam visum est, eam etiam esse in distinctione rationis. Opus igitur est ad inducendam realem distinctionem præter multitudinem conceptuum aliis indiciis, quæ priùs tacta sunt ad distinctionis realis doctrinam.

Cautela.

TITVLVS V.
DE DISTINCTIONE MODALI.

53. Hic *Primo* inquirendum est: An præter distinctionem realem & rationis, danda sit alia species distinctionis, quæ modalis vel aliter dicatur? *Deinde* explicanda est speciatim modalis distinctio.

ARTICULUS I.
An præter distinctionem realem & rationis necessarium sit dari aliam distinctionem.

54. Multi aiunt non posse excogitari mediam distinctionem inter distinctionem realem & rationis, cujus sententiæ defensores, vide apud Suarez. *in Metaph. disp. 7. s. 1. n. 9.*

Necessariam non esse distinctionem, distinctam à reali & rationis distinctione.

55. Ego primo dico: *non esse prorsus necessarium ad distinctionem realem & rationis adhuc tertiam, quomodocunque dicatur, Modalis an aliter.*

56. Ita apparet, quia sine ullo incommodo omnem distinctionem possumus vocare realem, quæ non est ficta per intellectum, sed quæ in re supponit plura, inter quæ fit illa distinctio; Distinctionem autem rationis, in qua non supponitur pluralitas in re ipsa, sed ubi supponitur unum quid solum diversimodè conceptum vel apprehensum.

57. Patet *Primo*: Quia nihil veri incommodi denominari potest, quod istâ sententia posita sequatur. *Secundo* Quia realis distinctio extenditur etiam ad privationes, tum quatenus illæ ab invicem distinguuntur, tum quatenus distinguuntur ab Ente reali. Neq; enim peculiare genus distinctionis hactenus ad istam rem constitutum est. Vnde à potiori sequitur extremi etiam posse ad modos, in quantum illi ab invicem, & etiam à re modificata distinguuntur. Modi enim magis accedunt ad naturam Entium, quàm privationes.

58. Rursus. 3. si modalis distinctio addatur cæteris duabus sic ut membra illa sint inæquales naturæ. Nam modalis distinctio sumit nomen ab extremis quæ distinguuntur. At realis & rationis distinctio, non dicuntur ab extremis. Nam de distinctione rationis antè visum est, eam invenire posse etiam in Ente reali, veluti

inter

inter misericordiam & justitiam Dei. Et rursus realis distinctio, potest esse inter Entia rationis, ut visum est in *Titulo* 3. veluti inter aureum montem & cerberum, Et in oppositum etiam, unitas rationis, potest esse inter Entia realia quomodo duæ species, veluti homo & bestia, unum sunt in genere, veluti esse animalis. Membra autem distinctionis debent ambulare æquali gradu.

Unde 4. pertexendo idem argumentum: Si species distinctionum sumendæ sunt ab extremorum conditione, ut fit in modali distinctione, tum 1. Erit etiam realis distinctio, quæ est inter Entia realia. Et 2. rationis distinctio erit inter Entia rationis, quæ absurda esse apparuit. Et 3. mixta distinctio ex distinctione realis & rationis, quando distinguitur Ens reale ab Ente rationis. Et 4. mixta ex reali & modali, quando res à modo distinguitur. Modalis enim putanda est fuisse, quæ est inter distinctos modos. Rursus 5. mixta ex distinctione rationis & modali ut alia taceam. At hæc omnia absurda hic sunt, quia multiplicant Entia sine necessitate. 59.

Denique distinctio realis & rationis opponuntur per contradictionem: Ergo immediatè. Antecedens sic patet; Nam realiter distinguuntur, quæ distinguuntur ante mentis operationem, vel quæ ante mentem distinguentem multa sunt. At ratione distinguuntur, quæ non distinguuntur, ante mentis operationem, & ante mentem distinguentem non sunt multa. 60.

Patérque adò hinc modalem distinctionem rectè contineri sub distinctione reali & rationis, quia ante mentis operationem aliud est modus, & aliud res quam modificat. 61.

Atque ita quæ nunc trado, de modali distinctione, non accipi debent, tanquam de nova specie distinctionis, sed tanquam ad complendam realis distinctionis doctrinam quam suprà specialiùs tradidi, prout scilicet à modali distinguitur, et. 62.

ARTICULUS II.

In quo explicatur modalis distinctio.

MOdalis distinctio est, quâ distinguitur res & ejus modus, differéque in eo à distinctione reali, specialiter sic dicta, quod per eam differunt res & res, non res & modus. 63.

Quid intelligatur per modum.

AD intelligendam autem hanc doctrinam, præsciendum est, quid sit modus, de quo etiam tractat Fonseca 4. *Met.* c. 2. q. 4 & 5. *Metaph.* c. 7. q. 3 s. 2. Ursinus *in disp. de distinct. real.* q. 15. Et Suarez *in Metaph. disp.* 7 s. 1. *num.* 16. *seqq* & *disput.* 2. s. 3. n. 8. & *Disp.* 32. s. 1. *num.* 13. *seqq.* cum his conferi quæ de modis scripsi *in Introduct. Logic.* c. 4. n. 18. 27, 28. 64.

Prænotandum autem est, quod vox modi quadrifariam sumatur. *Primo* modus dicitur omne id quod est qualitas. Ita Thomas 1. 2. q. 49. a. 2. *in corp.* figuram, potentiam naturalem, qualitatem passibilem & habitum appellat modos sive determinationes subjecti. 65. *Vox modi quadrifariam sumitur.*

Secundo: Modus vocatur, omne id quod determinat vel contrahit aliud, quomodo Rationalitas potest dici modus, quo contrahitur animal ad esse humanum, & irrationalitas est modus per quem contrahitur animal ad esse bestiale.

Ex qua significatione sumuntur tria specialiora, quâ modus sumitur: quam quid distinctam à differentiam, ut sicut differentia contrahit superius quid ad esse specificum vel individuale: Ita modus dicatur contrahere superius aliquid ad conceptum determinationem, nondum tamen, ut fiat species vel individuum. Sic modi dici possunt, ea, quibus contrahuntur Ens ad Summa genera sive prædicamenta. 66.

67. *Tertiò*: Modus sumitur pro congruentia, quam unaquæque res secundùm naturam suam sibi exposcit. Ita res creatæ requirunt sibi suum modum, in hoc, quòd bonæ dicuntur, per August. *de nat. Dem. c. 3.* Modum, inquam, hoc est congruentiam ad sua principia.

68. *Modus quid in præsenti.* *Quarto*: Alia ab his significatio est, secundùm quam modus dicitur, quod afficit Entitatem, & per se non sufficit constituere Ens, sive Entitatem, in rerum natura, sed intrinsecè postulat, ut actu afficiat Entitatem aliquam, sine qua esse nullo modo possit, ut fere loquitur Suarez. *disp. 7. s. 1. num. 1. 17.* Unde subjungit: Tales modos necessariò dari, quia creaturæ imperfectæ sunt, idéoque sunt dependentes vel compositæ vel limitatæ vel mutabiles, secundùm varios status præsentiæ, unionis, aut terminationis, indéque indigent istis modis quibus hæc omnia in istis compleantur.

69. Talis igitur modus est dependentia, quâ creatura à Deo, aut accidens à substantia dependet; præsentia, quâ aliqua res creata est alii præsens; mutabilitas, unio, inhærentia, gradus qualitatis, & sic deinceps. Hæc omnia afficiunt aliam Entitatem & seorsim nec dantur, nec dari possunt, nec addunt præexistenti Entitati novam Entitatem, sicut calor v. g. adveniens aquæ: sed solùm modificant Entitatem præexistentem. Indéque intrinsecè conjunguntur cum illa, nec possunt ullo modo seorsùm ab illa esse.

Quomodo differat modus à re modificatâ?

70. Cæterùm illi modi non differunt solâ ratione ab Entitate modificata. Nam quæ solâ ratione differunt, illa nullo modo sunt separabilia, in re, sed solùm in intellectione, in qua etiam suam distinctionem habent. At res modificata potest carere suo modo. Veluti formæ modus est, quod est unita materiæ. Hanc unionem potest amittere, ipsâ manente. Sic etiam qualitas, v. g. potest amittere aliquem modum, veluti aliquem gradum caloris & nihilominus remanens calor potest, nec amittere suam speciem & entitatem.

71. Potest autem ex his simile judicium fieri de cæteris. At quorum unum potest esse sine altero, ea non sunt prorsus idem, ut Aristot. *in 7. Top. c. 1.* ait. Et patet satis clarè, quia nihil potest in re dividi à se ipso, quia si divideretur, statim essent multa Entia. Divisio enim gignit multitudinem. At non potest aliquid esse, & multa Entia & unum Ens.

72. Ex his sequitur non incommodè dici posse, modum distingui à re realiter, quia ut visum est, non distinguuntur per operationem mentis, sed ante eam.

73. Nihilominus specialiter hæc distinctio modi à re modificata, veluti præsentiæ corporis à corpore ipso, & gradus caloris à calore, vocatur modalis, ut hæc sit tanquam media inter realem & rationis.

74. Hæc verum est 1. modum à re non distingui per rationem, ut priùs probatum est.

Judicium Autoris de distinctione modali. 2. Dicitur autem modalis distinctio non esse realis, Synecdochicè & quasi κατ' ἀντονομασίαν intelligendo distinctionem realem, pro ea, quæ est nobilissimo modo talis, nempe quæ est inter rem & rem. Unde sic discrimen est, inter distinctionem modalem & realem, ex ipsis terminis harum distinctionum. Realis est inter rem & rem, veluti inter calorem & frigus, inter corpus & spiritum, inter animam & corpus. At modalis non est inter rem & rem, sed inter rem & modum.

Veluti inter calorem & suum gradum, inter corpus & præsentiam suam, inter formam & suam unionem. Conveniunt tamen istæ distinctiones, quòd utraque est actualis in re, hoc est, ante mentis operationem.

75. 3. Etsi autem prædicto modo distingui possit distinctio modalis & realis? Nihilominus absolutè existimo, melius esse, modalem distinctionem comprehendere sub reali, hoc ipso, quia & ipsam mentis operationem antevertit, inprimis ad evitanda incommoda sub initium hujus sectionis recensita.

TITU-

TITULUS VI.
DE ALIIS NOMINIBUS divisionum.

VAldè varia nomina distinctionum occurrunt, quæ alius Philosophus sic, alius aliter accipit, quæ diversitas in appellationibus, facit hanc materiam intricatissimam. Ergo celebriora declarabo, quæ frequentius occurrere solent, ostensurus, quomodo talia genera distinctionum, sub distinctione reali aut rationis contineantur. Sunt autem hæc distinctio ex natura rei, formalis, essentialis, potentialis, inadæquatus denique & inclusi. 76

ARTICULUS I.
De Distinctione ex natura rei

DIstinctio ex natura rei solet poni media inter distinctionem realem et rationis. Faciuntq; ita graves Metaphysici. Suarez *disp. 7. s. a. 16.* Facit eam distinctionem æquipollentem modali. 77.

Fonsec. *l. 5. Metaph. cap 6. q. 6. sect. 1. & 2.* eam à modali distinguit, ut distinctio ex natura rei, sit veluti genus ad modalem. Facit enim triplicem distinctionem ex natura rei, formalem, modalem et potentialem. Absolutè tamen malè definit distinctionem ex natura rei. Sic enim *d. q. s. 2.* Distinctio ex natura rei est, quæ aliquid ab aliquo distinguit præcisâ omni operatione intellectus. Malè: quia sic etiam distinctio realis, est ex natura rei: ut diffiteri non potest Fonseca. Subjicit enim *d. l.* Sic ex natura rei distingui omnia quæ realiter differunt, ut Socratem et Platonem. Ergo sic realis distinctio comprehenditur sub distinctione ex natura rei. Ergo non debebat fieri distinctio peculiaris, distincta à distinctione reali, sed summatim dicendum erat; omnem distinctionem esse vel ex natura rei (sub qua comprehenditur distinctio realis, formalis, etc.) vel rationis. 78. *Fonseca quid distinctio ex natura rei.*

Wilhelmus Ockamus *in disp. de distinct. real q. 16.* Ex placitis veterum, melius definit distinctionem ex natura rei ut eam distinguat à distinctione reali. *Distinctio ex natura rei est, inquit, quæ in re fundamentum habens, est inter ea, quorum alterum pertinet ad perfectionem alterius.* 79. *Ockam. sine quid.*

Unde ad distinctionem ex natura rei sic sumptam, postulantur duæ conditiones. *Prima* est, ut, quæ sic distinguuntur, distinguantur præcisa operatione mentis. Estque hoc etiam in distinctione reali: *Secunda* est, ut unum sit de perfectione alterius. 80.

Nescio tamen, an hoc aliis etiam placere possit, qui ex natura rei etiam aiunt differre relationem et personam, item personas Trinitatis, et modum etiam à re, quam non modificat, veluti præsentiam corporis à spiritu. At hic unum distinctorum, non pertinet ad alterius perfectionem.

Atque ita non satis declarant et definiunt Doctores, quid eandem intelligi velint per distinctionem ex natura rei, nisi vel negativè, nempe non esse eam realem nec rationis: vel divisivè esse eam scilicet formalem vel modalem vel potentialem: qui termini si intelligantur, intelligetur quodammodo, quid sit distinctio ex natura rei. Factum autem ad jam dudum est, de distinctione modali, unde de ea nihil dicendum superest. 81.

Intelliget ur autem ex seqq. hanc divisionem revera non esse mediam inter distinctionem realem et rationis. 82.

ARTICULUS II.
De distinctione formali.

DIstinctio formalis est, eorum quæ differunt forma sua conceptibus objectivis.

84. Fonseca *lib. 5. Metaph. c. 6. 7. s. 2.* Facit eam duplicem, quarum alia sit formalis, & essentialis; alia sit formalis solùm & non essentialis.

Distinctionem formalem solùm ponit inter personas Deitatis.

Formalis autem essentialis est, inquit, quâ 1. distinguuntur diversæ essentiæ Entitatésve sive simplices sive compositæ. 2. Quæ habent diversas hujusmodi essentias. Aut 3. ita sunt affectæ inter sese, ut aliquid essentiæ Entitatisve includatur in uno, quod non includatur in altero. Hoc pacto distinguuntur natura hominis & equi, natura Socratis & Platonis, & ipse homo & equus, Socrates & Plato, itemque homo & animal, sensitivum & rationale, & cætera omnia superiora & inferiora, eorumque differentiæ.

85. Ex qua deductione apparet, *Primò*: contineri sub formali distinctione etiam ea quæ realiter distinguuntur, ut sunt homo, equus, Socrates, Plato, &c. Unde sequitur distinctionem formalem, & à fortiori distinctionem ex natura rei, malè opponi distinctioni reali.

Et rursus *secundò*: Exinde apparet aliqua formaliter distincta, pertinere ad distinctionem realem: Et rursus.

Tertiò. Alia pertinere ad distinctionem rationis, ut sunt animal & homo. Nam animal & homo, (si sermo sit de animali, quod prædicatur de homine) non differunt nisi per inadæquatos conceptus. & ista differentia, si quid aliud subsit, non est nisi rationis. Si autem sermo sit de animali, quod prædicatur de bestia, & realiter identificatum est cum illa, hoc, quia non est nisi animal irrationale, realiter differt ab homine. Animal autem abstractum ab homine & bestia, sic non est in re, sed in ista universalitate et nuditate à differentiis dividentibus, est solùm in intellectu. Prout autem in re est, est vel realiter idem cum homine, quod scilicet in eo est, vel est ab eo realiter diversum, si sit cum differentia oppositâ, aut irrationalitate.

86. Alii specialiùs, quàm fecit Fonseca, coërcent formalem distinctionem, ut hæc sit eorum, quorum unum addit realiter aliquam perfectionem alteri, quale quid est inter genus et speciem, inter generis et speciei differentias, inter unam partem et totum. Vide Wilh. Ustin. *dict. disp. q. 16.*

ARTICULUS III.

De distinctione essentiali.

87. Distinctio essentialis est species distinctionis formalis ut *prior. art.* visum est. Unde etiam apparet, quid sit essentialis distinctio, nempe est in iis quæ essentiis distinguuntur.

88. Unde patet 1. Aliqua formaliter distingui, atque adeò plusquam ratione, quæ tamen non distinguuntur essentialiter: Ea nempe, quæ differunt purè formaliter, et non per aliquid amplius sicut *prior. art.* dicebantur differre personæ Trinitatis, quæ formaliter differunt et non essentialiter. Imò et in rebus creatis posse esse, quæ differunt realiter, nec tamen essentialiter, contendit Doctiss. Ustin. *d. disp. q. 20.*

Essentialis distinctionis reductio.

2. Apparet, malè distingui essentialem distinctionem (sub nomine distinctionis ex natura rei) contra distinctionem realem. Nam quæ essentiis differunt, illa differunt realiter, veluti homo et equus.

Summatim autem aliqua differunt essentialiter, quorum distinctio pertinet ad distinctionem rationis: aliqua quorum distinctio est realis.

89. *Essentialem distinctionem non esse Vacuam.*

Prius patet: quòd aliqua differunt definitione, quæ tamen differunt ratione. Veluti alia est definitio hominis et alia animalis. Alia est definitio quantitatis in Physicis, alia in Mathesi, et tamen homo et animal, quantitas Physica et Mathematica, non sunt in re distincta. Vide suprà indicia distinctionis realis. *Num.* 25.

Et si

Et sic etiam Suarez *disput. 7. s. 1. num. 20.* ait, dari aliquando essentialem distinctionem secundùm rationem. Estque hoc ipsum semper, quando unus (in re) essentia, concipitur per inadæquatos conceptus, generaliores & specialiores, sicut est, cùm hominis essentiam concipimus confusè, sub ratione animalis, & confusiùs sub ratione corporis, & distinctiùs sub ratione hominis. Vbi, in istis inadæquatis conceptibus, apprehenditur alia essentia voce corporis, alia voce animalis, alia voce hominis, & proinde hæc distinguuntur essentialiter: At nihilominus realiter non differunt, quia non potest eorum distinctio indicari aliter quàm in ordine ad conceptus nostros. At distinctio per conceptus, nisi aliud subsit, non infert nisi distinctionem rationis.

Altera autem pars, quod differentia essentialiter possint differre realiter, clarior & certior est quàm ut probari debeat. 91.

ARTICULUS IV.

De distinctione Potentiali.

DIstinctio Potentialis dicitur illa esse, quâ partes integrantes alicujus continui, dum in eo sunt, distinguuntur & inter se et à toto, veluti pars aëris hæc à parte alia, ejus pars in media regione, ab alia ejus parte, quæ est in superiori vel inferiori regione. Pars hæc aquæ ab alia parte aquæ. Vocatur autem hæc distinctio potentialis quia singulæ partes habent potentiam, ut unaquæque earum possit esse separatum totum & completum Ens, si separetur. 92. *Distinctio potentialis quid sit?*

Hæc distinctio itidem solet media poni (sub nomine distinctionis ex natura rei) inter distinctionem realem & rationis, ut antea fecit Fonseca 5. *Metaph. c. 6. q. 6. s. 2.* Rectè tamen Suarez *disp. 7. sect. 1. num. 20. 22.* istam distinctionem negat esse distinctam à reali. 93.

Patéque potentialem distinctionem verè esse realem. Nam si partes continui non essent realiter distinctæ, tum continuum non esset aliquid compositum, sed realiter simplex. Compositum enim (reale) non est nisi ex realiter distinctis. At nemini adhuc in mentem venit, continuum esse aliquid simplex. Quod enim partes illæ ab invicem separatæ non sint, non satis est ad earum distinctionem tollendam. Plus enim est separatio, quàm distinctio. Estque ad eam satis, si unum (etiamsi untum) non sit aliud. At id est in continuo. Nam hæc gutta aquæ non est pars illa aquæ: et hæc pars aëris, non est pars alia. 94. *Eam esse distinctionem Realem.*

ARTICULUS V.

De Distinctione Includentis & inclusi.

TAlis distinctio est inter partem unam et totum, veluti inter hominem et animam. Ubi totum includit hanc partem (unde et includens dicitur) et aliquid amplius, nempe partem aliam. 95. *Quorum ea sit?*

Visitus *in disp. de Rer. distinct. q. 16.* negat inter totum & alteram sui partem esse distinctionem realem, quia pars etiam singula cum toto consentiat, ab alia autem parte dissentiat. 96. *An distinctio includentis & inclusi sit realis?*

Hæc ratio firma non est, nec aliàs etiam sententia vera est. Nam consensio illa solùm est *secundùm*. Unde non tollit ea realem distinctionem. Ita apparet, quod etiam efficiens cum effecto, et subjectum cum adjuncto consentit, et nihilominus ea realiter differunt. Et absurdum est maximè, dicuum, v.g. qui etiam est pars hominis, realiter esse eundem cum homine. 97.

Frequentior igitur est sententia: totum realiter esse idem cum partibus suis simul 98.

Sententia Autoris.

simul sumptis, & realiter differre à partibus singulis & seorsim sumptis. Et ita apparet, quia aliquam rem includit totum, quam non includit pars. Unde sic compositum (Homo) v.g. differt à corpore, quia illud includit esse animæ, quod non includit corpus. Rursus idem differt ab anima, quia illud includit esse corporis, sive materiæ. At anima non includit corpus sive materiam, in esse suo.

99

100. Et ista quidem realis distinctio est in isto genere includentium & inclusorum: absolutè tamen & generaliter dicendum non est, includens & inclusum semper distingui realiter.

Distinguitur enim ratione, totum essentiale Metaphysicum, à suis partibus, hoc est, species à genere & differentia, veluti homo à sua animalitate & idem à sua rationalitate. Nam genus & differentia, sunt solùm inadæquati conceptus unius ejusdemque rei, unde per hoc realiter non distinguuntur à specie.

101. Ex quibus summatim apparet: Aliqua exempla Includentis & inclusi pertinere ad realem distinctionem, aliqua ad distinctionem rationis, & proinde non esse hanc novam distinctionis speciem: summatimque omnia hactenus enumerata, distinguendi genera, sub distinctione reali & rationis contineri.

TITULUS VII.

DE DISTINCTIONE REI A RE *per respectum ad tertium.*

102. HActenus actum est de distinctione à re præcisè. Nunc agendum est de rerum distinctione per respectum ad tertium, quæ non adeò curanda est Metaphysico, sicut prior.

103. Ergo differunt aliqua *genere*, quorum genera sunt diversa; Ita differunt Lumen & homo.

104. Aliqua differunt *specie*, quæ distinguuntur sub eodem genere specificis differentiis, ut homo & bestia.

105 Aliqua differunt *numero*, quæ sub eadem specie differunt essentiis singularibus, 106. ut Cato & Plato.

Est autem hîc observandum, Phrasin *differre numero* bifariam sumi. *Primo* & generaliter differre numero dicuntur, quæcunque enumeratione & computatione differunt, vel quibus applicari possunt nomina numeralia, unum, duo, tria. Et sic etiam dicimus *decem* prædicamenta, quæ tamen Philosophis non differunt numero. Ita numeramus gradus in calore: Qui tamen non differunt numero, modo loquendi Philosophis usitato. Et hoc sensu etiam intelligendum est, cùm Damascenus ait *lib. 3. de Orth. fid. c. 4.* & inde Chemnitius *de duab. nat. in Christo, c. 1.* Personas divinitatis differre numero, ut bene interpretatur Lombardus *1. d. 19. 2.*

Numero differre bifariam dicuntur.

Aliter *differre numero* est differre essentiâ singulari, atque ita numeralis distinctio est distinctio essentialis, unde nec gradus caloris, nec personæ divinæ sic differunt numero: Et rursus, ita essentia in sic distinctis debet esse singularis. Unde ab hac distinctione excluditur numerus, quo ipsa genera tanquam plura numerantur.

Rursus aliqua differunt efficientibus, quorum diversæ sunt causæ efficientes. Item differunt materiâ, formâ, fine, subjectis, adjunctis, &c.

Ad hanc classem pertinet *inæqualitas* et *dissimilitudo*. Nam inæqualitas est distinctio plurium in quantitate, et dissimilitudo distinctio plurium in qualitate. De qua re satis tractavi *in Topic. Comment. c. 22. & 23.* unde petantur.

Potest autem idem proportionaliter fieri in Identitate. Sic igitur aliqua dicuntur eadem genere, specie, numero, quantitate (unde sunt paria) qualitate (unde sunt similia, et sic in cæteris.

CAPUT

CAP. IX.

De Vero.

1. HActenus fuit de Unitate, & ejus distinctis gradibus; sequitur de veritate.
2. Veritas est conformitas rei & intellectus.

COMMENTARIUS.

POST doctrinam Unius, agitur de Vero. Rectè quidem post illam; quia verum terminat Ens aliorsum, unde necessariò supponitur in se esse aliquid unum, quod dicitur conformabile alii. Aliàs enim non esset conformabile Ens, sed conformabilia. Et veritas non diceret conformitatem, sed conformitates. 1. *Veritas cur sequatur doctrinam de uno?*

Rursus rectè verum ponitur post bonum. Nam non est bonum, nisi quod verè est, quod est. Veluti non est bona sanitas, quæ non est vera sanitas, & non est bonum aurum, quod non est verum aurum. 2. *Cur præcedat doctrinam de bono?*

Circa initium hîc statim incidit quæstio: *An Metaphysici sit agere de veritate? Posteà* agendum est de voce veritatis, *tum* quid sit veritas, & *denique* de ejus adæquatione ad Ens. 3. *Ponuntur dicenda.*

TITULUS I.

An Metaphysici sit agere de veritate?

RAtio dubitandi est, quòd veritas est affectio propositionis, unde poni solet in compositione & divisione intellectus. At propositionis consideratio non pertinet ad Metaphysicam. 4.

Nihilominus in oppositum est, quod etiam Entia simplicia & incomplexa dicuntur vera quomodo dicimus, verum aurum, verum hominem, *&c.* Potéstque talis veritas accommodari omni Enti, non solùm in genere, at omne Ens (reale. De hoc enim agit Metaphysicus) dicatur verum Ens, sed etiam complicando veritatem cum tali specie Entis. Ut omnis homo dicatur verus homo, & omne aurum dicatur verum aurum.

Dixi: *in tali specie Entis*, hoc est, unamquamque rem metiendo ex natura sua, & propriis suis essentialibus. Unde consequitur, per horum defectum, quod non est verè aurum, non esse aurum & quod non est verus homo, id non esse hominem. 5.

Ex quibus intelligitur *primò* falsum esse: quod dicitur, veritatem solùm esse affectionem propositionis. 6.

Secundò. Veritatem convenire omni Enti, & proinde esse generalem affectionem Entis.

Unde *tertiò* sequitur: eam doceri non posse nisi in generali disciplina, quæ est Metaphysica.

Est autem observandum: Veritatis considerationem esse duplicem, alia est in actu signato, alia in actu exercito. 7. *Varia veritatis consideratio.*

Veritatis consideratio in actu exercito pertinet ad omnes disciplinas, quæ verè cognoscunt sua subjecta. Ita quid verè sit aurum tractat Physicus, quid verè sit virtus tractat Ethicus, quid verè sit circulus docet Mathematicus. Et ipsa etiam Metaphysica sic veritatem persequitur, in quantum tractat, quid verè sit singulare, universale, imò quid verè sit veritas ipsa.

Deinde veritas intelligitur in actu signato, hoc est, ut signetur vel definiatur quid 8.

quid sit veritas. Et talis consideratio, pro varia ejus significatione, pertinet ad distinctas disciplinas, quod apparebit ex sequenti titulo.

TITULUS II.

De voce veritatis.

9 *Veritas Ethica.* VEritas trifariam sumitur. *Primo*, Veritas opponitur mendacio, estque habitus moralis, de quo Aristoteles agit *l. 4. Ethic.* Unde talis veritas dici potest Ethica, tanquam pertinens ad Ethicam.

10. *Veritas Logica.* *Secundò:* Veritas est affectio propositionis, & opponitur falsitati. Sicque dicitur vera propositio, quæ pronunciat ut res est: Falsa quæ non conjungit vel disjungit ut res est conjuncta vel disjuncta. Et hæc veritas est Logica & tractanda est à Logico.

11. *Veritas Metaphysica.* *Tertiò:* Veritas est transcendentalis & Metaphysica, quæ convenit omni Enti: quæ quid differat à veritate aliter sumptâ, ex his & priori articulo, quantum ad significationem vocis satis est, intelligitur. De re ipsa autem mox erit.

TITULUS III.

Quid sit veritas Transcendentalis?

12. REm hanc valdè intricatam facerunt multæ opiniones, fiet tamen, ut spero, doctrina hæc facilis, partim ex generali doctrina affectionum Entis, partim ex seqq.

13. Ergo 1. *Veritas Entis debet in adæquatâ suâ significatione implicare Entitatem ipsam:* Sicut & unitas non erat solùm indivisio, sed ipsa Entitas indivisa. Sicut misericordia Dei non est habitudo Dei ad actum serendi, sed est ipsa divina essentia, sumpta cum hoc respectu, idemque in cæteris attributis divinis est, propter realem identitatem Dei & divinorum attributorum.

14. Ita autem apparet, quia attributa ista sunt realia. At non habent Entitatem vel realitatem, ultra Entitatem subjecti, ut mox probabitur. Ergo realitatem habent implicando ipsam Entitatem subjecti.

15. 2. *Veritas non potest significare peculiarem Entitatem, quam superaddat Enti subjecti,* quomodo calor in igne significat novam Entitatem (qualitatis scil cet) in igne, aut doctrina in anima.

16. *Veritas Enti nihil realeaddit.* Id patet per generalem rationem superiùs factam, de affectionibus in genere, quia si id esset, tum veritas faceret compositionem in Ente, eam scil cet, quæ est ex subjecto & accidente, sicut ignis est compositus ex esse suo & suo calore, & anima ex esse suo & sua doctrina. At absurdum id est. Nam etiam de simplicissimo dicitur, quod sit aliquid verum, quod non diceretur sine repugnantia, si veritas faceret compositionem in eo cui ipsa convenit.

17. Speciatim autem idem probari potest, quia præscindendo ab omni addito ad essentiam auri, adhuc dicitur esse verè essentia auri, Ergo veritas non potest consistere in aliquo addito Sequiturque ex hoc speciali cet, quòd veritas non superaddat Enti aliquam Entitatem, sive ea sit per modum absoluti, sive ad modum relativi. A remotione enim generis ad remotionem singularum specierum valet consequentia.

18. 19. *Veritas non potest significare solùm relationem rationis quantiscunque hæc sit accuratè loquamur.* Cur hoc adjiciam in sequentibus apparebit.

20. Apparet autem, quia relatio rationis est, sicut & alia Entia rationis, aliquid fictum. At veritas negat hanc ipsam fictionem. Non igitur potest complere veritas per relationem rationis.

21. 4. *Veritas non potest significare solùm denominationem extrinsecè.* Ita apparet quia denominationes extrinsecæ, ut ipsum nomen importat, sumuntur ab aliquo extrinseco. At affectiones scibiles, quia proprietates sunt, sunt sumendæ ab ipsa essentia subjecti, ut per eam denominari possint. Unde repugnat esse aliquid ideo rationem propriam, & tamen in totum sumi ab extrinseco. Velut affectio rei propria nullius rei potest esse, ejus cognitum, vel visum, quia hæ denominationes non sumuntur

nuntur secundùm essentiam subjecti, sed ab alio; Veluti, parieti aut lapidi conveniunt hæ denominationes ab intellectu hominis, aut visu animalis, sumptæ.

Summatim declaratur quid sit veritas.

5. SUmmatim igitur dicendo: quid verè sit veritas, potest id fieri ex duobus capitibus. 22.

Primò veritas potest explicari negativè, quod & fecit Aureolus *apud Capreol. 1. d. 13. q. 3.* ut refert Suaretz *disputat. 8. s. 7. num. 17.* Sic igitur veritas est nihil aliud quàm essentia, ut carens fictione, vel non habens solùm apparentiam. Veluti, id verè Petrus est, & id, verè homo est, quod non est fictus vel solùm apparens Petrus vel homo. Unde veritas, ut infert Suaretz *d. l.* sic explicanda est, per principia rei intrinseca, ut verus homo dicatur, qui essentialibus principiis hominis constat, in quo supra entitatem nihil additur, nisi negatio fictionis & apparentiæ. Sicut unitas in superioribus significabat entitatem et individuam, hoc est, cum negatione divisionis vel multitudinis: Ita veritas nunc significat entitatem cum negatione fictionis & apparentiæ. Atque in hoc modo declarandi veritatem nihil incommodi video. 23. *Veritas explicatur per negationem.*

Secundò: Et id quidem communiter, declaratur veritas per conformitatem ad intellectum, & hinc etiam sumpta est in theorematibus relata veritatis definitio. 24. *Aliter declaratur per respectum.*

Sed quid est, rem conformem esse intellectui? *Respond.* dicitur id nihil esse aliud, quàm rem esse talem, qualis secundùm essentiam suam intelligitur vel intelligi solet aut potest. Inde igitur aurum verum esse, est, nihil aliud, quàm aurum tale esse, quale secundùm sua principia essentialia esse intelligitur. Et verè est corpus, quod est tale, quale juxta essentialia principia corporis intelligi solet.

Ad quem intellectum sumatur conformitas, quem significat veritas?

CÆterùm intellectus, ad quem sumitur ista rei conformitas, est tum creatus tum increatus. Increatus quidem primò, creatus autem secundariò, quatenus in hoc aliqualiter divinus intellectus perfectio reluceat. Nulla enim res est, quæ ab intellectu creato præsertim gratioso aut gloriosè illuminato, non possit, ut verè est, cognosci. 25.

Utrinque igitur veritas est nihil aliud, quàm conformitas rei ad intellectum divinum & creatum, hoc est, res dicitur vera, quæ est talis, qualis à Deo, vel Angelis aut hominibus esse in tali essentia intelligitur vel intelligi potest, veluti aurum verum est, *dass Gott und Menschen Gold erkennen*, quomodo linguâ nostrâ loqui solemus. 26.

Qualis sit illa conformitas?

ATque hinc tria sequuntur. 1. Illam conformitatem non necessariò esse actualem, sed sufficere, si sit aptitudinalis: quia etsi divinus intellectus pro ipso actu cognoscat res, tamen non est id de intellectu creato, unde hoc respectu est dicendum: veritatem esse essentiam, non ut est actu intellecta, sed saltem ut est intelligibilis. 27. *Conformitas aptitudinalis.*

2. Sequitur: quod illa conformitas non sit nunc intelligenda in re ad intellectum, per modum mensurati & mensuræ, sed solùm per modum cognoscentis & cogniti. Nam etiam Deus ipse à suo intellectu est intelligibilis, & sic verè dicitur Deus, quod ab intellectu divino intelligitur esse Deus, unde sic Deus esset res mensurata per suum intellectum. At mensuratum dici, est nomen imperfectionis. 28. *Non est per modum mensuræ & mensurati.*

Sublendum est igitur, in declaranda ista conformitate, simpliciter non ratione cognoscentis & cogniti. Confer Fonsecam 4. *Metaph. c. 2. q. 9.* ubi cùm conformitatem hanc exposuit per modum mensuræ & mensurati, agnoscit tamen, non satis benè Deum posse aliquid mensuratum dici,

29. *Veritatem addere relationem.*

3. Sequitur: sic loquendo de veritate, posse dici, eam Entitati superaddere quamlemcunque relationem rationis. Neque enim occurrit nomen, quo melius explicemus nomen conformitatis.

30. Summatim ex dictis: *veritas est nihil aliud, quàm vel essentia carens fictione, vel essentialis, qualis sub ratione Entis à Deo & creato intellectu intelligitur.*

TITVLVS IV.
AN VERITAS SIT ADAEQUATA Enti, & cur?

31. OMne Ens esse verum, apparet, quia omne Ens tale est, ut intelligi possit ab aliquo intellectu, præsertim divino. At Essentia in quantum ipsa est conformis ab his ad aliquem intellectum, dicitur vera. Et apparet porro; quòd si esset aliquod Ens in se falsum, id non posset gignere nisi dissimilem sui conceptum, cùm intelligitur. At inde consequitur imperfectio omnis intellectus. Procul dubio enim imperfectio est, rem non posse apprehendere ut est. At hoc saltem absurdum est de intellectu divino, in eum cadere talem imperfectionem. Ad istum tamen principaliter æstimatur veritas, ut dictum est.

Rursus etiam, *Omne verum esse Ens* apparet, quia veritas, ut *in artic. 3. propos. 1.* 32. deductum est, debet implicare Entitatem. At quod Entitatem habet, id utiq; Ens est. Omne igitur verum est Ens.

33. Sic igitur relinquitur adæquatio veritatis ad Ens, quia omne Ens est verum, & omne verum est Ens.

Proponuntur Objectiones.

34. SEd in oppositum est, 1. quod etiam non Entia dicuntur vera, quo modo dicere possumus, *verè cæcum*. Sic et Entibus rationis tribuitur veritas, veluti cùm dicimus, aliquid verè esse propositionem, vel Syllogismum, id quod repugnantiam includit, verè esse Chimæram vel non Ens. Vnde relinquitur non omne verum esse Ens, sed dari aliquid verum, quod sit non Ens, vel Ens rationis.

2. Multa Entia realia dicuntur falsa, veluti, cum dicimus, *falsum aurum, falsum argentum, falsum Deum, &c.*

Objectionum Solutiones.

35. *Privationibus et aliis Entibus rationis quomodo tribuatur veritas?*

AD harum *primam* objectionem dicendum est: Entia rationis (sub quibus etiam sunt privationes) dici Entia, per analogiam sive similitudinem ad Entia realia. Vnde rursus, sicut in nomine Entis faciunt, ita fiunt etiam quasi similæ Entium realium, in applicandis sibi proprietatibus eorum, ut hæc dicantur aliquid unum, singulare, universale, verum, & sic deinceps in aliis.

Hæc tamen omnia his applicantur, non secundum eam rationem, secundùm 36. quam ea prædicantur de aliis, sed secundum rationem similem solùm.

Quantùm ad veritatem attinet, facilè patet. Nam veritas, ut eam declaravimus in Ente, declaratur per negationem fictionis, seu quòd non habeat essentia per fictionem intellectus. Ergo ad hunc modum Entia rationis non possunt vera dici, quia quamcunque Entitatem attribuerimus iis, hanc non habent ante intellectus operationem, sed post eam. Idq; est etiam in privationibus, quæ dicuntur esse ficta Entia, vel Entia rationis, non hoc sensu, quasi nemo v. g. sit cæcus, nisi per operationem mentis, sed hoc sensu, quod cæcitas, quæ reverà solùm negatio est essentiæ, non sit Ens, nisi per operationem mentis.

37. Deinde declarabatur veritas in Ente, non per solam conformitatem, sed erat idem quod ipsa entitas conformis ad intellectum. At in Entibus rationis non est Entitas, nisi secundum ambiguitatem vocis, sicut scilicet imago Barbaræ dicitur Barbatossa, aut sicut radix plantæ os dicitur. Vnde consequitur clarè & evidenter, quod cùm veritas tribuitur entibus fictis, sive entibus rationis, etiam non sit intel-

intelligenda sic nisi per ambiguitatem, ut hæc vera dicantur, quia qualitercunque assimilantur in hoc Entibus realibus, quod ea ipsa intelligi possint. Indicium hujus rei est & illud, quod non soleant fere generali nomine dici vera, sed solùm speciali. Veluti cæcitas non dicitur *verè Ens*, sed solùm dicitur *verè cæcitas*, aut privatio. Ubi sicut cæcitatis esse consistit solùm in defectu, ita & ejus veritas.

Unde statim apparet hanc veritatem non esse ejusdem rationis cum Entibus realibus quorum veritas erat, ipsa essentia conformis, *&c.* ut dictum est. Propositio non dicitur verè Ens, sed verè dicitur propositio, & sic in aliis. Fsto autem, ut applicetur veritas qualicunque modo ad Ens rationis, ut priori discursu dictum est, nihilominus hinc non sequitur, veritatem non esse adæquatam affectionem Entis. Nam ut ex eodem discursu relinquitur, veritas dicitur solùm de Entibus rationis & Entibus realibus, secundùm similitudinem & analogiam proportionis. At analogum proportionis per se & sine additione stat pro famosiori significato, hoc est, principali analogato, quod ibi est veritas, per attributionem ad Ens reale. Ergo rursus sequitur, sine addito, Entia non realia non posse dici vera. 38.

Ad alteram autem objectionem, quâ dicebantur Entia aliqua esse falsa, scien- 39.
dum est; ista falsa dici, non nisi secundùm extrinsecam denominationem, & non *Falsitatem non esse Entis proprietatem.*
per se (aliàs enim respectu cujusvis intellectus essent falsa, quia à per se ad omnem valet consequentia. At id maximè absurdum est, Aurichalcum, etiam ad intellectum divinum saltem, inferre difformem à sua essentia conceptum, hoc est, talem, qui non repræsentet naturam Aurichalci sed auri) sed per accidens. At istæ denominationes non curantur in scientia, quæ ab extrinseco sumuntur, & inprimis solùm per respectum ad particularem aliquem intellectum, alio præterea indicio, quia remoto hoc particulari respectu, ista res verè denominatur vera, nempe Aurichalcum est verè Aurichalcum: Tum etiam, quod si tales denominationes essent reales, omnis res posset dici falsa, quia in particulari aliquo intellectu, nihil repugnat aliquam rem apprehendi in conceptu difformi à sua essentia, seu etiam aliquam rem esse objectum falsæ alicujus opinionis, seu etiam rem aliquam assimilari alii, ut putetur ejus speciei esse, cujus tamen revera non sit: Et ita relinquitur, nullum Ens falsum esse ab intrinseco. Et proinde falsitatem nullius rei esse proprietatem, atque adeò tandem remanet omne ens esse verum, non obstantibus istis extrinsecis & accidentalibus denominationibus, quod erat principaliter concludendum. (Qui de falsitate plura cupit, legat prolixam dissertationem Suaretz. *in Metaphys. disput 9.*

CAPUT. X.

De Bono.

FUit de Vero, sequitur de Bono.

2. Bonitas est conformitas rei & voluntatis.

3. Bonum igitur dicitur Ens in quantum tale est, ut possit terminare actionem voluntatis.

COMMENTARIUS.

CUr verum prius sit bono in prioris cap. initio dictum est. Nunc statim ad ipsam boni considerationem venio. Ubi *primò* tractandum est de voce boni, ejusque distinctionibus. *Deinde* quid sit bonitas transcendentalis. *Denique* de ejus adæquatione ad ens. 1.

TITULUS. I.

De voce boni, indeque aliquibus ejus divisionibus.

2. Bonum Καλὸν καὶ ἀγαθὸν.

BOnum aliqui derivant à *bonando*, quia scilicet boet & clamet quasi, ut alios ad se alliciat: quo sensu aliqui etiam explicant τὸ καλὸν & ἀγαθὸν. Ajunt enim Bonum dici καλὸν ἀπὸ τῦ καλεῖν, quia animos provocat ad se appetendum: vel ἀπὸ τῦ κηλεῖν, quia demulcet appetitum: Et ἀγαθὸν dici quasi ἄγαν ἀξιον θέας, dignum multa spectatione: vel ἄγαν ἄξιον τῦ θέειν, valdè d gnum ad quod curramus, ut refert Cœlius Rhodig. *l.* 24. *Antiq. lect. c.* 7. Et Scalig. *Exerc.* 300. *s.* 3.

3. Aliquæ etiam hic divisiones Boni præcognoscendæ sunt, ut intelligatur, quodnam sit bonum, de quo Metaphysicus contemplatur.

4. Bonum Ethicum,

Primò bonum divid. solet *in bonum Morale, Naturale & Transcendentale*, vel ut à disciplinis nomina sumamus, in bonum Ethicum, Physicum & Metaphysicum. *Bonum Ethicum* (ampliando terminum, ut comprehendat etiam Bonitatem de qua Theologi loquuntur ex doctrina legis & Evangelii, est nihil aliud quàm virtus. Indéque cùm sic homo bonus dicitur, nihil aliud êst homo bonus, quàm homo virtute præditus. Unde apparet, hoc bonum non adæquari hominem, multóq; minus Enti. Sunt enim sic aliqui homines non boni, sed mali, hoc est, vitiis præditi. Et summatim extra naturam intellectualem non datur talis bonitas. Nec possunt hoc modo loqueud., lapis, planta, bestia, &c. dici bona, Atque ex his sequitur, de tali bonitate agere, non pertinere ad Metaphysicum. Metaphysica enim, quia est generalis disciplina, agit solùm de generalibus & communibus nis attributis Entium.

5. Physicum,

Bonum Physicum est nihil aliud, quàm congruentia naturæ. Vel ut Scalig. *definit exerc.* 307. *s.* 27 Bonitas, *i. qui*, naturæ, est perfectio cujusque Entis quâ tale est, producta ex iis, quæ requiruntur ad finem illius Entis. Atq; ita bonus v.g. dicitur homo, qui talis est, ut possit alequi fines suos, veluti qui potest audire, loqui, generare &c. Sic aqua pisci bona est, & pyraustæ ignis, ad vivendum ibi; At homini non est bona. Ex quo apparet hanc bonitatem etiam non adæquari Enti, & proinde non esse considerationis Metaphysicæ.

6. Transcendens.

Alia igitur est bonitas transcendentalis, quæ convenit omni Enti, & hæc pertinet ad Metaphysicam, quam postea considerabimus.

7. Bonum verum vel apparens.

2. Bonum est vel apparenter (φαινομένως) bonum; vel revera (ὄντως) bonum. *lib.* 2. *Phys. c.* 3. & *l.* 3. *Eth. c.* 6. Ubi bonum apparens, non pertinet ad hanc considerationem. Nam bonitas præsupponit veritatem, ut supràdictum est, indéque non dicitur bona sanitas, quæ non est vera sanitas. Veritas autem dicit carentiam fictionis, & opponitur nudæ apparentiæ.

8. Bonum corporis, fortunæ & animæ.

3. Plato *l.* 3. *de R.* & Aristoteles 1. *Magn. Moral. c.* 3. & 1. *Rhetor. ad Theodect. c.* 5. dividunt bonum, in bonum corporis, quale quid est sanitas, & bonum animæ, quale quid est doctrina, & bonum fortunæ, sive externus quale quid sunt honor, fama, divitiæ. In hac angustia nunc non sumitur bonum. Loquitur autem divisio ista solùm de bono hominis, sive de bono humano.

9. Bonum honorabile vel laudabile,

4. Eodem modo de bono humano, cóque nondum omni intelligendum est, quod Aristoteles distinxit bonum in bonum honorabile & laudabile, loquens de beatitudine *lib.* 1. *Eth. c.* 12. ubi *laudabile* bonum vocatur, cujus bonitas dest. natur ad aliud, unde subjungit Aristoteles rerum præstantissimarum non esse laudem. *Honorabile* igitur bonum est, quod (non laudamus, sed) tanquam d. viniùs & melius quiddam suspicimus, & in rerum beatissimarum numero ponimus. Ergo bonum laudabile est virtus. Bonum autem honorabile est Beatitudo, vel summum bonum.

10. Bonum utile vel fruibile,

5. Rursus de bono humano intelligendum est, quod Augustinus *lib.* 1. *de doct. Christ. cap.* 3. & *seqq* distinguit bonum in fruibile & utile. Ubi bonum hominis *fruibile* est, cui amore suo inhæret, propter seipsum, quale bonum hominis est Deus. *Utile* verò homo dicitur eo bono, quod refert ad obtinendum illud, quo fruendum est.

est, quomodo omnibus, quæ in mundo sunt, utimur, non fruimur. Alias etiam significationes juxta hanc distinctionem tradit Augustinus *in seq. cap.* Conier & Lombard. 1. *d.* 1.

6. Itidem de bono humano primùm tradita est divisio boni, in bonum honestum, delectabile & utile, quam Thomas 1. *p. q.* 5. *a.* 6. & 2. 2. *q.* 145. *a.* 3. habet, & sumi solet ex Arist. *l.* 2. *Eth. c.* 3. Cicerone *lib.* 5. *Tusc. qq.* & Ambr. *lib.* 1. *offic. c.* 9. 10. 11. *Bonum honestum, delectabile vel utile.*

Per honestum autem bonum tum non intelligitur illud, quod honoratum est, seu, ut specialiter honestum vocatur, quod rectæ rationi congruit: sed summatim, quod vel rectæ ration. congruit, vel etiam, secluso rectæ rat. onis dictamine, congruum est naturæ, eámque perficit, id honestum dicitur. Hoc est honestum comprehendit ibi & honestum morale & naturale. Unde porrò extenditur illud honestum ad operationem & ad habitum, & ad objectum hujus actionis & habitus, quæ honesta denominantur.

Bonum autem delectabile vocatur, quod quietat & sistit appetitum, per amicam complacentiam in tali actu vel objecto. Comprehenditur enim sub bono delectabili & delectationis actus & objectum delectabile.

Bonum autem utile dicitur, quod destinatur ad acquirendum bonum honestum vel delectabile. 12.

Cæterùm hæc divisio non est intelligenda de istis bonis materialiter, sed formaliter. Nam in materia sive re subsirata, possunt singula illa genera bonorum convenire, ut una eadémque res sit, quæ sit & honesta, & similiter delectabilis, & rursus utilis ad aliud bonum. Differunt igitur solùm formaliter. Nempe honestum qua tale non est delectabile, quia delectabile bonum implicat delectationem, ad quam honestum, ut sic, est indifferens.

Idémque est de honesto in comparatione ad utile. Nam hoc destinatur ad aliud bonum ad quam destinationem, bonum honestum, ut sic, etiam est indifferens.

Et rursus sic formaliter distinguuntur utile & delectabile. Nam delectabile etiam est indifferens, an destinetur ad bonum an non. Datur enim bonum ultimò delectabile, vel quod delectat nostram voluntatem ultimò, sine destinatione ad majus vel ulterius bonum, quale quid est Deus.

Dixi autem suprà, primùm traditam esse hanc distinctionem de bono humano. Nam deinceps divisio est amplisata ad bonum quodvis in communi, quod exposuit Suarez. *in Metaph. disp.* 10 *s.* 2. *num.* 26. quæ tamen extensio satis est contorta. 13.

7. Aliæ divisiones boni fiunt secundùm divisionem Entium. Et illæ consequenter exhauriunt bonum transcendens.

Aug. l. 2. *de lib. Arb. c.* 19 *& de cog. vera vitæ c.* 7. ait bonorum esse quatuor genera: Existentium, viventium, sentientium, & intelligentium. 14. *Adæquata boni divisiones,*

Item *in Psal.* 134 *Et lib.* 8. *de Trin. c.* 3. dividit bonum, in id quod est bonum per se & quod est bonum per participationem, quorum hoc est bonum creatum, illud increatum. Inter hæc autem non datur medium.

Ejusdem sensus est, quod bonum dividitur in bonum simpliciter (ἁπλῶς ἀγαθὸν) & bonum secundùm quid, ubi intelligitur per hoc, bonum creatum. Dicitur autem creatum bonum, secundum quid bonum, non quasi res creata sit aliquid malum, aut quod non sit bonum simpliciter, hoc est, sine additamento: sed solùm ad significandam eminentiam bonitatis in Deo. Et sic solus Deus dicitur bonus *Mat.* 19. *Luc.* 18. *& Mar.* 10. Solus, inquam, Deus bonus est: per exclusivam, non removendo totum prædicatum, quasi creaturæ nullatenus sint bonæ, sed tantùm removendo excellentiam bonitatis ab aliis. Sic Chrys. *homil.* 64. *in Matth.* hominem nullum esse bonum annuit Christus, inquit, nec tamen omnino humanum genus bonitate privatum affirmat, sed, *comparatione* divinæ bonitatis, neminem bonum asserit. Et patet. Nam aliàs omnia à Deo creata dicuntur bona, *Gen.* 1. *& Matt.* 12. dicitur Bonus homo de bono thesauro, *&c.* Ad quæ loca egregiè ait Augustinus *Epist.* 54. *ad Maced.* Non est sibi, in his contraria locutus, inquit, Deus ego 15. *Quomodo bonum creatum dicatur bonum secundum quid?*

solus singulariter bonus est, & hoc amittere non potest. Nullius enim boni participatione bonus est, quoniam bonum quo bonus est, est à se ipso. Homines autem, quos Deus bonos dicit, sunt tales ex participatione gratiæ, cùm alios malos vocet propter vitia.

16. Unde videri etiam potest, bonitatem quæ attribuitur soli Deo, & removetur ab hominibus, intelligendam esse, non de bonitate transcendente, sed de ea, cui vitium opponitur, hoc est de bonitate Morali.

17. Ad eandem amplitudinem pertinet boni divisio, quâ per decem prædicamenta bonum dividitur ab Aristot. *l. 1. Ethic. c. 6.*

18. Ex quibus distinctionibus & divisionibus hoc relinquitur, quod eam bonitatem debeat considerare Metaphysicus, quæ non est restricta ad peculiare genus Entis, sed secundùm quam omnia Entia, quæcunque sunt, dicuntur bona esse.

Bonum dupliciter sumitur. Estque supra hæc animadvertendum: vocem *Boni* sumi dupliciter. 1. absolutè. Estque tùm bonum idem quod perfectum. Estque res bona, in quantum non deest ei quicquam eorum, quæ ad essentiam illius faciunt. Vulgò dicitur *bonum in se.* Hæc ratio boni in præsentia à nobis non consideratur, sed considerabitur sub nomine perfectionis in seq. capite. 2. Sumitur relativè, atque hoc bonum est quod vulgò *bonum alteri* dicitur. Et illud nunc consideramus. Distinctionem eandem tradidit Arist. 3. *Topic. c. 1.*

TITULUS II.

In quo declaratur quid sit bonitas transcendentalis?

19. Sub hoc titulo de duobus videndum est: *Primo* removendæ sunt aliorum opiniones, disputando, quid non sit bonitas transcendentalis? *Deinde* declaranda est sententia propria.

ARTICULUS. I.

Quid non sit Bonitas transcendentalis?

20. Hanc rem, pro varietate opinionum, complectar distinctis propositionibus, sicut & priùs factum in aliis attributis entis.

Bonitas non differt re ab essentia.

21. 1. *Bonitas Transcendentalis non est aliquid re distinctum ab ipsa Entitate, quæ bona denominatur.* Ita apparet per rationem, in genere, & in specie factam, de attributis Entium, quia si in ulla affectione entis id esset, tùm in subjecto suo (Ente) faceret realem compositionem. Et id absurdum est, quia sic Deus etiam compositus esset, quia etiam denominatur bonus: Patet consequentia, quia quod convenit bono, quâ tale, debet etiam omni bono convenire. Nam *τὸ quatenus* includit τὸ de omni, apud Aristot. 1 *post. c. 4.*

22. Unde etiam à posteriori sumitur argumentum pro eadem sententia. Nam si de facto repugnat dari aliquod ens, in quo sit ejus bonitas realiter distincta ab eo (ut est in Deo) ergo ens ut sic non potest dici bonum, sumptâ denominatione ab aliquo realiter distincto ab ipsa entitate. Nam conditio repugnans speciei, (latè vel strictè dictæ) non debet convenire generi, quia hoc totum in specie includitur quod in ipso est.

Bonitatem non esse qualitatem.

23. Atque hinc sequitur: Bonitatem Transcendentalem, qua communiter omnia bona dicuntur, non esse qualitatem, ut aliquos opinatos refert Soncinas 4. *Metaph. q. 19* & novissimè censet Timplerus *lib. 4. Metaph. c. 9. q. 6. & 2.*

In contrarium hîc est communis sententia, quæ confirmatur. 1. argumentis modò factis ad primam propositionem,

Dein-

Deinde idem patet, quia sic bonitas non maneret Transcendens, quia revera esset intra prædicamenta, quod repugnat Transcendenti. Patet tamen, ex ipso modo prædicandi, quia hinc dicitur; Bonitas est qualitas. At in prædicatione quidditativa prædicatum est latius (vel æquè latum, nunquam angustius) subjecto. Vnde relinquitur: qualitatem esse aliquid latius, vel communius quàm sit Bonitas. Quæ vel ipso sono verborum falsa sunt, et repugnant hypothesibus et tractationi Tumpleri, qui de bonitate agit inter Transcendentia & non sub prædicamento qualitatis. 24.

3. Efficacissimè patet, quòd Bonitas sit aliquid latius quàm qualitas, quod ipsa qualitas bonum quid, et substantia dicitur bonum quid, et utrobiq; est ratio bonitatis eadem. Ergo signum est bonitatem esse attributum commune, adeoque latius quàm sit substantia vel qualitas, et sic in cæteris. 25.

Denique patet, quod aliquibus convenit bonitas, quibus non convenit qualitas. Ita apparet 1. in Deo, qui bonus est sine qualitate, 2. in substantia, in quantum ea concipitur in esse proprio, quod insinuatur per definitionem ejus, remotis omnibus accidentibus. Veluti homo remotis accidentibus, sumptus secundùm esse humanum, est aliquid bonum. Nam est Ens verè productum à Deo. At repugnat aliquid produci à Deo sine communicatione bonitatis, quia nunquam agens agit, etiam in rebus creatis, citra intuitum bonitatis, in re producibili, quæ moveat agens ad agendum. At in puro suo esse sumptus homo, non includit qualitatem, ut facta est hypothesis et facilè admittitur. Apparet igitur hominem, (Et idem est de aliis) in puro suo esse, esse aliquid bonum, et tamen in eo non includi qualitatem, et propinde bonitatem non esse qualitatem. Sic Augustin. *lib. 1. de Doctr. Christ. c. 32. In quantum sumus, boni sumus.* Ex quo dicto rectè concludit Thomas 1. *p. q. 57. a. 1.* Bonitatem et essentiam non realiter differre. 26.

Vnum hic *objici* potest, quod necessariò explicandum est: Quomodo solus Deus dicatur bonus per essentiam si omnia Entia sint bona, per hoc, quod habent essentiam, et non per qualitatem. *Q. Quomodo solus Deus dicatur bonus secundùm essentiam?*

Respondeo 1. loquendo de bonitate Transcendentali, procul dubio omnia Entia sunt bona, per essentiam. Nam ut probatum est, ipsum esse humanum, præciso omni extraneo, est aliquid bonum. Vnde Homo hoc ipse, quia habet esse humanum, est aliquid bonum, et proinde per suum esse aliquid bonum. Et idem est in cæteris.

Solus igitur Deus vocatur bonus per essentiam, quod nullius generis bonitas ei convenit, quæ sic distincta ab illius essentia, id quod non est in rebus creatis. Nam Homo v.g. bonus dicitur, bonitate morali, quæ non est ejus essentia sed qualitas, unde Homo sic non est bonus per essentiam suam, sed per aliquid illi extraneum, nempe qualitatem: *Deinde* Thomas 1. *p. q. 6.* Deum esse bonum per essentiam, explicat, per complexionem omnis perfectionis, quod nulli rei, quod bonum per essentiam dicitur, convenit per extrinsecum. Sic igitur solus Deus est bonus per essentiam, alia autem sunt bona per participationem. 27.

Bonitatem non esse relationem rationis.

TErtiò Bonitas Transcendentalis, non est sola relatio rationis. Ita tenendum est contra Fonsecam *Lib. 4. Metaphysic. cap. 2. quæst. 6. sect. 4. 5.* Apparet: quia relationes rationis sunt Entia rationis. At hæc præcisâ operatione mentis nihil sunt. Quis autem dicet, res non esse bonas nisi per operationem intellectus. Conatur Fonseca *d. q. 6. s. 9.* se hinc extricare, dicendo nonnullas relationes rationis, præcisâ intellectus operatione, rebus convenire. Sed manifesta est repugnantia in adjecto, esse relationem rationis, adeóque Ens rationis, et tamen non dependere à ratione, ut contra Fonsecam, quanquam suppresso nomine, disputat etiam Suarez *disp. 10. s. 1. numero 4.* 28.

bonitatem

Bonitatem non significare negationem, nec bonum, idem esse quod perfectum.

29. *Bonitas non est idem quod perfectio.*

4. BOnitas *non addit Entitati negationem.* Ita sentiunt in contrarium illi, qui aiunt bonitatem esse idem quod perfectionem. Perfectum enim dicitur cui nihil deest. Et ita completur ejus significatio per negationem. Et hæc sententia videtur sequi ex eo, quod perfectio convenit omni Enti. Et proinde perfectum connumerandum est transcendentibus. At perfectio nullibi significatur nisi per bonitatem. Ergo bonitas significabit perfectionem, & proinde negationem. Coincidit huc, quòd vulgò, bonum & perfectum dicuntur idem.

30.

Nihilominus hæc sententia non est admittenda. Nam revera in re duo sunt: carere defectu, & esse appetibile, & utrumque horum convenit omni enti. Duæ igitur debent esse affectiones entis, quibus ista diversim significentur. Unde si bonitas significet carentiam defectus, non relictum est nomen, inter transcendentales affectiones, pro significanda appetibilitate, quæ non minus debet esse affectio entis, ac intelligibilitas, quæ significatur per verum.

31. *Boni & perfecti distinctio.*

Atque ita hinc ea partienda sunt, ut *nihil deesse* enti, significetur per perfectionem. Appetibilitas autem significetur per bonum.

32. *Bonum & perfectum quatenus idem?*

Atq; hinc infero: in vulgato numero Transcendentium malè omissum esse perfectum, quod *seq. cap.* clariùs apparebit. *Bonum* autem *& perfectum idem sunt*; non sumendo bonum in omni latitudine significationis suæ, sed in quantum bonum dicitur, quod est bonum in se, de quo prius dictum. Perfectio, inquit Suarez *disp. 10. s. 3. nu. 4.* & bonitas, quâ res in se bona dicitur idem sunt. Bonitas autem Transcendentalis est, secundùm quam res est bona in respectu ad aliud, ut fatetur etiam Suarez *in Metaph. disp. 10. s. 1. n. 13.*

Bonitatem non esse in sola denominatione extrinseca.

33.

BOnitas *non consistit in sola denominatione extrinseca.* Ita patet, quia omnia attributa propria demonstranda sunt per essentiam subjecti, & proinde sic sunt intrinseca. Unde repugnat, Bonitatem esse proprietatem entis, & tamen eam consistere in denominatione extrinseca. Et hinc in specie negat Suarez *disp. 10. s. 2. n. 23. & disp. 24. s. 6 n. 6.* quod utile est, dici bonum, quia ordinatur ad finem, qui bonus est. Et rursus *disp. 10. s. 3. n. 8.* rectè infert, creaturas non posse dici bonas bonitate divinâ. Habent enim creaturæ suum esse, & per hoc movent agentia, cum sint in potestate, ut ab istis actuentur & producantur. At ista motio non potest esse in agente, ab objecto possibili, nisi per apprehensionem boni in illo, ut ex doctrina finis apparet.

34.

Nectit tandem Suarez insidias ista disputatione, doctrinæ nostræ de justificatione; ubi docemus hominem dici justum (quod est nomen bonitatis) extrinsecâ denominatione, hoc est per imputationem justitiæ Christi; sed longè aliud est loqui de hac justitia, quæ proprietas non est, & de bonitate transcendentali, quæ est proprietas, & per hoc ab intrinseco enti convenire debet, ut probatum est.

Nunc rejectis opinionibus variis, de conceptu bonitatis propria sententia declaranda est.

ARTICULUS II.

Quid sit bonitas Transcendentalis?

35.

HOc dico 1. *Bonitatem Transcendentalem implicare ipsam Entitatem*, sicut de cæteris Transcendentalibus dictum. Nam si id non esset, bonitas revera nihil esset, quæ præter entitatem subjecti (quod hic est ens reale communissimè sumptum) non potest significare novam entitatem vel relationem, ut probatum est in præcedentibus.

36. 2. *Bonitas addit aliquid Entitati*, Ita apparet, quia si bonum simpliciter esset idem quod

quod Ens, cum fieret ταυτολογία cùm dicitur, Ens esse bonum, hoc est, Ens esse Ens. Et rursus bonitas non esset affectio Entis, quia sic fierent Synonyma sicut res & Ens, quorum neutrum est alterius affectio. Et aliàs omnia attributa, quæ realiter eadem sunt cum suo subjecto, debent illud subjectum significare in inadæquato conceptu, sicut misericordia divina, est nomen essentiæ divinæ, sed non significans adæquatè, quod significat essentia divina, verum inadæquatè, hoc est, ut sumpta cum respectu ad actum miserendi. Oportet igitur, ut hi etiam aliquid, quod bonitas addat Enti, unde conceptus ejus fiat inadæquatus ad significandam essentiam, non simpliciter, sed ut sic sumptam.

3. Hoc igitur (quia non fuit novum Ens, nec negatio per priorem artic.) relinquitur ut sit respectus sive relatio rationis. Ut hactenus dicere bonum nihil sit aliud quàm dicere Ens cum aliquo respectu. 37.

Sed *quis vel ad quid est iste respectus?* Plerique Metaphysici hodierni describunt bonitatem rei per convenientiam ad aliud. Ut bonum dicatur Ens, in quantum est alii conveniens, ampliando illam convenientiam ad quosvis modos convenientiæ. 38. *Ad quid sit respectus quem significet bonum.*

Ista tamen sententia mihi non fit probabilis propterea, quòd ita malum æquè erit affectio Entis ac bonum. Nam sæpè fit, Essentiam Entis alicujus talem esse, quæ sit conveniens huic, & disconveniens alii. Veluti essentia aquæ conveniens est pisci, ut in ea vivit, indèque est bona pisci. At non minus est disconveniens homini & aliis animantibus respirantibus, ut in ea vivant. Ergo erit aqua mala homini. Et ita Malitia æquè primò & æquè fortiter radicabitur in essentia aquæ. Ergo Malitia erit attributum Entis transcendentale, sicut & bonum, ut ex utroque fiat conjuncta Entis affectio, sicut ex eodem & diverso.

Neque obstat quod omne Ens bonum esse, adhuc relinquitur, quia omne Ens est alicui conveniens. Nam ut ex exemplo ejusdem & diversi apparet, conjunctæ affectiones possunt in re subsistata sive materialiter convenire. Una eademque res v.g. homo, est diversus à bestia, & est etiam idem, sub aliis conditionibus. Et hinc attributa transcendentia Complexa non omnia sunt in diversas res, sed sufficiat, si sint per diversas rationes, ut docet Manlorius *de univers. c. 7. p. 464. 465.* Nam hæc non possunt consistere. Pugnant enim cum adæquatione boni ad Ens, & Malitia præcisè significat privationem. Unde per utrumque sequitur; Malitiam non posse esse affectionem Entis. 39.

Declaratur sententia Autoris.

HOc ergo dimisso, declaro respectum, quem significat bonum, per ordinem ad appetitum vel voluntatem, eo prorsus modo, sicut veritas declarata est per ordinem ad intellectum. Unde sumitur hujus rei confirmatio. Nam non magis Entibus intrinseca est intelligibilitas, sive respectus ad intellectum, quàm volibilitas, sive appetibilitas. Unde si ista faciat attributum Entis, cur non faciet idem appetibilitas? Deinde nullum attributum transcendentale reperitur, per quod iste respectus significetur præter bonitatem. Ergo comprehendetur in bonitate. 40.

Denique magna ratio hujus veritatis est, in eo, quod aliæ opiniones non possunt consistere. Suarez etiamsi noluerit ita sentire, tamen in eandem sententiam aliquando relabitur cùm dicit, ut at *disp. 10. s. 3. n. 10.* Bonitatem transcendentem posse sumi sumptam esse à bonitate honesta quatenus omne hujusmodi bonum est per se appetibile. Sic & Scaliger *Exerc. 307. s. 2.* Bonitatem Transcendentalem declarat per ordinem ad voluntatem & appetitum. 41.

Declaratur Bonitas ex doctrina de Vero.

NUnc potest tota hæc res illustrari per dicta de veritate, superiori capite. Igitur *Primò* Bonum significat respectum ad voluntatem divinam & humanam, 42.

nam. Increatam quidem primò, creatam autem secundariò: in quantum in hac sua qualitate divinæ voluntatis perfectio relucet, hoc est, res est bona, in quantum est talis, ut à Deo, Angelo vel hominibus appeti possit.

43. *Res creatæ quomodo dicantur bonæ?*

Atque ita apparet 1. Res creatas esse aliquid bonum in respectu ad divinam voluntatem, quia potuerunt & possunt à Deo produci quod non est, nisi quia incultus est bonitatem, quam iis potuit communicare. Omne enim agens movetur ad agendum non nisi ex præcognitione boni quod sit futurum in re producibili, ut ex doctrina finium apparet.

44. *Deus quomodo bonus?*

2. Ipse autem Deus dicitur bonus, in respectu ad suam voluntatem, sicut & verus dicitur in respectu ad suum intellectum. Ergo Deus verus est, quia tale quid est, quod divinus intellectus intelligit sub nomine Dei. Et rursus bonus est Deus quia tale quid est, in quo complaceat sibi voluntas divina.

45. *Appetitus complacentiæ.*

Atque ad hanc rem illustrandam pertinet appetitus, quem Dd. appetitum complacentiæ vocant, qui non terminatur ad absens, sed ad præsens bonum. Quod enim præsens est, non appetitur nisi appetitu complacentiæ, quæ nihil aliud est, quàm quietatio vel sistentia in præsenti bono. Unde sic partiendo rationem boni in ordine ad diversos appetitus dicendum est: Bonum esse, quod vel (cùm nondum sit) Deus appetere potest, ut fiat, vel, in quo complacet voluntati divinæ.

46. Quod si fortasse nomen appetitus videatur implicare repugnantiam, ad rem præsentem, indéque appetitus complacentiæ non esse appetitus, facilè circa hoc ostendi potest, quomodo talis appetitus sit quodammodo etiam ad absens nempe ad continuationem. Continuatio autem, ut subtiliter Scal. ger dixit ad hanc rem *Exerc. 307. s. 27. p. 978.* est conjunctio multorum præsentium, & affluxo futurorum. Quia, quod est præsens, abit. Appetitur ergo quod abest, ut habeatur & sit præsens. Unde apparet, appetitum, quando terminatur ad continuationem ejus ellie, terminari quodammodo ad futurum: Et hactenus appetitum complacentiæ convenire in generali ratione appetitus. Solétque eodem sensu dici: omnia esse appetunt.

47. Dicam clarius & brevius ad rem præsentem: Bonum dicitur in ordine ad divinam voluntatem, quod Deus potest velle ut fiat, vel velle, ut permaneat in esse & in eo esse suo continuetur.

48. Atque ex his facile est: Declarare bonum in ordine ad voluntatem creatam, quod ex prioribus sumere potest benevolus Lector.

49. *Bonitas non constitit in actuali volitione.*

Secundò sicut veritas declaratur per conformitatem actualem & aptitudinalem simul: ita nunc dicendum est; rationem boni non consistere in actuali volitione, sed saltem in aptitudinali, hoc est, ad rationem boni satis est, si res appeti possit. Quia de facto fieri potest, ut homo v.g. nunc non appetat aurum aliúdve. Et ut Deus non appetat, ut nunc sit individuum hoc vel istud, ista tamen bona sunt, quia appeti possunt, & divina & humana voluntas ad ea de facto aliquando terminatur aut terminata est, quanquam hic actus præcisè ad rationem boni necessarius non sit. Nam multa sunt possibilia Entia, & proinde bona possibilia, quæ tamen nunquam fient, ut per actualem volitionem, vel appetitum Deus ad illa terminetur.

50. *Objectio.*

Illud principale est, quod objicitur, quòd scilicet ratio boni prior sit, quàm appetibilitas, indéque ajunt appetibilitatem consequi ad rationem boni. Ita differè Fonseca objicit *lib. 4. Metaph. c. 2. q. 7. s. 5.* ad propos. 2. & insinuat Suaretz *disp. 10. Metaph. s. 1. n. 19.*

51. *Solvitur.*

Sed *respondeo* aliud esse loqui de appetitione, sive actuali appetitu (qui etiam significari potest voce appetibilitatis, cùm talia nomina sæpè significent actus secundos) in quo non consistit ratio boni, ut dictum est, sed consequitur ad eam. Ipsa autem appetibilitas sumpta in re appetibili, à parte rei illius, nihil aliud est, quàm ejus bonitas. Et sic rem aliquam talem esse, quæ movere possit alterius appetitum,

petitum, est nihil aliud quàm eam esse bonam. Sicut ex consentiente Doctorum doctrina, rem aliquam veram esse, est nihil aliud, quàm eam esse intelligibilem, hoc est aptam, quæ suæ essentiæ conformem conceptum in intellectum aliquem ingerere possit.

TITULUS III.

AN BONITAS TRANSCENDENTALIS sit adæquata Enti?

52. Adæquatio duo requirit; *Alterum* ut subjectum non sit latius vel angustius prædicato. *Alterum* ut prædicatum non sit latius vel angustius subjecto. Ad ostendendam igitur adæquationem, Boni & Entis; de duobus dicendum est: *An omne Ens sit bonum?* Et: *An omne bonum sit Ens?*

ARTICULUS I.

An omne Ens sit bonum?

53. Dico 1. *Omne Ens est bonum.* Ita apparet, quia omne ens est vel creatum vel increatum. At ens creatum est bonum. Nam hoc ipso, quia creatum est, fuit aliquando terminus divinæ operationis, finis scilicet creationis. At non potest Deus moveri ad aliquid creandum, quod non sit bonum. Cùm ne creaturæ quidem moveantur ad aliquid faciendum sine intuitu bonitatis in objecto vel termino operationis, nisi fortè per inordinationem & imprudentiam, in quo casu nihilominus non feruntur ad ista, extra speciem saltem vel apparentiam boni. Adeò non potest appetitus ferri ad id quod malum est. Ens autem increatum, bonum est, quia non potest suæ ipsius voluntati displicens esse. At ista est quasi norma bonitatis, ut ex superioribus constat. *Ostenditur Ens creatum esse bonum.*

54. *Ens increatum.*

Dices, omne quidem ens creatum fuisse bonum, tùm cùm à Deo crearetur, ut indicat facta demonstratio: at ab ista bonitate defeciisse aliqua Entia, veluti homines & Angelos quosdam, hoc est, Dæmones. Unde relinquitur, nunc non omne ens esse amplius bonum.

Respondeo 1. Bonitas transcendentalis in omnibus entibus est ejusdem rationis, vel est talis, ut omnibus entibus, saltem in prima creatione, convenerit, juxta illud *Genes.* 1. Vidit Deus omnia, & ecce erant (illa omnia) valdè bona. At bonitas moralis, quæ consistit in præsentia virtutum, non est talis, ut secundum eam omnia entia dicantur bona, ea scilicet, quæ carent intellectu, ut sunt bestiæ, plantæ, lapides, metalla, elementa &c. Non potest igitur bonitas Transcendentalis idem esse quod bonitas moralis, unde porro sublata bonitate morali, tanquam speciali, potest remanere bonitas transcendentalis.

56. 2. Defecerunt igitur homines & Angeli à bonitate morali: at retinuerunt bonitatem transcendentalem, quia manebant eædem numero creaturæ, quæ & antea erant, unde quam bonitatem in ipsa sua entitate (remotis accidentibus) prius habebant, necessariò retinuerunt.

3. Patetque id efficacissimè quòd adhuc post lapsum illum, hominum & Angelorum esse, terminat aliquam Dei operationem, ut est *primo* conservatio, per quam Deus continuè influit esse, sine quo influxu illicò redigerentur alias in nihilum. Implicat autem prorsus, Deum conservare id, in quo nihil boni prorsus est. 2. Est quoad homines generatio, ad quam Deus, tanquam causa universalis concurrit, sicut propterea dist. nctis scripturis, Deo appropriatur hominis generatio, ut plenius probavi *comm. tom.* 3. *n.* 99.

57. Inquiri solet ad hanc tem: *An relationes, & materia sint bona?* Sed hæ quæstiones mihi videntur hùc esse heterogeneæ, quia bonitas in iis intelligitur ratione perfectionis, ut satis clarum est, unde ex *fund. cap.* istæ quæstiones dijudicari possunt, ubi etiam constabit, quod perfectio & bonitas differant.

Id ad hanc rem pertinet, ut disquiratur, an vitia moralia habeant Bonitatem?

ARTICULUS II.

An etiam vitia Moralia sint bona?

58. TAlia sunt, avaritia, prodigalitas, injustitia, superbia, &c. Est autem quæstio ista satis intricata, & solet plerumque à Metaphysicis hic tractari. Quæritúrque an ea sint *bona*, non bonitate morali: quia sic idem esset quærere, ac, an avaritia sit bona, hoc est, virtus, quod frivolum esset; Sed de bonitate transcendentali, est quæstio, an scilicet sint bona, sicut lapides, plantæ, calor, frigus, &c. sunt aliquid boni, quorum omnium bonitatem complectitur bonitas transcendens.

59. *Dubitandi rationes pro utraque parte.* Hac in re ratio dubitandi est, quod ista vitia sint habitus & proinde vera entia. At omne ens est bonum per superiorem propositionem. Unde relinquitur, ista (vitia scilicet) esse bona.

Rursus in oppositum est, quod vitia moralia habent difformitatem ad voluntatem divinam, nec ullo modo habent conformitatem cum ea. At in hoc consistit formaliter ratio boni transcendentalis, ut supra patuit. Bonum enim definitum est per conformitatem ad voluntatem divinam. Et porro patet invertendo argumentum factum ad primam propositionem *hujus artic.* Si vitia Moralia haberent Bonitatem haberent eam vel creatam vel increatam. Non increatam, quia hæc soli Deo convenit: Non creatam, quia Deus non est autor iniquitatis.

60. Hæc res non adeò facilis videtur, ut cognosci possit ex iis, quæ tractat hac de re Cajetan 1. 2. q. 18. *art.* 5. & q 71. *art.* 6. & q 27. *a.* 1. & Suarez *in Metaph. disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 8. *seqq.*

61. *Sententia autoris.* Ego simplicissimè existimo: optimè de natura vitii posse judicari, ex actu sive operatione, quæ est ab illo. Operatio enim est nota essentiæ. Cæterùm operatio vitiosa est Ens per aggregationem eo modo loquendi, quo suprà *cap.* 4. *n.* 13. dicebamus, ex entitate & privatione fieri ens per accidens. Atque ita in vitioso actu non solùm est entitas, nec solùm privatio, sed utrumque concurrit, nec altero eorum ablato remanet vitiosus actus. Veluti est actio furtiva. In illa est primò motio aliqua, veluti apprehensio rei alienæ. In hac sic præcisè nondum est vitiositas, possum enim rem alienam tangere sine ullo vitio, imò rem alienam, quam alius furando, ego cum virtute possum tangere, veluti si alii eam asservare velimi, quam secus existimabam furto ablatum iri. Adeò apparet, in ista motione (quæ est in actu furtivo) præcisè non esse vitiositatem; Igitur præter illam motionem concurrit ἀταξία, sive inordinatio quædam animi, & hæc non potest non esse privatio. Cúmque in ipsa motione non constiterit ratio vitiositatis, relinquitur, eam præcisè & adæquatè consistere in hac ἀταξία adeoque privatione. Unde summatim nunc apparet, in actu vitioso quicquid est entitas, id omne bonum esse, malitiam autem non consistere in entitate, sed in ejus privatione, sive dicta ἀταξία.

Malitia vitiosi actus in quo consistat.

62. Cumque hoc ita sit in *actu* vitioso, consequenter dicendum est necessariò, idem etiam esse in *habitu* vitioso. Ergo & hic erit ens per aggregationem, ex privatione scilicet & entitate. Consistetque summatim in dispositione quadam animi (quæ entitas est) cum inordinatione (quæ privatio est) ad objectum aliquod. Unde apparet, etiam, quod in vitio est entitas, id bonum esse: Esse autem solùm malum, ob immixtam in illa entitate privationem.

63. Ex quibus tamen & hoc relinquitur: absolutè & in totum dici non posse, vitium esse bonum (bonitate Transcendentali) quia implicat in adæquata sua ratione ἀταξίαν, quæ est voluntati divinæ dissonus adeoque mala. Sicut neque in oppositum, vitium in totum potest dici malum (malitia, si qua esset, Transcendentali

Entali) quia implicat in adæquata sua ratione Entitatem, et consequenter, aliquam bonitatem transcendentalem.

ARTICULUS III.

An omne bonum sit Ens?

NUnc venio ad alteram propositionem hujus principalis quæstionis de adæquatione boni ad ens. Igitur 64

II. Dico, *Omne bonum esse Ens.* Ita apparet, partim ex generali doctrina de affectionibus entis, partim ex dictis *Tit. 2. art. 2. hujus 6. propos. 1.* Ex quibus manifestum est: bonitatem implicare entitatem, solùm cum connotatione alicujus respectus. Hinc igitur adæquatè explicando, quid sit bonum, est nihil aliud ibi Bonum quàm ens divinæ voluntati conforme. At ens divinæ voluntati conforme, procul dubio est ens. Per regulam: *A completis, &c.* Non potest igitur quicquam verè bonum dici, quod non sit ens.

Objectiones.

OBjiciuntur quod etiam negationes sint bonæ & privationes. Nam hæ possunt esse fines. At finis & bonum idem sunt. Ita scandalizanti pueros, melius esset, si nunquam natus esset, *Matth. 18.* Ubi ipsum *non esse* dicitur bonum, præ ipso esse. *Deinde* idem est in entibus rationis aliis, sic dicimus Bonus Syllogismus, &c. 65

Objectionum solutiones.

REspondeo *Primò* in genere. Ea quæ non sunt entia realia (sive sint negationes, sive aliàs entia rationis) dici bona, sicut eadem suprà dicebantur vera, quod ibi solum erat per ἀναλογίαν, sicut & talia, dicuntur entia per ἀναλογίαν. Quodque ita sit in bonitate, apparet quia entia realia verè sunt bona. At entia rationis solùm finguntur esse bona, hoc ipso quia finguntur etiam esse entia & citra fictionem (hoc ipso, quia sunt entia rationis) non habent entitatem. 66 *Bonitas quatenus tribuatur entibus rationis.*

Unde nec citra affectionem vel operationem mentis habent bonitatem. Atq; ita fit, ut Bonitas, quæ tanquam analogum proportionis, dicitur de bonitate entium realium, & de bonitate entium rationis, de hac dicatur per posterius: At, in tali genere, Analogum per se positum stat pro suo principali analogato: unde reliquitur sine omni additione, generaliter rectè dici omne bonum esse ens (realiter) sicut rectè dicitur, omne ridens esse homitem, etsi per analogiam proportionis, etiam pratum dicatur ridens. 67

Rursus ex iisdem relinquitur: quod Metaphysicus non debeat agere de omni Bonitate in communi, prout præscindit à bonitate realium entium, & entium rationis, quia analogum proportionis non postulat sibi generalem doctrinam, sed satis est, si declaretur in principali analogato, unde factâ proportione, facilè sibi posterius analogatum sumit, quantum ei congruit ex altero analogato. Ita Physici non agunt de ore quod communiter se habet ad os animalis & radicem plantæ, nec de usu, qui communiter se habet ad hominem & pratum. Eodem igitur modo dicendum est de bonitate.

Nunc specialiter respondeo *ad primum.* Privationes possunt esse fines, nec tamen propterea eis convenit Bonitas Transcendens. Nam ad rationem finis pertinet, an habeat Bonitatem veram an apparentem. Vide *in comm. Top. cap. 6 nu. 33.* At bonitas apparens excluditur in bonitate Transcendente. Vide suprà *hoc caput tit. 1. dist. 2.* Deinde privationes dicuntur Bonæ, non quia in se habent bonitatem, quomodo nunc omne ens dicimus bonum, & omne bonum ens; sed dicuntur Bonæ solùm, in quantum dicunt absentiam majoris mali, quo modo loquendi 68 *Privationes quomodo fines & bonæ sint?*

Arist. l. 4. Ethic. c. 7. minus malam, quodammodo ait esse bonum. Atque ita bonitas in privationibus consistit non in aliquo positivo, sed in remotione mali, quæ dicitur bonitas solùm æquivocè.

Alia entia rationis, veluti Syllogismus, &c. non dicuntur bona nisi eo modo, quo in genere prius dictum est, entia rationis bona dici; aut intelligendo bonitatem pro perfectione. Bonus enim Syllogismus est idem quod perfectus Syllogismus: Perfectionem intelligendo (non de perfectione materiali. Potest enim bonus Syllogismus esse, etiam qui caret aliqua præmissa, sed) de perfectione formali. Et sic bonus est Syllogismus, cui nihil deest ad Syllogisticam consequentiam necessarium. De tali autem bonitate nunc non agitur, ut aliquoties dictum. Unde hæc objectio ista est heterogenea hoc loco.

TITULUS IV.

DE MALO.

EJus doctrina non potest per se pertinere ad Metaphysicam. Malitia enim est privatio. At privationes non sunt per se intelligibiles. Igitur non sunt per se scibiles. Imò si accuratè loquamur, nec per accidens pertinet mali consideratio ad Metaphysicam, quia nulla est materia, quæ privat bonitate transcendentali, nisi fortasse non entia mala dicantur, quæ hoc ipso, quia non sunt entia, etiam non sunt bona, bonitate Transcendentali. In quibus tamen malitia non apprehenditur per modum privationis sed per modum simplicis negationis, quia bonitas non est debita non enti ut ei insit. At privatio negat solum in subjecto apto cui conveniat vel convenire debeat habitus, sed ad rem.

2. De nomine mali & distinctionibus ejus judicari potest, ex iis quæ dicta sunt de distinctione Boni, nisi quod bono Transcendenti non corrospondet malum in genere Entis, ut mox dicetur.

3. Nullum ens potest dici malum, removendo bonitatem Transcendentalem, ita apparet satis clarè ex præcedenti articulo, ubi confirmatum est, Bonum esse adæquatum enti, unde conclusum est ibi, omne ens esse bonum.

4. Atque ita alia hìc de malo adjungere operæ pretium non est.

CAPUT XI.

DE PERFECTO.

1. HActenus de Bono: Sequitur de Perfecto.
2. Perfectum est cui ad essentiam nihil deest.

COMMENTARIUS.

1. *De perfecto prius esse agendum quàm de bono.*

PRimum de ordine monendum est; Absolutè melius esse, prius agere de Perfecto quàm de bono. Nam bonum dicitur per respectum ad extrinsecum, ut declaratum est. Perfectum autem dicitur unumquodque præcisè in se. Sicut hinc secundùm bonitatem Transcendentalem, res dicitur bona alii, & secundùm perfectionem, dicitur bona in se. At ea, quæ præcisè sunt in re, priora sunt iis, quæ rei conveniunt per extrinsecam denominationem.

Nihilominus nunc placuit mihi de perfecto agere post doctrinam Boni, ut complerem prius tractationem, de celebrioribus attributis Entis, qualia sunt unum, verum & bonum.

TIT-

TITULUS I.

De voce Perfecti & æquipollentibus; ejusque divisionibus.

PErfectum alio nomine vocatur *Totum*, idem *Totum perfectionis*, vel *totum perfectionale*. Scaliger vocat *totum sibi*. Totum, inquit, *lib. 1. de Plant. p. 107.* & perfectum idem sunt. Est enim unumquodque totum sibi & perfectum, cùm eorum quæ habere debet, ei nihil deest. Aliter vocatur *Bonum*, quâ quid prorsus bonum est in se, hoc est, citra respectum vel denominationem ad extrinsecum. Hinc vulgò dicitur: *Bonum & perfectum idem*. Et Thomas 1. *p. q. 45.* Semper declarat bonitatem mentione perfectionis. 2. *Varia nomina perfecti.*

Tantum de æquipollentibus. Scaliger *Exerc. 140. pag. 470.* Omnia ista vocabula conjungit: omne quod est *sibi* est & *bonum*, & *Totum* & *perfectum*.

Prima distinctio.

ALiàs perfectum ambiguè dicitur: quo pertinet vulgata distinctio perfectionis, in perfectionem Transcendentem, Naturalem & Moralem. 3. *Perfectio Moralis, Transcendens, & naturalis.*

Perfectio moralis est, secundùm quam alicui nihil deest, in habitu virtutis. Et hæc perfectio habet contrarium. Non enim omnis homo v. g. est perfectè doctus, aut temperans, sed aliquis est imperfectè talis, ut satis notum.

Perfectio naturalis est, secundùm quam nihil deest rei, ad naturalem illius operationem. Ita Arist. 4. *Meteor.* ait perfectum esse unumquodque cùm generat sibi simile. Unde & hæc perfectio admittit contrarium, hoc est, imperfectum. Puer enim qui propter defectum ætatis non potest generare, sic erit imperfectus.

Perfectio autem Transcendentalis præcisè sistitur in indefectibilitate essentiæ, hoc est, Ens sic dicitur perfectum, cui in essentia nihil deest. Atque hæc non habet contrarium, hoc est, non dicitur Ens imperfectum, quod prorsus careat illa transcendentali perfectione, ut plenius patebit in seqq. *Confer* ad hanc distinctionem Fonsecam *lib. 4. Metaph. c. 2. q. 7. s. 6.*

Secunda distinctio.

ALiter perfectum ambiguè dicitur. 1. sumitur pro eo quod est consummatum, ad nobilissimum gradum perfectionis, τὸ μὴ ἔχον ὑπερβολὴν πρὸς τὸ γένος, h. e. ad cujus naturam non potest advenire aliquid majus, ut Arist. loquitur, *l. 5. M. t. c. 16.* Quomodo virtus, quæ aliàs est remissior, in comparatione ad intensiorem non est perfecta, sed imperfecta. Et sic dicitur perfectus Tubicen aut perfectus Musicus, cum secundùm propriæ virtutis speciem in nullo deficiunt, ait Aristot. *d. l.* Sic Ethici faciunt aliquas virtutes imperfectas vel semivirtutes, in quibus affectus nondum sunt plenè subjecti sub dominium rationis, sed adhuc qualitercunque pugnant contra rationem, ut sunt tolerantia & continentia. Hanc perfectionem nunc non intelligimus. 4.

Est igitur 2. perfectio, secundum quam Ens intelligitur habere præcisè ea, quæ ad esse sunt necessaria, quo modo etiam imperfecta virtus est perfecta, quia quod ad esse virtutis simpliciter est necessarium, id in tali virtute est. Et hoc modo sumitur vox perfecti *in 1. Joh. 2. v. 5.* ubi dicitur, Charitatem Dei, perfectam esse in eo, qui servat verbum Dei. Perfecta inquam charitas, non tanquam sit consummata, & omnibus numeris absolutè, sed quia ad esse charitatis simpliciter, nihil deest. Ita fides parva est etiam fides, ideóque etiam fides parua habet essentialem perfectionem fidei, etiamsi sit adhuc satis (accidentaliter) imperfecta negando in ea robur, vel intensionem. Atque hoc modo vocem perfecti in prius relato dicto Johannis, etiam Suarez interpretatur *disp. 50. Met. s. 1. n. 15.* quod obiter Theologiæ studiosi notare possunt contra Jesuitas alios, qui perfectionem ibi interpretantur 5.

ita;

ita, ut sit prorsus congrua legi Dei, & sic consummata.

Tertia Distinctio.

6. 3. PErfectum aliter bifariam dicitur. Nempe 1. sumitur eminenter & specialiter, cui prorsus perfectio convenit sine ulla imperfectione, cujuscunque generis sit, & sic solus Deus est perfectus, omnes autem creaturæ sunt imperfectæ, non quidem imperfectione privativa, quasi careant aliquo, quod debeat eis inesse sed imperfectione negativa, quòd non habeant aliquas perfectiones, quæ sunt in Deo, vel aliàs etiam in creaturam cadere possint. Hæc significatio enim est hujus loci, ubi generalius sumimus terminum perfectionis.

Aliter igitur perfectum dicitur Ens, latius, ut comprehendat non solùm summam perfectionem, sed etiam quæ est inferioris ordinis.

Quarta distinctio.

7. 4. PErfectum sumitur absolutè vel comparatè. Comparatè est idem quod perfectius. Unde imperfectum, quod ei opponitur, non removet perfectionem in totum, sed in tantum, seu, non tollit perfectionem simpliciter, sed solùm tollit perfectionis gradum tantum. Veluti Metallum aliud est perfectum, aliud imperfectum, hoc est, aliud est perfectius, aliud minus perfectum. Et satis apparet perfectum in his & similibus divisionibus non posse sumi absolutè, quia si absolutè loquamur, omne Ens est perfectum, non solùm in genere Entis, sed etiam in genere talis Entis.

Perfectum absolutè vel comparatè.

8. Absolutè igitur sumitur vox perfecti, cùm citra collationem ad aliud, unumquodque in suo genere dicitur perfectum. Et sic etiam materia etsi in comparatione ad alia Entia, sit satis imperfecta, tamen in suo genere habet omnino perfectionem, neque sic deest ei quicquam eorum, quæ ad ipsius esse pertinent. Et proinde sic etiam omne Metallum est perfectum. Vide Scaliger. *Exerc.* 106.

Quinta distinctio.

9. 5. PErfectum sumitur nominaliter vel participialiter. *Participialiter* sumptum infert respectum ad aliquod perficiens, sicut omnia participia passiva explicantur per respectum ad agens. Veluti calefactum dicitur, quod tale est ab eo, quod calefacit, sive à calefaciente. Et dealbatum dicitur, quod à dealbante est dealbatum. Unde apparet, perfectum sic sumptum, implicare dependentiam ad aliud, unde perfectionem habeat. Unde statim apparet istam significationem nunc esse heterogeneam, quia secundùm eam Deus non potest aliquid perfectum dici, quia non habet Ens independens dependentiam ab alio, quod prorsus ipsum perficiat. At perfectio transcendens competit omni Enti adeò ut Ens perfectissimum dicatur Deus, *Matth.* 5. dicitur Deus perfectus. Thomas p 1 q. 4. a. 1. Ex Gregorio ait: Habutiendo ut possumus excelsa Dei resonamus. Quod enim factum non est, perfectum propriè dici non potest, sed quia in his, quæ fiunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum, cùm de potentia educitur in actum, transsumitur hoc nomine perfectionis, ad significandum omne illud, cui non deest esse in actu, sive hoc sit per modum perfectionis (intellige, si sumatur ea vox pro actu effectivo) sive non.

Perfectum Nominaliter vel participialiter.

10. *Nominaliter* igitur perfectum sumitur cum præcisione respectus, qui sit ad perficiente, hoc est, perfectum sic dicitur, cui nihil deest, in entitate, sive illam perfectionem habeat aliunde dependentem, sive non. Et significatio hæc est hujus loci.

11. Atque ex ista ambiguitate consequenter etiam perfectio ambiguè sumitur. Potestque sumi primum pro actu effectivo perficientis, sicut suprà dicebamus, compo-

Perfectio.

sitionem

fitionem sumi pro influxu effectivo agentis componentis. Et sic efficiens perficit: Dicitur; secundùm hanc significationem perfectio esse Ens successivum, sive ex eorum numero quæ non sunt, nisi fiant, apud Scal g. *Exerc.* 6. *s.* 5. *dicitur formaliter vel efficienter.*

Græci hic habent vocem τελειωσιν, quâ significant perfectionem, quæ est ab extrinseco.

Aliter autem sumitur perfectio, pro actu formali, quo quasi ipsum perfectum, dicitur perfectum, sicut compositio est actus compositi, unde dicitur compositum. Græci hic habent vocem εντελεχειαν, quâ significant perfectionem, quæ est ab intrinseco, ut ipsa vocis compositio infert. Et sic forma perficit. Estque in hac disputatione perfectio intelligenda non pro actu effectivo perficientis, sed pro actu formali ipsius perfecti.

Sexta distinctio.

6. PErfectum dicitur vel secundùm perfectionem essentialem vel accidentalem, *Secundùm perfectionem essentialem* dicitur id perfectum, cui nihil eorum deest, quæ ad essentiam sunt necessaria. Et hæc verè est Transcendentalis perfectio, competitque omni Enti. Nam quàm primùm est Ens, habet essentiam. At si habet essentiam non potest carere ullo eorum, quod ad essentiam est necessarium. Nam necessarium dicitur, sine quo id esse non potest, ad quod est necessarium. At supponimus omne Ens habere essentiam. Ergo & illico adsunt ea, quæ sunt necessaria ad essentiam. Ergo sic omne Ens est perfectum. Nam perfectio transcendens, ut dictum est, consistit in hoc, quod non desunt Enti, quæ ad esse cujusque sunt necessaria. 12. *Perfectum essentialiter vel accidentaliter.*

Secundùm perfectionem accidentalem. v. dicitur Ens perfectum, cùm nihil eorum deest, quæ ultra essentiam requiruntur ad integritatem, ornamentum, ad actus, vel ad bene esse. 13.

TITULUS II.

De IMPERFECTO.

ATque huic perfecto opponitur imperfectum, quod scilicet caret accidentalibus perfectionibus. 14.

Est 1. in ordine ad quantitatem & magnitudinem materiæ. Sic imperfectum est, quod caret justa quantitate & magnitudine. *Imperfectio per ordinem ad quantitatem.*

Atque huc pertinent corpora monstrosa quæ ut plurimùm sunt, vel circa excessum & defectum magnitudinis debitæ, hoc est, si membra sint insigniter majora vel minora, quàm communiter esse solent; vel in situ materiæ, ut si membra, præter consuetudinem Naturæ sint transposita; vel in figura materiæ, ut si homo non sit figura erecta sed prona ad morem quadrupedum, aut aliquod membrum habeat non juxta morem speciei humanæ sed ferinæ; vel numero partium, veluti si homo nascatur biceps, vel unoculus, aut tripes, & sic deinceps. *Confer* Perer. *in Phys. lib.* 9. *c.* 10. 15. *Imperfectio quæ in monstris est.*

Ad hoc genus Imperfectorum pertinet etiam id, quod mutilum & mancum dicitur. Hoc enim sic dicitur, per defectum partium: Arist. *l.* 5. *M.t. c.* 27. multas requirit conditiones, ut aliquid dicatur κολοβον, hoc est, mutilum. 16. *Mutilum quid et quas conditiones habeat?*

Ig.tur 1. ut aliquid sit mutilum, oportet, ut sit totum, & partes habeat. Mutilatio enim sit demendo partem.

2. Oportet, ut post mutilationem maneat prior species, si calix sit mutilus, inquit ibi, Aristoteles, adhuc oportet esse calicem.

3. Quod mutilum dicitur, oportet ut sit heterogeneum totum. Nam in homogeneo neque requiritur definita magnitudo, neque definitus partium positus: unde vel hac vel alia parte ablatâ semper manet perfectum. Atque hæ conditiones requiruntur ex parte ejus quod post mutilationem relinquitur mutilum. 17.

18. *Ex qua parte res dicatur mutila?*

Nunc etiam aliæ conditiones sunt, quæ requiruntur in parte faciente mutilationem. Neque enim cujusvis partis ablatio facit mutilum. Igitur 4. partes facientes mutilationem non debent esse principales. Veluti ablato capite, homo non dicitur mancus, sed simpliciter non est homo. Et patet. Nam partes principales dicuntur, quæ simpliciter necessariò requiruntur à forma, & sine quibus non potest ipsa formale suum officium exercere. Unde per defectum ipsarum, necessariò etiam desinet forma. At forma deficiente non relinquitur ens mutilum, sed nullum.

19.

5. Debet pars faciens mutilationem esse in extremo, quia mutilatio debet tollere priorem magnitudinem, ut res mutilata sit in minori quantitate, quàm erat cum esset integra. At id non est nisi ablatâ parte extrema. Si calix perforetur, inquit, Arist. *l. 5. Metaph. c. 27.* non est mutilus, sed si ansa, aut extremum quid dematur; homo quoque (est mutilus) nisi si carnem aut splenem, sed si extremitatem tollamus.

20. *Mutilum quæ dicatur?*

6. Debet pars illa esse notabilis, veluti integrum membrum aut articulus. Neque enim si particula Cutis præsecetur in extremitate corporis, illico homo mancus dicitur. Et huc congruit quod secundùm Scalig. *Exerc. 140. p. 171.* Mutilum dixerunt Veteres, deductâ voce ab hominibus mutis. Quippe homin. sermo nobilissima res & maximè necessaria.

21.

7. Debet pars illa non esse apta renasci. Ita homo non vocatur mutilus per præsectionem pilorum vel unguium. Fatendum tamen sic est, quod etiam Suarez notavit *ad. l. 5. Met. c. 27.* hoc solum spectare usum vocis, quia possit res dici mutila pro eo tempore, quo caret parte, etiamsi posset illam partem recipere.

22. *Imperfectio per ordinem ad finem.*

II. Datur etiam imperfectio, in ordine ad finem, ut illud dicatur imperfectum, quod fine non potest potiri, ad quam ordinatur, veluti si quid sit in genere animatorum, atque ita habeat potentiam generandi, nec tamen possit generare. Aut si sit in genere animalium, & non possit videre aut audire. Atqs hæc imperfectio est in carentia naturalis alicujus perfectionis, velut: quòd organum in isto animali est indispositum ad videndum & sentiendum.

23. *Imperfectio ex admistione contrarii.*

III. Datur imperfectio, propter admistionem contrarii. Ita imperfectè est doctus: quia adhuc multum habet ruditatis. Et imperfectè calidum est, quod habet admixtum frigus. Alia mitto. Teneatur summatim, sicut perfectum est, cui nihil deest eorum quæ ad esse ejus requirantur, aut etiam quæ qualitercunqs ipsum perficere possunt (si comprehendere volumus omne genus perfectionis, essentialem & accidentalem.) Ita imperfectum esse, cui aliquid deest.

24. *Imperfectio privativa & negativa quid?*

Aliàs Dd. faciunt imperfectionem duplicem: Negativam & privativam. *Privativa imperfectio*, est carentia perfectionis, debitæ inesse. Talis est cùm homo caret visu vel auditu. Nam natura animalis requirit, ut homini insint visus & auditus: *Negativa imperfectio est* carentia perfectionis, debitæ inesse alii generi. Ita omnes creaturæ sunt imperfectæ, quia nulla earum est æterna, omniscians, omnipotens. Arbor est imperfectior homine, quia scilicet non potest loqui: ut homo. Hæc est purè negativa, non privativa. Neq; enim arbor debet loqui: Imò si loqueretur aut deberet posséve loqui, non esset amplius arbor.

TITVLVS III.

QVID SIT PERFECTIO *Transcendentalis?*

25.

Quæ & in genere, de affectionibus Transcendentalibus, & in specie de quidditate unius, veri, & boni dicta sunt, hìc quoque recurrunt.

26. *Perfectio quæ*

Igitur 1. *Perfectio non potest esse aliquid realiter distinctum ab Ente, multoque minus Qualitas Entis.* Ita apparet, quia removendo omnia accidentia, & præcisè appre-

apprehendendo ipsam essentiam, prout per definitionem explicatur, adhuc ea est perfecta, sine ullo addito. Recurrentque praeterea hic argumenta ad hanc rem fœpius facta. *est aliquid re distinctum ab Ente.*

2. *Perfectio in adæquata sua significatione, non est vel nuda negatio, vel nudus rationis respectus, sed implicat necessariò ipsam Entitatem. Et proinde perfectio est nihil aliud quàm ipsa Entitas sumpta cum aliqua negatione vel respectu.* Nunc enim nihil refert quicquid horum sit, Constabit autem postea, quódnam illorum addendum sit Entitati, ad significationem perfectionis. 27.

Apparet autem satis: quia aliàs perfectio rei esset nihilum vel non Ens, vel saltem Ens fictum per intellectum. Nam negatio est non Ens. Relationes autem rationis, sunt Entia ficta per intellectum. At absurdum est tale quid significari perfectionis voce. Igitur à nihilo removetur perfectio, vel per realitatem propriam, quam scilicet subjecto (quo Ens est) addat: vel per realitatem subjecti ab ea inclusam. Non primum, quia aliàs realiter distingueretur ab Ente, quod falsum esse visum est, prima propositione. Ergo per realitatem ipsius subjecti (Entis,) significationi perfectionis inclusam. 28.

3. *Perfectio non addit Enti respectum rationis.* Ita apparet, tùm quòd nihil dari potest, ad quod terminetur iste respectus, tùm quod sufficienter perfectio potest declarari negatione. Ergo. 29.

4. *Perfectio addit Entitati Negationem, hoc est, perfectio est nihil aliud quàm essentia carens defectu eorum, quæ ad eam requiruntur.* Et sic etiam Aristoteles definit perfectionem. *lib 5. Metaph. c. 16.* Perfectum est, cui nihil deest. Et concordat ICtus *l. 1. D. de Orig. Iuris.* Nihil perfectum est, quod non ex omnibus suis partibus constet. Quódque perfectio Transcendentalis consistat in ista indefectibilitate, apparet inde, quod omnis alia perfectio solet significari per indefectibilitatem, sicut rursus imperfectio solet describi per defectum. Veluti imperfectum est animal, cui deest visus, vel motus & sic in aliis. 30.

Cæterùm est hic observandum 1. illam indefectibilitatem esse in perfectione Transcendentali præcisè intelligendam in essentia. Ergo sic perfectum Ens est, cui nihil deest ad suam essentiam. Nam si desit ei aliquod accidens, vel aliquis status nobilior adhuc tamen est perfectum transcendenter, hoc est, in genere suo. Veluti materiæ deest pulchritudo, & forma ad quam habet appetitum & potentiam sive aptitudinem, nihilominus est perfecta in suo genere, quia nihil deest ei, quod ad rationem materiæ simpliciter, est necessarium. Atque ita apparet, ad comprehendendam omnium Entium perfectionem (quod fieri debet sub nomine transcendentalis perfectionis) indefectibilitatem, quam dicit perfectio, non consistere in alio, quàm quod non desunt ea, quæ simpliciter ad esse rei sunt necessaria, quicquid sit de defectu aliorum. Nam horum defectus essi facit imperfectionem, tamen hæc imperfectio non tollit perfectionem transcendentem, (quæ semper essentialis est,) sed accidentalem. Sed hic 31.

QUÆRITUR.

An illa negatio, quam significat perfectio, sit privativa?

RESPONDEO: dici potest ista negatio privatio, sicut de Unitate dictum est suprà, eam significare privationem. Hoc est, est privatio per similitudem, non verè. Illud quidem, quia sicut privatio semper requirit peculiare, & determinatum subjectum, cui tribuatur (neque enim cæcitas dicitur de quovis, sed solùm de animali & sic in cæteris.) Ita etiam perfectio, quæ definita est ad hoc certum subjectum, nempe Ens. Infinitæ autem negationes aliàs solent esse vagæ & illum tacæ. 32.

Alterum autem patet, quod scilicet indefectibilitas verè non sit privatio, quia privatio & habitus sunt in eodem subjecto, & non removet privatio, nisi habitum qui aptus est esse in subjecto, in quo est habitus. At non potest in Ente esse 33.

defectus eorum, quæ ad esse sunt necessaria. Defectus tamen (si indefectibilitas esset privatio) necessariò compararetur ad indefectibilitatem, ut habitus, unde per prius debebat inesse Enti, quod est absurdum.

Ex his nunc solui potest & decidi quæstio sequens.

TITULUS IV.

An Perfectum vere sit transcendens, & distincta Entis affectio?

24. Vulgato numero Transcendentium continentur: *Ens, res, aliquid, unum, verum, bonum*; omisso perfecto. Hanc rem considerabo in variis opinionibus, vel modis loquendi de perfectione, ex quarum remotione relinquetur: Perfectionem esse affectionem entis, & verum Transcendens.

ARTICULUS I.

An perfectum æquipolleat Enti?

25. Igitur 1. perfectum videtur esse æquipollens vel synonymum enti, sicut res & aliquid, & illi nihil addere. Hanc sententiam attingit & defendit Suarez *disp. 30. sect. 1. num. 11. & 14. & l. 3. num. 4. Et disp. 4. l. 8 n. 11.* Et probat, quia non potest ens concipi cum entitate, quin concipiatur cum perfectione essentiali, unde infert inter entitatem & perfectionem, non esse differentiam nisi secundùm Etymologiam.

26. Cæterùm secundùm hanc sententiam nihilominus relinquitur perfectum esse Transcendens, & proinde malè esse omissum in numero simplicium Transcendentium. In iis etiam continentur, quæ sunt enti æquipollentia, ut sunt res & aliquid. Imò hæc, eo ipso, quia sunt synonyma sive æquipollentia enti, sunt Transcendentia, hoc est, naturam habent, quæ contineatur in omnibus prædicamentis; communitate tamen prædicationis supergrediatur singula, quomodo suprà de Transcendentibus disseruimus. Aliàs tamen hæc sententia, falsa est, de æquipollentia entitatis & perfectionis. Nam ostensum est in superiori articulo, perfectionem entitati aliquid addere, nempe negationem defectus. Unde relinquitur, eam non minus esse affectionem entis ac ejus affectio est unitas, quæ similiter entitati addit negationem, nempe divisionis.

27. *Objectio* autem Suarezii nihil aliud convincit, quàm quòd non differat perfectio ab entitate realiter, quod facilè admittitur, cùm idem sit etiam in cæteris passionibus entis, imò in omnibus esse debeat. Unde quâ necessitudine perfectio est conjuncta entitati, eadem conjunctæ sunt illi cæteræ passiones. Nam concepta entitate etiam implicatur veritas. Quod si enim vera non est entitas etiam præcisè concepta, tunc ne quidem est intelligibilis illa entitas, quia res non nominatur intelligibilis, nisi per veritatem suam, quam ens habet. At si non est intelligibilis, quomodo adhuc est illa entitas?

28. Cæterùm perfectio & veritas & cætera attributa, servant rationem attributorum, quia etsi ipsa entitas, præcisè sumpta etiam implicet revera sua attributa (quod est necessarium, quia ab illis realiter non distinguitur) tamen, illa distincto & expresso conceptu non apprehenduntur, cùm apprehendatur essentia præcisè.

Velut cùm apprehendo essentiam, apprehendo quidem rem veram & conformem intellectui, sed tamen tunc non reflectitur intellectus meus ad cognoscendam istam conformitatem. Atque hoc & non aliud est de perfectione. Cùm apprehendo essentiam, apprehendo quidem rem perfectam, sed tamen distincto & expresso conceptu non intuetur intellectus meus ipsam indefectibilitatem, etsi ipsa implicetur sub voce essentiæ.

ART I.

ARTICULUS II.

An perfectio contineatur sub Bonitate?

39. VIderi potest perfectionem contineri sub Bonitate Et proinde non esse distinctam affectionem entis. Solétque vulgò dici: *Bonum & perfectum esse idem*, ut etiam relatum est *Tit. 1. hujus comm.*

40. *Bonum est bonum in se vel bonum alteri.*

Hac in re inprimis notandum est: bonum esse duplex, vel bifariam dici. Aliud est bonum, quâ quid est, bonum in se, & aliud, quâ quid est bonum alteri, per Arist. *l. 1. Top. c. 1.* Ex his non omne bonum pertinet ad bonitatem Transcendentalem, sed quâ quid est bonum alteri. Est enim bonum attributum respectivum entis, ut *superiori cap.* probatum est, & fatetur Suarez passim *disp. 10. inprimis s. 1. n. 12, 13, 14.*

41. *Bonum & perfectum quomodo idem.*

Illud autem bonum, quâ quid est bonum in se, est idem quod perfectum. Perfectio enim non dicitur respective: sed absolutè, cui nihil deest, præcisâ omni convenientia ad aliud, id vocatur perfectum.

Atque ex his apparet: Bonum quod idem est ac perfectum, non esse ejusdem generis, cum eo quod est bonum Transcendens, sed esse alterius ordinis.

42. Unde statim sequitur: Perfectionem non posse comprehendi sub bonitate Transcendentali, sicut neque potest comprehendi sub toto, etiamsi aliquo modo loquendi perfectum & totum idem sint, ut initio dictum, quia scilicet aliter sumitur totum cùm dicitur æquipollenter ad perfectionem, tum enim totum intelligitur absolutè, citra respectum ad partes: potestquo sic totum dici cui nihil deest, sive partes habeat sive non. Atque ita ex his claret, quod bonum transcendens & perfectum solum in nomine boni conveniant, in re autem nihil, sicut & totum quod parti opponitur, solum in nomine convenit cum perfecto, & in re nihil.

43. *Discrimen inter bonum & perfectum.*

Fonseca *l. 4. Met. c. 2. q. 7. s. 6.* Triplex ponit discrimen inter bonitatem Transcendentalem & perfectionem. *Primò*: quod perfectio dicitur absolutè; Bonitas comparatè, sicut & antè dictum est. Atque sic dicitur aqua bona pisci. At non dicitur perfecta pisci. Omnia entia dicuntur bona & appetibilia à Deo. At non dicuntur perfecta Deo.

44. *Deinde*, inquit, quicquid est bonum in hoc vel illo genere, est etiam bonum in genere entis, hoc est, est bonum ens. At non quicquid est perfectum in hoc vel illo genere: est etiam perfectum ens. Quis enim dicat materiam & punctum perfecta entia: cum interim materia dicatur perfecta potentia passiva, & punctum perfectus terminus lineæ.

45. Hoc tamen discrimen non est bonum. Nam 1. tollit adæquationem entis & perfecti, quam seq. Titulo confirmabo. 2. Absurdum est, esse aliquid perfectum in specie aliqua, tamen non esse perfectum in quidditativo prædicato illius speciei. Cum in prædicatis synonymicis, quicquid prædicatur de prædicato, prædicetur etiam de subjecto, veluti homo est animal. Et animal est corpus, & corpus est substantia. Et substantia est ens. Ergo homo est etiam corpus, & est substantia & Ens. Et consequenter si perfectè est animal, est etiam perfectè corpus & perfectè substantia & perfectè Ens. Quia hæc omnia prædicata in ipso animali inclusa intelliguntur. Si igitur materia est perfectè materia, non potest non esse perfectè Ens, si evitetur ambiguitas in voce perfectionis, hoc est, si ea non intelligatur comparatè, sed absolutè, ut, materiam perfectum Ens esse, sit nihil aliud, quàm nihil ei deesse, ad hoc ut sit ens, sicut dicitur perfectè materia, quia nihil deest ei ad hoc ut sit materia & de conceptu.

46. *Tertium* discrimen est in modo loquendi, quod v.g. divisim loquimur de bonitate Dei & Dei perfectione.

ARTICULUS II.

Perfectionem esse omnino Transcendens.

47. 3. DEnique videri potest: perfectionem non debuisse communicari hic Transcendentibus, quia in isto numero comprehenduntur solùm Transcendentia simplicia sive incomplexa, perfectio autem sit Transcendens quidem, sed complexum, quia dividat perfectio Ens, sed juncta imperfectioni, ut Ens sit perfectum vel imperfectum.

48. In hac opinione supponitur primum, quod perfectio sit Transcendens. Unde ejus doctrina in Metaphysicis relinquitur. Quòd autem existimatur perfectionem non esse simplex attributum Entis, sed complexum, id refutabitur ostensâ adæquatione perfecti & Entis, de qua statim.

49. Relinquitur igitur perfectionem verè esse affectionem Entis, & eam connumerandam esse Transcendentibus.

TITULUS V.

An imperfectio Transcendentalis sit adæquata Enti?

50. ADæquatio perfecti & Entis est in duobus, nempe si omne perfectum sit Ens, & omne Ens sit perfectum. Unde duo sunt confirmanda, per duos articulos.

ARTICULUS I.

Omne perfectum est Ens.

51. HOc satis clarè patet. Nam perfectio in adæquato suo concepta implicavit ipsam essentiam, ut ostensum est, *Tit. 3. prop. 2. & 4.* Unde, à parte rei, perfectum nihil aliud est, quàm Ens indefectibile; & perfectio, Entitas carens defectu. Unde porrò omne perfectum esse Ens, est nihil aliud, quàm omne Ens indefectibile esse Ens. At tunc ejus propositionis veritas est evidentissima, per regulam: *A conjunctis ad divisa.*

52. Quòd si perfectio aliquando accommodatur non Entibus, vel Entibus rationis, veluti, cùm Syllogismus dicitur perfectus, aut perfecta caecitas, dicendum est id fieri per analogiam, quia & per analogiam dicuntur Entia. Unde proportionaliter, quod est verè perfectum, est etiam verè Ens. Et quod est analogicè perfectum, est etiam analogicè Ens. Confer huc, quæ de veritate & bonitate, applicata ad non Entia, & Entia rationis, superioribus capitibus dicta sunt.

ARTICULUS II.

Omne Ens est perfectum.

53. HUjus propositionis veritas aperta est, solùm resolvendo terminos. Nam perfectum vocamus, quod nullo eorum caret, quæ ad essentiam ab intrinseco pertinent. At Ens est, quod habet essentiam. Quod si habet essentiam non potest carere eis, quæ pertinent ad essentiam. Atque ita omne Ens esse perfectum, est nihil aliud, quàm omne habens essentiam, non carere iis, quæ pertinent ad essentiam, quod sic evolutum est per se clarissimum.

54. Est autem hic observandum propositionem conceptam esse de perfectione Transcendentali, quæ essentialis est & absoluta, ut suprà sæpius dictum, & probatum est.

55. *Entia duobus modis imperfecta dicuntur esse.* Ex quo relinquitur duobus modis à Deo posse Entia vocari imperfecta, 1. *accidentaliter*, quod scilicet desit id, quod ad integritatem vel ornamentum, vel altiorem & immensiorem statum pertinet.

Et

Et sub hac imperfectione continetur etiam imperfectio, quæ est in defectu partium materiæ minus principalium. Nam materia pertinet ad essentialem perfectionem, sed id completum satis secundùm partes principales in toto heterogeneo, quæ sufficientes sunt ad radicandam & sustentandam formam, manifesto indicio, quod ablatis partibus minus principalibus, manet prior species. Veluti, si homo & careat pedibus & brachiis, & naso & oculis, adhuc tamen est homo, & est dictè in prædicamento, in quo & ante talem truncationem fuit, hoc est, in prædicamento substantiæ: Atque ita per ablationem partium minus principalium, nihil adhuc deest, quod pertineat ad Transcendentalem perfectionem, quæ essentialis est, ipsius hominis. Atque ita homo adhuc est perfectè homo & perfectè Ens. Indéque in hac imperfectione tollitur perfectio Transcendentalis. Suarez. *disp.* 31 *s.* 1. *nu.* 9. defectum in partibus integrantibus, vocat imperfectionem accidentalem, attendendo quantitatem secundùm quam sunt partes integrantes. 6. *Imperfectio quæ est ex defectu tantum materialis indicio, quòd sit resecanda?*

Deinde possunt vocari Entia imperfecta *comparatè*, quod scilicet non habeant essentiam tam perfectam & nobilem, quàm alia. Neque enim est idem ordo perfectionis in omnibus speciebus vel gradibus entium. Ita materia est imperfecta, quia non sit tam nobile Ens ac forma, quæ eam (accidentaliter) perficit, eo modo sicut doctrina animæ erat Perfectio. Confer de Perfectione materiæ Suarez *disp.* 10. *s.* 3. *n.* 24. Et Thomam *l.* 3. *cont. gentes c.* 20. Hæc igitur imperfectio iterum non tollit perfectionem transcendentalem, quo minus transcendenter perfecta dicantur, quæ sic sunt imperfecta. Hæc enim est prorsus absoluta, ut sæpius dictum. 7.

CAPVT XII.

DE COMPLETO ET INCOMPLETO.

1. HActenus fuit de Perfectione generatim, sequitur ut agamus de divisionibus Entis quæ secundùm perfectionem sumuntur.

2. Igitur secundùm perfectionem, *Primo*, Ens est completum vel incompletum.

3. Ens incompletum est, quod complet essentiam alterius, ut forma, materia, differentia.

4. Ens completum est, quod habet essentiam totalem per se non complentem aliud, ut cum alio faciat Ens per se. Ut homo, Socrates.

COMMENTARIUS.

De quæstionibus Methodi.

NUnc incipimus proponere distinctiones Entis, quæ aliàs immediatè Enti solent assignari. Nos tamen Methodi & memoriæ causâ applicabimus Enti sumpto cum perfectione. Inprimis, quia perfectio intrinsecior, quàm ullum aliud, est connexa cum essentia, ut, *sicut priori cap.* dictum est, existimarint aliqui, eam ne quidem Entis passionem, sed Synonymum ei esse. 1. *Cur divisiones Entis sumantur secundùm perfectionem?*

Imitamur autem hac in re alios Philosophos. Ita Javellus *tr.* 1. *de Transcendent. c.* 2. & Suarez *disp.* 5. *Met. s.* 8. *nu.* 2. Ens secundùm bonitatem sive perfectionem dividunt per finitum & infinitum. Thomas Ens actuale explicat voce perfectionis 1. *q.* 4. *a.* 1. Et sic in aliis,

Res

2. Res summatim eòdem redit, sive Ens immediatè dividatur per istos terminos, sive secundùm perfectionem: solùm connexio partium disciplinæ est evidentior, & memoria magis juvatur, si istæ divisiones Enti secundùm perfectionem, applicentur.

Solet autem hîc inquiri: *quænam Entis divisio debeat primo poni?*

3. IAvellus *citato Tract. 1. de Transcendent. c. 1.* Existimat primam divisionem esse Entis in Ens reale et rationis. Malè: quia hæc distinctio nominis solùm est, & non divisio rei. Debétque subjectum Metaphysicæ solùm complecti Ens reale. Vnde distinctiones illius Entis Metaphysici, non debent latiores et laxiores esse, quàm est subjectum ipsum.

4. Scotus *in Quodl. l. q. 5. a. 1. & 1. d. 8. q. 3.* primam divisionem Entis ait debere esse eam, quâ Ens dividitur in finitum et infinitum, quia hæc duo contrahant Ens formaliter. Aliter faciunt et sentiunt alii, de quo vide Suaretz. *disp. 5. s. 8.*

5. *Methodus hîc est arbitraria.* Ego existimo: Methodum hîc esse prorsus arbitrariam, quia illæ divisiones non sunt ab invicem dependentes, et sunt omnes æquè generales, si quis divisionem Entis in finitum et infinitum præmittere velit, sive aliam, perinde est.

TITVLVS I.

DE VOCE COMPLETI ET INCOMPLETI.

6. *Completum nominaliter & participaliter sumitur.* VOx Completi, ut de perfecto dictum est, potest sumi nominaliter vel participaliter.

Participaliter sumptum, quia est vox passiva, ideo implicat respectum ad agens, quod hîc est complens. Ergo sic completum est quod tale est à complente, sive quod à complente completur. Rursus complens hîc potest intelligi bifariam, dicitúrque 1. Complens, quod complet per modum efficientis, ideoque extrinsecè; 2. per modum formæ et materiæ, quæ complent compositum, non effectivè et extrinsecè, sed essentialiter et intrinsecè. Hæc participalis completi significatio hîc est heterogenea. Dicitur enim (ut postea apparebit) nunc completum, etiam id quod est prorsus Ens independens, ut Deus; qui tamen non dependet ab alio, quod ipsum vel effectivè, vel etiam per modum materiæ et formæ compleat.

7. *Complens dicitur aliquid bifariam.*

8. *Completum nominaliter quid?* Aliter igitur sumitur completum, *nominaliter* nempe, cum præcisione illius respectus, qui est ad complens, quæ significatio est hujus loci. Et proinde hoc completum dicitur, sive habeat tale esse à prioribus, principiis illud complentibus, sive habeat tale esse per se ipsum. Sic etiam de Ente completo loquitur Suaretz *disp. 33. s. 1. n. 7.* in applicatione ad substantiam, ubi ait substantiam completam esse, si etiam per simplicem et prorsus independentem essentiam habeat, quicquid necessarium est ad perfectum esse substantiale, absq; dependentia vel habitudine ad alterum. Additque perfectiori modo esse completum, si simplex sit.

An completum sit idem quod consummatum; & incompletum, quod inconsummatum?

9. ALiâs etiam ambiguè sumitur vox completi et incompleti. Igitur 1. solet sæpe æquivalere ei, quod est consummatum et inchoatum. Ita opus inchoatum, vocatur incompletum: et consummatum, vocatur completum.

10. *Completum hîc non est idem quod consummatum.* Hæc significatio huc non pertinet. Nam sic denominationes completi et incompleti redeunt in easdem res, solùm sumptam sub diversis statibus. At prout Metaphysici loquuntur de completo et incipiente, differunt etiam illa

materialiter, hoc est, re substrata, ut eadem res non dicatur completa & incompleta, solùm excipiendo partes similares, de quibus postea. Forma est quid incompletum, & in nullo statu potest fieri completa, etiamsi de facto aliqua separatio existat, ut in anima rationali contingit. Rursus suppositum est aliquid completum, & in nullo statu potest esse Ens incompletum.

114 *Deinde* inchoatio & consummatio repugnat substantiis in universum, quæ in primo sui esse habent esse consummatum & ultimum. Neque enim substantiæ & prædicata substantialia dicuntur secundùm magis & minus. Et sic hinc Scal. *Exerc.* 6. *s.* 5. refutat inchoationem formarum in materia, quæ ipsæ etiam, quamprimùm sunt, sunt in esse consummato. At nihilominus dicuntur substantiæ etiam completæ & incompletæ. Unde rursus, si completum & incompletum intelligerentur de consummatione, & inchoatione, divisio illa non deberet applicari generatim Enti, sed speciatim, accidenti.

12 *Denique* in accidentibus, inprimisque qualitatibus, datur quidem aliqua inchoatio & consummatio, sed ea similiter non est quoad esse earum. Nam in minimo gradu calor sumptus, habet tamen essentialem perfectionem caloris, & proinde est consummatus etiam tum, in hac specie Entis. Consummatur igitur solùm quoad majorem vel intensiorem gradum. At major minorve gradus est accidentalis ad esse qualitatis. Unde completum & incompletum sic non distinguerent Ens, nisi denominationibus accidentalibus, quod absurdum est.

An completum & incompletum æquipolleant perfecto & imperfecto?

13 3. Solent termini hi completum & incompletum, æquivalere aliquando perfecto & imperfecto. Sic Pererius *l. 5. Phys. c. 13. p. 3.* 2. Ens aliud est completum & perfectum, aliud imperfectum. Sic & Thomas *q. 3. de potent. art. 9. ad primum*, Embryonem, vocavit quid incompletum. Sed incompletum ibi nihil aliud est, quàm imperfectum, ut rectè docent Conimb. *l. Categ. c. 4. q. 1. art. 2. in fine.* Sic & Keckerm. *in Phys. lib. 2. c. 7.* committat terminos incompleti & imperfecti tanquam æquipollentes. Quia, *inquit*, cœlum est corpus perfectum, ideò etiam elementa putabant esse completum quid. Sed quod à natura est ordinatum, ut sit pars alterius rei per naturæ intentionem est incompletum quid. Sic & alii.

Completum hîc idem non est quod perfectum.

14 Cæterùm congruum talis modus loquendi videatur, pro explicanda tali Entis distinctione, quod alàs non apparet, quomodo Ens incompletum dicatur perfectum? Quòd si igitur solùm Ens completum est perfectum, Ens incompletum erit imperfectum.

Objectio.

15 Revera tamen nec iste modus loquendi est congruus nostræ divisioni. Nam 1. nullum Ens dicitur imperfectum, præcisè considerando essentiam, tanquam per defectum eorum, quæ ad essentiam pertinent. Est enim repugnantia esse essentiam, & tamen non adesse necessaria ad essentiam. Indéque imperfectio solùm est per defectum accidentalium perfectionum, ut *priori cap.* visum est. At Ens incompletum sic dicitur præcisè, juxta essentiam, remotis omnibus accidentibus. Veluti materia est imperfecta, per defectum determinatorum attributorum, & ipsius etiam formæ substantialis, quæ in materia non infert ei essentialem perfectionem, sed accidentalem: At non est incompleta hoc respectu, sed præcisè, intuendo essentiam ejus, quam habet ad complendam essentiam alterius.

Sententia Auctoris.

16 Atque hinc sequitur 2. Ens posse dividi conjunctim, per completum & incompletum, cùm omne Ens sit perfectum. Non enim Ens dividitur in perfectum & imperfectum.

17 Denique forma est Ens incompletum, ut patebit. At forma non est Ens imperfectum, cùm in composito ipsa vel sola sit perfectio, unde & Græcis ἐντελέχεια, & vulgò *actus perfectivus* vocari solet.

18. Atque ita admisso, quod aliquo genere loquendi idem sint perfectum & completum, item imperfectum & incompletum, nihilominus relinquitur, quod in tactâ divisione, ista non dicantur æquipollenter.

19. Solvitur objectio. Quòd autem arguebatur: Non apparere, quomodo Ens incompletum possit dici perfectum: Dicendum est; Ens incompletum omnino esse perfectum, applicando ea, quæ generaliter dicta sunt de perfectione, *privi cap.* Materia enim (v. g.) & forma, quæ sunt Entia incompleta, talia sunt, ut neque desit eis quicquam ad rationem Entis, vel etiam in specie, ad rationem materiæ & formæ.

TITULUS II.

De quibusdam entibus in particulari; an sint completa & incompleta?

20. PRocedam hic Methodo Analyticâ, indéque *Primò* in particularium quæstionum enodatione inquiram, quid ferre possit ratio Entis completi & incompleti: & *deinde* generaliter constituam, quid sit Ens completum & incompletum.

ARTICULUS I.

An genera (veluti Animal) sint Entia completa?

21. RAtio dubitandi pro parte negativa est, quod genera sunt partes essentiales specierum. Hominis enim partes (Metaphysicè resolvendo hominem) sunt genus & differentia, seu esse animal, & esse rationale. Et sic etiam Arist. genus vocavit partem speciei, *l. 5. Met. c. 25.* At esse incompletum & esse partiale sese inferunt.

22. Genera esse entia completa. In oppositum tamen est, quòd genera sunt directè in prædicamentis. Prædicamentum enim est series generum & specierum. At nihil est directè in prædicamento, quod non sit ens completum, ut demonstravi *in Introduct. Log. c. 2. in Comm. n. 90.* Cum quibus confer Fons. *l. 5. Met. c. 7. q. 7. s. 2. & c. 8. q. 2.* & Coll. Conim. *L. Categ. c. 4. q. 2. a. 2.* Atque hæc sententia propter factam rationem est eligenda.

23. Aliorum probatio. Ad priorem autem sententiam, ejúsque probationem videtur 1. Responderi posse Genera, non esse Entia incompleta, quia realiter eadem sunt cum speciebus & consequenter cum individuis. Genera enim repræsentant individua, inadæquato conceptu & confuso. Unde propter istam realem identitatem, quòd à parte rei convenit individuis, id etiam convenit generibus. Et proinde, si illa sunt completa, hæc quoque videntur debere esse completa.

24. Refellitur. Hæc tamen Evasio bona non est, propter duo. Nam *Primò* Realis identitas qualis est inter genus & individuum sibi subjectum, est etiam inter differentiam generalem & individuum. Et nihilominus differentia semper est aliquid incompletum, quia ipsa, etsi realiter eadem sit cum individuo, semper tamen apprehenditur tanquam alteri adjacens, & pertinens ad ejus essentiale complementum & perfectionem.

25. *Deinde* ille discursus solùm probat: Genus non esse aliquid incompletum Physicè, quod solum sequitur ex identitate ejus ad individuum. At hoc non obstante potest adhuc esse quid incompletum Metaphysicè, sicut & erat de differentia.

26. Vera igitur solutio est, quod genera (loquendo de re ipsa, quæ talis denominatur, veluti de animali) apprehendantur per modum entium totalium. Animal enim quâ animal est, non implicat respectum quenquam in definitione sua ad hominem aut bestiam sed præcisè dicitur: Animal est corpus sensu præditum. Partes autem & entia incompleta non possunt definiri, nisi cum respectu ad totum. Estque aliud istius totalis naturæ indicium, quod genus v.g. animal, prædicatur in quid est, de individuo. At non potest in quid est prædicari, quod significat partem essentiæ, ejus, de quo prædicatur, sicut propterea nec generalis differentia, nec forma vel materia in quid prædicantur.

27. Apparétque ex his manifesta discrepantia inter genus & differentiam, in ratione entis completi & incompleti. Nam differentia non potest apprehendi aliter, ac alteri

alteri adjacens, & proinde illud essentialiter complens. Unde simpliciter est Ens incompletum. 28.

Genus autem, quia habet essentiam totalem, cum præcisio omni respectu ad species vel individua; ideo satis habet ad esse Entis completi, etsi aliquo modo loquendi sit pars speciei. Ita enim pars est ut tamen retineat etiam suo modo essentiam totalem.

Fonseca *l. 5. Metaph. cap. 7. q. 7. s. 2.* suppositum vocat completum simpliciter; genera autem & species vocat completa secundùm quid. Non incongruè, si intelligatur ratio Entis completi principaliùs convenire suppositis, quàm generibus & speciebus, idque inde, quia aliquo modo loquendi genera sunt partes specierum. *Confer* Colleg. Conimb. *suprà d. l.* & Suarez *disp. 33. s. 1. n. 17 seqq.*

ARTICULUS II.

An anima separata à corpore sit Ens completum.

Videtur illa tum esse Ens completum. Neq; enim illa in illo statu complet esse alterius, neque apprehenditur ut adjacens. Et proinde sic non habet esse partiale. Ergo nec esse incompletum. 29. *Videri, quòd sit ens completum.*

Et confirmatur à simili. Nam aqua quæ sumitur de flumine, prius erat ejus pars. Et tamen post separationem à communi massa vel corpore, est ens aliquod completum, quia habet proprium terminum sui esse. Nec officit, quòd anima habet aptitudinem, ut iterum uniatur cum sua materia, ad idem suppositum. Nam aqua etiam habet hanc aptitudinem. Potest enim iterum affundi priori aquæ, unde acquirendo continuationem ad aliquam aquam desinit esse incompletum. Ex quo exemplo apparet: Alternationem in entitate completa & incompleta, non esse absurdam, ut scilicet aliquid nunc sit ens completum, nunc incompletum. 30.

Nihilominus aliàs communis est sententia, animam in quovis statu esse quid incompletum, sive sit unita corpori, sive ab eo separata. Confer præter dictos Autores in *priori quæstione*: Armand. de Bello Visu, *in Lexic. lib. 2. ca.* 290. & Colon. ad H. Span. *tract. 3. capit. Log. fol.* 119. 31. *Animam esse ens incompletum.*

Idq; est propterea, quia cùm sit forma, necessarium est, ut naturalem habeat aptitudinem, secundùm quam conjungi possit idoneæ materiæ ad componendum aliquod compositum. At quod naturali destinatione complet esse alterius, id simpliciter est quid incompletum, esto possit habere aliquam separationem. Nam eadem de causa etiam manus abscisa vel pes, vel auris est ens incompletum, quia tales partes naturali destinatione complent esse alterius, cujus rei indicium in illis est, quod habent dispositionem organicam. Organum autem sive instrumentum naturali destinatione refertur ad usum, quem tales partes habere non possunt, nisi jungantur animæ. 32.

Atque ex hoc exemplo apparet solutio ad argumentum contrarium. Nam apparet ex illo, posse esse ens incompletum, quod actu non est alii adjacens, aut habens esse partiale. 33. *Resp. ad objectionem.*

Alterum autem exemplum, de aqua separata à flumine, est valdè dissimile. Neque enim illa est ens completum, quia separata est, & desiit habere continuationem ad aliud: sed quia est abjuncta & natura similaris simul, quorum hoc deficit in partibus abscissis & in anima. Patétque. Nam totum simulare habet partes ejusdem rationis, & per se non deposcit sibi determinatam magnitudinem, sed potest esse sub quantitate minima, nec est in eo partis unius ab alia dependentia. Atque hinc quælibet guttula est peculiare suppositum. 34. *Cur totius similaris partes separatæ fiant entia completa?*

Potentia autem secundùm quam gutta separata iterum uniri potest priori massæ, non est naturalis et positiva, sed Logica solum & negativa, hoc est, consistit solum in non repugnantia. Unde illius nulla ratio est, ad constituendum Ens incompletum. Nam similis potentia remanet in majori parte aquæ, unde alia hausta est. Et tamen illa sine dubio statim est aliquid completum. Potentia autem quæ 35. *Potentia in anima & gutta separata ad reunionem est diversa ratione.*

in anima est, ad informandum corpus, non Logica sed Physica est, & positiva.

ARTICULUS III.

An Deus etiam possit dici quid completum.

36. Suarez *disp.32.s.3.in tit.& n 33. & 34.* divisionem Entis in completum & incompletum applicuit solùm enti creato.

Sententia Suarez.

37. Sed tamen non satis sibi constat. Nam *disp 33 s.1.n.8.& in Thom.3.p.tom.1.disp.11.d* putat etiam Deum esse aliquid completum, etiam cùm abstrahitur à tribus personis. Idq; ideo quia per se ipsum est essentialiter subsistens, & ex se non indiget alio ad consummatam & absolutam substantiæ perfectionem: quia licèt tribus personis communicetur, tamen neq; ab eis in re distinguitur, neq; propter dependentiam aliquam in eis subsistit, ut ab eis complementum accipiat, sed solùm ut suam infinitam perfectionem eis essentialiter, & per summam identitatem communicet. Rursus *eadem disp.33.s.1.n.12.* disputat: λόγον esse substantiam completam, etiam cum actu unitus est humanitati, quia ab humanitate nullo modo pendet, vel in esse, vel in aliquo essendi modo, nec amittit propterea intrinsecum terminum, quem antè habebat.

38. *Aliorum opinio proponitur.* Nihilominus videri potest: Deum non posse dici ens completum. atque ideo (cùm nec incompletum dici debeat) reduci debere illam divisionem solùm ad ens creatum: Idq; ex duobus principiis. 1. quod applicando illam divisionem ad substantiam videtur in re æquipollere huic, substantia est materia vel forma, vel compositum, quam Arist. tradit passim. Vide *l.2.de Anim.c.1.tit.2.& lq. Met.c.3.§.10 13.et 15.et 18.c.2.3.* Comprehendendo enim materiam & formam sub uno membro, erit substantia incompleta. Substantia igitur quæ relinquitur, nempe compositum, exhauriet substantiam completam. Ergo omnis completa substantia erit compositum. At Deus non est aliquid compositum.

39. Alterum principium est, quod completum dicitur, quod ab aliquo completur, vel intrinsecè vel per modum efficientis. Vnde sequitur quod completum est, non posse esse primum ens, sed ante se habere id quod ipsum compleat. At repugnat, aliquid dici Deum & tamen non esse ens primum.

40. *Decisio quæstionis.* Nihilominus in oppositum dicendum est: Hanc divisionem complecti omne ens, creatum & increatum. Membra enim ista opponuntur sub ente, præcisè sumpto, contradictoriè. At inter contradictoria non datur medium. Prius patet. Nam completum vocatur id ens, quod habet perfectionem in se terminatam, citra destinationem ad complementum alterius. Incompletum autem, quod non habet perfectionem destinatam ad complementum alterius. At hæc contradicentia sunt: Habere essentiam vel perfectionem destinatam, &c. Et non habere.

Solvuntur Objectiones.

41. *Substantia completa non est idem quod compositum.* AD *Primam objectionem* negandum est, quòd substantia completa & compositum sunt idem: Nam per compositum Arist. intelligit id quod est ex materia & forma compositum. Sic enim sequitur *l.3. Met.c.3.* substantia est materia, vel forma, vel tertium quod *ex his* est: At præter hoc etiam in genere entium creatorum datur ens completum, nempe substantia immaterialis, sive Angelus. Vnde rursus apparet, nec illam divisionem exhaurire totam rationem substantiæ, sed solùm pro occasione, Aristotelem sic dividendo substantias, voluisse enumerare aliquos gradus substantiæ. Estq; ejus rei indicium, quod (non omni sed soli) substantiæ primæ istam divisionem applicat Aristoteles, *d. l.7. Met.c.3.* Sed hac de re erit plenius *in lib. 2. c. 2.*

42. *Ad alteram* repetatur, quod superius dictum est: ens completum à Metaphysicis non sumi participaliter, sive cum respectu ad complens, sed nominaliter. Ibi vide. Hoc tamen hìc non est diffitendum; Impositum esse primò hoc nomen ad significanda

nificanda ea, quæ aliunde complementum habent, sicut & de perfecto dictum est, *cap. 11. tit. 1. disp. 5.* Hic autem cogitetur, sæpe nominum usum deviare ab impositione.

ARTICULUS IV.

An etiam accidentia possint esse Entia completa?

43. Suarez negat *disp. 32. s. 1. nu. 2. & sect. 2. nu. 4. 35.* qui tamen nec sic sibi constat. Nam *disp. 32. sect. 1. n. 12.* fatetur, nomen completi & incompleti reperiri in accidentibus.

44. Atque hæc affirmativa sententia communior est. Sic Fonseca candorem vocat ens completum, *lib. 5. Met. c. 7. q. 7. s. 2.* Et patet, quia etiam generalia accidentia prædicantur in quid est, de singularibus, veluti candor de candore hoc. Illa autem quidditativa prædicata indicabant esse completum in substantiis per *1. quæst. hujus Tit. nostri.*

Sententiæ affirmantis approbatio.

45. *Deinde*, in accidentibus etiam possunt sumi differentiæ, sicut & in substantiis. Veluti ab albedine sumitur albedinositas, (quæ ad modum differentiarum) non potest prædicari de individuis albedinibus. Neq; enim albedo est albedinositas. Dantur igitur in accidentibus variæ species, At species non est aliquid incompletum.

46. Denique: accidentia per se reponuntur in prædicamentis: ut notum est. At entia incompleta non ponuntur in prædicamentis per se & directè, etiam loquendo de accidentibus. Motus enim non est per se in prædicamento, quia est ens incompletum, ut docet Fonseca, *d. l. in fine*, & Thom. *4. d. 1. q. 1. a. 4.* & rursus Suarez *disp. 33. s. 1. n. 13.* ponit entitatis complectæ etiam hoc indicium esse, per se in prædicamento esse.

47. Nec invenio difficultates contra hanc sententiam. Vulgò quidem solent accidentia vocari entia incompleta, sed sic ens incompletum est idem quod imperfectum. Dicunturque sic accidentia in comparatione ad substantiam.

Quo sensu accidentia sint entia incompleta.

ARTICULUS V.

An substantiæ non satis auctæ sit Ens completum?

48. Veluti arbor recèns exorta, quæ nondum acquisivit magnitudinem in ista specie possibilem, aut homo duorum tantùm annorum. Estque ratio dubitandi, quia talis substantia ordinatur ad faciendam compositionem, cum partibus illis, quæ postea accrescunt.

49. In oppositum autem est, quod tales substantiæ sint etiam suppositæ, & directè in prædicamento. At utrumque est indicium entitatis completæ.

50. Suarez sic rectè respondet *disp. 13. sect. 1. num. 3.* Tales substantias omnino esse completas, si Metaphysicè loquamur, quia habent omnem perfectionem, quæ in substantia Metaphysicè reperiri potest & debet: Et quia omnia prædicata substantialia de ea simpliciter prædicantur. Illam tamen partium accrescentiam ait indicare naturam (non Metaphysicè, sed solùm) Physicè incompletam.

TITULUS III.

QUID SIT COMPLETUM ET INCOMPLETUM in genere?

51. Atque ex his generaliter definiendo completum & incompletum: Dico 1. ens incompletum est quod *(primò)* non habet essentiam in se terminatam (unde & incompletum dicitur;) sed *(secundo)* terminatam ad essentiam vel perfectionem alterius, (unde non incommodè potest vocari ens complens) & id quidem secundùm istius naturæ suæ destinationem.

52. Atq; ita entia incòpleta sunt 1. Ea, quæ de facto uniuntur ad aliud, unione essen-

tiali, seu quæ de facto partes sunt, quomodo anima & corpus & differentiæ sunt entia completa. 2. Ea, quæ etsi de facto sint separata, implicant tamen adhuc respectum ad entitatem aliam (quomodo anima separata est quid completum) vel prorsus frusta sunt, quod est in partibus abscissis. Vnde ex his exemplis constituitur duplex genus incompletorum. Alia sunt incompleta Physicè, ut anima, corpus. Alia sunt incompleta Metaphysicè, ut differentiæ, velut Rationalitas, Animalitas, Albedineitas.

53. Entium completorum catalogus.

Remanent autem hic extra classem Entium incompletorum 1. ὁ λόγος etiam actu unitus humanitati quia semper retinet essentiam in se terminatam, nec ullo modo ea consummatur per dependentiam ab esse humano.

54. 2 Quod est pars solum in toto per aggregationem. Est enim de hujus ratione & quidditate, esse ex completis et perfectis. Ita lapis est ens completum, etsi jungatur aliis lapidibus, in cumulo lapidum. Excluduntur autem ista, quæ sic partes sunt, per superiorem descriptionem, tum, quia illæ partes habent entitatem prorsus in se terminatam, tum etiam, quia esse partiale sortiuntur, non secundum naturæ suæ destinationem, sed per applicationem artificiosam vel fortuitam.

55 3. Ea quæ sunt genera. Hæc enim (veluti animal) etsi habent esse partiale suo modo, in quantum complent speciem: tamen absolutè et præcisè habent essentiam in se terminatam. Cùm enim quidditas earum et definitio apprehenditur, nullus respectus ad species implicatur, ut superius probatum est.

56 Denique extra entium incompletorum classem manent partes similares, abjunctæ à totis, quia et hæ tum habent, & essentiam in se terminatam, et possunt uniri toti, ex quo sumptæ sunt, non secundum naturæ suæ destinationem, sed similiter fortuitò. Vnde nec in illis partibus est potentia ad reiterationem talis unionis, nisi Logica et negativa, hoc est, non repugnantia.

57 II. Ens completum igitur est, quod habet essentiam totalem, et terminatam in se, et non ad intrinsecam perfectionem alterius. Atque hæc ex prioribus satis clara sunt. Solum est observandum: cum completum essentia totalis dicitur, non id sic fieri, quasi resultet entitas rei completæ, ex partibus. (Hoc enim per accidens est ad rationem entis completi, unde completum dici potest, sive sit simplex sive compositum modò habeat essentiam in se et non ad perfectionem alterius terminatam) sed est intelligendum negativè; ut essentia totalis dicatur, quæ non est partialis, sive quæ non est per modum partis. Estq; sic, quoad hoc, differentia inter Ens completum & incompletum. Ens enim incompletum est pars alterius vel habet essentiam complentem aliud. At non omne completum est totum. Sed potest esse vel totum, vel etiam prorsus simplex. Totum; ut homo, animal, Socrates. Prorsus simplex; ut Deus, item Angeli, qui & ipsi aliquo modo simplices sunt.

CAPUT XIII.

DE FINITO ET INFINITO.

1. SEcundùm perfectionem Ens est finitum vel finitum.

2. Finitum est, quod habet fines vel terminos essentiæ suæ; ut est omne Ens creatum.

3. Infinitum est, quod non habet fines vel terminos essentiæ suæ. ut Deus.

4 Æquipollent, quoad rem significatã. isti divisioni aliæ divisiones Entis: veluti: Ens est à se vel ab alio; dependens vel independens; creatũ vel increatũ; per essentiã vel per participationẽ; purè actuale, vel

potens

potentiale, purè necessarium vel contingens, circumscriptum vel incircumscriptum.

COMMENTARIUS.

AD hoc caput videndum est de quatuor Titulis. *Primò*. De voce finiti & infiniti. *Secundò*, Quid sit finitum. *Tertiò*. Quid sit infinitum: & *Quartò* De divisionibus æquipollentibus divisioni propositæ. *Quintò*. De adæquatione illius divisionis, Et *denique* an sit analoga vel univoca illa divisio?

TITULUS. I.

De voce finiti & infiniti.

1. FInitum aliquando idem est, quod causatum finis, sicut formarum est causatum formæ. Illa significatio huc non pertinet. Opponitur enim sic finitum fini, non autem infinito, ut nunc.

2. Igitur quando finitum & infinitum opponuntur, sumuntur bifariam 1. Intelliguntur secundùm quantitatem. S.c Arist. *l.3. Phys.c.4.t.24.* ea refert ad magnitudinem. Et proinde ibi *& text. 34.* demonstrat Physici esse agere de hoc finito & infinito. Pertinétque ad hanc significationem tota disputatio de infinito: quam Aristoteles persequitur, *l.3. Phys.c.4.5.6.7.8. & l.1. de Cœlo. c.5.* tùmque quæritur an detur infinitum actu?

Explicatur æquiligitas in voce finiti & infiniti.

3. Atque ita de infinito Aristoteles tradidit, id quinque modis sumi *c.4.t.34.* quas significationes d.lucidiùs retulit Magirus *l.1. Phys.c.7.* Igitur hîc dicitur infinitum *Primo*: Id, quod transitum nullum admittit, propterea quia non sit idoneum ad sustinendam divisionem, secundum quam actu vel potestate sit divisibile. Sic punctum dicitur infinitum, quia prorsus non potest dividi, ut fines accipiat.

Infiniti varij modi.

Secundo: Infinitum vocatur, quod διέξοδον ἢ πέρας, transitum aut extremum quidem habet, sed tamen ad finem ejus nunquam pervenitur. Ita linea in infinitum porrecta, si daretur, dicitur infinita. Quæritúrque secundùm hanc significationem, an Mundus sit infinitus, hoc est, in infinitum protensus.

Tertiò: Infinitum vocatur, quod finem quidem habet, sed vix ac difficulter ad eum pervenitur: quomodo simili modo loquendi dicitur; Infiniti laboris esse laudare Herculem.

Quartò: Infinitum vocatur, quod fines vel terminum habet, sed ad eum propter externam obstaculum perveniri non potest. Sic maris profunditas est infinita.

Denique infinitum vocatur, cui semper potest fieri accessio, ut numerus & magnitudo. Neque enim repugnat cuilibet, quantumvis magno numero, aut lineæ, fieri majorem.

4. Atque sic ex his sit infinitum actu vel potestate. *Infinitum actu* vocatur, cujus quantitas non est actu terminata. Et tale infinitum, non datur. *Infinitum potestate* vocatur, cujus partes non quidem simul sunt, sed sibi succedunt, sine perventu tamen ad ultimam possibilem extensionem. Talis infinitas est, ut dictum est, in numero & magnitudine. Hæc summa doctrinæ est, quam Aristoteles de infinito tradit, priùs citatis locis.

Infinitum actu & potestate quid sint?

5. 2. Sicut autem porrò ipsa vox quantitatis transfertur à quantitate molis ad significandam quantitatem perfectionis (unde & perfectio, quantitas virtualis, & quantitas intensiva dicitur, & propterea convenientia aut disconvenientia in perfectione, vocatur æqualitas & inæqualitas, quæ aliàs propriè dicuntur secundùm quantitatem, per Arist. *l. Categ. c.*) Ita etiam vox finiti & infiniti transsumuntur ad significandas perfectiones; intelliguntúrque sic hæc prædicata etiam in illis, quæ omni quantitate sive extensione carent. Et sic nunc sumuntur hi termini à Metaphysico.

Soleo aliàs expositionem æquipollentium annotare, ad expositionem vocis, sed nunc melius videtur, seorsim distributiones æquipollentes persequi, inter attributa specialia singuli Entis,

Plenam

Plenam Entis infiniti doctrinam hic non persequor, sed fiet id inferius, sub speciali Tractatu de substantiis. Incipio autem ab Ente finito.

TITULUS II.

Quid sit finitum.

6. IGitur ex vi nominis apparet, finitum dici à finibus: Et infinitum quod non habet fines: Sed quinam sunt illi fines? *Resp.* simpliciter illes fines essentiæ, Summatim tamen.

7. *Fines in Essentia.* Finitum est 1. *quod habet fines essentiæ.* Potest autem id esse bifariam. *Primò*, Quia illam essentiam aliquando non habuit, antequam ic. creatum est. Quòd si putabitur hæc conditio contingens esse, eò quòd videri potest, effectum posse esse coævum. (Hæc enim vox indicat solùm simultatem temporis & non naturæ. At effectum potest simul tempore esse cum sua causa, ut apparet in sole et lumine) causæ suæ, atque adeò mundum Deo: Intimiùs dici potest: Ens finitum habere fines essentiæ, quia aliquando potuit non esse. Neque enim esse creaturæ primò implicat actualitatem, sicut esse Dei, cui repugnat esse in potentia. Undè esse creatum præscindit ab esse actuali & possibili. Patétque inde, quòd Deus est agens liberum. Ergo potest influere & non influere, & determinare se ad agendum quando vult. Quâ in parte dissimile est exemplum solis & luminis. Cùm enim sol sit causa luminis per naturalem dimanationem, fieri non potest, ut sol suspendat actum illuminationis, quo minus ipsi lumen sit coævum.

Deinde, Ens finitum habet fines essentiæ, quia aliquando non erit, vel poterit non esse. Quia enim Ens finitum conservatur per influxum divinum, qui liber est, hinc ad arbitrium voluntatis divinæ res finitæ possunt non esse, si nolit eas Deus conservare. Quòd si igitur aliqua Entia finita (ut Angeli & animæ rationales de facto non desinunt, id non est in istis per intrinsecam repugnantiam ad non esse, ut in Deo, sed est per extrinsecum obstaculum, quia scilicet Deus non vult. Animæ non corrumpuntur, quia Deus non vult, inquit Scalig. *Exerc.* 307. *s.* 20.

8. *Fines in perfectione.* 2. Finitum habet fines *perfectionum*, in quantum illæ & poterunt non esse, & potuerunt non esse, ut de finibus essentiæ dictum est. Aliter habet finitas perfectiones, quia Entis finiti perfectiones non sunt summæ, sed possunt dari eminentiores. Veluti hominis maxima perfectio est intelligere, posse, hæc tamen non est absolutè summa perfectio, quia illa humana intellectio est limitata, neque tanta est, ut possit etiam cognoscere cogitationes humanas, & quo minus erret quandoque, & non attingat penitissimè essentias rerum. Et ita est in aliis.

9. *Fines in operatione.* 3. Finitum habet fines in virtute & *operatione*. Nam 1. Ens finitum non potest quidvis agere. Homo non potest movere terram, aut sistere cursum solis, aut producere vermem vel leonem. 2. Rursus manendo intra latitudinem objectorum possibilium aliàs, non potest semper assequi finem suum, sed sæpè eo frustratur, propter dependentiam, quam in actione sua habet, à prima causa. Ita ignis non urit, etiam propensissimus ex vi naturæ suæ ad urendum, per defectum concursus divini, & sic in aliis.

10. *Fines in duratione.* 4. Finitum habet fines ratione *durationis*, eo quòd non est æternum, sed vel in ævo, ut Angeli; vel in tempore, ut lapis.

11. *In præsentia.* 5. Finitum habet fines *præsentiæ*. Definitur enim, vel circumscribitur ad determinatum spatium, intra quod est, & non extra illud. Atque sic naturaliter nec est in multis, nec omnibus locis.

TITULUS V.

Quid sit infinitum?

ATque ex his intelligi potest, quid sit infinitum. Est enim vox hæc negativa. Unde removebitur per illam ab Ente infinito, id quod importabatur per vocem finiti in Ente finito.

Ergo

Ergo primò: Ens infinitum caret finibus essentiæ. Ubi statim notandum: hanc carentiam finium non esse intelligendam in ente infinito privativè (quasi ens infinitum de facto quidem non habeat fines, possit tamen aut debeat habere) sed negativè, sic, quod nec actu habeat, nec debeat aut possit habere fines, quod infinitum dicitur. 13 *Infinitum caret finib. essentiæ.*

Igitur 1. caret finibus essentiæ à parte ante, quia prorsus huic, quod infinitum dicitur, repugnat, non fuisse; aut si de facto quidem fuerit, potuerit tamen non fuisse. Si enim essentia entis infiniti posset esse potentialis, vel possibilis, tum vel seipsam posset actuare, vel aliud eam posset actuare. *Primum* implicat, quia si aliquid seipsum actuaret, hoc est, produceret non esse adesse, tum revera *esset*, quia ageret producendo; Et tamen *non esset*, quia denum produceretur. At esse & non esse sunt contradicentia. Neque *rursus* etiam ens infinitum posset produci vel creari ab alio. Quia sub voce entis infiniti apprehendimus id ens, quod primum est. Et præterea, sic id, quod crearet ens infinitum, revera esset valentius & dignius ens, eo, quod produceit. At hoc ipso infinitum desineret esse infinitum, si aliud esset, quod haberet eminentiorem perfectionem. Atque ita apparet, repugnare, esse creatum & infinitum, hoc est, quod creatum est, non posse esse infinitum, & quod infinitum est, non posse esse creatum. 14 *Ens Infinitum non est aliquid factibile.*

Rursus 2. ens infinitum caret finibus essentiæ à parte post, hoc est, prorsus repugnat, illud vel deponi ab entitate sua, vel desinere posse. Ita apparet, quia quod corrumpit aliud, oportet esse valentioris virtutis, quàm id quod corrumpitur. Alias enim, quia omne ens appetit sui conservationem, ideo resistit volenti se corrumpere, & tamdiu renititur, donec vincatur à contraria virtute. At repugnat, infinito aliquid esse valentius. Infinitum igitur non potest corrumpi. Atque ita apparet, non esse id infinitum à parte post. Sunt quidem & alii modi desinendi, quos plenius persequor & removeo à Deo infra, *cap. 18. n. 24. & seqq.* 15. *Infinitum non potest desinere.*

2. Infinitum non habet fines *perfectionis*. Ita sequitur primum ex priori. Nam propter æqu pollentiam perfectionis ad essentiam, sequitur eâ existente infinitâ, etiam perfectionem ejus esse infinitam, hoc est, eam neque cæpisse nec desituram esse, rursus nec incipere potuisse, nec desinere posse. 16. *Infinitum ratione perfectionum.*

3. Infinitum caret fine *virtutis & operationis*. Hoc est, quod infinitum est, potest operari & efficere quicquid ullo modo est possibile. Neque limitatum est ad certum gradum, ultra quem non possit operari. 17. *Ratione operationum.*

Attenditurque adeò infinitas virtutis in ente infinito in duobus. 1. quòd nihil cuiquam causæ possibile est, quod non possit Deus efficere. 2. quia in omnibus istis actibus agit indefectibiliter, nihil necessariò exigens ad concausandum. 18. *Ratione durationis.*

4. Ens infinitum caret finibus *Durationis*, hoc est, est æternum.

5. Et caret finibus præsentiæ, atque adeò est immensum & omnipræsens. Hæc omnia autem erunt inferiùs clariora, ubi persequemur doctrinam de Deo. 19. *Ratione præsentiæ.*

TITULUS IV.
DE ALIIS APPELLATIONIBUS ENTIS finiti & infiniti.

Sub hoc Titulo intendo declarare alias divisiones Entis, huic æquipollentes. Unde propter hanc ipsam æquipollentiam, membra illarum, verè solùm sunt alia nomina entis finiti & infiniti, significanturque per illas divisiones varias, entis finiti & infiniti attributa varia.

ARTICULUS I.
In quo declaratur divisio Entis, in Ens à se & ab alio.

HIc Ens infinitum dicitur *Ens à se*; & Ens finitum *Ens ab alio*.

Ens Infinitum quomodo sit à se?

Ens infinitum quomodo dicatur Ens à se?

DIcitur autem infinitum à se, non per positivum influxum, quod sibi ipsi esse tribuit. Hoc enim involvit repugnantiam, ut priùs *præced. tract.* 3. *n.* 14. dictum est) sed est intelligendum id negativè. Atque ita ens *à se* dicitur, quod non est creatum vel factum ab alio. Vide Valent. *Tom. 1. disp.* 3. *punct.* 4. Sicutque Ens, quod hic ab alio dicitur, alio nomine vocatur creatum: ita quod hic à se dicitur, alio nomine vocatur increatum, quod est prorsus negativum vocabulum. Eo modo loquendi dicuntur etiam res simplices individuari à se, non quasi per positivum influxum tribuant sibi ipsis esse singulare, sed hoc sensu negativo, quòd non habeant principium unde accipiant singularitatem.

Ens finitum quomodo sit Ens ab alio?

92.

ENs autem finitum dicetur esse *Ens ab alio*. Vbi duo sunt notanda. 1. Istud esse ab alio, sumendum esse cum ampliatione. Ita ut Ens ab alio dicatur, non solum quod de facto in definito tempore est creatum ab alio, sed etiam cui non repugnat esse ab alio, etsi de facto sit æterno coævum. Etsi enim de facto nullum ens præter Deum sit ab æterno, tamen fortasse non repugnat, esse ens aliquod ab æterno præter Deum. Et tamen [illegible] ens adhuc vera posset dici ens ab alio, & finitum, quia non repugnat id ens de novo accepisse entitatem. Neque enim ullum ens præter Deum est purè actuale, hoc est tale, ut ei repugnet esse in potentia. Patetq; evidentissimè, quia omne ens præter Deum potest deponi ab ea entitate quam habet. Vnde quia, à parte post, ei non repugnat non esse, indicium est, quòd neque à parte ante repugnet ei non fuisse.

93. 2. Notandum est phrasin illam, *esse ab alio*, non intelligi de omni modo essendi ab alio. Nam filius Dei est ens infinitum, itidemq; Spiritus sanctus, et tamen Filius est à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Vnde sic sequitur, Filium et Spiritum sanctum aliquo modo loquendi esse *ab alio*, et tamen revera esse ens *à se*, quia ut nunc sumitur ens à se, dicitur id æquipollenter ad infinitum, atque ita quicquid est infinitum, propter dictam æquipollentiam, est etiam à se. Ergo esse ab alio, significat nunc modum essendi ab alio, per efficientiam veram. Atq; ita summatim ens aliud est ab alio effectum, aliud est à se, hoc est, non ab alio effectum. Ex qua deductione patet, Filium et Spiritum sanctum absolutè, juxta hanc divisionem non esse ens ab alio, sed ens à se, quia generatio et spiratio divina longè transcendunt rationem causæ, vel efficientis, propter numeralem identitatem essentiæ divinæ, quæ est in Patre et cæteris personis. Potest ex his ferè expediri quæstio; An Christus sit αὐτόθεος. De qua porro *vide* Bellarm. *lib.* 1. *de Christ. c.* 19.

Filium et Spiritum sanctum simpliciter esse à se.

ARTICULUS II.

De Divisione Entis in dependens & independens.

94. HIc ens finitum vocatur dependens, ens infinitum vocatur independens. Debent autem termini hi eodem modo intelligi ac priores.

95. Vocaturque hic ens dependens, non quod habet qualemcunq; modum essendi ab alio, sed quod est ab alio effectivè. Neque enim filius etsi sit à Patre, Deus de Deo, et lumen de lumine *(per Symbol. Nycen)* est ens dependens à Patre, sed simpliciter est ens independens, ut Metaphysici his terminis utuntur. His enim quod dicitur ens dependens semper habet essentiam numero distinctam ab alio. Vide Suarez *disp.* 12. *in Metaph. s.* 2. *n.* 5. 6 Scotum *l.* 1. *Sent. d.* 2. *q.* 6. et Lychet. *ib. in fine.* Bellarm. *l.* 2. *de Christ. c.* 10. At id non est in divinis processionibus. Pater enim gignens, communicat Filio suam numero essentiam, et proinde independentem essentiam. Talis enim est essentia paterna. Atque ita hunc summatim ens dependens

dens vocatur, quod ab alio effectivè habet esse: Ens independens autem vocatur, quod ab alio non est effectum.

Suarez *disp.31.s.14.* Entis finiti ad infinito dependentiam facit multiplicem. 1. eum, quod Ens finitum habet esse receptum ab illo. 2. quod est subjectum illi, in ordine ad suam annihilationem, hoc est, quod per solam suspensionem influxus divini potest annihilari. 3. dependet ab infinito Ente in agendo & causando. Hinc naturales suos actus non exequitur nisi cum influxu divino. 4. Dependet ab eo, ut quidvis recipiat aut agat, quod Deus vult. Sicut secundùm hoc, finitus potest loqui, & ex lapide potest fieri panis, & sic in alijs. 26. *Dependentia Entis creati Multiplex.*

ARTICULUS. III.

De divisione Entis.

In Ens Creatum & increatum.

HÆc nomina specialia sunt dependentiæ & independentiæ. Atque ita nunc Ens finitum vocatur creatum, Ens infinitum vocatur increatum. Quæ facilè intelliguntur ex prioribus, & plenius cognoscentur, ex inferius dicendis de creatione. 27.

Dividunt autem ista Ens immediatè. Omnis substantia seu res, quæ Deus non est, creatura est, ita Aug *l.1.de Trinit.c.6.* Et Just. Martyr *in Expos. fidei non longè ab initio* ait, in id quod creatum est, & in id, quod non creatum, dividi omnia. 28.

Id hîc peculiariter notandum est; quod increatum possit bifariam sumi, illo modo sumitur prorsus negativè. Estque tùm id increatum, quod non est creatum, imò ne est quidem, sive nullam positivam Entitatem habet. Hoc sensu ea quæ impossibilia sunt, increata sunt. Nec aliter tempus imaginarium & locus imaginarius, ut quæ nihil realis sunt, increata dicuntur. Nobis autem increatum quodammodo positivè dicitur. Est enim nunc increatum, quod, cùm veram Entitatem habeat, non tamen habet eam creatam, sive dependentem ab alio. Increatum enim hîc ponitur quasi differentia Entis. 29. *Increatum bifariam dicitur.*

QUÆRITUR:

An eodem modo dividi possit Ens in ingenitum & genitum?

NAm hæc videntur etiam esse specialia nonnulla dependentiæ & independentiæ, ut proinde Ens ingenitum dicatur infinitum, Ens genitum dicatur finitum. Videtúrque ratio generis inferre aliquam essentiæ finitatem à parte ante, hoc ipso scilicet, quia quod genitum est, est à gignente tale. 30.

Respond. Vocem generationis esse impositam ad significandam similitudinem, quæ est in producente & producto, ut ipsa vox indicat. Generare posse, est, genus vel essentiam suam communicare. Potest autem communicari eadem numero essentia, ut ex mysterio Trinitatis novimus (quæ generatio etiam ineffabilis dicitur *Esa 53.*) Unde sic apparet, nullam esse repugnantiam, quod est genitum id esse infinitum. Sumitur enim denominatio finiti & infiniti ab essentia. At essentia in genito potest esse eadem numero quæ est in ingenito. Et proinde si in ingenito fuit infinita, etiam in genito erit infinita. Et proinde genitum erit Ens infinitum. Atque ita apparet hæc non esse æquipollentia, genitum et finitum, item ingenitum et infinitum, sicut æquipollentia sunt creatum et finitum, item increatum et infinitum. 31. *Derivationes aliæ à negativis?*

Et rursus apparet hinc: cur Theologi vocent filium genitum, non tamen creatum vel factum, quia hæc vocabula præcisè significant reflectionem. Generatio autem significat communicationem essentiæ, cui, ut visum est, non repugnat, communicari eam unam numero. 32.

ARTICULUS IV.

De Divisione Entis in Ens per essentiam & per participationem.

33. IN hac divisione ens finitum vocatur ens per participationem: ens infinitum autem dicitur ens per essentiam.

Ergo Ens infinitum dicitur *ens per essentiam*, quia ex se & à se habet suum esse, ita ut non possit illud finisse, aut deinceps non esse. Ens autem finitum dicitur *ens per participationem*, quia habet essentiam à superiori efficiente, unde dependet. Hæc ex prioribus satis sunt clara.

ARTICULUS V.

Ens est vel purè actuale, vel potentiale.

34. SEcundùm talem divisionem ens infinitum dicitur purè actuale: ens finitum autem dicitur potentiale.

Ens infinitum quomodo sit ens purè actuale sive actus purus?

IGitur ens infinitum est purè actuale: Cæterùm notandum est: Purum in genere dici, quod nihil habet alieni, ut Scaliger definit *Exerc.* 250. Atque ita purè actuale vocatur, quod nihil habet potentiæ.

35. *Ang li quomodo puri actus.*

Ubi advertendum est: cùm potentiæ potissima significatio sit in materia, hinc aliquando purus actus, vel purè actuale vocatur, quod nihil materiæ, vel potentiæ materialis implicat. Hoc sensu etiam Angeli dicuntur purus actus, juxta Arist. 8. *Metaph.* t 6. quanquam rectè id fieri neget Fonseca 5. *Metaph. cap.* 8 *q.* 4. *sect.* 3. Hæc significatio non est hujus loci. Nam Angeli sic sunt puri actus, ut dictum est, & tamen non sunt Entia infinita. At ens purè actuale & infinitum, nunc dicuntur æquipollenter.

36. *Purè actuale quid hic sit?*

Unde potrò patet; ens purè actuale nunc dici adæquatè per remotionem potentiæ passivæ. Hoc est, ens purè actuale est, quod nullam implicat potentiam passivam.

37. Dixi: *potentiam passivam* Nam potentia activa nullam infert imperfectionem, nec secundùm eam dicitur ens potentiale. Unde purè ens actuale relinquitur, si maximè habeat potentiam activam: qualis significatur in Deo sub voce, omnipotentiæ, vel omnis potestatis.

38. *Ens purè actuale quâ careat potentia?*

Summatim autem ens purè actuale, secundùm dicta, caret 1. *potentia objectiva*, hoc est, non potest, aut potuit latere in causis, è quibus per alterius agentis operationem emergeret. Hæc enim potentia, sic exposita manifestè repugnat enti infinito, quia si emergeret per operationem alterius agentis revera esset illud ens finitum, per dependentiam quandam ab illo agente.

2. Caret *potentia Logicâ*, qua ei non repugnat, non esse. Nam si ens infinitum posset desinere, revera esse posset finitum à parte post, nempe per desitionem essentiæ quod itidem implicat.

3. Rursus caret *potentia passiva*, qua vel crescat, vel decrescat in perfectionibus. Nam si perfectiones entis infiniti possent crescere (vel per extensionem, ut plures acciviat, vel per intensionem, ut eædem quæ præextiterunt, fiant radicatiores) ante illud incrementum fuissent finitæ, ergo pro tunc illud ens non fuisset infinitum. Absurdè! Rursus si illæ perfectiones possent decrescere, post illud decrementum, illud ens non remaneret infinitum. Absurde!

4. Ens infinitum est expers *potentiæ materialis*. Ita patet, quia quod materiam habet, habet eam dependenter ab aliqua causa efficiente, quæ ei formam introducit. Infinito autem repugnat causa effectiva. Relinquitur ita enti infinito nullam potentiam passivam competere, & proinde id rectè dici purè actuale.

Dices?

Dices: Infinitum Ens posse blasphemari, laudari, cognosci. At hæ sunt passiones. At cuilibet actui respondet sua potentia. Ergo istis passionibus respondent etiam potentiæ passivæ in Ente infinito, & per consequens non caret omni potentia passiva, ut dici potuerit purè actuale. 39. *Objectio.*

Respondeo: tales denominationes esse extrinsecas, & sic istas passiones non esse à parte rei in eo, quod denominatur blasphemari, laudari, cognosci. Ergo nec in eodem correspondere debet potentia passiva. Sicut & paries dicitur visus vel cognitus, citra aliquid ipsi parieti adveniens. Atque ita hactenus apparet, adhuc Ens infinitum non habere *in se* ullam potentiam passivam. 40. *Passiones per denominationem extrinsecam.*

Ens *finitum quomodo sit potentiale Ens?*

EX his nunc facilè patet, quod & quomodo & cur. Ens finitum sit Ens potentiale; Est potentiale inquam 1. quia non repugnat illi, latere in suis causis. 2. Quia, non repugnat, illud desinere esse. 3. quia non repugnat, illud perfectionibus suis vel crescere, vel decrescere. 41.

ARTICULUS VI.

In quo explicatur divisio Entis, in Ens purè necessarium & contingens.

IN hac divisione, Ens infinitum, dicitur *purè necessarium*: Ens finitum autem dicitur *contingens*. 42.

Ergo Ens infinitum vocatur purè necessarium, removendo omnem contingentiam, quæ est in Entitate. Contingens autem est, quod potest esse & non esse. Confer Aristot. 1. *prior. cap.* 13. & *de Interpr. cap.* 6. At simpliciter repugnat Enti infinito non esse. Quia si vel non fuisset, vel deinceps esse desineret, revera utroque in casu esset finitum. 43.

Dixi autem nunc removeri contingentiam omnem *in Entitate*. Nam Ens infinitum potest esse liberum agens. Et libertas est species contingentiæ. Unde si infinitum Ens liberè agit, utique contingenter (dextrè intelligendo vocem) & non necessariò agit. Neque hoc incommodum est prioribus. Nam secundùm contingentiam vel necessitatem operandi, non dicitur Ens aliquod necessarium vel contingens, sed præcisè & adæquatè ex modo essendi, ut patebit ad divisionem Entis, in Ens necessarium & contingens. 44.

Proinde nunc in oppositum ens finitum sensu opposito dicitur contingens. Nam quia Ens infinitum liberè creat finitum. Ergo potest non creare. Ergo & Ens finitum potest non esse, si scilicet nolit illud Ens infinitum creare. 45.

Rursus Ens finitum conservatur ab infinito, & illa conservatio rursus est libera. E. ex voluntate & arbitrio suo, potest Ens infinitum non conservare aliud. E. illud ens aliud tum necessariò desinet & proinde non erit. Et sic utroque modo ens finitum potest non esse. At hæc est ratio contingentis, posse esse & non esse, ut dictum est.

ARTICULUS II.

In quo explicatur divisio Entis in Ens circumscriptum & incircumscriptum.

IN hac divisione ens finitum dicitur circumscriptum, ens infinitum dicitur incircumscriptum. 46.

Notandum autem est: Circumscriptionem esse triplicem: Alia est circumscriptio *localis*, quâ quid ambitur & circumscribitur ab alio continente corpore. Talis circumscriptio competit turri, existenti in aëre vel aqua. Alia est circumscriptio *quantitativa*, quâ quid circumscribitur (non continentis, sed) propriâ suâ superficie, 47. *Circumscriptio triplex.*

superficie, vel terminis quantitatis suæ, qualis circumscriptio etiam est in corpore posito in vacuo.

48. *Circumscriptio localis à re potest abesse?*

Estque harum circumscriptionum utraque accidentalis rei circumscriptæ, & de facto abesse potest à re circumscriptibili. Patet id de circumscriptione locali, in cœlo extremo, quod à nullo ambitur. Item in corpore primùm creato, & denique in corpore, quod Deus immitteret in vacuum, si quod à Deo poneretur, intra aliquod spatium, veluti, si removeret omnem aëreum ex hoc conclavi.

49. *Et quantitativa.*

De circumscriptione autem quantitativa patet, in corpore Dominico, prout est in Eucharistia, ubi non retinet terminos secundùm quantitatem vel staturam suam sibi debitos. Idémque esset in corpore Camelli, si id à Deo poneretur in foramine acus, vel illud traduceretur, quod Deo possibile esse nobis certum est, *ex Matth.* 19.

Atque ita, quia talis differentia, sic sumpta, est contingens, utique circumscriptio sic nunc non est intelligenda.

50. *De circumscriptione essentiæ.*

Est igitur tertiò *circumscriptio Essentiæ*, vel essentialis, secundùm quam unumquodque Ens creatum habet terminos essentiæ. Sic Ambros. *lib. 1. de Spirit. sanct. c. 7.* ait: omnis creatura certis *naturæ* est *circumscripta limitibus*. Nemo igitur audeat Spiritum sanctum appellare creaturam, qui non habet circumscriptam determinatámque virtutem, quod divinitatis, & denominationis est proprium. Sic & *l. 2. in Job. c. 2. 2.* Angelos ait esse finitos & circumscriptos, confer Lombard. *1. d. 38. A. & N.* ubi etiam similis sententia refertur ex Beda *ad can. 1. Luc.* Sic Scalig. *Exerc. 9. s. 2.* ait, mentes habere certos limites. Eodem modo loquuntur Theodoret. *q. 3. in Genes.* & Tertull. *c. 22. Apolog.* confer Pelarg. ad Damasc. *l. 1. c. 18. & lib. 2. cap. 3.*

51. Quia autem hæ voces, *terminus* & *finis*, ut tunc eas usurpamus, æquipollentes sunt, ideò habere fines essentiæ, & habere terminos essentiæ, idem etiam sunt atque inde incurrit explicatio tradita ad vocem finiti & infiniti in essentia. Unde etiam Ens increumscriptum dicitur, sic, quòd non habeat terminos vel fines in essentia. Atque ita & hic recurrit, id, quod ad vocem infiniti secundùm essentiam dictum est, prius. Vide *Titul. 2. & 3. hujus cap.*

TITULUS V.

An divisio Entis in infinitum & finitum sit adæquata?

52. IN primis evidens est: oportere hanc divisionem esse adæquatam. Fit enim per attributa contradictoria, hoc modo, omne ens vel *habet fines essentiæ* (quod est finitum Ens) vel *non habet fines essentiæ*, (quod est Ens infinitum) inter contradictoria autem non datur medium.

53. *Objectio de divinis relationibus.*

Sed difficultatem hic aliquam faciunt divinæ relationes præcisè sumptæ. Illæ igitur aut sunt finitæ aut infinitæ. Non finitæ. Realiter enim eædem sunt cum divina essentia, quæ est infinita. Non etiam sunt infinitæ. Nam revera tres sunt relationes illæ. Ergo sic erunt tria infinita. Neque videtur dici posse, istas relationes esse unum infinitum propter implicationem unius infinitæ essentiæ, quia nunc loquimur de relationibus præcisè sumptis & inquirimus quid ex sint, an sint infinitæ an finitæ?

54. *Solvitur.*

Ad hanc rem expediendam, aliqui valdè laborant, prolixéque disputat hanc quæstionem Suarez *disp. 28. sect. 2.*

55. *Divisiones Transcendentales quæ sint.*

Nobis ad hoc ipsum, ut & ad alias rectè intelligendam adæquationem hujus divisionis, prænotandum est, istam divisionem, ut & alias transcendentales divisiones, non intelligi de Ente, ad quosvis status præcisionis, sumptos: Sed solùm intelliguntur istæ divisiones adæquatæ esse Entis, prout est à parte rei, & de facto in mundo. Atque inde sufficit, si nullum Ens de facto detur in mundo, quod nec sit finitum, nec infinitum; sed alterutrum horum.

Antè-

Antecedens quod dixi, patet. Nam ens completum, ut sic, & abstractè sumptum, etiam non est ens finitum nec infinitum. Si enim ens completum, ut sic esset infinitum, non posset ens completum prædicari de ente creato, velut homine, Socrate, &c. Iterum, si ens completum, ut sic, esset finitum, tum Deus non posset dici ens completum. Atque ita, quia & Deo & creaturis potest applicari ratio entis completi, apparet, completum, ut sic sumptum, nec esse finitum, nec infinitum, sed præscindere ab utroque. 56

Ad eundem modum, substantia, ut sic sumpta, in præcisione scilicet à particularibus substantiis, nec est finita nec infinita, sed præscindit a finito & infinito cum indifferentia ad essendum sub utroque modo essendi, juxta quod & Deus (ens infinitum) potest dici substantia, & homo (ens finitum) potest dici substantia. Sufficitque adeò hîc, ad adæquationem hujus divisionis, si in particulari, vel de facto, in mundo, non detur ens aliquod, quod sit vel ens completum, vel substantia, & tamen nec sit finitum nec infinitum. 57

Hoc præsuppositio, etiam non debet quæri applicatio hujus divisionis ad relationes divinas, ut intelligantur præcisè ab essentia, sed prout extra omnem præcisionem sunt de facto, in mundo. Unde porro dicitur: eas simpliciter esse ens infinitum. Habent enim realem æquipollentiam ad essentiam divinam, prout à parte rei sunt. At ista essentia divina est infinita. 58

TITULUS VI.

AN ILLA DIVISIO SIT ANALOGA?

HÆc quæstio expeditur ex iis, quæ *cap.* 2. dicta sunt de analogia entis. Ens enim statuitur esse quid analogum, inprimis intuendo hos modos essendi, finitum scilicet & infinitum. Atque ita hîc nunc nihil addi necesse est. Specialiter tamen aliqua attingam, considerando attributionem entis ad Deum, in *lib.* 2. *cap.* 3. ubi vide. 59

CAPUT XIV.

DE ACTU ET POTESTATE.

1. SEcundùm perfectionem III. Ens dividitur per actum & potestatem.

2. Fit id bifariam. 1. ut Ens aliud dicatur *potentia*, aliud *actus*. 2. ut Ens aliud dicatur *actu*, aliud *potestate*, quæ posterior divisio potissimum intenditur.

3. Actus est, Ens actuans aliquam potentiam.

4. Potentia est Ens, quod per actum aliquem actuatur.

5. Ens actu est, quod emersit è causis suis (vel rectiùs: quod est extra causas) adeóque existit, ut rosa nata in vere.

6. Ens potestate est, quod potest esse deinceps, ut rosa in hyeme.

7. Ad ens actu pertinet existentia, & duratio, & præsentia. De quibus est seqq. capp.

Hujus

COMMENTARIUS.

1. Hujus capitis declaratio consistit in duabus partibus principaliter. *Primò*, ut seorsim declarentur termini actus & potestatis. *Secundò*, ut conjunctim declarentur hæc conjuncta: Ens actu & Ens potestate.

Summatim autem tractandum est. *Primo*, de voce potentiæ sive potestatis ejusque definitione. *Secundo*, de variis ejus divisionibus. *Tertio*, de actu. *Quarto*, de ejus divisionibus. *Quinto*, de divisione Entis in ens actu & ens potestate. *Sexto*, de ente in potentia. Et *septimo*, de ente in actu.

TITULUS I.
DE POTESTATE SIVE POTENTIA ejusque definitione.

2. Hi tria sunt declaranda. *Primo*, origo vocis potentiæ. *Deinde* variæ significationes ejus percensendæ sunt. Et *denique* ejus definitio proponenda est.

ARTICULUS I.
De origine vocis potentiæ.

3. Vox potentiæ sumta & imposita est primùm à potentia hominum, ut ex Avicenna deducit Bellovisius, *in Lex. trali. 2 cap. 8.* Inter homines igitur potens vocatur qui facit quod vult, vel potest facere quod vult, sine alius & sine impedimento.

Et pertinet huc, quod Aristotel. 9. *Metaph. c.* 12. ait, potentiam activam dici aliquo modo loquendi non eam simpliciter, quâ agimus, sed qua bene agimus. Qui solùm, inquit, ambulant aut dicunt, non autem bene, eos non dicimus posse ambulare aut dicere.

4. Hinc porro translatum est nomen potentiæ, ad significandum omne principium actionis. Atque ita potentia tribuitur quibusvis formis & agentibus naturalibus.

Rursus cùm potentem hominem vocamus, qui quidem possit agere in alium, non tamen ab eodem pati: Inde porro apparet, vocem potentiæ non implicare repugnantiam, ut complicetur ejus significatio cum passione. Et sic porro ampliata est vox potentiæ ad significandam potentiam passivam. Atque hoc de origine vocis.

ARTICULUS II.
Variæ ambiguitates in voce potentiæ percensentur.

Nunc præterea vox potentiæ ambiguè sumitur, sæpe potentia & potestas distinctè sumuntur, sæpe æquipollenter.

5. *Potentia & potestas quomodo differant?*

Cùm differenter sumuntur: *Potentia* significat præcisè ipsam virtutem vel vim agendi. *Potestas* autem significat jus vel jurisdictionem & autoritatem in agendo. Atque hæc non semper coincidunt. Veluti quilibet homo, cùm ab alio hostiliter invaditur, habet potestatem se defendendi, sed tamen sæpe non habet potentiam se defendendi, propter imbecillitatem suam, aut hostium multitudinem, &c.

6. *Δύναμις & ἐξουσία.*

His significationibus in Græca lingua correspondent *Δύναμις & ἐξουσία* quorum illud est ἀπὸ τοῦ *δύνασθαι* à posse, hoc verò est à verbo ἔξεστι, licet. Atque hanc ἐξουσία commodè dicitur potestas vel licentia. *Δύναμις* autem significat potentiam.

8. Calviniani solent hæc applicare ad expositionem dicti, *Matth. 28. v. ult.* Sed malam esse applicationem, abundè docent Theologi, quos relinquo.

Ex

Ex vocis, potentia & potestas, æquipollentiâ, sunt hæ locutiones: *ens potestate* & *ens potentiâ*, quæ Metaphysicis idem significant. 9.

II. Aliter ambiguè sumitur vox potentiæ. Et *Primò* indifferenter potentia dicitur ad agendum & patiendum. Unde & potentia distinguitur in activam & passivam. *Secundò* autem sumitur vox potentiæ strictè, intelligiturque solùm de potentia passiva. Ita *actus purus* dicitur, qui nihil habet potentiæ. Potentiæ inquam passivæ. Nam sine dubio, quod est actus purus habet potentiam activam. Atque ita necessariò puritas actus, quæ non potest exponi, nisi per remotionem potentiæ, infert vocem potentiæ aliquando strictiùs accipi, pro sola potentia passiva. 10. *Alia ambiguitas in voce potentiæ.*

III. Potentia ambiguè sumitur: Et modò intelligitur prædicamentaliter, modò transcendenter, ut Thomas distinxit *opusc. 48. c. 3. de qual.* 11. *Potentia prædicamentalis & transcendentalis.*

Estque istius distinctionis sensus, quòd aliter sumatur potentia inter species qualitatis, quas enumerans Arist. *l. Categ. c. 8.* facit mentionem potentiæ: Et rursus, quòd aliter sumatur vox potentiæ, in communissima hac divisione Entis, quâ Ens aliud dicitur actus, aliud potentia: vel Ens aliud dicitur actu, aliud potentiâ.

Ex quibus statim apparet discrimen potentiæ transcendentis & prædicamentalis. Nam omnis potentia prædicamentalis est qualitas. At potentia transcendens vagatur per omnia Entium genera. 12. *Discrimen Potentiæ transcendentalis & Prædicamentalis.*

Rursus potentia prædicamentalis potest conjungi cum suo actu. Neque enim v. g. de igne tollitur calor & potentia calefactiva, cùm actu calefacit. At id secus est de potentia transcendente. Quando enim homo est Ens actu, non est amplius Ens potestate: Et sic in aliis. Atque sicuti priori modo loquendi, hominem aliquem dicimus *posse* disputare, etiam cum de facto disputat: item cœlum *posse* moveri, etiam cum de facto movetur. Confer Zabarellam *lib. 1. de Nat. Log. cap. 9. & lib. 1. de prima materia c. 9. & lib. 1. de mot. grav. & Lev. c. 11.*

Et ex his intelligi potest quomodo anima definiatur actus corporis, vitam habentis *potestate*, apud *Aristotelem lib. 2. de anima t. 6.* Non enim anima est in corpore, quod vitam nondum habet sed habere potest: verum dicitur esse in potestate anima, quia sufficiens & potens satis est ad operationes vitales exercendas. Vide interpr. *l. c.* & ad adde Arist. *ibid. 10.* 13. *Explicatur vox potentiæ in definitione animæ.*

ARTICULUS. III.

De definitione potentiæ.

ATque hæ sunt principales distinctiones vocis potentiæ. Nunc ad definitionem ejus veniendum. 14.

Vulgò igitur Metaphysici potentiam vocant id Ens, quod ab alio, id est actu, potest perfici & compleri. Sed quia potentia etiam est ad non esse, ut in omni Ente creato, ideò non nisi cum maxima ἀκυρολογίᾳ non esse dicitur perficere ipsum esse. 15. *Aliorum definitio.*

Malo igitur usurpare generaliorem terminum. Potentiam igitur voco id ens, quod potest *actuari*. Unde porrò loquendum est de potentia & actu proportionaliter. Nempe potentia ad non esse, actuatur, cum de facto est. Materia est potentia, intelligendo illam potentiam ad esse formæ. Actuatur igitur materia, cum de facto accipit formam. 16. *Definitio propria.*

TITULUS. II.

De divisionibus potentiæ.

DIstinctiones nominales potentiæ antea tractatæ sunt, nunc magis reales persequor. Sunt autem variæ. *Primò* potentia est naturalis vel obedientialis. *Deinde* potentia est activa vel passiva. *Tertiò* potentia est remota vel propinqua. *Quartò* est rationalis vel irrationalis. Videndum est de singulis. 17.

ARTICULUS I.

In quo declaratur divisio potentiæ in potentiam naturalem & obedientialem.

17. ARmandus de Bello visu *tract.* 2 c. 12. aliique, hanc divisionem applicant solum potentiæ passivæ, sed sine ullo incommodo intelligitur de potentia simpliciter: Cum etiam detur activa potentia naturalis & obedientialis, ut apparebit.

PUNCTUM I.

De potentia naturali.

18. POtentia naturalis consistit in positiva aliqua proprietate, quam quid habet ad aliquem actum. Ita naturalis est potentia, potentia visiva aut progressiva in animali, potentia natandi in piscibus.

Dicitúrque inprimis naturalis, per respectum ad actum, quòd eum sit apta naturaliter habere.

Unde denominetur naturalis. Dixi *per respectum ad actum.* Nam respiciendo subjectum, potest esse aliqua qualitas in subjecto innaturali, quæ tamen est naturalis, ut nunc de ea loquimur: qualis scilicet est virtus impressa in lapidem, secundùm quam sursum movetur.

PUNCTUM II.

De potentia obedientiali.

20. POtentia obedientialis est, secundùm quam quid potest admittere actum, non per naturalem inclinationem sive propensionem, sed per non repugnantiam. Unde hæc potentia etiam solet vocari potentia negativa, & in specie, potentia per non repugnantiam.

Cur dicatur potentia Logica? Alii vocant eam potentiam Logicam, quia non in rebus ipsis ea attenditur, sed in connexione terminorum. Veluti quia inter terminos hujus propositionis (Asina loquitur) non est absoluta repugnantia, idcò possibile est, asinam loqui. Et inde hæc potentia, quæ est in asina, dicitur obedientialis & Logica potentia ad loquendum.

21. *Cur dicatur obedientialis?* Dicitur autem illa potentia, *obedientialis*, quia Ens, habens talem potentiam, est secundùm eam aptum, ut obediat agenti superiori, ad admittendum actum, ipsi potentiæ congruum actum inquam passivum, vel effectivum.

22. *Quatenus aliqua potentia obedientialis sit activa?* Ex quibus apparet: potentiam obedientialem posse ad duo comparari. 1. ad agens superius, cui obeditur. Et hoc sensu potentia obedientialis est passiva. 2. ad actum, ad quem habet potentiam: Et sic alia potentia obedientialis est activa, veluti quam habet asinus ad loquendum, Propheta ad prædicendum futurum: Alia autem est passiva, veluti quam habet aqua, ut ex ea possit fieri vinum, vel sol ut à motu quiescat, vel lapis, ut ex eo possit fieri panis aut filius Abrahæ.

Cúmque potissimùm potentiæ dicantur activæ aut passivæ per comparationem ad actus, ideò apparet, absolutè melius esse. ut potentia obedientialis, ut sic sumpta, præscindat ab activo & passivo, quàm ut determinatè dicatur passiva.

23. Porrò, potentia obedientialis dicitur respectu agentis *superioris*, hoc est, illius quod dominium habet, unde res alias possit ad actus prædefinitos disponere & actuare.

Potentia obedientialis respectu Dei. Respectu artificum, Atque ita *Primò* omnes res creatæ habent potentiam obedientialem in ordine ad Deum. Ut scilicet de iis & in iis fiat omne illud, quod non implicat contradictionem.

Secundò: Res Naturales habent potentiam obedientialem in ordine ad artificem, quâ scil. cet possunt admittere formas artificiosas: veluti, ut ferrum susci-

piat

piæ formam gladii; argilla, formam ollæ; lignum, formam mensæ; aurum, formam annuli; stannum, formam Canthari, &c.

Respectus ejusdem.

Tertiò: Rursus talis potentia obedientialis, est in generabili, quod actuari potest à gignente, vel generaliter in factibili, quod actuari potest ab efficiente: indéque sub obedientiali potentia continetur *potentia objectiva*, de qua seorsim dicendum est.

PUNCTUM III.

De potentia objectiva.

24. *Quid sit potentia objectiva?*

HAnc potentiæ appellationem primùm introduxisse Scotum memorant Metaphysici. Videatur Scotus 2. *d.* 12. *q.* 2.

Est igitur potentia objectiva illa, secundùm quam potest aliquid produci.

Unde dicatur?

Estque ratio appellationis inde, quòd quæ sic dicuntur esse in potentia, sunt objectum alicujus potentiæ activæ, quæ istud Ens producere possit. Veluti rosa dicitur Ens in potentia, quatenus datur aliqua causa, cujus objectum possit esse rosa, sol scilicet, qui efficacia sua potest actuare semen, vel radicem rosæ, & sic producere rosam.

25. *Esse in potentia objectiva duo implicat.*

Summatim autem in potentia objectiva, secundùm quam res aliqua possibilis & producibilis dicitur duo implicantur. *Primo*, id quod talem potentiam habet, non involvere repugnantiam. Et propter hanc negationem etiam vocatur illa potentia, potentia Logica, & non naturalis. *Secundo* (quod tamen remotius est:) dari aliquod agens, quod sufficiens sit, ad actuandum id, quod hoc modo possibile dicitur. Et hoc modo potentia illa objectiva realis est, non quidem ex parte ejus, quod est possibile, sed ex parte agentis. Estque in hoc, adeóque in omni sua realitate, nihil aliud quàm potentia activa, ut plenius declarabitur *sequenti.* 2. *num.* 40.

ARTICULUS II.

De divisione potentiæ in potentiam activam & passivam.

26.

HAnc divisionem tradit Arist. 5. *Metaph. cap.* 12. Suarez *in Metaph. disp.* 43. *s.* 1. *num.* 1. exponit eam divisionem de potentia prædicamentali. Sed malè. Nam Arist. *d. l.* ut & *lib* 9. *Metaph. cap.* 2 & 5. etiam artem medendi, vocat potentiam. At ars medendi non est potentia prædicamentalis, quia est habitus. Habitus autem & potentia in prædicamentis sunt species distinctæ. Atque ita juxta hanc divisionem potentiam sumimus transcendenter & generalissimè.

Duo autem sunt hic tractanda. *Primo* potentiarum istarum definitiones. *Secundo* adæquatio istius divisionis.

PUNCTUM I,

De definitione istarum potentiarum.

27. *Definitiones Aristotelicæ.*

QVod igitur definitionem potentiarum attinet, traduntur illæ ab Arist. *cit. loc.* tales: *Potentia activa est principium motus aut transmutationis in altero aut prout alterum est; Potentia passiva autem est principium transmutationis ab altero, aut quatenus alterum est.*

Vt hæ definitiones rectè intelligantur, notanda sunt, quæ ei incommodare videri possunt.

Prima objectio proponitur & solvitur.

28. *An definitiones illæ*

IGitur I. videntur illæ definitiones esse incommodæ, eò quòd conveniunt non solum potentiæ, sed habenti etiam potentiam. Sicut & Zabarella *de facultatibus animæ c.* 5. existimat, Aristotelem non tam definisse potentiam, quàm

Intelligi debeat de Potente et non de potentia?

potens, hoc est, habens potentiam. Et probat, quia formæ sunt principia transmutandi, quæ tamen non sunt potentiæ, quia non sunt qualitates.

29. Hic *Respondeo* 1. Esse contra mentem Aristotelis, definire potens. Sed voluit ille præcisè definire potentiam. Nam ex priùs tradita ista definitione potentiæ, colligit, definitionem τῦ δυνατῦ. Et ait *d.c.* 12. τὸ δυνατὸν (potens) esse quod potentiam habet.

2. Non absurdum est formas, dicere potentias, in quantum scilicet illæ perficiuntur per actus, quod fit, dum formæ constituuntur operantes. 3. Illa autem imaginatio, quòd omnis potentia sit qualitas, (quam etiam Zabarell. propugnare conatur *lib.* 1. *de materia. cap.* 9.) vana est. Nam etiam materia est potentia, in quantum est actuabilis per supervenientem formam. Et tamen ista non est qualitas sed substantia, ut docet ipse Zabarell. *Ibid, c.* 11. Sic etiam animam vocat aliquando Aristoteles potentiam, ut ibidem Zabarella tradit *de facult. animæ. c.* 5. *ad nonum.*

30. Ne tamen definitiones illæ applicari possint habenti potentiam, duobus modis responderi potest. *Alter* est, Quòd esse principium transmutationis, non significet causalem influxum, sed quod sit ratio, secundùm quam aliud transmutet, aut transmutetur, quo modo loquendi aliqui dicunt, potentias qualitativas non esse causas actionis, sed solùm conditiones ad agendum prærequisitas in agente:

31. *Propria responsio.* Hæc tamen evasio non est admodum proba. Nam ut maximè dari possit, posse esse aliquid potentiam, quod non causet actionem: tamen sine dubio etiam inter potentias sunt aliqua Entia, quæ causant, ut de formis dictum est. Atque ita, vox *principii* in definitione potentiæ sumenda est cum indifferentia, talis, ut perinde sit, an sit principium causale, vel non.

32. Alius igitur modus respondendi melior est, quòd scilicet definitio sit intelligenda de eo, quod est primò & formaliter. Atque ita quod primò sive immediatè & formaliter est principium, &c. id est potentia. Habens autem potentiam, non est principium nisi mediate, ideo scilicet, quia potentiam includit.

Secunda objectio proponitur & solvitur: De actionibus immanentibus.

33. *Aliæ definitiones potentiæ activæ & passivæ præsumuntur.* II. Videntur illæ definitiones non convenire potentiis, in ordine ad actus immanentes, & eos qui sunt per emanationem. Nam potentia, quarum actus sunt per emanationem, non convenit *transmutatio*. Distinguitur enim agens per transmutationem, contra agens per emanationem. Rursus, potentiis, quarum actus sunt immanentes, non convenit agere *in aliud*, quod istæ definitiones requirunt, ut ipsum nomen indicat. Unde illæ solum conveniunt agenti illi, quod agit actione transeunte, & transmutativa.

34. *Explicatur in definitione Aristotelica vox transmutationis.* Hæc objectio non adeò facilis est, unde absolutè existimo, alias definitiones meliores esse, quibus scilicet tales actus talibus potentiis vendicantur. Atque ita, sicut potentia est quod actuatur: ita potentia activa est, quæ actuatur agendo, & potentia passiva est, quæ actuatur patiendo. Atque ita sub istis generalibus vocibus satis commodè continentur speciales modi agendi, veluti per transmutationem & per emanationem, transeundo & immanendo. Atque hoc etiam adeò melius est, quia non nisi cum κατάχρησι agenti per Emanationem tribuitur transmutatio, & immanenter agenti, quod agat in aliud.

35. Nihilominus ad vulgatas superiores definitiones retinendas, respondetur superiori objectioni, quòd cùm potentiæ activæ v. g. tribuitur transmutatio ad aliud, *transmutatio*, illa non sit intelligenda rigorosè, pro transmutatione essentiali, sed pro qualicunque mutatione, ad quam satis sit acquisitio actus alicujus, ut sic dicatur transmutari quicquid novum actum acquirit. Unde hoc modo loquendi et am agens per emanationem, veluti ignis, producens sibi ipsi calorem, emanantem à sua essentia, dicitur se transmutare, quia potentia passiva, quæ est in

igne

ignę, ad recipiendum & sustentandum à se productum calorem, completur, & proinde sic in igne est novus actus. Et hæc est, ut dixi, qualiscunq; transmutatio ignis. Ex quo apparet etiam agens per emanationem, transmutare (generaliter sumendo vocem) id, in quo recipitur actus emanans.

35. *Explicatur vox aliud.*

Rursus illud *aliud*, non sumendum est specialiter, quasi potentia activa semper terminetur ad extraneum suppositum, aut aliam partem suppositi. Neque enim Aristoteles ait simpliciter, potentiam activam esse potentiam transmutandi aliud, sed conjunctim loquitur, *aliud, aut quatenus aliud est*. Et hinc subjicit: Artem medendi esse potentiam activam, etiam cum Medicus seipsum sanat. *In est*, inquit, *ea in illo, qua sanatur, non autem prout sanatur:* Atque ita in termino potentiæ activæ satis est, si is careat actu aliquo qui acquirendus est. Ad quod sufficit alietas accidentalis. Veluti: in igne est potentia activa, qua movet seipsum: seipsum scilicet, quatenus caret illo motu, hoc est, potentia motiva in igne movet ignem, non quatenus ipse ignis movens est, sed quatenus aliud est à se movente, hoc est quatenus mobilis est.

Tertia objectio proponitur & solvitur de potentia creativa.

36. DEnique III. Videtur illa definitio non convenire potentiæ creativæ. Hæc enim sine dubio est potentia activa, & tamen non est in aliud, quod solùm convenit motibus Physicis, sed est in non Ens.

Ad satisfaciendum huic objectioni, dicendum est: vocem *aliud* latissimè sumendam esse, ut scilicet aliud dicatur, sive sit non ens, sive ens, seu quod qualiscunq; ratione objectum, Logicè loquendo, dici possit. Ex quo etiam dicitur virtus creativa esse *in* non Ens. Ergo sic transmutatur aliud bifariam, vel cùm ex non ente fit ens, vel cùm ex hoc ente fit istud ens.

Atque ita ex his apparet, quomodo definitio potentiæ activæ intimisit intelligenda, unde judicium fieri potest de potentiæ passivæ definitione.

PUNCTUM II.
De adæquatione illius divisionis.

37. *Dubia contra adæquationem illius divisionis.*

EX tribus videri potest, illam divisionem non esse adæquatam. *Primùm* quod impotentia quædam possit esse activa, quædam passiva, ut ex Aristotele patet: qui eam qualitatem facit, & actionem ei attribuit *lib. Categ. c. 8. §. 7.* Et tamen ista non est potentia. Potentia enim & impotentia opponuntur. Unde sequitur istam divisionem latiorem esse diviso.

38. *Secundò*. Potentiam objectivam addunt aliqui, ad potentiam activam & passivam, ut & Armand. fecit *lib 2. Lexic. c. 8* Et patet ejus necessitas, & distinctio ab istis generibus potentiarum. Nam actio & passio non conveniunt nisi rebus productis & habentibus esse, unde idem etiam erit de potentia activa & passiva. At potentia objectiva non convenit rebus habentibus esse, sed possibilibus demum.

Tertio. Dubitari potest de potentia resistendi, quæ nec est activa, cùm duricies v.g. resistat sectioni sine activitate ulla: nec est passiva, cùm resistens impediat, ne quod resistit, patiatur. Et tamen illa vis resistendi est verè potentia per Aristot. *lib. Categor. c. 8. §. 7.* Durum, inquit, naturalem *potentiam* habet, ne facilè secetur:

De impotentia.

39. *Impotentia bifariam accipitur.*

DE impotentia res facilis est. Tenendum igitur: eam vocem bifariam accipi. 1. impotentia potest sumi *negativè* sic, ut impotens dicatur, qui nihil potest. Et hoc modo impotentia nec est activa nec passiva. Unde nec virtus in priorem considerationem. 2. impotentia sumitur quasi *privativè*, ut impotens dicatur,

dicatur, non quod nihil potest, sed quod imbecilliter & debiliter potest aliquid. Et sic sumit Arist. vocem impotentiæ *lib. Categor. cap. 8.* cùm impotentiam distinguit contra potentiam. Potentiam enim ibi Aristoteles vocat eam, non secundùm quam simpliciter aliquid possumus, sed secundùm quam aliquid benè vel facilè possumus. Atque ita relinquitur impotentiam sic sumptam, verè esse potentiam ut nunc de ea loquimur. Nunc enim sumitur potentia ut sit principium actus, cum indifferentia, an ille actus per eam facilè fiat, an non.

Dubium secundum erat de potentia objectiva, nempe
An sit addenda activa & passivæ potentiæ?

40. ALtera igitur objectio, priùs posita, putabat objectivam potentiam addendam esse ad superiorem divisionem. Nihilominus eam non esse distinctam, distincti generis potentiam apparet ex eis quæ priùs de potentia objectiva dicta sunt *n. 25 hujus capitis*. Nempè non est illa potentia, secundùm quam intelligitur res esse Ens potestate (objectivâ potentiâ,) potentia realis, nisi ex parte causarum, unde pendet res producibilis.

Potentia objectiva quomodo sit realis?

Atque ita, potentia objectiva, sumpta cum respectu ad agens, cujus objectum est res producibilis, *est potentia activa*, activa inquam potentia, agentis, quod sufficiens sic apprehenditur, quòd aliud; quod possibile dicitur, actuare possit.

Rursus potentia objectiva realis est, sumpta in materia, in qua supponitur realis capacitas sive potentia ad recipiendam novam formam. Hæc ipsa autem *potentia* est *passiva*.

Quomodo aliquid dicatur possibile?

Ergo sic summatim, quod dicitur potentiale vel possibile, id non est possibile, per suam peculiarem potentiam, quam realiter habeat, sed dicitur possibile, 1. quia datur aliquod agens, quod sufficientem potentiam habet ad illud producendum, quomodo objectiva potentia est potentia activa. 2. quia datur materia, (loquendo de possibilitate rerum materialium & generabilium) quæ sit idonea ad recipiendam novam formam, quomodo potentia illa est passiva.

41. *Non est diversa à potentia activa & passiva.*

Unde hactenus potentia objectiva non est nisi activa vel passiva potentia, ut visum. Extra hanc autem considerationem, potentia activa nihil reâle habet, sed consistit in sola negatione, nempe in non repugnantia. Unde sic non debet novum potentiæ genus constituere; Confer Zabarellam *lib. 2. de prima mat. c. 2. p. 179.* & Clariss. Jacob Martin. *lib. 1. Exercit. Metaph. 3. theor. 7.*

42. Si quis tamen melioris claritatis causâ velit triplicem potentiam facere, non adeò repugno. Si primùm ponatur potentia, secundùm quam res concipiatur producibilis antequam fiat. Et postea rei productæ assignetur potentia activa & passiva.

De potentia resistendi.

TErtia difficultas contra adæquationem divisionis superioris fiebat ex consideratione potentiæ resistendi. Poterit autem hæc res expediri, si rectè teneatur quid sit resistentia.

43. *Resistentia an sit actio?*

1. Igitur aliqui resistentiam aiunt esse de Categoria actionis, ut Zabarella refert *de resist. cap. 5.* Et ex hac sententia sequitur neque resistentiam esse potentiam, neque etiam specialiter, eam esse activam vel passivam. Actioni enim non convenit actio. At potentiæ (activæ) debet convenire actio. Hæc tamen sententia non est admittenda. Quia aliud est resistere, aliud posse resistere de quo loquimur.

44. *Resistentia an sit, privatio?*

Aliter è numero potentiarum & per consequens è genere potentiæ activæ & passivæ excluditur à Pomponatio *in lib. de reali.* & à Zabarella *d. loco.* qui docent resistentiam esse nihil aliud quàm impedimentum, quod exponunt postea solum privativè. *Credo*, inquit Zabarella, *resistentiam in nulla Categoria esse directè, neque*

Neque esse aliquid positivum sed privativum, quia nihil aliud est agenti resistere, quam non pati ab illo. Declarátque similem impedimentorum naturam in aliis. Sic paries impedit, ne sol me calefaciat, hoc non est dicere aliquid positivum quod insit pariet, sed solùm est dicere, me non pati à sole, & solem non agere in me. Sic distantia loci impedit ne ignis calefaciat aliquod corpus, non quasi distantia illa habeat efficientiam vel influxum aliquem, sed solùm distantia illa dicit privationem actionis in igne, & passionis in calefactibili. *Impedimenta esse privationes.*

Hæc sententia vera est de resistentia, si illa contradistinguatur contra reactionem, prout de ea Zabarella loquitur. Unde sic in istis, quæ resistunt efficaciter, debilitando alterius, contrarii scilicet, qualitates, aliud est ipsum resistere, & aliud est ipsum reagere. Reagit hactenus ad frigus v. g. calor, quatenus debilitat vim frigoris, at resistit frigori solùm non admittendo, actionem frigoris. Quomodo resistentia, quæ vel maximè activa videtur esse, si purè loquamur de ea, nihil habet positivi, sed solùm absoluitur in privatione, & quicquid hic actionis est, non convenit calori ut resistens dicitur, sed ut dicitur reagens. Et secundùm hunc modum loquendi potentia resistendi non est realis & positiva potentia, quia non habet actum positivum, & proinde non connumerari debet potentiis realibus, quæ comprehenduntur in divisione potentiæ activæ & passivæ. Unde porrò sequitur: vocem potentiæ tribui facultati resistendi solùm latè loquendo. 45. *Quatenus resistentia sit privatio?*

Quod si quis opinetur etiam resistentiam formaliter esse, cùm agendo debilitatur virtus contrarii agentis, relinquitur solùm contentio in voce resistentiæ. Unde sub hac ampliatione vocis resistentiæ, relinquitur duas quasi species illius esse, quomodo de resistentia etiam Suarez. loquitur *disp. 43. s. 1. n. 8.* 46. *Quatenus aliqua resistentia sit positiva? Duæ species resistentiæ.*

Estque sic *prima species* resistentiæ, quâ solùm ponitur privatio actionis inferendæ. Ita durum resistit sectioni. Estque illa resistentia inde: quod subjectum ita dispositum est, ut forma imprimenda vel prorsus non sit cum tali constitutione compossibilis vel non nisi difficulter tali subjecto imprimatur. *Alia* autem *species* resistentiæ est conjuncta cum actione, quâ quid, quod resistit, efficaci influxu debilitat vim agentis, & sic resistit frigus calori & calor frigori. Ex quibus sequitur, potentiam resistendi quæ est prioris generis, non esse realem potentiam, nec activam nec passivam, quia absoluitur in privatione & carentia actus. Posterior autem potentia resistiva (quia præter actionem quasi secundariò convenit Enti sic resistenti, carentia actus adventitii) activa est, ut declaratum est.

3. Sanctius 9. *Metaph. q. 9.* potentiam resistendi docet revera eandem esse cum potentia activa. 47. *Sententia Sanctii.*

Sed hæc sententia ex prioribus refutata relinquitur, in quibus patuit, dari aliquam resistentiam, quæ terminatur sine activitate ulla in nuda privatione sive carentia actus.

ARTICULUS III.

De divisione potentiæ in remotam & propinquam.

POtentia proxima vocatur, cui proximè correspondet actus. Potentia autem remota vocatus, inter quam & actum mediant actus alii. Veluti in semine est potentia proxima, ut ex eo fiat homo: At in terra est potentia remota ad actum illum. 48.

Hic solùm illud est observandum, quod potentia remota juxta vulgarem loquendi modum ferè solcat amittere nomen potentiæ, si nimis remota sit. Veluti, non solemus dicere: naturaliter posse ex ligno fieri hominem, & tamen id procul dubio verum est, si loquamur de remota potentia, quæ sit in ligno, quæque prius per varios actus sit complenda, antequam deveniatur ad esse humanum. Nempe in ligno supponitur materia, hæc de se non est adstricta ad esse ligni. Manet 49. *Potentia remota amittit nomen potentiæ.*

nec enim materia semper eadem in genito & corrupto, unde hæc materia amittere potest formam ligni, & acquirere formam terræ, sine ulla essentiæ suæ mutatione, unde potrò illa materia potest accipere formam herbæ, & rursum post formam herbæ manducatæ, accipere formam sanguinis, & de hinc seminis, & tandem hominis. Et ita adparet absolutè ex ligno posse fieri hominem, loquendo de potentia remota, quæ sit in eo, quod post multos actus intervenientes tandem compleatur per esse humanum.

ARTICULUS. IV.

De divisione potentiæ in Rationalem vel irrationalem.

50. Δύναμιν αἰρεῖσθαι ἄλογον, αἱ δὲ μετὰ λόγου, ait Arist. *l. 9. Metaph. c. 2.* Atque hinc quia in Metaphysicis Aristoteles istam divisionem proposuit, vulgò etiam Metaphysici eam explicare solent.

51. *Potentia hominis quomodo sint rationales vel irrationales.*

Inprimis autem intelligitur divisio illa in potentia activa. Et potest ea divisio intelligi tripliciter. 1. De potentiis hominis. 2. De potentiis animæ communius, & 3. De potentia communissimè loquendo.

Quantum ad primum potentiæ hominis aliæ dicuntur rationales, aliæ ἄλογοι sive irrationales. Dicuntúrque *rationales*, in quibus vel formaliter est ratio, vel ad quos pertingit imperium rationis. Tales sunt in eo intellectus & voluntas, quæ dicuntur *rationales per essentiam*, item potentia motiva, sensitiva & appetitiva, quæ patiuntur se regulari ad imperium voluntatis, unde fiunt & dicuntur *rationales per participationem*, quod quomodo in singulis fiat, plenius tractavi *part. 3. de anim. disp. 6. n. 16. seq.* cum quibus confer Magir. *lib. 6 Phys. cap. 10.* Armand. de Bello Visu *lib. 2. Lexicis c. 11.* & Colleg. Conimb. *disp. 4. Ethic. quæst. 2. & interpp. ad 9. Metaph. c. 2. & lib. 3. de anima.*

Ex quibus relinquitur eas esse potentias ἀλόγους, quæ non patiuntur se coerceri sub dictamen vel imperium rationis, vel voluntatis. Ita ἄλογοι δυνάμεις sunt, potentiæ vegetativæ & inferiores in homine. Neque enim aut nutrimur, aut crescimus, aut generamus, aut ponderamus, quantum volumus, sed simpliciter, quantum natura permittit præscribit vè.

52. *Potentia in communi, quomodo sint rationales vel irrationales?*

Atque ita etiam patet secundum *quomodo animæ potentiæ aliæ dicantur rationales, aliæ irrationales.*

Tertio autem potentia communissimè dividitur, in rationalem & irrationalem, quomodo eam divisionem intelligit Arist. 2. *Metaph. c. 2.* indicans id ipsum, dum calorem vocat ibi potentiam irrationalem.

53. Atque ita vox potentiæ irrationalis sumenda est cum negatione infinita, hoc sensu, ut irrationalis dicatur, tanquam non rationalis. Unde sic irrationales illæ potentiæ omnes dicuntur, in quibuscunque Entibus sunt sine ratione. Rationales contra.

54. *Potentia activa Dei an sit rationalis dicenda?*

Dices: juxta dicta, potentiam activam, quæ Deo convenit, non esse rationalem. Nam non est ea conjuncta cum ratione. Ratio enim implicat discursum, & est motio ab uno cognito ad aliud, veluti ab effectu ad causam aut à causa ad effectum, ut Scalig. dixit. *Exer. 307. l. 2.* Hoc ipsum autem est imperfectionis, unde discursus non solet Deo tribui. Et tamen similiter non facilè videtur, dici posse, quod sit potentia irrationalis. Nam hæc est ad unum, & non ad contraria, ut Arist. *9. Metaph. c. 2.* subjungit. Deus autem, quia libere agit, utique non agit unum.

55. *Vox potentiæ rationalis declaratur.*

Hac in re omninò existimo, potentiam activam quæ in Deo est, non esse irrationalem, ut satis probatum est. Est ergo rationalis.

Unde potrò nunc tenendum est rationem, secundùm quam dicitur potentia rationalis, non intelligi specialiter pro discursu, sed simpliciter pro omni intellectione, cujuscunque gradus sit, b. c. sive sit cum discursu, sive cum simplici apprehen-

apprehensione, unde eliciatur imperetúrve aliquis actus. Et proinde sic Dei potentia est rationalis, quia ea actuatur vel exeritur intelligenter.

Cæterum potentias rationales et irrationales sic distinguit Arist. *sæpe citat. lib. 9. Met. c. 2. Rationales*, inquit, *omnes eadem, contrariorum sunt; irrationales vero unius unius.* Veluti calor (potentia irrationalis) est solum causa calefaciendi. Medicandi verò potentia (quæ est rationalis) est causa infirmitatis, et sanitatis. Quæ quomodo intelligenda sint satis dixi *in Log. c. 3. n. 15. et 161. in comment.* quibus addi potest Suarez *disp. 26. Metaph. s. 6. n. 14.* et Armand. de bello Vis. *l. 2. c. 12. et interpo. Arist. ad d. l.* Ac Hactenus quidem sunt de Potentia, sequitur de Actu. 56. *Distinctio potentiæ rationalis & irrationalis.*

TITULUS III.

DE ACTU EJUSQUE DEFINITIONE.

57. DVo hic declaranda proponimus: *Primo* vocem Actus: *Deinde* ejus definitionem.

ARTICULUS I.

De voce Actus.

58. QVoad impositionem vocis hujus, tradit Zabarell. *lib. 2. de mat. prima. c. 2. p. 179.* primum vocem illam impositam esse ad significandam operationem, et postea eandem traductam ad significandam formam. Rursus sicut in præcedentibus dictum, potentiam primùm positam ad significandam potentiam activam, ita etiam primò impositum est vocabulum actus, ad significandum id, quo completur potentia activa, cujus vestigium est in ipso sono vocis hujus, ex conjugatis vocabulis, *agere*, & *actionis* & *activi*. *Unde vox actus imposita?*

59. Nihilominus tamen porro traductum est vocabulum, ad significandum id etiam quo completur potentia passiva. In omnibus tamen his significationibus vox Actus sumitur adhuc respectivè, hoc est, cum ordine ad potentiam. Et sic actus dicitur, qui actuat & perficit aliquam potentiam, velut. forma est actus materiæ, quæ ad formam habet potentiam passivam, actio est actus potentiæ activæ, passio passivæ.

Porro quia actus solet esse perfectior potentia, & eam perficere, hinc porro per ἀναλογίαν sumptum est, ut vox actus haberet significationem absolutam, & sic Deus vocatur actus, non quia actuat aliquam potentiam, sed est actus absolutè. Sicut et Deus forma vocatur, ad significandam perfectionem, transsumendo vocabulum aliàs respectivum ad significationem absolutam. Neque enim Deus forma dicitur, quia informet aliud.

60. *Recensentur variæ significationes Actus.*

Ex his etiam emersit significatio illa, qua postea dictum est, id actus rei, quod dat alii esse. Quomodo forma vocatur actus, compositi etiam, itemque formæ accidentales dicuntur actus, substantiarum vel subjectorum. Unde et æquipollenter sumitur actus pro essentia.

Ex his quæ dicta sunt, facilè est colligere varias significationes vocis actus. 1. Actus sumitur *respectivè* ad potentiam. Et sic actus correspondet potentiæ activæ et passivæ. 2. Actus sumitur respectivè, sed non ad potentiam, verùm ad esse. Et sic actus vocatur, quod dat alii esse, accidentale vel substantiale, quomodo dictum formas substantiales et accidentia, et essentiam dici actus, formati, subjecti et entis. Quanquam hæc significatio ad priorem revocari potest. Denique, 3. *absolutè* sumitur actus et non cum respectu, absolvitúrque sic ejus significatio in negatione: quomodo Deus dicitur actus, non positivè, inprimis, tanquam aliquid actuans, sed negativè, quia caret omni potentia, unde et cum adjectione solet dici purus vel purissimus actus.

ARTICULUS I.

De definitione Actus.

61. PRopter dictam ambiguitatem in voce actus, actus dupliciter definiri potest. 1. Igitur potest actus definiri per negationem potentiæ. Sic actus dicitur ens quod caret potentia. Vnde porro actus, sic sumptus, distinguitur in actum purum & impurum, de quo postea. 2. Actus potest definiri cum respectu ad potentiam. Vnde sic actus correspondenter ad potentiam dividi potest. Et proinde hoc modo actus alius est, qui actuat potentiam activam, alius qui passivam actuat, sed de divisionibus actus dicemus seorsim.

TITULUS IV.

DE DIVISIONIBUS ACTUS.

62. DIvisiones actus occurrunt variæ, quas distinctis articulis declaro.

ARTICULUS I.

De divisione Actus in purum & impurum.

63. *Actus purus.* PVrus actus dicitur, qui nihil potentiæ habet. Talis est Deus & suo modo Angeli. Quæ omnia quomodo intelligenda sint jam antè declaratum est *cap. 13. in comm. art. 4. ad arivis. 5.*

Actus impurus. Impurus igitur actus est, qui habet aliquid potentiæ. Et sic principaliter corpora sunt actus impuri. Hæc enim quia sunt & existunt, habent utique actus: Et tamen quia habent multiplicem potentiam passivam, sunt actus impuri. Habent enim materiam, quæ implicat potentiam passivam, item habent potentiam Logicam sive non repugnantiam ad non esse, ut scilicet corrumpi possint. Iterum habent potentiam passivam ad ulteriores & superiores perfectiones accipiendas, quàm sint illorum naturales perfectiones. Atque hæc potentia, quæ consistit in non repugnantia ad non essendum, item quæ ordinatur ad suscipiendas nobiliores perfectiones, est in omni Ente creato, unde hoc intuitu etiam substantiæ immateriales & accidentia rectè dicuntur actus impuri. Hæc omnia clariora sunt ex priùs citato loco.

ARTICULUS II.

De divisione Actus in primum & secundum.

64. HAnc divisionem proponit Aristot. *lib 2. de anim. c. 1. t. 2. Actus*, inquit, *est duplex, alius ut ἐπιστήμη scientia, alius, ut τὸ θεωρεῖν, hoc est, ipsum scire vel contemplari.* Eadem divisio insinuatur & *8. phys. c 4. t. 32.* Interpp. vocant actum primum & secundum. Non tamen eodem modo intelligitur. Sunt autem quatuor hîc tractanda. 1. Quis sit sensus illius divisionis. 2. Quid sit actus primus? 3. Quid actus secundus? Et denique: an sit addendus actus tertius, quem imperfectum vocant.

PVNCTVM I.

Quis sit sensus illius divisionis?

65. *Cajetani expositio.* CAjetanus aliique ibi per actum existimant intelligi solam formam substantialem, de qua in præcedentibus proximè locutus est Aristoteles: Istamque dividi hac divisione in varios status, ut forma dicitur actus primus, quando non apprehenditur ut operans, sed est veluti in otio, quod est, cùm forma apprehenditur juxta officium formale, quod exercet sine effectione ulla, intrinsecè componendo compositum, & illi tribuendo ultimum complementum, in essendo. Unde porro forma substantialis dicitur actus secundus, quando ipsa concipitur ut operans. Vnde porro infertur, juxta hanc sententiam quod mentio fiat τῆς ἐπιστήμης & τοῦ θεωρεῖν, non tanquam exemplorum actus primi & secundi, sed tanquam eorum, quæ similia sint formæ, juxta prædictos status sumptæ.

66. *Alia sen-* Communior tamen est opinio, quòd illa divisio non intelligatur de forma, sed gene-

generatim de omni actu. Et inprimis apparet, si textum Aristotelis inspiciamus diligenter, poni ἐπιστήμην tanquam exemplum actus uno modo sumpti, & ipsum θεωρεῖν tanquam exemplum actus alio modo sumpti. Ex quibus tùm sequitur amplitudo hujus divisionis, secundùm quam omnem actum comprehendat. *tentia approbatur.*

PUNCTUM. I.

De actu Primo.

66. Est igitur sic actus primus, nihil aliud quàm forma, ad quam consequitur, aut consequi potest operatio passióve.

Ita forma ab Arist. *d. l. 2. de anim. ca. 1. t. 1.* vocatur actus, & in specie anima vocatus actus *ibid. t. 6.* Et forma substantialis quidem vocatur actus tri-fariam, *tum* scilicet, quia actuat materiam, inferendo ei determinata attributa, & dando ei esse accidentale; quod facit in materia per modum adjuncti: *tùm* etiam quia actuat compositum, dando ei ultimam perfectionem, quod facit per modum formæ, ut talis est; *tum* denique est actus effective, quia producit operationes sive actus. *Forma trifariam est actus.*

67. Est tamen advertendum per actum primum nunc non solum intelligi formam substantialem, sed in genere formam omnem, substantialem vel accidentalem. Nam Aristoteles hîc utitur exemplo scientiæ, quæ est forma sive actus accidentalis animæ. Et proinde sic actus primi rectè dicuntur etiam habitus & potentiæ, in quantum antegrediuntur suos actus alios. Et hinc usitatissimè dicitur: *Videre posse* esse actum primum, *videre* autem, esse actum secundum.

PUNCTUM. III.

De Actu secundo.

68. Nunc videndum est, quid sit actus secundus. Hîc valdè frequenter dicunt Dd. Actum secundum esse ipsam operationem: Adducti exemplo Aristotelis, qui exemplum Actus secundi facit τὸ θεωρεῖν contemplari, sive scire, Contemplatio autem est operatio contemplantis.

Sed revera Aristoteles non voluit, id exemplum esse adæquatum, ad declarandum actum secundum, quasi omnis actus secundus debeat esse actio, sicut ipsa contemplatio est. Nam sine dubio etiam actus primus est, posse calefieri, & actus secundus est, de facto calefieri. Et tamen calefieri non est operatio sed passio. Atque ita relinquitur; actum secundum esse actionem vel passionem indifferenter. Neque hoc repugnans videri potest Aristoteli. Nam etiam ad declarandum actum primum actus est exemplo scientiæ, neque tamen id huic rei adæquatum esse voluit, quasi scilicet omnem actum primum oporteat esse habitum aut qualitatem, cùm sine incommodo, imò principaliter, forma substantialis dicatur, actus primus, ut visum est. *Passio etiam est actus secundus.*

69. Quod si pro declarando actu secundo putabitur omnino usurpanda esse vox operationis, tunc ea ampliranda est, cum aliquando ἀκυρολογίᾳ ut comprehendat etiam passionem, quo modo loquendi dicitur unaquæque res esse propter actionem, tanquam finem. Ubi actio adeò latè sumitur, ut hinc dici possit particulariter, materiam v.g. esse propter receptionem formarum. Unde sic loquendo, receptio etiam est operatio, quæ tamen specialiùs loquendo non est actio sive operatio, sed passio.

PUNCTUM. IV.

An divisio Actus in primum & secundum sit adæquata?

70. Peretius *lib. 13 Phys. c. 3.* existimat Aristotelem ibi solùm dividere actum perfectum, quia aliàs etiam motus sit actus, secundùm Aristot. *libro 3. Phys. c. 2. 6 & 16. & cap. 3. t. 23.* Et tamen nec sit actus primus vel secundus. Unde ipse complendo divisionem actuum, docet, *d. l. 23. c. 2.* In omni re naturali inveniri triplicem *Motus qualis sit actus.*

actum, *unum* per quem res fit, & is est motus. *Alterum* per quem res habet esse, & hic est forma; Et *tertium* per quem agit, qui est operatio.

Refellitur Pereri-us.

Sed missendo alia vitia hujus divisionis, revera motus non potest constituere tertiam speciem actus. Motus enim summatim bifariam potest vocari actus moventis scilicet & mobilis. Et ad movens quidem motus comparatur, ut ejus actio, ad mobile autem, ut ejus passio. Veluti clarius est loquendo de motu in specie, veluti de calefactione, hæc est actio calefacientis, veluti ignis, & est passio calefactibilis veluti aquæ. Actio autem & passio sunt actus secundi ut prius patuit.

72. Sed objicit Pererius *d.c.*2. Motus non est actus secundus quia non est operatio proveniens à forma, sed tendens ad formam.

Respondeo 1. Supponit Pererius quod falsum est, ut antè ostensum est, omnem actum secundum esse operationem, quo quidem posito, non apparet, quomodo motus sit actus mobilis, quod Aristoteles locis citatis dicit. Nam à mobili non provenit motus. 2. Hoc autem dimisso motus est actus secundus mobilis, quia mobile, quod antè susципere poterat motum, per adventum motus, de facto motum sustentat. Et ita mobile antea erat in actu primo, ut significatur hinc, quod dicitur. mobile *potuisse* sustentare motum. Postea autem est in actu secundo: cum scilicet de facto in eo motus recipitur. Et ita motus est actus secundus mobilis 3. Quanquam hoc etiam falsum sit, quod motus non proveniat à forma: provenit enim utique à forma moventis.

ARTICULUS IV.

De divisione actus in Actum formalem & Entitativum.

73. Hujus distinctionis frequens est mentio in disputatione de materia prima. Et sub istis nominibus putatur primum tradita esse, à Scoto, qui eam proponit. 2. *sent. d.* 12. *q.* 1. 2. Estq; bona distinctio: unde ad illius explicationem est prænorandum quod actus sumatur pro existentia in illa divisione. Ergo hoc dicitur, quod existentia alia sit formalis, alia entitativa.

74. *Actus formalis.* Ergo sic actus formalis est is actus, quo entia dicuntur esse vel existere per formam. Sic homo, v.g. existit actu formali, quia existit per formam suam. Nam sicut homo intrinsecè habet essentiam per formam suam, ita existentiam, quia ut sequenti capite videbitur, existentia est realiter idem quod essentia actualis, sive extra causas posita.

75. *Quorum sit ille?* Vnde porro patet, quod existentia illa formalis, sive actus formalis, non possit convenire nisi rebus ex materia et forma compositis, hoc est, corporibus naturalibus, quia forma nulli rei dat essentiam, præter hæc ipsa corpora. Et confirmatur porro illud, dare existentiam, convenit formæ, proculdubio intelligendo istam dationem quod sit ab intrinseco. Nam loquendo de eo, quod extrinsecè dat existentiam, sic non forma, sed agens producens ipsam formam et consequenter compositum, dicitur dare existentiam. Intrinsecam autem unionem non habet forma ad quicquam, præterquam ad compositum materiale. Neque enim quicquam est ad quod forma comparetur, tanquam suum formatum præter compositum. Ad materiam autem comparatur, ut adjunctum ad subjectum vel receptaculum, quæ non est habitudo intrinseca et essentialis sed accidentalis. Atque ita, ut dixi, actus formalis solum convenit rebus compositis, sive corporibus naturalibus.

76. *Necessitas actus entitativi.* Atque ex his manifestissimè colligitur necessitas alterius actus, secundùm quem dicantur existere entia; quæ non sunt corpora naturalia, ut sunt, Deus, Angeli, formæ ipsæ, et accidentia. Nam horum aliqua saltem proculdubio fateb.tur existere Zabarella, per existentiam propriam et nos verum id esse de iis omnibus, ostendimus *seq. c.* 15. Neq; ulli horum convenit forma, tanquam aliquid ei intrinse-

trinsecum. Unde valdè miror quomodo in mentem venire potuerit Zabarellæ, ut scriberet *lib. 2. de prim. Mat. c. 2.* Vanum esse, ponere alium actum præter formalem.

Is igitur actus, quo cætera, intrinsecè non habentia formam, existunt, vocatur actus Entitativus, sic dictus quòd talia Entia existant non per formam, sed per Entitatem communiùs dictam: Unusquæque scilicet res, per suam. 77. *Actus Entitativus. Actus ille non rectè dicitur imperfectus.*

Indèque non placet, quod aliqui actum Entitativum vocant imperfectum, in comparatione ad formalem, quódque is principaliter conveniat materiæ primæ. Nam quia actu Entitativo subsistunt Deus & Angeli & alia prius enumerata, apparet eum ex genere suo esse actum nobilliorem, quàm sit formalis.

Cæterùm inprimis moveri solet quæstio de actu Entitativo materiæ, ideò speciatim de illa quæstione videbitur *seq. cap* Sumitur enim in hac divisione, ut dictum est, vox Actus pro Existentia. Unde ista tractatio magis homogenea est seq. cap. 78.

ARTICULUS IV.

De divisione actus in actum existentiæ & essentiæ.

ACtus & essentia aliquo modo loquendi, sunt æquipollentia: unde loquendo de Ente præcisè, & abstrahendo à potentialitate & actualitate, convenit ei aliquis actus. Is igitur vocatur *actus essentiæ*, qui simpliciter apprehenditur in Ente, tùm in genere, tùm in specie, veluti homine, equo, &c. prout significatur per definitionem suam. Quia tamen definitio vera est dicere, cùm non est ipsa de facto in mundo, ideo reo quasi superuenit ei actus alius, secundùm quem res creata educitur è potentia activa agentis, & incipit esse ens actu. Hic igitur actus secundum quem ens vocatur Ens actu, vel Ens actuale, is vocatur *actus existentiæ*. De horum convenientia & discrimine plenius erit *seq. cap.* 79.

ARTICULUS. V.

De divisione Actus in signatum & exercitum.

HÆc distinctio valdè frequens est in disputationibus.

Apprehenditur igitur res in actu signato, cum concipitur sic, prout communi definitione signatur, & sub proprio signo, hoc est, nomine (nomina enim sunt signa conceptuum *c. 1 de Interp.*) apprehenditur. 80. *Actus signatus. Actus exercitus.*

In actu autem exercito apprehenditur, cum concipitur aliquid non in communi sed particulari, dimisso communi nomine. Clarissimus Iacobus Martini sic definit *disp. 2. Metaph. lib. 60.* Actus signatus, inquit, vocatur à singularibus abstractus. Actus exercitus est actus in singularibus multiplicatus.

Exempla hoc magis illustrabunt. Veritas dicitur considerari in Metaphysicis in actu signato, in aliis autem disciplinis consideratur in actu exercito, hoc est, Metaphysica communiter signat vel definit quid sit veritas. Aliæ autem disciplinæ non signant vel definiunt, quid communiter sit veritas, sed in particulari inquirunt veritatem, sive veram essentiam hominis vel animæ vel auri, & sic deinceps. 81. *Exempla actus signati & exercitis de veritate. De singulari & contingente.*

Sic dici solet: Singularium & contingentium non est scientia & definitio in actu exercito, at est eorum scientia & definitio in actu signato, hoc est, de contingenti & singulari est scientia, secundùm quod communiter, signatur & definitur, quid sit contingens & singulare. At non est in particulari scientia de re singulari (ut Socrate vel Petro) & contingenti, ut de inventione thesauri per fossionem vineæ.

Sic vulgare est axioma: *Genus prædicatur de specie.* Hoc verum est, loquendo de eo in actu exercito, non in actu signato, hoc est, genus prædicatur de specie, non sumendo communes notiones, sive nomina generis & speciei, sed particularia exempla. Idcóque non possum dicere: Genus est species, aut species est genus; At rectè dicitur: Homo (quod est exemplum speciei) est animal (quod est exemplum generis.) *De genere.*

Sic: (*definitio & definitum idem sunt* intelligendo de actu exercito, non de actu signato, *Definitio.*

& definitum quomodo sint idem?

signato, hoc est, definitio & definitum non sunt idem cùm sumuntur sub istis communibus nominibus. Sic enim quia sunt argumenta, utique sunt relata, & proinde opposita, undè & rectè dicitur secundum actum signatum. Definitio non est definitum, & definitum non est definitio. At definitio & definitum sunt idem in actu exercito & loquendo de exemplis eorum, veluti: Homo est animal rationale, & animal rationale est homo. Vbi quidem facessit prior negatio, quæ erat in propositione, factâ ex definito & definitione, sumptis in actu signato.

Substantiæ secundæ quomodo prædicentur de primis?

Sic substantiæ secundæ prædicantur de prima, non in actu signato (sic: substantia prima est substantia secunda) sed in actu exercito (sic: Plato est homo, Bucephalus est equus.)

Atque ex his exemplis apparet amplius usus istius superioris divisionis, ex quâ multa sic disertè explicari possunt.

81. Et hactenus quidam considerata est doctrina actus & potestatis: nunc declarandum est, quid sit Ens actu & potestate.

TITULUS V.

De Entis divisione in Ens actu & Ens in potentiâ.

HActenus doctrina actus & potestatis, perspicue, quantum opinor, proposità est, nunc porrò complexum hoc, *Ens actu & ens potestate* explicandum est. Occurrunt autem hîc primum generales quæstiones, quæ sunt explicandæ. Quæritur igitur hîc, tùm de bonitate tùm de adæquatione illius divisionis.

ARTICULUS. I.

An Metaphysicus rectè dividat ens in ens actu & potestate.

82. RAtio dubitandi est, quod ens in potentia est non Ens. Vnde generatio dicitur transitus à non esse: Et tamen supponitur ante eam ens possibile. Hanc rationem infrà soluam, nempe *seq. tit. 6. art. 3.*

85. Nunc autem patet: rectè fieri istam divisionem, quia etiam in particulari scientiæ tractant de rebus, abstrahendo ab esse actuali & potentiali. Veluti Physica, quæ egit de homine, non terminat contemplationem suam ad hominem actualem, sed simpliciter ad hominem. Vnde scientia ista manet scientia, sive homo sit, sive non sit. Et sic in aliis. Consequens igitur est, etiam Metaphysicam debere agere de Ente, abstrahendo ab esse actuali & potentiali. Quo posito sequitur, quòd etiam cum talibus modis additis tractari possit de Ente. Et porrò patet, quod, qui tenuissimè loquuntur de Ente in potentia, nihilominus ajunt, Ens à Metaphysico sumendum esse nominaliter, ut in primo suo conceptu non statim intelligatur involvere actum, quod participia facere solent: sed ut intelligatur habere significationem indifferentem ad esse actuale & potentiale.

ARTICULUS. II.

An divisio ista entis, sit adæquata enti?

86. SVarez *disput. 43. Metaph. in prooem.* Ens præsertim, creatum dividi ait per esse actu & potentiâ. Vnde secundum istum, actu & potentia esse, non adæquantur Enti simpliciter, sed Enti creato.

87. Hæc sententia non placet: Nam sine incommodo dicitur Deus esse ens actu, idque purissime, quia Deus nec latet in causa, nec latere potest. Atque ita actualitas sive Existentia, hoc sensu dicitur Deo essentialis, eò quòd prorsus repugnat, Deum esse aliquid possibile.

88. *Objici* potest: Ens actu esse, quod est extra causas suas. At Deus non est extra causas, quia nullas habet, & est principium primum.

Respondeo

Respondeo 1. non admodum probo, quod dicitur: Ens actu esse, quod est extra causas *suas*. Hâc enim voce remotâ, sensus illius phrasεos negativus planior erit. Malo igitur simpliciter & absque addito dicere ens actu esse, quod est extra causas. 2. Hoc autem intelligendum est, negativè, cùm applicatur ad Deum, ut extra causas esse, sit nihil aliud, quàm non latere in causis. Atque ita Deus est ens actuale, quia non est demum Deus possibilis, vel quia non continetur in potentia alicujus causæ, quæ ei dare aliquod esse debeat. Similis modus loquendi est, cùm Deus dicitur ens à se. A se, inquam, est negativè, quia non est aliud, quod Deum producat, vel esse faciat. 89

TITVLVS VI.

DE ENTE IN POTENTIA.

AD hujus intelligentiam, oportet duo declarare: *Alterum* quid sit esse potentiale; ubi incidit declaratio quæstionis illius: An etiam dici possit, esse in potentiâ quod nunquam futurum est: *Alterum*, an & quomodo id, quod sic est in potentia, dicatur esse ens? 90

ARTICULUS I.

Quid sit esse in potentia?

ESse in potentia potest bifariam sumi: *Primo* esse in potentia, potest esse attributum entis actualis, secundùm quod intelligatur ei deesse aliquid, quod habere potest. Ita puer est in potentia ad esse doctrinæ, hoc est, ut doctus fiat, paries est in potentia ad accipiendam albedinem: Et summatim, sic aliqua res est in potentia ad agendum & patiendum. 91

Nunc tamen esse in potentia non sumimus per denominationem ad subjectum, quod dicitur esse in potentia. Nam illud, ut dictum est, est ens actuale. Nunc autem ens actuale distinguitur contra ens potentiale sive possibile.

Propria hujus loci significatio.

Ergo *secundo* esse in potentia est denominatio ejus quod nondum existit, quomodo non puer dicitur esse in potentia sed) ipsa doctrina dicitur esse in potentia, & (non paries dicitur esse in potentia, sed) albedo dicitur esse in potentia. Ergo sic doctrina, in non habente doctrinam, dicitur ens potentiale, albedo, in non habente albedinem, dicitur ens potentiale. Et ad eundem modum, homo qui post decem annos concipiendus est, nunc dicitur in potentia ad istud esse suum, & rosa sic est in hyeme in potentia. Sumuntúrque adeò hæ denominationes inprimis secundùm potentiam objectivam de qua suprà dictum est. Ergo quid hic sit esse in potentia, nunc quærimus declarare.

Nunc igitur aliquid esse in potentia, potest bifariam intelligi. 1. *negativè*. Ergo sic esse in potentia dicitur, quod non est actu, seu quod nõ existit. 2. Et melius dicitur aliquid esse in potentia, per denominationem à causâ, quod scilicet latet in causâ. 92

Esse in potentia bifariam explicatur.

Inprimis autem solet id specialiter fieri secundum duas causas, nempe efficientem et materiam.

Ergo sic in potentia id esse dicitur, quod latet in potentia efficientis, seu quod tale est, ut ad illud detur sufficiens aliqua virtus, quæ id, quod pro nunc est potentiale, actuare possit. Vnde sic quod dicitur esse in potentia, supponit potentiam in agente.

Rursus (loquendo de rebus naturalibus) ens in potentia, supponit potentiam passivam, sive capacitatem in materia. Vnde ens in potentia dicitur, ad quod in materia supponitur potentia recipiendi alicujus formam.

Sic igitur summatim hactenus homo est aliquid in potentia, qui post aliquot annos gignendus est, quia datur *efficiens* causa quæ sufficiens sit, ad imperiendum homini esse actuale: Item quia *materia*, quæ nunc hanc vel illam formam habet, est apta ut accipiat formam istius hominis, quæ possibilis dicitur.

Apparétque ex his, ens potentiale et possibile, esse in re idem. Atque ita quod

est

est potentiale, sive quod est in potentia, id est etiam possibile, & potentiale. Solùm videtur esse aliqua varietas in impositione. Ens enim potentiale dicitur in quantum significatur ea entia actus. Possibile verò dicitur, in quantum significatur aptitudo accipiendi actum. Sed tum quæritur de iis, quæ nunquam futura sunt, an ea possint dici esse, vel entia in potentia.

ARTICULUS II.

An etiam illud sit in potentia, quod nunquam futurum est?

93. QUæstionem hanc solent Interpp. disputare ad 9 *Met. c. 3. & 4.* Estque Aristotelis hac in re sententia clara dictis locis. In *c. 3.* ait generatim, *id esse possibile, quo posito nihil sequitur impossibile.* Sic & *l. 2. de gen. c. 11. tex. 64. & 65. De quo nunc eorum est,* inquit, *ipsum esse futurum hoc non fore nihil vetat. Nam tametsi futurum est, ut quispiam ambulet, tamen fieri potest ut non ambulet.*

Potest autem ejus, communis ratio esse, quia potentia tempore prior est actu, unde fieri potest, ut destruatur habens potentiam, atque ita de facto non poterit sequi actus, præsuppositâ actus illius possibilitate. Veluti rosa, hoc hyemali tempore, est in potentia solâ, qui eam producere poterit, & est illius forma in capacitate sive potentia materiæ: Ergo sic rosa est possibilis. Et tamen fieri potest, ut Deus destruat totum mundum ante futurum ver.

In specie autem sumi potest ejus rei probatio inde etiam, quòd multa potest Deus facere, quæ non facit. Veluti, prævia Scripturâ, potest Deus panes facere ex lapidibus, item filios Abrahæ ex lapidibus suscitare, & poterat filius rogare patrem suum, ut mittat Angelos qui impediant vim & tyrannidem Judæorum, ne necaretur, & tamen nihil horum factum est. Patet igitur (quòd illa, quæ correspondent activæ isti Dei potentiæ, etiam sint possibilia, & tamen nunquam facta sunt.

ARTICULUS III.

An & quomodo Ens in potentia sit Ens?

94. DUas hac in re assertiones pono. 1. *Ens in potentia non habet realitatem vel Entitatem in se antequam egrediatur è causis suis.* Ista statuo contra opinionem, vel saltem contra modum loquendi aliquorum, qui rebus creatis ante sui productionem vel creationem tribuunt esse quoddam æternum.

Cæterum. Ita vulgatissimè teneri solet. Et patet ejus veritas. Si enim homo producibilis v. g. in se haberet aliquam entitatem, præcisâ existentiâ, tum illa entitas esset vel creata vel increata. At neutrum dici potest. Ergo nec simpliciter est entitas. Assumptio patet. Nam is non est ista entitas increata. Hæc enim solum competit Deo, de quo repugnantia est dicere, in eo esse entitatem increatam, & tamen possibilem: quia dum vocatur entitas increata dicitur eminentissimæ perfectionis entitas. Dum autem dicitur entitas possibilis insinuatur in eo imperfectio, in alio autem major perfectio, in cujus scilicet virtute lateat id, quod possibile dicitur.

Rursus dici non potest, quòd illa entitas sit creata. Repugnat enim aliquid esse creatum, & tamen non existere, sed demum possibile esse. Creatio enim & in genere omnis substantialis mutatio, terminatur ad rem ut existat, facitque adeò existere, quod antè non existebat; Plura argumenta cumulare nolo. Si quis volet, videat Petrum *lib. 6. Phys. c. 16.* Seal. *Exer. 6. s. 13.* Suarez. 31 *disp. Metaph. s. 2.* & autores ibi citatos.

95. 2. Assertio. *Ens potentiale habet realitatem & entitatem in causis suis.* Hoc sequitur juxta dicta *Num. 92. præced.* Inprimisque id est, intuendo potentiam activam, quæ est in Deo, quæ sufficiens est ad actuandum omne, quod est potentiale sive possibile. Unde in Deo apprehenduntur à nobis ideæ, sive exemplaria quædam æterna,

æterna, quibus in tempore conformantur res cùm producuntur.

Atque propter illam realitatem, quam Ens possibile habet in causa sua, fit, ut 1. 96.
Priusquam fiat, possit terminare cognitionem Dei, qui sicut Ens actuale, ita etiam penitissimè potentias quarumvis causarum & suam ipsius cognitam habet.

2. Rursus, de re quoque prædicari possunt, prædicata essentialia, cùm de facto 97.
etiam non est. Veluti sic homo est animal & risibilis, *&c.* etiam cùm nullus homo est in mundo, quia si actuandum est illud Ens, nempe homo, qui dicitur esse in potentia, non fit aliud, quàm animal & risibilis, *&c.*

3. Eadem de causa fit ut res in prædicamentis ponatur non attendendo, an sint 98.
actuales, an in potentia, sed præscindendo ab utroque. Unde postea, si interrogetur, homo possibilis, an sit substantia? Omnino dicendum est: esse substantiam. Patétq; firmissimè, quia substantia est prædicatum hominis essentiale. Essentialia autem prædicata identificantur rebus, quibus sunt essentialia præscindendo ab omni nunc & hic, hoc est, tempore & loco.

4. Denique patet: *Ens potentiâ*, non esse Ens rationis vel fictum ab intellectu. 99.
Etsi enim in se sit nihil, nec habeat Entitatem, nisi quam nostra apprehensio ei tribuit, tamen in causis, ut declaratum est, istam realitatem habet, & eam quidem talem, ut de facto possit esse, qualis præexistit in veritate vel potentia causæ. De his prolixè vide Suarez *disp.* 31. *s.* 2. *n.* 6. *seqq.* & *s.* 13. *n.* 38 *seqq.*

Scaliger *Exerc.* 307. *s.* 24. Ens potentiâ vocat Ens & non Ens, quod ex dictis 100.
commodè intelligitur. Est scilicet Ens, in causis; Non est ens in se. Vel est Ens & *Ens in potentia*
non ens, ad significandam Entitatem imperfectam. Ad hoc enim solet frequenter *Ens & non ens,*
adhiberi illa contradictoriorum complicatio, ut deduxi *in Top. comm. c.* 14. *n.* 14. 23.

TITULUS VI.

De Ente Actu.

ENs actu dicitur, quod non latet in causis, sed quod esse habet extra causas: Potéstque id esse bifariam, vel ut habeat repugnantiam ad esse sub causis. Et sic Deus dicitur *Ens* esse actuale. Vel, quia, quod antè latebat in causis, egressum est è causis. Sic Entia creata dicuntur Entia Actualia. 101.

Aliâs formalitas Entis actualis solet significari voce *Existentia*. Ergo sic ens actu est quod existit. Unde si rectè intelligatur doctrina de existentia, rectè quoque cognita erit natura entis actualis, præterquam quod aliquid lucis relinquitur ad hanc materiam, ex dictis de ente potentiali. De existentia igitur statim ago.

CAPUT. XV.

De Existentia.

1. AD considerationem Entis Actu, pertinet consideratio Existentiæ.
2. Existentia est actus, secundùm quem res est extra causas.

COMMENTARIUS.

QUia Ens actu, ultimo constituitur per existentiam, ideo existentiæ considera- 1.
tio intimè implicatur in consideratione Entis actu. Quia tamen prius caput jam dum satis excreuit, & multa dicenda sunt de existentia, idcò peculiari

capite de eadem ago. Est autem agendum: *Primo* De voce existentiæ. *Tùm* quid ea sit. *Tertiò* Quomodo ab essentia distinguatur. *Quarto*, De earum seperabilitate. *Denique* quibus rebus ea conveniat.

TITULUS I.

DE VOCE EXISTENTIÆ.

2. *Existentia quomodo accipiatur in Metaphysicis?*

EXistentia ex vi vocis videtur idem esse, quod essentia, unde sicut essentia dicitur possibilis vel actualis, ita etiam dici ex vi nominis potest aliquid *actu existere*, et aliquid *posse existere*. Sed ita Metaphysici non usurpant vocem existentiæ. Existentia enim in Metaphysicis solùm tribuitur entibus actualibus, ut entibus potestate non conveniat existentia, sed existentia sit hoc ipsum, per quod ens actu distinguitur contra ens potestate. Ita etiam ex Capreolo docet Suaretz *disp.* 31. *s.* 6. *n.* 31. *Et disp.* 34. *s.* 4. *n.* 14. 15. Congruitque huic significationi Etymologia quorundam quibus existere dicitur tanquam *extra sistere*, quia per existentiam sistitur aliqua res extra causas.

3. Deinde est observandum existentiam *bifariam* sumi: *uno modo famosè*, & ad significandam principalissimi generis existentiam, quo sensu existentia distinguitur ab inexistentia. Et sic sola supposita existunt; Partes autem suppositorum, item accidentia, non sic dicuntur existere, sed inexistere. *Alio modo* sumitur generalius, pro omni modo quo res quælibet est de facto in mundo. Et sic etiam accidentibus et partibus, convenit existere, sicut & essentia iis convenit, quod infrà clariùs erit.

TITULUS II.

QVID SIT EXISTENTIA?

4. PRænotandum hìc est: Existentiam etiam Deo convenire, unde sequitur quæ de existentia in genere dicuntur, ea etiam debere Deo convenire: et in oppositum, non posse dici de existentia in genere, quæ Deo repugnant. Sed rem distinctè persequor.

ARTICULUS I.

Existentiam non esse accidens.

5. ID est contra Avicen. 5. *Metaph.* Ita autem esse apparet 1. Quia nullum prædicamentum dari potest, in quo sit existentia. 2. quia sic faceret compositionem in ente, quod absurdum est, quia etiam simplicissimum ens existit. At omne accidens facit compositionem, in eo, cujus est accidens.

3. Si existentia, ut sic, esset accidens, etiam existentia substantiarum esset accidens. At id est absurdum, quia sic, substantia existens esset ens per accidens, aggregatum scilicet ex essentia sua, et isto accidente, quod nunc dicitur existentia. At hoc est absurdum, qui substantia existens, loquendo de substantiis naturalibus, est terminus generationis. Et terminus cujusq; motus debet esse aliquid unum, quia hinc sumitur unitas istius motus. Ens autem per accidens non est verè unum, sed multa.

ARTICVLVS II.

Existentia, ut sic, non est substantia.

6. ITa apparet, quia existentia secundùm generalem suum conceptum debet tribui etiam accidentibus. Absurdum autem est accidentium existentiam esse substantiam. Atque hoc nulli in mentem venit. Quia etsi accidentia existant in substantia, tamen id non magis est loquendo de existentia, quàm de essentia

essentia præcisè. Nam accidentia habent etiam essentiam suam in substantia. Et sic apparet, utrinque hoc est & existentiæ & essentiæ in accidentibus terminum solùm extrinsecum esse substantiam. At quærimus nunc de quidditativo conceptu existentiæ, quid scilicet ipsa sit intrinsecè.

Hæc sunt satis clara; Est tamen ad ea porro observandum, quod iste discursus solùm sit, loquendo in generali de existentia. Nam in particulari verum est, aliquam existentiam esse substantiam, & aliquam esse accidens. Nam essentia & existentia, ut infrà videbitur, sunt idem realiter. Vnde in particulari, essentia substantiæ & existentia substantiæ, item essentia accidentis, et existentia accidentis erunt realiter idem. Loquimur, ut dixi, nunc solùm de existentia præcisè, & ejus communi ratione, juxtà quam omnia existentia existunt. 7

ARTICULUS III.

Existentia est transcendens.

HOc sequitur ex prioribus. Nam transcendens vocatur quod est prædicatum commune substantiæ & accidentis, indèque nec est substantia nec accidens, & porro habet realem identitatem ad ista, cùm contrahitur ad particularia. 8

Transcendens quid? Existentia & essentia non differunt realiter.

At hæc omnia satis clara sunt de existentia. Nam eam nec esse substantiam nec accidens, visum est. 2 Eam tamen prædicari de substantia & accidente patet, quia substantia dicitur existere, & accidens dicitur existere.

3. Eam autem realiter identificari ad substantiam & accidens, cùm scilicet de istis prædicatur, nunc breviter patet, quod in seqq. plenius deducetur: quia si essentia substantiæ & ejus existentia realiter distinguerentur, nunc utrumque esset vera res præciso altero. Realis enim distinctio, præsupponit veram multitudinem, sive plures entitates. At substantiæ essentia & ejus existentia non sunt duæ res, quia essentia substantiæ, præcisâ existentia, sive antequam existat, est in se nihil, & quicquid ei convenit realitatis non convenit ei in se, sed in alio. Habet enim omnem realitatem partim in capacitate sive potentia passiva materiæ, partim in potentia activa producentis. Vnde & absolutè dicuntur generatio et creatio esse mutationes à *non esse* ad esse, eò, quod id quod est possibile, in se nihil sit.

Vnde apparet manifestè, quod omnem realitatem habeat ens in se, per existentiam. Atque ita cùm in ente actuali apprehenditur essentia et existentia, non apprehenduntur ibi duæ res, quia omnis realitas, quam habet essentia, habet in hoc quia actualis est, hoc est existens.

ARTICULUS IV.

Existentia in adæquato suo conceptu involvit essentiam.

HOc sequitur ex natura transcendentium, quæ ipsam essentiam implicant, sicut id suprà sæpè probatum est, in aliis transcendentibus, veluti bonitas in adæquato suo conceptu implicat essentiam, idémque erat in aliis affectionibus: hoc est, à parte rei, veritas erat ipsa essentia, et bonitas erat ipsa essentia, aliter atque aliter concepta. Unde quæ superiùs ad hanc rem probandam inducta sunt, nunc quoque militant. 9

Cæterùm quia transcendentia, quæ non sunt prorsus æquipollentia et Synonyma enti, aliquid addunt enti, id nunc in existentia inquirendum est. Erit enim existentia quidem ipsa essentia, sed cum addito aliquo. Igitur. 10

Quidnam est quod significet existentia præter essentiam?

11. *Existentia est modus.*

RESPONDEO: addit aliquem modum. Ita enim vocantur omnes determinatæ rationes entitatis, ut suprà dictum est, explicando distinctionem modalem. Et sic etiam Fonseca existentiam vocat modum, comparando eam cum aliis determinatis rationibus entis. Est inquam modus entis, sicut simplicitas est modus entis; item sicut singularitas est modus entis, & sic in aliis.

Et patet veritas, quia sicut simplicitas coarctat entis indifferentiam, quam habet ad compositum & simplex ad modum essendi per simplicitatem: Ita etiam existentia coarctat entis indifferentiam, quam habet ad ens actu & potentia, ad modum essendi actualiter, qui significatur per existentiam.

Unde porro patet, ens existens sive actu non plus addere ad ens simpliciter, quàm ens potentia, quia utrobique est modus coarctans indifferentiam entis.

12. *Existentia qualiter addat modum?*

Cæterùm additio talis, qualis est in istis determinatis entium modis, non est nisi per expressiores conceptus, qui æquè sint simplices ac est ipsum ens simpliciter, qua de re vide quæ suprà dicta sunt *c. 2. Num. 41. seqq.* de contracto conceptu entis.

13. Atque ita ex hactenus dictis patet: existentiam esse nihil aliud, quàm ipsam essentiam sumptam cum aliquo determinato modo, seu quod idem est, esse essentiam modificatam, sed nunc specialiùs inquirendum est.

ARTICULUS V.

Quisnam sit ille modus, quo essentia modificetur per existentiam?

14. IGitur ad hanc rem porro declarandam, Dico: *existentiam non addere aliquid essentiæ ultra actualitatem.*

Ita apparet: quia quicquid additur ultra actualitatem, id non est necessarium, loquendo de formali & essentiali conceptu existentiæ. At entia non sunt multiplicanda sine necessitate. Atque ita relinquitur existentiam præcisè addere actualitatem, atque ita existentiam in adæquato conceptu esse nihil aliud, quàm essentiam actualem.

15. *De existentia substantiæ.*

Antecedens patet, quia transeundo per speciales gradus essendi, quales sunt substantia & accidens, si quid ultra illorum actualitatem esset existentia, tum id esset, in substantia subsistentia sive ὑπόστασις; in accidente, inhærentia. Neq; enim ullum aliud fingi potest. Ista tamen non possunt intelligi de existentia. Nam subsistentia est modus, quo aliqua substantia ultimò quasi completur in esse personæ vel suppositi. At, primò, existentia non potest competere solùm suppositis substantialibus. Partes enim suppositi debent ad invicem uniri, & intrinsecè concurrere ad constitutionem compositi, & pars una debet aliam sustentare vel perficere. At hæc cogitari non possunt, quod conveniant rebus non existentibus. Apparet igitur quod subsistentia sive suppositalitas, non sit existentia substantiæ.

16. *Suppositum potest esse ens potentiale.*

Deinde etiam suppositis ut sic; non convenit illicò existere. Ergo suppositalitas vel subsistentia, non est formaliter existentia substantiarum. Antecedens patet, quia sine repugnantia dicitur, etiam suppositum esse possibile sive potentiale. At maximè cum repugnantia dicitur: Existens esse possibile. Non potest igitur suppositum existentia, & suppositalitas existentiæ nomen esse.

17. *De existentia accidentis.*

Atque ita ex his relinquitur, in accidente etiam ad formalem conceptum existentiæ illius nihil pertinere, nisi actualitatem essentiæ. Nam in ratione existendi, præcisè loquendo de ea ut sic, nihil differre debent substantia & accidens, propter unitatem conceptus quam debent habere Transcendentia ad sua inferiora. Quod si in existentia accidentis dicendum est implicari unionem ad substantiam, non est id magis, quàm in essentia ipsius, quam etiam aliqui describunt implicando unionem ad substantiam. Prolixè ad hanc rem videri potest Suarez

disput.

Disput. 31. Metaphysic. Sect. 4. & 5. Nunc declaranda est existentiæ definitio.

ARTICULUS VI.

In quo declaratur tradita definitio Existentiæ:

Existentia est actus secundùm quem res est extra causas.

18. *Existentia est actus.*

PRimò dicitur: *Existentia, actus.* Actus autem dicitur respectu potentiæ, quam actuat. Ergo, hactenus significatur existentiam aliquid actuare, & aliquid esse pro potentia, quod per existentiam actuetur.

19. *Quid actuet existentia?*

Quidnam igitur actuatur per existentiam? Essentia actuatur. Essentia, inquam, dicitur actuari, quæ possibilis est. Actuatur autem, non quia ipsi, sic manenti imprimatur existentia; sed, quòd realitas essentiæ, quæ prius erat sub natura possibili, tota postea sit existens & actu. Ut declarat Alensis 7. *Metaph. c. 22.* & Suarez *disp. 31. s. 12. n. 36.*

20. *Quomodo sit actus primus?*

Aliqui addunt vocem *primus*, et dicunt: Existentiam esse *actum primum* quod de ea intelligitur, comparando eam ad proprietates vel operationes rei existentis, quibus ejus sunt ulteriores actus. Atque ita primò, hoc est, antequam res operetur, actuatur ea existendo, sicut et Aristot. 1. *de an. cap. 1.* animam vocat actum primum. Secundò autem res actuatur per operationes.

21. *& actus ultimus.*

Alii addunt vocem, *ultimus*, et dicunt: existentiam esse *actum ultimum*, vel actualitatem ultimam, quod intelligitur de ea, comparando eam ad omnia prædicata essentialia. Et sic existentia est id, ut Suarez interpretatur *disp. 31. s. 11. nu. 22.* quod nostro modo intelligendi, ultimo advenit essentiæ, in constituenda intrinseca et actuali entitate rei.

22.

Additur autem: quod sit actus *secundùm quem res est extra causas*, seu quod idem est, secundùm quem res non latet in causa, vel etiam, est actus formaliter constituens et extrahens rem extra potentiam objectivam. Antequam res (de creaturis nunc specialim loquor) existat, latet intra causas suas, et non est nisi in potentia. Quod non intelligendum sic, quasi ante actualitatem res habeat illam potentiam in se. Nam si de facto haberet vel reciperet in se aliquam potentiam, etiam haberet essentiam de facto. Attributa enim actualia non sustinentur nisi in essentia actuali. Ens autem potentiale habere essentiam actualem implicat. Ergo potentia illa, quæ tribuitur rei possibili, secundùm quam sit possibilis, est non in illa, sed est in causa, ut sæpiùs dictum est. Atque ita existentia est illic actus, quo res intrinsecè constituitur in esse proprio, quæ antè non erat, nisi in potestate causarum. Atque hoc est, cum causæ potentias suas exequuntur, veluti cùm efficiens de facto producit id, quod producere poterat, & materia (liceat nunc specialiter id declarare in corporibus naturalibus, quibus solùm convenit materia) de facto formam illam suscipit, quam suscipere poterat.

32. Extra causas esse, *quomodo sit intelligendum?*

Est autem porro observandum, quòd verba illa, *extra causas esse*, non sint intelligenda positivè, sed negativè, hoc sensu, quod Ens existens non lateat intra causas. Nam aliàs non omne ens actuale sive existens, constituitur per influxum causarum. Ut de Deo, qui ens actuale est, apparet. Atque ita ad existendum perinde est, an res habeat ultimam actualitatem per influxum causalem, an per seipsum.

24. *Existentia quomodo sit modus?*

Pererius *lib. 6. Phys. cap. 13 q. 2.* Existentiam definit quòd sit *modus*, &c. Et ita frequenter loquuntur Dd. quòd existentia sit modus rei, vel essentiæ. Ibi tamen vox modi non est sumenda specialiter, ut modus solet distingui contra essentiam, vel ens; quomodo speciali titulo solent Metaphysici loqui de modis entium, & hinc sumere materiam distinctionis modalis: Sed existentia dicitur modus,

sic, sicut determinatæ rationes Entium solent vocari modi, quibus scilicet Ens communiter & vagè sumptum coarctatur ad determinatos status, veluti ad simplicitatem, compositionem, singularitatem. Hæc de rectiam priùs aliquid dictum est, *num. 11. hujus capitis.*

TITVLVS II.

QVOMODO DISTINGVATVR *Existentia & Essentia?*

25. Hæc quæstio videtur satis ex præcedenti articulo posse indicari, tamen pro doctrinæ hujus complemento, placet aliquid addere.

26. *In Deo existentiam & essentiã non differre.*

Inprimis autem consentiunt Dd. in eo, quod existentia & essentia in Deo non differant realiter. Atque hoc inprimis certum est, quia repugnat, Deum concipi ut ens potestate. Ens enim possibile dicitur possibile, non nisi attendendo potentiam, causæ. Ex cujus consideratione dicitur possibile, quia illa (causa scilicet) est sufficiens ad id producendum, quod possibile dicitur. Et sic apparet, omne illud, quod apprehenditur ut ens potestate, apprehendi cum dependentia ad causam saltem efficientem: At dependentia effectiva adversatur naturæ Dei. Atque ita sequitur, Deum intimè esse Ens actu, neque ullum in eo indicium esse, distinguens essentiam ab existentia.

27. *Nec existentia et essentia ut sic.*

Hinc sequitur 2. quòd existentia & essentia, ut sic, non possint distingui realiter. Nam si id esset, tum semper distinguerentur realiter, quod non esse, apparuit de essentia & existentia Dei.

28. *De iisdem in rebus creatis.*

Quæritur igitur nunc specialiter de essentia & existentia rei creatæ. *An & quo modo differant:* Ubi Autores valdè scinduntur, aliis ponentibus distinctionem realem, aliis modalem, aliis distinctionem rationis. Nomina Autorum vide apud alios. Ego ea vitandæ prolixitatis causâ omitto.

29 *Creatum & finitum in modo loquendi differunt.*

Igitur possumus primò comparare existentiam creatam ad essentiam creatam, communiter sumptam, & cum præcisione ad essentiam actualem simul & possibilem. Et hoc melius sub voce entis finiti, quod in re æquipollenter dicitur ad Ens creatum, sciùm est differentia in modo loquendi. Nam vulgò solet vocari Ens creatum, quod actu habet esse creatum. Id autem quod est possibile, solet vocari non creatum, sed creabile. Unde, à fortiori, Ens sumptum cum indifferentia ad esse actuale & potentiale, non satis bene creatum dicitur: at satis bene dicitur finitum. Igitur sic possumus existentiam Entis finiti comparare ad essentiam Entis finiti, præcisè eam intelligendo, quatenus scilicet ea apprehenditur cum indifferentia tali, ut & homo possibilis v. g. & homo productus dicatur Ens finitum.

30

Atque hoc modo existentia & essentia entis finiti non possunt differre realiter, quia essentia Entis finiti communiter sumpta est veluti genus essentiæ talis, hoc est, essentiæ existentis. Genera autem à speciebus non distinguuntur realiter: quod à fortiori procedit in communi conceptu entis, & ejus determinationibus rationibus, inter quæ est major identitas, quàm sit inter genus & speciem; quia determinationes istæ non fiunt per ullius differentiæ additionem, ut est in speciebus, prout aliis tradidi.

Et de hac comparatione essentiæ et existentiæ nunc non solet quæri.

31. *Secundò:* Existentia creata & essentia creata possunt comparari in distinctis entium creatorum generibus, veluti existentia rosæ, cum essentia hominis. Et sic hæc sine dubio distinguuntur realiter. Neque de hac essentiæ & existentiæ collatione nunc quæritur.

32. *Tertiò:* Existentia & essentia possunt in creaturis comparari, quoad ejusdem rei diversos status. Veluti Petri existentia, & ejusdem essentia possibilis, seu posita in potestate. Et sic etiam existentia et essentia non differunt realiter, si rigo-

rosè

tosè loquamur. Nam Petrus possibilis in se nihil est. Ut manifestè patet, quia istius possibilis Petri productio est per creationem vel per generationem. At istæ mutationes sunt simpliciter à non esse ad esse, non autem ab esse Sic, ad esse aliter. Distinctio autem realis est inter res & res, non autem inter rem & non rem. Dixi: *si rigorosè loquamur.* Nam aliàs distinctio realis solet etiam extendi ad negationes, veluti ut sic realiter privationes distinguantur & inter se, & ab Entibus aliis. Idemque est in aliis negationibus, cùm distinguuntur à rebus.

Atque hæc res etiam extra est, nec, quoad hanc materiam in contentionem venit. Quod enim aliqui Entibus creatis etiam ante actualem productionem esse quoddam æternum tribuunt, id huc non pertinet, & præcedenti capite satis refutatum est, in consideratione Entis possibilis, sive ejus quod est potestate.

Quarto: Existentia & essentia creata possunt in creaturis comparari, quoad ejusdem rei eandem actum, veluti existentia & essentia actualis Petri, seu quod idem est, Petri, ut est productus, & de facto est in mundo essentia & existentia. Atque sic de hac quæstione inprimis disputatur. Volentibus quibusdam, existentiam & essentiam in Petro producto distingui realiter, sicut in eodem realiter distinguuntur materia & forma. Unde porrò ajunt, realem compositionem in eo fieri ex essentia & existentia. 33. *Proponitur status quæstionis.*

Ex quo etiam insinuatur argumentum pro hac sententia. Nam compositio illa solet omnibus tribui, tanquam essentiale *ἴδιωμα* earum. Ergo non videtur esse solùm compositio rationis. Ita enim esset compositio solùm per extrinsecum, in creatis Entibus. At si est compositio realis, etiam termini componentes erunt realiter distincti.

In rebus creatis essentiam ab existentia non distingui realiter.

VErior tamen est sententia, quod existentia & essentia actualis non differant in rebus creatis realiter. Nam 1. nihil videri potest quod existentia significet vel plus vel minus, quàm essentia actualis. Nam essentia actualis dicitur, quæ non est potestate, vel quæ est extra causas, vel quæ est de facto in mundo. At quid aliud est existentia vel existere? Hominem vel rem existere similiter nihil aliud est, quàm id quod existit, esse extra causas & esse de facto in mundo. 34.

2. Rursus si in Petro aliud est Entitas actualis, & aliud existentia. Ergo de illa Petri existentia quæro, an sit creata entitas an increata. At non est illa entitas increata, quam solus Deus habet. Ergo erit Entitas creata. At si est Entitas creata Erit entitas actualis. Nam creatio & in genere quævis actio non terminatur ad esse possibile sed actuale, quia per actionem creativam emergit ex esse possibili. Ergo sic existentia Petri est Entitas actualis. E. ab Entitate actuali non potest realiter distingui. Alia argumenta cumulare nolo. Qui plura volet, videat Autores alios. Tractatur enim hæc quæstio undique.

Solvitur objectio.

AD argumentum prius insinuatum de compositione ex esse & essentia negant aliqui eam dari in omnibus Entibus creatis, prout multis argumentis contendit Peterius *lib.* 6. *Phys. c.* 15. quæ hic examinare nolo; Sunt enim facilia, & alibi locus est ea de re dicendi. 35.

Quo sensu autem hæc compositio in omnibus Entibus reperiatur, suprà cap. 9. satis deductum est. Ex quibus facilè admittitur eam in Entibus creatis non esse per modum compositionis realis, sed rationis, sumpto solum fundamento ex re: Unde & hujus respectu *ἴδιωμα* Entis creati illa compositio dicitur. Estque id hoc, quod entibus creatis non conveniat essentia, quæ sit intimè actualis cui repugnet omni modo, ut sit potestate, quod est de essentia divina. Atque hunc potest *Fundamentum compositionis ex esse & essentia,*

essentia

essentia creata existere in virtute sive potentia causæ suæ, unde essentiæ, egredient ex illa causæ potestate videtur advenire existentia tanquam aliquid alterum, quod faciat compositionem ex esse & essentia. Sed jam porrò

QUÆRITUR.

An essentia actualis & existentia differant modaliter?

36. ITa opinantur aliqui. Videntúrque adduci ex communi modo loquendi, in quo existentia solet modus essendi, vel Entis, vel essentiæ vocari, ut prius relatum est. Modus autem à re distinguitur modaliter, ut notum est, & ipsum nomen indicat.

37. *Refutatur modalis distinctio.* Nihilominus hæc sententia non est admittenda. Nam inprimis per essentiam, à qua disputatur distingui existentia, intelligitur essentia actualis. Nihil autem prorsus est, quod significet, sive tanquam Entitatem, sive tanquam modum Entitatis, existentia, præter essentiam actualem. Ergo sicut non erat priùs realis distinctio, ita nunc nec modalis apparet distinctio.

Rursus si existentia est modus essentiæ. Ergo essentia, præciso seu remoto hoc modo, erit adhuc vera aliqua res. At hoc est absurdum. Nam sicut existentia faciebat rem aliquam verè esse rem, & extrahebat eam ex nihilo, ut priùs ex naturâ generationis & creationis probatum est, ita eâdem ablatâ, res recidit in nihilum. Quia etsi eâ remotâ, relinquitur Entitas possibilis vel revocabilis, (quod enim morte deletum est, Dei potentiâ potest idem numero redire in vitam) tamen ea absolutè, & in se, pro isto statu nihil est. Unde corruptio simpliciter dicitur mutatio ad non esse.

38. Ad superius argumentum *Respondeo*: Non omne id facere modalem distinctionem, quod modus quomodolibet dicitur. Nam omnia accidentia dicuntur modi substantiæ, quæ tamen à substantia non distinguuntur modaliter, sed realiter. Rursus determinatæ rationes essendi, dicuntur modi Entis, & tamen ab ente non distinguunter modaliter, sed ratione, quod posterius est etiam de existentia quæ dicitur modus Entis, ut & simplicitas, stante reali horum identitate, quod & priùs dictum. Apparétque id inde quod existentia non dicitur modus essentiæ actualis, à qua, quæritur, an modaliter distinguatur, sed simpliciter dicitur modus essentiæ, Confer *dicta sup c.8. de distinct. modali & lit. 2. hujus capitis in fin.*

39. *Summa dictorum.* Atque ita tandem relinquitur Essentiam & existentiam 1. non distingui realiter, nec 2. modaliter, sed 3. Solâ ratione, sumpto tamen fundamento & occasione ex re, quod fundamentum attigi, explicando compositionem ex esse et essentia.

TITULUS. IV.

An existentia & essentia sint separabiles?

40. REspondeo non esse separabiles. Et patet clarè ex probata identitate essentiæ & existentiæ. Nam separari dicuntur quæ antè fuerunt unita. At quæ dicuntur unita, non sunt realiter idem. Hæc enim simpliciter unum dicuntur. Unde unió supponit terminorum unibilium realem distinctionem.

Continentur autem sub hac assertione, multæ controversiæ, quas acutè persecutus est Suarez *disput. 31. s. 12.* Videbimus ea de re distinctis articulis breviter.

ARTICULUS. I.

Essentia non potest esse sine existentia.

41. ITa apparet, quia esse in mundo, est esse actualiter. At esse actualiter & existere idem sunt.

Dices

Dicet: in mundo multa sunt entia possibilia. At illa non existunt, hoc ipso, quia sunt possibilia.

Respondeo negando antecedens, in quo est implicatio contradictionis, esse scilicet possibile & tamen esse in mundo. Nam quæ possibilia sunt, ut sic, non sunt in mundo, sed possunt esse in mundo.

ARTICULUS II.

Essentia non potest esse sine propria existentia.

ITa apparet, quia neque quicquam potest esse sine propria essentia. Essentia autem & existentia proportionantur propter realem identitatem. Quæritur autem hîc de tribus, quæ ordine videnda sunt. 42.

PUNCTUM I.

An humana natura Christi habeat Existentiam propriam?

43.

ICitur ad hanc propositionem *Objicitur* exemplum de humana natura Christi, quæ utique retinet essentiam humanam, & tamen non existit existentiâ humanâ, sed subsistit subsistentia τῦ λόγυ.

Respondeo: esse ignorationem Elenchi in hoc argumento, quia non sunt idem subsistere & existere. Subsistentia enim (de qua solemus loqui in Mysterio incarnationis) est nihil aliud, quàm ille modus, secundum quem substantia (non quidem simpliciter constituitur ens actu, sed secundùm quid) constituitur formaliter sub ratione personæ vel suppositi. quod est longè aliud quàm existere, tum quod suppositum atque adeò, habens secundùm debitum naturæ suæ, subsistentiam, veluti Petrus, potest esse ens possibile sive in potestate, tum quod partes, ut nunc dicetur, habent existentiam propriam, quæ tamen non habent subsistentiam sive suppositalitatem. 44. *Aliud est existere, aliud subsistere.*

Atque ita humana natura in Christo, existit existentia propriâ, per priùs dicta: non tamen subsistit se ipsa, hoc est, non habet suppositalitatem, quam habere posset: sed subsistit subsistentiâ alienâ, nempe τῦ λόγυ propter unitatem personæ; confer etiam Suarez *disput.* 34. *s.* 4. *n.* 14. 15.

PUNCTUM II.

An materia subsistat per seipsam? sive, An habeat Actum Entitativum?

SEcundo: ad illam propositionem solet tractari quæstio de materia; An scilicet ipsa existat? Hæc enim habet essentiam, quia ens est, & in specie substantiæ. Et tamen non habet sibi propriam existentiam, quia in se est pura potentia, & quia forma solet actus ejus vocari. Unde videtur ipsa existere existentiâ alienâ, nempe formæ. Tractatur hæc quæstio latè à Zabarella *lib.* 2. *de prim. mat. cap.* 1. *seqq.* qui eam negat, & Peretio *lib.* 5. *Phys. c.* 13. Suarez *disp.* 13. *s.* 4. 5. & *disp.* 31. *s.* 1. *n.* 10. aliisque, qui eam affirmant. 45.

Nihilominus omnino dicendum est; materiam existere propria sua existentia, hoc ipso, quia habet essentiam, ut iterum sequitur, propter earum realem identitatem. Et porro patet, quia materia est actione creativa Dei producta. At creatio non terminatur ad rem sub esse possibili, sed sub esse actuali sumptam, quia per hanc ipsam extrahitur res de esse possibili. 46. *Probatur actus Entitativus materiæ.*

Deinde, non potest existentiam à forma habere, cum sit subjectum & receptaculum formæ, ideo ordine naturæ est forma prior. Ergo in isto naturæ statu habebit etiam existentiam. E. eam non potest habere à forma, quæ sic ea natura

est posterior. Efficacissima etiam sunt argumenta, quibus ad hanc rem Scotus utitur, 2. *sent. d.* 12. *q.* 12. quæ relata sunt apud Zabarellam *lib.* 2. *de prim. mat. cap.* 1. ubi quæ Zabarella habet *c.* 5. contra ista, satis tenuia sunt, quæque ex hisce satis expediri possunt.

Resolvuntur Objectiones.

47. *Materia quomodo sit pura potentia?*

QVod igitur objicitur 1. materiam esse puram potentiam: Ad id sciendum est, quod id solùm sit intelligendum, de potentia passiva in ordine ad formas, hoc sensu, quod ab omnibus formis sit denudata, cum universali potentia ad eas suscipiendas. Aliàs igitur non relinquitur, sub hac propositione, materia sub potentia objectiva, quasi sit possibilis denium. Ex proinde, quia emersit materia ex illa potentia objectiva, ideò, ad removendam istam potentiam, convenire debet ei actus ille, qui opponitur potentiæ objectivæ. Indéque per eum quod erat potestate, desiit esse potestate.

48. Atque hinc obiter novum argumentum facio, quod materia non existat per formam, sed per seipsam. Nam materia egressa ex potentia objectiva accipit illico actum, qui absorbebat istam potentiam, estque ille actus existentiæ, ut conclusum est. At hic actus non convenit ei per formam, quia materia in ordine ad formas est adhuc in pura potentia. Ergo hunc actum habebit materia à seipsa. A seipsa, inquã, non removendo efficiens, sed removendo id unde intrinsecè existat materia.

49. *Forma quomodo sit actus materiæ.* Ex his etiam solvitur altera insinuata objectio, quâ dicebatur: formã esse actum materiæ. Forma scilicet est actus materiæ, solùm quia complet illius potentiam passivam, secundùm quam tribui potest variis formis: non autem quia extrahit eam de potentia objectiva, quod est munus existentiæ. Ita igitur forma est actus materiæ, sicut & accidentia dicuntur actus substantiarum, neque enim forma materiam afficit essentialiter, sed solùm per modum adjuncti. Egi de hac quæstione etiam *Top. comment. c.* 5. *n.* 24. *& hic præced. c.* 23. *tit.* 4. *art.* 3.

PVNCTVM III.

An partes existant existentiâ propriâ.

50. DEnique ad superiorem nostram propositionem disputatur generalius de partibus: *An scilicet illæ existant existentiâ propriâ?* Habent enim illæ suam propriam essentiam, veluti corpus suam, & anima suam, & tamen putantur existere existentia suppositi, quia secus in una re daretur duplex existentia, veluti in composito materiali, existentia formæ & existentia materiæ. Vnde sequeretur *primò*, Existentiam compositi esse compositam. *Deinde* generatio illius non esset unus motus, quia terminatur ad duas res existentes. Nam res non terminat actionem agentis, nisi sub ratione existentiæ, ut sæpiùs dictum, quia possibilia non generantur, sed hoc ipso quia generantur, desinunt esse possibilia, & fiunt actualia. Propugnat istam sententiam Zabarella *de prim. mat. l.* 2. *c.* 4.

51. Hæc sententia similiter coincidit propter realem identitatem, essentiæ & existentiæ. Vnde, quia partes non sunt per essentiam compositi: ideo etiam non existunt ex sententia compositi. Atque inde rectiùs in oppositum diceretur, compositum existere existentiâ partium. Nam partes communicant essentiam composito, & hinc interveniente essentiali earum unione, realiter idem sunt, quod compositum.

Idémque confirmatur argumento prius facto, quod scilicet partes ordine naturæ sunt priores composito, unde in isto naturæ statu etiam habent existentiam. Atque ea fic non est à composito, quod (sic loquendo, nempe ordine naturæ,) nondum est.

Denique non apparet, quomodo ullo modo causalitatem exercere possint materia,

ceria & formæ si non essent Entia actualia, adeóque existentia sed solùm potentialia. In hoc enim finis distinguitur à cæteris causis, quod ille solùm possit causare in esse possibili. 52

Solvuntur objectiones.

AD objectiones dicendum est. 1. Absurdi nihil esse in una re poni plures existentias, sicut nec absurdum est, in una re poni plures Entitates partiales. Imò hoc necessarium est in aliquo genere Entium, nempe in compositis. Hæc enim si non includerent plures Entitates, non essent composita Entia, sed simplicia. Utrumque igitur proportionaliter ponendum est in composito, nempe plures Entitates partiales, & plures existentiæ partiales, quibus illa partialia Entia in se sint aliquid actuale & extra nihilum. Hoc enim munus est existentiæ. 53

Atque hinc 2. relinquitur: absurdum non esse, si existentia sit composita, rei scilicet compositæ. Imò hoc ipsum necessarium est ut priùs est insinuatum. 54

Nec 3. sequitur generationem non esse unum motum, partim, quia nullo modo per generationem producitur materia, sed eidem supponitur, ut sit subjectum recipiens motum & cum sustentans, unde sic per generationem producitur solùm una existentia partialis, formæ scilicet: partim etiam, quòd generationis adæquatus terminus non est pars hæc vel illa, sed simpliciter suppositum. Atque ita generatio, quâ generantur Petrus & Paulus sunt duo motus, propter dualitatem terminorum. At quâ producitur anima & cor, non sunt duo motus, propter unitatem suppositi, cui hæc producuntur, & ad quod essentialiter uniuntur.

Pro coronide notandum est: quod aliqui Dd. dicant: *partes non existere per se.* Hoc rectè dicitur eo sensu, quod non existant nisi in alio. Matè tamen dicitur, hoc sensu, quod non existant nisi per aliud, ut ex dictis constat. 55. *Partes quo sensu non existant per se?*

ARTICULUS. III.

Existentia non potest esse sine essentiâ.

ITa apparet, quia si de facto daretur in aliquo essentia & existentia, & tum destrueretur essentia, remanere autem intelligeretur existentia: fieri non potest, ut illa destructio sit sine destructione existentiæ. Sicut enim generatio non terminatur ad esse possibile. Sed ad esse actuale sive existens. Ita etiam corruptio non potest terminari nisi ad esse actuale & existens, ut hoc ipsum desinat. Et apparet hoc porrò inde, quia secus nulla daretur destructio. Nam propter infinitam vim agendi quæ est in Deo, nulla res est, quæ ita destruitur, ut non sit iterum possibilis. Ergo sic quicunque destruit essentiam alicujus, necessariò etiam destruit ejus existentiam. Ergo existentia non potest manere, essentiâ ablatâ. 56

TITULUS V.

Quibus rebus conveniat existentia?

TImpler *lib. 1. Metaph. cap. 6.* omni Enti tribuit existentiam. Hoc tamen non est dandum, si loquamur de Ente secundùm omnes modos essendi, quomodo libet abstractos ab inferioribus. 57

ARTICULUS. I.

Enti potentiali, sive ei quod est potestative, non convenit existentia.

ITa patet solùm declarando. Nam ens potentiale dicitur, quod adhuc latet in causis suis. Existentia autem est hic ipse modus, secundum quem res intrinsecè intelligitur constituta extra causas. 58

59. Neque valet hîc exceptio: quòd existentia conveniat Enti possibili, sicut Entitas. Nempe ut convenit Enti possibili Entitas possibilis, sic & possibilis existentia. *Nam* repugnantia est, dicere existentiam & tamen eam esse possibilem, ut patuit, quia existentiæ nomen ad hoc ipsum impositum est, ad significandum scilicet illum actum, secundùm quem intelligitur extractum è possibilitate, sive potentia objectiva agentis, ut sæpè dictum.

ARTICULUS II.

Enti universali non convenit propria Existentia.

60. ITa apparet, quia si universali conveniret existere, tunc id conveniret ei vel ut est à parte rei in singularibus, vel ut est ab iis abstractum. Non posteriori modo: quia ut abstractum, non est revera in mundo, ut communiter docetur contra Ideas Platonicas. At existere nihil aliud est, quàm esse revera in mundo. Non etiam priori modo. Nam prout universalia sunt in singularibus, non habent propriam essentiam: veluti hominis, qui de Petro prædicatur, non est peculiaris essentia, distincta ab essentia Petri, sed est ipsa essentia Petri, solùm confusius concepta propter realem identitatem, quam habet universale & singulare. Si igitur universale sic non habet essentiam distinctam ab essentia singularis. Ergo nec habet existentiam distinctam ab existentia rei singularis.

ARTICULUS III.

In quo declaratur positivè, quibus rebus conveniat existentia.

61. ATque ita existentia convenit 1. *Enti creato & increato.* Increato quidem purissimè, quia intimè est Ens actuale, ut nullo modo possit esse Deus Ens possibile, & in causis latens, ut priùs etiam tactum est. Creato autem, quia hoc ipso dum creatum est, terminavit operationem productivam creantis. Productio autem non terminatur ad rem sub esse possibili, in quo est ante productionem, sed ad esse actuale, atque adeò ad existere. Hæc tamen existentia non est purissima, ut in Deo, quia nihil repugnat Ens finitum carere existentia, & latere in causis, unde hinc etiam sumitur occasio compositionis ex esse & essentia, in Ente finito, ut suprà dictum est suo loco.

62. 2. *Existentia convenit toti & partibus* Hoc satis liquidum est, ex præced. Titulo hujus comment. Nam ibi evictum est, materiæ, atque adeò partibus essentialibus in communi, convenire existentiam. Totum autem existere indubitatum est, quia ipsum terminat operationes agentis, & rursus ipsum principaliter est agens. At hæc non conveniunt nisi existenti. Hæc tamen compositi essentialis existentia non est alia ab existentia partium: sicut neque habet essentiam peculiarem, & superaddituum, supra Entitates partium, ut suprà visum est.

63. 3. *Existentia convenit substantiæ & accidenti.* Ac de substantia quidem simpliciter res est indubitata. De accidente autem patet similiter. Nam sicut substantia intelligitur existere, in quantum ipsa est actualiter, & extra causas, ejúsque existentiæ indicium sumitur inde, quod ipsa terminet aliquam operationem productivam agentis, ita etiam est in Accidentibus. Nam etiam Accidentia sunt extra causas suas, veluti postquam ab essentia subjecti emanarunt, aut aliundè sunt substantiæ inducta. Et simile indicium etiam illius existentiæ, hic est quia etiam accidens potest terminare aliquam actionem agentis, veluti calor actionem calefactivi, qua ipse calor producitur, per istam igitur productionem calor aut constituitur in esse possibili, aut in esse actuali. Non prius, quia per talem productionem emergit ex esse possibili, sicut & substantia per productiones suas. E. constituitur in esse actuali. At esse actualiter est nihil aliud, quàm existere. Atque ita sequitur accidens existere. Vnde etiam porrò sequitur, quod existat

existentia

existentia propria, non existentia subjecti, quia, ut in prioribus conclusum est, nulla essentia potest esse sub existentia aliena.

CAPUT. XVI.

De Duratione.

1. PRæter existentiam ad Ens actuale pertinet duratio.
2. Duratio est permansio Entis in Existentia.
3. Estque triplex, æternitas, æuum, & tempus.
4. Æternitas est duratio prorsus indefectibilis, & interminabilis, secundùm quam res durans, nec principium nec finem habere potest. Competítque soli Deo.
5. Æuum est duratio, secundùm quam durans potest habere initium, sed ex se non habet finem. Competítque Angelis & animæ humanæ, *&c.*
6. Tempus est duratio undique defectibilis, secundùm quam res & principium, & ex se finem habere potest. Talis est duratio Elementorum, hominis, bestiarum.
7. *Aliter*: duratio est permanens vel successiva.
8. Duratio permanens est duratio Entis permanentis, ut duratio Dei, essentiæ Angelicæ, vel corporalis.
9. Duratio successiva est duratio Entis successivi. Ut duratio motus.

COMMENTARIUS.

IN hoc capite declaranda *primum* est ratio Methodi, ubi & despiciendum; an duratio soli Enti actuali conveniat? *Deinde*, constituendum est, quid sit duratio? *Tertiò*: Quotuplex ea sit? Tùm *Quartò* specialiter agendum de æternitate; *Quintò* de ævo. *Sextò*, de tempore; *Septimo* agendum est de argumentis attingentibus numerum durationum. Ac *demque* de divisione durationis in permanentem & successivam. 1

TITULUS I.

De ratione methodi, ubi & quæritur:

An duratio soli Enti actuali conveniat?

QUod hîc ago de duratione, id ex duabus causis est. 1. Quod duratio solùm conveniat Enti actuali (de quo cap. 14. actum est;) sicut & existentia. 2. quod duratio realiter est eadem cum existentia, ut postea videbitur. 2

Dices: Enti in potentia etiam convenire durationem, idque dupliciter. Nam 1. Sicut Ens in potentia dicitur Ens possibile, ita etiam videtur posse dici ejus duratio possibilis. Vnde sicut ens ipsum abstrahit à possibili & actuali, ita etiam videtur duratio abstrahere à duratione actuali & possibili. Et proinde, ut sic, non implicari in solo Ente actuali. 3. *Objectiones.*

Secundo: videri potest duratio actualiter convenire Enti possibili. Nam dici

potest, illum qui nunc nascitur aliquot millenis annis latuisse vel fuisse vel durasse in causis. At hæc ipsa significant durationem.

4. *Enti possibili non convenire durationem.*

Ad hæc igitur notandum est. 1. Sicut vox existentiæ significat seipsam in actu exercito; ita proinde repugnantia sit dicere, existentiam possibilem: Ita etiam esse in voce durationis, propter identitatem ad existentiam. Ideóque sic vox durationis usurpatur ad significandam durationem, qua res durat in esse actuali. Unde & sic est repugnantia, dicere: durationem possibilem, quia duratio adhibita est ad significandum actum alicujus, secundùm quem res est extra statum possibilem.

5. Unde porrò etiam cadit generalis proportio Entis ad durationem, sicut neque eandem proportionem generaliter habet Ens ad Existentiam. Atque ita solvitur primum argumentum.

2. Est observandum. Enti possibili, dum latet in causis, solere attribui durationem, sed non ab intrinseco, verum per coëxistentiam aliorum durantium. Atque ita dicitur aliquid per mille annos latuisse in causis, non quia in se durarit, sed quia tanto tempore duraverint aliquæ aliæ res. Atque ita istius locutionis hic sensus est, si rigorosè loquamur, quòd res possibilis in tanto tempore sive durationè rerum aliarum, caruerit propria existentia vel durationè.

6. Ubi porrò tenendum est 1. Illam moram possibilitatis, non posse vocari durationem. Aliàs enim, quia res creatæ latuerunt ab æterno in causa sua, hoc est, Deo producturo, possent illæ dici fuisse ab æterno, quod absurdum est. Rursus observandum, quod extrinseca aliarum rerum duratio non satis sit ad dandam denominationem durationis simpliciter. Aliàs enim quia Deo tribuuntur ab extrinseco per coëxistentiam rerum temporalium, attributa temporalia, veluti esse & fuisse, dicendum esset, Deo convenire durationem temporalem. Atque ita solvitur etiam secundum argumentum.

Patétque ex his nunc summatim duo. 1. Durationem convenire solùm Enti actuali, & proinde 2. Ejus doctrinam rectè annecti doctrinæ Entis actualis. Nunc ad rem.

TITULUS II.

Quid sit Duratio.

7. SCaliger *Exerc. 359. sect. 7.* definit durationem, quòd sit continuatus tractus essendi, Pererius *lib. 12. Phys. c. 5. p. 654.* Duratio, inquit, est quantitas vel extensio, seu mora quædam ipsius existentiæ, sic & *l. 6. c. 16.* Cum istis definitionibus congruit ferè nostra, qua dicimus: *durationem esse permansionem in existentia.* Atque inde durare, est nihil aliud, quàm habere existentiam permanentem. Ubi tamen hanc absolutè meliorem esse existimo. Nam *vox tractus & extensionis* non facilè videtur iis accommodari posse, quæ durant solùm in instanti. Duratio tamen non videtur istis repugnare.

Quia autem in illa definitione duo ponuntur; 1. vox existentiæ; 2. Vox permansionis, idò summatim de duobus videndum est, quomodo scilicet se habeat existentia ad durationem, tùm, quid existentiæ addat duratio.

ARTICULUS I.

An existentia & duratio sint realiter idem?

8. INprimis supponimus, quòd duratio solùm conveniat rebus existentibus, quod in proœmio hujus capit. disputavimus. Atque ita materialiter, hoc est, an re subtrata conveniunt existentia & duratio. Nunc autem quærimus de formali & reali identitate, an scilicet una eadémque res sit existentia & duratio.

Objectio-

Objectiones pro reali distinctione.

HAc in re prima sententia est eorum, qui existimant ea realiter distingui, cujus sententiæ fundamentum potest esse; quòd duratio est accidens prædicamentale, pertinens ad prædicamentum quando. Ad hoc enim reduxit Albertus *in Prædicabil.* 4. c. 1. etiam ipsam æternitatem, & à fortiori, in eo sunt durationes cæteræ. Omnes durationes sunt accidentia. At non omnis existentia est accidens, multóque minus de prædicamento quando.

Aliud indicium istius realis distinctionis potest esse, quod duratio & existentia ab invicem separantur. Nam res quæ habet esse momentaneum, utique habet esse hoc est, existere: Et tamen non dicitur talis res durare, quia duratio significat extensionem, vel moram vel permansionem, quæ opponuntur momentaneo sive instantaneo.

Durationem & existentiam esse realiter eadem.

NIhilominus hæc sententia proba non est, rectissiméque dicitur: durationem & existentiam esse realiter eadem. 6

Ita apparet primo: quia si duratio esset res peculiaris, tum in durante faceret compositionem, cum ipso esse durantis. At hoc est absurdum. Nam quod simplicissimum est, adeóque expers omnis compositionis, nihilominus rectè dicitur & existere & durare.

2. Non potest nominari res aliqua quam significet duratio, distincta ab illa re quam significat existentia. Ergo frustra fingitur multiplicatio Entium.

Dices: durationem significare rem peculiarem, nempe ipsam permansionem. *At* hîc non apparet, quomodo permansio sit peculiaris res, cùm sufficienter explicetur per negationem, ut rem permanere, sit idem, quod non illico destrui. Negatio autem non est peculiaris res. *Permansio non significat additam entitatem.*

Rursus 3. Si realiter essent existentia & duratio distincta, tunc intellectus noster saltem posset sibi imaginari rem habentem esse actuale, hoc est, existentem, carentem duratione. At hoc statim ut cujusvis experientia docere potest, refragatur menti nostræ.

Denique idem est quærere: Quamdiu duraverit res aliqua; ac quamdiu extiterit? Et idem est rem aliquam esse brevis aut longæ durationis, quod, esse brevis aut longæ existentiæ. Plura vide apud Pererium *l. 12. de Tim. c. 5.* Suarez *disp. 50. Metaph. s. 1.* alioſque.

Solvuntur Objectiones.

AD primam objectionem Respondeo 1. Lubricam esse illius hypothesin. Nam quæ prædicamentis distinguuntur, non necessariò realiter distinguuntur, ut suprà *cap. 8.* ostensum est. Deinde absurdè dicitur: Æternitatem, quæ Dei est duratio, esse accidens, quia æternitas à parte rei idem est quod Deus. Deus autem quomodo dicatur accidens Plenius hæc discussi *in Introd. Logic. c. 12. num. 7.* Atque ex his 3. apparet falsum esse, quod duratio communiter sit accidens. 10

In altera objectione tangitur quæstio, *An detur duratio instantanea?* Sen: *quod est solum in instanti* (quale quid est generatio substantialis) *an id dicatur durare?* vel etiam: *An res quæ desinens aliquandiu durat statim in primo sui esse dicatur durare?* Suarez *disp. 50. s. 2 num. 9. & 13.* negat, postea tamen addit *nu. 15.* non esse improbabile, etiam instantaneam durationem dicere durationem. Atque hoc posterius, & ipse probabilius existimo. Estque permansio tum intelligenda proportionaliter ad existentiam. Ut enim res aliqua existit in momento, vel etiam porro continuat illam existentiam: ita etiam dicitur durare in momento, vel porro illam durationem continuare. 11 *An momentaneis conveniat duratio?*

Quod si tamen videtur incommodum esse dicere, durationem, secundùm quod

quod est solùm in instanti, tum id non tam à parte rei est incommodum, quàm propter usum vocis, qui non infert reale discrimen. Nam sine dubio realiter idem sunt, quiescere & permanere in loco, & tamen in primo instanti quietis non solemus dicere, quòd incipiat permanere in loco. Atque ad hunc modum etiam, existere & durare sive permanere in esse, possunt esse realiter eadem, etsi res in primo instanti sui existere dicatur quidem existere, non tamen durare sed incipere durare. Atque ita à parte rei etiam non separantur existentia & duratio, sed solùm separatio est in aliquo modo loquendi, quæ separatio non pertinet ad realem distinctionem.

Conclusio propositæ quæstionis.

13. HAc igitur sententiâ dimissâ, dico existentiam & durationem differre solâ ratione. Quia tamen rationis distinctio, supponit rem unam, eandem tamen menti nostræ præsentat per plures conceptus, qui unam & eandem rem inadæquatè repræsentent. Hinc quæritur: quid significet duratio, præter id, quod significat existentia. Idem nunc inquiro.

ARTICULUS II.

Quid duratio addat existentiæ?

14. REspondeo id esse *permansionem*. Atque hæc est altera pars nostræ definitionis. Vnde nunc summatim duratio est nihil aliud quàm *existentia permanens*. Et durare est nihil aliud quàm *permanenter existere*.

15. *Permansionis vox ambigua.* Est autem *Primò* hîc observandum: vocem permansionis esse ambiguam. Igitur primò significat illum actum, secundùm quem dicimus ens permanens, quod distinguitur contra successivum & vocatur illud quod est totum simul. Ita nunc non sumitur vox permansionis. Nam etiam entia successiva durant, imò videtur ab illis primum sumpta esse vox durationis. Vnde frequenter Dd. utuntur voce successionis in declaranda natura durationum. Et tamen entia successiva sic non sunt entia permanentia. Aliter igitur permansio sumitur quasi cum indifferentia ad esse successivum & permanens, et juxta hanc significationem consequenter rectè dicitur entia successiva permanere aliquandiu in esse suo. Et in hac latitudine intelligenda nunc est vox permansionis:

16. *Quid sit permanere?* Nunc *secundò* observandum est, quòd talis permansio commodè possit circumscribi per negationem. Vndè hîc permanere in esse, est non statim desinere. Sicut, quod et antè dictum est, quiescere est permanere in loco. Sic sol illuminans dicitur permanere in illuminando. Illuminat enim Sol, continuâ aggeneratione luminis. In quibus exemplis et vox permanendi potest negativè explicari, et est realis identitas, inter talia, id est, inter quiescere et permanere in loco, item inter illuminare, (hoc est, gignere lumen) et permanere in illuminando, (hoc est, conservare lumen.)

17. *Quomodo in momento sit permansio?* Hoc tamen fatendum est, In tali resolutione attendi inprimis ad principalem usum, quem habet vox durationis, *in qua* non solet instantaneis durationibus attribui. Nihilominus si subtiliter intueamur hanc rem, videtur etiam in unico momento esse qualiscunque permansio, Momentum enim dicitur per defectum successionis temporalis, unde in eodem momento potest adhuc relinqui successio secundùm prius et posterius naturæ. Veluti in eodem momento simul sunt forma et res formata, ut sol et illuminatio, sive lumen. Vide de his naturæ instantibus distinctis, in eodem momento, Conimb. *l. 4. Phys. c. 14 q. 3. a. 2.* Atque sic etiam relinquitur, in tali momento, successio qualiscunque, ut non sit prorsus repugnans, durationem, et proinde permansionem tribuere enti instantaneo.

Patet igitur hactenus quid verè sit duratio. Nunc porro ad aliarum opinionum confutationem, de aliis est inquirendum.

ARTI-

ARTICULUS III.

An duratio sit denominatio Extrinseca?

RAtio dubitandi est: quòd nostras durationes circumloquimur per motum cœli. Unde nostra duratio videtur esse nihil aliud quàm applicatio motus cœlestis ad nos. Veluti durâsse per annum, est coexistisse annuæ revolutioni cœli; durâsse per mensem, est coexistisse periodicæ revolutioni Lunæ, vel Sol. percurrenti alicui Zodiaci. 18.

Atque hinc porrò æquum definitur à Scalig. *Exerc.* 349. *s.* 7. per coexistentiam ad æternitatem, sicut nostra duratio est per coexistentiam ad motum cœli. Et sic Scriptura, describens Dei æternitatem ait Deum fuisse heri, hodiè & in secula. 19. *Duratio formaliter non est per coexistentiam ad aliud.*

Hac in re dicendum est 1. *Durationem formaliter non consistere in coexistentia ad aliud.* Ita arguet, incipiendo à nostratibus, quia si maximè cœlum non moveretur, aut prorsus non esset, nihilominus diceremur durare, hoc est perseverare in esse. Atque ita relinquitur duratio esse denominationem intrinsecam, quæ convenire rebus possit remoto omni extrinseco. Atque ex his à fortiori sequitur, durationem non esse denominationem extrinsecam in Angelo & Deo. Estque aureum indicium hujus rei, quod à parte rei, ut ostensum est, idem sunt existentia & duratio. Non dicitur autem res existere per coexistentiam ad aliud. E. nec dicetur sic durare.

2. *Duratio cognosci potest per extrinsecum*, hoc est per coexistentiam ad durationem alterius. Duratio enim unius si sit notior, ista potest esse quasi mensura alterius durationis, & proinde notificare durationem alterius. Atque id est in motu cœli, comparando eum ad durationes nostras. Is enim est constantissimus. Unde in quantum id volunt ea quæ, initio hujus quæstionis dicta sunt, facilè ea admittuntur. Alio modo nec speciem probabilitatis habent, & satis convulsa sunt per priora dicta. 20.

ARTICULUS VI.

An duratio consistat in ratione mensuræ?

FRequentissimè apud Dd. in disputatione de duratione, solet occurrere nomen mensuræ. Ponuntque adeò in relatione mensuræ aliqui formale ipsius durationis. Sed tamen malè. 21.

Advertendum igitur est: posse istam relationem mensuræ intelligi vel activè vel passivè, hoc est, ut formale durationis putetur consistere in hoc quod mensuretur (ab alio) vel quod mensuret (aliud.) Igitur. 22.

Dico 1. *Duratio non consistit formaliter in mensurabilitate.* Nam 1. Deo convenit duratio, quæ tamen non est mensurabilis, si accuratè loquamur, quia est infinita. Infiniti autem non est mensura. Nam mensurari est definitè cognosci, quantum id sit quod mensuratur. Vide Pererium *l.* 12. *Phys. c.* 10. 13. Atque ita sequitur, durationem in genere non posse constitui per mensurabilitatem. 2. Sed nec duratio creata potest formaliter consistere in mensurabilitate, sed ista hâc ordine naturæ est prior, quia mensurabile secundum durationem dicitur id, quod supponitur habere durationem. Sicut enim mensurabile secundùm perfectionem, supponitur habere perfectionem, & mensurabile secundùm magnitudinem supponitur habere magnitudinem: ita etiam mensurabile secundum durationem, supponitur habere durationem, quæ per applicationem mensurantis mensuretur, & sic denominetur mensurabilis. Atque ita mensurabilitas est fundum affectio durationis creatæ, secundùm quam illa dicitur cognoscibilis per applicationem rei mensurantis. Affectio autem rei non potest esse ejus formalis ratio sive conceptus intrinsecus. 23. *Duratio non consistit in mensurabili.*

Dico 2. *Duratio non consistit formaliter in ratione mensuræ sumendo eodem* 24.

Removetur mensuratio activa à ratione durationis.

mensuræ, pro eo quod mensurat. Ita patet, quia si duratio formaliter & essentialiter est aliquid mensurans, quæro quid mensuret? Aut igitur duratio mensurat aliquid intra rem durantem, aut aliquid extra eam. Non hoc, quia remoto & destructo omni extrinseco, nihilominus res dicitur durare. Veluti Deus semper actu duravit, & tamen ante mundi creationem nihil fuit, quod eum mensuraret.

25. Unde sequitur, si aliqua duratio mensuret aliquid extrinsecum, quòd tamen non consistat in eo formaliter ipsum esse durationis, sed quòd solùm id sit accidentalis proprietas durationis. Veluti etsi motus & duratio cœli, mensuret durationes nostras, non tamen, durare cœlum vel ejus motum consistit in mensuratione durationum nostrarum: Sed cœlum dicitur formaliter durare, quia in suo esse permanet, ut rectè dicatur cœlum durare, etiam remotis omnibus corporibus, extra ipsum positis, quorum duratio per motum cœli cognosci & mensurari potest.

26. *Removetur mensuratio intrinseci.* Nec etiam dici potest: quod durat. o formaliter consistat in actuali mensuratione, ejus, quod sit intra rem durantem. Nam 1. Sic sequeretur in omni durante esse aliquid mensurabile, quod scilicet mensuret duratio. At hoc est absurdum. Nam Deus dicitur rectè durare, & tamen in Deo nihil est mensurabile, quia omne mensurabile est quantum & finitum, unde nomen mensurati vel mensurabilis communiter statuitur importare imperfectionem. Imperfectio autem nulla in Deo est.

Deinde specialiter inquiro: quid duratio mensuret in re durante? An mensurat *durationem?* At id non dicitur sine repugnantia, quamquam id sæpissimè occurrere soleat. Nam ita idem mensuraret seipsum, quod est absurdum, quia idem poneretur & ignotum & notum. Mensura autem debet esse notior mensurato, & manifestare mensuram. E hoc respectu mensuratum est ignotum. Ergo si sint idem mensura & mensuratum, eadem res erit nota, quia est mensura, & tamen erit ignota quia est mensuratum vel mensurabile.

27. An igitur mensurat ipsum *esse rei durantis* præcisè? At hoc esse non potest. Nam ipsum esse, in ordine apprehensionis nostræ, est prius duratione, unde ipsum potius mensurat durationem, quàm duratio mensurat ipsum esse. Neque occurrunt alia, quæ mensurat duratio.

Atque ita relinquitur simpliciter, formale ipsius durationis, nec consistere in hoc quod mensuretur, nec in hoc quod mensuret, sed, in permansione in existentia. Nunc specialiter agemus de Duratione.

TITULUS III.

De divisionibus durationis.

28. DUratio à nobis bifariam divisa est. 1. Per æternitatem, æuum & tempus. 2. Per durationem permanentem & successivam. De priori prius agendum, idque dupliciter. *Primo* generatim de adæquatione illius divisionis; *Deinde* in particulari, de singulis istis durationibus videndum est. Igitur

QUÆRITUR:

An adæquata & bona sit divisio per æternitatem, æuum & tempus?

29. *Argumenta pro inadæquatione. Æternitatem solum esse durationem,*

EX multis capitibus videri potest inadæquata esse illa divisio. Igitur 1. videri potest, istam divisionem abundare, & sic solum unam esse speciem durationis, nempe ipsam æternitatem, cujus velut partes sint æuum & tempus, quæ abscindant sibi aliquam partem durationis, sicut hora sibi abscindit aliquam partem durationis diurnæ, unde hora & dies, non constituuntur distinctæ quasi species durationum. Et confirmatur, quod alias est impossibile duas durationes esse simul, nisi una sit pars alterius. Veluti non sunt simul duæ horæ, aut duo dies:

At

At hora & dies possunt esse simul. Et sic Cicero 1. *de Invent.* ait, *tempus esse partem æternitatis, cum annui, mensium diurni, nocturnive aliqua significatione.*

2. Videri potest: æternitatem non esse speciem durationis, quia permansio quæ pertinet ad essentialem conceptum durationis, solet æquipollenter significari per vocem successionis. Et patet: quia vix intelligi potest permansio sine continuatione plurium instantium, juxta quod prius dictum est, aliquos dicere, Entia momentanea non habere durationem. Continuatio autem plurium instantium est successio. At implicat in Deo dari successionem, unde & definitur æternitas, quòd in ea vita *tota simul* possideatur, apud Boëth. *l. 3. de Consol. prof. secunda.* Atque ita relinquuntur duæ solùm durationes, nempe ævum & tempus. Atque hoc sériò contendit Aureolus apud Capr. *l. 1. d. 8. a. 2.* non dari in Deo durationem. 30. *Æternitatem non esse durationem.*

3. Videri potest: omittendum esse ævum. Ut summatim omnis duratio sit æternitas vel tempus, sicut in Scriptura passim solent immediatè opponi, temporale & æternum, & in vernacula nostra, *Zeitlich und Ewig.* Unde frustrà interponitur ævum. Et hanc sententiam tenet Timplerus, *l. 1. Met cap. 5. in Theor. & 4. & 6.* Ubi porro ævum comprehendat sub æternitate, & vocat eam *æternitatem limitatam.* Atque hæc sunt, ex quibus videri possit abundans, superior divisio. 31. *Nec ævum.*

4. Nunc etiam videri potest illa divisio deficere, eò quod plures sint species durationum. Igitur 4. momentum est aliqua duratio Nam generatio substantialis existit in momento. E. & durat in momento, quia durare & existere in re idem sunt. Momentum tamen non continetur sub illis speciebus durationum. Non sub tempore, quia nullam habet successionem, quod in tempore requiritur. Non sub cæteris, quia generatio est defectibilis, Æternitas autem & ævum sunt durationes indefectibiles. 32. *De momentaneis.*

5. Corpora naturalia, veluti homo & equus etiam secundùm esse suum, præciso omni motu, habent durationem, quatenus in esse perseverant. Et tamen sic eis non convenit tempus, quod attenditur solùm in motu. Nec etiam istis convenit ævum. Hæc enim vox significat durationem ab intrinseco indefectibilem, qualis est duratio Angeli & animæ. Multò autem minus talis duratio est æternitas. ut per se patet. Et sic Suarez disputat *disp. 50. s. 7. n. 5 in Metaphys.* talem durationem esse distinctam à cæteris. Sic & Dd. Conimbr. *l. 4. Phys. c. 14 q. 3 a. 1.* 33. *De ipsarum essentiarum naturalium duratione.*

6. Denique frequenter solet fieri mentio temporis discreti, quod intelligitur in diversis & discretis intellectionibus Angeli, sibi immediatè succedentibus. Hæc igitur mora in intelligendo, est hoc ipso duratio quædam ipsius intellectionis. Et tamen non est ibi duratio ævi, quia tales actus sunt ab intrinseco defectibiles, & sicut incipiunt, ita etiam desinunt. Neque etiam dicendum est, durare illos tempore. Nam tempus quod connumerari solet aliis durationibus, intelligitur de tempore continuo. Unde ista duratio, ad distinctionem ab illo tempore vocata est tempus discretum. Ergo hoc tempus discretum erit peculiaris duratio. 34. *De tempore discreto.*

7. Denique dubitari solet de Visione beata; Hæc suam durationem habet, & non est temporalis, & tamen non apparet, an duret duratione ævi, an duratione æternitatis? 35. *De visione beata.*

Nihilominus omnino existimo istam durationum divisionem, esse omnino adæquatam, quod apparebit, si ea, quæ inducta sunt, nihil isti divisioni officere docebuntur. Quia autem in istis multa attinguntur specialia, pertinentia ad singulas speciales durationum, ideo singulas durationes prius considerabimus, ne methodum contubemus, & postea, ex iis, quæ dicenda erunt; objectiones solvemus intrà *Titul septimo.* Nunc istas difficultates hic indicasse satis sit. 36. *Probatur adæquatio propositæ divisionis.*

TITULUS IV.

DE ÆTERNITATE.

Quoad æternitatem hic de duobus videndum est. *Primo*, de voce æternitatis. *Secundo*, de ejus definitione. Vbi etiam aliqua ejus attributa incidenter declarabuntur.

ARTICULUS I.
De voce Æternitatis.

37. *Unde dicatur æternum.*

VOx Æternitatis primùm explicanda est. Igitur notatio ejus dari solet hæc; quòd *æternum* dicatur tanquam *extra terminum*. Eò quòd hæc duratio est interminabilis, ut postea dicetur, Græci ἀΐδιον dicunt, ὃν τὸ ἀεὶ *semper*, unde & Latinè *sempiternum* dicimus.

39. *Ambiguitas in voce æterni.*

Deinde notandum: quòd vox illa dicatur ambiguè. Igitur 1. Æternum est affectio propositionis. Dicitúrque sic æterna propositio, quæ habet veritatem immutabilem, indeq; fuit, & est, & erit semper vera. Ita æternæ veritatis propositiones sunt hæc: Homo est animal rationale. Homo est capax disciplinæ, albedo est calor. Et sic deinceps.

Alter æternitas intelligitur de ente incomplexo. Et proinde sic 2. Æternum dicitur ad significandam durationem prorsus indefectibilem & interminabilem, quæ videlicet nec terminum habuit, nec habebit, imò nec habere potuit, aut poterit. Et sic solus Deus est æternus. Agimúsque nunc hoc sensu de æternitate.

40. 3. Atque hinc per analogiam porro æternum dicitur, quod durationem aliquo modo habet interminabilem, veluti quod à parte pòst non habet terminum, etsi à parte ante habeat terminum, hoc est, etsi inceperit. Sic damnatio impiorum, & piorum vita dicitur æterna.

4. Vocatur etiam æternum, quod valdè diu durat, etsi utrinque sit terminatum. Ita circumcisio vocatur fœdus æternum, quia diu duravit, quanquam alii æternitatem ibi interpretentur compleri non in ipsa, sed in ejus antitypo.

Unde porro 5 Æternum etiam dicitur, quod non quidem admodum durat diu, sed tamen est tamdiu, quamdiu est ipsum subjectum. Unde servitus ejus, cujus aures perforatæ sunt, dicitur æterna, quia protenditur usq; ad illius obitum. Hæc de significationibus vocis, ex quibus, ut dictum est, secunda significatio est nostrum propositum.

ARTICULUS II.
De definitione Æternitatis.

41. ÆTernitas apud Boëthium *l. 3. de cons. propos. 2.* definitur, quòd sit interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. Quam definitionem communiter solent interpretari Scholastici. Vide & Thom. 1. *p. q. 10. a. 1.* & Perer. *l. 12. de Temp. c. 9.* Armand. de Bello Visu, *l. 2. Term. c. 63.*

Æternitatem esse durationem.

42. IN nostra definitione 1. Loco generis ponitur *Duratio*. Ergo Dei æternitas est duratio. Nam Deus permanet in esse suo, & non desinit. At permansio in esse vocatur duratio. Ergo Deo competit duratio. Ergo sine dubio perfectissima duratio, quæ est æternitas. Atque ita æternitas est, hoc ipsum nomen, quo significatur Dei duratio. Atque adeò generatim loquendo, æternitas est duratio.

43. Sed *Objicitur* argumentum, quod præcedente titulo tactum est, de successione, quòd ea requiratur in omni duratione, & tamen non sit in æternitate.

Ad argumentum hoc *respondeo* 1. Intrinsecam successionem non est de ratione durationis. Datur enim duratio permanens, etiam in rebus creatis, ut infra videbitur. 2. Nihilominus quia nos spiritualia per corporalia, & æterna per temporalia intelligimus, & verò in tempore, ut famosè de eo loquimur, est successio secundùm prius et posterius: hinc omnem durationem apprehendimus nos per successionem quandam, qua Deus apprehenditur existere in pluribus momentis sibi succedentibus. Et hæc imaginaria successio non repugnat æternitati. Nam ipsa Scriptura in ejus descriptione, usurpat rò heri et hodie, aliáque temporalia.

Quæ

Quæ sit differentia, quâ æternitas distinguatur à durationibus aliis?

43. OBrento igitur genere, nunc investigandâ est differentia. Hæc igitur variè solet assignari.

Frequenter dici solet, æternitatem esse durationem, quæ *careat utroque termino*. Vt æternum sit, quod caret utroque principio, ut nec inceperit, nec desinat. Eo sic loquitur de æternitate Perer. *lib. 12. c. 7. & seqq. in Phy.* aliiq; veteres. Vnde consequenter dicit, si aliquid ab æterno creatum esset à Deo (quod ipse disputat non esse absurdum *ibid. lib. 15. de mu. di æter. cap. 10. seqq.* Sicut nec revera absurdum est) id esse etiam æternum. Vocantque aliqui, talis rei durationem, æternitatem participatam. *An actualis carentia termini sufficiat ad rationem æternitatis.*

44. Alii tamen æternitatem vendicant soli Deo, & sicut de facto non est aliqua creatura æterna, ita aiunt nec posse esse aliquam æternam, ut maximè ab æterno aliqua creatura facta esset. Quo in casu postea illa creatura, juxta sententiam explicandam, non dicitur æterna, sed ex æterno, vel æternitati coëxistere, aut etiam æterna, intelligendo id non de durationc intrinseca, sed per denominationem extrinsecam, sumptam scilicet à Dei æternitate.

45. Ex hanc sententiam magis probo, utpote quæ non solùm magis fundata est in communi modo loquendi de æternitate, sed etiam, quod de divinis attributis sequi debemus, ut maxima vendicetur Deo sublimitas & excellentia. Id autem magis fit, si attributum aliquod Deo appropriatur, quàm si in commune consortium trahatur cum rebus aliis. *Sententia Autoris.*

46. Quo posito, rectius, ut in nostra definitione factum, ponitur differentia æternitatis per voces potentiarum, quam per nomina actuum, hoc est, per interminabilitatem & repugnantiam ad incipiendum & desinendum, quàm per carentiam actualis inceptionis & desitionis. Vnde tunc æternum dicitur, quod non potest incipere & non potest desinere. Voluitq; hoc etiam Boëthius indicare; dicens æternitatem esse possessionem *interminabilem*. Interminabile enim (sicut & alia terminata in *bilis*) nomen potentiæ est, significans id, quod terminari non potest. *Æternitas describenda per non posse, &c.*

47. Atque tum solus Deus est æternus. Prorsus enim repugnat Deo, ut incipiat & desinat, ut suprà ostendimus *cap.* 13. ostendendo, Deum esse ens purè actuale. Entia autem creata, si maximè supponeretur aliquid factum esse ab æterno, & perseverare in æternum, revera sic non sunt æterna: quia nec repugnat enti creato, in tempore creari & rursus etiam in tempore desinere, utrumque propter libertatem influxus divini, ex quo fit, ut nec Deus sit determinatus ad peculiare & definitum nunc in quo operetur, creando aliquid, & rursus etiam ut prò subitu suspendere possit influxum suum quo res conservat. Eo autem suspenso, ne ad momentum quidem potest res creata subsistere, sicut nec lumen, deficiente sole illuminante, potest subsistere. Consonat huic quod Augustinus *lib. 12. de civ. Dei. c.* 15. docet, si Angeli ab æterno creati essent, nihilominus non fuisse coæternos creatori suo. *Ille enim semper est, inquit, æternitate immutabili, illi autem facti sunt.* *Solus Deus æternus.*

48. Alii differentiam æternitatis ab aliis durationibus ponunt in eo, quòd duratio permanens sit æternitas: Aliæ autem durationes sunt successivæ. Hæc sententia non est admittenda, si intendatur, quasi omnis alia duratio, præter æternitatem, sit ens successivum, a curatè loquendo. Nam ipsum esse rerum creatarum corruptibilium & incorruptibilium, est durabile. Et illud tamen habere potest partes suas simul. Vnde est permanens. Et & duratio illius est permanens, propter identitatem ejus ad essentiam. Atq; ita in rebus creatis datur duratio, non solùm successiva, sed etiam permanens, quod etiam infrà videbitur. *An æternitas ab aliis durationibus differat per successionem.*

Si tamen duratio permanens intelligitur nunc κατ' ἐξοχὴν, ad significandam permanentiam talem, secundùm quam res durans intelligatur, incapax omnis variationis & mutationis, inceptionis vel desitionis, sic hæc sententia vo. me. dic cum

cum expositâ à nobis definitione æternitatis, & verum est sic, nullum esse creatum, esse permanens, & proinde nec habere durationem permanentem. Est ea fugax vel umbra: Quam ad rem commodè aliqui faciunt duplicem successionem, positivam & privativam. Positiva successio est à positivo ad positivum. Et positiva successio iterum duplex est, vel à toto, ad totum, quomodo constituitur tempus discretum, vel à parte entis una ad partem aliam. Et hæc propriè facit ens successivum, quale est motus. Privativa autem successio est inter esse & non esse, qualis datur in omni ente creato, vel dari potest.

Successio duplex

TITVLVS V.
DE ÆVO.

49. DE ævo tria inprimis sunt tractanda. *Primò* de nomine ævi. *Secundo* de definitione & quidditate ipsius ævi. Vbi etiam aliqua ipsius attributa declarabuntur. Et *Tertio*; Quænam res durent ævo?

ARTICVLVS I.
De nomine Ævi.

50. AEvum Græcis αἰὼν dicitur, ἀπὸ τὸ ἀεὶ ὄν, tanquã ἀεὶ ὤν. Vnde ejus conjugatum est ἀΐδιον æternum, quod similiter ab ἀεὶ nomen habet: Vnde apparet ex vi vocis, & secundùm ejus impositionem, æternitatem & ævum idem esse. Sicut & Argyropilus αἰ παρυφάτων ζωὴν καὶ αἰῶνα apud Arist. 1. *de cælo t.* 100. vertit sufficientissimam sempiternitatem. Et Plut. αἰῶνα Deo tribuit, Θεὸς ait, οὐ κατ' ἰδέαν χρόνου ἀλλὰ κατ' αἰῶνα ἕν ἀκίνητον καὶ ἄχρονον ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ οὔτε πρότερον οὐδὲν ὄντα, οὐδ' ὕστερον, οὐδὲ νεώτερον ἀλλὰ εἷς ἀεί, νῦν πρὸς νῦν τὸ ἀεὶ πεπληρωκώς. Hoc est, *Deus non est secundùm tempus, sed secundùm ævum, immobile, intemporale, & immutabile, quo nihil prius vel posterius vel novius, sed unus, in uno nunc, æternitatem implevit.*

51. *Varie significationes in voce ævi.*

Cæterùm valdè frequens est, ut nominis usus deviet à impositione, ut scilicet usus sit latior vel angustior, quàm patiatur nominis impositio. Atque hinc etiam plures sunt significationes ævi. Colleg. Conimb. *ad 1. de cælo in Paraph. t.* 100. duas enumerat significationes vocis hujus. Peterius addit tertiam *lib.* 12. *de Temp. c.* 12.

Igitur 1. Ævum sumitur generaliter pro omni duratione, etiam temporali: Vnde *longævum, coævum & æquævum* dicuntur. *Secundo* sumitur pro vita seu duratione rerum supercœlestium. Sic Aristot. 1. *de cæl. cap.* 9. *t.* 100. ait, ea quæ extra cœlum sunt esse inalterabilia & inpassibilia & sufficientissimam vitam (ζωὴν ἐν αἰῶνα) habere. Vnde sic etiam æternitas est ævum. Deniq; in disputationibus de duratione, ævum significare solet durationem, mediam, inter æternitatem & tempus, quæ istâ sit imperfectior, hac perfectior. Et sic nunc agitur de ævo. Plures significationes vocis hujus vide apud Damasc. *lib.* 2. *de orthodox. fid. c.* 1. & Pelarg. *ib.*

ARTICVLVS II.
De definitione & quidditate ipsius ævi.

52. 1. RAtione *generis* ævum est duratio. Significat enim hæc vox specialem modum permansionis in esse, appropriatum quibusdam entibus, ut postea videbitur. At permansio in esse, est duratio.

PVNCTVM I.
Aliorum opiniones, quæ sit ævi differentia ab aliis durationibus, reservatur & refutantur.

53. *Prima opinio.*

2. QUoad *differentiam* solet *primo* pars ejus poni *in successione*, quatenus ea distinguenda est ab æternitate. Hæc sententia Bonaventuræ tribui solet. *Exerc.* 2. *d.* 2. *q.* 3. *a.* 1.

Rejicitur.

Sed id non bene dicitur, juxta dicta *præcedentis. hujus comment. n.* 48. ubi quæ ἐπιεικῶς possit illa accipi sententia, etiam visum est. Probatam disputationem contra

ra istam opinionem vide apud Suarez *disput.* 50, *Met. s.* 3. *n.* 3. *seqq.* & Perer. *l.* 12. *de Temp. c.* 12, 13.

Deinde: Alii partem istius differentiæ, qua æuum ab aliis durationibus distinguitur, faciunt hanc, quod æuum sit duratio esse creati *naturalis*. Unde ajunt, ea quæ habent esse supernaturale, ut est visio beatifica, non contineri sub ævo. Ita docet Colleg. Conimb. *l.* 4. *Phys. cap.* 14. *q.* 3. *a.* 1. Thomas, 1. *p. q.* 10. *a.* 5. & alii veterum, qui durationem visionis beatificæ vocant æternitatem participatam. 54. *Secunda opinio*

Suarez *disp.* 50. *s.* 8. & 5. exponit, illam participatam æternitatem per æquipollentiam ad æuum, quo modo loquendi ait & August. *lib.* 83. *qq. q.* 23. animam nostram *participare* divinam *æternitatem* immortalitate. *Æternitas participata.*

Sed talis interpretatio non est ad mentem ipsorum autorum, qui omninò volunt æternitatem participatam distinguere contra æuum. Unde Conimbr. *d. l.* ad arctandam rationem æui, sic illud definiunt: *Æuum est duratio seu mensura esse creati naturalis stabiliter ac perenniter se habentis.* 55. *Discutitur,*

Verior igitur sententia est: istam differentiam spuriam esse. Quia naturale & supernaturale sunt differentiæ extrinsecæ ipsius esse. Sumuntur enim tales denominationes à subjecto vel à causa, unde naturale in contradistinctione à supernaturali definitur, quòd sit ab agente naturali, modo naturali, & secundùm ordinem naturalem, apud Perer. *l.* 7. *de Nat. c.* 2. Subjectum autem & causa efficiens non variant essentias rerum. Ergo nec existentiam. Ergo nec durationem propter horum omnium realem identitatem. Atque ita visio beatifica potest mensurari ævo, non obstante hoc, quod est aliquid supernaturale, si nihil aliud impediat.

Æuum non consistere in ratione mensuræ.

Tertiò: Rursus aliqui ponunt rationem æui in respectu mensuræ? 56. *Tertia opinio.*

Hæc tamen sententia concidit per ea, quæ suprà generaliter ostenderunt, quòd duratio non possit formaliter consistere in respectu mensuræ. Addam tamen aliquid propter peculiares modos loquendi.

Igitur 1. *Æuum non consistit in ratione mensuræ, respectu æternitatis, quasi sit aliquid mensurabile per æternitatem.* Ita videtur fere in contrarium sentire Scalig. *Exerc.* 359 *s.* 7. Et confirmari potest, quòd primum in unoquoque genere est mensura reliquorum. At æternitas est prima duratio. E. est aliarum mensura. 57. *Æui formale an sit, mensurari æternitate? Sententia Auctoris.*

Hæc sententia non est admittenda. Nam mensura debet esse notior mensurato. Ad durationem æternitatis est ignotior quavis alia, manifesto indicio, quod in ea declaranda solemus uti nominibus nostrarum durationum, veluti successionis & aliorum: *Deinde* si omnino supponerentur: Æternitatem mensurare alias durationes, non tamen propterea in hac mensurabilitate posset ipsum formale aliarum durationum consistere quia, ut suprà visum est, mensurabilitas præsupponit quantitatem, cui accidat ipsum mensurari. E. in rebus æternis supponitur duratio tanquam ordine naturæ prior mensurabilitate. Patétque id porrò inde, quod omnis mensura fiat solùm in homogeneum. E. etiam datur aliquid in rebus æviternis homogeneum divinæ æternitati, juxta quod hæc dicatur mensura illius. At id non est nisi duratio. E. duratio præsupponitur à mensurabilitate. E. non potest formaliter & intrinsecè constitui per mensurabilitatem.

Primum autem in unoquoque genere, dicitur mensura reliquorum, loquendo de mensura perfectionis, non durationis. Atque isto modo verum est, æternitatem mensurare alias durationes. Cognoscuntur enim hæ perfectiores vel imperfectiores, in quantum plus vel minus habent de æternitate. 58. *Solvitur objectio.*

2. *Æuum non consistit in ratione mensuræ, respectu temporis, tanquam sit aliquid mensurans tempus nostrum.* Ita patet ex priori discursu, quod scil. tùm æuum in ratione durationis est aliquid ignotius quàm tempus, per argumentum ibi factum: tùm etiam, quod esse mensuram alterius, supponit (sicut de mensurabili dictum est) in re mensurante quantitatem, secundùm quam sit alii homogenea. Quanti- 59.

tas

tas autem sic illa non est alia quàm duratio. E. duratio supponitur in eo quòd debet mensurare durationes. E. formaliter & intrinsecè non constituitur hoc, quod est activè mensurare.

69. 3. *Ævum non consistit in ratione mensuræ, sic, quasi Angelus summus duret, mensurando durationes aliorum inferiorum: & rursus Angeli inferiores durent quatenus mensurantur durationè primi Angeli.* Ita loquuntur aliqui, non tamen istis omnibus placet formaliter durare Angelos, per tale mensurare & mensurari, sed id esse proprietatem vel attributum durationis Angelicæ, & Peterius hanc sententiam declarat *lib. 12. de Temp. c. 16.* Notat enim ibi ævum dupliciter sumi: *uno modo*, pro intrinseca durationè æviternorum. Alio modo pro extrinseca mensura hujus durationis, & sic ait aliquos dicere, quòd omnia æviterna durent hâc mensura, sive uno ævo, quod sumatur per applicationem durationis Angeli ejus, qui sit summum eorum, quæ æviterna sunt, sicut omnia temporalia sunt in eodem tempore quatenus mensurantur per unum motum primi mobilis.

61. In neutro tamen sensu, talis sententia procedit. Nam primò quod formaliter non consistat duratio in isto mensurare & mensurari, convincitur argumentis & suprà in initio hujus commentarii generaliter, & postea specialiter factis.

Secundo: dici non potest per modum proprietatis ævum superioris Angeli mensurare ævum cujuslibet inferioris Angeli vel alterius æviterni, quia omnes illæ durationes sunt nobis æquè ignotæ.

Neque convenire possunt Autores, in determinando isto primo æviterno, quod aliorum durationes mensuret. Alii putant illud primum æviternum esse Luciferum, quia hic sit excellentissimæ naturæ, quam labendo, non amiserit: alii ponunt, Angelum, qui remanserat inter bonos excellentissimus: alii animam Christi: alii aliud ponunt. Unde signum est unius durationem non esse notiorem alia. At omnis mensura debet esse notior mensurato.

62. Simpliciter igitur hactenus relinquitur, quòd ratio ævi non consistat in respectu mensuræ, quod *n. 55.* propositum fuit.

Ævum non constituitur ex actuali inceptione & carentia desitionis.

63. *Quarta opinio* IGitur *Quarto*: Solet esse valdè frequens sententia, secundùm quam differentia ævi assignatur hæc, quòd ævum sit duratio *carens fine, sed habens principium.* Ex qua distinguitur ab æternitate & tempore. *Ab æternitate*: quia hæc nec principium nec finem habet. *A tempore* autem, quia hæc duratio & principium & finem habet. Unde relinquitur ævum esse durationem mediam inter utramque quia participat aliquid de æternitate, nempe carentiam finis, & aliquid de tempore, nempe initium, sive terminum à parte ante.

64. *Rejicitur sententia affirmans.* Hæc tamen differentia, sine addito, non est sufficiens. Unde rectè à Thoma *1. p. q. 10. a. 4. & 5.* vocatur differentia per accidens. Quod sic patet. quia si Angelus statim ab æterno fuisset creatus, non is habuisset initium durationis, hoc est, non datum fuisset tempus (ita enim nunc loqui liceat) in quo non fuisset Angelus, ille sic non duraret duratione ævi, sed alia: Et idem esset, si vel ille Angelus, qui per hypothesin ponitur coæternus Deo vel etiam alius Angelus desineret in tempore per subtractionem divinæ conservationis. Ille enim Angelus sic non duraret duratione ævi, quia hæc dicitur expers finis. Atque ita posset Angelus durare duratione æternitatis & duratione ævi, & duratione temporis. Iterum si Deus nunc crearet equum, & eundem, vel etiam alium genitum per naturales causas, conservaret in æternum, ille non haberet durationem temporis sed ævi, quia careret illa duratio fine, & haberet principium. At absurdum est, durationes Entium adeo variari ut una eademque res duret distinctis speciebus durationum. Nam duratio realiter est eadem cum existentia, & consequenter cum essentia. Unde si variaretur ejusdem rei duratio specie, etiam specie variaretur ejusdem rei essentia. Et rursus

cùm

eâm essentia non varietur per extrinsecum, & quamvis circumstantiam, appareat, nec durationis speciem variari per extrinsecum & circumstantiam ullam. Et patet absurdissimè dici: Equum morientem secundum naturalem cursum, differre specie ab eo, qui conservaretur à Deo in æternum. Et nec ejus duratio differt specie ab alterius duratione, ut illius quidem duratio sit tempus, hujus ævum.

PVNCTVM II.

In quo propria sententia exponitur de ævi differentia.

65. His igitur omnibus, hactenus propositis, & refutatis sententiis dimissis, rectissimè dicitur: *Ævum esse durationem rerum creatarum naturâ indefectibilium.* Definitio in theorematibus posita hæc erat: *Ævum est duratio secundum quam duratis potest habere initium, sed ex se non habet finem.*

Hac in definitione principiò notandum est: eam non fieri per verba actualis inceptionis aut defectus, cujuscunque tandem ordinis illa sint. Potest enim aliquid durare durationis ævi: 1. quod ab æterno creatum esset, & permaneret in æternum. 2. aut ab æterno creatum esset & desineret in tempore. 3. aut quod factum est in tempore, & desineret in tempore. 4. aut quod factum est in tempore & maneret æternum. Quæ omnia fieri possunt circa Angelum, cujus sic durat duratione ævi.

66. *Essentiales conditiones ævi duæ.*

Relinquuntur autem duæ quasi essentiales conditiones ævi. Igitur 1. *duratione ævi potest habere initium*, hoc est, quod durat duratione ævi, potest aliquando non fuisse, & non habet repugnantiam ad latere in causis, vel, non est purè actuale. Et indicatur hinc ævum non posse convenire Deo. Æternitas enim est prorsus interminabilis duratio cui repugnat prorsus vel à parte ante vel à parte post habere terminum. At Deus est ens prorsus actuale, ut repugnet ei habere initium aut posse habere initium.

Altera conditio ævi est, *ex se non habere finem*, hoc est esse rerum naturâ suâ indefectibilium.

Naturâ indefectibilia quæ sint.

Dicuntur autem naturâ suâ indefectibilia & incorruptibilia, quæ adeo quasi renax esse sortita sunt à Deo, ut non possint desinere per causas secundas, sed solùm per specialem Dei voluntatem, qua suspendat influxum suum ad talia Entia conservanda. Talia entia sunt Angeli, ubi nec Angelus Angelum, nec aliud intra causas secundas eum corrumpere potest, nec ipse sibi relictus, remotis causis extrinsecis, tandem desinit & collabitur, ut faciunt arbores, herbæ, animalia. Sed quando desinit Angelus, solùm id fit, quia Deus eum speciali voluntate non vult amplius in esse conservare. Et talis modus essendi solet vocari, naturalis indefectibilitas & incorruptibilitas, non quasi Angelus istam indefectibilitatem non habeat per gratiam: quod attendendo solent aliquando Angeli & anima dici, esse naturâ corruptibiles & mortales, per gratiam autem incorruptibiles & immortales, ut loquitur Damasc. *lib. 2. de orth. fid. c. 3. & 12. & lib. 3. c. 8.* Synod. 7. *sess. 11.* Et Hieronym. *lib. 2. contra Pelag.* & alii plures, quos vide apud Suarez *disp. 35. Metaph. s. 3. n. 54.* Et Pater. *l. 4. in Genes. n. 119.* Eodemque sensu etiam *par. 3. disp. de anima*, animam rationalem suâ naturâ dixi mortalem *disp. 3. th. 6. seqq.* sed quia per gratiam accipiendo naturam, simul cum natura accepit à Deo implantatam sibi naturæ indefectibilitatem, ut per eam adeò stabile esse habeat, ut sit immunis ab omni corruptione et defectione, quam causa secunda procurare posset, solùm eorum relinquatur sub imperio Dei, ut ad hujus solius nutum & voluntatem desinere possit.

67. *Ævi & temporis differentia.*

Et per hanc conditionem, distinguitur ævum à tempore. Tempus enim significat durationem rerum naturâ suâ defectibilium et corruptibilium, ut postea plenius dicetur. Atque ex his nunc facilè solvitur quæstio hæc,

ARTICULUS III.

Quænam res durent Ævo?

68. *Durant ævo multi.* IN genere, ævo durant omnes res creatæ, quæ naturâ suâ sunt indefectibiles & incorruptibiles.

In specie autem talia Entia sunt 1. *Angeli, secundùm esse suum.* Hi enim sunt natura sua indefectibiles, eo modo quo declaratum id est, *præcedenti artic.* Dixi: *Secundùm ipsa.* Nam operationes Angelicæ, veluti intellectio, & actiones ipsorum transeuntes ad entia materialia, quia, hæ natura sua sunt defectibiles, nec durant duratione ævi sed temporis, ut Metaphysici tempus sumere solent.

69. *Et anima rationalis.* 2. *Anima rationalis etiam dicat duratione ævi.* Hæc propositio sumitur secundùm veriorem sententiam, quæ est de anima rationali, quod scilicet ea sit naturâ immortalis, quam rem alibi considerabimus. Naturâ autem immortalium duratio, est duratio Ævi. Sequitur autem hinc, alias omnes formas excludi ab hac duratione, quia illæ desinunt per naturales causas, nempe per destructionem suppositorum in quibus sunt. Unde si tum, hoc est, post suppositorum destructionem, petro conservarentur in esse, fieri id oporteret per specialem & extraordinariam Dei actionem, qualis etiam esset, in ipsius suppositi, veluti equi conservatione ab omni interitu. Quæ specialis actio est indicium naturæ defectibilis in equo & ejus forma, atque adeò communiter in forma quavis, præter animam rationalem.

70 *Et materia prima.* 3. *Duratio materiæ primæ est æviterna.* Hæc enim est ingenerabilis & incorruptibilis, hoc sensu, quod nec per seipsam collabi aut emori possit, nec etiam ab ulla causa secunda corrumpi possit. Ergo ipsius annihilatio aut destructio solùm subest imperio divino, Attalia durant ævo.

71 *Et cælum.* 4. *Duratio cæli est duratio ævi.* Hæc sententia procedit, supponendo, quòd cœlum sit quintæ essentiæ, diversæ scilicet naturæ à quatuor Elementis. Quo supposito fit, ut neque cœlum in se includat contrarias qualitates, neque etiam contrarias qualitates habeat extra se, quæ ipsum immutent vel corrumpant. Unde propter harum defectum non potest naturaliter ab extrinseco corrumpi, & per defectum prioris conditionis, non includit quicquam ex quo reddatur quasi sibi ipsi causa suæ corruptionis. Relinquitur ergo sic natura sua incorruptibile, & per consequens mensurabile ævo. Et hæc satis sunt de secunda specie durationis, quæ fuit ævum: Sequitur de Tempore.

TITULUS VI.

DE TEMPORE.

72. SIcut de ævo, ita & de Tempore tria sunt considerànda; *Primò*, ipsa vox temporis. *Secundo*, quid sit tempus? Et *denique*, Quarum rerum sit hæc temporis duratio.

ARTICULUS I.

De voce Temporis.

Ambiguitas in voce temporis. VOx temporis est ambigua: Ea igitur primùm declaranda est. *Primo* igitur tempus non pro ipsa duratione, sed, pro opportunitate sumitur, quomodo Græcis tempus dicitur καιρὸς. De quo *Augustinus* Epist. 78. ad Hesych. καιρὸς, inquit, *significat tempus, non tamen quod in spatiorum voluminibus transit: sed quod in rebus ad aliquid opportunis aut importunis sentitur.* χρόνος autem est ipsum spatium temporis. Et sic dicimus in tempore agere, vel venire, item inservire tempori.

Secundo sumitur tempus pro extrinseca mensura durationis, quomodo (applicatione

catione ad durationes rerum naturalium) Arist. agit de Tempore 4. *Physic.* atque c. 11. t. 101. id esse numerum motus, secundùm prius & posterius. Et hoc modo etiam *Gen.* 1. v. 14. dicitur: Luminaria magna esse facta in signa & *tempora*, hoc est mensurandas durationes rerum aliarum.

Tertio tempus solet à Ramais generaliter sumi pro omni duratione, quomodo Deo etiam tribuuntur temporis differentiæ, veluti fuisse & esse & fore, & consequenter tribui ei potest, vox temporis, tanquam æquipollens voci durationis. Vide de hac significatione Donnamium *lib. 1. Comment. Logic. cap. 11. p. 207.*

Quarto tempus sumitur pro duratione, contradistincta ab æternitate. Et sic Arist. 4. *Physic.* 12. ait: τὰ μὲν ὄντα οὐκ ἐν χρόνῳ ἐστὶν οὐδ' ὑπὸ χρόνον ἐστὶν ἡ μετρεῖται τὸ εἶναι αὐτῶν τῷ χρόνῳ. *Æterna non sunt in tempore, neque mensuratur esse eorum à tempore.* Quam ad rem sententia Plutarchi suprà relata est. Et in hac oppositione intelligitur vel adæquatè opponi æternitati, vel etiam mediante ævo. Unde temporale dici potest, quod non est æternum simpliciter & absolutè. Et rursus temporale dici potest, quod non est æternum secundùm quid, velut quod est æviternum.

Quinto: Atque hinc tempus solet poni duratio distincta non solùm contra æternitatem, sed etiam contra ævum. Unde relinquuntur omnia durare tempore, quæ non sunt æterna aut æviterna.

Et *Sexto* solet, per antonomasiam, intelligi vox temporis de duratione tali, qualis est rerum Physicarum. Nunc tamen latiùs accipitur, ut comprehendat etiam rerum non Physicarum durationem, item durationem momentaneam generationis, quæ omnia possunt dici durare tempore, Metaphysicè, dicto, ut apparebit.

ARTICULUS II.

Quid sit Tempus?

Quæ in superioribus de esse durationis, & de prioribus ejus speciebus disputata sunt, hîc etiam tractari solent, & proinde ex ibi dictis judicari possunt. 73.

Deinde est observandum: non hîc agi de tempore, de quo Physici agere solent. Id enim est mensura extrinseca durationis, quam Metaphysici inprimis non curant. *Et rursus* tractatur ibi solùm in applicatione ad res naturales: At nostrum tempus reperitur etiam in non naturalibus, veluti in actibus Angelicis. *Et denique* tempus Physicum verè est unum. Una enim est mensura, qua cognoscuntur omnium rerum motus. At tempus Metaphysicum, totuplex est, quotuplex res. Ita scilicet unicuique rei sua duratio est, & proinde alia est duratio (& in specie tempus) hominis, alia equi hujus, alia illius. 74. *Discrimen temporis Physici & Metaphysici.*

Igitur de hoc tempore, Metaphysicè loquendo, solet differentia illius poni, *in successione*, quasi scilicet omnes aliæ durationes sint permanentes: Tempus autem sit duratio successiva. Unde consequenter tempus ajunt solùm esse Entium successivorum ut motuum, & non etiam ipsarum essentiarum, quod & Suarez fecit, *disp. 30. Metaph. s. 7.* 75.

Hæc tamen opinio proba non est. Unde alii non solùm actus, sed etiam esse rerum quarundam, ajunt durare duratione eâ, quæ tempus dicitur. Vide *Thom. 1. part. q. 10 a. 3.* *Tempore*, inquit, *mensurantur omnis motus, & etiam ipsum* esse *rerum corruptibilium.* Et apparet satis, quia motus & esse rerum corruptibilium conveniunt in uno esse defectibilitatis. At secundùm defectibilitatem & indefectibilitatem sumitur ratio permanendi in esse, & consequenter ipsius durationis. Atque ita summatim, esse temporalis durationis, abstrahit à permanente & successivo; & sunt revera aliqua temporalia, quæ sunt permanentia ut esse equi alicui 76. *Etiam tempore durare res permanentes.*

asini, &c. Et alia sunt successiva, ut motus equi, asini, &c.

77. Alii faciunt differentiam temporis hanc, quòd duratio temporis sit illa, quæ habet principium & finem.

Sed hæc differentia est per accidens, ut manifestum est ex iis quæ de æternitate & ævo dicta sunt. *Num. 42. & seqq. & Num. 61. seqq.* Nam duratio propter identitatem ad essentiam est invariabilis, sicut & essentia est invariabilis: At secundùm talem definitionem temporis, quod est idem specie cum alio, posset habere durationem differentem specie ab alio à quo non differt specie. Veluti equus hic & equus iste sunt iidem specie, & tamen haberent juxta talem definitionem, durationes specie differentes, quia nihil repugnat equum divina potentia conservari in æternum, unde sic per defectum finis in duratione duraret non tempore sed ævo. Asinus autem duraret non ævo sed tempore. Ævum autem & tempus sunt durationes differentes specie.

78. Rectissimè igitur, dimissa actuali desitione, dicitur: Quòd *Tempus sit duratio, quæ naturaliter possit desinere.* *Naturaliter* dico: hoc est, quorum interitus procurari possit per causas naturales. Et dico: *possit*, Ad insinuandum, quod non repugnet, de facto perseverare rem temporalem. Unde si contingeret rem aliquam, natura sua corruptibilem, divina potentia præservari ab interitu, nihilominus ista, duratione temporis duraret, quia res ista secundùm naturam suam est corruptibilis. Sequitúrque hujus veritas clarè satis, partim ex refutatione priorum opinionum, partim ex iis, quæ de æternitate & ævo locis *prior. Num.* citatis disputata sunt. Sed ad hanc rem plenius intelligendam quæritur, quibus conveniat hæc duratio, de quo statim videndum.

ARTICULUS. III.

Quarum rerum sit hæc temporis duratio?

79. REspondeo generaliter primò: *Omnia durare tempore, quæ sunt naturâ suâ corruptibilia.* Natura autem corruptibilia nunc intelliguntur ea, quæ talia sunt, non quasi per excellentiam, quomodo solus Deus est naturâ incorruptibilis. Sed illa naturalis incorruptibilitas intelligitur sic, prout talis incorruptibilitatis est capax Ens creatum. Et inter Entia creata dicuntur natura incorruptibilia, quæ ad corruptionem non habent nisi potentiam Logicam, sive non repugnantiam, in ordine ad primum Ens, hoc est, quæ non possunt corrumpi, nisi speciali voluntate Dei, per suspensionem influxus, quo res creatæ in esse conservantur. Unde in oppositum nunc natura corruptibilia dicuntur, quæ etiam aliunde, intra naturam sistendo, corrumpi possunt. Et hæc omnia durant durationc ea, quæ tempus dicitur.

80. *Tempore durant motus.* Specialiter autem durant tempore 1. *Omnes motus rerum naturalium.* Et de his quidem res certa est, qui sunt Entia successiva, ut sunt motus accidentales; pateret tamen etiam de motibus instantaneis, veluti est generatio substantialis. Nam & hæc est natura sua defectibilis. At natura defectibilium non est alia duratio quàm Tempus.

Objectio. Solùm objici hic potest, quòd rerum instantanearum nulla sit duratio, quia duratio implicat aliquem tractum essendi & permanentionem in esse. *Seu* id suprà expositum est, *Num. 11, 12.*

81. *Essentiæ rerum corruptibilium.* 2. *Tempore durant, etiam ipsa essentiæ rerum naturâ corruptibilium.* Hoc satis constitit potiùs *Num. 75, 76.* Unde nunc nihil addo.

82. *Actus Angelici.* 3. *Durant tempore actus Angelici.* Nam & hi sunt defectibiles natura sua, & non solùm per specialem actionem Dei, quia ab Angelo intermitti possunt, & sic de facto non esse. Solet ab aliquibus hoc tempus dici, tempus spirituale, vide Suarez. *disp. 50. s. 7 n. 1.*

83. Alia ex superioribus dijudicari possunt. Solet porrò quæri: Quomodo illæ rerum durationes mensurentur ab extrinseco? & unde; & an omnes unde mensurentur?

ctitur? Ubi supposito, quòd id fiat per motum cœli, qui est nobis notissimus, & sic accommodatissimus ad mensurandas rerum durationes, inprimis tota illa quæstio, videtur potiùs Physica, quàm Metaphysica esse.

TITULUS VII.

Digressio ad solutionem argumentorum, initio propositorum.

NUnc solvenda sunt argumenta, suprà *Num.* 28. *& seqq.* proposita, contra bonitatem divisionis, in ista durationum tria genera. 84.

Ad primum, dico: De Æternitate posse nos bifariam loqui, *uno modo*, quoad id, quod convenit ei à parte rei. *Alio modo*, quoad imaginariam successionem, quam nos apprehendimus, pro concipiendo esse æternitatis.

Et quoad hanc imaginariam successionem sive fluxum, dici potest tempus & ævum esse partes illius fluxus quarum durationum hæc vel illa applicat sibi partem aliquam illius tractus. Est ad eundem modum intelligendus Cicero.

In quantum autem loquimur de æternitate, prout est à parte rei, ibi omnis cessat successio. Atque sic tempus non potest dici pars æternitatis, sicut nec ævum: sicut neque essentia defectibilis, potest dici pars essentiæ indefectibilis. Ad confirmationem autem respondetur: quod impossibile sit duas durationes esse simul, quarum neutra sit pars alterius, loquendo de durationibus ejusdem generis, ut Thomas ait, 1. *p. q.* 10. *artic* 4. *ad primum*. Et inprimis hoc procedit non de durationibus ipsis, sed de extrinsecis mensuris durationum.

Secundum suprà solutum est *Num.* 40.

IN *tertio* probatur solùm, quòd aliquo modo loquendi ævum comprehendi possit sub tempore, quod facilè admittitur. Neque absurdum est, secundùm vocum ambiguitatem, unam speciem ab alia includi: At, non obstante vocis illius ambiguitate, sufficiens discrimen datum est (juxta communem modum loquendi de ævo) inter tempus & ævum, ut ex toto hactenus discursu manifestum est. Videatur *Num.* 66. 85.

In *quarto* tangitur quæstio: *An momentum sit duratio & qualis?* Ubi jam antè responsum est, momentum esse durationem *num.* 11, 12. In specie etiam, loquendo de duratione momentanea generationis substantialis, antè dictum est, eam durare in tempore *num.* 80. Vbi notandum est: Tempus à Metaphysico non sumi ad significandam solam durationem successivam, sed generaliùs dici ut, tempus esse durationem omnem illam, qua durat id, quod natura sua defectibile est, ut est declaratum, sive aliàs habeat esse permanens, sive successivum, instantaneum vel continuatum esse. 86. *De momentaneis.*

In quinto tangitur quæstio: *An ipsæ essentiæ rerum corporearum durent tempore?* Harum igitur durationum multi volunt aliam esse à tempore. Vnde Suarez *disp.* 50 *s.* 7. *n.* 5. refert opiniones, vocantium durationes istas, ævum, tempus. Instans, permanens, durationem rerum corruptibilium. 87. *De Duratione essentiarum rebus corporeis.*

Sed revera non opus est, multiplicare species durationum, adeóque Entia. Nam satis commodè dicitur, essentias rerum corruptibilium durare tempore, prout hactenus naturam temporis declaravimus. Vide inprimis *Num.* 75, 76.

In *Sexto* argumento agebatur de tempore discreto, de quo dicendum est, quod illud non constituat peculiarem speciem durationis. Nam tempore discreto dicuntur durare res diversæ sibi succedentes. Et principaliter quidem solet id poni in Angelicis actibus, sed tamen idem etiam est in actibus nostris, quorum alii aliis succedunt. Vnde statim sequitur, absolutè loquendo, sicut hic multa sunt Entia, ita etiam multas durationes esse. Vnde tempus discretum implicat tot durationes, quot Entia implicat. Atque hæ durationes satis continentur, particulatim sumptæ 88. *De tempore discreto.*

sumptæ sub tempore, de quo tractavimus. Tum autem complexo ex multis particularibus durationibus sibi succedentibus, non debet peculiaris duratio adæquatè respondere, quia id non est verè unum, sed solùm est unum per aggregationem.

89. *Quâ durationis duret visio Dei beatifica? Probatur sufficientia ad visionis Durationum.*

In *Septimo* argumento quæritur: *quâ durationis duret visio Dei beatifica*, quâ scilicet sancti Angeli & animæ Deum intuentur.

Respondeo hac in re 1. Non debere peculiare genus durationis esse, qua ista duret. Nam evidenter æternitas & ævum & tempus exhauriunt omnem durationem. Nempe omnis duratio, aut est prorsus indefectibilis, aut non prorsus indefectibilis. Si primum sic est æternitas. Si autem non est prorsus indefectibilis. Ergo est vel defectibilis per naturam, vel non. Si primum, est tempus. Si secundum, est ævum. Atque inter hæc evidens est non posse dari medium. Nam omnia membra, facta sunt per contradictionem.

90. *Thomæ sententia.*

2. Sed quæ nam duratio ex his convenit visioni beatificæ; Thomas *1. p. q. 10. a. 5. & l. 3. contra gent. c. 61. & l. 4. sent. d. 49.* tribuit tali visioni æternitatem, vocâtque eam speciali nomine *participatam*.

Nihilominus hæc sententia admittenda non est. Nam æternitas significat durationem prorsus indefectibilem. Visio autem illa est defectibilis, tùm à parte ante, quia potuit non inchoari, tùm à parte post, quia potest, sicut & ipse Angelus animavé de facto, saltem per Dei potentiam destrui. Atque hoc indicat etiam vox *Participata*, quæ revera, ut nunc ea vox intelligitur, diminuit vel tollit æternitatem: quia ista voce significatur, durationem visionis illius subjectam esse Dei imperio, atque indefectibilem esse.

Argumenta quædam pro hac sententia habet Thomas, sed ea facilia sunt. Si placet, videantur apud Feret. *l. 12. de Temp. c. 8.* & Scot. *l. 4. Sent. 49. q. 16.*

Dimissâ igitur hâc sententiâ verè dicitur, visionem illam durare ævo, quod & Scotus *d. l.* voluit, patétque ex prædictis satis. Nam ævo durant illa, quibus nec repugnat incipere, nec repugnat, per Dei voluntatem specialem, desinere, supponimus autem quod talis visio non sit res naturâ corruptibilis, quo in casu alia mensuraretur tempore.

Et hactenus quidem consideravimus primam divisionem durationum, quæ erat per æternitatem, ævum & tempus; sequitur ut alteram quoque attingamus, quâ duratio alia dicitur permanens alia successiva.

TITULUS VIII.

De duratione permanente & successiva.

91. HÆc est altera divisio durationis, cujus mentio facta est in Theorematibus hujus capitis. Inprimis autem hic de duobus agendum est: *Primo* explicandus est sensus propositæ divisionis. *Deinde* videndum: an rebus creatis possit duratio permanens convenire.

ARTICULUS I.

In quo exponitur divisio durationis in permanentem & successivam.

92. *Et quæ successione dicatur duratio successiva?*

Est autem *Primo* observandum, successionem aliam esse realem, aliam imaginariam. Unde, loquendo de imaginaria successione, omnium rerum, hoc est, tam creatarum, quàm rei increatæ, duratio est successiva. Quia nos divinam istam durationem apprehendimus per heri & hodie, & cras, adéque fluxum à prioribus ad posteriora. Sicut enim immaterialia per materialia: ita etiam æterna non intelligimus nisi per temporalia.

Atque ita, ut intelligatur duratio permanens distincta contra successivam, intel-

intelligi oportet successionem realem, quia, ut visum est, permanens duratio etiam habet imaginariam successionem.

Deinde: permansio solet aliquando sumi pro omni mora in essendo, esto, aliàs id sit habendo partes simul, sive influxu quodam, quomodo supra explicata est ista vox, ad definitionem durationis, *num.* 15. Unde sic permanens vocabitur, quicquid durat: quia durare est permanere in esse. Unde consequenter, hoc modo, omnis duratio est permanens, sicut in priori modo loquendi, omnis duratio erat successiva. Unde apparet juxta istum sensum non intelligi hic durationem permanentem. 93. *Ex qua ratione dicatur permanens?*

Tertio: Aliter successio est duplex: privativa & positiva: *Privativa* seu negativa successio est, non esse & esse. *Positiva* autem est inter diversas partes ejusdem esse. Unde sic omnia entia creata durant successivè, successione privativa, quatenus ipsorum esse succedit ad non fuisse, & illud esse tandem desinit per non esse. Nulli enim rei creatæ, ut vulgò dici solet, ipsum existere est essentiale, hoc sensu, quod & possit latere in causis & tandem destrui. Unde, talem privativam successionem excludendo datur quidem aliqua duratio permanens, sed ea in solo Deo. Successionem autem positivam non habent omnia entia, ut apparebit. 94. *Successio duplex.*

Quarto: Permanens duratio potest intelligi per excellentiam, pro ea quæ est omni modo indefectibilis, in qua nulla detur vel innovatio, vel inveteratio, vel qualitcunque variatio. Et sic solus Deus habet permanentem durationem. Entia autem creata eam non habent, quanquam aliqua proximè eidem accedunt, ut est duratio Angelica, quæ variis variationibus non est ita obnoxia. 95.

Quinto: Atque ita, loquendo de positiva successiva, sunt aliqua quæ eam habent, alia eam non habent. Positiva successio datur in motu, cujus aliqua pars est præterita, alia est futura, & alia est præsens. Atque ita ejus partes non sunt omnes simul, sed sibi succedunt. Talia igitur entia dicuntur successiva, correspondétque his duratio, quæ dicitur successiva. Rursus aliqua entia habent totum suum esse simul, & non in fluxu, qualequid est Deus, Angelica essentia, anima, ipsum corpus, etc. Atque his correspondet duratio permanens. Estque hic sensus inprioris superioris divisionis in durationem permanentem et successivam. 96.

ARTICULUS II.

An Entia creata habeant durationem permanentem?

DUbitant ea de re aliqui, ut videre est apud Henric. *quodlib. 4. q. 11.* Peter. *lib. 2. de Temp. c. 6.* et vulgò apud Metaphysicos. 97.

Sed apparet satis, aliquam durationem creatam esse permanentem, juxta sensum *num. 96.* relatum. Illa enim entia creata, quæ ibi enumerantur, non habent esse fluens, sed permanens. Duratio igitur illorum etiam, non est fluens sed permanens. Hæc tamen tota res magis illustrabitur ex infra dicendis, ad divisionem Entis in permanens et successivum, *cap. 19.*

Sed *objicitur*: omnes res conservari à Deo. Conservatio autem nihil est aliud, quàm continuata generatio. Ergo res creatæ, continuè accipiunt esse. Ergo non habent id totum simul. Hæc principalis est hac in re objectio. 98. *Objectio.*

Respondeo: Conservationem duplicem esse. Alia immediatè attingit esse, et consistit in continuata generatione rei, quæ conservatur. Ita Sol conservat lumen, continuando sparsionem radiorum, per quos conservatur lumen. Lumen ergo conservatur per continuum influxum illuminationis. Unde et quamprimùm removetur illuminans, removetur etiam lumen, quod secus est in calore v. g. qui, remoto calefaciente, durat adhuc in re calefacta. Alia conservatio non attingit immediatè essentiam: sed dispositiones, essentiæ debitas. Quò pertinet etiam, si res conservetur, removendo nocumenta, quomodo Magistratus conservat Rempublicam (non continuè faciendo rempublicam sed) tuendo leges, arcendo hostes, sedando factiones, seditiones, &c. *Conservatio duplex.*

99. Ex his igitur quocunque modo Deus conservet res, neutro tamen modo creaturæ fiunt entia successiva. Et de posteriori quidem modo conservandi, res est satis perspicua, quia is non attingit immediatè essentiam. Vnde non apparet, quomodo ex continuitate conservationis, sequatur successio in ente conservabili. Si autem dicatur Deus res conservare, primo modo conservationis, tum nec sic quidem fiunt entia successiva, ut apparet exemplo Luminis, quod maximè conservatur isto modo. Nam lumen est ens permanens, ut inde apparet, quia in quovis momento habet suam essentiam totam simul, et si vel maximè solo momento existat, adhuc tamen lumen est lumen, quod repugnat enti successivo. Sic igitur et homo, quia in quovis momento est homo, et in nullo momento quicquam ei deest, quod pertineat ad essentialem ejus integritatem, hinc ergo is, non obstante conservatione divina et à Deo per continuatam generationem dependentiâ, absolutè est ens permanens et non successivum. Idem autem est etiam in rebus creatis aliis. Quo tamen modo Deus res conservet, alibi videndum est.

CAPVT XVII.

DE ESSE ALICVBI.

1. TErtiò denique ad Ens actuale pertinet *esse alicubi.*

2. Esse alicubi, est nihil aliud, quàm spatio adesse.

3. Ejus modi tres sunt: Esse alicubi repletivè, definitivè & circumscriptivè.

4. *Repletivè* alicubi est, quod omnia ubi replet, sive, quod est ubiq; nec per naturam aliter alicubi esse potest.

5. *Definitivè* alicubi est, quod natura sua citra occupationē spatii: est hic & non alibi. Talis modus essendi alicubi, convenit Angelis.

6. *Circumscriptivè* est alicubi, quod aliquod ubi natum est occupare, atque ita excludere corpus aliud. Talis modus essendi alicubi convenit corporibus.

COMMENTARIVS.

1. VEtustiores Metaphysici non agunt de alicubi esse in doctrina transcendentium et transcendentalium distinctionum. Fecerunt tamen id Recentiores quidam, inter quos sunt *Johannes Lippius*, et *Henricus Nollius*, viri doctissimi, quos honoris causa nomino.

2. *Inter transcendentia agendum esse, de esse alicubi.*

Idque rectissimè. Nam 1. Metaphysici vetustiores, cùm explicant prædicamentum ubi, frequentissimè insinuant, quod sit aliquis superior modus essendi alicubi, qui non sumitur secundùm ubi prædicamentale, qualis Deo convenit. Vnde complectendo sub una generali voce etiam hunc modum essendi alicubi, relinquitur esse alicubi, ut sic, transcendere prædicamenta, atque ita inter transcendentia proponi debere.

3. Deindè idem docent *Tamæi*, qui contendunt locum (quod tamen melius sit sub voce *esse alicubi*,) esse omnis entis (actualis.) Vide hac de re imprimis Dounam *lib. 11. Dialect. c. 10. §. 184. 191.* Sic Arist. 4. *Phys. 1.* τὰ μὲν ὄντα πάντα ἐν τόπῳ εἶναι φαίνεται· τὰ γὰρ, quæcunque sunt omnes alicubi esse arbitrantur. Et *Cicero Tusc. 1. Si, quid est, ut quam sit non potest, et si usquam est, sic est, et quidem.* Indeque Thales apud Laertium, locum ait esse maximum quid, quia omnia capit. Et rursus Arist.

Arist. 1. de Cœl. c. 9. etiam ait, *impossibile divinum locari vel collocari.* Et S. Damascenus etiam *l. 1. de Orthod. fid. c. 17.* ag. 1 de Dei loco, & *post. c. 8.* de loco Angeli & anim. ex. Idemque confirmat vulgaris distinctio, eorum, quæ sunt in aliquo loco, prius in Theorematibus relata, in qua summatim omnia Entia competentia hendunter.

Atque his de causis voluimus generaliter agere de esse alicubi, & non coarctare ad prædicamentum ubi istam considerationem, quod Suarez faciendum censuit, *disp. 3. Metaph. s. 2. n. 11.* 4.]

Sunt autem summatim in hoc capite hæc tradenda: *Primò* de phrasi, esse alicubi. *Deinde* quid sit esse alicubi? *Tertiò* de ejus divisione. *Quartò* distinctim agendum est de esse alicubi replective, *Quintò* de esse alicubi definitive; Et *Denique* de esse alicubi circumscriptivè.

TITULUS I.

DE VOCE ESSE ALICUBI.

ALicubi ex vi nominis significat *aliquod ubi*, sive ubi *partiale*. Unde ad comprehendendos omnes modos præsentiæ fortasse vox *ubi* fuisset magis accommodata quàm vox *alicubi*: Maluimus autem hanc usurpare, tum, quod alias etiam sæpè fieri solet, quia vox ista deviavit ab ista angusta usurpatione, in qua partiale ubi & præsentiam significat, tùm etiam, quòd vox *ubietatis* videtur nunc appropriata esse ad significandum ubi prædicamentale, quod Deo non convenit. Et hic Scalig. *Exer. Ubi* esse affectum necessarium omni Enti, præter Deum *Exerc. 5. s. 6. & 6. s. 2. & 369 s. 5.* Sed contentio non debet esse de vocabulis. 5. *Notatio & Alicubi.*

Remanet autem ambiguitas in Phrasi hâc, *esse alicubi.* Inde igitur 1. alicubi esse, est idem, quod esse in ubi *partiali* sive partium & determinato; Et sic ait August. *lib. 83. qq. q. 20. Deus non est alicubi. Nam quod alicubi est, continetur in loco, quod continetur in loco, corpus est, Deus autem non est corpus. Non ergo alicubi est. Et tamen quia est, & in loco non est, in illo sunt totus omnia, quàm illi alicubi. Nec tamen ita in illo sit ipse sit locus. &c.* Et concordanter his ait Chrysostom. *Homil. 5 ad Coloss.* Deum nusquam esse, licèt sit ubique. 6. *Ambiguitas ejus explicatur.*

Aliter autem esse alicubi sumitur generaliùs, ad significandam omnem præsentiam, quâ quid removetur ab ipso, nusquam esse. Et sic etiam August. *d. l.* adjicit Locum Dei, dici ejus templum, quod ei præsens sit, non quòd eo contineatur. Quibus indicat Augustinus, si esse alicubi, vel in loco significet solùm præsentiam, Deo id non repugnare Et hinc Lombard *l. 1 d. 38. lit.* O. illa citata verba Augustini interpretatur, quòd solùm intendat ibi Augustinus purificare Dei naturam à localis motu & circumscriptione.

TITULUS II.

QUID SIT ESSE ALICUBI.

HAc in re statuo aliquas propositiones, quibus *Primo* determinandum est, quid non sit esse alicubi, hoc est, variæ aliorum opiniones removendæ sunt. *Deinde* declaranda est sententia propria. 7.

ARTICULUS I.

In quo aliorum opiniones reservantur & refutantur.

1. ESse alicubi non consistit formaliter & solùm in denominatione extrinseca. Extrinsecæ denominationes illæ dicuntur, quæ sumuntur ab actu alienæ alicujus rei, vel per coexistentiam alterius rei. Quomodo paries dicitur visus, *1. Esse alicubi non consistere in denom.*

minatione extrinseca.

non per aliquid sibi intrinsecum, sed sumpta denominatione ab extrinseco actu videntis. Patétque, 1. quia esse alicubi est proprietas cujusque Entis actualis. Proprietates autem non sumuntur ab extrinseco. Deinde quia remoto omni extrinseco, adhuc res relinquitur esse alicubi. Id enim extrinsecum, unde sumeretur haec denominatio, in primis esset res alia circumdans vel circumscribens. At omni circumdante remoto, veluti remoto aëre ex conclavi per divinam potentiam, atque ita conclavi evacuato, nihilominus res eò immissa, esset alicubi & non nusquam. Idémque à fortiori apparet de Deo, qui, ut postea ostendetur, est etiam alicubi cùm est in spatiis imaginariis extra hunc mundum. Et tamen ibi nullum est circumdans. Idémque est de corpore primùm creato, atque adeò, mundo ipso totaliter sumpto.

6. Atque ex his sequitur: nec ipsum esse alicubi, in genere, nec in specie, hujus vel illius Entis alicubietatem, postulare extrinsecum aliquid ad quod facta comparatione dicatur esse alicubi.

9. *Nec in operatione transeunte,*

11. *Esse alicubi non consistit formaliter in operatione transeunte.* Hæc sententia opponitur opinioni aliquorum (vel saltem modo loquendi, fortè enim mens satis dextra est) qui loquendo de Angelorum præsentia, aiunt eorum alicubi esse, esse nihil aliud quàm operari. Tribuitur talis sententia Capreol. *d.* 2. *q.* 1. *a.* 1. Ferrar. *l.* 3 *contra gen. c* 68. & aliis. Et eodem modo loquuntur aliqui de præsentia Dei.

Hæc tamen opinio refutatur ab aliis. *Vide* Fonsec. *l.* 5. *Met. c.* 15. *q.* 9. *s.* 4. Suarez. *disp.* 30. *s.* 7. *n.* 14. & *disp.* 51. *sect.* 4. 11. Scalig. *Exerc.* 339. *s.* 5. & Lombard. *ibi as ad l.* 2. *d.* 37. & *l.* 2. *in initialibus distinctionibus.*

Patet autem, ipsum esse alicubi non consistere formaliter, in tali operatione. Nam 1. Quia talis operatio supponitur esse transiens, ideò requirit, aliquid extrinsecum, ad quod scilicet transeat. At illud extrinsecum vel coexistens non requiri ad ipsum esse alicubi, ad primam propositionem patuit.

10. Scaliger *cui ato loco.* Sic porrò 2. argumentatur, non posse, ipsum alicubi esse, consistere in operatione, quia operatio non est comes necessaria Entium. Potest enim res esse, si maximè non operetur. Ipsum autem alicubi esse, est necessaria proprietas omnium Entium, etiam Dei, ut nunc de esse alicubi loquimur, quia non est nusquam.

11. *Rationes Scaligeri,*

Item 3. Si Angelus (idem autem est etiam de aliis) esset in suo ubi per operationem, non posset in eodem ubi aliam exercere operationem, sed variata operatione variaretur ubi. At hoc est absurdum, quia, sine ulla mutatione ipsius ubi, multas potest exercere operationes. Iterum sic non posset mutare ubi, nisi mutaret operationem. Quod itidem est absurdum. Pertinet huc, quod Augustinus *Epist.* 28. Identitatem præsentiæ ponit cum varietate operationum. *Animus*, inquit, *per omnes partes corporis tota ad sit simul, nec minor in minoribus, nec major in majoribus, sed tamen in aliis intensiùs, in aliis remissiùs operatur.*

Probatur Dei præsentiam non consistere in actu transeunte.

Specialiter autem idem patet de Deo. Nam, ut postea videbitur, Deus præsens est infinitis spatiis extra cœlum, ut postea confirmabitur, & tamen ibi nullam operationem habet.

Patet igitur, ad præsentiam per accidens esse, operari, atque adeò, posse quid esse alicubi, ubi non operatur. Unde porrò non incommodè dicitur, quòd esse alicubi sive ipsum adesse, sit conditio in agente prærequisita ad agendum: quod in corporibus est evidens, ad quorum actionem præsupponitur, ut sint alicubi, & specialiter quidem ita, ut, per talem præsentiam habeant contractum ad patiens, de quo Arist. ait 1. *de gener. & corrupt. cap.* 6. *t.* 44. *seqq.* Unde sic esse alicubi, atque adeò habere præsentiam ad aliquod spatium, est ordine naturæ prius ipsa operatione.

12. Quia tamen Scriptura loquitur per ea, quæ sunt notiora nobis, ideò frequenter solet ipsum alicubi esse, sive præsentiam Dei, describere per operationem, tanquam notam vel indicium præsentiæ. Ita Ps. 76. dicitur: *in Salem esse tabernaculum ejus, & in Sion ejus habitatio.* Et Ej. 31. dicitur: *ignis ejus esse in Sion & clibanus*

in. Hic-

in Hierusalem. Ita eum justo dicitur Deus cœnare, & intrare ad illum. *Apoc* 3. v. 20 & mansionem apud ipsum facere, *Joh.* 14. v. 23. tanquam in templo suo. 1 *Cor.* 6. v. 19. Rursus sic cœlum vocatur sedes Dei, *Esa.* 66. v. 1. quæ omnia dicuntur propter speciales Dei operationes, quas exercet in Ecclesia, animâ justa, & in cœlo. Undę per defectum alicujus operationis, priùs alicubi exercitæ, Deus, alias revera manens alicubi, dicitur tamen inde recedere, & accedere, cùm incipit aliquid operari, quod antea non erat operatus. Quæ tamen omnia indicant, hoc ipso, præsentiam Dei non consistere in operatione. Semper enim manens ubique, dicitur accedere & recedere operando, & quòd alas cœli cœlorum non capiunt illum, cùm tamen omnis transiens Dei operatio sit intra cœlum, sive mundum hunc.

131

III. *Ipsum alicubi non est formaliter idem quod spatium.* Ita patet, quod spatium ipsum in se nihil est ita patet, quod extra hunc mundum nihil est creatum. Mundus enim est universale systema rerum creatarum: & tamen extra mundum est spatium, quod sit aptum repleri corpore, quóque adeò summatim tale est, ut in eo dici possit aliquid esse alicubi. Atque hinc etiam illud spatium extra cœlum, solet dici spatium imaginarium.

132

133

An spatium extra cœlum sit aliquid reale?

Colleg. Conimbr. *l.* 8. *Phys. c. ult. q.* 2 *a* 4. ut & Fons. *l.* 5 *Met. c.* 5. *q.* 1. *s.* 1. disputant: quòd illud spatium non sit aliquid rationis. Ponunt igitur de spatio Conimbricenses duas propositiones. I. *Spatium non esse ullam aliquod, reale ac positivum Ens,* cùm nihil præter Deum ab æterno fuerit, hoc verò spatium semper extitit, semperque esse debet. II. *Spatium illud non esse Ens rationis,* cùm ab eo, reipsa absque opera intellectus, intra mundum corpora concipiantur, & extra mundum recipi queant, si illic à Deo creentur. Atque hinc inferunt, ejus dimensiones non ideireo *imaginarias* dici, quòd fictitiæ sint, aut à sola mentis notione pendeant, nec extra intellectum dentur: sed quia imaginamur eas in spatio, proportione quadam respondentes, realibus ac positivis corporum dimensionibus.

134

Hæc tamen sententia non cohæret. Nam inter ens reale, & rationis non datur medium. Tum etiam peccat in definitione Entis rationis. Neque enim consistit ens rationis, adæquatè in eo, quòd fingatur vel fiat per intellectum. Nam cæcitas aliæque privationes sunt entia rationis, & tamen non sunt per fictionem mentis nostræ. Bartimæus vere est cæcus antequam quisquam id cogitet: Consistit igitur in eo, natura entis rationis, quòd nullam entitatem habeat, nisi quam tribuit intellectus. At certè cæcitas & spatium istud, nullam entitatem habent, nisi quam intellectus iis tribuat, cùm ante hanc entitatis attributionem per operam mentis, in spatio non supponatur entitas esse, hoc ipso, quia non est reale.

135

IV. *Ipsum alicubi non est idem, quod ubi prædicamentale.* Ita patet quia prædicamentum ubi constituit aliquod genus accidentium. Unde ad rem ubicatam, facit necessariò compositionem, & proinde repugnat Deo ut sit alicubi, sumptâ tali denominatione ex prædicamento ubi, quod plenius disputavi *in Introd. Log cap.* 13. *n. Marg.* 8. contra Fons. *l.* 5. *Met. c.* 15 *q.* 9. *s.* 3. 7. At illa alicubitas, de qua nunc loquimur, comprehendit etiam Deum in quantum, à Deo, removendo ipsum nusquam esse, eundem dicimus esse alicubi: Atq; inde porro sequitur:

136

V. *Ipsum alicubi, ut sic, non esse modum, ex natura rei distinctum, ab illa re, quæ dicitur esse alicubi.* Nam si id esset, tum consequenter idem dicendum esset de omnibus, quæ alicubi sunt. At attributa Dei non sunt ex natura rei distincta ab ipso. Ergo nec hoc, quod ipse dicitur esse alicubi. In aliis tamen entibus creatis, ubi, aliquam distinctionem habet ab ipsis, quia variare possunt ubi, nihil variata essentia, ut etiam de hoc ubi creato disputat Suarez *disp* 51. *s.* 1. *n.* 14. *seqq.*

137

Generatim autem, quomodo alicubitas differt à re quæ est alicubi? *Respondeo* distinctionem eorum, esse indifferentem ad distinctionem realem & rationis. Nam alicubitas divina, nullo indicio patet distincta esse à Deo. Et proinde in hac specie ad essendi, est distinctio rationis. Ubi autem creatum patuit ex natura rei distin-

138

dum esse ab ipsa re creata quæ alicubi esse dicitur. Ergo hæc in specie adessendi non est distinctio rationis. Simile est in aliis attributis multis, quæ de Deo & rebus creatis dicuntur. Veluti quid differat sapientia à sapiente, aut justitia à justo? Respondeo eadem hic præscindere à differentia reali & rationis. In specie autem: Justitia divina a Deo sola ratione, ab homine autem justo, realiter, tanquam qualitas à substantia distinguitur.

ARTICULUS II.

Confirmatur expositionem sententiæ propriæ.

22. VI. Quid igitur tandem est esse alicubi? Respondeo: *Alicubi esse, nihil aliud est, quàm esse præsens spatio*, vel *alicubitas est præsentia in spatio*. Vel, *est modus secundum quem res dicitur esse in spatio*. Ubi modus vocatur hæc alicubitas, quia est quædam determinatio essendi, quatenus scilicet per esse alicubi, essentia intelligitur esse hic aut illic vel ubique.

Quod autem formalis effectus ipsius alicubitatis consistat in hac præsentia, apparet 1. Ex rejectione aliarum opinionum. *Deinde* quia hac præsentia immutata, res dicitur immutare ubi, & hac præsentia retenta, dicitur retinere ad quod ubi.

20. Atque ita patet: principaliter quidem, ipsum ubi non esse spatium, quod prius visum est, sed tamen ipsam alicubitatem sumi cum determinatione ad spatium.

Neq; hic obstat: quod spatium sit ens rationis. Nam per præsentiam rei, ad illud ipsum, fit quodammodo reale. Dixi *quodammodo*. Quia alias realitas spatii non consurgit ex præsentia cujusvis entis, sed entis corporei. Unde apprehendi dicitur accipere realitatem, quando accipit dimensiones, quas in eo nobis imaginamur. Dimensiones autem reales non sunt, nisi in corpore.

TITULUS III.

DE DIVISIONE ESSE ALICUBI.

21. IN *loco* esse vulgò dividitur in hos tres modos. 1. esse in loco repletivè. 2. esse in loco definitivè. & 3. esse in loco circumscriptivè. Sed magis propriè id dicitur sub generaliori vocabulo, nempe *esse alicubi*, quia locus plus infra sectionis, juxtà vulgarem modum loquendi infert, quàm vox ubitatis vel alicubitatis. Indeque istos modos sumpsimus sub esse alicubi.

Solent autem aliquæ difficultates proponi contra bonitatem & sufficientiam istius distinctionis, sed eas melius proponere & solvere poterimus, singulis istis modis declaratis prius, quanquam nec id necessarium erit seorsim facere. Tradita enim bene ista, quæ specialiter ad istos modos adessendi pertinent, difficultates tales ex eadem statim relinquentur solutæ.

TITULUS IV.

DE ESSE ALICUBI REPLETIVE.

23. HIc primus specialis modus est essendi alicubi. Et tribuitur Deo.

ARTICULUS I.

De Phrasi: esse alicubi repletivè.

SEQUITUR hic de voce sive phrasi aliquid observandum. Is igitur modus divinus adessendi, significatur voce *alicubi*, non tamen ut significet ubi *positivè*, ad quod significandum primitus ista vox imposita est, ut prius dictum. Ita enim repugnaret adjicere vocem repletivi. Alicubi igitur nunc vox generalis est, significans omnem præsentiam, cujuscunque tandem ordinis sit.

23. Vox autem *repletivè* hic non sumpta est à materiali repletione, sive occupa-

tione

sione loci, quæ corporibus conveniunt quæ propriè dicuntur *replere* locum vel ubi. Nam replere est plenum facere, adeoque tollere vacuitatem. Per præsentiam autem solitam rei corporeæ tollitur vacuum. Unde extra cœlum etsi Deus sit, tamen ibi absolutè est vacuum & spatium, non reale, sed imaginarium, cujus cauſa partè *num* 20. posita est. Nunc igitur, inde traducta voce, sumitur repletivum Metaphoricè. Sicut Aristot. *libde Mund. ad Alexand.* ait veteres dixisse, omnia Deorum esse *plena*. Sic & in scripturis dicitur Deus *implere* sive πληροῦν cœlum & terram. Et inde etiam existimo hanc vocem sumptam esse, ad loquendum de præsentiâ divinâ, quia istis vocibus divina præsentia sine dubio à Propheta describitur. *Unde rei præsentia dicatur repletiva.*

ARTICULUS II.

Quid sit esse alicubi repletivè?

QUid igitur nunc est, esse alicubi repletivè? Resp. uno verbo, est, esse ubique sive in omnibus ubi, sive locis. Quæri autem hic solet: 24.

An ille modus universalis præsentiæ extendatur etiam extra cœlum?

VArianthic sententiæ: Aliqui existimant istam universalem præsentiam sat habere, si in mundo non sit ullum τόπον, à quo abstrahi, quod talem in dum adesse ndi habet. Ita censuit Aquarius 1. *Met. q.* 14. Argent. 1. *d.* 37. *q.* 1. Durand. *ib. q.* 2. Item Scotus, Bonaventura, & Capreolus *ibid.* 25.

Alii tamen rectiùs censent, eam extendi etiam (ita enim loqui oportet, cùm alia vocabula desint) ad illa ubi imaginaria, quæ sunt extra hunc mundum, ut Deus (quem supponimus tali modo præsentem esse, demonstrabimus autem id ipsum, Deo volente, infrà) tenera istis præsens sit. Ita frequenter docent Scholastici *ad* 1. *d.* 37. quibus adde Fonsecam *Lo* 3. *Metaph. cap.* 5. *q.* 9. *s.* 4. Coll. Conimbr. *lib.* 8. *Phys. c.* 10. *q.* 2. Suarez *disp.* 30. *Sect. s.* 7. *n.* 28. *seqq.* alioſque.

Confirmatur præsentia Dei extra mundum.

HÆc posterior sententia sine dubio vera est. Et patet ejus veritas 1. Testimoniis Scripturæ. 3 *Reg.* 8. *v.* 27. cœli cœlorum non capiunt eum. Item *Job.* 11. *v.* 8. dicitur Deus excelsior cœlo. Item est *Job* 22. *v.* 12. Alia mitto. 26. *Autoritatibus probatur præsentia Dei extra mundum.*

Faciunt etiam huc Testimonia Patrum. Sic Justin. *qq. Christian. q.* 11. Deus inquit, *est universo major, substantia & magnitudine.* Et Athanas. *in orat.* contra Sabel. Ita gregales: *Non requiras magnitudinem loci tam speciosam, quæ capere possit Dei magnitudinem.* Et Dionys. *in lib. de Divin. nom. cap.* 1. ait, *Deum esse in mundo, et supra mundum, & circa mundum.* Similia sunt apud August. qui clarissimè loquitur, ipsum spatiorum extramundanorum mentionem faciens, *lib.* 11. *de Civ. Dei, cap.* 5. *et* 10. *Confess. c.* 5. Hieron. *in c.* 66. *Isaiæ et* 40. *in Ezech.* Hilar. *in Psal* 118. Ambros. *lib.* 1. *de spiritu sancto. c.* 10. Similaque leguntur apud *Philosophos* & *Poetas* frequentissimè. 27.

Deinde idem patet rationibus. 1. Eadem est ratio divinæ æternitatis & ejus præsentiæ. At illa definitur etiam per extensionem (ut sic loquamur) ad illa momenta, quæ fuerunt ante creationem mundi. Ergo præsentia divina definienda est per extensionem (ita enim loqui liceat) ad spatia imaginaria, quæ sunt extra mundum. Ergo alicubi tas repletiva, de qua nunc loquimur, requirit omnino existentiam & præsentiam in imaginariis spatiis extra mundum. *Deinde*: potest Deus operari extra hunc mundum, faciendo in isto spatio novum aliquod corpus. Ergo jam dum supponitur ib. esse, Consequentia patet, quia actio Dei præsupponit præsentiam. Hinc enim colligimus Deum in omnibus partibus mundi esse, quia in omnibus partibus mundi operatur. Unde rejectum est à Doctoribus simile Aristotelis, qui *in lib. de mundo*, Deum ponit in extremo cœlo, ut inde tanquam rex (qui non adest quavis parte regni sui) omnia in mundo disponat. Posito autem 28. *Et rationibus.*

quod actio præsupponat præsentiam, facilè concluditur quod non inceperit Deus ibi esse, cùm creare inciperet. Id enim apprehendi non potest sine motu locali, quo Deus acceperit aliquod ubi, quod ante non habuerit. Absurdum autem est, Deo tribuere motum, quia hic simpliciter repugnat immenso et infinito.

29 Atque hinc *tertiò* novum argumentum potest sumi. Si scilicet Deus creet tale corpus, in spatio extramundano, non contiguum cum hoc mundo: inprimis tunc certum est, quod Deus debeat esse et in hoc mundo, et etiam adesse isti corpori, propter dependentiam rerum creatarum ab isto, in esse et conservari. Tum igitur porro quæritur: An etiam sit in isto spatio medio inani et vacuo, quod supponitur interponi inter tale corpus et mundum, an non? Negari certè id non potest, quia aliàs Deus à seipso esset divisus, quod est absurdum. Ergo sic præsentia Dei est ad spatium etiam imaginarium. Alia omitto.

30. Contra hujus doctrinæ veritatem, aliquæ objectiones fieri solent, sed ex solent potissimum ex eo fundamento oriri, quòd putatur præsentia consistere formaliter in operatione transeunte. Sed hanc sententiam *priori tit. 2.* refutavimus. Unde nihil necesse est alia addere. Et si quæ addenda sunt, commodè id fiet infrà disputando de immensitate Dei *ad l. 2. c. 3. t. 12.*

DEFINITUR
Quid sit esse alicubi repletivè?

HActenus itaque modus essendi alicubi repletivè est esse præsens ad quodlibet spatium, sive in eo sit aliquod Ens creatum sive non: In hoc tamen non absolvitur ultimò talis adessendi modus.

31. Sicut igitur de æternitate dictum est, quod illa non consistat præcisè in actuali carentia termini ejus, qui est à parte ante, et à parte post, (unde absolutè non dicebatur quid esse æternum, etsi utroq; termino careret: (Ita nunc absolutè non dicitur adesse repletivè, ut maximè non habeat actuales limites essendi alicubi.

Repletivè adesse, complectitur omnia ubi, cum repugnantia secus adessendi.

Estque ratio hujus ista quia, sicut tempus et locus, ita generaliùs, duratio et alicubitas, proportionaliter se habent. Requirebat autem duratio illa æternitatis non solùm carentiam terminorum in durtione, sed addebat etiam impossibilitatem ad terminos tales, hoc est, æternum dicitur, quod non potest habere initium? Sic igitur nunc etiam esse alicubi repletivè dicitur, quod non habet terminos in adessendo, et eosdem etiam habere non potest. Unde sicut non dicitur æternū quod de facto quidem non habet terminos, eos tamen habere potest: Ita non dicitur esse alicubi repletivè, quod de facto quidem in adessendo non habet limites, eosdem tamen habere potest. Neque enim existimo, involvere repugnantiam, ut ens aliquod creatum sit in omnibus locis, sive careat terminis adessendi: sicut neq; repugnat, ens aliquod creatum carere termino durationis. Illud, inquam, ens creatum de quo tale quid fieret, nondum tamen diceretur, alicubi esse repletivè, si in rigore loquamur, *In rigore*, inquam, quia qualicunque intentione vel applicatione, nihil vetat, id omnipræsens dici: sicut et nihil vetat, dicere æternum qualicunque applicatione ad durationem Dei, quod ab æterno factum esset, et nunquam desineret.

32 Patet autem porro; hoc requiri ad istum modum adessendi repletivè, quia aliàs isti modi essent accidentales, quia sic una eadémque res, modò haberet hunc modum adessendi, modò alium. At hoc absurdum est, quia attributa transcendentalia implicant essentiam subjecti, unde ita constitui debent, ut ipsa non mutentur, manente eâdem essentiâ. Connexio patet, de Angelo, v. g. qui est Ens creatum. Potest ille divina potentia sisti in omnibus spatiis, atque ita per gratiam primi agentis esse illimitatus in adessendo. Ergo sic conveniret ei ubi repletivum, cui aliàs convenit ubi definitivum. Item à re quanta potest Deus tollere actum commensurationis ad spatium, atque ita, impedito hoc actu quantitatis, res quanta sive materialis, potest esse tota in toto, et tota in qualibet parte sui spatii,

spatii, quod de facto contigit in corpore Dominico, præsente in cœna. Vnde sic existeret corpus definitivè quod alias existit circumscriptivè.

Ex hoc tamen discursu patet: aliquando contingere, & contingere posse, ut una res ex hoc genere, in adessendo assimiletur quodammodo, alii modo sive specici adessendi, debitæ Entibus alterius generis. 33.

Hic simile in durationibus contingit. Nam in quantum Ens aliquod creatum ab æterno factum concipitur, & idem præservatur ab omni deinceps interitu, assimilatur ejus duratio æternitati. Rursus si res aliqua, natura sua corruptibilis, veluti equus, divina voluntate conservaretur, sine omni corruptione, in quo nulla esset repugnantia, assimularetur ejus duratio ævo, cui alias convenit duratio temporis.

Atque hæc proportio ad durationes semper diligenter attendenda est, ex qua propter paritatem rationis, videri potest quid ferre possit modus adessendi.

Veluti, *Calvinus* & alii assectæ illius, existimant corpus, cui juxta naturam suam convenit ubi circumscriptivum, non posse habere modum adessendi simulem ei, qui est per ubi definitivum. Id satis falsum esse patet ex dictis.

Summatim nunc hactenus: *Adesse repletivè est aliud, quàm adesse omnibus spatiis, nec posse limites adessendi admittere.* 34. *Definitio præsentiæ Repletivæ.*

TITVLVS V.

De esse alicubi definitivè.

SÆpe fit, ut rectè quidem, in aliqua parte disciplinæ, totum aliquod dividatur, cujus divisionis partes tamen vel ad aliam disciplinam, vel ad aliam ejus disciplinæ partem remittantur. 35.

Metaphysicus rectè dividit substantiam in corpoream & incorpoream: corpoream tamen ipse non considerat, sed ad Physicam remittit.

Physicus in parte communi Physicæ, rectè distinguit motum per generationem, corruptionem, augmentationem, &c. Augmentationem tamen in parte communi non considerat, sed in doctrina de anima.

Id etiam fit in præsenti. Nam ad partem communem Metaphysicæ rectè pertinet, docere, quid sit esse alicubi & illud porrò in speciales modos dividere. Isti tamen speciales modi essendi alicubi, definitivè scilicet & circumscriptivè, non incommodè remittuntur ad prædicamenta ubi.

Nihilominus nunc placet aliquid hic de istis modis adessendi adjicere, ad doctrinam Alicubitatis, quam tradimus, complendam.

Est autem sub hoc titulo declaranda *tùm* phrasis ea adesse alicubi, *tùm* etiam ejus quidditas & definitio.

ARTICULUS. I.

De Phrasi.

Esse alicubi definitivè.

SUmitur bifariam, ut etiam Fonseca tradit *lib. 5. Metaph. cap. 15. q. 9. s. 6.* Igitur primò sumitur generaliter. Atque sic definitivè in loco sive alicubi est, quicquid est hic vel ibi, ut non sit alibi, quomodocunque tandem id sit, sive sit ibi, ut totum in toto, & pars ejus in parte spatii sive etiam sit ibi ut totum in toto & totum in qualibet parte. Vnde sic omne Ens creatum alicubi est definitivè. Omnis creatura, ait Damasc. *lib. 2. de Ortho. fid. cap. 3.* à creante ipso definitur & determinatur. Atque ita Solus Deus non est alicubi definitivè. 36. *Esse alicubi definitivè bifariam dicitur.*

Aliter autem sumitur specialiter, opponiturque talis modus essendi alicubi, ei, qui est per ubi circumscriptivum, quem nunc consideramus. Nunc enim esse alicubi definitivè, medium quid est, inter esse alicubi circumscriptivè, & esse alicubi repletivè. 37.

Vide-

Definitivè active sumendum.

Videríque quàm maximè appropriatum esse vocabulum hoc, isti modo adessendi. In vocem *definitive*, interpretemur active, hoc est, ut definitivè alicubi esse dicatur (non quod definatur spatio, seu) quod *sibi definat* spatium, id quod is, hoc totum facere potest, quæ alicubi sunt circumscriptivè, quæ sic dicuntur esse alicubi, non quia circumscribunt, sed quia circumscribuntur, vel circumscribi apta sunt. Angeli autem possunt sibi ipsis definire ubi totum & ejusdem quantitatem, ut in doctrina de Angelis apparebit.

Scalig. *Exerc.* 359. *s.* 5. vocat: *esse alicubi per desygnationem.* Item esse alicubi *per definitionem hunc ad modum: ibi est, hic non est.*

PUNCTUM II.
Quid sit esse alicubi definitivè.

38. ALicubi definitivè esse, est nihil aliud, quàm *esse in aliquo spatio totum in toto, totum in qualibet parte, nec per naturam alter alicubi esse posse.* Convenitque tali modo adessendi, Angelus, animæ nostræ, intra & extra corpus, qualitatibus immaterialibus, veluti scientiæ, sapientiæ, &c.

39. *Definitivæ præsentiæ differentia à repletiva. A circumscriptiva.*

Dixi 1. *in aliquo spatio:* ad distinguendum hunc modum adessendi, ab esse alicubi repletivè. Quod enim sic est alicubi, non est in aliquo spatio, seu in omni, ut prius dictum est.

Dixi 2. *Totum in toto & totum in qualibet parte spatii:* ad ponendum discrimen hujusmodi adessendi, ab esse alicubi, circumscriptivè. Quod enim sic est alicubi, est totum in toto spatio, & pars ejus in parte spatii.

Quid sit esse totum in toto, & totum in qualibet parte spatii.

40. *Quomodo sit totum in qualibet parte, quod est definitivè præsens?*

ESt autem observandum quod de illa totalitate rei, alicubi existentis, bifariam possimus loqui. *Primo* scilicet, prout res est tota secundùm essentiam & perfectiones suas. *Deinde*, prout est tota secundùm quantitatem, prout id de modo, quo anima est in corpore, dextrè exposuit Zab. *de Part. anim. c.* 1. *& seqq.*

Igitur id quod est alicubi definitivè, est totum in parte: (Nam esse rem totam in toto spatio, difficultatem non habet, nec in eo consistit discrimen ubietatis circumscriptivæ & definitivæ, cùm, quod alicubi est circumscriptivè, etiam totum sit in toto spatio.) Non intelligendo totalitatem illam, secundùm quantitatem, sed secundùm substantiam & substantiales perfectiones. Neque enim anima, quæ sic est alicubi, & est tota in qualibet parte, sic id habet, quasi quæ pars animæ (ut sic loqui liceat per commensurationem ad corpus) est extensa ad totum, adeóque ad caput, sit etiam extensa ad pedem, sed hoc dicitur: quòd tota anima sit in toto hoc spatio, humani corporis, & tota etiam essentia animæ sit in qualibet parte illius spatii humani. Neque enim in minima parte pedis, quicquam deest animæ, quod ad illius essentiam pertineat, & sit alibi positum.

41. *Angelus quomodo totus in qualibet parte spatii.*

Idem etiam est in Angelo. Cùm is, verbi gratiâ, definit sibi præsentiam suam ad spatium totius hujus hypocausti, tunc est totus in isto spatio totus, & etiam totus est in qualibet parte illius spatii. Neque enim in me illo, quod prope me, vel intra me est, quicquam deest illi Angelo quod pertineat ad essentiam hujus Angeli, quodque alibi sit positum: illa tamen pars (loquendo de commensuratione Angeli hujus ad tale spatium) Angeli, quæ extensa quasi est ad ubi mihi propinquum, illa non est eadem extensa ad ubi remotius.

Corporibus non convenit adesse repletivè.

Atque sic summatim: Quod est alicubi definitivè est totum in qualibet parte spatii, totum, inquam, secundùm essentiam, non autem totum secundùm quantitatem, vel imaginariam suam extensionem, eo modo quo est declaratum.

Atque sic nunc talis modus adessendi non convenit iis, quæ circumscriptivè sunt alicubi. Nam homo v. g. secundùm essentiam totus non est in qualibet parte

sui spatii. Veluti non est tota essentia hominis in spatio sui pedis, vel digiti, vel tota in alia parte corporis. Essentia enim hominis requirit ad sui complementum corpus organicum, hoc est, caput, cor, cerebrum, sanguinem, &c. quæ requirente id istorum quantitate, non possunt (naturaliter loquendo) esse in eodem spatio. Ergo de his dicitur, quòd non, illa tota sint in qualibet parte, sed quòd pars Essentiæ v.g. humanæ sit, in hac parte humani spatii, & pars alia illius essentiæ humanæ, in parte alia spatii.

Deinde adhuc est observandum: quod illa verba (*totum in toto, & totum in qualibet parte*) sint intelligenda negativè, non positivè, ut rectè monent Conimbr. *lib. Categ. c 9. q 2. a. 2.* Suntq; idem, quod non habere essentiam extensam per partes subjecti, cujus scilicet una pars sit in alia, & alia in alia parte spatii, quia fieri potest, ut quod alicubi est definitivè; nullam prorsus partem vel extensionem habeat, veluti cùm Angelus existit in puncto indivisibili. 42.

Quid sit, ubi vel locum occupare?

ALii ubi definitivum à circumscriptivo distinguunt per occupationem spatii, quod & in nostris theorematibus tactum est.

Ergo sic quod est alicubi circumscriptivè, occupat spatium: quod autem alicubi est definitivè, illud spatium non occupat. 43. *Corpora occupant spatium.*

Cæterùm occupare spatium, est ita applicari dimensionibus spatii, ut inde ponatur repugnantia, ut ibi sit aliud, seu ut illis spatii dimensionibus applicetur aliud. Veluti manus mea est alicubi, occupando spatium. Ea igitur sic ibi est, ut non possit esse intra illud spatium vel alia manus, vel corpus quodvis, etsi subtilissimum sit. Nam ipse etiam aër cedit corpori subeunti in aliquod spatium.

Id autem non est in iis, quæ alicubi sunt definitivè. Nam anima immeat corpus, non existendo quasi in cavis partibus corporis, quomodo aër corpus nostrum, aut aqua spongiam, aut ignis ferrum permeat: sed etiam existendo in iis spatiis, ubi proprius locus est ipsius corporis: Imò anima, quandiu forma est, non est alibi, quàm in iis spatiis quæ actu occupantur à materia. Et idem est de Angelo, qui ita est alicubi, ut tamen non cedat vel excludatur corpus, vel angelus alius. *Anima non occupat spatium.*

Atque hoc discrimen satis constans est. Nam ubi definitivum convenit rebus spiritualibus, & expertibus quantitatis. Vbi autem circumscriptivum convenit rebus materialibus, sive habentibus quantitatem. Quantitas autem adæquatè facit istam inpenetrabilitatem in dimensionibus, tum partium ejusdem rei, tum quantitatis extraneæ. Ergo, quia quantitas reperitur solùm in corporibus, non autem in rebus spiritualibus: Ideo istis convenit solùm, occupare spatium, his non, eo, quo declaratum est, modo. 44.

Completur Expositio propositæ definitionis.

DEnique dixi 3. *Nec per naturam aliter alicubi esse potest:* Id eodem modo facere solent Dd. alii. Ponitur que ea differentiæ pars ad faciendam ejus constantiam. Esto; ejus causa in simili prius tacta de modo adessendi repletivo. 45.

Vbi etiam generalis ratio hujus differentiæ insinuata est. Et patet. Nam Angelus simpliciter est alicubi definitivè. Et cùm modus adessendi sequatur ad essentiam, nullo modo est ille modus in Angelo mutabilis. At id non est, nisi addendo id: *per naturam, &c.* Nam non repugnat, ut Dei potentia, Angeli alicubitas, modo adessendi repletivo assimiletur. Assimiletur, inquam, Nam in rigore non convenit ei esse alicubi repletivè, quia per naturam non est Angelus illimitatus in adessendo, quod ad esse alicubi repletivè prius requisitum erat.

Rursus etiam idem Angelus potest, per superioris agentis potentiam, esse in pluribus ubi; neque tamen definit esse alicubi definitivè. Atq; ita, sicut æyum fuit 46.

duratio, ejus quod natura erat incorruptibile post acceptum initium esendi; & tamen id poterat de facto desinere, atq; adeo assimilari durationi temporali, in rigore, servata priori durationis specie; Ita etiam modus adessendi definitivus, est eorum, quæ natura sua postulant esse in aliquo spatio, extra occupationem ejus: etsi de facto possint esse (non in aliquo, sed) in omni spatio: Servatúrq; is modus adessendi, etiamsi qualiscunq; fiat assimilatio ad modum adessendi alium. Recurretque hæc observatio in modo adessendi circumscriptivè.

TITVLVS VI.
DE ESSE ALICVBI CIRCVMscriptivè.

47 DE esse alicubi circumscriptivè, tria inprimis tractanda sunt. *Primò*, explicanda est phrasis de esse alicub. circumscriptivè; *Secundo* quid illud sit? & *Tertio* quotuplex sit, videndum est.

ARTICVLVS I.
De Phrasi: *Esse alicubi circumscriptivè.*

48 PRincipiò ad vocem observandum est, quòd esse alicubi circumscriptivè ambiguè sumatur. Vnde *Primo* idem est, quod esse alicubi modo limitato, opponitúrq; sic esse alicubi, adæquatè modo adessendi repletivè. Et hoc modo Damascen. *lib. 2. de Orthod. Fid. cap. 3.* Angelos etiam dicit esse alicubi circumscriptivè, sive eos circumscriptos esse, quia, cùm sunt in cœlo, in terra non sint, & quia in terram à Deo missi, non remaneant in cœlo.

Quia tamen Angeli aliquo modo differunt in adessendo à corporibus. (Neq; enim ut ibi Damasc. subjungit, continentur portis, muris, claustris, & signaculis, quibus sunt interminabiles) ideo ad specialiorem significationem, tractum est vocabulum, adessendi circumscriptivè, indéque significat modum distinctum ab eo, quo Angeli, aliáque istis similia Entia sunt alicubi.

49. *Vnde dicatur circumscriptiva præsentia?* Ex quo porro patet, rationem appellationis non sumptam esse à circumscriptione communiter dicta, qualis etiam, ut dictum est, est in præsentia Angelica, sed à circumscriptione specialiter dicta, qualis reperiri potest in solo corpore. Et non incommodè intelligitur hic circumscriptio ab extrinseco sive continente sive ambiente, prout & Damascenus antè (removens ab Angelis hoc ubi circumscriptivum) dicebat: *eos non* contineri *claustris*, *muris*, &c. Vnde ei, quod circumscriptivè est alicubi, relinquitur talis, Angelis negata, circumscriptio.

50. *Circumscriptio duplex.* Est autem tum notandum: circumscriptionem talem esse duplicem, actualem & aptitudinalem. Ex quibus actualis circumscriptio ab ambiente hic intelligi non potest. Nam citra eò essentiam alterius res dicitur simpliciter esse alicubi, ut suprà conclusum est *num. 7.* Ista autem actualis circumscriptio ab ambiente, utique requirit aliquid extrinsecum, ipsum scilicet ambiens. Actualis igitur ista circumscriptio est per accidens ad esse alicubi circumscriptivè.

Atque inde relinquitur circumscriptio potentialis sive aptitudinalis. Ergo sic dicitur alicubi circumscriptivè id esse, quod ab ambiente sive continente circumscribi potest. Quod convenit omnibus rebus Quantis, sive materialibus. Atq; hæc de phraseos ambiguitate, & notatione sive ratione appellationis.

ARTICVLVS II.
Quid sit esse alicubi circumscriptivè?

51 ATq; sic ex his quæ hactenus dicta sunt, tum de aliis modis adessendi, tum etiam de voce hujus alicubi satis, patet, quid sit esse alicubi circumscriptivè.

52 Ergo 1. sic esse alicubi circumscriptivè, est esse in *aliquo ubi quanto* sive partiali. Et in hoc distinguitur contra modum adessendi repletivè. Atque ad hanc rem insi-

insinuandam in Theoremate sexto ibi jus cap. dictum est: quod *aliquod ubi* occuper.

Deinde: esse alicubi circumscriptivè sit occupando spatium, quod quid sit, prius *Num.* 45, 46. declaratum est. 53.

Aliter hæc differentia assignari potest sic, quod esse alicubi circumscriptivè, sit esse totum in toto spatio, & partem ejus in parte spatii, quod etiam antea declaratum est, *Num.* 42, 43.

Et rursus aliter ea differentia potest assignari, quod scilicet esse alicubi circumscriptive dicatur id, quod ita est alicubi, ut à continente sive ambiente contineri & circumscribi possit, de quo dictum est *Num.* 50.

Denique etiam addenda est restrictio, ejus scilicet, quod sit *per naturam*. De quo in aliis modis adessendi dictum est, prius *n.* 32. *seqq. & n.* 47. Hoc est, circumscriptive dicitur esse alicubi, quod secundum naturam postulat esse in aliquo loco & eundem occupat. Nam primi agentis liberalitate & potentiâ fieri potest 1. ut quod est alicubi circumscriptive, non sit in uno aliquo loco partiali, sed in pluribus, quod fides nostra docet factum esse in corpore Dominico, quod cum pluribus hostiis Eucharisticis offertur manducantibus. Rursus quod est alicubi circumscriptive, potest eâdem Dei potentia esse alicubi citra occupationem spatii, atque ita esse totum in toto, & totum in parte spatii, istud enim ut pars corporis loceturin parte spatii, provenit ex actu quantitatis. Istum autem inhiberi posse facilè per divinam potentiam, patet exemplo Camelι, quem Deus etiam per foramen acus traducere vel transmittere potest. Atque hoc contingit similiter de facto in corpore Dominico, quod totum est in toto pane, citra actualem extensionem & commensurationem ad spatium panis, in cujus parte una sit unio panis cum pedibus, in alia cum ejus capite. Quæri hinc solet: 54.

Quomodo adessendi corpus Christi sit in Cœna?

HAc in re variant modi loquendi apud Metaphysicos. Thomas 3 *p. q. 76. a. 5. ad primum* ait: Corpus Christi nec esse definitivè ibi, nec circumscriptivè. Non isto modo, quia ita est ibi, ut tamen etiam sit alibi. Non etiam hoc modo, quia ibi non est per commensurationem quantitatis. Et hinc sequitur Suaretz in 3. *parte Thomæ tom. 3. disp. 48. s. 3. & in Met. disp. 51. s. 6.* Atque hinc ille ubi prædicamentale (quod est nihil aliud, quàm ubi rerum creatarum) partitur primùm juxta præsentiam naturalem & supernaturalem. Et istam distinguit per ubi definitivum & circumscriptivum. Supernaturalem autem præsentiam attribuit corpori Dominico in Eucharistia. 55. *Variæ sententiæ.*

At Fonseca *lib. 5. Met. c. 15. q. 9. s. 6.* ait: virtute divinâ fieri, ut substantiæ materiales & divisibiles ponantur in loco more indivisibilium, atque sic sint in loco definitivè, veluti est in corpore Domini. Sic etiam Colleg. Cop. *lib. 1. categ. c. 9. 2. c.* ait: in Cœna, corpus Domini esse definitivè. Dividitur enim ibi, ubi definitivum in corporale & spirituale. Et corporale rursus in naturale & supernaturale. Et additur: posteriori modo esse corpus Dominicum in Eucharistia. Idémque ait esse, si aliud quodcunque corpus, poneretur totum in toto, & totum in qualibet parte loci.

Hac in re dico 1. *Corpus Christi ex naturâ sui potuisse ubi circumscriptivum.* Ita patet, quia corpus Christi est quantum. Actus quantitatis autem est ponere partem extra partem, in ordine ad spatium, & proinde inducere impenetrabilitatem dimensionum: & consequenter in hoc posita est aptitudo, quâ quid ab extrinseco circumscribi possit. 56. *Dicitio quæstionis.*

2. *Prout autem corpus Christi est in Eucharistia, habet modum adessendi similem definitivo.* Neque enim in hoc est pugnantia. Cùm ista positio partis extra partem in ordine ad spatium, sit quantitatis actus. Actus autem naturales facilè tolluntur à causis unde emanant: sicut ab igne tollitur usus, & à gravi gravitatio. Imò quantitas ipsa, divina potentia posset abesse à corpore, siquidem ut communior est opinio, realem distinctionem habeat à corpore. 57.

Est autem similitudo illa in hoc, quod corpus Christi, in Eucharistia existens, est 58.

totum in toto, & totum in qualibet parte panis. Ita enim nunc supponimus est Theologicis juxta veriorem sententiam de præsentia corporis Dominici. Atque ita etiam, corpori Dominico, prout ubi est, non convenit occupare locum.

59. *Objectio.* Nec obstat quod Thomas prius objiciebat. Quod est alicubi definitive, ita esse hic, ut non sit alibi. *Illa* enim verba ponuntur hic solùm, ad excludendam præsentiam universalem, quæ significatur per esse alicubi repletive. Unde negative ista verba optime explicantur, nempe per *non ubique est*. Quod, inquam definitive alicubi est, hic est & non alibi, hoc est, non est ubique. At id satis bene potest dici de corpore Dominico, etsi sit in pluribus ubi, quoad celebrationem Eucharistiæ. Inde enim non est ubique. Multa enim ubi dantur, in quibus corpus illud panis unitum non est. Unde hoc etiam non differt, si præsentia universalis caderet in corpus, prout asseri aliàs solet id, de corpore Dominico, in eo talem modum adessendi alicubi non assimilari ubi definitivo, sed repletivo.

60. *Assimilatio ad ubi definitivum non tollit ubi circumscriptivum.* Cæterùm similitudo ad ubi definitivum non tollit, quo minus corpus Dominicum, etiam in Eucharistia, habeat ubi circumscriptivum. Nam sicut suprà constitutum est, non est eò alicubi esse positum in eo, ut aliquid actu circumscribatur, vel habeat partem extra partem: sed alicubi circumscriptive id esse dicitur, cujus natura postulat talem modum adessendi, etiamsi de facto per extrinsecum agens iste naturæ actus impedatur. At sine dubio corpus Dominicum, etiam in Eucharistia retinet talem naturam, quæ sit apta circumscribi, & habere partem extra partem.

Illustrari id potest per doctrinam de duratione temporali. Tempus igitur est duratio eorum, quæ sunt natura detectibilia, & proinde initium & finem naturaliter habent. Si igitur de facto contingat, Dei potentia, tale Ens, veluti est equus, præservari ab omni interitu, & durare in æternum, tùm propter carentiam finis, qui illius duratio, assimilaretur quidem ævo (quod significat durationem habentem principium, sed carentem fine) absolute tamen equum iste non ævo sed tempore duraret, quia, immotâ ista sua duratione, equus retinet potentiam naturalem juxta quam definere posset.

Ad eundem igitur modum, ubi circumscriptivum significat modum adessendi eorum, quæ naturâ sunt circumscriptibilia, & proinde circumscriptionem naturaliter habent. Si igitur de facto contingat Dei potentiâ tale ens, veluti est quodlibet corpus, adesse alicubi, sine actuali circumscriptione, vel loci occupatione, sive positione partis extra partem, in ordine ad spatium: tùm propter ista, is modus adessendi assimilaretur quidem ubi definitivo (quod significat talem modum adessendi, in iis, quæ eum, naturâ suâ ita postulante, habent) absolute tamen tale corpus non est alicubi per ubi definitivum, sed per ubi circumscriptivum: quia in illo modo miraculoso adessendi, semper retinet naturam & potentiam, juxta quam circumscribi posset.

61. Atque præter hanc varietatem, non incommode ubi circumscriptivum (rectiùs quàm ubi definitivum) distinguitur in naturale & supernaturale, ut mox dicam.

ARTICULUS III.

De distributione ubi circumscriptivi.

62. *Ubi circumscriptivum naturale & supernaturale.* BIfariam potest distingui ubi circumscriptivum. *Primo* igitur, ut prius insinuatum est: Ubi circumscriptivum est duplex, naturale & supernaturale.

63. *Naturaliter* alicubi circumscriptivè est illud corpus, quod in præsentia sua servat omnes actus, quos exigit natura ad talem præsentiam, veluti commensurationem sui ad spatium, atque adeò localem positionem partis extra partem, &c. taliter circumscriptive sunt alicubi, nostra corpora extra miraculum.

64. *Supernaturaliter* alicubi circumscriptivè est corpus sive res quanta, quæ admittit quidem aliquos actus, à natura requisitos ad talem præsentiam per dispositionem primi

primi agentis: simpliciter tamen servat naturam & naturalem potentiam, juxta quam istos actus omnes, recedente miraculo, & redeunte ad naturam suam, habere possit. Et iste modus, circumscriptivè adesse alicubi, est in corpore Dominico. Atque in hoc esse scilicet alicubi, cum possibili (juxta naturam sui ubicatæ) circumscriptione, præcisè consistit hic modus adessendi circumscriptivè, ut ex exemplo, prius facto, de duratione, manifestum est.

Alia divisio præsentiæ circumscriptivæ.

65. ALiter, alicubi esse, est dupliciter. *Alia* sunt alicubi circumscriptivè *per se*, alia *per accidens*. Hæc divisio sumitur juxta divisionem quantitatis. Quantitas enim facit istum modum ad essendi alicubi, per circumscriptionem. Quantorum autem aliud est quantum per se, aliud per accidens, apud Arist. *l. 5. Met. cap. 13.* Ergo quod est quantum per se, habet etiam ubi circumscriptivum per se: quod autem est quantum per accidens, habet etiam ubi circumscriptivum per accidens.

Atque hoc modo per accidens alicubi sunt ea, quæ in quanto recipiuntur, ut sunt formæ, & accidentia rerum materialium, præter quantitatem ipsam. Hæc enim sibiipsi etiam tribuit suum formalem effectum, ut seipsam extendat, & sui partem unam ponat extra partem aliam.

66. Quanquam sub istis, sic circumscriptivè alicubi existentibus, contineantur alia, quæ, quæ potè ad modum hunc adessendi non pertinent, sed simpliciter dicuntur esse alicubi definitivè, veluti extra controversiam est anima rationalis, & quæ in ea sunt, velut sunt sapientia, scientia, mis, *&c.* Et aliquibus idem videtur de formis animalium perfectorum, ut meminit Fonseca *l. 5. Metaph. c. 15. q. 9. s. 6.*

Atque sic satis esto de variis modis adessendi: In quibus, ut id pro coronide non diffitear, sunt aliqua in quibus mihi ipsi non satisfacio.

CAPUT. XVIII.

De necessario & Contingenti.

1. HActenus fuit de Divisione Entis in Ens actuale & potentiale, & quæ ad Ens actuale pertinebant, ut sunt existentia, duratio, & esse alicubi. Nunc
2. Secundùm perfectionem IV. Ens est necessarium vel contingens.
3. Necessarium est, quod habet Entitatem immutabilem.
4. Contingens est, quod habet Entitatem mutabilem.

COMMENTARIUS.

1. UTILITAS, quæ est in omnium terminorum Metaphysicorum declaratione, in hoc Capite inprimis, elucet, propter gravissimas Theologorum disputationes, de providentia & præscientia Dei, de viribus humanis, sive libero arbitrio. Et hinc etiam in istorum Logico um tractatione multa docte recensunt de Necessitate, Magnus noster Chemnit. *part. 1. Loc. Theol. p. 405. seqq.* in loco causa peccati *cap. 7.* & rursus *de lib. arb. c. 3. ibid. p. 460.* Item de necessitate bonorum operum *part. 3. p. 51.*

Est autem hic, *Primo* tractandum de voce necessarii. *Deinde* quid sit necessarium & contingens? *Tertio* de adæquatione illius divisionis, *Quarto* de distinctionibus necessarii. *Quinto* de voce contingentis. Et *denique* de ejus divisione.

TITULUS I.

DE VOCE NECESSARII ET Æquipollentibus.

ARTICULUS I.

Ad vocem Necessarii.

2. *Notatio vocis.*

NOrationem allusivam vocis necesse Scaliger dat hanc, quod scilicet necesse sit, tanquam sine quo res *nec esse* possit *lib. 11. de Causis ling. Lat. c. 166.* Alius à *cessando* dicitur, tanquam in quo non sit cessandum.

3. *Impositio.*

Atque secundùm has notationes apparet; vocem *necesse* primò impositam esse, ad significandum id, quod est alii necessarium: unde etiam postea tractum sit vocabulum ad significandum id, quod in se tale est. Item vocem necesse primò significare indigentiam, sive calamitatem, quæ talis est, ut in ea sublevanda, non sit cessandum. Unde rursus tractum sit vocabulum ad significandam necessitatem entium.

χρεία, ἀνάγκη.

Remansit tamen in voce ista, ambiguitas, quam facilè evitant Græci, quòd necessitatem sumptam pro indigentia, vocant χρείαν. Aliam autem necessitatem vocant ἀνάγκην, quod erudite monet Chemnit. *in Loc. Theol. de Non oper. q. 4.*

Videtur etiam magis peculiariter necessitas significare violentiam, *ein Nothzwang*; quàm immutabilitatem Entium in se, ad quam postea ampliata est vox illa. Sæpe enim dicimus, necesse esse; quod nullâ vi esse cogitur, & necesse non esse, quod nullâ prohibitione removetur. Ita dicimus Deum necessariò esse immortalem, & nemo tamen cogit Deum, ut sit immortalis, ait Anselmus *in l. de Concordia præscientiæ & prædestinationis.*

4. *Ambiguitas.*

Atque ex his etiam patet ambiguitas aliqua quæ sit in voce Necessitatis. Necessitas enim aliquando sumitur pro indigentia. Atque inde necessarium est id, quo indigemus. Aliquando autem sumitur pro immutabilitate Entis, de qua hic agemus.

Pet. Hispani Comment. *ad cap. Log. part. 1. p. 2.* Notant versiculos, aliàs etiam occurrentes:

Utile, perpetuum, sustentans & violentum.

Quatuor expresse vox denotat ista Necesse.

5. Ergo ibi 1. Necessarium est idem quod utile. Ita equus est necessarius peregrinanti utique ad commodiorem peregrinationem (quæ est utilitas) non ad peregrinationem simpliciter.

2. Necessarium est idem quod perpetuum. Talis necessitas tribuitur Deo, & propositionibus essentialibus.

3. Necessarium est idem quod sustentans. Ita homini est necessarius cibus & potus.

4. Necessarium est idem quod violentum. Ita necessariò abit ad patibulum, qui ad illud trahitur à carnifice.

Aristotelica distinctio ad vocem necessitatis.

Arist. *lib. 5 Metaph. c. 5.* docet Necessarium 4. modis dici; 1. Pro eo, quod necessarium est ad vitam, ut est respiratio; 2 pro eo, quod requiritur ad bene esse; 3. quod est violentum & per vim. Denique 4. quod simpliciter aliter se habere non potest. Prolixius id persequuntur Interpp. *h. loco.*

6. Aliter distingui potest necessarium, sicut & universale, in necessarium in essendo, & necessarium in prædicando, & necessarium in causando.

7. *Necessarium in causando.*

Atque ita necessarium *in causando* est nihil aliud, quàm causa necessaria. Causa autem necessaria dicitur, tùm quæ necessitate naturæ agit, quomodo ignis necessariò urit, tùm quæ necessitate coactionis vel violentiæ agit. Utramque enim necessitatem hanc Aristot. reduxit ad causam efficientem *lib. 1 Rhet. c. 10.*

Necessarium autem *in prædicando* est nihil aliud, quàm necessitas complexa, sive necessaria propositio. Estque necessaria propositio tùm quæ purè talis est (ut homo est animal tum) quæ talis est modaliter, sive per expressum modum, (ut Necesse est esse hominem animal.)

Den-

Denique necessarium in essendo, est nihil aliud quàm ens necessarium, de quo Metaph. agit. *In essendo.*

Sumiturque ex hac distinctione Necessarium aliter in causis, pro eo scilicet, quod necessariò agit. Et aliter in propositionibus, pro eo scilicet, quod habet immutabilem nexum terminorum; & rursus aliter in divisionibus entium, quod nunc consideramus.

Aliæ distinctiones necessitatis etiam occurrunt, sed illæ melius infrà considerabuntur, seorsim agendo de divisione necessitatis. 8.

ARTICULUS II.

In quo declaratur vox Incorruptibilis.

AEquipollenter ad necessarium, dicitur *incorruptibile*, & *æternum* etiam, apud Arist. *lib. 6. Ethic. cap. 3.* & aliàs. Ac *de æterno* quidem, quoad vocis significationem, suprà dictum est. Vnde de eo nihil addere necesse est. Cùm quoad rem ejus consideratio nunc, propter æquipollentiam ad necessarium, cum necessario coincidat. 9.

Incorruptibile autem ens potissimum trifariam dicitur: *Primò* incorruptibile dicitur, quod simpliciter est immutabile, & nullo potest modo desinere. Ita Deus est aliquid incorruptibile. Loquor de incorruptibilitate Entis. Neq; enim nunc sermo est de propositionibus, quarum aliquæ aliàs etiam absolutam necessitatem habent, ut nullo modo possit desinere veritas earum, quod inprimis evidens est in iis, quæ habent terminos realiter idem significantes, ut sunt hæ: Homo est animal, Homo est rationalis; Homo est animal rationale. 10. *Incorruptibile trifariam dicitur.*

Deinde incorruptibile vocatur, quod ab intrinseco & sua natura non est corruptibile, sed solùm ab externo, neq; eo omni, sed solùm per vim & voluntatem primi agentis. Hoc sensu frequenter dicuntur incorruptibiles Angeli, & anima rationalis, & materia prima. Neq; enim vel ab intrinseco talia entia desinunt, nec etiam aliàs extra Deum habent hostem, qui sufficiens sit ad ea destruenda.

Denique incorruptibile vocatur, quod per se non est corruptibile, etsi aliàs ad corruptionem aliorum amittat entitatem. Hoc modo universalia dicuntur æterna & incorruptibilia, veluti homo, animal, avis. Hæc enim non corrumpuntur per se, imò nec demptо aliquo singulari, ut sunt universalia, corrumpuntur; Sed corrumpuntur solùm; demptis omnibus singularibus, per Aristot. *lib. Categ. c. 4.* Quanquam alii; inter quos est Monlorius *in tract. de univ. c. 1. a. 10.*) existiment universalia dici incorruptibilia & æterna quod in quibus sunt & quando sunt; semper habeant unam & eandem rationem constantem & immutabilem. Sed quicquid sit; apparet tamen peculiarem significationem esse, qua universalia, & qua aliæ res dicuntur incorruptibiles, id quod nunc dicere intendo.

TITVLVS II.
QVID SIT NECESSARIVM ET *contingens?*

COnjunctim hæc declaro, quia unius definitio ex alterius definitione statim sequitur. De voce contingentis tamen infrà seorsim dicam. 11.

Zabarell. *lib. 1. de Nat. Logic. cap. 2.* sic ea definit; *Necessarias, inquit*, res vocatum eas, quæ ipsæ per se semper sunt, & nunquam fiunt, tum eas quæ fiunt quidem, non tamen à voluntate nostra, sed à natura per certas causas operante. Hæ namque etsi quatenus sunt singulares, non semper sunt; tamen quatenus ad universalitatem rediguntur, & ita à certis causis dependere necesse sit, considerantur, ut eas esse aut non esse, fieri vel non fieri, non sit in nostra voluntate constitutum, eatenus necessariæ ac sempiternæ dici possunt, cujusmodi esse res omnes naturales manifestum est. *Zabarellæ definitiones necessarii & contingentis.*

Restat ut alterum divisionis membrum (*res contingens*) res illas contineat, quæ ab homine

hominis voluntate pendent, quoniam eas facere vel non facere in arbitrio nostro positum est, &c. Hæc Zabarella, quibus contingentiam definit per respectum ad arbitrium nostrum, & necessitatem per ejus defectum. Sat intricata tamen est talis circumlocutio.

12. *Melior definitio.* Melius definitur necessitas & contingentia per ordinem ad mutabilitatem. Ergo *necessarium* est, quod habeat Entitatem immutabilem. *Contingens* verò est, quod habet Entitatem mutabilem. Ita enim definit Aristoteles. Contingens enim vocat τὸ δυνάμενον ἄλλως ἔχειν, quod potest se aliter habere, *lib. 6. Ethic. c. 3. & lib. 1. prior. c. 13. §. 2.* Necessarium autem (ἀναγκαῖον) est τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, quod non potest aliter esse, *lib. 6. Metaph. c. 5. & 1. post 29. & alibi.* Sic Commentatores Hispani *in Log. fol 133.* Necessarium dicitur Ens, impossibile ad aliter se habere & mutari. Mutari enim nihil aliud est, quàm aliter se habere nunc quàm prius. Unde necessarium includit Ens tanquam materiale, & immutabilitatem ut formale. Hæc ipsi.

13. *Objicis.* Non posse necessarium generaliter definiri per immutabilitatem, quia distinguitur necessitas in necessitatem immutabilitatis, quam vocant, & eam, quæ est ex hypothesi. Unde relinquitur non omnem necessitatem significare immmutabilitatem. At, si generaliter necessitas definiretur per immutabilitatem, repugnaret dari aliquam necessitatem, in qua non sit immutabilitas.

14. *Solutio. Quomodo dicatur Necessitas immutabilitatis?* *Respondeo*: Valde frequens est, ut nomina generalia aliquando in defectu vocabulorum accipiantur ad peculiarem speciem significandam. Atq; ita, sine incommodo, etsi omnis necessitas significet immutabilitatem, potest tamen immutabilitas per Synecdochen transferri ad speciem necessitatis significandam. Et id tantò rectius fit, quòd necessitas, quæ necessitas immutabilitatis dicitur, est simpliciter necessitas: ea autem, quæ huic contradistinguitur, non est aut dicitur necessitas, sine addito, sed dicitur necessitas ex hypothesi, vel hypothetica vel conditionata: Ita patet, quia loquendo simpliciter & sine addito, necessitas hypothetica significat rem contingentem. Atq; inde propositiones, quæ hanc hypotheticam necessitatem habent, (veluti hæc: ex suppositione temporis præteriti, Johannes disputavit, & præsentis, ut Johannes disputat) dicuntur sine addito propositiones contingentes, & non necessariæ.

TITULUS III.

DE ADÆQUATIONE DIVISIONIS

Entis in necessarium & contingens.

15 ADæquatio hujus divisionis primùm probanda est. Deinde sunt aliquot quæstiones de ea re enodandæ.

ARTICULUS I.

In quo probatur adæquatio illius divisionis.

16. *Necessitas & contingentia non conveniunt ejsi Enti.* ADæquatio, ut aliquoties dictum, requirit æquabilitatem terminorum. Et proinde, si contingens & necessarium sunt adæquata Enti, tum oportet ut 1. omne necessarium & contingens sit ens, 2. ut omne Ens sit contingens vel necessarium.

Et quod attinet primam propositionem satis apparet ejus veritas. Nam necessitas & contingentia, per proportionem ad alia transcendentia, debent in adæquate suo conceptu implicare ipsam essentiam. Et sic necessitas adæquatè est nihil aliud quàm essentia immutabilis; Et contingentia est essentia ut mutabilis. Essentia autem non convenit nisi Enti. Ergo nec contingentia & necessitas possunt reliquam convenire præterquam enti.

De non Entibus dicuntur per analogiam. Per analogiam tamen (non attributionis sed proportionis, quæ consistit in ambiguitate vocis) convenire non entibus, & sic etiam entibus rationis, id hic etiam non est difficultandum.

Rur-

Rursus etiam alterius propositionis veritas satis apparet, quia necessarium & contingens opponuntur per contradictoria, veluti per habere essentiam mutabilem (quod est contingentis.) Et non habere essentiam mutabilem (quod est necessarii) Contradictoria autem opponuntur sine medio. Et sic etiam Scalig. *Exerc.* 39. ait contingens & necessarium distingui integris essentiis, sicut per se, & ab alio.

Nihilominùs tria sunt, quæ hic controverti solent. 1. An Ens contingens verè sit Ens: Atque adeò, an detur in rebus contingentia? Id enim si non sit, Ens necessarium recurret cum Ente, simpliciter, & non condivisum alii. 18. *Proponuntur disputanda.*

2. An inter contingens & necessarium detur medium? ita enim videtur esse, de eo quod est liberum. Ita Conimbr. *l.* 8. *Phys. c.* 2. *q.* 5. *a.* 1. aiunt, actus Dei ipse non necessarios, nec contingentes, sed liberos, ut refert & taxat Taurellus *de æt. æterna. part.* 1. *p.* 183. 19.

Videtur etiam aliter dari posse medium, nempe impossibile. Nam contingens est, quod potest esse & non esse. Et ab hoc egreditur ad latus quasi, id cui solùm convenit esse, quod est necessarium; Ergo & in aliud latus egredi debet id, cui solùm convenit non esse, id quod erit impossibile. 20.

Denique in particulari potest quæri, de aliquibus Entibus, an sint Necessaria, an contingentia. De singulis his est videndum. 21.

ARTICULUS. II.

An detur in rebus contingentia?

Stoici omnem contingentiam è rebus sustulerunt, ut refert Cic. *de divinat.* & Laert. *l.* 7. *in vita Zenonis.* Aliquos tamen aliter inferre sententiam Stoicorum induxi *l. comment. Top. c.* 3. *n.* 511. 22.

Contrectius loquuntur alii. Igitur *Avicenna* admittit quidem contingentiam in animi nostri actibus, negat tamen eam esse in rebus naturalibus, ut meminit Thomas 1. *p. q.* 115. *a.* 6. cui accedit Occamus *quodl.* 1. *q.* 17. Et eandem sententiam Scotus 1. *d.* 2 *qu.* 2. & *d.* 8. *qu.* 9. tribuit Aristoteli, quia ille existimat Deum agere ex necessitate naturæ, & hinc etiam omnia necessariò fieri, juxta hypothesin Aristotelis. Unde porrò ait Scotus Aristotelem sibi contradicere cùm alias dividit Ens per necessarium & contingens, de qua quidem collectione, quantum efficaciæ habeat, nunc non disputo. Videatur Hervæus *Quodl.* 2. *q.* 4. & Petrus *lib.* 9. *Phys. cap.* 13. *in fine.*

Cæterùm quod verè sit libertas & contingentia in actibus humanis, satis ostenditur alibi. Unde nihil hic addendum est. Solùm nunc generaliter probandum est: dari aliquod Ens contingens. 23.

Atque hoc nunc probatur 1. Ex his ipsis actibus liberis voluntatis nostræ. Quod enim libertas indicet contingentiam, postea patebit, & nunc etiam patet breviter, quia libertas ex parte effectus, sive actus (ita diserte dico. Nam causa quæ denominatur libera, non propterea est contingens in essendo) infert ejus mutabilitatem, ut scilicet ille actus possit esse & non esse. At hæc varietas inter esse & non esse, non est in necessario Ente, sed solùm in contingente. 24. *Probatur contingentia ex actibus liberis.*

Quod autem actus illi nostri verè liberi sint, præterquam quod per cujusque experientiam patet, est etiam inde manifestum, quod secus nec laudari nec vituperari, nec damnari quisquam posset. Imò de nulla re possemus consultare, quæ omnia sunt absurda. 25.

Deinde idem probatur 2. Per actus Angelicos. Nam & hi liberi sunt. E. & hi habent contingentiam. Consequentia patet ex dictis ad prius argumentum Antecedens autem patet, per generale indicium libertatis, quod est indicium intellectivum, quod in angelis datur. Vide latiùs *in com. Top. c.* 3. *nu.* 45. *seqq.* & *in fine lib.* 2. *de Angelis.*

26. *Tertio* idem patet de actibus sive effectibus divinis. Nam quæ efficiuntur à Deo fiunt juxta libertatem sive consilium voluntatis ipsius. Ergo possent non fieri. Nam libera causa est, quæ potest agere & non agere. Rursus juxta eandem libertatem potest Deus Ens conservare & non conservare. Ergo & posset esse & non esse. At quod cum sit, potest tamen non esse, id est contingens. Ergo omne Ens creatum est contingens.

27. *Quarto* specialiter id apparet ex iis, quæ casu & fortuna fiunt. Hæc enim possunt aliter fieri, imò ut plurimum solent aliter fieri. Veluti cùm piscator extrahit tripodem, atque est extracto tripodis, sed poterat tamen non esse. Et idem est in aliis. At quid est esse contingens, aliud, quàm quod cùm sit, potest tamen non esse, & quod cum sic sit, potest tamen aliter esse. Omnis scilicet varietas ista non aliunde, quàm ex contingentia sumitur.

28. *Sensatæ experimenta contingentiæ.* Atque hæc sunt evidentissima, & vel sensibus manifesta, unde dimissis rationibus, optimè juxta Dd. consilium, sensatis experimentis disputandum est contra negantes contingentiam. Scotus 1. *d.* 39. ait ad hanc rem: *Eos qui clamant omnia fieri necessario, tormentis exponendos esse, & tamdiu cruciandos, donec fateantur, se posse non cruciari.* Et Avicenna 1. *Metaph.* ait, *talium impugnatores* (loquitur tamen inprimis de veritate illius principii, *quodlibet est, aut non est*) *non fustigandos rationibus sed tortendos esse, donec fatentur posse se uri, & non uri, posse se dolere & non dolere.*

29. Argumenta contra hanc rem solent aliqua fieri, non adeò facilia, veluti ex divinis præscientia: providentia: concursu Dei ad actiones causarum secundarum. Sed hæc satis solvi, *in comment. Top. cap. 3. Num. 53. & seqq.* quatenus ea officere videntur libertati humanæ. Et alias ea nihil peculiare habent, ut in aliis Entibus necessitatem faciant. Unde hic nihil addo.

ARTICULUS III.

An quod est liberum, sit medium inter Contingens & Necessarium?

ITa sentire Conimbr. priùs retuli *Num* 19. Idémque antè docuit Thomas 1. *d.* 43. *q.* 2. *a.* 1. & *in qq. de pot. q.* 3. *a.* 15. Loquunturque isti Autores de actibus divinis, veluti actione creatitia, qua scilicet creat mundum. Hos dicunt nec esse necessarios, nec contingentes, sed liberos.

30. *De actibus Dei immanentibus.* Videtur tamen fortiùs id disputari posse de actu Dei immanente, ipsius nempe intellectionis & voluntionis. Hi enim, hoc ipso quia sunt immanentes, sunt & manent in Deo. At absurdum videtur, esse aliquid *in Deo* contingens. At in confesso præterea est, eos actus non esse necessarios. Sed hanc materiam de actibus immanentibus infrà tractabo de attributis divinis. Nunc maneo intra terminos Conimbricensium, qui in hac re loquuntur de actibus transeuntibus. Inprimis, quia res hæc de actibus immanentibus transigi non potest, antequam rectè intelligatur, quomodo se habeant actus immanentes ad essentiam divinam.

31. *Actus Dei transeuntes non esse entia necessaria.* Hac in re dico 1. *non posse esse ullum Ens, quod nec sit necessarium, nec contingens, quidque adeo vere medium sit inter necessarium & contingens.* Id priùs sufficienter probatum est, *Num.* 17. quia contingens & necessarium opponuntur per contradictoria, indéque immediatè.

32. 2. *Actus Dei transeuntes non sunt entia necessaria.* Ita patet ex prioribus dupliciter. Nam 1. Si non datur medium inter necessarium & contingens, & tamen isti actus non sunt necessarii, relinquitur necessariò, eos esse contingentes. 2. Si isti actus non sunt necessarii, quia possunt esse & non esse, ut dictum est. Ergo statim sunt contingentes, quia ista varietas in essendo proximè & formaliter constituit contingentiam.

33. Sed objiciunt Conimbricenses, Actus istos non posse dici contingentes, quia contin-

contingentia mutabilitatem & imperfectionem in operante innuit. *Objectio Conimbricensium.*

Ad solutionem hujus *Primo* non incommodè distinguitur vox contingentis, quod scilicet ex se aliquam imperfectionem significet, sed cùm applicatur ad actus divinos sit purificanda ab hujusmodi imperfectione, ut etiam tradit in *Topicis c. 3. n. 42. Secundò* nihilominus melius respondetur: advertendo, quod contingentia, de qua nunc loquimur, non sit in essentia divina, sed præcisè in operatione illius. Neque enim propter contingentiam operationis (quæ hic non significat aliquid fortuitum vel casuale, quæ imperfectiones etiam operationibus divinis repugnant, & aliàs voce contingentis, ut postea videbitur, significari solent, sed contingentia hic generatim significat essentiam talem, quæ cùm sit, possit tamen non esse.) Deus dicitur aliquid contingens in essendo, sed loquendo de essentia divina, simpliciter Deus est ens necessarium, quia istam essentiam prorsus habet immutabiliter, hoc est, repugnat ei prorsus talem essentiam amittere. 34

Posito igitur, quod illa contingentia de qua nunc sermo est, sit præcisè in operatione divina, jam porro patet, nihil absurdi esse, si ea habeat aliquid imperfectionis, in genere entis. Non est enim idem quod ipse Deus; Ergo est aliquid ignobilius Deo. Ergo in hac comparatione habet aliquid imperfectionis, quæ quidem nunc specialiter dicitur mutabilitas Entitatis: Illa autem mutabilitas creationis, v.g. consistit præcisè in hoc, quod ea esse & non esse potest. Fuit enim aliquod tempus, (ut sic loquamur ad modum nostrum apprehendendi) quo nondum erat creatio, quando scilicet Deus nondum influebat creando. Et rursus nunc est etiam tempus quo desinit Deus creare, & proinde quo non est creatio. Et idem est de actibus aliis. Summa rei est: contingentia significat mutabilitatem entitatis: Necessitas significat immutabilitatem. Atque hinc illa necessitas est in Deo, quia ita est, ut nunquam potuerit vel non fuisse vel deinceps non esse. In actibus autem transeuntibus Dei, ita est entitas, ut tamen ei non repugnet, vel non fuisse, vel deinceps non esse, id quod nunc significat eorum contingentia. Atque ita contingentia hæc & imperfectio non est in ipso operante, ut Conimbr. opinantur, sed præcisè in operatione, ut ostensum est. 35

ARTICULUS IV.

An impossibile sit medium inter contingens & necessarium.

SUprà retuli *cap.* 3. Timplerum & Goclenium dividere ens per possibile & impossibile: & ibidem improbavi, quia quod est impossibile non est ens. Ex quibus nunc sumitur etiam decisio hujus quæstionis. Nempe ens non poterit dividi in Necessarium, contingens & impossibile, quia ex istis relinquitur repugnantia inter ens & impossibile. Membra autem non debent repugnare toti diviso. 36

Ad rationem autem dubitandi primo loco insinuatam *Respondeo*, non incommodè ab aliquibus dici, contingens esse medium inter necessarium & impossibile, sed ista medietas non est intelligenda tanquam inter ens & ens, sed inter ens & non ens. Unde hoc ipso, impossibile non debet connumerari, in divisione entis per contingens & necessarium. Rursus illa medietas non attenditur nunc in vera participatione extremorum: sed in similitudine ad extrema. Contingens igitur assimilatur necessario in quantum habet entitatem, impossibili autem, in quantum potest non esse. 37 *Solvitur objectio. Quomodo contingens medietas inter necessarium & impossibile.*

ARTICULUS V.

An solus Deus sit ens necessarium?

NEcessitas spectatur tum in rebus sive terminis simplicibus, tum in propositionibus. Unde nunc inquirendum est; an dentur aliquæ propositio- 38.

nes, absolutè necessariæ, præter Deum: ut non soli Deo conveniat necessitas absoluta. Etsi enim hæc quæstio videatur esse Logica quia tamen de ea non nisi ex principiis Metaphysicis disputari solet, non est incommodum hic ea de re tractare: Imprimis, quia alii etiam Metaphysici hoc loco decidunt istam quæstionem de necessitate propositionum.

39. Rursus loquendo præcisè de entibus incomplexis, existimat Aristoteles, dari aliqua entia, præter Deum, quæ habeant absolutam necessitatem. Veluti sunt substantiæ separatæ, corpora cœlestia, materia, Elementa secundùm se tota, species sive universalia, atque adeò mundus. Ita ex 8. *Phys. c.* 1. *usque ad t.* 15. 1. *de cœlo, c.* 2. *à t.* 76. *&* 12. *Metaph. c.* 6. *à t.* 30. disputat Fonseca 5. *Metaph. c.* 5. *q.* 1. *s.* 1.

40. *Summaria decisio.* Nostra sententia hæc est. 1. Deus est ens necessarium.

2. Inter entia incomplexa non est ens simpliciter necessarium, præter Deum. Harum propositionum veritas constat etiam ex dictis suprà, *cap.* 13. *membro.* 4. *dub.* 6.

3 Necessitas igitur absoluta non convenit substantiis separatis, & aliis, priùs ad mentem Aristotelis recensitis.

4. Est autem necessitas absoluta etiam in entibus complexis, sive propositionibus. Agamus de his singulis seorsim.

PUNCTUM I.

Deum esse Ens necessarium.

41. PRæcisè nunc loquor de necessitate in essendo, non de necessitate in operando. Non, inquam, Deum nunc dico agens necessarium, sed ens necessarium.

Deum esse ens purè necessarium, probatur. Sic igitur Deus est ens purè necessarium, hoc est, nullo modo potest non esse. Atque ita 1. *Deus non potest non fuisse*, antequam haberet esse, tanquam aliunde acceptum, quia sub ratione Dei apprehendimus id, quod primum est. At si posset non fuisse, fuisset aliquid prius Deo, quod scilicet ipsum traduceret de non esse ad esse. Repugnat enim aliquid seipsum producere, ut suprà ostensum *c.* 13. *num.* 15.

42. *Deum non posse desinere probatur.* Rursus: *non potest Deus tandem non esse*. Nam illud esset vel per collabentiam quasi, qua Deus tanquam senio confectus, absque extrinseco agente desineret, sicuti solent res animatæ etiam interire, morte scilicet, (quam Aristot. *in lib. de vit. & mort.* vocat naturali. Aut id esset per vim extrinseci agentis, ut sic Deus desinat morte violenta: Aut denique id esset, quia Deus sibi ipsi abbreviaret quasi tempus vitæ suæ, citra intrinsecam defectibilitatem, quæ insinuabatur in primo membro, & citra agens extrinsecum, de quo loquebatur altera pars nostræ propositionis. Nihil autem horum esse potest.

43. *Deum non posse sibi vitam adimere.* *Non potest primum.* Nam naturaliter & ordinatè omnia esse appetunt; quia in non esse nulla est vera & realis bonitas, quæ est sub esse. Appetitus enim semper fertur ad bonum. Atque ita cupiditas non essendi, non potest esse citra perturbationem & inordinationem, ex qua quandoque contingit, ut homines mortis suæ sibi causæ sint. Absurdissimum autem prorsus est, perturbationem ullam in voluntate sive appetitu divino ponere. Non potest igitur Deus, cùm diutiùs esse posset, ponere sibi terminos brevores essendi, atque ita efficere ut non sit.

44. *Deum non posse senio emori.* *Neque primum* dici potest. Quia iste collapsus naturæ, sive naturalis interitus, supponit in natura valdè magnam imperfectionem, qualis ne quidem est in omnibus entibus creatis, Angelis scilicet & anima rationali. Supponit, inquam, ista naturæ collabentia compositionem ex contrariis, quæ diuturnâ cohabitatione tandem redduntur sibi improportionata, uno enim vel altero matis intenso vel remisso, quàm ad esse istius rei par erat. Unde porro fiat inhabilis materia, in qua forma

forma talis rei sustentari porro possit. Atque ita oportet talem rem tandem collabi. At hic implicantur multæ imperfectiones, quarum nulla Deo potest convenire. Veluti sunt compositio: & quidem ea, quæ est ex materia & forma: & quidem talis materia, quæ subsistet contrariis: & talis forma, quæ non habeat sufficiens & plenum dominium, ad conservandas dispositiones sibi & suæ permansioni congruas.

Neque tandem dici potest. Quod Deus possit desinere per extrinseci agentis vim, sive interitu violento. Nam interitus violentus non potest procurari nisi à valentiori. Unaquæque enim res naturâ esse appetit. Atque ita secundùm ultimum naturæ suæ resistit violenti se corrumpere, atque ita tandem non corrumpitur nisi fractis viribus resistendi. At nihil est valentius Deo, cùm quicquid est extra Deum, sit ens creatum; Et proinde habeat esse participatum à Deo, & nullam virtutem agendi, quæ non eminentiùs præexistat in Deo. 45. *Deum non posse ab alio interimi.*

Relinquitur igitur tandem 1. Deum non potuisse non fuisse *ex nu.* 41. Neque eum tandem posse desinere & non esse, *ex numero* 42. *seqq.* Atque ita summatim Deum habere entitatem immutabiliter, & proinde esse ens necessarium: Id quod erat demonstrandum. 46.

PUNCTUM II.

Substantiæ separatæ (Angeli & anima nostra) non sunt Entia necessaria.

HActenus ostendi, cui enti conveniat necessitas: nunc ostendam, cui ea non conveniat, specialiter locuturus de iis solùm, de quibus controversia esse solet, ad mentem Aristotelis, *ex num.* 39. *hujus cap.* Remota autem necessitate, relinquetur istis entibus contingentia. 47

In hoc autem discursu loquimur 1. non de necessitate in operando, sed de necessitate in essendo. Hæc enim solùm intelligitur sub nomine entis necessarii. Ista autem pertinet ad doctrinam causarum. 48. *Generalia præcognita.*

Nec 2. loquimur de necessitate, quâ quid est necessarium *alii*, sed quâ quid est necessarium *in se*. Angelum enim nunc dicimus non esse ens necessarium, & tamen is, sicut & omnis species alia, est necessarius perfectioni mundi. Neque enim mundus perfectus esset, si deesset ei ulla species entis.

Neque 3. loquimur de necessitate ἐν πάσῃ & in omni latitudine, complectendo eam etiam, qua quid qualitercunque sit necessarium: sed loquimur rigorosè per necessitatem simpliciter, intelligentes immutabilitatem. 49. *Substantias separatas non esse entia necessaria.*

Igitur substantias separatas non esse entia necessaria, patet 1. quia potuerunt non fuisse. Nam extra istas datur agens sufficiens ad dandum esse ipsis, nempe Deus. Et ab intrinseco non habent repugnantiam ad recipiendum esse, sicut de facto quotidie patet de anima, in generationibus hominum. Ergo a parte ante (ut loquuntur Dd.) non habent entitatem immutabiliter. Ergo sic non sunt Entia necessaria. Ex quo sequitur 2. quod possint etiam non esse deinceps. Nam non est majoris virtutis rem corrumpere, quàm facere. At Deus potest facere substantias separatas. Ergo & potest eas (si maximè de facto non fiat) corrumpere, atque adeò facere ut non sint. At varietas inter esse et non esse, hoc est, posse esse et non esse, est entis contingentis, non necessarii.

Objicitur: quod vulgò et rectè statui solet: Angelos et animas esse immortales et id quidem naturâ suâ, (prout præter alios latè tractant Conimbr. *de anim. sep. disput.* 1. a. 5. Et infrà *lib.* 2. *c.* 5. à nobis etiam plenius considerabitur) immortalitas autem idem est, quod necessitas. Ergo sic Angeli et anima sunt entia, ex vi æquipollentium, naturâ sua necessaria. 50.

Respondeo 1. Aliqui etiam, et nec id malè, dicunt: Angelos et animas esse naturâ mortales, gratiâ autem immortales. In quo modo loquendi clarè insinuatur, con- 51.

tingentia in essentia talium Entium. Videatur Antecedens *in Synod. 6. sess. 11.* apud Hieron. *contra Pelag.* & Damasc. *l. 2 de fid. c. 3. & 12. & lib. 1. c. 8.* Quibus adde, quæ referuntur apud Perer. *l. 4. in Gen. num. 119.* & Suarez. *disp. 35. Metaph. s. 3. num. 52. usque ad 59.*

52. *Angeli & animæ quomodo immortales?*

2. Dicuntur tamen Angeli & animæ naturâ immortales, non quòd nullatenus desinere possint, sive quasi naturæ illorum repugnet omnis desitio (quod ad necessitatem entium requiritur) sed quod per naturam non desinant, cùm interim per extraordinarium modum agendi à Deo corrumpi possint. Veluti, anima humana non desinit, sicut formæ aliæ, per vim causæ secundæ, quæ faciat materiam inhabilem, pro tali forma sustentanda, quemodo desinunt formæ aliæ. Veluti in arboris ramo est anima, ad eamq; in ramo conservandam requiritur conjunctio sive continuatio ad radicem. Igitur, qui hanc conditionem prærequisitam ad esse animæ sive præsentiam illius, tollit, ille statim plantalem animam etiam tollit, & corrumpit, cùm anima non habeat in se ulterius istam firmitatem & quasi tenacitatem naturæ, ut in se conservetur. Idem est etiam in forma bruti. Ea tollitur & corrumpitur per indispositionem materiæ, veluti cùm educitur sanguis è corpore, in quo juxta Scripturam, habitat anima, aut cùm inhibetur spiritus sive respiratio illius. Talis desitio non convenit animæ rationali. Si enim vel maximè procuretur talis dispositio materiæ, ut in hac non possit amplius habitare, nondum tamen desinit, sed adhuc permanere potest. Et sic dum vocatur naturâ incorruptibilis, & immortalis, semper tamen relinquitur ei natura talis, quæ dicatur corruptibilis, declarando illam corruptibilitatem per ordinem ad potentiam Dei.

53. Ad eundem etiam modum declaratur de Angelis, quod ipsi naturâ immortales dicantur, nempe non per omnimodam indefectibilitatem & immutabilitatem, sed solùm, quòd habeant à Deo indultam naturam eam, quæ ita munita sit contrà quodvis corrumpens, ut non desinat, nisi Deus velit peculialiter istam destruere, quod secus est in aliis rebus. Nam homo v.g. vel asinus, vel equus talem naturam habent, ut si vel omne agens extrinsecum removeatur, quod corrumpat, tamen 54. ea tandem collabatur & intereat. Ex quibus patet istam naturalem immortalitatem talium entium, eo modo quo expolita est, non indicare necessitatem, sed adhuc stare cum contingentia, quia nihilominus possunt desinere & non esse. Esto illa potentia non sit Physica & naturalis, sed obedientialis & Logica. Contingens enim ens communissimè definitur, quod potest esse & non esse.

PVNCTVM III.

Corpora cœlestia non sunt Entia necessaria.

55. PRincipio hîc repetenda sunt, quæ priùs dicta sunt, *Num.* 48. ad generalis status formationem. Et tum patet ulterius: Corpora cœlestia non esse entia necessaria, sive prorsus indefectibilia & immutabilia. Hæc enim nunc æquipollentia sunt. Nam omne corpus est aliquid dependens à componentibus, tum iis quæ intrinsecè componunt, tum eo quod effectivè componit uniendo partes componentes. Ergo in aliquo statu naturæ non fuit corpus quodcunque tandem sit. Ergo rursus sine repugnantia, quicquid corpus est potest non esse. At hæc varietas indicat contingentiam.

56. *Elementa non esse necessaria entia.*

Atque ex hoc discursu non solùm in specie, sed etiam generalius patet, nullum corpus posse esse ens necessarium: id quod tenendum est propter elementa, quæ dicebantur ad mentem Aristotelis esse entia necessaria.

PVNCTVM IV.

Materia prima non est Ens necessarium.

57. REpetitis & hîc priùs dictis, *ex Num.* 48. nunc facilè patet positæ assertionis veritas. Sumiturque à posteriori indicium entitatis contingentis in ipsa; inde,

sside, quod nullum corpus naturale est Ens necessarium, ut prius conclusum est, *Num.* 35. Materia enim non potest Entitatem habere nisi sub forma, adeóque in composito. Unde si compositum de facto nullum sit, nulla etiam erit materia. Et pronam de proportionaliter loquendo de composito & materia, si compositum potest non esse, adeóque est Ens contingens, etiam materia poterit non esse, adeóque sic & ipsa est Ens contingens.

Objici hic potest: Quod materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis. Nam ex hoc, quod dicitur ingenerabilis, significari videtur, quod non possit accipere esse, adeóque, quod non fuerit sub non esse. Rursus ex hoc quod dicitur incorruptibilis, significatur quod non possit desinere, & tandem non esse. Ergo ubique materiæ repugnat non esse. Ergo ipsum esse habet immutabiliter. Ergo est Ens necessarium. 58.

Respondeo 1. Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis, terminos illos præcisè intelligendo Physicè. Ergo materia *est ingenerabilis*, hoc est, non potest incipere per generationem physicam, *& est incorruptibilis*, hoc est, non potest corrumpi corruptione Physica. Atque hoc verum est. Nam quod generatur physicè, id semper fit ex aliquo præjacente, in quo fiunt dispositiones & alterationes, in illúdque tandem forma introducitur, indéque id, quod tandem resultat, compositum, dicitur Physicè generari, non id quod præjacet, id quod est materia. 59. *Materia quomodo ingenerabilis & incorruptibilis?*

Rursus, quod corrumpitur physicè, non corrumpitur per resolutionem in nihilum: sed post physicam corruptionem aliquid manet, stans sub forma genitæ æquè, ac sub forma corrupti. Atque hoc est materia. Id quod in particularibus corruptionibus, veluti hominis equi, &c. facilè est intueri.

2. Cæterùm etsi materia non incipiat, aut incipere possit per physicam generationem, nec desinat etiam aut desinere possit per physicam corruptionem: nihilominus ei alius modus incipiendi & desinendi facile potest convenire, is inquam, qui est per creationem & annihilationem. Atque ita & potest non fuisse, & potest deinceps non esse, & proinde simpliciter est Ens contingens.

PUNCTUM V.

Universalia (veluti genera & species, ut sunt animal & homo) non sunt Entia Necessaria.

UNiversalia non esse Entia necessaria, ex parte patet ex hactenus dictis. Nam demonstratum est antea nullum corpus posse esse necessarium Ens, *Num.* 55. 56. At aliqua universalia sunt corporea, ut sunt homo & animal, de quibus formabitur quæstio. 61.

Atque ex hoc perrò sequitur, esse universale ut sic non afferre secum necessitatem. Id enim si esset, omne universale esset necessarium, quod absurdum esse, vi sum est in universalibus istis quæ corporea sunt.

Et rursus ex istis sequitur, per accidens esse ad naturam universalem ut sit necessaria, si vel maximè in specie detur aliqua, quæ sit necessaria.

Aliud argumentum sumitur ex contingentia singularium. Singularia specierum (solo Deo excepto, cui antea vendicavimus necessitatem in essendo) sunt contingentia. Ergo & universalia sive species ipsæ. 62.

Connexio firma est: quia, juxta veriorem doctrinam, superiùs de universalibus traditam, universalia non habent realitatem ullam nisi in singularibus, & ab his etiam realiter non distinguuntur. Unde si singularia alicujus speciei omnia corrumpantur, non poterit remanere universale, quia quæ realiter idem sunt, eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, per Arist. 7. *Top.* c. 1. §. 5 Atque hunc ait Arist. *l. Categ.* c. *de substant.* subjatis substantiis primis (singularibus) nihil aliorum remanere.

Solent

Solent aliqui dicere, demptis singularibus non esse universalia, loquendo de esse existentiæ.

Sed esse essentiæ realiter adjunctum ab existentia, reverâ nihil est, ut suprà à nobis probatum est, *cap. 15. memb. 3. & 4.* & aliàs ibi passim. Pluribus hanc sententiam confirmat Monlorius, *in Tractat. de universs. c. 10. ubi vide.*

Proponuntur & solvuntur objectiones.

63. OBJICI hic solet, 1. quod Aristoteles ait *1. post. cap. 24.* Universalia esse semper. *Respondeo* primò ad mentem Fonsecæ prius recensitam. *Num. 39.* Aristoteles quidem existimat universalia esse Entia necessaria, sed in eo errat. 2. Si maximè universalia semper sint, hoc est, per omnis temporis differentias, nihilominus adhuc possunt esse Entia contingentia, quia ad contingentiam sufficit, si, quod est, *possit* non esse, etiamsi alias de facto semper sit, ut constat ex tradita definitione contingentis. Quanquam 3. etiam ita potest juxta Dd. interpretationes explicari illa universalium sempiternitas, ut tandem inde non sequatur, ea esse Entia necessaria.

64. *Universalia quo modo sint semper?*

Sunt autem duo modi interpretandi istam sententiam Aristotelis. *Unus* est valdè celebris ad mentem Thomæ *1. p. q. 16. art. 7. ad secundum*, quem etiam sequitur Suarez *2. in Metaph. disp. 6. s. 7. nu. 6.* quod universalia sint semper & ubique, non positivè, sed negativè, hoc est, dicuntur semper esse, non quasi non desinant vel incipiant, sed quod non habeant peculiarem locum aut tempus in quo incipiant & desinant.

Dicitur aliquid esse semper, dupliciter, inquit ibi Thomas; *Uno modo*, quia habet in se, unde se extendat ad omne tempus, & hoc Deo competit. *Alio modo* dicitur esse semper, quia non habet in se, quo determinetur ad peculiare aliquod tempus: sicut materia dicitur una, non quia habeat unam formam, sicut homo est unus ab unitate formæ, sed quia non habet formas distinguentes. Et hoc modo universale dicitur esse semper. Quo posito, universale quidem dicitur perpetuum esse: & nihilominus potest amittere id per desitionem, & sic non esse, atque adeò esse contingens.

65. Alium modum attingit Monlorius *de universs. c. 10. Ad primum.* Illa igitur universalia dicuntur perpetua & semper esse, non quod sublatis singularibus adhuc sint, hoc est, habeant essentiam vel existentiam: sed quia in quibus sunt, & quando sunt, semper habent unam & eandem rationem constantem & stabilem. Sic Aristot. *1. post c. 9.* quærens qua ratione de Eclipsi Solis & Lunæ & aliis rebus similibus, quæ non semper sunt, sed statis quibusdam temporibus, fieri possit demonstratio quæ rerum est sempiternarum: *Respondet*, hujusmodi res non semper esse, qua singulares sunt, quatenus autem tales sunt, semper esse. Eclipsis igitur Lunæ semper est, hoc modo, non quod eo tempore, quo nulla est Eclipsis, sit ejus essentia, sed quia quando est, semper habet eandem rationem, ac fit per eandem causam. Propter hanc igitur rationis constantiam Eclipsis dicitur semper esse. Nempe semper illa Eclipsis est privatio luminis ob interpositam terram, inter Solem & Lunam. Si autem nunc eveniret propter unam, deinde propter aliam causam, tunc non esset res perpetua sed casualis. Sic etiam rosa dicitur æterna, non quod in hyeme rosa, dimissa existentia, habeat essentiam; sed quia cùm est, semper habet eandem rationem & naturam, & vim. Atque ita pereunt quidem singulis annis singulares rosæ, quæ non redeunt ampliùs, redit tamen semper eadem communis ratio in distinctis individuis. Atque nihilominus hic etiam relinquitur, cùm de facto desinunt omnes singulares rosæ, & proinde etiam rosa in communi, (estque de cæteris idem judicium,) quod ipsa rosa etiam in communi sit aliquid contingens, quia inde indicatur posse esse & non esse.

2. *Objic.*

2. *Objicitur.* Scientiæ sunt de necessariis solùm. At eæ sunt de universalibus: ergo universalia sunt entia necessaria, non contingentia. 66.

Respondeo: Universalia sunt entia necessaria, nempe intuendo perpetuitatem & immutabilitatem rationis, sive essentiæ quam habent, cùm sunt. Hoc est, in singularibus, v.g. hominibus, est varietas. Neque enim si nunc sit homo latâ & rubicundâ facie, mediocri statura, subrufâ barba, diviso mento, habens cicatricem in manu, statim renascitur, isto mortuo, alius isdem conditionibus, quæ singulares sunt & contingentes. *At* natura hominis semper renascitur ejusdem rationis, sive sit sub his conditionibus individuantibus, sive sub aliis. Vt id etiam priùs expositum est *num.* 63. *Universalia quo modo sint perpetua.*

Atque hæc necessitas est necessitas secundùm quid, non absolutè. Nam interim illa tota communis natura, hominis & aliarum specierum, potest deletis omnibus singularibus deleri, & sic de facto non esse, quod non convenit enti necessario.

In hac autem tota disputatione, qua Deo soli vendicavimus necessitatem essendi, loquimur de eo, quod est necessarium simpliciter & absolutè, ut principio constituimus *Num.* 48.

PUNCTUM VI.

Mundus non est Ens necessarium.

ATque ex his tandem relinquitur: Mundum non esse ens necessarium. Mundus enim est ens aggregatum. Ens autem aggregatum non habet aliam entitatem ab entitate partium aggregatarum. At partes ex quibus aggregatur mundus, probatum est esse contingentes & non necessarias. Mundus igitur ipse est ens contingens, non necessarium. 67.

Objicitur: Si ponatur: Deum agere ex necessitate naturæ (neque enim contrarium hactenus probavimus) tum Mundus necessariò fiet à Deo, & necessariò conservabitur à Deo. Ergo ipse etiam mundus erit ens necessarium. 68.

Respondeo 1. secundum veriorem sententiam, Deus non agit ex naturæ necessitate, sed ex voluntatis libertate: unde, novo argumento, confirmari potest, mundi atque adeò omnium rerum extra Deum contingentia. Nam de ratione liberæ causæ est posse agere & non agere. Ergo effectus illius causæ potest esse & non esse. At hoc ipsum est esse contingenter posse esse & non esse. 69.

2. Neque, si supponatur Deus agere necessitate naturæ, illico etiam res effecta erit ens necessarium. Nam poterit aliunde desinere. Veluti juxta istam hypothesin, etiam hic vel iste ignis erit factus ex necessitate, item hæc vel ista rana. Et tamen iste ignis potest extingui aqua, & hæc rana interemptione aliisque de causis. Atque ita res factæ per necessitatem, poterunt esse et non esse, et sic poterunt esse entia contingentia.

3. Apparet atque nunc adæquatè, actionem Dei (si ita supponatur) necessariam, non facere, ut res creatæ sint entia necessaria. Estque id generaliter inde, quia illa necessitas ab efficiente, est extrinseca respectu effecti. Necessitas autem Entis, de qua Metaphysicus loquitur, sub nomine necessitatis absolutæ, non sumitur ab extrinseco, sed ab intrinseco. Confer de hoc Suarez *disp.* 28. *s.* 1. *n.* 9. 11.

TITVLVS VII.

An detur aliquæ propositiones absolutè necessariæ, & quænam illæ sint?

HActenus egimus de necessario incomplexo, nunc etiam de complexo videndum est, juxta factam propositionem *Num.* 38. 70.

Inprimis hac in re certum est: Propositiones quæ sunt de Deo prædicando de illo attributa divina, esse propositiones necessarias, veluti sunt hæ: Deus est justus, 71. *Necessaria*

propositiones de Deo.

justus, Deus est Spiritus, Deus est sapiens.

72. *Ex oppositis.*

Idem videtur etiam dicendum esse de iis, quæ negativæ sunt ex oppositis: Veluti: homo non est Angelus. Calor non est frigus. Pater hujus non est filius hujus. Cæcus non est videns. Lapis non est lapis.

73. *Ea, quæ sunt in primo modo dicendi per se.*

Tertiò. Absolutè necessariæ etiam sunt propositiones quæ sunt in primo modo dicendi per se. Veluti homo est animal. Homo est rationalis. Estque ejus rei ratio manifesta, quia in primo modo dicendi per se, prædicantur illa quæ pertinent ad rei definitionem. Definitio autem & res definita sunt realiter idem. Nempe realis identitas est inter genus (animal) & speciem (homo.) Item inter differentiam (rationalis) & speciem (homo) ut ex doctrina universalium suprà propositata satis constat. Sic igitur cùm dico: *Homo est animal.* Animal nihil aliud significat, quàm essentiam ipsius hominis, sed ut confusius apprehensam. Et Homo significat nihil aliud quàm essentiam ipsius animalis, ut contractius apprehensam. Quod sit realis identitas & essentialis est, inter genus & speciem, item inter differentiam & speciem: utique nullo prorsus modo fieri potest, ut homo non sit animal, aut ut homo non sit Rationalis. Sicut & nullo modo fieri potest, ut homo non sit homo. Est enim paritas manifesta exinde quòd & hæc & ista veritatem suam habent in reali identitate terminorum.

74. *De propositionibus in secundo modo dicendi per se.*

Quarto absolutè necessariæ sunt propositiones secundi modi, dicendi per se. Ita patet 1. de aliquibus, quia aliquæ earum etiam habent extremorum realem identitatem, nec differunt à subjecto prædicata earum, nisi in quantum inadæquatè repræsentant subjectum qualia sunt attributa Transcendentalia in ordine ad ens, unde sunt hæ propositiones. Ens est unum; ens est verum; ens est bonum. Hæ prædicationes sunt in secundo modo dicendi per se, ut in Logicis disputo *in lib. de pro. oss. cap. 4 num. 77.* Et tamen illæ affectiones realiter eædem sunt cum suo subjecto per ea, quæ suprà disputata sunt *cap. 3. num. 11. & seqq.* Estque ista realis identitas proprietatum ad subjectum etiam in aliis, veluti, sic realiter eadem est substantia corporea cum aptitudine recipiendi quantitatem, essendi in loco, &c. quæ aptitudines non sunt aliquid additum ad essentiam ejus: et proinde nullo modo abesse possunt ab essentia subjecti, sed constituunt cum subjecto propositiones summè necessarias. Conf. Fonseca *tom. 1. Metaph. c. 4. q. 1. s. 5.* Et per hæc patet, falsum generaliter dici non posse, propositiones secundi modi non esse absolutè necessarias.

An omnes propositiones secundi mod. dicendi per se, sint absolutè necessariæ?

75. IN aliis autem non facilè est declarare illam necessitatem absolutam, ubi prædicatum continet aliquid realiter distinctum à subjecto, ut est in istis: *homo est risibilis; ignis est calidus; corpus est quantum, sive dimensum.* Talia enim propria possunt per divinam potentiam abesse à suis subjectis, ut docet Fonseca *d. loc.* et Suarez *disputat. 7. in Metaph. s. 3. numero* 22. aliique; et latius disputavi *in Top. cap. 8 num. 101. seqq.* Unde sic homo est risibilis ut (per potentiam divinam) possit esse non risibilis. At quod potest esse et non esse, id non est necessarium, sed contingens.

Occupatio.

Ubi nihil refert, quod illud *non esse*, pendet solum ex divina potentia. Nam id ad contingentiam satis est, posse esse et non esse, ex quacunque tandem id causa. Sicut et superius, *num. 49. seqq.* constituimus: Angelos et animam esse entia contingentia, quia tamen (non per naturam, sed solum) per Dei potentiam, poterant non esse.

76. *Referuntur variæ opiniones.*

Hac in re sunt tres modi dicendi apud Autores 1. *Aliqui* aiunt: istas propositiones esse absolutè necessarias, sed negant divinâ potentiâ, posse illa prædicata abesse à suis subjectis. ita faciunt Calviniani, ut recensui in Top. proximè dicto loco, sed hæc sententia consistere non potest, ut etiam ibidem ostendi.

2. *Alii*

2. *Alii* dicunt tales propositiones non esse absolutè necessarias, sed contingentes, hoc ipso, quia possunt secus esse. Atque huc facere videtur, quod clarissimus Arnaldus *in Apell. lib. 1 apart. propriæ c. 2. in comment. lit. c. pag* 580. docet, Deum posse immutare modos dicendi per se, sive modos propositionum necessariarum. 77.

3. Alii autem & hic, (sicut & in primo modo) inveniunt aliquam identitatem, propter quam tales propositiones sint absolutè necessariæ, ut latè tractat Fonseca. 1. *Met. taph. c.* 5. *q.* 1. *ad* 4. & Suarez *disp.* 31. *s.* 12. *n.* 38. *seqq.* & insinuat eâdem *disp. s.* 2. *num.* 8. Sed supposita reali distinctione proprietatum à subjecto (de his enim nunc loquimur) non videtur explicari posse identitas illa, secundum quam istæ propositiones habeant absolutam necessitatem. 78.

Decisio quæstionis.

His positis ego existimo duobus modis expediri posse hoc negotium. Primò possunt in istis propositionibus duo significari: *Primò* prædicari *convenientia* ad istud subjectum: *Deinde* prædicari *inexistentia* in tali subjecto.

Atque inter hæc illud prius potissimum est, & ne quidem per Dei potentiam tollitur à subjecto. Nam si maximè de facto tolleretur calor ab igne, aut risibilitas ab homine, nempe ista accidentia à talibus subjectis, nihilominus semper igni conveniret calor, & homini conveniret risibilitas, hoc est, postularetur & exigeretur à tali natura talis qualitas. Atque hoc ipso, si in istis propositionibus intelligatur non tam inexistentia prædicatorum, sive proprietatum talium, quàm convenientia earum ad subjectum, ut quæ, quia hæc est prorsus immutabilis, ipsæ etiam propositiones erunt prorsus immutabiles & necessariæ. Et juxta hunc modum explicandi necessitatem earum, sunt absolutè necessariæ, aliàs non. 79. *Quatenus propositiones secundi modi sint necessariæ?*

Secundò igitur, si prædicationum talium sensus sit: quod earum prædicata subjectis inexistant, veluti, quod in homine sit illa qualitas, sive illud accidens, quod dicitur risibilitas: item quod in igne sit illa qualitas, sive accidens, quod dicitur calor. Tunc dicendum est, esse quidem istas propositiones necessarias, sed non absolutè, & prorsus immutabiliter. Sunt inquam necessariæ propositiones, si loquamur juxta statum naturæ talium rerum: Non sunt tamen absolutè necessariæ, propter dicta de separatione proprietatum à suis subjectis. 80.

Atque ex his summatim: summus gradus necessitatis ísque absolutus est in primo modo dicendi per se propter realem identitatem terminorum: *per num.* 71. Et eadem de causa in istis propositionibus secundi modi, in quibus prædicata realiter eadem sunt cum subjectis *per num.* 72. in aliis autem est necessitas solùm secundum quid. 81. *Gradus necessitatis in propositionibus.*

Cæterùm quia aliqui (inter quos Hervæus *quod. l.* 1. *q.* 10.) omnes propositiones ajunt esse solùm secundum quid necessarias, extra eas quæ de Deo sunt, à nobis recensitas *Nu.* 69. ideò objectiones aliquæ sunt solvendæ.

PUNCTUM VIII.

In quo solvuntur objectiones de propositionum necessitate.

Primò solet objici: Veritas propositionis fundatur in re. At nulla res creata est necessaria & perpetua. Ergo & nulla propositio est necessaria & perpetua. 82.

Hoc argumentum variè solvi solet à Metaphysicis. 83.

Aliqui dicunt veritatem & necessitatem talium propositionum fundari in rerum essentiis. Essentias autem esse perpetuas & æternas, & res creatas variari solùm juxta existentias. *Aliorum responsio.*

Sed hæc sententia falso nititur principio, cóque geminos? *Altero*, quòd essentia & existentia realiter distinguantur; *Altero*, quòd Ens non existens, nihilominus sit vere & realiter aliquid, adeóque quod Ens etiam possibile habeat veram & 84. *Rejicitur.*

realem Entitatem. Contra quas opiniones satis dictum est supra *c.14. n.71. seqq. & c.15.n.23. & seqq.* Atque sic si essentia separatâ existentiâ nihil est, relinquitur in re non existente non esse essentiam. Et proinde juxta hæc adhuc nihil est reale, in quo fundetur perpetua veritas sive necessitas talium propositionum.

85. *Alia responsio. In intellectu divino, quomodo fundetur necessitas propositionum?*

Alii fundant talium propositionum veritatem & necessitatem in intellectu divino. Qua in re sequuntur aliqui Thomam ita docentem *1.p.q.10.a.3. & q.16.a.7. & alibi.*

Id non incommodè dicitur, si ita explicetur: Necessitas est nihil aliud quàm firmata veritas, sive constantia veritatis. Veritas autem sumitur per respectum ad intellectum inprimis divinum, ut suprà traditum est. Ergo sic necessaria veritas illi competit, quod à divino intellectu non aliter intelligitur, quàm ut est tale, vel quod ne quidem à divino intellectu aliter intelligi potest, quàm sic, ut per tales propositiones exprimitur. Quo posito veritas & necessitas talium propositionum non requirit realitatem & positivitatem extremorum quam in mundo habeant. Nam intellectus sive scientia non fertur necessariò ad objectum reale & præsens; sed potest etiam intelligere, quod futurum est vel esse potest.

86. *Propria responsio.*

Existimo tamen in hac ratione non consistere immediatè necessitatem talium propositionum: Etsi per eam rectè explicetur, quod sint necessariæ. Nam inprimis adhuc requiri potest: Cur Deus non possit apprehendere subjectum propositionis necessariæ, removendo ab eo tale prædicatum. Veluti hominem non esse animal, & canem non esse bestiam, & sic in aliis.

87.

Aliorum igitur ratio propinquior & immediatior est, qui necessitatem talium propositionum ponunt in identitate extremorum. Unde etiam priori quæstioni *num.86. proposita*, satisfieri potest: Nam cur Deus non possit hominem intelligere aliter quàm sub ratione animalis, id est inde, quia homo & animal à parte rei sunt unum & idem.

Est autem ista realis identitas evidens in priori modo dicendi per se, quia ibi prædicatum pertinet ad essentiam & definitionem subjecti. Partes autem essentiales non distinguuntur realiter à suo toto. In secundo modo autem catenus est absoluta necessitas, quatenus intra terminos talium propositionum intervenit realis identitas, juxta dicta *Num.72 & 77.* Rursus autem ubi deficit realis illa identitas, ibi etiam deficit absoluta propositionis necessitas, juxta *Num.78.*

Objectio.

Objicur: Ea ipsa etiam identitas, quia est realis, debet fundari in aliqua re. Et sic si Identitas illa est æterna, & proinde tales propositiones sunt veritatis æternæ: utique adhuc erit æterna aliqua res, in qua fundetur talis identitas: aut dicendum est, quia nulla res creata æterna est, quod neque ulla propositio de re creata possit æterna & absolutè necessaria esse.

Solutio.

Hanc instantiam prolixè & diligenter solvit Fonseca *5.Metaph.c.5.q.1.s.4.* ubi docet illas identitates esse negationes; Idque non incommodè. Nam identitas revocatur ad Unitatem. Unitas autem consistit in negatione, ut suprà disputatum est. Atque ita identitas est negatio diversitatis. Et proinde hominem esse animal, atque sic hominem & animal idem esse, est nihil aliud quàm hominis essentiam non esse diversam ab essentia animalis. Porrò negationes puræ etiam purè negativè existunt, hoc est, per solam non existentiam eorum, quæ negantur, non autem fundantur illæ in aliquo positivo. Atque ita nihil præterea quæri debet, in quo fundetur talis identitas; sicut neque id quæri solet aut potest in negationibus aliis.

TITU-

TITULUS IV.

DE DISTINCTIONIBUS NECESSITATIS & necessarii.

LOcuti sumus in priori quæstione de eo quod Absolutè & summè necessarium erat. In hoc autem discursu latiùs sumemus necessitatem. Attribuemus enim eam etiam Entibus extra Deum. Estque porrò observandum, quòd singulæ divisiones non contineant omnia genera necessitatis, sed solùm distinguunt ad definitos modos loquendi de necessitate. 88.

ARTICULUS. I.

De divisione necessitatis in incomplexam & complexam.

1. NEcessitas est complexa vel incomplexa.

Necessitas complexa, est necessitas propositionis, quæ est Ens complexum. 89.

Necessitas autem *incomplexa*, est necessitas Entis incomplexi sive τῶ ἀσυν συμπλοκῆς λεγομένου. Ista necessitas est in hoc v.g. *Homo est animal.* Hæc est in hoc Ente, Deus. De his satis fuit in prioribus.

ARTICULUS. II.

De divisione necessitatis in absolutam & hypotheticam.

2. NEcessitas est vel absoluta, vel hypothetica.

Necessitas absoluta est, quæ sumitur ab intrinseco, quâ quid est immutabile postulante id naturâ alicujus rei. Unde & necessitas naturæ et definitionis dicitur. 90.

Necessitas autem *hypothetica* est, quâ quid est immutabile, ex positione extrinseca alicujus circumstantiæ. Ita necessitas absoluta est, Deum esse justum, & ignem urere. Necessitas autem hypothetica est, de qua ait Aristot. *de interp. c.* 8. Unumquodque quod est, eo ipso dum est, necesse est esse. Item, quod factum est, infectum fieri nequit: seu: quod idem est: quod factum est, necesse est fuisse. Ibi enim necessitas non sumitur ex natura rei, quæ necessaria dicitur, sed ab extrinseco, nempe ex hypothesi, sive suppositione temporis. Ita necesse est, venire scandala, ex suppositione scilicet conditionis humanæ, quod homo sit proclivis ad quælibet scelera & flagitia, qualis hypothetica necessitas est etiam in hypotheticis propositionibus, quæ & inde nomen habent; Veluti: si asinus volat habet pennas.

Alia Necessitas est, ait Aug. *lib 4. de Civit. Dei, c.* 10. Cùm dicimus necesse est Deum semper vivere, & omnia præscire. *Alia*, cùm dicimus, necesse est homines mori, & *alia* cùm dicimus: Homo jam libera voluntate aliquid vult. Ergo necesse est eum velle.

ARTICULUS. III.

De distinctione necessitatis in necessitatem naturæ & violentiæ.

3. NEcessitas distinguitur in necessitatem naturæ & in necessitatem violentiæ. 91.

Quæcunque ex necessitate agunt, partim vi, partim naturâ agunt, ait Arist. 1. *Rhet.* 10. & *l.* 2. *post. c.* 11.

Ita de necessitate naturæ intelligitur, cùm dico ignem necessariò urere. Necessitas autem violentiæ est, quâ fit necessariò it ad patibulum, & torturam. Et sic in aliis.

92. *Violentia quid?*

Solet autem distinctionis causa, illa violentia, quæ est in agentibus liberis, vocari *coactio*. Unde coactio est violentia, cum displicentia ejus quod violentiam patitur. In cæteris agentibus, est violentia simpliciter & sine addito. Est autem porrò de violentia accuratè observandum: quod ea accuratè loquendo non sit nisi cum contranitentia agentis. Id enim violentum rei dicimus, cui effectivè resistit ens, cui quid violentum dicitur. Ita necessitate violentiæ manet lapis in aëre, detentus v.g. à manu alicujus, cui quieti prorsus lapis resistit ponderando deorsum, & urgendo manum tenentis. Et idem est in aliis.

Violenti duæ conditiones.

Atque sic violentum implicat duas conditiones. *Prima* est, ut quod violentum dicitur, conveniat rei ab extrinseco, hoc est non à natura rei. Deinde debet res ad statum oppositum efficaciter propendere, & præsenti statui effectivè resistere.

93. Hinc relinquitur: cùm quid rei conveniat ab extrinseco, non tamen naturâ rei resistente & contranitente, quod non sit dicenda eo in casu violentia. Veluti animæ separatæ convenit status separationis ab extrinseco, videlicet ab eo, qui dat mortis causam. Neque tamen is status est violentus, sed naturalis, ut infrà patet *l. 2. c. 5. nu. 38. seqq.* Sic etiam cæcitas oculo violenta non dicitur, etiamsi non sit à natura oculi, sed aliunde. Confer Colleg. Conimbr. *lib. 2. de cæl. c. 5. q. 5. a. 5. & l. 2. de gen. & inter. c. 11. q. 1. a. 4. & de anim. 3. par. disp. 2. a. 3. fere in fin.*

94. Gabriel Biel ad superiorem distinctionem addit necessitatem finis *l. 3. d. 16.* Multiplex, *inquit*, est necessitas. Est enim necessitas absoluta, vel simpliciter dicta, cujus oppositum includit contradictionem. Alia est necessitas coactionis & violentiæ, qualis est necessitas corruptionis ligni positi in ignem: quod violenter ab igni corrumpitur. Tertia est necessitas finis seu conditionata: Sic necessarium est ad finem, sine quo finis haberi non potest.

ARTICULUS. IV.

De divisione necessitatis in necessitatem consequentis & consequentiæ.

95. 4. Necessitas alia est consequentis, alia consequentiæ. Hæc distinctio ferè vicina est secundæ distinctioni superiùs traditæ. Nam necessitas consequentiæ sumitur ex suppositione prioris alicujus, & sic est quodammodo hypothetica.

Sumuntur autem illæ appellationes ex Logicis. Ubi in doctrina Syllogistica (in qua habetur ratio consequentiæ potissimum) distingui solet inter consequens & consequentiam.

Necessitas in Syllogismo.

Ibi igitur *necessitas consequentis* est in omni Syllogismo, hoc est, positis aliquibus præmissis, non potest non sequi quod infertur, etiam in contingentissima materia veluti: *Omnes homines sunt dentes, Johannes est homo.* Ex illis necesse est inferri, nec potest quicquam aliud deduci, præter hoc: *Ergo Johannes est Dives.* Et de hac necessitate consequentiæ in syllogismo Aristot. 1. *prior. c.* 1. §. 8. loquitur, dicens, syllogismum esse orationem, in qua aliquibus positis aliud *ex necessitate* sequitur. Et 1. *prior. c.* 4. §. 6. cùm nihil necessariò sequitur, non est syllogismus.

Necessitas autem *consequentis* in syllogismo, est nihil aliud, quàm necessitas conclusionis in se spectata & extra habitudinem ad præmissas. Atque hæc non est in omni syllogismo. Nam interunt aliqui syllogismi conclusionem, quæ sit contingens. Et aliqui inferunt conclusionem, quæ sit necessaria. Fuitque in priori syllogismo exemplum conclusionis contingentis.

96. *Necessitas consequentis & consequentiæ in re tâ earum connexione.*

Hinc ergo egrediendo è materia syllogistica, *in rebus* dicitur *necessitas consequentiæ* illa, cùm aliquid necessarium dicitur, per suppositionem ad aliud, & connexionem cum aliis. *Necessitas* autem *consequentis* dicitur ea, quâ quid necessarium est, semotâ earum connexione, & rem spectando in se præcisè.

Veluti quæ Deus præscit, non possunt non evenire, & sic habent necessitatem

tem fiendi. Idque propter infallibilitatem præscientiæ divinæ. Hæc necessitas est necessitas consequentiæ. Res enim sic dicuntur necessariæ, non nisi per connexionem ad aliud, hoc est præscientiam divinam.

Loquendo autem de rebus in se spectatis, quæ præsciuntur, remota connexione ad præscientiam divinam, non omnes res sunt necessariæ, quæ necessitas est consequentis. Sunt enim multa in mundo casualia, fortuita, libera, quæ omnia in se spectata non necessaria, sed contingentia sunt. *Vinat proculdubio cuncta*, ait Boethius, *quæ esse futura Deus præscit: Sed eorum quædam proficiscuntur de libero, quæ quamvis eveniant, tamen propriam naturam non amittunt, sed priusquam fierent, etiam non evenire potuissent.*

ARTICULUS V.
De distinctione necessitatis in eam, quæ est ad esse, & quæ est ad bene esse.

97. 5. NEcessitas alia est ad esse, alia ad bene esse. Ita *ad esse* homini necessaria est anima, & victus: *Ad bene esse* autem illa sunt necessaria, extra quæ quidem consistere potest esse rei, iis tamen remotis, non est illa res in statu satis digno vel commodo, &c. Sic ad bene esse homini necesse est, aliquando uti remediis, vivere in salubri loco, uti cibis lautioribus, peregrinari adhibito equo & curru.

ARTICULUS VI.
De distinctione necessitatis per habitudinem ad causas.

98. 6. NEcessitas distinguitur per habitudinem ad causas, cum quibus necessitas adeò magnam connexionem habet, ut aliqui de ea illico post doctrinam causarum agant.

Igitur aliqua necessitas sumitur *ex efficiente*, qualis est ea, quâ quid agit ex necessitate naturæ, vel necessitate coactionis. De quibus prius fuit. Alia necessitas sumitur *ex forma*. Ut necesse est hominem esse rationalem. Alia necessitas sumitur *ex materia*. Ut necesse est, mixtum ex Elementis compositum corrumpi. Alia denique necessitas sumitur *ex fine*. Ut necesse est volentem curari à morbo, uti remediis. Et huc pertinet etiam necessitas expedientiæ secundùm quam necessarium quid dicitur, non sine quo finis obtineri nequit, sed sine quo nequit obtineri expeditè vel æquè benè. Ita cùm quis possit pedes peregrinari, equus necessarius est peregrinanti, necessitate expedientiæ solùm, & sic in aliis. Vide Armand. de Bello vis. *l.* 2. *Term. c.* 248. Cornel. Martin. *in Epitom. Metaph. p.* 155. 156. Commentatores Hispan. *in Log. fol.* 133. *fac.* 1. *Necessitas expedientiæ.*

TITULUS V.
DE VOCE CONTINGENTIS.

99. CContingentis vox ambiguè dicitur. Aliquando contingere id omne dicitur, quod consequitur, vel fit, etsi aliàs sic necessarium vel non. Ita 1. *Rhet. c.* 2. ait Aristot. Rhetoricam contemplari τὸ ἐνδεχόμενον πᾶσιν, quod *contingit*, vel est, persuasivum. Sic & 1. *post t.* 75. & multis locis aliis. Comprehenduntúrque illa omnia, sub isto Aristotelis 1. *priv. cap.* 3. §. 3. καὶ τὸ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ μὴ ἐνδεχόμενον καὶ τὸ δυνατὸν ἐνδέχεσθαι λέγομεν, hoc est, *& quod necessarium est, & quod non est necessarium, contingere dicimus.* Secundùm hanc igitur significationem contingens non opponitur necessario. *Enumeratur varie contingentis significatio.*

Aliter contingens idem est, quod fortuitum & casuale, quomodo contingentium dicitur non esse scientia. Et hoc modo etiam actus Dei non dicuntur contingentes, sed, ad evitandam æquivocationem, solent dici liberi.

Aliter

Aliter denique contingens dicitur id esse, quod est mutabiliter. Sic Arist. 1. *prior c.* 13. §. 2. *et l. 6. Eth c.* 3. ait: ἐνδέχεσθαι καὶ ἐνδεχόμενον λέγεσθαι τὸ μὴ ὂν ἀναγκαῖον πάντως καὶ ὑπάρχειν, οὐδὲν ὅτι διὰ τοῦτο ἀδύνατον, hoc est, *contingere, & contingens esse dicitur, quod cum non sit necessarium, posito tamen nihil impossibile existit.*

Et secundum hanc significationem, contingens opponitur necessario, ut hîc clarè Aristoteles ait. Estque veluti medium inter necessarium et impossibile, dum appropinquat necessario, per posse esse, et impossibili, per posse non esse. Differt tamen ab utroque: Quia necessarium non potest non esse. Contingens autem potest non esse: Impossibile autem non potest esse. At contingens potest esse. Et juxta hanc significationem in præsentia loquimur.

100 *Contingentium quomodo non sit scientia?*

Aliter contingens sumitur vel in actu signato, vel in actu exercito. Ibi supponit pro communi ista natura, secundùm quam omnia, quæ in particulari contingentia sunt, dicuntur communi nomine, contingentia. In actu autem exercito supponit pro particulari exemplo istius, quod universali nomine contingens dicimus. Et de hoc contingente dicitur, quod contingentium non sit scientia 1. *post.* 2. & 6. & 6. *Eth. c.* 3. contingentium, inquam, veluti de Petro & Paulo, effossione fortuita Thesauri & denique. Aliàs enim de contingente in actu signato potest esse scientia. Agitur enim sic de eo in Metaphysicis hoc loco.

Definitionem & naturam contingentis suprà *tit.* 2. *hujus capitis* satis declaravi; unde ad illa hîc nihil necesse est alia addi.

TITULUS VI.
DE DIVISIONIBUS CONTINGENTIS.

101 *Tria genera contingentium.*

I. Contingentia significat potentiam contradictoriam, hoc est, posse esse & posse non esse. Juxta hanc igitur varietatem in posse esse & non esse, tria sunt genera contingentium.

Alia sunt perinde ad esse & non esse, quæ dicuntur contingentia ἐφ' ἑκάτερα, æqualiter, vel contingentia ad utrumlibet. Taliter contingentes sunt actus liberi, veluti sunt, deambulare, scribere, disputare, quia actus ex parte sui, vel etiam juxta habitudinem ad causam suam, non magis postulant esse, quàm non esse, & contrà.

Alia magis non sunt, quàm sunt, quæ dicuntur contingentia rarò, veluti fissorem lignorum excusâ securi occidere hominem; fossorem vineæ, effodere thesaurum. Pertinéntque huc omnia, quæ dicuntur casualia & fortuita. Vnde de contingentibus rarò etiam dicitur, quod eorum nulla sit scientia, cùm cæterorum esse possit.

Denique *alia* contingentia magis sunt, quàm non sunt, quæ dicuntur contingentia ut plurimùm ὅτι τὸ πολὺ vel ἐπὶ τὸ πλεῖον. Ita contingens est, hominem habere quinque digitos. *Contingens*, inquam id est, quia potest non habere quinq; digitos. Est tamen contingens *ut plurimum*, quia sæpiùs id est, quàm non fit. Vnde ejus oppositum est contingens rarò, hominem scilicet habere plures aut pauciores quinque digitis.

103. *Contingentia in essendo & operando.*

II. Contingentia alia est in essendo, alia in operando. *Contingens in essendo* dicitur, cujus essentia est mutabilis. Contingens *in operando* est, cujus operatio est mutabilis, seu, quod idem est, quod potest operari & non operari. Et hoc modo contingentia convenit omni agenti libero. Libertas enim species est contingentiæ, quatenus scilicet contingentia actionibus accommodatur. Et sic Deus etsi in essendo sit ens necessarium. Ejus tamen operationes possunt esse & non esse, hoc est, sunt contingentes, non quatenus illa vox significat fortuitum & casuale quid, sed in quantum præcisè per contingentiam significatur potentia contradictionis, hoc est posse esse & non esse, qua de re suprà tuit *Num.* 32. *seqq.*

III. Con-

III. Contingentia alia est per habitudinem ad subjectum, alia per habitudinem ad causam. *Contingens ratione subjecti est*, quod subjecto suo raro convenit & contingenter. Contingens *ratione causæ* est, quod raro fit tali causa posita, quale quid est fodiendo invenire Thesaurum. Ista enim causa, hoc est, fossione posita raro ponitur Thesauri inventio. Ita Eclipsis in Luna est aliquid contingens, ratione subjecti quidem (Lunæ enim raro obtingit Eclipsis) at non ratione causæ. Nam quæ causa est Eclipseos Lunæ, ea posita, non raro, sed semper producit tale effectum, hoc est, Eclipsin. Semper enim fit Eclipsis in Luna, cùm Diametraliter opponitur ad Solem. Atque ita Eclipsis ratione causæ non contingens, sed necessaria est. Eadem tamen, ratione subjecti, contingens est. Vide Zabarell. 1. *post. c. 24. t. 181. f. 993. & 2. post. c. 2. t. 6. fol. 1501.* Comment. Hispan. *Copul. Log. tract. 6 fol. 226.* 104. *Contingentia ratione causæ & ratione subjecti.*

Hanc contingentium diversitatem valde prodest notare. Inde enim hoc porrò discrimen emergit, ut quæ contingentia sunt, ratione causæ non possint in scientiis tractari. Siquidem scientiæ non sunt, nisi ex causis certis, quæ rebus ejusmodi non conveniunt. At quæ contingentia sunt, solùm ratione subjecti, & ratione causæ cæteroquin necessaria sunt: Ea sat commodè possunt in scientiis tractari & doceri. Cùm enim scientia nihil aliud sit, quàm notitia rei per causas, utique sciri poterit, quod causas definitas & certas in natura habet. 105.

IV. Denique sicut necessitas alia fuit *rerum* sive incomplexa, alia *propositionum*, sive complexa: Ita etiam est de contingentia. Contingentia igitur incomplexa est, qua res dicuntur contingentes sive mutabiles ad esse & non esse. Contingentia autem complexa est, qua propositiones dicuntur contingentes. Sed de hac Propositionum contingentia ex instituto ago in Logicis, *in doctr. propos. c. 4.* 106.

CAPUT XIX.

De Permanente & Successivo.

1. QUintò: Secundum perfectionem Ens dividitur in permanens & successivum.

2. Permanens est quod habet partes sui esse simul: vel Rectiùs: quod non habet partes suas in fluxu unius ad aliam abeuntem. Ut Deus Homo.

3. Successivum est, quod habet partes sui esse in fluxu, ut motus, qui partim abiit, partim est, & partim erit.

COMMENTARIUS.

EOrum quæ ad hoc caput pertinent, multa intelligi possunt, ex iis quæ de durationibus dicta sunt *cap. 16. hinc inde.* Nonnulla tamen inde repetenda & aliqua addenda sunt. 1.

Estque dicendum *primo* de voce & natura Entis permanentis. *Deinde* de voce & natura Entis successivi. *Tertiò* de conditionibus Entis successivi. Et *denique* in particulari constituendum, quænam Entia sint successiva?

TITULUS I.

De voce & natura Entis Permanentis.

VOx permansionis *primo* significat omnimodam indefectibilitatem & immortalitatem. Ita permanere dicitur, quod nulli mutationi est obnoxium. *Vox permanentis* 2.

Verbis explicatur. Veluti *Psal.* 104. cœli peribunt, tu autem permanes. Ubi soli Deo τὸ ἐξαίρετον vendicatur permansio. Hæc significatio non est hujus loci. Multa enim ex creatis Entibus & corpora naturalia omnia sunt Entia permanentia, juxta hujus divisionis sensum

2. Permansio significat tractum vel continuationem essendi, quomodo ea vox sumpta est in definitione durationis, quæ definitur, quod sit permansio Entis in existendo. Ergo cuicunque duratio convenit (convenit autem ea omni existenti) ei etiam convenit aliqua permansio propter identitatem definitionis & definiti. Ergo etiam Enti successivo sic convenit permansio. Ens enim successivum habet etiam continuatam existentiam. Unde rursus patet: istam significationem non esse hujus loci. Hic enim successivum permanenti contradistinguitur.

In hac igitur oppositione Entis permanentis ad Ens successivum (quæ tertia ejus est significatio) Ens permanens definiri solet, esse illud, quod omnes partes esse habet simul.

3. Ad quam definitionem notandum est: 1. Quod ea habeat sensum negativum, ut

4. *Entis permanentis definitio explicatur.* definitiones plurimæ in Metaphysicis. Unde *partes habere sui esse simul*, est nihil aliud, quàm *non habere* partes fluentes: ut statim in Theorematibus addidi. Est id propterea, quod Entibus permanentibus non repugnat, ut sunt Entia prorsus simplicia, quæ prorsus non habent partes. Veluti est Deus, qui est Ens permanens & tamen partes nullas habet. Estque Ens permanens ex eo, quia non habet partes sui fluentes quod à fortiori ei convenit quàm aliis, quia ei simpliciter non conveniunt partes, unde multo minus conveniunt ei partes fluentes.

5. *Qui fluxus faciat Ens successivum?* 2. Notandum est, quod non omnis fluxus partium faciat Ens successivum, sed ille, quo quid habet partes sui esse fluentes hoc est, quod essentiam talem habet & ex talibus partibus consurgentem, ut dimisso partium fluxu, vel continuatione, vel successione, non amplius Ens sit id quod est. Unde si quid partes fluentes & sibi succedentes habeat, sed tamen ita, ut dimissâ etiam successione, & quasi in quiete, res ea habeat esse, jam non est successiva sed permanens. Veluti: unguis, crinis &c. habent partes quasi fluentes, semper enim prioribus adnascuntur aliæ, demptis & præsectis prioribus. Ista tamen Entia permanentia sunt & non successiva, quia in quovis momento habent partes sui esse simul, et in nullo momento eis deest pars ulla, quam requirant ad essentialem sui integritatem, & omninò dimisso omni tali fluxu, adhuc crinis est crinis et unguis est unguis.

6. *Motus non est Ens permanens.* Per defectum autem istius conditionis, motus v.g. Ens permanens non est, sed successivum. Nam ille adeò requirit continuationem partium ad sui esse, ut nisi sit ille fluxus partium, non sit essentia motus, et omninò repugnet, motum esse in instanti. De motibus accidentalibus loquor, ut sunt, accretio, alteratio et motus localis rerum physicarum. Sic etiam annus, non habet omnes suas partes simul, adeò, ut in quolibet instanti non sit annus, sed colligendo præsens cum præterito et futuro, tandem sit annus, summatim scilicet colligendo revolutionem Solis per zodiacum. Et sic est etiam in die, hora et aliis. Unde hæc omnia sunt successiva Entia. De quibus Conimbricenses disputant *l.* 2. *de gener. & inter. c.* 11. *q.* 3. *a.* 2. quod ne divina quidem potentia entis successivi entitas possit contrahi ad momentum, ita ut tale quid essentiam suam uno momento simul habeat.

TITVLVS II.

De voce & natura entis successivi.

7. 8. NAturâ Entis successivi facilè pateret ex iis quæ de Ente permanente dicta sunt, ad meliorem tamen elucidationem aliqua sunt porrò addenda.

Successio realis vel imaginaria. Est igitur principiò notandum, quod successio sit multiplex, unde aliquid successivum dici possit. *Primo* successio aliqua est *imaginaria*, et quasi extrinseca; alia autem est *realis* et quasi intrinseca. Et isto quidem modo successivum quid dicitur per

er proëxistentiam ad tempus reale vel imaginarium, quod habet successionem à priori ad posterius. Et hoc modo omnis res successiva est, etiam Deus; qui dicitur heri & hodie & in secula, sive esse & fuisse & fore, quæ differentiæ temporis sunt. Hæc successio huc non pertinet. Vnde neque dicimus entia successiva esse per coexistentiam ad imaginarium tempus, sed quod quasi ab intrinseco in suo esse implicat successionem, id nunc dicitur ens successivum, quale quid non est nisi in motu & tempore. *Ex successione imaginaria non dicitur ens successivum.*

11. Successio alia est Positiva, alia Privativa. *Privativa successio* est inter esse & non esse, & inter non esse ad esse. Sic homo cùm generatur, habet successionem sui esse ad non esse: Et cùm corrumpitur habet successionem sui non esse ad habitum esse. Atque adeò talis successio convenit omni generabili & corruptibili, quæ entia permanentia sunt. Vnde relinquitur istiusmodi privativam successionem non facere ens successivum. 9 *Successio positiva vel privativa,*

Successio autem *positiva* est, quæ pro utroque termino, anteriori & posteriori, & medio, utrumq; copulante, habet aliquid positivum.

Ista igitur positiva successio iterum potest esse duplex: *altera* vocari potest discreta, *altera* vocari potest continua. *Discreta successio* est, inter entia totaliter perfecta, quomodo si priùs cognoscam naturam hominis & postea cognoscam naturam plantæ: successio est in cognitionibus variis, quarum singulæ sunt in se sufficienter perfectæ; Sic succedunt alii homines aliis in officiis. Hæc discreta successio etiam non constituit ens successivum. 10 *Successio discreta vel continua,*

Altera igitur successio quam continuam dixi, est *inter partes* ejusdem entis, & non inter entia totalia. Ita partes temporis ubi invicem succedunt: & partes motuum eodem modo. Ergo sic, quod habet partium successionem in suo esse, id vocatur nunc ens successivum. Dixi *in suo esse*, cujus rationem antea posui *Num.* 5. 6. 11.

Denique observandum est: quod ubicunque reperitur prius & posterius, possit suo modo dici successio. Vnde sequitur quod non incommodè distingui possit successio per eam quæ est in ordine materiæ, et per eam quæ est in ordine temporis. Et ista quidem successio, per quam copulatur id, quod prius tempore est, cum eo quod est posterius tempore nunc dat denominationem entis successivi. Vnde intelligitur, quod successio, in qua ens successivum dicitur, sumatur non nisi secundùm tempus. 12. *Alia successio in ordine naturæ, alia in ordine temporis.*

TITVLVS III.
DE CONDITIONIBVS ENTIS successivi.

EX præmissis facilè erui possunt. Igitur 1. *quicquid est Ens successivum id debet habere Partes.* Vnde quod est simplex et indivisibile non potest esse ens successivum. 13.

2. *Quicquid est Ens successivum debet habere aliquid de esse suo quod præterierit, & el quod futurum sit.* Ita patet, quia Ens successivum constituitur per successionem temporum. At temporaria successio implicat præteritum et futurum. 14.

3. *Quicquid est Ens successivum debet habere copulatas partes suas ad præsens.* Ita patet quia cùm Ens successivum sit Ens, et non entia, utriq; debet esse quid Vnum. At illa unitas non posset in eo esse, nisi prius cum posteriori per præsens uniretur. 15.

4. *Ens successivum non potest partes suas habere simul in eodem momento.* Ita patet ex prioribus. Nam ad integritatem Entis successivi pertinet præteritum et præsens et futurum. At repugnat ea simul esse. Factum enim non potest esse infectum. At si in idem præsens sive momentum coincideret et præteritum et futurum, jam quod praeteritum est, atque adeò factum, nihilominus esset infectum, quia demum est futurum. 16.

5. *Omne ens successivum est continuum.* Ita patet. Quia successivum quid unum est, per priùs dicta. At unitas illa non potest esse in eo citra continuitatem, 17

præsentium, quia secus successivum tale esset, per successionem discretam, quod antè rejectum est. Est autem continuum nihil aliud, quam esse quantum, cujus extrema sunt unum, vel cujus partes copulantur ad unam partem: estque id ad differentiam *contigui*, cujus partes extremæ, quibus sit & præstatur illa contiguitas, non sunt unum quid, sed ἅμα simul.

18. 6. *Quicquid est Ens successivum id durat etiam tempore.* Nam ex omnibus durationibus, solo tempore dicitur durare, quod est ens successivum. Et cæteræ durationes non sunt nisi rei permanentis. Et hinc sequitur cùm aliquæ actiones Angelicæ sint successivæ, quòd illæ etiam nō durent ævo sed tempore. *Vide sup. c. 16, Nu. 82.*

QUÆRITUR:

An Ens successivum existat per solum præsens?

19 DIsputari de hac quæstione solet à Physicis, in doctrina de motu & tempore, inter quos vide Colleg. Conimb. 4. *Phys. c. 14. q. 1 a. 4.*

Dico breviter: *Ens successivum non subsistere per instantia, sive præsentia momenta, sed per partes continuè sibi succedentes.* Ita patet, quia partes illæ fluentes, ut prius visum est, pertinent ad essentiam & integritatem entis successivi. At existentia rei non differt realiter ab ejus essentia. Oportet igitur, ut & existentia entis successivi includat non solùm instans sive præsens momentum ad omnes partes.

20. *Quo sensu dici possit ens successivum subsistere per solum instans?* Ἐπιεικῶς tamen explicando Phrasin, fatèri dici potest: ens successivum existere per instantia, non quasi completè id in instanti sit, (quod jam refutatum est) sed quòd instans sit quasi gluten vel vinculum, vel anima, quâ connectantur partes Extremæ in ente successivo, quo intuitu etiam instans dicitur pars formalis entis successivi. Non quasi reverâ forma sit. Est enim non minus pars materialis ac partes præteritæ & futuræ: sed propter similitudinem ad formam, quam habet in eo, quod extrema copulat & convincit: quo sensu etiam vinculum in propositione vocari solet forma propositionis, quia copulat & connectit categoremata, quæ in propositione sunt, qua de re docui *in tractat. de propos. c. 1. titul. 5.*

21. *Objectio.* Solet *objici*, quod vulgò dicitur: *Nihil habere nos de tempore, nisi quod præsens est*, & sic tempus non nisi per præsens, adeóque adæquatè per illud existere. Quod enim præteriit non habemus, sed habuimus, & quod futurum est non habemus, sed habebimus.

22. *Respondeo* concedendo quod de tempore non habeamus nisi præsens, neq; oportet ut simul habeamus totam essentiam entis successivi. Si enim id esset, non esset successivum, sed ens permanens. Permanens enim ens est, quod totam quantitatem habet in indivisibili. Unde supposito, quod non omne ens sit permanens, sed quod aliquod ens sit successivum, utique non debet generatim in omni ente reguiri, quod debeat partes suas simul habere.

TITULUS IV.

DE DIVISIONE ENTIS SUCCESSIVI, seu Quænam Entia sint successiva?

23. IUxta varias acceptiones Entis successivi, variæ etiam ejus species sunt. Nunc autem loquor de Ente successivo, secundùm illam solùm acceptionem, quæ Prius definita est, juxta quam vulgò solet sumi ens successivum in comparatione ad ens permanens, & superiùs quidem *c. 16 num. 97 seqq.* disputavi, an omnia entia creata sint successiva, quod ibi vide. Nunc porro quæritur de aliis.

ARTI-

ARTICULUS I.

An qualitates sint Entia successiva?

24. Oritur principio videri potest, etiam qualitates esse Entia successiva. Hæ enim partibiliter & successivè acquiruntur per alterationem, unde sic esse suum habent in successione.

25. *Qualitates non esse Entia successiva.*

Secus tamen est: Ad quod intelligendum distinguenda est alteratio, à calore, v.g. vel alia qualitate ad quam fit alteratio. Ubi de alteratione ipsa indubium est, ut & postea videbitur: Eam esse ens successivum. Calor tamen ipse non est ens successivum. Ita patet, quia in quolibet gradu, & maximo & minimo, nihilominus semper est calor, & non deest ei quicquam, in quocunque momento sumatur, in quo calori desit quicquam eorum quæ ad esse caloris pertinent. Idque inde porrò manifestum est, quod partibilis acquisitio ejus in alteratione est tantùm ad intensionem ejus. Intensio autem non variat speciem. Ergo & ante intensionem & in omni gradu intensionis species est eadem ad quodvis momentum. At, quod esse suum simul habet ad idem momentum, non est ens successivum sed permanens.

Quænam verè sint Entia successiva?

26. Dimissis igitur qualitatibus & aliis entibus, quibus multò minus videtur competere ratio Entis successivi, invenitur ea solùm in motu & tempore. Atq; ita duo sunt genera Entis successivi. Motus scilicet & Tempus. Quæ tamen duo sunt, solùm juxta differentiam conceptuum, eandem rem inadæquatè repræsentantium, & proinde non sunt duo ista à parte rei. Tempus enim, de quo nunc loquor, nihil aliud est, quàm motus duratio. Duratio autem rei à re non distinguitur realiter, ut suprà visum est; sed videamus de singulis speciatim.

ARTICULUS II.

Motus, an & quatenus sit ens successivum?

Motum Aristoteles passim docet esse ens successivum et fieri successivè, sed tamen id limitatione eget.

27. *De motibus substantialibus.*

Nam inprimis motus substantiales, qui rectiùs dicuntur Mutationes, non fiunt successivè, sed in instanti. Successio enim motus oritur ex partibili acquisitione termini illius motus. At terminus mutationis substantialis non acquiritur partibiliter. Is enim est substantia quæ non est capax istiusmodi latitudinis, quæ ad successionem illius mutationis, quæ ad ipsam est, requiritur.

28. *Motus accidentales aliqui instantanei.*

Sed et aliqui motus accidentales non successivi sed instantanei sunt, ut Aristoteles de Illuminatione docet 2. *de anim. cap* 6. Docentq; idem aliqui *de motu*, qui fieret *in vacuo* (quanquam de eo secus sit propter quantitatem mobilis, unde necessariò sequitur impenetrabilitas partium, ut consequenter in vacuo etiam, eo loco quo caput mobile est, non possint esse pedes, et sic de aliis.) Item *de motu Angeli*: quanquam de illo nobis probabile sit, eum fieri successivè, ut infrà videbitur *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 233.

29. *Quomodo omnis motus fiat successivè.*

Atque ita hactenus apparet, juxta præsentem modum loquendi, non omnem motum esse successivum.

Vbi tamen nec id diffiteri possum, si de privativa successione (quam paulò antè definivi) loquamur, omnem motum esse ens successivum. Omnis enim motus fit à non esse ad esse. Unde omni motui præsupponitur subjectum aptum ad suscipiendam aliquam formam, adeóque carens ea: et rursus, omnis motus acquirit aliquam formam, quæ revera nihil aliud est, quàm, in motu esse successionem à non esse ad esse. Et juxta hunc sensum existimo. Aristotelem et alios Autores intelligendos esse, cùm generatim et indifferenter aiunt motum fieri successivè, vel esse ens successivum.

30. *Positiva successio convenit motibus accidentalibus.*

Ad positivam igitur successionem (juxta quam denominatur ens successivum) redeundo, non omnibus motibus convenit, ut sint entia successiva, ut prius visum est. Sed in particulari id convenit alterationi, quæ est ad qualitates reales, quas vocant. (Ita loquor propter illuminationem quæ est alteratio ad qualitatem spiritualem, hoc est, lumen) Accretioni, diminutioni et motui locali. Et patet de istis, quia partes indivisibiles sive instantaneæ istorum motuum, non sunt alteratio vel accretio, etc. quia istiusmodi motus inferunt quendam tractum et partibilem acquisitionem termini. At quæ sunt entia permanentia (et non successiva) tota simul sunt, et non deest eis quicquam ullo momento, quod ad essentialem illorum integritatem pertineat. Estque hæc res de istis motibus indubia. Vnde nihil addo,

ARTICVLVS III.

Tempus an & quatenus sit Ens successivum.

IN superioribus distinctum est Tempus Physicum à Metaphysico. Vide *c. 17. n. 72. seqq.* Et tempus Physicum quidem est tempus extrinsecum, et proinde omnium rerum unum, propter unitatem motus cœlestis, ad quem sumitur ista denominatio temporis extrinseci. Tempore enim Physico res dicuntur durare per coëxistentiam ad motum cœli. Vnde illud extrinsecum, sive id quod extrinsecè mensurat durationes rerum naturalium (quæ in se et præcisè, remoto omni motu cœli, tunc tempus illarum rerum Metaphysicè loquendo) est motus cœli. De quo ex præcedente quæstione clarum est, quod sit ens successivum.

Duratio autem ipsa rerum naturalium, quæ mensuratur motu cœlesti, alia est à motu cœli, imò prorsus non existente eo, rebus conveniret. Et hæc vocatur tempus Metaphysicum, ut ex suprà dictis constat.

31. *Corpora naturalia non habere durationem successivam.*

Quo posito advertendum est: non omnem durationem rei corruptibilis, (quæ nihil aliud est quàm istud Tempus) esse ens successivum. Ideoque indifferenter et illimitatè loquendo, non est dicendum, tempus esse ens successivum, de quo nunc loquimur, nisi permissivè loqui velimus. Ita patet. Nam duratio rei ab essentia actuali realiter non distinguitur, sed solum per inadæquatos conceptus, qui constituunt discrimen rationis, qua de re supra fuit, *cap. 17. num. 7 seqq.* At essentia rerum, sive corporum naturalium, non successiva est, sed permanens. Ergo & duratio illarum non est successiva. At ea nihil aliud est quàm tempus earum, quod vulgò solet vocari tempus intrinsecum.

32. *Objectio.*

Objicis: Tota duratio corporum naturalium non est simul. Ergo corporum naturalium duratio non est successiva.

33. *Respondetur.*

Respondeo ad antecedens: A parte rei loquendo, totam durationem corporum naturalium esse simul, quia in quoquo momento istius suæ durationis, habent totum esse suum simul. At essentia & duratio à parte rei non distinguuntur, sed idem sunt.

Vnde 2. Respondeo: successionem in duratione rerum esse duplicem. *Alia* est *realis*, quæ non est nisi per successionem & fluxum partium illius rei, quæ durat. Et ab hoc denominatur ens successivum, patétque clarissimè, hoc modo durationem rerum naturalium non esse successivam. Nam ipsa res durans non habet partes suas essentiales per fluxum vel successionem, ut facilè admittitur.

Alia igitur successio est *imaginaria*, quæ consistit non in fluxu partium essentialium illius rei quæ durat, sed collatione rerum durantium, ad tempus imaginarium quod vocatur, quod apprehendimus continuatum esse inde quasi ab æternitate, neque alligatum est ad entia, multóque minus ad corpora, sicut & spatium imaginarium. Et istiusmodi successionem facilè admitto in durationibus corporum naturalium.

34. Ea tamen successio insufficiens est ad constituendum ens successivum, ut ex duo-

bus

bus patet. Nam 1. Entis successivi denominatio est realis. Ergo non potest fundari in sola successione imaginaria, & ex ea consurgere. *Deinde*, quia sic omnis duratio esset successiva etiam Dei & Angelorum, quia in ordine ad coëx. stens imaginarium tempus, etiam Deus & Angeli non habent totam suam durationem simul. Sunt enimnsta Entia, sed tamen & fuerunt & erunt. Et proinde duratio illorum tota non consistit in præsenti, sed implicat etiam præteritum & futurum. Illæ autem differentiæ (præsentis, præteriti & futuri) non iunguntur aliunde nisi à tempore. Absurdum tamen est illorum Entium durationes vocari successivas. Ergo simpliciter relinquitur quòd juxta successionem imaginariam non debeat dici duratio successiva. At ex nulla causa alia corporum naturalium duratio est successiva. Ergo ea absolute non est successiva sed permanens. Et proinde tandem relinquitur, esse aliquod tempus permanens (loquendo de tempore intrinseco, quo res in se & remoto omni extraneo dicuntur durare) quod in.tiò intendebat: & prolixiùs *supra c. 17.* patuit.

Successionem imaginariam non constituere Ens successivum.

Quodnam igitur tempus est Ens successivum? Respondeo breviter: Tempus est species durationis, jam durationes dicuntur successivæ per successionem partium essentialium illius rei, quæ dicuntur durare, ut in præcedentibus visum est. At nulli rei convenit fluxus vel successio partium essentialium, præterquam motui (permissivè loquendo, ut priùs visum est) unde non est tempus successivum, nisi tempus, quo durat ipse motus. Nempe sicut essentia motus consistit in successione partium: Ita etiam duratio motus consistit in successione partium, & proinde utrumque est Ens successivum, si tamen à parte rei loquamur, tùm solum unum Ens est successivum, nempe motus. Duratio enim motus à parte rei eadem est, cum essentia ipsa. 351

CAPUT. XX.

De Absoluto & respectivo.

1. QUintò: secundùm perfectionem, Ens est absolutum vel respectivum.

2. *Absolutum* est, quod caret respectu ad aliud.

3. *Respectivum* est, quod habet respectum ad aliud.

4. Respectivum Ens est principium vel principiatum, & sic causa vel causatum: subjectum vel adjunctum: totum vel pars: Idem vel diversum: signum vel signatum; & sic mensura vel mensuratum: & denique prius vel posterius vel simul cum alio.

COMMENTARIUS.

IN superioribus satis persecutus sum quæ ad naturam Metaphysicæ, & affectionum Entis simplicium indèque ortarum distributionum quarundam fecerunt; supererat autem nunc adhuc, ad complendam generalem partem Metaphysicæ, ut persequamur tum generalem doctrinam Entis absoluti & respectivi, tum in specie quæ supersunt ex Entibus respectivis. *Dico quæ supersunt.* Nam suprà jamdudum actum est de toto & partibus, itémque de eodem & diverso, quia istæ divisiones proximè emergebant ex consideratione unitatis, unde de istis hîc nihil tractandum supererat.

Est autem hoc capite *primo* explicanda vox absoluti: *Secundo* vox respectivi. *Tertio* agendum de utriusque definitione. Et denique de respectivi distributione. *Proponuntur tractanda.*

TITU-

TITULUS I.

De voce Absoluti.

1. VOx hæc potissimum trifariam sumi solet. 1. Absolutum idem est quod completum sive perfectum & consummatum. Quomodo opponitur ei, quod est inchoatum & perfectionis inchoatæ. Hoc sensu homo, dum generatur, non est absolutè sed ubi generatus fuerit, secundùm Taurell. *part. 2. de rerum æternit. pag. 313.*

Deinde absolutè dicitur id esse, quod est simpliciter & imperfectum suo opposito, & est contradistinctum illi quod est secundùm quid tale. Veluti, sic absoluta necessitas dicitur, quæ nihil contingentiæ implicat, & absolutè bonum vocatur quod nihil habet malitiæ: Quanquam non incommodè hæc significatio ampliari potest, ut absolutum dicatur, quod non est mixtum alii, sive quod non implicat aliud, sive sit oppositum, sive non.

Ita Thomas *de Ente & Essent. fol. 4. a.* & Scal. *l. 4. de caus. L. L. c. 39. p. 366.* aiunt: Absolutum pluribus modis intelligi. Veluti sic est absolutum *à causa*, sive quod causam non habet, ut est Deus. Item absolutum *à materia* quod materiam non habet, ut Angeli: item absolutum *à subjectio*, sive quod ad essendum non requirit subjectum, ut sunt omnes substantiæ.

2. *Absolutum quid sit in præsenti?* Atque ex his emergit specialis significatio absoluti, secundùm quam absolutum id vocatur, quod caret termino sive relatione, in quâ negatione opponitur respectivo, quod istum respectum ad terminum implicat. Atque de hoc nunc loquimur. Et huic, ut & priori significationi, congruit etiam Etymologia vocis. *Absolutum* enim dicitur tanquam *ab alio solutum*. Apud Armand. de Bello Visu *lib. 2. Lexici Philosoph. c. 17.*

3. Porro cùm absolutum opponitur respectivo, adhuc vox ista ambigua est.

Itaque clarissimus Martini, *l. 2. exerc. metaph. theor. 1. in initio*, aliique Metaphysici, faciunt aliud absolutum positive, aliud privativè, aliud negativè.

4. *Positivè absolutum.* *Positivè absolutum* est, quod distinguitur contra id quod est positivè respectivum. Positivè autem respectivum à nobis apprehenditur tanquam per aliquid additum ad essentiam, (priùs indifferenter sumptam) unde fiat respectivum. Ergo sic absolutum positivè, ex altera parte, illud erit, cui est aliud additum per quod contrahatur indifferentia Entis ut sic sumpti, ad esse speciale, quod distinguatur contra respectivum. Et ita nunc loquimur de absoluto.

5. *Privativè absolutum.* *Privativè* autem *absolutum* est, quod, ut sic, solutum est à respectu, & de facto ac positivè respectivum non est, Ex quo apparet ratio, cur *absolutum* dicatur: *Privativè* autem dicitur absolutum, quia nec ut sic, est constitutum, quasi per differentiam additam ad essentiam, unde contractum sit, quod nunc absolutum dicimus, à natura indifferenti (ad esse absolutum & respectivum) id esse tale.

Atque hoc congruit ipsi Enti, ut sic sumpto ante divisionem in respectivum. In ista inquam generalitate Ens sumptum non implicat respectum, ut ex ipsa voce Entis patet. Sed tamen neque sic positivè absolutum est Ens. Nam Ens positivè absolutum, est membrum dividens. Membra autem dividentia non debent actu contineri in diviso. Et præterea, si Ens ut sic esset positivè absolutum non posset dividi per respectivum. Quia tale absolutum (tanquam condivisum respectivo) habet repugnantiam ad esse respectivum, membra autem dividentia non debent repugnare diviso. Vocatur igitur Ens, ut sic sumptum, ante divisionem in absolutum (positivè) & respectivum, absolutum privativè.

6. *Immateriale dictum positivè & privative.* Possunt hæc illustrari per simulem modum loquendi de Ente immateriali. Immateriale enim etiam distingui potest, in id quod est immateriale positivè & quod est immateriale privativè. Nempe ipsum ens, ut sic sumptum, & ante divisionem in materiale & immateriale, revera non habet materiam. Alias enim non posset dividi per immateriale. Ergo quia non habet materiam potest dici immateriale. Et

tamen non est illud Ens, sic sumptum, immateriale, sicut Angelus dicitur immaterialis, quæ immaterialitas illi convenit per positivam repugnantiam ad esse materiale, hoc est, ut Angelus non possit esse materialis. Ad illud igitur discrimen constituendum & indicandum, ens, ut sic sumptum, dicitur immateriale privativè. Angelus autem dicitur immaterialis positivè. Ad eundem modum fiunt etiam in absoluto in prioribus. Atque hæc satis perspicua sunt.

Porrò *absolutum negativè* illud dicitur cui ita convenit esse, ad se, ut nullo modo sit ad aliud, seu quod est præcisè & solitariè, omni alio remoto. Ita dicuntur absolutè rerum quidditates & differentiæ, veluti equinitas, rationalitas; Item divina essentia. 7 *Absolutum negativè.*

TITVLVS II.

DE VOCE RESPECTIVI.

PRincipio solent hic æquipollenter sumi, *Respectivum, Relativum & ad aliquid esse*. Armandus de Bello Visu tamen existimat, *tract. 2. term. c. 71.* vocem respectivi significantiorem esse voce relativi, & utraque voce, τὸ ad aliquid. Nihil autem refert, hacne an aliâ utamur. 8

TITVLVS III.

DE DEFINITIONE ABSOLUTI & Respectivi.

AD plenam horum doctrinam præmitti oportet duarum quæstionum decisiones: *Prior est*; An in utroque (Absoluto & respectivo) contineatur perfectio? A nobis enim ens per ista divisum est, juxta perfectionem, *theor. 1. Posterior est*: Per quem respectum fiat illa divisio: An prædicamentalem, an Transcendentalem? Nam vox *termini*, quæ in istorum definitionibus ponitur, æquè ad utrumque respectum extendi potest. 9

ARTICULUS I.

An in absoluto & respectivo contineatur perfectio?

DUbitatio ad hanc quæstionem est ex mente Scoti ejusque Interpretum, qui ens respectivum negant significare perfectionem: Et hinc ens dividunt in quantum & non quantum. Et sic sub non quanto, (hoc est, non habente quantitatem perfectionis) sumunt relationes. Adducuntque potissimum hac ratione, quod relationes divinæ sunt utique relationes, & sic significant respectus, & tamen nullam possunt perfectionem significare. Nam si perfectionem significarent, illa esset finita vel infinita. At utrumque horum incommodè dicitur. *Illud*, quia nihil finiti potest poni in Deo; *Hoc* verò quia sub ea ratione, quâ relationes sunt, non repugnat eis multiplicari, sicut quidem de facto multæ sunt. At infinitum non potest esse nisi unum. Vide Scotum *Quodlib. 5. ad ult. & Lychet. 2. d. 1. q. 4. 5.* 10. *Scotistarum opinio.*

Hac in re dicendum est: Omne ens esse perfectum, & proinde respectivo etiam competere perfectionem, ut non incommodè secundùm varietatem perfectionis Ens dividi possit in absolutum & relativum. Nam perfectio significat simpliciter indefectibilitatem eorum, quæ ad esse pertinent. Implicat autem quàm maximè esse aliquid ens & tamen deesse ei aliqua, quæ ad esse necessaria sunt. Atque adeò dari quodquam Ens, quod non habeat perfectionem. Latiùs de his est suprà *c. 11. Tract. 5. art. 2.* 11

Ad rationem autem dubitandi priùs positam de relationibus divinis, priùs responsum est *cap. 13. ubi vide*. Addique potest istis Suarez *disp 48. Met. s. 2. Num. 2. 4. seqq.* 12

ARTICULUS II.

An ens sit dividendum in absolutum & respectivum, juxta relationem Transcendentem vel prædicamentalem.

Quid sit relatio prædicamentalis & Transcendentalis, postea planius erit. Nunc autem breviter discutiendo propositam quæstionem: Existimant aliqui, intelligendam eam esse, de sola relatione prædicamentali, ex hoc fundamento, quod juxta hanc distinctionem detur aliquod ens quod est absolutum, & non respectivum. At nullum ens est sic absolutum, ut careat etiam respectu Transcendentali, qui sine addito potest attribui rei absolutissimæ. Absolutum igitur, in oppositione ad respectivum, sic erit quod non refertur, relatione scilicet prædicamentali. Et respectivum, erit, quod refertur relatione prædicamentali.

13. *Aliquorum opinio.*

14. Ex alio capite rursus videri potest: relationem in ente respectivo, & ejusdem carentiam in ente absoluto, esse intelligendam de relatione Transcendentali. Versamur enim nunc in declarandis distinctionibus Transcendentalibus Entis: Unde heterogeneum videretur, mentionem facere relationis prædicamentalis. Hæc enim, prout vox insinuat ipsa, pertinet ad prædicamenta, & proinde ad specialem partem Metaphysicæ.

15. *Autoris sententia.* Mea hic sententia est: Respectum esse intelligendum indifferenter, tam de eo qui prædicamentalis est, quàm de eo qui est transcendentalis. Ergo sic *absolutum* est, quod caret respectu, quicunque tandem iste sit. *Respectivum* autem est, quod respectum habet, vel respectum prædicamentalem vel transcendentalem. Nihilominus, quia famosior & notior est respectus prædicamentalis, respectu transcendentalis: Ideo in primis illa distinctio declarari solet in ordine ad respectum prædicamentalem potiùs, quàm ad respectum transcendentalem.

16. Potest autem ista sententia superior inde probari quòd respectus transcendentalis & prædicamentalis conveniant in ratione respectus simpliciter, non quoad nomen solùm, sed etiam reipsa & juxta definitionem respectus. Nempe respectus generaliter significat modum quo res aliqua refertur aliorsum sive ad aliud. Id quod communiter utrique respectui applicari potest. Ergo hinc sequitur etiam quod ratio respectivi præcisè & indifferenter sumpta, sit scibilis. At id non potest fieri nisi sub nomine respectivi. Ergo respectivum simpliciter utrumque respectum implicare debet.

Deinde idem patet ex specialibus modis Entium respectivorum. Principium enim, verbi gratia, non dicitur secundùm relationem prædicamentalem. Nulla enim Deo relatio prædicamentalis convenit, & tamen iste dicitur principium.

Solvuntur Objectiones.

17 *Ad priorem opinionem.* Quod autem probatur antea *nu.* 13. non posse hìc intelligi respectum transcendentalem, quia nullum Ens detur absolutum à transcendenti respectu.

Quomodo ens aliquod sit absolutum à respectu transcendentali? Ad id præsciendum est, quòd distinctiones transcendentales non necessariò ferantur ad distinctas species Entium, sed quod fieri etiam possint ad diversos status ejusdem entis, quod evidens est, in distinctione entis per idem et diversum. Nam in specie nullum ens datur, quod non sit diversum, sed idem tantum: sicut neque rursus ullum Ens datur, quod sit diversum tantùm et non idem: sed supposito, quòd materialiter, sive in re subjecta conveniant idem et diversum, adhuc distinguuntur formaliter, et juxta diversos status et respectus, quia Entia modò sunt eadem modò diversa. Atque ita etsi nullum ens detur, quod sit prorsus absolutum, sic, ut omni respectu transcendenti careat, nihilominus secundùm aliquem statum potest esse absolutum, et carere, in particulari, aliquo transcendentali respectu. Veluti potentiæ implicant transcendentalem respectum ad actus

suos

suos & objecta sua. Eo respectu caret quantitas. Ergo quantitas sic est Ens absolutum per defectum istius respectus. Et sic in aliis.

18. Alio etiam modo possunt Entia absoluta à respectu transcendentali intelligi, per præcisionem mentis. Veluti à qualitatibus patibilibus sunt actus. Ergo ad istos etiam habent respectus transcendentales. Veluti calor ad calefactionem. At qualitates illæ patibiles, optimè possunt præscindi à tali respectu. Nam (ad differentiam à potentiis naturalibus) ad actus istos non referuntur nisi secundariâ intentione naturæ, quæ istas qualitates primò comparavit, ad perficiendum subjectum. Ergo caloris essentiâ sic præcisâ, calor est ens absolutum ab al quo respectu, ut declaratum est. Atque hoc satis esset etiam seorsim ad fundandam distinctionem Entis per absolutum & respectivum. Nam sine incommodo Ens dividitur per singulare & universale. Et tamen non datur Ens universale, nisi post præcisionem, cùm aliàs de facto omne Ens sit singulare.

19. *Ad posteriorem opinionem.* Quod autem in alterius opinionis argumento tangebatur *num.* 14. Non debere hic considerari respectum prædicamentalem. Ad id sciendum est 1. juxta doctrinam à nobis propositam, respectum non intelligendum esse primò, de respectu prædicamentali: Sed cum indifferentia ad hunc & transcendentem. Unde sic sine incommodo tractari potest de isto respectivo In doctrina transcendentalium distributionum. Inprimis cùm fieri possit, ut in particulari membro alicujus distinctionis in Metaphysicis, implicetur id, quod non solùm ad partem specialem Metaphysicæ pertineat, sed etiam prorsus pertineat extra considerationem Metaphysicam, veluti cùm Ens per locale & illocale, materiale & immateriale distingui solet.

ARTICULUS. III.

In quo constituitur definitio absoluti & respectivi.

20. ATque ex his nunc facilè constituitur & intelligitur definitio absoluti & respectivi. Nempe *respectivum* est id, quod habet essentiam respicientem vel terminatam aliorsum sive ad aliud. *Absolutum* autem est, quod respectu caret.

21. *Quomodo in describendo Ente respectivo utamur vocibus privativis?* Illud autem studiosè hic notandum est, quod absoluti definitio soleat fieri per nomina privativa, & non per negativa, specialiter dicta. Veluti nomine *defectus* vel *carentiæ*; nec tamen istius essentia consistit in privatione si rigorosè loquamur. Nam privationes negant in eo subjecto solùm, cui debet inesse habitus. At absolutum nunc non vocatur, quod caret quidem respectu, ex natura tamen sua postulat respectum. Nihilominus vocabula privativa commodiora hic sunt quàm negativa: quia negationes non solent postulare aliquod definitum subjectum cui adhæreant. At id faciunt privationes, idémque facere debent attributa transcendentalia. Hæc enim comparantur ad Ens, tanquam ad subjectum proprium. Atq; sic non solùm in genere hic usurpari potest vox privationis, sed etiam specialia nomina privativa hic adhiberi possunt, explicando vocem privationis & alia nomina specialia, per Metaphoram & similitudinem, attendendo tertium comparationis istud, quod priùs tactum est, quod scilicet istæ negationes exponeunt definitum subjectum, cui inhæreant, sicut & privationes: Similia sunt quæ ad hanc rem dicta sunt, de unitate, suprà *c.* 4. *n.* 24.

TITULUS. IV.

De distinctione respectivi.

22. *Respectivi Entis variæ classes.* REspectivum 1. distinguitur in certas classes, nempe in principium & principiatum, &c. juxta theorema 4. De quibus id generaliter notandum est, quod non exhauriant totam latitudinem Entis respectivi, singulæ istæ. Neque enim omne

omne ens respectivum est principium vel principiatum: Aut omne Ens respectivum est subjectum vel adjunctum: sed omnes istæ classes, simul sumptæ, exhauriunt latitudinem entis respectivi.

23. *Respectus prædicamentalis vel transcendens.*

2. Quia respectus duplex est prædicamentalis & transcendentalis, ideò respectivum etiam est, vel tale secundùm respectum transcendentalem, vel secundùm respectum prædicamentalem: Id quod in proportione etiam intelligi potest, de absoluto, ut absolutum dicatur, vel quia caret respectu transcendentali, vel quia caret respectu prædicamentali.

24. Cæterùm quid uterque respectus sit, omnium diligentissimè tractavit Suarez *disp. 47. s. 3. num. 10. & s. 4. tota.* Nobis sufficiens distinctio videtur sumi posse ex collatione ad transcendentalia talia. Igitur transcendentium natura est, habere realem identitatem ad subjectum suum, adeóque Enti nihil realiter addere. Igitur respectus ille erit transcendens, qui ad id quod respectivum dicitur, habet identitatem realem. Veluti potentia habet respectum ad actum & objectum suum, ut, in specie, potentia visiva ad videndum vel colorem. Hic igitur est respectus. Ille respectus non potest esse aliquid additum ad essentiam potentiæ. Nam, præcisissimè loquendo, de essentia potentiæ, & removendo prorsus omne extraneum, semper tamen implicatur in potentia ista, ista habitudo sive respectus ad objectum & actum suum. Talis igitur respectus erit transcendentalis. Idémque est in habitibus, qui similiter respectus habent ad actus & objecta sua.

25. Potrò alii respectus non sunt tales, sed comparantur ad subjecta, sive id, quod respectivum denominatur, tanquam realiter, (in quantum implicant aliquid coëxistens,) ab eo distincti, qui consequenter in præcisis conceptibus subjectorum non includuntur, quibus scilicet præcisè essentia illorum apprehenditur. Talis est relatio limandi, quæ advenit lapidi, Relatio dominandi vel serviendi, quæ advenit homini, relatio conjugii, quæ advenit Abrahæ & Saræ. Hæ igitur relationes vocantur relationes prædicamentales, in ea amplitudine loquendo, quâ prædicamentalis & transcendens relatio adæquatè opponuntur.

26. *Omne ens habet respectum transcendentem.*

Apparet autem ex his (in quibus etiam aliud discrimen observari potest istorum respectuum,) quod respectus transcendentalis applicari possit omni enti, quod non est ita in prædicamentali. Nam, ut visum est, potentia, & habitus ad objecta & actus suos habent respectus transcendentales. Ergo, cùm respectus iste sit mutuus, vicissim objecta & actus potentiarum habent respectus ad ipsos habitus & potentias. At nihil prorsus est, quod non possit esse objectum potentiarum & habituum, veluti ut non possit esse objectum saltem facultatis, cognoscitivæ & appetitivæ (universaliter loquendo de subjectis quibus talis potentiæ conveniunt, ut sunt, Deus, Angeli, homines & bestiæ) Item scientiæ: Dimittendo potentias, & habitus alios.

CAPUT. XXI.

De Principio & Principiato.

1. SUb ente respectivo continetur 1. principium & principiatum.
2. Principium est, unde principiatum est vel fit, vel cognoscitur.
3. Dividitur bifariam potissimùm. 1. principium aliud est principium essendi, aliud cognoscendi.
4. *Principium essendi* est, unde res est.
5. *Principium cognoscendi* est, unde aliud solùm cognoscitur.
6. II. Principium est vel causale vel non causale.

7. Prin-

7. *Principium causale est*, unde aliud est per veram causalitatem sivè influxum causalem. Estque idem quod causa, de qua erit seq cap.

8. *Principium non causale est*, unde est aliud citra influxum causalem, quale principium est privatio respectu motus: Pater in Trinitate respectu Filii.

9. *Principiatum* est, quod aliunde est.

COMMENTARIUS.

Proponuntur tractanda.

POst generalem doctrinam de Entibus respectivis *primò* occurrit tractandum de Principio & Principiato. Circa quam materiam, *Primo* est explicanda vox principii & principiati. *Secundo* constituenda est definitio principii. *Tertio* definitio principiati. *Quarto* recensendæ sunt conditiones principiorum. Et *denique* variæ distinctiones principii & principiati proponendæ sunt.

TITULUS I.

De voce Principii & Principiati.

1. *Explicatur ambiguitas in voce principii.*

Primò principium aliquando idem est, quod initium, quòd ut sic non involuit respectum ad aliquod consequens, sed habet significationem negativam, ut scilicet neget antecessionem. Atque sic principium est, ante quod non est aliud: Dicitur aliàs, primum negativè: quo sensu filius, ante quem non est genitus alius, vocatur primus, & primogenitus, etsi nullus post ipsum nascatur. Atque hæc principii usurpatio est usitatior, judice Scalig. *Exerc.* 364. *s.* 2.

Hæc significatio principii non est hujus loci, quia nunc principium dicitur respectivè ad principiatum, atque inde principium implicat respectum ad aliquod consequens, & non consistit in sola negatione.

Deinde principium sumitur per excellentiam de principio primo, sive de eo, quod tantùm est principium & non principiatum. Sic Arist. 5. *de generat. anim. c.* 7. ait: hoc est principium, quod est causa multorum, sed ipsius nulla est superior causa. Sic & Scalig. *Exer.* 297. *s.* 3. ait: principii esse movere & non moveri. Sic & Cic. *lib.* 1. *Tusc. qq.* ait: *Principii origo nulla: Nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex nulla re alia.*

Aliter sumitur vox principii per excellentiam; de solo principio causali, cùm Arrius ait, quod natum est, habere principium. Quæ locutio juxta sensum Arrii rejecta est, ut videre est apud Ambr. *de fid. ad Gratian. cap.* 5. & Lomb. 1. *dist.* 9. *l. lit. c.*

Alio modo sumitur vox principii quandoque specialiter, juxta subjectam materiam. Veluti, quando Aristoteles disseruit de numero principiorum, *l.* 1. *de Physic. c.* 2. *seqq.* quæ speciatim intelligenda sunt, de principiis rerum generabilium & corruptibilium.

Denique alia significatio est, in qua principium dicitur omne illud, ad quod aliud consequitur, sive primum sit, sive non, aliavè intercedat varietas specialis, ut mox ex definitione ejus plenius patebit.

2. *Significationes principii apud Aristotelem.*

Arist. 5. *Metaph. c.* 1. Satis intricatè refert varias significationes principii. Ibi *primo* dicitur principium unde quid primò dicitur moveri. *Deinde* principium dicitur, unde quid optimè fit. *Tertio* principium dicitur unde primò aliquid fit, ut insit, quomodo, disputatur an principium in animali sit cor an cerebrum: *Quarto* principium dicitur, quod efficit, sive, ut Aristoteles loquitur, unde est motus. Atque sic principium est idem quod efficiens. Indè que *quinto* specialiter princi-

pium dicitur quod est efficiens voluntarium. Et aliter *sextò*, quomodo accipiuntur principia agendi. Qui tres modi ab aliquibus reducuntur ad unum, nempe prout principium sumitur pro efficiente præcisè. *Denique* principium sumitur pro eo, unde aliquid cognoscitur. Hæc Arist.

3. Non est tamen hic dissitendum: Aristotelem non omnia significata & genera principiorum istâ enumeratione comprehendisse. Fonseca igitur *lib. 5. Metaph. c. 1. q. 4. s. 2.* notat: Aristotelem non voluisse enumerare omnia principiorum genera: sed ea, quæ erant etiam vulgò nota. Sine dubio enim forma & finis etiam sunt principia, quæ tamen ibi recensita non sunt.

De voce Principiati.

4. PRincipiati vocem quod concernit, existimat Fonseca 5. *Metaphys. c. 1. q. 3. s. 4.* melius dici correlativum principii, *id cujus est principium*, & sic Ens est principium, vel (non principiatum, sed) id cujus est principium. Et certè videtur ista commodior esse circumlocutio, quàm simplex vox principiati, ad evitandam imperfectionem, quæ vi vocis videtur insinuari in voce principiati, unde consequenter non adeò congruè filius (ut pote qui Deus atque adeò primum ens est) dici potest principiatum, etsi Pater dicatur ejus principium. In symbolo Niceno dicitur principium de principio. Thomas tamen, *1. p. q. 33. art. 1. ad secundum*, meminit, Græcos dicere Filium & Spiritum sanctum principiari. Sed in verbis litigandum non est. Cùm vocem istam, vel etiam alias ad divina transferimus, semper purificandæ sunt ab imperfectionibus.

TITULUS I.
DE DEFINITIONE PRINCIPII.

ARTICULUS I.
Aliorum definitiones proponuntur & examinantur.

5. *Aristotelicæ principii definitiones.*

VAriè Aristoteles principium definivit, ut Fonseca retulat 5. *Metaphys. c. 1. q. 1. s. 2.* Igitur in Poëticis *cap. 7.* principium Aristoteli est, quod ipsum quidem post aliud necessariò non est, post illud a. aliud natum est esse vel fieri. *Aliter* definitur *l. 5. de gener. animal. c. 7.* quòd scilicet ipsum quidem sit causa multorum, sed ipsius sit nulla superior causa. *Alia* definitio est *1. Phys. c. 5. t. 42.* Ubi principia sunt quæ nec ex se mutuò, neque ex aliis sunt; sed ex quibus sunt omnia. *Alia* est *1. post. c. 10. t. 73.* principia sunt, quæ quod sunt, non contingit demonstrare.

6. *Censuræ priorum definitionum.*

Hæ tamen definitiones non tradunt satis communiter naturam principii. Nam cùm *prima definitio* specificet particulares modos principiorum, per esse & fieri, omittit tamen ipsum cognoscere. Unde consequenter principiis cognoscendi ista definitio accommodari non potest. At id nullo jure fieri potest.

7. *Secunda definitio* similiter loquitur de principiis in particulari, nempe de iis, quæ simul etiam causæ sunt principiatorum. At principium in communi sua significatione transcendit rationem causæ.

8. *Tertia definitio*, ut Physica est, ita etiam Physicè intelligenda est, & proinde communem rationem principii, quam indagat Metaphysicus, non exhaurit. *Quarta* autem loquitur de principiis demonstrationum.

9. *Definitio aliorum. Principium non est definiendum mentione dependentiæ.*

Recentiores aliqui sic definiunt principium: *Principium est unde principiatum dependet.* Ita fere etiam Timplerus *l. 3. Metaph. c. 1.* Et Gocienius *ibid.* Egóque eandem etiam usurpavi *in prim. edit. Synops. Philos. disp. 1. 1. thes. 2. Metaph.*

Sed non placet illa definitio, quia dependentia non reperitur in omni genere principiorum & principiatorum, sed solum in particulari, nempe in causato, quod dependet à principio. Ita patet, quia ens dependens & creatum sunt æquipollentia. Ergo quicquid est dependens ab alio, id creatum & causatum est. At ratio prin-

principii et principiati præcisè concipi potest in Deo, ubi nihil creati est. Veluti cùm independentia dicitur esse principium, cur ipse sit immortalis. Item, cùm Pater dicitur principium filii. Et hinc porro dependentia insinuat essentialem distinctionem ab eo, unde est dependentia, ut deducit Suaretz *disp.* 12. *Metaph. s.* 2. *n.* 6. *& disp.* 35 *s.* 1 *n.* 3. et Fonsec. 5. *Metaph. c.* 1. *q.* 3. *s.* 3. Ista autem essentialis distinctio non est in exemplis proximè dictis. Confer Thomam 1. *p. q.* 35. *a.* 1 *ad primum.*

ARTICULUS II.

In quo traduntur definitiones propriæ.

10. Prior definitio.

DImissis igitur istis definitionibus, duæ sunt, quæ omnium commodissimæ videntur. Prior est ista: *Principium est unde est aliud.* In qua definitione vox *Est* sumenda est in amplissima sua significatione prout scilicet significat tum esse reale, tum etiam esse objectivum sive cognitum, quod vocant: Et rursus prout significat tum esse permanens, tum etiam esse successivum, (quod aliàs specializari solet exprimi per vocem *fieri.*) Atque adeò sic principium dicimus, omne illud, unde aliquid est vel inde habendo esse suum, vel inde habendo sui cognitionem, & sive res ab eo sit in esse, sive in fieri. Hos enim omnes modos, aliunde essendi, comprehendit nunc vox illa *Est.*

11. Explicatur vocula, Vnde.

Vocula autem illa *unde* significat generaliter omnem habitudinem, juxta quam aliud apprehenditur consequi ad alterum, sive id sit per veram causalitatem, sive non, modò sit aliqua connexio vel consecutio hujus ad illud.

12.

Atque ita, si subtiliter intueamur, vox illa, *Vnde* duo insinuat: *Primò* quidem, prioritatem ejus in ordine ad principiatum. Neque enim videtur apprehendi posse, quomodo quicquam sit ab alio sive aliunde, & tamen istud non sit hoc prius (quocunque tandem id modo sit, prout postea specialiùs tractabitur.) *Deinde* insinuat, etiam illa vox consecutionem. Neque enim simpliciter principium dicitur, quod alio prius est, sed oportet consecutionem vel connexionem aliquam intervenire. Neque enim homo heri natus, est principium illius, qui hodie nascitur, aut actus intellectus est principium actus voluntatis, & sic in aliis.

Atque ita, ista consecutio complet quasi formale ipsius principii, & requiritur in principio, tanquam aliquid additum ultra prioritatem.

13. Definitio Thomæ.

Atque huic definitioni concordat illa, quam Thomas tradit 1. *p. q.* 33. *a.* 1. ad primum: *principium est à quo aliud procedit.*

Ubi vox procedendi amplissimè significat omnem modum, quo quid ad aliud consequitur, ut interpretatur Fonseca 5. *Metaph. c.* 1. *q.* 5. *s.* 1. & Suaretz *disp.* 12. *s.* 1. *Num.* 13.

Ubi nec obstat, particula illa, *A quo &c.* ut propter illam hæc definitio specialis fiat, ut opinatur Timplerus *in Metaph. l.* 3. *c.* 1. *q.* 2. Nam etsi specialiter phrasis illa solet applicari efficienti, tamen sæpe etiam generalius sumitur, ut æquipolleat voci, *Vnde*: Sicut & Aristoteles vocem ὅθεν & ἀφ' οὗ solet frequenter commutare.

Denique vox illa *Aliud* non est sumenda in eo rigore, ut notet alietatem in essentia (juxta quam rursum ἄλλο ἀπὸ ἄλλου alius & aliud opponuntur) principium enim & principiatum non necessariò distinguuntur essentialiter. Alietas igitur hæc fusissimè est intelligenda, qualis etiam possit intervenire inter ea, quæ sola ratione distinguuntur: principium enim & principiatum sæpe non nisi ratione distinguuntur.

14. Posterior principii definitio.

Posterior definitio, quæ similiter nobis satis commoda videtur est ista, quam Aristoteles tradit 5. *Met. c.* 1. πασῶν κοινὸν τοῦτ' ἐστὶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν τι ἔστιν, ἢ γίνεται, ἢ γιγνώσκεται: *Omnibus principiis commune est, esse primum, unde quod est, aut fit aut cognoscitur.*

ARTICULUS III.

In quo declaratur definitio Aristotelica Principii.

15. IN ista, jam relata definitione, primò dicitur Principium esse *primum*. Hæc vox mox declarabitur in seq. titulo quartò hujus commentarii, inter conditiones principii. *Num.* 28.

16. Deinde dicitur ὅθεν, *unde*, &c. quâ voce, ut prius dictum, notatur consecutio vel connexio hujus ad aliud, quod principium dicitur.

17. Denique dicitur, *aut est*, *aut fit*, *aut cognoscitur*. In quibus verbis insinuantur speciales modi principiorum. Sæpe enim solent definitiones fieri per divisionem, sive enumerationem specierum vel specialium conditionum, ut in Top. deduxi, c. 30. *in comment. num.* 16. Speciales autem istæ conditiones non ponuntur in definitione principii, quasi non possit principii haberi unus præcisus & abstractus conceptus (cum enim dari posse prior definitio ostendit) sed ut iste unus generalis conceptus tantò magis notificetur. Specialia enim magis nota sunt quàm generalia.

18. Cæterùm vox *est*, ibi sumitur strictè, prout scilicet significat rem in facto esse. Ergo hactenus potissimum principium est, unde aliquid est, hoc est, intrinsecè constat & componitur. Atque hæc principia possunt dici strictè *principia essendi*.

19. Rursus vox illa *FIT*, comprehendit illa principiorum genera, quæ concurrunt ad rem in fieri, sive in suo produci. Atque adeo hic continentur illa, quæ sunt principia actionum vel motuum. Habent enim ista esse fluens sive successivum non permanens. Talia principia sunt efficiens, finis, privatio, &c. Possunt hæc principia dici *principia fiendi*.

20. Ultimò proponitur verbum *cognoscitur*, quæ vox ponitur ad comprehendenda illa principia, quæ non concurrunt nisi ad cognitionem rei. Hæc omnia postea clariora erunt.

TITULUS III.

DE DEFINITIONE PRINCIPIATI.

21. PRincipiati definitio commoda satis ex dictis extrui potest. Nempe *principiatum est, quod aliunde est*. Vbi vox *Aliunde* respondet illi *Vnde*, quæ ponitur in definitione principii.

22. *Esse ab alio bifariam sumitur.*

Si juxta illam, *Num.* 13. relatam definitionem principii (principium est à quo aliud procedit) definire velimus principiatum sic; *principiatum est, quod est ab alio*: Tum notandum est, phrasin illam, *ESSE ab alio* bifariam sumi: Primò esse ab alio opponitur ei, quod est à se; Et sic omne Ens dicitur esse à se vel ab alio. Hic esse ab alio, significat dependentiam. Vnde infert, esse principiatum à principio essentialiter distinctum. Indèque Ens ab alio revera nihil aliud est, quàm ens creatum, quod prolixius vide supra *c.* 13. *Num.* 22. Juxta hanc significationem, principiatum non semper est ens ab alio. Nam immortalitas divina comparatur ad aliud Dei attributum, veluti ejus independentiam, per modum principiati. Et tamen immortalitas divina, juxta istam divisionem, non est ens ab alio, sed est Ens à se. Idémque est de Filio & Spiritu sancto, qui comparantur ad Patrem ut illius principiatum, & tamen juxta tactam divisionem, non sunt entia ab alio, sed entia à se, ut citato loco plenius dixi.

23. Igitur *secundò* latiùs sumitur, vox esse ab alio, ut comprehendat omnem, ut sic loquamur, aliunditatem, sive illa sit per veram dependentiam, sive non, ut summatim dicatur, ab alio esse omne id, quod ad aliud consequitur. Et sic intelligi debet phrasis illa, in dicta principiati definitione.

TITU-

TITULUS IV.

De conditionibus Principiorum.

1. *Principiatum non est necessariò realiter distinctum à principio.* Ita patet, quia sine omni repugnantia inter attributa divina, unum (veluti independentia) est principium alterius (veluti immortalitatis.) Et tamen inter ista reale discrimen non est. 24.

2. *Principium non est necessariò distinctum essentialiter ab eo cujus est principium.* Ita patet. Nam pater est principium filii. Et tamen hæ personæ non distinguuntur essentialiter. 25.

3. *Principium non requirit necessario influxum verum & realem.* Ita patet, quia principium ex se latiùs patet quàm causa. Solis autem causis convenit influxus. Patétque amplius exemplo privationis, quæ est principium motus citra influxum in motum. 26.

4. *Principium non est necessario causa multorum.* Arist. *l. 5. de gener. Animal. c. 7.* ait: Principium esse causam multorum. Sed ibi solùm loquitur de primo principio vel potius de prima causa. Prima autem causa necessariò refertur ad multa. Nam si ad unum solùm referatur, non dicetur prima sed prior, ut commentatur Fonsec. *l. 5. Metaph. c. 1. q. 1. s. 1. §. cur autem.* 27.

5. *Principium est primum.* Ita ait Arist. *5. Metaph. c. 1.* Ubi etiam addit: *omnibus principiis commune esse*, esse Primum. Vocatur autem principium negativè primum, quod scil. cet aliud non antegrediatur ipsum. Sicut Aristot. etiam *in lib. Post. cap. 7.* circumloquitur rationem principii ut prius *Num. 5.* retuli. Ubi primò notandum est, quod ista negatio antegressionis in principio, non sit intelligenda universaliter; sed est intelligenda, in respectu ad principiatum. Ergo principium est primum, hoc est, principium est tale quid, quod non antegrediatur id cujus est principium. 28. *Quomodo omne principium sit primum.*

Potiò ex illo axiomate Aristotelis, vulgò sumitur illud, quod principium sit prius principiato sed de eo specialis, nec usque adeò facilis est quæstio, propter Trinitatis mysterium, sed videamus:

An principium sit prius principiato?

Difficultatem potissimum in hac quæstione facit mysterium Trinitatis. Nam in eo Pater dicitur principium Filii; Et tamen non apparet, quomodo pater possit dici prior filio, potissimum propter duo. Nam 1. si pater esset prior filio. Ergo filius esset posterior patre. Ergo filius non esset Ens primum, adeóque nec æternus, & proinde nec Deus. Quo pertinet quod Ambr. *l. 11. de fid. cap. 5.* & inde Lombard. *1. dist. 9.* negant posteritatem omnem in Deo. *Scriptum est*, inquit, *in V. Testamento* (Esa. 43. v. 10.) *Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit. Quis hoc dicit: Pater an filius? si filius: Ante me*, inquit, *non fuit alius Deus: Si pater: Post me*, inquit, *non erit. Hic priorem, ille posteriorem non habet.* 29.

Deinde: si pater esset prior filio: tum id esset, vel attendendo essentiam, vel relationem personalem. Non primum. Nam essentia est una Numero. Non postremum. Nam relata sunt simul: Ergo Pater in esse respectivo, seu qua pater est, non erit prior filio: 30.

Variæ sententiæ referuntur.

Hæc res, ut video, trifariam expediri solet. 1. Aliqui negant patrem debere dici principium filii. Ita insinuat Ambrosius *de fid. ad Gratian. cap. 5.* Et libentius aliqui ututur nomine Auctoris. Ita Hilarius *l. 4. 9. & 11. de Trinit.* Patrem vocat Autorem, & filium Patri autori coæternum. 31.

II. Alii autem admittunt quidem Patrem dici principium filii, sed negant de ratione principii esse, ut sit prius principiato. Sic Damascen. *lib. 1. de Orthod. fid. c. 9.* Si dicimus Patrem principium filii, non tamen eo priorem esse ostendimus. Ita etiam Thomas *1. p. q. 33. a. 1.* Patrem rectè vocari principium filii disputat & negat tamen Patrem priorem esse filio. Unde ibi subjicit: Vocem principii impositam 32.

quidem esse ad significandam prioritatem, sed usum vocis deviare ab impositione. Ita docet etiam Thomas *q.32.a.3.& q.40.a.4.& 1.d.9 q.a.1.* Eundémque sequuntur multi alii. Natunturque quoad negationem prioritatis, inprimis argumentis prius factis *Num.29.30.*

35. III. Denique alii utrumque dicunt. Nempe & Patrem esse principium filii, & eundem esse priorem filio, Ita sentit Scotus *1.d.12.q.2.& d.28.q.3.& 2.dist.1.q.1.* Et Gabriel de Biel, *ad 1.d.9.* Aliique plures ex Scholasticis, quos sequitur Fonseca *l. 5.Metap.c.1.q.3.s.2.* & Suaretz *disp.12.s.1.num.10.*

An pater possit dici principium vel prior Filio?

34. AD hanc igitur rem tres assertiones propono.

Prima assertio.

35. *Patrem esse principium Filii & Spiritus sancti.*

HAc in re dico I. *Pater potest dici principium Filii & Spiritus Sancti. Sic* Aug. *l. 4.de Trin c.* 20. Patrem vocat principium totius Deitatis. Intenduntque id ipsum Graeci Patres, cùm Patrem vocant *causam* filii. Idque passim. Et patet ejus veritas, quia communis ratio principii consistit in eo, ut inde aliquid sit, hoc est, principium est, unde aliquid est vel à quo aliud procedit, latissimè intelligendo terminos, ut declaratum est, *t.2.* At filius est à patre & exit à patre infinitaque hoc ipsum vox generationis. Et ipsa vox Autoris eandem rationem principii importat. Ubi nec apparet quomodo vox *Autoris* in eo cujus quid Author dicitur, minorem importet imperfectionem, quàm vox principii. Aut quomodo vox Authoris quidem purificari possit ab imperfectione, id ipsum autem non possit fieri similiter in voce principii. Objectio potissima contra hanc propositionem est, quæ sumitur inde, quòd principium debeat esse prius principiato: sed ea postea expedietur.

Assertio secunda.

36. *Idem est prior filio.*

DIco II. *Pater dici potest prior filio*, si de stricè intelligatur, & latissimè sumendo vocem prioritatis, prout latissimè sumi debet, cum principium principiato prius dicitur, ita quidem, ut etiam talis prioritas intervenire possit, inter ea, quæ realiter non distinguntur ut postea videbitur.

37. Prioritas autem ista non est 1. prioritas naturæ. Nam ordo naturæ ex rigoroso modo loquendi supponit distinctionem naturæ. At natura in patre & filio non distincta sed una est, 2. nec est prioritas temporis. Ita patet per dictum ex Isaiæ 43. ante citatum: Ante me non est Deus, & post me non erit.

38. *Qualis prioritas vel originis, vel naturalis enumerationis.* Intelligitur ergo nunc prioritas, quæ à Doctoribus vocatur *Prioritas ordinis* hic intervenias? opinatur duplex genus prioritatis esse, aliud originis, aliud enumerationis.

39. Atque ita nunc veritas nostræ propositionis patet ex vulgatissimo modo loquendi in quo patrem vocamus *primum* personarum. Primum enim non dicitur nisi, quod cum aliis adjungitur. est *prius* aliis. Atque hic modus enumerandi non pendet præcisè ex arbitrio nostro, sed transsumitur, ex ipsa natura, hoc sensu, quòd pater sit origo Deitatis atque inde cæteræ personæ sint per egressionem vel processionem *à patre*, quomodo & Aug. *l.3.contra Maximum 14.* ait: inter personas divinas dari ordinem *naturæ*. Atque hunc ipsum modum ordinis & enumerationis, Aristoteles etiam fecit aliquem modum prioritatis. Juxta quem dicit exordium esse prius Narratione in oratione, *l. categ.c.12.§.3.* Et eum qui in concessu alio sedet secundo loco priorem esse eo, qui tertium tenet locum, *l.5. Metaph.c.11.* Quibus indicat Aristoteles enumerationem constituere aliquem modum prioritatis. Id quod à fortiori hic applicari potest, quia in præsenti exemplo Enumeratio fundatur in ipsa natura, hoc est personarum aliarum processu à patre, ut dictum est.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

OBjiciebantur contra hujus propositionis veritatem, aliqua, *Num.* 29. quæ nunc expedienda sunt. 40.

1. Objiciebatur: filium sic esse posteriorem Patre, & proinde non esse æternum. 41.

Respondeo 1. Sicut Pater est prior Filio, ita vicissim Filius dici potest posterior Patre, dextrè id intelligendo, nempe de enumeratione solùm. 2. Atq; hinc non tollitur æternitas Filii Dei. Æternitas enim non tollit omnem prioritatem, sed eam solùm, quæ est prioritas temporis, vel, (ut generaliùs loquamur) durationis: ut manifestum est inde, quòd potest aliquid alii coævum & coæternum esse, ubi tamen intervenit prioritas naturæ. Veluti, si Deus ab æterno produxisset Angelum. Ille Angelus esset naturâ posterior Deo. Et tamen esset coævus & coæternus Deo hoc ipso quia juxta hypothesin est factus ab æterno. Sic & Augustinus docet in *6. l. 2. de Trinit.* Et ex eo Lombard. *l. 1. d. 9.* D. Declarans id exemplo splendoris & ignis. *Splendor*, inquit, *qui gignitur ab igne atque diffunditur, coæternus est illi, & esset (prorsus) coæternus, si ignis esset æternus.* Quibus manifestè indicatur, quod ea tantùm naturæ posterioritas non officiat æternitati. Confer, quæ suprà *cap* 17. de æternitate dicta sunt. 42.

Deinde inferebatur etiam eodem argumento: Filium non esse Ens primum, si aliud sit eo prius. Et proinde non esse Deum. 43. *Secunda objectio.*

Respondeo 1. Non video quomodò magis sequatur, filium non esse primum Ens, si Pater dicatur eo prior, quam si Pater dicatur principium filii, atque adeo filius principiatum patris. 2. Sed tamen utrinque res bene habet, si dextrè intelligatur ens primum dicitur, à quo sunt omnia alia creata quodque non habet aliud ante se, à quo dependeat. Ita patet, quia ens primo adæquatè opponitur id, quod est creatum, vel ab alio, vel dependens. At filius etsi ejus principium sit pater, & proinde pater eo prior sit, aliquo modo loquendi, non tamen est aliquid creatum, vel dependens, vel ens ab alio, ut rigorosè ista phrasis sumitur in oppositione ad ens, quod est à se, ut sæpius dictum. 3. Estque diligenter observandum, quod non omnis prioritas repugnat enti primo, ut manifestè apparet in attributis divinis, quæ propter identitatem cum essentia divina, singula sunt entia prima, vel potius, unum ens primum: Et tamen aliud alio ita prius est, ut possit alterius principium dici, & per unum aliud demonstrari. Repugnat autem enti primo solùm habere aliquid prius naturâ vel tempore, quod non est intra Trinitatem, ut priùs confirmavi.

Quod autem objiciebatur etiam dictum Esaiæ 43. v. 10. *Ante me non fuit alius Deus, &c.* Illud satis clarè loquitur de prioritate temporis. Nam vox *Ante* est nota temporis. Neque verò dicitur Pater tempore prior filio. Atque hoc ipsum etiam Ambrosius dicere intendit, nempe generationem filii non efficere, ut pater *tempore prior* sit filio, sicut Arrius garriebat: *si filius est natus, ergo erat tempus in quo non erat filius*, ut meminit Augustin. *in 6. l. 2. de Trinit.* 44. *Tertia Objectio.*

Ad alteram objectionem *Num* 30. propositam respondet Fonseca 5. *Metaphys. c.* 5. *q.* 3. *s.* 2. Quod etsi persona producens, non possit concipi sine relatione, possit tamen concipi more nostro ante productionem activam, conceptu non relativo sed absoluto, more, inquam, concipiendi, quo concipimus producentia nostratia, quæ revera absoluta sunt. Id autem tum fit, cùm apprehendimus relationem producentis, non quatenus terminatur ad personam productam, sed quatenus dat esse incommunicabile, sive hypostaticum. Atque hæc prioritas, juxta modum intelligendi nostrum, juxta Fonsecam est præcisis rationibus. Ubi non officere videtur, quod à parte rei una numero sit essentia in Patre & Filio. Nam ad prioritatem, quatis in genere requiritur in principio, non necessaria est realis distinctio, ut priùs patuit. 45.

Suarez. alio modo procedit, qui prioritatem ponit juxta relationes. Igitur disp. 12. Metaph. s. 1. num. 10. *Genus prioritatis*, inquit, *inter correlativa mutuatis re-* 46.

bus non potest inveniri, quia unum relativum, ut tale est, non procedit ab alio. In divinis autem reperitur processio unius correlativi ab alio, quatenus talia sunt. Et subjicit: *Non est mirum, quod sicut ratio principii in illis personis singularis est, ita etiam modus prioritatis sit peculiaris, & longè alienus rationis ab omnibus, quæ in creaturis reperiuntur.* Sed de utraque responsione penes lectorem sit judicium. Nolui enim istud argumentum meis verbis solvere.

47 Et hactenus quidem concluſum est, quod non repugnet, aliquam prioritatem ponere inter divinas personas: Nihilominus sit.

Tertia assertio.

48. *Cautius esse, si Pater non dicitur prior filio.* DIco III. *Cautius est dicere: Patrem non esse priorem filio.* Ita existimo, quia ut maximè pater possit dici prior filio, juxta dicta, si ea dextrè intelligantur: tamen potissima significatio prioris est, secundum quam significat prioritatem temporis, ut Aristotel. etiam tradit *in categ. c. 12. §. 1.* quod ipsum etiam est in vocabulis specialibus, *ante & post.* Unde frequentissimè vox prioritatis, etiam sine addito posita, significat prioritatem temporis, & unum *simul* cum alio dicitur esse, si maximè interveniat prioritas etiam naturæ. Ita forma dicitur simul esse cum formato. Et tamen ista est prior naturâ suo formato. Ex quo consequitur, hanc locutionem (Pater est prior filio) ingerere hanc opinionem, quasi putetur tempus aliquod esse, in quo fuerit pater, nec tamen fuerit filius. Id quod Arrianum est. Locutiones autem, quæ inducere possunt in errorem studiosissimè sunt, quoad fieri potest, devitandæ.

Generaliter decidituq: An & quatenus principium sit prius principiato?

49. PRincipiò hic notandum est, quod principium & principiatum possit bifariam sumi. *Primo* potest sumi formaliter, principium quâ principium, & principiatum quâ est principiatum. Et sic neutrum est altero prius, sed simul sunt, quia sunt respectiva, sicut & causa & causatum, subjectum & adjunctum.

Deinde possunt sumi materialiter, hoc est, pro re substratâ huic respectui, sive pro ea re, quæ denominatur principium & principiatum. Et hoc modo agit de principio & principiato Metaphysicus, dicitq; principium principiato prius esse.

50. Atque hoc modo loquendo de principiis, adhuc aliter loquendum est de principio generatim, & aliter de hoc vel isto.

51. Specialiter si loquamur de principiis, tunc aliquod principium est prius tempore suo principiato, veluti flos fructu, aurora die: Aliud est solùm prius naturâ, ut causa synectica effecto, veluti Sol lumine, forma formato: Aliud cognitione, juxta modum intelligendi nostrum, veluti independentia Dei ejus immortalitate, vis calefactiva in Sole, vi exiccativa: Aliud Enumeratione, eáque vel arbitraria (quomodo primum vocamus, à quo volumus inchoare numerationem, solùm ex placito nostro) vel etiam naturali, quomodo patrem dixmus priorem filio in Trinitate: Aliud loco prius est, ut. qui sedet ante alios & est principium sessionis sequentium; & quod punctum est in linea, est principium & prius punctis sequentibus.

52. *Prioritas indifferenter requiritur in principio.* Atq; ex his patet, si generaliter loquamur de principio, tum principium quidem esse prius principiato, sed tamen determinatè non est illa prioritas in tempore, neq; necessariò est prioritas naturæ; vel alterius generis determinati. Nam forma est principium formati, & tamen formato non est tempore prior. Vis calefactiva in Sole est principium, cùm in eodem sit vis exiccativa, atq; ita est prior hac, & tamen ista non est prior naturâ vel tempore, quia à parte rei non est distincta facultas calefactiva ab exiccativa, & sic est in aliis.

Atq; ita principium est prius principiato, intelligendo illam prioritatem communiter & indifferenter: Qualecunq; enim genus prioritatis in specialibus exemplis interveniat, id satis est ad rationem principii.

Objectio

Objectio de principiis cognoscendi.

PEculiaris difficultas solet moveri de principiis cognoscendi. Nam hæc, quia principia sunt, utique ex hoc generali discursu etiam erunt priora principiatis. At hoc est absurdum. Nam sæpe effectus sunt principia, ex quibus cognoscitur causa, & tamen effectus non est prior causa. Et confirmatur, quod talis cognitio dicitur à posteriori. Ergo aliquod principium est posterius principiato. 53.

Respondeo: Unumquodque principium referri debet ad principiatum *sibi proportionatum*, atque ita principium cognitionis non debet referri ad esse rei, sed ad cognitionem rei. Atque ita etiam principium cognitionis debet esse prius (non re cognita, sed) cognitione. Nam (non rei cognitæ, sed) cognitionis principium est. Atque hoc etiam procedit de effectu in ordine ad causas. Etsi enim essentia effectus sit posterior essentiâ causæ, tamen cognitio effectus sæpe (quando scilicet est principium cognoscendi causam) est prior cognitione causæ, sive sæpe effectus cognoscitur, & postea ex ejus cognitione devenitur in cognitionem causæ. 54

Cognitio per effectus, quomodo dicatur à posteriori?

Cæterùm illa cognitio quæ est per effectus, dicitur cognitio à posteriori non attendendo *cognitionem*, quasi effectus posterius sit cognitus quàm causa, sed attendendo *essentiam*, quod scilicet inchoatur cognitio ab eo, quod essentiam habet alio posteriorem. Id autem ad hanc rem non pertinet, ut ex dictis patet.

TITVLVS V.
DE DIVISIONIBVS PRINCIPII & Principiati.

TRes sunt inprimis principiorum divisiones. Igitur *Primo* principium est vel principium essendi, vel principium cognoscendi. *Deinde* principium est vel causale vel non causale: *Denique* aliud est internum, aliud externum de quibus ordine videndum est. 55.

ARTICVLVS I.
De divisione principiorum in principia essendi & cognoscendi.

PRincipium dividitur in principium essendi & cognoscédi. Quæ divisio ideo non immeritò primò ponitur, quia oritur ex Aristotelica Principii definitione, in qua fecit mentionem ejus, quod aliunde *est* & quod aliunde *cognoscitur*. 56.

PUNCTUM I.
De Principiis essendi.

POrro *principium essendi* vocatur, *unde aliquid est*. Dicitur aliàs *principium incomplexum*. 57.

Hanc ad rem duo sunt observanda diligenter. Vocem *essendi* sive *esse* aliquando opponi τῷ fieri. Sicut & Arist. 5. *Metaph. c.* 1. hæc distinxit, unde aliquid *fit*, & unde aliquid *est*. In hac tamen divisione vox essendi non ita specialiter accipitur. Dicitur que adeò principium essendi, non solum quod concurrit ad esse rei, sed etiam quod concurrit ad fieri rei. 58.

Pro quo porro diligenter observo, quod esse & fieri solum opponantur, cùm referuntur ad tertium, veluti compositum. Ita nempe aliud est esse compositi, aliud ipsum fieri compositi. Quando autem præcisè sumitur τὸ fieri sine ordine ad compositum, tum utique nullam habet oppositionem ad esse. Quia ipsum fieri significat esse actionis. Indéque quod non est, nisi cùm fit, nihilominus est, & est ens. Atque sic principium in communi est, unde aliquid est, unde inquam est vel actio, vel res per actionem facta, quorum illud, (si quis distinguere velit) dici potest principium fiendi, hoc est, principium essendi. Ex dictis tamen patet sine incommodo (intuendo esse actionis) principium fiendi, posse dici principium essendi.

Solviq, potest ex dictis objectio, quæ solet fieri contra divisionem istam, quòd 59.

Solvitur objectio. scilicet sit inadæquata, ex eo, quia dimittat principia fiendi, in definitione principii insinuata.

Principium essendi comprehendere etiam rationes non causantes.

60. 2. OBservandum est: Principium essendi dici unde res est, non solùm intelligendo modum essendi aliunde, de vera & rigorosè dicta causa, unde sit aliud, sed etiam latius loquendo, ut etiam ea dicantur principia essendi, quæ tales causæ non sunt.

61. *Privatio est principium.* Atque ita principium essendi vocari potest *Privatio*, quæ in Physicis est principium motus. Possuntq; huc referri omnia, quæ vel minus vel sublimius quid sunt, quàm causa, ut ista principia dici possint. *Minus* inquam, veluti erat in privatione. *Sublimius*; veluti est in Patre gignente filium in divinis.

62 *Principia qualia requirantur ad demonstrationē? Principia in scientia quæ non sunt causæ.* Sic etiam cùm omnis demonstratio, quæ est à priori fiat per principia essendi, non tamen omnis demonstratio est per causas rigorosè loquendo. Atq; inde etiam principiis, quæ requiruntur ad scientiarum subjecta, non solùm admittuntur causæ, sed etiam alterius generis principia, quæ causæ non sunt. Sic Suarez disp. 5. Metaph. sect. 1. n. 27. *principia incomplexa*, inquit, *duplici modo intelligi possunt, primò quod* [illegible] *causæ, secundum rem aliquo modo distinctæ, à proprietatibus & effectis, quas per illas demonstrantur. Et hujusmodi principia vel causæ non sunt simpliciter necessariæ ad rationem objecti scibilis, vel etiam ad demonstrationes certas.* Alio modo *dicuntur principium seu causa etiam id, quod concipitur ut ratio alterius cum ea ad invicem distinguuntur.* Atque hoc genus principii sufficit ad scientiam, quia sufficit ad faciendam demonstrationem, per quam reddatur ratio cur talis proprietas tali subjecto conveniat. Confer eundem *disp. 1. Met. sect. 5. n. 37 & disput 12. in proœm.* Et hujus sententiæ primus autor nominatur Cajetanus à Colleg. Conimbr. *1. post. c. 2. q. 1. a. 2.*

63. Est autem hoc posterius genus principiorum valdè necessarium in scientia de Deo, & Attributis Entis Transcendentalibus. Nam de Deo demonstrantur attributa illius, per illius essentiam, aut etiam per aliud attributum, quod apprehenditur ut antecedens aliud. Et tamen, quia nec essentia ab attributis, nec attributa inter se essentialiter distinguuntur, non potest intervenire ratio veræ causæ. Veluti hìc, quod Deus est intelligens, est principium, cur sit agens liberum: Et ejus omnimoda independentia est principium cur idem sit immortalis.

64. Eadem a. de causa procedit id etiam in Transcendentalibus attributis. Nam hæc nec ab essentia Entis, nec inter se essentialiter vel realiter distinguuntur. Et tamen illa attributa demonstrantur partim per essentiam, partim per attributa prius demonstrata.

65. Atq; ex his nunc summatim dico, quod principium essendi in communi comprehendat omnes illas rationes, quæ concipiuntur, ut aliquid antecedens, ex quibus consequuntur alia, sive id sit per consecutionem, quæ connotet causalitatem sive etiam id non sit.

PUNCTUM II.

De principio cognoscendi.

66. *Definitio principii cognoscendi.* PRincipium essendi hactenus declaratum est, nunc declarandum est *principium cognoscendi*. Id quod in Theorematibus hujus capitis, sic definiebatur: *Principium cognoscendi est, unde aliud solum cognoscitur.* Dicitur autem *principium complexum* per se necdoctum. Dantur enim etiam principia cognoscendi, quæ non sunt entia complexa, sed incomplexa, veluti effectus respectu causarum.

Zabarella *de Tribus operat. cog. cap. 4.* ait: Ea quæ sunt tantum principia cognoscendi essentiam, dignitates esse & propositiones notas, sed universum id admittendum non est. Atque ita.

67.

1. Obser-

1. Observandum est, ad cognoscendum rectè doctrinam principiorum cognoscendi: quod non solùm ista denominatio cadat in Entia complexa. Sed possunt etiam Entia incomplexa esse principia cognoscendi. Ita patet de effectibus in ordine ad causas. Nam sæpè contingit ut effectus sint notiores causâ, veluti motus naturâ, operationes vitales animâ. Et sic sunt priores causâ ordine cognitionis. Præterea hinc sæpè pendet cognitio causarum, ut ab istis tanquam notioribus nobis, veniamus in notitiam harum, quæ nobis ignotiores sunt. At quod est tale, ut sit qualitercunque alio prius, illudque aliud pendeat ab ipso, id non potest non esse principium. At effectus non sunt principia essendi in ordine ad causas, quia attendendo utrinque essentias causæ & effecti, causa prior est effecto, non contra. Relinquitur igitur quod effectus sint principia cognoscendi respectu causarum, atque adeò, quòd etiam ens incomplexum possit esse principium cognoscendi.

68. *Etiam incomplexa, posse esse principia cognoscendi.*

2. Observandum est, quod correlatum principii cognoscendi, non sit res, sed rei cognitio, ut ipsum nomen indicat. Atque ita effectus (de quo confirmavimus, quòd sit principium) non est principium causæ simpliciter, & sine addito, sed est principium causæ ut cognita est, seu, est principium cognitionis illius, quæ est de causa. Sic etiam diligens cognitio rerum creatarum sive visibilium, nobis est principium, (non Dei, sed) cognitionis illius, quam de Deo consequimur. Atque ita juxta hæc semper est observanda proportio inter principium ad principiatum sibi congruum. Principium *essendi* est, unde est *esse* rei. Principium *cognoscendi* est, unde est *cognitio* rei.

96. *Quodnam correlatum sit principii cognoscendi?*

3. Est observandum, quod principium cognoscendi referatur ad cognitionem *solùm*; cum quo additamento etiam definitum est à nobis principium cognoscendi. Ad hæc sciendum est, quod Principia essendi etiam conferant ad cognitionem rei. Modus enim cognoscendi etiam sequitur modum essendi, unde à quo res pendet in essendo ab eodem necessariò etiam pendet in cognoscendo. Patetque id inde manifestè, quia effectus à priori demonstratur ex causis. Ergo cognitio effectorum pendet à causis prius cognitis seu quod idem est, à cognitione Causarum.

70. *Principia essendi à principiis cognoscendi, quomodo distinguantur in ratione cognitionis?*

Atque ex his sequitur, quod ex vi nominis, quæ sunt principia essendi possint dici principia cognoscendi. At tamen quia frequenter principia essendi & principia cognoscendi opponi solent, ideo, principia cognoscendi in communi dicuntur non illa unde est cognitio, sed illa, unde (non est essentia, sed) solùm est cognitio rei. Id enim valdè frequens est, ut ex generali conditione sumatur nomen, quod appropietur uni speciei, unde totics locum habet synecdoche in significationibus nominum. Sic hoc loco generalis conditio omnium principiorum est facere, ad cognitionem principiatorum. Nihilominus denominatio hæc, quæ quid dicitur principium cognoscendi, reservata est uni peculiari speciei, illi scilicet cui convenit, solùm esse principium cognitionis, & non alteritis cujuspiam.

71.

Solvitur autem ex his *objectio*, quæ contra hanc divisionem fieri solet, quòd scilicet ea non habeat membra opposita, eo quod principia essendi sint etiam principia cognoscendi. Patuit enim quod principia essendi conducant quidem ad cognitionem rei. Non tamen ideò debent dici principia cognoscendi, quia (dimissâ impositione vocis, secundum quàm possent dici principia cognoscendi, etiam ea, quæ hinc dicuntur principia essendi) in communi usurpatione vox hæc per synecdochen appropriata est istis principiis, quæ ad nihil amplius quàm cognitionem principiant. At principia essendi non utique ad solam cognitionem principiant, sive principia sunt.

72. *Objectio. Responsio.*

Denique est observandum: Etsi principia cognoscendi dici possint Entia incomplexa, ut priùs patuit de effectis *Num.* 68. quod tamen eminent inter principia cognoscendi ea quæ vulgò *Dignitates* sive axiomata vocantur, ex Arist. *l. 1. post. c. 7 t. 17* & aliis passim. Vocanturque accommodatissimè ἀξιώματα sive *Dignitates* quia sunt ἀξίαι πίστεως, digna fide. De quibus ita Zabar. ait, *l. 1. Post. t. 14. fol. 67 2. Illa, quæ propter maximam evidentiam nota sunt omnibus, antequam audiant ex ore præceptoris,*

73. *Potissima principia cognoscendi sunt axiomata. Axioma quid?*

præceptoris, à Græcis axiomata, à Nostris dignitates dicuntur. Sunt enim quædam ità conspicua, secundum Aristotelem, ut eis hoc nomen tribuatur, ad significandum claritatis excellentiam, q. præ cæteris digna quibus fides adhibeatur. Hæc ille, quibus adde Scalig. *l.4. Poet.c.6. & l.5. de Caus. ling. lat. c.114.* Et quæ alia refero ad hanc vocem *in 3. Part. Log. de Propositionibus. c.1. in Comment. num.3.*

74. Tales propositiones sunt: *De quolibet vera est affirmatio vel negatio* sive *Quodlibet est aut non est. Non potest idem simul esse & non esse.* Quæ duo principia sic differunt, ut prius loquatur de immediatione contradicentium, alterum autem loquatur de eorum repugnantia in eodem subjecto. At immediatio & repugnantia non sunt unum & idem. Nam hæc etiam est in Contrariis adversis. At illa non. Id quod obiter notandum est contra eos, qui ajunt illa principia, sensu eadem esse.

Sic etiam principia sunt hæc: *Totum est majus sua parte. Si æqualibus addideris æqualia, quæ manent, sunt æqualia,* &c.

PUNCTUM. III.

Continens divisionem dignitatum sive principiorum cognoscendi, in principia propria & communia.

75. 1. DIviduntur principia illa in propria & communia, apud Arist. *l.1. post. c.10.* §. 3. Intelliguntúrque istæ denominationes per ordinem ad disciplinas, ut Arist. *d.l.* indicat, dicens principiorum, quibus utuntur demonstrativæ *scientiæ*, alia esse propria, alia communia.

Propria principia. Propria igitur principia sunt, quæ uni scientiæ particulariter competunt: Talia sunt, quæ continent definitionem subjecti scientiæ, vel constant ex subjecto disciplinæ, & ejus propria passione. Unicuique enim disciplinæ propria sunt subjectum & passiones suæ. Quod si tamen subjectum unius disciplinæ comparetur ad subjectum alterius, per modum generis, aut latioris cujusdam, tùm adhuc illa, quæ huic universali vel subalternatæ disciplinæ sunt propria, præcisè sumpta, possunt, vi universalitatis & subalternationis illius, extendi, ad disciplinas particulares.

76. *Principia communia.* *Communia* autem *principia* sunt, quæ applicari possunt pluribus disciplinis. Horum exemplum ponit Aristot. hoc: *si ab æqualibus æqualia demas, ea quæ restant sunt æqualia.* Hoc igitur principium potest accommodari pluribus disciplinis, veluti Arithmeticæ & Geometriæ. Loquitur enim axioma de æqualitate, quæ est in quantitate, ut sic, ut Arist. tradit *de Categ. c.5.* Atque hinc accommodari potest ad quantitatem continuam & discretam. Estque adeò hoc principium Arithmeticum, si dicatur sic: si ab *æqualibus numeris* (veluti duobus centenariis) æqualia demas (veluti ab utroque viginti) quæ restant sunt æqualia. Idem fit Geometricum, si dicatur sic: *si ab æqualibus magnitudinibus* æqualia demas, quæ remanent, erunt, æqualia.

77. *Principia communia quomodo pluribus conveniant secundum proportionem?* Atque ex his intelligitur quod Aristot. dixit: Principia communia pluribus scientiis convenire κατ' ἀναλογίαν, sive secundùm proportionem. Nempe vult Arist. ut in applicatione generaliorum principiorum fiat proportionalis applicatio ad particularia subjecta, veluti ut applicetur v. g. ad numeros, quod Arithmeticum, & ad magnitudines, quod Geometricum fieri debet.

78. Cæterùm inter omnia communia principia, communissima sunt illa duo prius etiam relata principia. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Item: *De quolibet vera est affirmatio & negatio*, de quibus Arist. agit, *l.4. Met. cap.3. seqq. & 1. post. c.1. a.*

PUNCTUM. IV.

Continens divisionem principiorum cognoscendi: in ea quæ sunt indemonstrabilia simpliciter, & indemonstrabilia secundùm quid.

79. 2. PRincipia (cognoscend.) dividuntur in indemonstrabilia simpliciter, & indemonstrabilia secundum qd, ut ex Arist. annotat Coll. Con. *1. post. Anal. c.8.* §.

Non est

Non est autem. Videtur autem mihi divisio illa coincidere cum hac: qua principia alia prima, alia secunda dicuntur.

Cæterùm quia Arist. initio istius c tat *cap. text. 73 in 1. post.* ait, principia in genere esse quæ non contingit demonstrare: ideò, Quær. solet. 80.

An omnia principia sint indemonstrabilia?

RAtio dubitandi jam inusitata est Nam Aristoteles ait in genere principia esse indemonstrabilia, *in t. 73.* Et tamen cùm dicimus, aliqua principia esse indemonstrabilia, solùm secundùm quid, utique indicatur, ea absolutè esse demonstrabilia. 81.

Probatúrque id ipsum porro (quòd scilicet principia sint demonstrabilia) quia Aristoteles ait: Metaphysicum probare principia. Vide *1. Post. t. 70. & 4 Met. c. 3. seqq.* quibus locis etiam Aristotel. conatur probare communissima illa principia Metaphysica, quæ priùs *num. 78.* retuli. Unde & frequenter ad hanc rem usurpari solet demonstratio per impossibile. At demonstratio per impossibile, utique est demonstratio. 82.

Ut igitur & hæc & prædicta nostra divisio evidentia sint: Notandum est *primò*: Indemonstrabile bifariam dici. *Primò* indemonstrabile sumitur quin malam partem. Estque indemonstrabile illud, quod vel falsum est, vel etiam non nisi ex probabilibus cognosci potest, atque tum vel nullum vel debilem assensum in intellectu nostro relinquit. Hoc sensu de principiis non intelligitur, quòd sint indemonstrabilia. Habent enim ista sufficientem credibilitatem. 83. *Indemonstrabile bifariam dicitur.*

Aliter indemonstrabile sumitur in bonam partem, & indemonstrabile sic dicitur, quod non infrà sed supra demonstrationem est, seu quod tam evidens est, ut non debeat, vel propter primitatem suam, possit demonstrari. Atque hoc sensu principia intelliguntur esse indemonstrabilia.

Quomodo omnia principia sint indemonstrabilia?

SEcundò est observandum, quòd principia bifariam possint considerari: *Uno modo* in se & præcisè, *alio* verò modo prout actu ingrediuntur demonstrationem & proinde actu referuntur ad faciendam in nobis scientiam. Et juxta hunc posteriorem statum de illis loquitur Aristoteles supràs *d. text. 73.* Demonstrationem autem non ingrediuntur principia (prout actu talia sunt) ut ipsa demonstrentur, sed ut ipsa sint tale quid, *per quod* demonstretur aliud, nempe passio sive proprietas, ut Arist. clarè tradit *l. 1. post. t. 76.* imò hoc sensu, principia omnia indiscriminatim *prima* vocantur, ut fit ab Arist. *eodem t. 76.* Non, quòd omnia talia sint, ut nihil habeant se prius (neque enim omnia sunt prima principia) sed quod ut sic (hoc est, intra demonstrationem) sumpta, & considerata ut actualia principia, sunt priora conclusione, sive passione demonstranda. Juxta quem modum Aristotel *l. 5. Metaph. cap. 1.* in genere & indifferenter dicit de principiis, quòd *prima* sint, cùm tamen aliàs, præcisè loquendo de principiis (essendi) multa dicantur principia, quæ sunt non prima sed secundaria. Vide suprà *hoc cap. n. 28.* Atq; ita secundùm hunc sensum nullum principium est, quod demonstretur. 84. *Quomodo omnia principia sint prima.*

Quomodo omnia principia sint demonstrabilia?

TErtiò Nunc noto etiam alium sensum, secundùm quem omne principium potest demonstrari. 85

Primò: *Probantur principia deductione ad absurdum.*

ERgo 1. omnia principia demonstrari possunt *per deductionem ad absurdum*, hoc est, ostendendo ea & esse & non esse. Et hoc quidem perspicuum est in secundariis principiis. 86. *An primum principium possit probari.*

De primo tamen principio, quòd est fundamentum istius deductionis ad

Quæri deductione ad absurdum?

absurdum, non videtur id procedere posse. Veluti si hoc ipsum principium negetur: Quodlibet est vel non est. Nam si quis dicat, contradictoria simul posse tolli vera, ipsum non poterit vincere deductio ad absurdum, quia hæc non habet aliud fundamentum quàm istud. Indeque qui uteretur ea deductione ad demonstranda principia, petere principium dicitur, ab Arist. *l. 4 Met. c. 4.*

87. *Secundo.* Istud principium non probari quidem deductione ad absurdum, si rigorosè loquamur, quia illa est ad majus incommodum. At majus non est incommodum, quàm si quis cogatur ad asserenda duo contradictoria, quæ juxta adversarii hypothesin non sunt incompossibilia. Nihilominus locum hic habere potest *redargutio*, quæ est similima deductioni ad absurdum, sicut eam multipliciter & ipse Aristot. *d. l.* instituit. Veluti possumus à rebus de quibus loquitur potissimum illud principium, illud transferre ad verba quibus loquitur adversarius. Veluti Qui tale principium impugnant, *significant* isti propositioni aliquid contrarium, & non significant. Et quia aiunt se non significare aliquid isti propositioni contrarium, utique etiam non est respondendum, quia manet tunc illius veritas, si nihil dicatur ei contrarium: Et aliter: Illi *intelligunt & non intelligunt* quid loquantur. Et quia non intelligunt quid loquantur, utique nec adhuc respondendum est.

Redargutio negantis incompossibilitatem contradictorium.

Deinde principia Experimentis probantur.

88. 2. ALiter principia possunt demonstrari à posteriori; veluti per experientiam: Si hoc principium: *totum est majus parte*, probatur quia *hoc* totum, est majus parte sua, & *aliud* itidem parte sua. Et sic in reliquis.

89. Ubi tamen diligenter observandum est: experientiam in tali probatione non offerri ut causam per se illius cognitionis, quam habemus de principio aliquo. Nam experientia solùm terminatur ad singularia, unde sequitur, quia non necessariò omnia singularia incurrunt in sensum, ideo ex experimento, præcisis aliis, non posse fieri principium universale. Rursus, experimentum solùm est de rebus sensibilibus, sensus autem non judicant nisi de re simpliciter, non autem de rerum connexionibus. Ad principii autem rationem non solùm requiritur, ut prædicatum insit omni (quod fortasse, si omnia singularia cognoscerentur, haberi posset per experimentum) sed requiritur inprimis etiam in eo immutabilitas, ut scilicet prædicatum & subjectum non possint non cohærere ad invicem.

Quales sint probationes ab experimento?

90. Itaque probationes istæ, quæ ab experimento sumuntur, hoc solùm faciunt, ut tollant formidinem in intellectu ad ferendum judicium: cùm aliàs absoluta ratio assentiendi sit lumen intellectus, & penetratio sive exacta noritia terminorum. Atque ita principium dependet tum ab experimento, ut à manuductione, & conditione (non afferente rationem assentiendi, sed) disponente & juvante intellectum, ut majori promptitudine, & absque omni formidine assensum præbeat, dum videt sensum (hujus enim est experiri) quem veritatis indagandæ tum ministrum habet, secum in rem eandem conspirare. *Vide* Colleg. Conimbr. *l. 1. Post. c. 1. q. 2. a. 3.*

Probantur principia declaratione terminorum.

Denique: 91. DEnique 3. possunt etiam principia probari declaratione terminorum, quorum exactam notitiam, *penetrationem* vocant. Veluti si quis neget *omne Ens esse perfectum*, tum id probatur declarando terminos. Veluti, *Ens* est quod habet essentiam. Et *perfectum* dicitur unumquodque, in quantum nihil deest ei eorum, quæ ad essentiam pertinent. Quibus terminis sic declaratis statim assentitur intellectus, quòd omne ens sit perfectum. Neque enim intellectus noster potest aliquid apprehendere, tanquam ens, hoc est habens essentiam, in quo tamen adhuc apprehenditur aliquid deesse ad essentiam. Et hanc terminorum declarationem Aristoteles sæpe nominat probationem principiorum. Veluti cùm dicit Meta-

Metaphysicam probare principia. Id enim plerunque non fit aliter, quàm terminos declarando, ut notum est.

Atque ita hactenus patet 1. Nulla principia esse indemonstrabilia, juxta aliquem modum loquendi, de quo erat prius *num.* 83. 92. *Summa dictorum.*

2. In genere omnibus principiis convenit, quòd non demonstrentur, cùm actu sunt principia, & ingrediuntur demonstrationes. *Ex nu* 84.

3. Omnibus principiis convenit demonstrari posse tripliciter. 1. per deductionem ad absurdum. 2. per experimentum. 3. per declarationem terminorum. Ex *num.* 85. *ſ. qq.* 93.

Declaratur: quomodo principia alia sint demonstrabilia, alia indemonstrabilia.

His ita præsuppositis declarandum est: *Quomodo principiorum divisio in demonstrabilia & indemonstrabilia* sit intelligenda, quæ superiùs tradebatur *num.* 79. 94.

Ista igitur divisio 1. loquitur de principiis in se consideratis, non prout sumuntur, ut actu ingrediuntur demonstrationem & pariunt cognitionem. 2. Demonstratio autem in eadem divisione, intelligitur, non de demonstratione, quæ est per absurdum, illáve, quæ est à posteriori, aut per terminorum declarationem, sed de ea quam potissimam vocant, seu quæ est à priori. 95.

Ergo nunc aliqua principia sunt *demonstrabilia*, ea scilicet, quæ pendent ex prioribus. Atque inde hæc demonstrativè cognosci possunt per attributa priùs demonstrata, demonstratione inquam eâ, quæ est à priori. Atque talia principia, sunt principia, quæ non sunt prima sed secundaria. Eadem tamen vocantur *indemonstrabilia secundum quid ab* Aristot. *etiat. hoc* duplici ratione. Nempe, quia 1. vel sunt principia in particularibus scientiis, indéque in istis non demonstrantur, sed in superiori scientia. Idémque est de principiis scientiarum subalternatarum, quæ in his non demonstrantur, sed in subalternantibus. Vel etiam 2. Intelligenda est ista limitata indemonstrabilitas de principiis, prout sunt actu principia, & actu ponuntur in demonstratione. 96. *Principia demonstrabilia quæ?* *Quomodo illa dicantur secundum quid indemonstrabilia?*

In oppositum igitur *principia indemonstrabilia absolutè* sunt, quibus nullo modo convenit, à priori demonstrari, quod quidem præcisè solùm convenit primis principiis. 97. *Principia indemonstrabilia quæ?*

Ergo summatim alia principia sunt indemonstrabilia absolutè, alia secundùm quid. Hoc est alia quidem non demonstrantur à priori in hac scientia, & pro tali statu: sed possunt tamen demonstrari in alia scientia, & in alio statu. Alia autem nullo modo, & in nullo statu, & in nulla scientia demonstrari à priori possunt. 98.

Solvuntur objectiones, suprà factæ.

Patet autem ex his etiam evidens solutio argumentorum, priùs factorum *num.* 81. Nam 1. Aristot. omnia principia indiscriminatim vocavit indemonstrabilia, sive dixit non demonstrari, sed locutus est de istis ut *actu* sunt principia cognitionis, & demonstrationem ingrediuntur, ut indicatum est *num* 84. 99.

2. Metaphysica autem probet quidem principia omnia, sed id est partim, contradicentes deducendo ad absurdum, partim, declarando terminos. At de hoc genere demonstrationis non loquitur nostra divisio, sed de ea solùm, quæ est à priori, ut priùs dictum *num.* 95. Quod si aliqua principia probet Metaphysica à priori, velut per attributa, unde alia consequuntur, neque sic aliquid incommodi est. Nam fatemur esse aliqua principia, quæ à priori sunt demonstrabilia juxta *num.* 96.

3. Atque ex his, etiam apparet quid de deductione ad absurdum dicendum sit. Nempe nec ista intelligitur exempta, cùm aliquod principium absolutè indemonstrabile dicitur. Removetur enim solùm demonstratio, quæ est à priori.

100. Et hactenus quidem fuit de distinctione principiorum in principia essendi & cognoscendi. Occurrunt equidem plura, quæ de principiis cognitionis, & habitu principiorum, & actibus quibus principiorum notitia acquiritur, disputari solent *ad 1. Post. c. 1. 2. 8. & alibi.* Sed de istis fortasse commodiùs agi poterit alibi. Nunc ad aliam divisionem progredior.

ARTICULUS II.

De principiorum divisione in Causalia & Non-Causalia.

101. II. PRincipium dividitur in *Causale & Non-Causale.* Cujus divisionis sensus est, quod principium aliud sit causa, aliud non. Aliud, inquam, principium habet verum influxum causalem in aliud (quod hoc ipso est causa.) Aliud autem habet rationem principii citra influxum causalem, quomodo privatio est principium, non autem causa motus. Sic & Pater est principium Filii in Trinitate, non tamen causa.

102. *Principium conditionale.* In synopsi Philosophiæ *disp. 11.* principium divisi in *conditionale & causale.* Ubi priori appellatione respexi ad privationem, quæ solet vocari principium motus, non ut causa, sed ut *conditio* solùm, sicut Scaliger sequitur *l. 1. de Plant. p. 13* & Dd. alii: sed tamen video nomen istud non esse satis rei accommodum, quia non omne principium, quod causa non est, habet similem modum (in esse principii) privationis, ut sit conditio solùm: quod inprimis evidens est in exemplo posito de Patre in Trinitate.

103. *Principium non causans est duorum genera.* Atque inde relinquitur: simpliciter meliores esse hos terminos, *Causale & non-Causale.* Nam quia illi sunt contradictorii, ut que prorsus sunt immediati.

Unde porrò dici posset: Principium non Causale, posse quid esse bifariam. Nempe potest aliquid principium esse, nec tamen causa ob *imperfectionem*, quod scilicet non tantùm faciat, quantum causa quale quid est in privatione. *Aliter* quid potest esse principium, non tamen Causa, *ob perfectionem*, quòd scilicet omnem Causandi rationem in ratione, secundùm quam est principium, superet & transcendat: Et sic in divinis, Pater est principium non causale, Filii. Atque inde causale principium esse, est nomen perfectionis mediæ, quâ scilicet possit & esse perfectio major & minor.

104. Cæterùm divisio ista ex vi terminorum (qui contradictorii sunt) non incommodè potest extendi ad quodvis principii genus, potissimum tamen intenditur in ea dividi principium essendi.

105. *Principium est latius causa.* Porrò ex ista divisione relinquitur 1. Principium latiùs patere quàm causam. Nam in ea principium ad causam comparatur per modum generis. Et exempla prius proposita *num.* 101. idem convincunt. Solet autem hac de re latè disputari, sed hanc disputationem persecutus sum alibi. *Vide* in Topic. *c. 2 n. 64 seqq.*

106. 2. Relinquitur ex eadem divisione, omnem causam esse principium, quod Arist. diserte dicit, *l. 5. Met. c. 1.* & patet. Nam per priora, causa est velut species principii. Omnis autem species participat naturam generis. Sunt autem causæ, principia, respectu effectorum. Nam & causæ priores sunt effectis: Et effecta ex causis consequuntur, in quibus duobus absolvitur ratio principii, ut suprà declaratum est.

107. Atque hinc 3. relinquitur: cùm Ens dividitur per causam & causatum, non esse istam singularem divisionem Entis, sed solùm esse speciales gradus principii & principiati. Indéque sequitur sequentis capitis cohærentia ad præsens caput.

ARTICULUS III.

De principiorum divisione in externa & interna.

108. III. DIstinguuntur principia ab Arist. *l 5. Met. c. 1.* in interna & externa. Ἀρχῶν αἱ μὲν ἐντὸς χωρὶς, αἱ δὲ ἐκτός. Divisionem autem istam, in applicatione

plicatione ad causas, (quarum aliæ dicuntur internæ, aliæ externæ, ex hac divisione) tractavi *in comment. Topic. c. 2. n. 14.* Extque aliquid de eadem *seq. cap. tit. 3. n. 2.* Ex quibus ampliatis tota hæc divisio generalius concepta intelligi potest.

Satis sit, generaliter, illa principia vocari *interna*, quæ sunt intrinseca principiato, seu quæ pertinent ad essentiam principiati. Illa autem dicuntur *externa* principia, quæ essentiam principiati intrinsecè non constituunt, sive ejus essentialem constitutionem non ingrediuntur.

CAPUT. XXII.

De Causa & Causato.

1. POstquam fuit de principio & principiato, agendum est nunc de causa & causato. Hæc enim sunt specialia nomina principii & principiati.

2. *Causa* est principium, unde (vel à cujus influxu) pendet aliud,

3. *Causarum* quatuor sunt: *efficiens, materia, forma & finis.*

De efficiente causa.

4. *Efficiens* est causa, à qua res est.

5. Distinguitur variè. I. *Efficiens est procreans vel conservans.*

6. Procreans est quæ rem primo efficit educendo eam à non esse ad esse.

7. Conservans est, à qua res porrò est.

8. II. *Efficiens vel est solitaria vel socia.*

9. Solitaria est, quæ sine concursu alterius efficit.

10. Socia est quæ cum concursu alterius efficit.

11. Socia causa dicitur esse *vel coordinata*, quando est ejusdem ordinis cum concausa: vel *subordinata*, quando est ordinis diversi. Ista tamen potiùs intelligitur causa socia.

12. III. *Causa efficiens est principalis vel instrumentalis.*

13. Principalis causa est quæ instrumento utitur.

14. Instrumentalis causa est, quæ deservit agenti principali, & ab eo ad effectum, istius virtute superiorem elevatur.

15. IV. *Causa efficiens est per se, vel per accidens.*

16. Per se est, quæ sua facultate, hoc est, natura vel consultò aliquid efficit.

17. Indéque est naturalis vel voluntaria.

18. Per accidens est quæ aliena facultate efficit, hoc est, præter naturæ propensionem vel animi propositum. Ibi dicitur *casus*, hîc *fortuna*.

19. V. *Causa efficiens est univoca vel æquivoca.*

20. Univoca est, quæ producit effectum sibi similem in specie. Ut cùm homo gignit hominem.

21. Æquivoca est, quæ producit effectum dissimilem in specie. Ve cùm homo facit scamnum.

22. VI. *Causa efficiens est per emanationem vel per transmutationem.*

23. Per emanationem agit causa, à qua est effectus per resultantiam, non interveniente accidente alio. Per transmutationem agit, quæ agit mediante accidente.

24. VII. *Causa efficiens est universalis vel particularis.*

25. Efficiens universale est, quod in plures effectus indifferenter influit.

26. Particulare est, quod determinatè attingit certam speciem.

27. VIII. *Efficiens est prima vel secunda.*

28. Prima est, quæ habet virtutem independentem: secunda est, quæ habet virtutem agendi dependentem à prima.

29. IX. *Causa efficiens est vel externa vel interna.*

30. Interna est, quæ in se recipit effectum à se productum. Externa est, quæ effectum ponit extra se.

31. *Efficiens est physica vel moralis.*

32. Physica est, quæ per proprium & realem influxum producit effectum. Moralis est, quæ citra influxum, ita se gerit, vel ei imputetur effectus.

33. Et hactenus fuit de causa efficiente, sequitur de materia.

DE MATERIA.

34. *Materia* est causa ex qua res est.

35. Ea etiam variè distinguitur. I. *Materia est remota vel proxima.*

36. Materia proxima est, ex qua res est proximè. Remota est, ex qua res est mediante alia propinquiori.

37. II. *Materia est immanens vel transiens.*

38. Materia immanens est, ex qua non mutata res componitur.

39. Materia transiens est ex qua transmutata res efficitur.

40. III. *Materia est sensilis vel intelligibilis.*

41. Sensilis est, quæ subest qualitatibus sensibilibus. Intelligibilis quæ secus est.

42. IV. *Materia est prima vel secunda.* Ista caret omni formâ, cum universali appetitu ad omnes habendas. Hæc autem est, quæ de facto aliquam formam habet.

43. Et sic etiam de materia; sequitur de forma.

DE FORMA.

44. *Forma* est causa, per quam res est id, quod est

45. Dic

45. Dividitur & ipsa variè. I. *Forma est substantialis vel accidentalis.* Substantialis est, quæ dat esse substantiale. Accidentalis est, quæ dat esse accidentale.

46. II. *Est generica vel specifica vel numerica.* Generica est quæ speciei dat esse genericum. Specifica quæ dat esse specificum. Numerica quæ dat esse singulare.

47. III. *Forma est totalis vel partialis.*

48. Forma totalis est quæ adæquata est essentiæ totius compositi: partialis est, quæ est forma partis in aliquo composito.

49. IV. *Forma est materialis vel immaterialis.*

50. Forma materialis est: quæ est dependens à materia: immaterialis, quæ secus est.

51. Postquam fuit de forma, de Fine nunc sequitur.

DE FINE.

52. *Finis* est causa propter quam, vel cujus gratia res est.

53. Dividitur varie. I. *Finis est proximus vel remotus.* Proximus est qui ordinatur ad alium. Remotus est, qui terminat alium, seu ad quem ordinatur finis alius. Unde hoc respectu illi dicuntur subordinati.

54. II. *Finis est cujus vel cui.*

55. Finis *cujus* est, cujus adipiscendi gratia agens agit. Finis *cui* est, in cujus gratiam agens agit, seu cui finis cujus acquiritur.

56. III. *Finis est objectivus vel formalis.*

57. Finis objectivus est res illa, seu objectum ad quod tendit agens. Sic finis noster est Deus. Dicitur hic finis alio nomine *Finis qui.*

58. Finis formalis, est modus, per quem agens unitur objecto possidendo. Sic finis noster est visio Dei. Dicitur hic finis alio nomine *Finis quo.*

59. IV. *Finis est indigentiæ vel assimilationis.*

60. Finis indigentiæ est, qui indiget mediis ad ipsum pertinentibus: talis finis est homo respectu rerum naturalium. Finis assimilationis est, quo indigent media illi deservientia. Hoc modo Deus est finis omnium rerum.

61. V. *Finis est principalis vel minus principalis.*

62. Principalis est, qui principaliter ab agente intenditur. Minus principalis, qui minus principaliter.

63. VI. *Finis est per se vel per accidens.*

64. Finis per se est, qui ab agente intenditur secundùm naturam & constitutionem cujusque rei. Per accidens est, qui aliundè assumitur. Dicuntur etiam hi fines interni vel externi.

65. VII. *Finis est adæquatus vel inadæquatus.* Adæquatus est, qui nec excedit finitum, nec ab eo exceditur, seu qui nec est communis, nec

partialis.

partialis. Inadæquatus est, qui finitum excedit, vel ab eo exceditur, veluti qui non est proprius & totalis.

66. VIII. *Finis est finis actionis vel rei factæ.*

67. Finis actionis est res facienda. Finis rei factæ est ejus operatio.

68. Deniq; *alius finis est per motum, alius est citra motum.* Illo modo res genita est finis gignentis. Hoc modo Deus est aliorum finis.

DE EFFECTO.

69. Ex istis causis quod exurgit est *effectum* vel *causatum.*

70. Causatum ergo est principiatum, quod ex influxu causarum pendet.

COMMENTARIUS.

1. CUm Topica ederem commentaria, non erat animus Metaphysicam scribere. Proinde tum ibi prolixiusculè & μεταφυσικωτέρως de causis egi. Et quanquam volucrim nunc nihil hic de ea re dicere: tamen ne manca fit præsens tractatio in hoc capite, compendiosè & quasi per Epitomen attingo, quæ ibi tractavi: *in Comment. Topic. capp.* 2.3.4.5.6.7. Additis tamen hinc inde iis, quæ ad institutum Metaphysicum pertinent.

2. *Proponuntur dicenda.* Dicendum autem est *principio* de causis in communi: *deinde* de singulis in specie, & tandem de effecto, *juxta* occasionem hanc ad rem in Theorematibus data. Istisque omnibus præmittendum est. Cujus disciplinæ sit agere de causis, & quo in loco Metaphysicus de causis tractare debeat.

TITULUS I.

DE QUÆSTIONIBUS PROOEMIALIBUS.

3. QUæstionum istarum proœmialium duæ sunt, quas modo recensui.

QUÆSTIO I.

Cujus disciplinæ sit agere de causis?

4. *Causarum tractatio est duplex.* SUpposito, quòd diversæ disciplinæ possint de eadem re agere, modò diversus considerandi modus subsit, dicendum est: Tractationem causatum esse duplicem, aliam esse generalem, aliam specialem. *Specialem* illam dico, quâ agitur de hujus vel illius rei causa, veluti de causis virtutum & vitiorum, de causis morborum, de forma hominis, elementorum, de materia metallorum & similibus. *Generalem* tractationem eam dico, quâ in actu signato differitur de causis, veluti, ut in communi consideretur, quid causa sit, & quotuplex sit, & sic deinceps.

5. Rursus generalis illa causarum tractatio potest esse Theorica vel Practica. *Practica* causarum tractatio est, quâ causæ cognoscuntur, ut ex ipsis doceamur facere syllogismum, sive sumere medium terminum. *Theorica* causarum consideratio est, quâ ipsæ cognoscuntur quidditativè, & præcisò respectu ad operationem istam syllogisticam aliamve.

6. *Decisio quæstionis.* Ex his igitur dico: *Specialis causarum tractatio, pertinet pro diversitate materiarum ad varias disciplinas.* Ethici est agere de causis virtutum; Medici de causis morborum; Physici de causis rerum naturalium, ut de Physica disertè Arist docet *l.2. Phys. c.7. t.70.*

Deinde,

Deinde *Generalis causarum cognitio, ea quæ practica erat, ad Logicam pertinet.* 7.
Dirigitur enim ista cognitio ad bene differendum, vel utendum rationes. At is est finis Logicæ. Quæ autem sub fine alicujus continentur (is enim est mensura in habitibus practicis) ea sunt in arte homogenea.

Deinde *Generalis causarum tractatio; ea quæ theorica erat, ad Metaphysicam pertinet.* Et patet. Ratio causæ ut sic, est aliquid scibile. At nulla particularis scientia sic de ea potest agere. Nam singulis singularum scientiarum subjectis amplior est ista consideratio. Pertinet igitur ad universalem scientiam, hoc est, Metaphysicam. 8.

Dices: Posse quidem Metaphysicam de causis agere in communi, & in specie, posse etiam eam agere de efficiente & fine. Non tamen id posse esse de materia & forma. Hæ enim non sunt nisi propriæ corporis. Non igitur abstrahunt à materia secundùm rem & rationem. At quæ non sunt sub Abstractione Metaphysica, ad Metaphysicam pertinere non possunt. 9. *An Metaphysica possit agere de materia & forma?*

Responderi solet ad hoc argumentum bifariam: *Primo:* quòd Metaphysica agat de materia & forma, solum quoad quid nominis, per *περίφρασιν* autem sive descriptionem solùm, seu per modum commentarii, agere de istis plenè & scientificè. Per *περίφρασιν* inquam illam, ut Metaphysicus declarare inde possit naturam actus & potentiæ passivæ, item rationem subsistentiæ incorporeæ, quæ per remotionem materiæ & formæ definiri solent: Vel etiam ut compleat summa genera causandi & influendi, quomodo, ut compleat summa genera essendi, solet Metaphysica digredi ad prædicamenta aliqua, quæ excedunt abstractionem Metaphysicam. Et sic opinantur Complutenses *in Phys. c. 2. q. 1. a. 5.* Porro abstractio Metaphysica debet solùm ea continere, quæ ex instituto & per se ad eam disciplinam pertinent, ut facilè detur. Procedit que hæc responsio, si tractatio de materia & forma intelligatur, de istis ut rigorosè & per excellentiam intelligantur. Sic enim supponunt de materia & forma physicis. 10. *Responsio.*

Secundo etiam responderi potest: Metaphysicam ex instituto posse agere de materia & forma, supposito, quòd materia & forma latiùs possint sumi quàm isti termini sumuntur, cum rebus corporeis tribuuntur, veluti est, cum Trianguli v. g. materiam dicimus esse tres lineas, parallelogrammi, quatuor lineas parallelas. Atque secundum hunc modum loquendi, materia & forma ex se abstrahunt à materia & forma Physicis. Et proinde sunt indifferentia ad res materiales, (hoc est, materia Physica constantes) & res immateriales (hoc est, materia Physica carentes.) Ea autem quæ sunt indifferentia ad res materiales & immateriales, eo modo intellectas, sub abstractione Metaphysica, & proinde sub ipsa Metaphysica continentur. 11.

QUÆSTIO II.

ubi & quomodo in Metaphysica agi debeat de Causis?

SUpposito, quòd Metaphysica agere debeat de Causis, inquirendum est, quomodo & ubi id fieri debeat. Ubi, loquendo de modo considerandi, ex dictis patet, tractari eas ibi generaliter & theoricè. Sed id nunc non inquiro. 12.

Igitur agunt aliqui de causis, in Metaphysicis, per ordinem ad subjectum Metaphysicæ, ut scilicet illius tradent causas. Ita fecit Clariss. Lippius, *in Compend. Metaph.* Et Suarez etiam *disp. 12. Metaph. in Proœm.* inter alia ait: Metaphysicam agere de causis, quia ad scientiam pertineat considerare causas sui subjecti. Sed hic processus non est bonus. Nam si de causis in Metaphysicis ageretur ut causis subjecti Metaphysici, tum subjectum illud revera non esset aliud quàm ens causatum, & per veram efficientiam productum, aut etiam solum res naturalis sive corporea. Nam causæ illæ non sunt nisi causati causæ, & in specie materia non 13. *Aliorum Sententia.* 14. *Refutatur.*

est nisi rei materialis materia. Absurdum autem est, subjectum Metaphysicæ dicere solùm Ens materiale, vel communius etiam Ens causatum, quia sic revera non esset universalissima scientia, quia ultra Ens materiale & causatum, est cognoscibile ipsum Ens prout præscindit à materiali & immateriali, à causato & incausato. Ista igitur disciplina (quæ tamen nondum data est, ad indicandum, quod ista tractatio ad Metaphysicam revocanda sit) sine dubio est universaliot Metaphysicâ, si quæ in tanta abstractione & generalitate de ente ageret. Et confirmatur, quod nec sic affectiones, quas Metaphysica suo subjecto attribuit, isti subjecto adæquarentur. Nam unum, verum, bonum, &c. Latiùs patent quàm Ens materiale, aut etiam Ens causatum. Et iteruin confirmatur, quòd Ens conjunctim dividitur in causam & causatum. Non igitur magis causa intelligitur sibi ut Principium subjecti, ac ut subjectum dicatur causa causati. Nam causa & causatum prout Metaphysicus de iis agit, æquè respiciunt subjectum Metaphysicæ.

15. *Dices:* Quænam igitur principia sunt in Metaphysicis? *Respondeo:* Principium ad scientiam & demonstrationem requisitum, non est necessariò de genere causarum, ut alib. disputo, omne igitur id quod modo intelligendi nostro apprehenditur, ut prius alio, potest esse principium, ex quo probetur aliud, etiamsi vera causa non sit. Accedunt & dignitates sive principia cognoscendi. Metaphysicus igitur ex principiis demonstrat, quando demonstrat per essentiam, per aliud prius attributum, vel per complexa principia.

16. Dimissâ igitur priori sententiâ, dico, in Metaphysicis agi de causis & causato, ut de respectivis attributis, sive affectionibus Entis, quod clariùs est, si sic loquamur: Enti accidit vel respectus causæ, vel respectus causati. Proinde sic intelligenda est illa divisio, ac si quis diceret: Hominum alius est pater, alius est filius: vel hominum alius est Magistratus, alius subditus, quæ omnes divisiones sunt per accidentia: sicut igitur relatio paternitatis & filiationis sunt accidentia hominis, ita etiam relatio causæ & causati sunt accidentia Entis, sic tamen, ut ipsum Ens connotent, per modum concretorum, sicut id etiam est in voce Patris & Filii. Istæ enim voces non significant nudè accidentia, sed significant accidentia, connotatâ substantiâ & subjecto.

TITVLVS II.

De voce & quidditate, atque adò de definitione causæ.

17. IN omni materia, prima cura debet esse de nomine. Principiò igitur nobis vox causæ explicanda, postea ejus definitio extruenda est.

ARTICULUS I.

De nomine causæ.

18. IN explicatione nominis cujusque, tria veniunt explicanda, nempe, æquipollentia, Notatio & nominis distinctio. Et æquipollentia quidem hic non sunt, nisi quod pro causa quandoque per μετωνυμίαν solemus dicere *principium causale.*

19. *Unde dicitur causa?* Dicitur autem causa, vel quasi *cauta*, vel quasi *caviſſa*, ut Bertmannus tradit *de orig. ling. Lat.*

20. *Recensentur ambiguæ significationes causæ.* Denique significationes ejus variæ sunt. I. apud Rhetores, cùm causarum genera enumerant, causa eadem est quod thema. II. Aliquando causa strictè sumitur, pro solo efficiente. Efficiens enim per excellentiam causa est. Sic dicitur *qualis causa talis effectus.* Hic *causa* sumitur pro efficiente. III. Sumitur pro eo, quod rationem principii habet, ut maximè non influat, causaliter. Ita Arist. *l. 12. Metaph.*

Metaph.c.2. privationem causam vocat. Et juxta hunc modum aiunt, in Trinitate patrem esse filii causam. Damasc. *lib.1.de Orthod. fid.c.8.9.11.13.*. Athanas. *in actis Nicenæ Synodi*, & Nazianz. *in Orat.29.& 35.* Imò sic etiam essentia divina dicitur esse causa, cur Deus sit sapiens, apud Augusti. *lib.7.de Trinit.c.1. Vide* Fonsec. *l.5. Metaph.c.2.q.7.s.2.* Denique sumitur causa pro eo omni & solo, quod verum influxum causalem præbet, in qua significatione dividit in efficientem materiam & formam & finem. Et in præsenti quidem sumitur juxta hanc posteriorem significationem.

ARTICULUS II.
De natura & definitione causæ.

AD constituendam definitionem causæ duo sunt prænotanda. *Primum* est, ut in ejus definitione fiat mentio dependentiæ. Ita patet, quia de ratione effecti est, ut sit *ab alio* rigorosè loquendo. Illud autem, *ab alio* esse, dependentiam significat. Et confirmatur, quia per dependentiam restringitur principium ad causam, sive causale principium. Nempe principium dicitur id omne, ad quod aliud qualemcunque consecutionem habet. Hæc igitur communis principii ratio restringitur ad causam, ut scilicet aliquod principium causa sit, si ista consecutio sit cum dependentia. Atque ex hoc capite sequitur, Patrem in SS. Trinitate, etsi gignat filium, non tamen debere vel posse dici causam filii, nisi juxta eam vocis amplitudinem, quam præcedente articulo attigi. Vid. ea de re Lychet. *in Scot.l.1.sent. dist 2.q.6.in fine*, & Suaretz *disp.12.Met.s.2.n.6.* 21. *Causatum omne debet esse aliquid dependens.*

Deinde observandum est, quod in definitione causæ non debeant apponi determinatæ rationes causandi. Aliàs enim definitio fieret inadæquata, & excederet definitum. Et ex hoc capite non est bona definitio Pereri illa, quam habet *l.b. 8. Phys.cap.1.* ubi causa, *inquit*, est, quæ in suo genere *per se & principaliter* concurrit ad constituendum effectum. Similis est apud Suaretz *disp.12. Met.s.2.nu.4.* Et patet. Nam causare per se & principaliter sunt speciales modi causandi, unde communis ratio causandi præscindit ab istis. 22.

Atque ex hoc etiam capite patet, quod ad definiendam causam in communi, non deberent assumi vocabula actionem significantia, veluti sunt producere, influere, vel constituere. Nam agendo causæ, ad solam efficientem pertinet, cujus causalitas est actio. Nihilominus quia non habemus ferè vocabula, quibus in hac re loquamur, nisi quæ ex prædicamento actionis sumuntur, proinde cum ὑπογραφῇ & moderatione intelligenda sunt, per ampliationem quandam, rei huic congruentem, si talia vocabula occurrant. Congruenter igitur istis, optima erit definitio hæc; causa est principium, unde (vel è cujus influxu) pendet aliud, ubi principium habet rationem generis. Pendentia autem restringit principium ad hoc speciale genus principiorum. Aliorum definitiones mitto.

TITULUS III.
DE DIVISIONIBUS CAUSARUM.

DIvisiones causæ potissimum duæ sunt. *Primò* quod causæ dividuntur in quatuor genera. Nempe efficientem, materiam, formam, & finem. *Deinde* quod ex his aliæ dicuntur internæ, ut materia & forma, aliæ externæ, ut efficiens & finis. De istis igitur nunc separatim videndum est. 23.

ARTICULUS I.
De divisione causæ in efficientem, materiam, formam & finem.

AD hanc distinctionem causarum multa disputantur, quæ ordine videnda sunt. 24.

QUÆSTIO I.

An una tantùm sit causa, nempe efficiens?

PRima assumavit Seneca *lib.* 8. *Epist.* 66. In una, inquit, causa efficiente sistendum est, reliqua verò sunt veluti adjumenta hujus causæ, aut conditiones necessariæ. Solétque ista sententia in communi attribui Stoicis.

25. Hac in re, etsi id admitti possit: quod efficiens sit per excellentiam & κατ' ἐξοχὴν πρωτοτύπως causa, quia ei maximè perspicuè convenit, influere in effectus productionem, absolutè tamen & præcisè, efficiens sola non est causa. Nam singulæ cæteræ influunt in effectum, ut ex instituto patebit in sequentibus. Influxus autem esse indicat causalitatem. Causalitatem autem quod habet, id utiquè causa est.

26. *Objectio Senecæ.* Sed *Objicit* Seneca dicto loco: si omnia in numero causarum ponenda sunt, sine quibus effectus fieri non potest, tum plures sunt numerandæ, quam quatuor, nimirum addendum est tempus, locus, motus, sine quibus nullus fit effectus.

27 *Responsio.* *Respondeo* esse ignorationem elenchi in argumento, vel elenchum non causæ ut causæ. Cur enim materia & forma & finis dicantur causæ, non est inde, quia sine iis effectus fieri non possit (sic enim utique plures causæ quàm quatuor essent) sed adæquata illius ratio sumitur inde, quod ad productionem effecti ipsa influxum suum præbent, quod non est in aliis, quæ à Seneca recensentur. Speciales objectiones contra hanc rem, specialiter attingam, ubi ad particularia causarum genera descensum erit. Deinceps igitur solùm de istis disputo, quæ numerum causarum augere videbuntur.

QUÆSTIO II.

An instrumentalis causa augeat numerum causarum?

28. *Aliorum de Instrumento opiniones.* PLato existimavit, & Galenus, qui instrumentum peculiare genus causæ fecerunt, distinctum à cæteris, ut Scalig. refert *Exerc.* 297. *s.* 3. à qua sententia adeò ibi Scaliger recedit, ut neget prorsus instrumentum esse principium, quia ipsum non moveat, sed moveatur. Vnde à fortiori sequitur instrumentum non esse causam. Sed neutra proba est sententia.

29. *Instrumentum esse principium.* Nam 1. quod *instrumentum omnino sit principium & causa*, ut specialiùs loquar, inde patet, quia quotiescunque agens principale utitur instrumento, effectus illius agentis dicitur etiam esse ab instrumento. At illud *esse ab*, ex parte effectus, dependentiam, & proinde ex parte alterius, influxum significat. Antecedens patet. Nam sectio dicitur esse à cultro; qui convertitur vel docetur in via salutis, dicitur converti & doceri à Sacerdote, & sic in aliis.

30. Ratio autem Scaligeri contra hoc inefficax est. Nam non pugnat contra rationem causæ, aliunde moveri. Sed solùm, quod prima causa est, excludit illam superioris motionem. Vnde causa, juxta communem suum conceptum, præscindit ab hoc, quod est moveri ab alio, vel agere independenter, hoc est, extra motionem factam ab alio.

31 *Instrumentum non esse qualemcunque causam.* Supposito igitur, quòd instrumentum causa sit, dico 2. *Instrumentum non facere quamcunque causam.* Quod ut rectè tenetur, præmonendum est, quòd divisio causarum in efficientem, materiam, formam & finem, non sit tanquam in species infimas, sed tanquam in species subalternas. Ita sub istis intelligi possunt speciales quædam causæ, ad quas, per subdivisionem istorum summorum generum, deveniatur. Veluti apparet de casu & fortuna. Istis vocabulis causæ significantur, sed sub efficiente sunt, inquam, causæ efficientes. Atque ad hunc modum dico etiam instrumentum contineri sub aliqua causarum. Et patet, quia divisio illa in quatuor causas, sumitur secundum varietatem influxus, quem causa præbet ad pro-

ad producendum effectum. At instrumentum non habet influxum diversum ab istis causis, ut statim adparebit specialius.

Dices: Sub qua igitur causa continetur instrumentum? *Respondeo*: ea in re variare Philosophos. Philoponus *l. 1. Phys. text. 27.* retulit instrumentum ad materiam, Peterius *l. 8. Phys. c. 1.* aliud instrumentum ad materiam, aliud ad efficientem reduxit. Plerique revocant omne instrumentum ad efficientem causam & merito. Nam instrumentum influit in effectum per operationem. Operatio autem est causalitas efficientis. 32. *Sub qua causa continetur instrumentum?*

Atque hæc ratio etiam confirmat, quod instrumentum nullum possit esse materia. Si enim operetur, jam effectivum est, ut dictum est. Si autem non operetur, ne quidem instrumentum est. Et confirmatur, quia instrumentum attingit effectum solùm per extrinsecum influxum. Intrinsecè enim nulla res instrumentata componitur ex instrumento. At de ratione materiæ est, rem ab intrinseco componere. 33. *Nullum instrumentum esse materiam.*

Objici solet: Efficiens esse *primum* principium motus apud Arist. *l. 2. Phys. t. 29.* Instrumentum autem non est primum principium. 34. *Objectio.*

Respondeo ad antecedens: dici primum principium motus, est solùm nomen efficientis, non autem ejus definitio. Frequens enim est Aristoteli per *πείρασιν* aliquam exprimere simplices terminos, atque sic pro efficiente dicit Aristoteles: ὁ ϑεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, & sic in aliis. Nomina autem non sunt necessariò adæquata suis significatis, sed frequentissimæ sunt in nominibus Synecdochæ. Et confirmatur, quia secus causa conservans, causa minus principalis & adjuvans, non essent causæ efficientes. Dicitur igitur efficiens *primum principium* motus, non quasi in particulari quodlibet efficiens primum influxum habeat, sed Synecdochicè, quod aliqua sub genere efficientis, habeant primum influxum, præsertim quando est collatio ad causas alias. Sic enim primus influxus est ab efficiente, non autem à materia vel aliis. Alias responsiones vide apud Colleg. Conimbr. *l. 2. Phys. cap. 7. q. 2. a. 3.* Arriaga *in Epitom. Metaph. p. 66. & alios.*

QVÆSTIO III.

An idea sive exemplar sit peculiaris causa?

PEr exemplar nunc intelligimus formam mentis, per quam & secundùm quam agens per intellectum agit, & illud imitatur atque exprimit, ut ferè definit Augustinus *l. 1. 2. de Civ. Dei. c. 25.* 35. *Exemplar quid? Non est peculiaris causa.*

Igitur Platonici hoc exemplar apponunt causis, sed malè, quia non potest ei tribui specie distinctus influxus, ab influxibus aliarum causarum. Ac juxta hanc diversitatem numerantur genera causarum. Ita patet. Nam exemplar nihil aliud facit, quàm ut dirigat & actuet vel compleat intellectum practicum, omnino sicut naturales potentiæ complent formas, in ordine ad actus suos. Hoc autem officium commodissimè intelligitur sub efficiente, si quidem aliquam causalitatem importat. Videri enim potest exemplar solum esse in agente intellectuali, conditionem vel dispositionem illi ad agendum necessariam, citra proprium influxum, quem exhibeat ad effectum, sicut Zabarella *lib. de Facultat. Animæ cap. 4.* disputat, nec potentias naturales esse causas actionum: sed solùm esse conditiones vel dispositiones agentis. Quo posito, exemplar non ad causas pertinet, sed ad locum antecedentium, vel est principium, prout principium præscindit à causali & non causali. Quamquam utrumque mihi æquè probabile est, seu exemplar dicamus causam contentam sub genere efficientis, seu conditionem agentis.

Deinde dico: Exemplar nullo modo posse referri ad causas cæteras, hoc est, nec est materia, nec forma, nec finis. De prioribus patet, qua de ratione istarum causarum est, causatum intrinsecè constituere. Exemplar autem non ingre- 36. *Exemplar non potest*

continerí nisi sub efficiente.

ditur causatum, veluti exemplar domus, domum materialem. Sed solùm est in intellectu agentis. Et confirmatur specialiter, quod non possit esse nec materia nec forma. De materia quidem, quia Exemplar ad causalitatem materialem ne similitudinem quidem habet vel proportionem ullam. Neque enim Exemplar significat quid potentiale, sed potius indicat aliquid actuale: neque concurrit aliquo modo recipiendo, sed potius suo modo actuando & determinando. *Confer* Suarez. *disp. 25. Metaphys. sect. 2. num. 2.* Nec etiam potest Exemplar esse causa formalis rei exemplatæ, quia officium formæ est, ultimò speciem constituere, quod non facit Exemplar. De causa finali etiam idem patet. Quia de ratione exemplaris est determinare actionem agentis. Finis autem primò motione Metaphorica excitat actionem agentis. Quæ officia valde differunt.

37. *Obiectio.*

Objici solet, quod exemplar sit materia, quia Arist. *l. 7. Metaph. c. 7. s. 23.* utatur in eo exprimendo particulâ *Ex.* συμβαίνει τρίτον τι ἐξ ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας ἔχειν ὕλην ἐξ οἰκίας δὲ οἰκίαν ἄνευ ὕλης γενέσθαι, hoc est, *contingit sanitatem ex sanitate, & domum materialem ex immateriali fieri.*

Respondeo: Argumentum procedere à particulari. *Ex* non semper denotat materiam, sed aliquando etiam efficientem, ut disertè Arist. docet *l. 5. Metaph. c. 24. & lib. 1. de gener. animal. cap. 18.* Sic enim loquitur *l. 5. Metaph. cap. 1.* τὸ τέκνον ἐκ τῶν πατέρος καὶ τῆς μητρὸς καὶ ἡ μάχη ἐκ τῆς λοιδορίας. *Filius est ex Patre & Matre, & pugna ex convitio:* ubi tamen Pater & Mater Filii, & convicium pugnæ efficiés sint.

38. *Exemplar an sit forma?*

Conimbricenses *l. 2 Phys. c. 7. q. 4.* exemplar formam esse dicunt, qui & *lib. de Interp. c. 1. q. 4. a. 1. p. 51.* Exemplar & efficiens opponunt. Rationes illorum sunt duæ. *Primo*, Exemplar eatenus causare dicitur, quatenus passum imitatione certam formam indit rei factæ per artem. Id autem est munus causæ formalis. *Deinde* Patres frequentissimè ideam vocant formam. Allegant Dionys. *cap. 5. de Divin. nom.* Augustin. *l. 83. qq.* Boët. *l. 1. de Trin. & alios.*

39.

Respondeo ad *primum*: Indere formam, non est influxus formalis, sed effectivus. Ex hoc ergo exemplar non erit forma sed efficiens. Ad *alterum*; Dico exemplaria dici formas, non quia sunt formæ essentiales (hæ enim solùm veniunt nomine formalis causæ) sed duobus modis aliis. 1. Quia sunt formæ mentis, ad eum modum, quo & alia accidentia sunt formæ suorum subjectorum. 2. Quia sunt imagines & figuræ exemplatorum. Figuram enim rei, frequenter formam vocare solemus.

QUÆSTIO IV.

An causa sine qua non, sit peculiaris causa?

40.

Respondeo, Causam sine qua non esse æquivocè causam. Proinde ea non pertinet ad numerum causarum, sicut nec privatio, quæ eodem modo æquivocè causa est. Antecedens patet. Nam ea causa dicitur, nec tamen habet causalitatem. Causam enim sine qua non, vocamus, quæ etsi nihil causet, tamen sine ea effectus fieri non potest. Dimissio valuarum non illuminat conclave; & tamen illuminari conclave non potest, nisi dimissis valuis. Dimissio igitur illa est Causa sine qua non ad illuminationem. Remotio puruleniæ ex vulnere, non est sanatio. Si tamen ea non fiat, sanatio non obtinget. Ergo est illius causa sine qua non. Rectiùs dicitur conditio sine qua non.

QUÆSTIO V.

Ubi probatur quatuor esse causas, non plures, non pauciores.

41 *Numerus*

PRobationes ad hanc rem variæ afferri solent. Quot sunt causæ in rebus naturalibus, tot absolutè sunt causæ. Confirmatur non solùm ex modo intelligendi

gendi nostro, in quo semper ordimur à materialibus, sed etiam ex natura illarum rerum. Sunt enim illæ compositissimæ. Unde sine dubio à plurimis pendent. Clarè autem apparet, quatuor esse, quæ earum respectu exerceant veram causalitatem. Quatuor igitur causæ erunt. Assumptum probo. Nam inprimis nulla res naturalis potest generare seipsam. Dependet ergo ab aliquo producente, & hoc est efficiens. Jam efficiens non agit, nisi moveatur à fine. Finis enim movet efficientem. Et hoc ipso causalitatem exercet, quæ diversi generis est ab omnibus aliis causis. Est enim sola ista motio Metaphorica, in quo differt ab efficiente. Et est causalitas extrinseca, in quo differt à materia & forma. Hactenus igitur duarum causarum necessitas ostensa fuit. *causarum è rebus naturalibus probatur.*

Jam præterea corpora intrinsecè & essentialiter pendent à materia & forma à quibus componuntur. Ergo hoc ipso illa exercent causalitatem circa corpora. Ergo & ista entia causæ sunt, ergo sic sunt quatuor causæ. Nec apparet quidnam, porrò vel respectu corporum vel respectu aliorum Entium causalitatem exerceat, nec tamen sit aliquid istorum. Alia argumenta mitto, quæ alibi proposui. Videre etiam potest Simplic. *l.2. Phys.c.3.l.68.* Avic. *l.3. Met.c.3.* Peter. *l.8.d. Phil.c.1.* Coll. Conimbr. *lib.2. Phys.c.7.q.2.a.1.*

Objectiones vel confirmant alias esse causas, quæ in prioribus solutæ sunt, vel derogant causalitatem istis, quas nunc posuimus, causis, & proinde in seqq. pertingentur.

ARTICULUS. II.

De divisione causæ in internas & externas.

HAnc causarum divisionem tradit Aristoteles, *lib.5. Met.c.1.* Ἀρχῶν αἱ μὲν ἐντὸς ὑπάρχουσι, αἱ δὲ ἐκτός, hoc est, *principiorum alia quidem intrinseca sunt, alia verò extra.* Per causas autem *internas* intelliguntur speciatim materia & forma: per causas *externas*, intelliguntur efficiens & finis. Unde statim sumitur illius divisionis bonitas. Materia enim & forma, à parte rei hanc habent convenientiam, quòd utraque earum pertinet ad intrinsecam rei compositionem vel constitutionem, ejúsque essentiale complementum. Unde & consequens est, quod in communi etiam ratione & titulo convenire possint, qui est hic ipse, quod utraque earum dicitur *causa interna.* 42.

Ex alia etiam parte, efficiens & finis conveniunt in eo, quod utraque ista causa quâ talis est, solùm attingit effectum in fieri, non autem in facto esse, manetque adeò extra essentialem rei constitutionem. Ergo ob istam communitatem, hæ etiam causæ dicuntur causæ externæ. 43. *Quid hic sit internum & externum?*

Atque ex his, quæ dicta sunt, facilè intelligitur, quomodo nunc sumantur voces interni & externi. Idque ut rectiùs teneatur, observandum est Externum & internum bifariam sumi. Ratione essentiæ, & ratione subjecti. *Ratione essentiæ* illud internum dicitur, quod est intra essentiam rei, hoc est, quod eam intrinsecè constituit. Externum autem ratione essentiæ dicitur, quod extra essentiam rei est, & constitutionem ejus non ingreditur. *Ratione subjecti* autem externum dicitur, quod extra subjectum aliquod est, veluti si adjaceat vel adhæreat, vel circumsteter. Internum autem ratione subjecti dicitur, quod intra subjectum aliquod subsistit.

Discrimen inter hæc hoc est, quod quæ sunt interna ratione subjecti, non sunt illicò interna ratione essentiæ. Sic adjuncta quæ inhærentia dicuntur, sunt interna subjecti ratione. Non sunt tamen interna ratione essentiæ. Doctrina est intra animam essentiam tamen animæ non constituit. *Vid.* Zab. *l.2. de med. demonst.c.9. & l.1. de propos. necess. c.10.*

His positis dico: cùm causæ dividuntur per externum & internum, quòd adæquatè id intelligatur per ordinem ad essentiam rei. Sic igitur efficiens & finis sunt 44.

causæ

causæ externæ, hoc est, essentiam rei non ingrediuntur. Unde si quando efficiens etiam alia dicatur interna, alia externa, non id ratione essentiæ intelligitur, sed subjecti, quod scilicet aliqua intra effectum subsistat, extra tamen essentialem effecti ab efficiente dependentiam, quæ προσγεγραμμένη dicitur: aliqua autem sit extra effectum hoc est loco ab eo remota, quæ ἀπεσταμμένη dicitur. Ex his tamen, utriusque generis efficiens, est revera externa, juxta sensum declaratum. Nam & causæ προσγεγραμμέναι, sunt extra essentialem effecti constitutionem: hic etiam in oppositum, si materia vel forma dicatur aliquando externa, tum vel illud additum (externum) diminuit de ratione formæ vel materiæ, ut sensus sit, quod, quæ forma externa dicitur, sit æquivocè forma, vel etiam est sensus à proposito alius, ut scilicet v.g. materia externa aliqua dicatur, quia externè apparet & in sensus incurrit. Simpliciter tamen & in universum quicquid est causa formalis & materialis, id internum est, eo sensu quo declaratum est. Nempe id est intra essentiam, vel essentiale complementum rei materiatæ & formatæ.

45. Gregor. Dounam *in Disc. comment. l. 1. c. 3 fol* 105. aliquot argumentis impugnat istam divisionem, sed ea expendi in Topicis *cap. 2. quæst. 2. Numer. marg.* 14, 16. *seqq.*

TITULUS IV.

De efficiente in genere.

46. Hic de tribus videndum est: *Primò*: An efficiens rectè præponatur causis aliis. *Deinde* constituenda est ejus definitio: Et *denique* quæ sit ejus causalitas.

ARTICULUS I.

An efficiens rectè præponatur causis aliis.

47. Negat id Timpler. *l. 3. Metaph. c. 2. q. 29.* Eúmque sequens Goclenius *part. 2. controv. Log. c. 3. q. 9.* Argumentum eorum hoc est. *quicquid* (verba sunt Timpleri *d. l.*) *ante alias omnes causas actum causandi exercet, rectè dicitur prima omnium causarum. Atqui finis ante omnes alias causas actum causandi exercet. Ergo finis rectè dicitur prima causarum.* Atque hinc illi de fine primum, secundò autem de efficiente agunt.

48. *Finis quatenus sit prima causa?* Hac in re illud facilè admittitur, quòd finis sit & possit dici *prima causa*, quia causalitatem suam exercet, ante aliam omnem causam, concluditque hoc & nihil amplius proposita objectio. Hoc autem inde non sequitur, quòd sit prima *in ordine doctrinæ:* quæ non sumitur ex qualicunque alia primitate. Veluti quod primum mobile est, nulla necessitate primum est in ordine doctrinæ, quæ sit de mobilibus.

Et cor etsi sit primum vivens inter partes corporis nostri, nulla tamen necessitate primum de eo docetur, inter partes corporis nostri. Ad eundem igitur modum etsi finis prima sit in causando, non tamen illico propterea præponi debet, cum ejus cognitio quæritur.

49. Neque etiam speciatim ex ordine causandi sumi potest illa prioritas. Nam in simili, omnium primò ex iis quæ requiruntur ad visionem, agit objectum, actuando potentiam visivam. Et tamen nulla necessitate in doctrina de visione agitur primum de objecto visibili, sed frequenter solet primum tractari de potentia visiva. Apparetque ita propositum argumentum satis lubricum & inefficax esse.

50. *Melius efficientem causam præponi.* Atque hinc simpliciter existimo: Melius esse efficientem causam præponere causis aliis, idque propterea, quia in ordine semper habenda est ratio melioris cognitionis. At fine dubio magis juvatur cognitio nostra in causarum tractatione, ordinando

rdiendo ab efficiente, quia causalitates aliarum causarum, ferè non possunt aliter exprimi, quàm per nomina actionum, quæ primò significant causalitatem efficientis, unde id saltem relinquitur, quòd nostior sit causalitas efficientis, quàm cujusvis alterius causæ. Simile est, quod de visu tractari solet prius, quàm de sensibus cæteris, quia scilicet, quæ ad sensionem pertinent, in eo evidentiora & notiora sunt, quàm in sensibus reliquis.

ARTICULUS II.

Quid sit Efficiens?

PEripatetici ex Aristotele ita solent definire efficientem: *Efficiens est primum principium motus.* Item: *Efficiens est unde est principium motus & quietis.* Sed illæ definitiones bonæ non sunt. Dantur enim aliqua efficientia, quæ primò non agunt, ut sunt causæ adjuvantes, instrumentales, item causæ secundæ in communi. 51. *Aliorum definitiones examinantur.*

Rectiùs igitur definitur generaliter *Efficiens*, quòd sit *causa à qua res est.* Ubi particula illa *A.* significat influxum effectivum, ut eam Scalig. interpretatur *lib. 3. de causis L. C. c. 29.* Est autem eadem definitio apud Ciceron. *in Topicis*, et apud Platonem, ut Plutarchus meminit, *l. 1. de Plac. Philos. c. 11.* 52. *Definitio prior.*

ARTICULUS III.

Quid sit efficientis causalitas?

Respondeo: Causalitatem causæ efficientis esse actionem. Et patet. Nam causalitas causæ cujusque, est hoc ipsum, unde unaquæque causa formaliter est actu causans et influens. At hoc ipsum est actio. Nam enim efficiens habet solùm potentiam causandi, nondum est actu causa. Ergo cùm illam potentiam exequitur, constituitur actu causans. At hoc non est nisi per actionem. Ergo actio est causalitas ejus. Et confirmatur, quod quicquid est ante actionem, id sufficiens est, ut efficientem causam, denominet actu causam. Quicquid autem est post actionem, eo omn. nonduni existente, causa efficiens adhuc relinquitur actu causans. Ergo signum est, per actionem causam efficientem constitui formaliter in esse causæ efficientis. 53. *Actionem esse efficientis causalitatem.*

Objici solet: Etiam ipsam actionem esse effectum causæ. Ergo non posse eam esse id, unde efficiens denominetur. *Respondeo:* id etiam esse in cæteris causis, ut causalitates earum, fiat primò ab ipsis, et postea sint via ad effectus alios. 54. *Objectiones.*

Deinde solet objici: Non omnium efficientium esse actionem. Ergo actionem non esse adæquatam efficientis causalitatem. Ita Timpler. *l. 3. Metaph. c. 2. q. 45. 46.* Sed antecedens simpliciter falsum est, neque ullum dari potest efficiens, quod omni actione careat 55.

TITULUS V.

DE CAUSA PROCREANTE ET conservante.

HActenus actum est de causa efficiente in genere. Deinceps igitur agendum est de ejusdem distinctionibus, inter quas primò occurrit ea, quâ efficiens dividitur in procreantem & conservantem. 56.

Est autem hîc de tribus videndum. *Primò* quid utraq; causa sit; *Tum* de earum distinctione. Ac *denique* de istius divisionis adæquatione.

ARTICULUS I.

Quid causa procreans & conservans sit?

CAusa procreans vulgò definitur, quòd sit ea, quæ rem primò efficit: sed hîc uèm primò dextrè intelligenda est. Possunt enim & causæ secundæ & minùs 57. *Procreans.*

minus principales causæ, esse causæ procreantes, & tamen non efficiunt (aliquo in sensu) *primo*, sed præsuppositâ actione causæ primæ & principalis. Proinde ad comprehendenda omnia causarum procreantium genera, primitas illa in definitione causæ procreantis, non est sumenda ex parte causarum, ut sibi significet ordinem, sic, ut quæ non agit primò sed dependenter, cum subordinatione ad aliam, ea non sit procreans: sed primitas sumenda est ex parte effecti. Igitur circa rem quæ effectum dicitur, duplex potest contingere operatio. Prior est, qua effectus extrahitur à non esse. Et ante hanc operationem nulla circa eum est operatio. Posterior est, quæ est circa rem jamdum in esse positam, quale quid est nutritio, &c. Ex his igitur causa procreans illa dicitur, quæ rem primò efficit, hoc est, quæ confert rei primum esse, sive quæ extrahit eam è non esse, sive concurrat aliàs primariò vel secundariò ad hunc effectum. Indéque suprà in theoremate ita conjunctim loquor: Procreans est quæ rem primò efficit, educendo eam à non esse ad esse.

58. *Conservans.* Atque ex his relinquitur: quod efficiens conservans sit, quæ concurrit per operationem aliquam, ad rem jamdum productam, ita quidem, ut faciat rem porro esse, quæ semel cœpit esse. Sed hîc quæritur: An id quod conservat, rectè ponatur sub genere causæ efficientis?

An causa conservans rectè dicatur efficiens?

59. JTa aio: nam conservanti tribuitur vera actio, veluti nutrici nutricatio, vel lactis præbitio. At actio est causalitas efficientis. Unde cuicunque convenit actio, id efficiens esse necesse est.

60. *Objectiones Tamp leri.* Sed objicit Tamplerus (cui & Keckerm. assentitur,) *l. 3. Metaph. c. 2. q. 47.* Conservans non esse efficiens, quia efficientis est dare esse. Conservans autem non dat esse. Deinde, quia Aristot. πανσυνὸν καὶ σωσικὸν distinguit ab invicem.

61 *Solvuntur.* Respondeo *ad primum:* Aliqua conservantia omnino dare esse. Conservare enim aliqua, per continuam aggenerationem. Sic lumen à Sole, motus à moventi, & quælibet creatura à Deo conservatur per continuam dationem esse semel inchoati.

62. *Efficiens quomodo dat esse.* Deinde, vox *esse* frequenter etiam sumitur pro continuatione τῦ esse. Quomodo omnia appetunt esse, non utique ut accipiant esse, quod non habent, sed ut porro sint & in esse conserventur. Proinde causa efficiens (generatim loquendo) dat esse: vocem *esse* accipiendo cum indifferentia, ut illud etiam dicatur dare esse, quod dat ejus continuationem.

Quod autem (quæ altera erat objectio) Aristoteles πανσυνὸν καὶ σωσικὸν opponit, id fit, specialiter sumendo vocem effectivi sive ποιητικῦ. Neque enim inusitatum est, generalia nomina quandoque adhiberi ad species significandas.

ARTICULUS II.

De distinctione causæ procreantis & conservantis.

63. *Ratio dubitandi.* VIdetur aliquibus, causam procreantem & conservantem non rectè distingui. *Tum*, quia eadem res potest esse procreans & conservans causa, sicut parentes generant & conservant liberos: *tum*, quia conservatio solet dici continuata generatio.

64. *Qualis sit divisio causæ in procreantem et conservantem?* Hac in re dicendum est: Divisionem causæ, in conservantem & procreantem, intelligi, non ut in diversas species, sed ut in diversos modos vel rationes. Unde etiam in re subsistrata sive materialiter istæ causæ discerni non debent. Satis est, si differant formaliter. Atque hoc hîc est. Nam quod significat ut procreans, id formaliter non significat causa conservans. Illa importat cum influxum, per quem rei *primum* datur esse. Hæc autem per quem datur esse πρῶτον.

Atque ita solvitur utrumque argumentum. Nam in *prima* solùm probatur, quod

quod materialiter sive in re subjecta non differant procreans & conservans, quod ex dictis admittitur. In *altero* autem quo dicitur conservationem esse continuatam generationem, adhuc relinquitur discrimen conservantis à procreante. Nam generationi additur per conservationem, continuatio vel perpetuatio. Quanquam etiam non est id verum de omni conservatione, quod sit continuata generatio: veluti, cùm quid aliquid conservat, arcendo hostes vel tollendo contraria, aut etiam influit in qualitates, quæ rei, ut persistat, necessariæ sunt. 65. *Expedientur dubia.*

ARTICULUS III.

De adæquatione divisionis causæ in procreantem & conservantem.

ADæquatio requirit reciprocam exæquationem. Unde in præsenti de duobus disputandum est: *Primò*, an omne procreans & conservans sit efficiens causa? qua in re dubitatur de causa conservante. Existimant enim aliqui: quod aliæ causæ etiam conservent: *Deinde*, an omnis causa sit procreans vel conservans; videntur enim debere dari mediæ. De utroque videndum breviter. 66.

PUNCTUM I.

An solius efficientis sit conservare?

SUarez *disp.* 22. *Metaph. s.* 3. & Goclen. *l.* 1. *Inst. Log. c.* 4. *p.* 61. conservationem etiam referunt ad causas alias, veluti materiam & formam. Alii solis efficientibus relinquunt conservationem. 67.

Mihi hac in re dicendum videtur: Solius efficientis esse conservationem, si de ea loquamur, juxta vulgarem usum. Sic enim significat influxum extrinsecum, qui non convenit materiæ & formæ, in quantum tales sunt. Quod si placet etiam illum influxum, quo materia & forma persistunt in intrinsecè componendo compositum, appellare conservationem, contentio solùm est de voce, quam non magnoperè curo.

Cæterùm in hunc eventum, nihilominus bene & adæquatè dividitur efficiens in causam conservantem, &c. Nam id frequens est, terminos vel voces esse latiores divisо, atque tum, ad faciendam vel indicandam adæquationem, dicendum est: Omne efficiens esse procreans vel conservans: Et omne efficiens procreans vel conservans, esse efficiens. De qua re in Logicis latiùs doceri solet. 68.

PUNCTUM II.

An detur causa media inter procreantem & conservantem?

TImplerus hanc distinctionem accusat *lib.* 3. *Metaph. c.* 2. *q.* 47. exinde quod inter eas detur medium, quia etiam sint causæ augentes, diminuentes, alterantes, & loco moventes. Addunt & alii causam corrumpentem. Harum neutra videtur dici posse causa vel procreans vel conservans. 69. *Rationes dubitandi.*

De his igitur, si ostendatur, eas non esse causas, inter procreantem & conservantem medias, relinquetur bonitas & adæquatio illius divisionis.

Igitur ad hoc sciendum est: causam procreantem non dici solùm per ordinem ad esse substantiale (prout aliàs solet accipi vox generationis) sed generatim quicquid incipit esse, cum antea non fuisset, id jam procreari dicitur, sive sit substantia sive accidens. Et proinde sic, causa augens, generat vel procreat quantitatem; causa alterans generat vel procreat qualitatem: Imò & quod loco movet, generat vel 70.

vel procreat sibi vel alii aliquod ubi, ut Aristoteles clarè docet *l.8. Phys.c.3.t.29.* Ferè, inquit, *& ipsum moveri est quoddam generari. In quod enim aliquid transit vel movetur, hoc generatur, aut in illo* (aliquid fit.) Atque ita omnes motus pollent generationes dici, disputat Zabarella, quem vide: *lib.de natur.fcient.consi.c.5. lib.de prim.mat.c.3. lib.de gener. & inter.c.5. & lib.2.de misl.gen.c.6.*

71. *De corrumpentibus.* De causis corrumpentibus (quæ dicuntur) aio: vel eas causas non esse, vel habere influxum causæ procreantis.

Aliqua corrumpentia non esse causas. *Primum* patet de iis causis, quæ corrumpunt solùm per suspensionem vel cessationem influxus, quomodo Deus res corrumpit, annihilando, & Sol, occasu suo, sic corrumpit lumen, non amplius illuminando. Ubique autem causa non est, quod nihil causat, sed à causando cessat.

Atque hoc ipsum etiam dicendum est, de omnibus corruptionibus, in quantum referuntur ad non esse rei illius, quæ corrumpitur. Nam non esse non potest esse effectus, si rigorosè loquamur, quia causa & effectum sunt differentiæ Entium. Ergo causa corrumpens, quatenus ab ea est non esse rei, non est causa. Hactenus igitur non potest mediare inter procreantem & conservantem.

72. *Alterum* autem patet: quia referendo causam corrumpentem (non ad terminum corruptionis, qui est non esse, sed) ad actum corruptivum, sic aliqua corrumpunt, introducendo qualitates, rebus corrumpendis contrarias, atque ita disponendo materiam, ut inhabilis sit ad retinendum formam, vel etiam introducendo aliam formam substantialem. Horum igitur respectu, ea, quæ corrumpentia dicuntur, revera possunt causæ procreantes dici, illarum formarum vel substantialium vel accidentalium, quæ cum forma præexistente sunt incompossibiles.

TITULUS VI.

De divisione causæ in solitariam & sociam.

73. SEcundò, causa efficiens dividitur in solitariam & sociam. De quibus duo dicenda sunt. *Primò* Declaranda est generaliter ratio causæ solitariæ & sociæ. *Deinde* specialiter agendum est, de coordinatis & subordinatis causis.

ARTICULUS. I.

De causa solitaria & socia in genere.

74. IGitur solent sumi istæ voces ex causarum coordinatione. Indèque *solitaria* causa dicitur, quæ non habet causas coordinatas: *socia*, quæ eas habet. Nunc autem docendi causa ampliamus istos terminos, ad considerationem causarum & coordinatarum & subordinatarum.

75. *Solitaria causa bifariam.* Ergo causa solitaria est, quæ agit sine concursu causæ alterius. Id igitur bifariam intelligi potest. *Vel* ut agat sine subordinatis, *vel* ut agat sine coordinatis. Illo modo solus Deus est solitaria causa, qui per seipsum solus omnia potest facere, nec indiget ullo, tanquam adjuvante, vel instrumento. At omnes res creatæ agunt dependenter à Deo, & sic, ih agendo Deo subordinantur. Ergo nulla causa creata agit sola, hoc est, ut in agendo excludat concursum Dei. Posteriori igitur modo solitaria dicitur, quæ agit citra influxum causarum coordinatarum, hoc est, earum, quæ sunt ejusdem ordinis. Atque sic etiam res creatæ dicuntur causæ solitariæ: Veluti Nisus est solitaria causa cædis illatæ Rutulis. Sicut ipse ait apud Virgil Æneid.9.

Meme: adsum, qui feci, in me convertite ferrum.
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste (Eurialus) *nec ausus.*
Nec potuit.

Hic Nisus vocatur causa solitaria illius cædis, & tamen sine dubio, non ea

mic

fuit divino concursu & auxilio, & usu instrumentorum, sed istæ causæ non sunt coordinatæ.

In oppositum igitur, causæ sociæ etiam dicuntur, vel ad significandam societatem cum coordinatis, vel cum subordinatis, una vel pluribus. Hoc posteriori modo omne agens à rebus creatis est socium, per ea quæ priùs dicta sunt, quia scilicet nulla res creata agit citra concursum divinum, & plerumque etiam adhibitis instrumentis. At non omne agens creatum est socium, loquendo de consociatione ad causas coordinatas. Veluti, si causæ sociæ sunt duo Equi in trahendo curru, item plures venti in excitanda tempestate, sicut apud Virgilium describitur.

Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus, & vastos tollunt ad littora fluctus.

At nulla est societas, si currus trahatur ab uno Equo, & sic in aliis. Atque ex hac, ad coordinatas causas, societate, principaliter æstimatur causa socia. Socios enim dicimus, qui sunt ejusdem ordinis vel gradus. Unde versiculus iste: *Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.*

76. *Causa socia quid sit.*

ARTICULUS II.

De causis coordinatis & subordinatis.

CAusæ coordinatæ & subordinatæ aliquoties mentio facta est, de iis igitur hîc plenius aliquid dicendum est.

77. *Causæ coordinatæ.*

Igitur causæ coordinatæ sunt, quæ sunt ejusdem gradus & ordinis. Sic duo equi dicuntur coordinati. Et de his ajunt Scholastici: *Causæ coordinatæ plures sunt pro una.* Veluti, cùm tres equi trahunt aliquem currum, illi tres equi stant pro uno, veluti, qui esset triplo robustior singulis: Causæ autem *subordinatæ* sunt, quæ agunt in diverso ordine, veluti si una sit particularis, alia universalis, alia sit prima, alia sit secunda: Una sit principalis, alia sit instrumentalis.

78. *Causæ ordinatæ per se & accidentaliter.*

Dividuntur illæ, in ordinatas per se sive essentialiter, & ordinatas accidentaliter. Sed hi termini non accipiuntur eodem modo apud omnes. Melanchthon *lib. 4 Dial. p. 283.* Ordinatas *essentialiter* dicit eas, quarum una sine altera, etiamsi illius vis valde augeretur, effectum, in natura ordinatum, non potest efficere, ut Pater & Mater. Sic & voluntas non eligit sine cognitione, concurrunt igitur ad electionem necessariò intellectus & voluntas. *Accidentaliter* autem ordinatas vocat, quarum una, si vis ejus aucta fuerit, effectum sola potest efficere, ut cùm duo equi currum trahunt.

79. *Conditiones causarum essentialiter ordinatarum.*

Strictiùs & angustiùs istarum causarum distinctionem explicat Scotus *l. 1. dist. 29. q. 1.* Et ex eo Lychetus *ib. fol. 40. col. 4.* ubi tria requisita ponit ad causas essentialiter ordinatas, unde intelligi potest, quæ sint per accidens ordinatæ. *Prima* igitur conditio est, quod in causis essentialiter ordinatis, causa secunda, in quantum causat, dependet à prima, hoc sensu, quod primâ non agente, secunda agere non possit. Et sic per accidens subordinantur Johannes (filius) et Franciscus (pater) quia etsi iste ab hoc dependeat in essendo, quoad fieri suum, non tamen in agendo. Potest enim agere patre mortuo.

Altera conditio est: quod, in essentialiter ordinatis causalitas est alterius ordinis, quia superior est perfectior, scilicet essentialiter et quidditativè: in accidentaliter ordinatis non. Et hinc infert Scotus, individua ejusdem speciei, non posse habere ordinem causarum essentialiter ordinatarum. Unde porrò infert: Patrem et Matrem non esse causas essentialiter ordinatas (utpote qui ordo solùm intelligitur in causis subordinatis) sed esse duas partiales integrantes unam totalem. Porrò hic causalitas: alterius ordinis et rationis sic est, quòd superior in alio ordine causandi causat, puta quod causat, respectu secundæ, independenter, et est movens, non mota: Inferior verò dependenter, et movet, in quantum

80.

movetur à prima, & sic est movens mota. Aliter etiam potest esse illa diversitas quod superior causalitas, est essentialiter perfectior, sicut & Entitas.

81. *Tertia* conditio est, quòd omnes causæ per se essentialiter ordinatæ, simul necessariò requiruntur ad causandum, non sic intelligendo, quod sicut inferior non potest producere effectum, non concurrente superiore: ita nec possit quid superior producere, inferiori non concurrente, sed quod inferior nullo modo possit aliquid producere, superiori non agente, ad commune effectum. Atque ex his sequitur: Deum, & causas secundas, essentialiter subordinatas esse. Solétque de his dici, quod in tali subordinatione non possit dari processus in infinitum.

TITULUS. VII.

De causa Principali & Instrumentali.

82. *Principalis causa non dicitur uno modo.*

HÆc *Tertia* est causarum efficientium distributio, ad quam illud inprimis observandum est: Causam principalem non uno modo dici. Aliquando quidem principalis causa opponitur causæ minus principali, ubi sub minus principali continentur non solum causæ instrumentales, sed quævis ministeriales. Quomodo dux in Bello vocatur causa principalis victoriæ. Milites cæteri sunt causæ minus principales, quæ tamen non dicuntur satis rectè causæ Instrumentales. Aliter igitur causa principalis opponitur adæquatè causæ instrumentali. Atque tum quæcunque non est instrumentalis, ea est principalis. Et sic in præsenti de iis loquimur.

83. *Explicatur vox instrumenti.*

Hoc igitur ut rectè intelligatur, Similiter notandum est: Instrumentum non eodem modo dici. Aliquando instrumentum vocatur omne id, quod dirigitur vel movetur ab alio superiori. Et sic omnis causa secunda est instrumentum Dei. *Deinde* instrumentum vocatur id, quod operationem habet, nec tamen est suppositum. Hæ significationes à præsenti alienæ sunt.

84. *Instrumenti conditiones duæ.*

Proinde juxta vulgatiorem usum *Instrumentum* dicimus illud quod ab alio movente & dirigente adhibetur ad effectum, suâ virtute superiorem. *Causa* autem *Principalis* dicitur, quæ aliquo instrumento utitur. Apparet autem ex dictis, in omni instrumento duas requiri conditiones. *Prima* est, ut subsit alicui superiori agenti, à quo dirigatur. *Altera* est, ut ad effectum causæ principalis per propriam causalitatem influat. Dico: *ad effectum causæ principalis*: quia ut Thomas docet 3 *p.q.*19.*a.*2. Instrumenti & causæ principalis actio est una, veluti scriptio est & à manu & à calamo: inadæquatè tamen. Deinde dico *influit*, quia nisi actionem propriam haberet instrumentum, efficiens non esset. Et proinde passivum instrumentum, quod Keckermannus vocat *l.*1. *Syst.c.*15. *p.*132. severa instrumentum non est.

TITULUS. VIII.

De causæ efficientis divisione in causam per se & per accidens.

85. HÆc quarta est causarum efficientium distributio; ad quam *Primo* generatim dicendum est, de causa per se & per accidens, quid ex sint? *Deinde* quia causarum per se alia est naturalis, alia voluntaria, ideò deinceps de his in specie seorsim dicendum est, ac *tandem* de causis per accidens in specie.

ARTI-

ARTICVLVS 1.

Quid sit causa per se & per accidens?

PEr se & per accidens variis modis sumuntur, prout aliàs declaratur. In hac autem materia solent illi termini intelligi bifariam, nempe vel ex parte causæ, vel ex parte effecti. *Ex parte causæ, per accidens* illud dicitur esse, si causæ per se agenti additum sit aliquod attributum, secundùm quod agere dicatur, à quo tamen effectus per se non proficiscitur. Veluti, Musici est per se, canere. Si ergo idem, qui Musicus est, sit etiam architectus, atque inde dicatur architectus canere, cum ibi est per accidens in ratione causæ. Sic dulci per se convenit dulcorare linguam. Si ergo rei quæ dulcis est, conveniat etiam flavedo (ut est in melle) atq; inde (propter identitatem subjecti) dicatur flavum dulcorare linguam, similiter est aliquid per accidens ratione causæ. Idem est, si dicatur album calefacere, calidum exsiccare, Ozometra mederi, aut Medicus χαιρειν. Et sic in aliis. 86. *Per accidens ex parte causæ.*

Atque sic in oppositum, *per se ratione causæ* erit, si effectus referantur ad principia, à quibus per se fiunt, veluti, si Musicus dicatur canere, Architectus ædificare, dulce dulcorare, & sic in aliis. Vide Arist. *l. 5. Metaph. c. 2. 3.* & locis aliis. 87. *Per se ex parte causæ.*

Lychetus *1. dist. 2. q. 1. ad Scot. f. 40. col. 4.* causas per se (ex hoc genere loquendi) facit duplices. Quædam igitur dicuntur per se, non tantùm quia agunt per formam quæ est ratio formalis agendi, sed etiam includunt illam formam per se & quidditativè. Sic igitur ignis per se causat ignem, quia forma substantialis ignis est ratio formalis producendi ignem. At talis forma est de essentia ignis. Quædam autem dicuntur per se causæ, eò quod in se habent formam, quæ per se est ratio formalis agendi, licèt non includat illam per se & quidditativè. Et sic ignis per se calefacit lignum, quia calefacit mediante calore, qui est per se ratio calefaciendi. 88.

Fuit de priori sensu, quomodo scilicet per se & per accidens dicantur ratione causæ. Nunc iidem termini declarandi sunt ratione causati. Sicut igitur per se & per accidens ratione causæ dicuntur, quando causa determinatur agere, secundùm id, quod formaliter (in causa per se) vel secus (in causa per accidens,) ei ad hanc actionem convenit: ita effectus dicitur per se vel per accidens, quando vel ab ea juxta causæ propensionem vel intensionem fit, vel ei (intensio effectui) alius apponitur: Veluti piscatoris est per se piscari: si huic piscationi apponatur alius effectus, veluti exactio aurei tripodis, tunc hic effectus dicitur per accidens. Proinde si dicam, Musicus piscatur. Est id per accidens ratione causæ, quia causæ apponitur id, cui formaliter non conveniebat piscari. Si autem dicam: Musicus piscando invenit aureum tripodem: tum est per accidens ratione effectus, quia tum effectui apponitur id, quod non intentum erat: 89. *Per se & per accidens in ratione effecti.*

Cæterùm loquendo de eo, quod est per accidens ratione effectus, adhuc potest id esse trifariam, ut docet Thom. *l. 1. 2. q. 43. a. 1. et q. 65. a. 8.* & Armand. de Bell. Vis. *tract. 2. c. 246.* Primum: cùm effectus nullum ordinem vel connexionem habet ad effectum per se. Veluti si aliquis dicatur causa terræ motus, quo domum ingrediente contingit terræ motus. *Secundo*, cùm effectus, qui per accidens dicitur, habet ordinem ad effectum per se, sed necessarium. Sic movens columnam est causa per se motæ columnæ, per accidens cadentis lapidis, qui jacebat supra columnam. Hæc duo genera causarum per accidens huc non pertinent, quia illa nullum influxum præbent ad istos effectus. Igitur *Tertio* genus causæ per accidens est, in quo effectus accidentalis habet ordinem ad effectum per se, sed contingentem, ita ut rarò isti intento effectui, apponatur. Et hoc modo piscator est causa per accidens extractionis tripodis, & fossor vineæ, inventionis thesauri. 90. *Per accidens in ratione effecti, est trifariam.*

Atque ita summatim, ut aliqua res dicatur causa per accidens, requiritur 1. ut ea aliquam rem efficiat. 2. ut illi rei, quam per se efficit, adhæreat alius effectus non intentus, quique non habeat necessarium nexum ad illam, quæ per se producitur. 91. *Requisita quatuor.*

Et

causæ per accidens. Et in specie quidem 3. ut rarò ei apponatur. Denique 4. ut agens non agat secundùm alias consuetum agendi modum.

ARTICULUS II.

De causis per se, in specie, hoc est, de naturali & voluntaria causa.

92. FVit de causa per se in genere; Ea nunc dividitur in naturalem & voluntariam. Vbi statim apparet, naturale nunc non dici, prout opponitur vel violento vel artificioso, vel supernaturali, vel animali, sed opponi voluntario. Congruitque ferè huic divisioni illa, quâ Aristot. potentiam activam dividit in irrationalem & rationalem. *l. 9. Met. c. 2.*

93. *Causa naturalis.* Igitur *causa naturalis* est, quæ agit ex naturæ impetu, vel instinctu, vel propensione naturali, non autem ex antegressa deliberatione. Sic causæ naturales sunt, cùm ignis urit, magnes ferrum trahit, grave descendit, leve ascendit, Rhabarbarum purgat, Theriaca veneno resistit, & sic in aliis.

94. *Causa voluntaria.* *Causa* autem *voluntaria est*, quæ agit ex antegressa cognitione intellectiva, sive ex voluntatis arbitrio, eligendo hoc & dimittendo aliud. Vbi nihil refert, an quis agat ex plena voluntate, an verò ex antecedente aliqua vel adhortatione, vel rogatione, vel jussione, vel impulsu; modò voluntas tandem consentiat, & prædefinitum aliquem actum potentiis executivis imperet, & ex iis eliciat.

95 *De actionibus mixtis.* Atque ita ad causas voluntarias suo modo reducuntur etiam illa agentia, quorum actiones sunt mixtæ, ubi agens agit ἑκὼν' ἀ'ἑκὼν γνώμῳ, hoc est, volens nolens. Veluti cùm nauta obortâ in mari tempestate, merces aliquas abjicit. Nam quod illa actio sit voluntaria, sive quod constituat agens voluntatium, patet, quia fit ex antecedente periculi imminentis consideratione, & simile est, cùm quis agit ex prævia petitione, adhortatione, consilio, persuasione, jussione, etc. quia et hic non est plenissima libertas. Absit tamen, ut hæ causæ, quæ ex iis præsuppositis agunt, dicantur, agentia non per se (et proinde voluntaria) sed per accidens, ut Ramus vult de prioris generis causis, *l. 1. Dial. c. 3.*

96. *Discrimen causæ naturalis & voluntariæ.* Porro verò discernuntur causa naturalis & voluntaria. Illa semper agit unum, idem manens, intelligendo id de modo agendi. Veluti ignis non agit nisi calefaciendo. At agens voluntarium potest agere contraria, ut Arist. docet, *lib. 9. Metaph. c. 2. Deinde*: agens naturale agit ex necessitate, necessitatem intelligendo de necessitate (non coactionis, sed) naturæ. At voluntarium agit ex libertate. *Tertio*: agens naturale semper agit secundùm extremum virium, ut Arist. docet, *lib. 2. de gener. & corr. cap. 10. t. 59.* At agens voluntarium non semper agit secundùm extremum virium. Potest arcularius & eleganter & deformiter facere cistam vel mensam aliquam: & quis putet, Deum non posse nobilius quid facere, quam muscam, quam aliquando facit. *Denique* agens voluntarium omnibus ad agendum prærequisitis positis, potest agere & non agere, solùm ex defectu voluntatis suæ: At naturale, positis illis, non potest non agere.

97 *Octo sunt, quæ ad actionem prærequiruntur.* Cæterùm illa ad actionem prærequisita sunt octo, ut colligunt Scotus *l. 9. Metaphys. q. 14. ad secundum*, & Anton. Andreas *q. 1. ad secundum*. *Primo* ut quod agens est, sit Ens actuale. II. ut sit in eo virtus ad agendum sufficiens. III. ut medium, per quod aliqua actio fieri debet, si rectè dispositum. IV. ut patiens non sit in termino completo, veluti ut calefactibile nondum habeat summum calorem. V. ut, si ad hanc actionem, prærequiratur alia aliqua actio, ea etiam facta sit. VI. ut sit debita inter agens & patiens propinquitas. VII. ut patiens sit capax illius, quod ab agente aliquo producibile est. Neque enim quidlibet agit in quodlibet. VIII. Denique ut ablint omnia alia, quæ impedire possunt actionem agentis.

98 Proinde jam discrimen agentis naturalis & voluntarii; hoc est, ut agens quidem volun-

voluntarium possit istis positis non agere, solùm ex defectu propriæ voluntatis & beneplaciti: Naturale autem non possit non agere; quia non voluntate, sed naturali instinctu & propensione agit.

Atque ex his etiam patet, quænam agentia sint voluntaria. Nempe talia solùm sunt 1. *Deus* 2. *Angeli* (de quibus id infrà constabit) & 3. *Homo*. Alia omnia agentia agunt non ex proposito voluntatis, sed ex naturæ necessitate.

ARTICULUS III.

De causa per Accidens in specie.

Quid causa per accidens sit, suprà visum est: Nunc de ejus divisione videndum: Ubi de tribus agendum est. I. An causa efficiens dividenda sit in eam, quæ est in ratione efficientis & in ratione materiæ? seu quod idem est, an in solis efficientibus dentur causæ per accidens? II. An efficiens rectè dividatur in eam quæ agit necessitate, vel fortuna? Denique est exponenda propria divisio. 99.

PUNCTUM I.

An in solis efficientibus dentur causa per accidens?

AVicenna causam per accidens ponit etiam in causa materiali, *lib. suffic. c.* 13. Et videtur quod sic. Nam monstra sunt effectus per accidens. At multa fiunt monstra, per respectum ad materiam, veluti propter inconvenientes dispositiones materiæ, veluti, si materia sit redundans vel deficiens, vel semina distinctarum specierum sint confusa, vel semina sint distracta, ob secundinæ rupturam & sic in aliis. 100.

Sed hæc sententia non procedit. Nam effectum per accidens dicimus, qui à causa aliqua producitur, dependenter ad alium effectum per se intentum. Vnde talis effectus non est ex intentione vel destinatione causæ. At nulla forma qualiscunque sit, talis est, ut materia non habeat, æquabilem propensionem ad formam hanc, ac ad alias. At in eo quod est indifferens ad utrumque, nulla est ratio causæ accidentalis. 101. *Decisio quæstionis.*

Proinde ad productionem monstrorum quod attinet, certum quidem est, quod ea per accidens producantur ab agentibus naturalibus, per concursum quendam materiæ, ut declaratum est. Nihilominus ad materiam præcisè æstimando eos effectus, nullum influxum accidentalem eò exhibet materia. 102.

PVNCTVM II.

An causa per accidens rectè distinguatur in causam, quæ agit necessitate vel fortuna?

RAmus causam per accidens eam definit, *lib.* 1. *Dial. c.* 5. quæ externa facultate efficit; eámque dividit in eam, quæ necessitate vel fortuna agit. Hæc distinctio coincideret cum divisione Aristotelicorum, si per causam necessitate agentem intelligatur causa casualis. At Ramus hanc vocem ita non intelliget. Nam sub necessitate intelligit omnem causam, quæ agit ex necessitate coactionis, quæ sub agente naturali non continetur, quia coactio non reperitur nisi in agentibus voluntariis, quæ si quid per accidens agant, non casualia sed fortuita sunt. Atque inde non valdè probo istam distributionem. 103.

Summatim autem dico 1. *Non est id omne agens causa per accidens, quod externâ facultate efficit.* Ita apparet ex eo quod agit ex antegressâ rogatione, adhortatione, persuasione, jussione, consilio, coactione, *&c.* Nulla enim ratio est, cur illa agentia non possint voluntaria dici. 104.

Atque hinc sequitur: *Eam quæ ex necessitate coactionis agit, non debere fieri speciem causæ per accidens.* Atque adeò hanc partem in divisione Rami repugnare toti 105.

diviso. Et patet. Nam illud, quod ex necessitate coactionis agit, agit ex consilio, deliberatione, notitia finis & modi agendi. At hæc non possunt convenire ei, quod non est agens voluntarium.

106. *Objectio.* Solet objici locus ex Aristot. *lib. 1. Rhet. c. 10.* ubi ait Arist. *ea quæ non agunt per se partim per fortunam agere, partim ex necessitate.* Sed locus non est ad propositum, quia Arist. ibi loquitur de actionibus humanis, quarum aliquas, dicit non esse per se, eas scilicet, ex quibus accusari non potest, cujusmodi sunt, si agat homo necessitate vel fortunâ. Unde sub necessitate comprehendit etiam necessitatem naturæ, quæ utique ad causas per accidens non pertinet. Sic enim statim subjicit: *quæ ex necessitate sunt, partim fiunt ut partim naturâ.*

PUNCTUM III.

In quo declaratur divisio propria

107. DImissa igitur hac divisione, Aristotelici causam per accidens dividunt per causam casualem & fortuitam, cujus divisionis bonitas inde sumi potest, quod causa per se in universum est naturalis vel voluntaria. Effectus autem per accidens sunt, quasi appendices effectuum per se. Proinde in universum effectus per accidens vel apponitur causæ naturali, & sic dicitur *casus*: vel apponitur causæ voluntariæ. Et sic est *fortuna*.

108. *Fortunæ definitio.* Atque hinc Aristoteles *l. 2. Phys. c. 5. text. 52.* definit sic Fortunam: *Fortuna est causa per accidens, in iis quæ operantur ad aliquem finem, ex electione neque semper neque ut plurimum:* & subjicit *c. 6. t. 59. Neque in animatum ullum, inquit, neque bellum, neque infans, quod deliberium non habent, quippiam agunt eorum, quæ fortuni eveniunt, nisi quidam similitudine & improprietate, sicut Proverbius fortunatos dixit lapides è quibus aræ extructæ essent, quod honore afficerentur, cum aliis ejusdem generis pedibus conculcarentur.* Vide prolixiùs ad fortunæ definitionem Perer. *Lib. de Conting. c. 8. 9.*

109. *Casus.* Casus autem (inest et inter alias significationes, quas ea vox habet) ad præsens erit is hic aliud, quàm causa per accidens, quâ effecto causæ naturalis apponitur alius effectus non intentus, nec necessarium nexum habens cum isto effecto priori. Solet tamen frequentius casus accipi per modum effectus. De utroque potest videri prolixiùs Arist. *l. 2. Phys. c. 3. 6.* et interpret ibidem.

TITULUS IX.

De divisione causæ efficientis in æquivocam & univocam.

110. *Divisio hæc non convenit omnibus causis.* HÆc quinta est efficientium causarum divisio Timplerus *l. 3. Met. c. 2.* Eam extendit ad omnes causas: Sed juxta communem modum loquendi solùm attinet ad causas efficientes, unde et generatio in univocam et æquivocam distingui solet. Generatio autem est effectivus influxus gignentis.

111. *Nec solis causis secundis.* Suarez *disp. 17. Met sect. 2. n. 2.* eandem contrahit ad solam causam secundamque prima causa nec sit univoca, nec æquivoca. Sed non video repugnare amen, cur Deus creans v. g. hominem vel Angelum non debeat eorum æquivoca causa dici.

112. *Accommodatur solùm causis principalibus.* Inprimis autem intelligitur ibi divisio causæ principalis. Ad hanc enim inprimis apprehenditur assimilatio effectus. At ad inducendam effectuum ad causas assimilationem, inducta est divisio causæ in univocam et æquivocam.

113. *Æquivoca causa quid?* Cæterùm causa æquivoca est, quæ producit effectum sibi dissimilem in specie. Tale quid est, cùm arcularius (homo) facit scamnum vel mensam (non hominem) aut cùm Sol ranam vel murem efficit. Talis igitur æquivoca causa est Deus respectu omnium creaturarum. Nulla enim harum est Deus.

114. *Est nobilior effectu.* Porrò: quia illa causa producit effectum in specie à se diversum, ideò semper causa æquivoca debet esse nobilioris ordinis, quàm sit ejus effectus. Nam inprimis si effectus esset causæ illi par, in essentialibus perfectionibus: Ergo non esset dissimilis,

inillis in specie, sed idem. Et proinde non esset effectus æquivocus sed univocus. *Deinde* etiam effectus non potest esse nobilior causâ æquivocâ. Quia simpliciter repugnat, ut effectus sit nobilior causâ, quia nihil habet nisi à causa assumptum.

Relinquitur igitur quòd omnis effectus causæ æquivocæ sit eâ ignobilior, et proinde quòd causa illa sit nobilioris ordinis quàm effectus. Et proinde etiam tota potestas et perfectio agentis æquivoca, nunquam manifestatur in uno effectu, ut Thom. discussit. 1. 2. q. 25. a. 2. 115.

Atque hæc est causa æquivoca Univoca autem causa est, quæ producit effectum similem in specie. Sic animalia generant tale, quale est ipsum generans, inquit Arist. *l. 2. de Anim. c. 4. t. 49.* Veluti cùm homo hominem, equus equum, leo leonem, ursus ursum, etc. gignit. 116. *Univoca causa quid?*

Dix.: *similem in specie.* Vnde 1. cùm effectus est specie diversus à causa, non est causa univoca, sed æquivoca, ut dictum est. *Secundo* cùm autem productum est ejusdem numero essentiæ cum gignente, tum sicut transcenditur ratio causæ, ita etiam transcenditur ratio causæ univocæ. Atq; ita in divinis, Pater gignens filium non debet hujus causæ univoca dici. *Denique* cùm dico similem in specie, relinquitur quòd omnis alia diversitas, suppositâ similitudine vel identitate in specie, non tollat rationem causæ univocæ. Unde si parens sanguineus, vel ingeniosus, gignat filium Melancholicum vel hebetem, adhuc tamen est agens univocum, quia istæ differentiæ non tollunt identitatem in specie. Atque idem est, si masculus dicatur parens fœminæ, & fœmina masculi. Differentiæ enim sexus non sunt specificæ. Unde etiam non tollunt identitatem speciei, & hic consequenter non destruunt rationem agentis univoci. 117

Cæterùm id pro coronide est notandum, quod principaliter illa divisio intelligatur de efficiente procreante, sed conservanteni tamen extendi solet. Atque inde calor v. g. non solet solùm causa univoca dici, cùm calorem generat, sed etiam cum calorem conservat. Æquivocè autem dicitur agere, cùm frigus destruit. 118.

TITVLVS X.

DE DIVISIONE CAUSÆ IN EAM QUÆ est per Emanationem & per Transmutationem.

SExtò dividitur causa efficiens in eam, quæ agit per Emanationem & Transmutationem. Hac in re *Primùm* declarandus est sensus illius divisionis. *Deinde* videndum est: An agens per Emanationem rectè dicatur efficiens. 119.

ARTICULUS 1.

In quo exponitur sensus divisionis causæ in eam quæ agit per Emanationem & quæ agit per Transmutationem.

ESt igitur causa per Emanationem ea, à qua est effectus per resultantiam, atque adeo citra conatum agentis, & citra resistentiam patientis, non etiam alio interveniente accidente, per quod causa efficiens ad talem effectum producendum actuetur vel disponatur, vel quo tanquam instrumento utatur. Talis quid est ignis forma, respectu caloris, siccitatis & aliarum qualitatum naturaliter igni inhærentium. Idemque est in aliis omnibus naturalibus proprietatibus, quæ à subjectis sunt per Emanationem & naturalem resultantiam. Quod enim aliquibus videtur, proprietates non emanare à subjectis, tanquam causis sui, sed à gignente, id infrà sufficienter considerabitur, & quod nostræ huic sententiæ officit refutabitur *l. 2. c. 6. n. 59 seqq.* 120 *Quid causa per emanationem.*

Causa igitur per Transmutationem est, quæ secus est. Veluti cùm efficiens cum conatu aliquo agit, qualis est actio generativa animalium, aut cum præceptor 121.

informat discipulum: Aut cùm patiens resistit agenti. Unde actio per Transmutationem est quando ignis aliúdve frigidum calefacit, cúmque adeò agens agit mediante aliquo accidente, ut est ignis qui calefacit per calorem.

121. Zabarella *lib. 2. de med. Demonst. c. 5. & de Sens. agente. c. 10.* & Goclen. *part. 1. Inst. Log. pag. 5.* indicant, actionem per Emanationem, eandem esse cum actione immanente, actionem autem per Transmutationem eandem esse cum actione transeunte. Unde sic illis, quicquid agit actione transeunte, est agens per transmutationem: quod autem agit actione immanente, est agens per emanationem.

123. Sed illa opinio bona non est. Potest enim esse agens aliquod per Emanationem, quod agit actione Transeunte. Vocamus enim in communi actionem Transeuntem, quâ aliquid fit vel in alieno supposito, vel etiam in alia parte supposiri. Sic Sol illuminans est causa luminis per emanationem, & tamen illuminatio est actio transiens. Recipitur enim lumen in aëre extra Solem. Sic & proprietates naturales sunt à formis subjectorum per emanationem, & tamen multæ sunt proprietates, quæ producuntur actione transeunte, cùm scilicet emanantes à forma recipiuntur in materia. Sic siccitas & calor in igne emanant ab ejus forma, & recipiuntur in ejus materia. Diversitas autem partium in eodem supposito sufficit ad actionem transeuntem, ut alibi persequor.

ARTICULUS II.

An causa per Emanationem vellè dicatur efficiens?

124. RAtio dubitandi est, quod omni efficienti convenit actio, ut suprà constitutum est, *tit. 4. art. 3.* Illi autem, quod dicitur causa per emanationem, non convenit actio, nisi valdè impropriè, ut & Cajetan. docet *in Th. 1. p. q. 34. a. 3.* & Zabarell. *l. 2. de med. Demonst. c. 5.* & confirmatur: Nam quantitatis nulla est actio. Et tamen, ut nunc loquimur, quantitas potest esse causa per emanationem. Est enim à quantitate localitas per emanationem ab ipsa. Sic etiam est ab ea species sensilis. Refertur enim quantitas inter objecta sensilia ab Aristot. *lib. 2. de Anim. t. 64.*

125. Nihilominus, omnino dicendum est: causam per emanationem esse veram causam. Imprimis enim certum est, non esse ullam rem, quæ caret efficiente. Nihil, inquam sit sine causâ. At sunt aliqua, quæ non sunt nisi per emanationem. Ergo agens per emanationem est verè causa. Assumptum patet, ex istis exemplis, quæ prius allata sunt. Et confirmatur ex ratione dubitandi modò proposita. Ibi enim admittitur quantitatem percipi sensu. Ergo species quantitatis est in sensu. Quæro igitur quam causam efficientem habeat ista species? certè non aliam, quam objectum reale quod sentitur. Ab objectis enim sensibilibus sunt species sensiles. Ergo & à quantitate est species quantitatis. Ergo quantitas est causa illius per emanationem. Ergo emanatio satis est ad rationem causæ, & proinde etiam talitet agens est causa efficiens.

126. *Objectiones solvuntur.* Ad objectiones initio propositas Respondeo: vocem actionis aliquando sumi per excellentiam & κατ' ἐξοχὴν, pro ea scilicet, quæ nobiliori modo est Actio. Aeq; tum id quod agit per emanationem non dicitur agere: eodémque modo quantitatis nulla est actio. Si autem actionis vocem generatim sumamus, pro omni eo, quod influxum effectivum exhibet, tum agens per emanationem verè dicitur et propriè agere. Et simpliciter quantitati convenit vera actio, in ordine ad eum effectum, qui ab illa est per influxum verum et positivum.

TITULUS XI.

DE DIVISIONE CAUSÆ IN UNIVERSALEM & Particularem, Primam & Secundam.

127 HÆc Septima et Octava est divisio causarum efficientium, quæ satis idoneè conjunct in declarari possunt, quia aliqua disputari solent ad hanc rem, quæ ad utrámque divisionem pertinent.

Porro

Porrò, quod ad priorem divisionem pertinet, sicut universale in essendo est, quod communem habet essentiam: ita universale in causando (hoc est causa universalis) est, quod habet causalitatem communem. Unde in oppositum agens particulare est, quod habet causalitatem restrictam ad peculiarem speciem, quam producat, vel respectu cujus operetur. 128. *Causa universalis, particularis.*

Causa autem *prima* dicitur, quæ habet vim agendi independentem, quæq; ante se non habet causam aliam, unde ad agendum actuetur vel quoquo modo complea-tur. *Causa secunda* igitur est, quæ habet vim agendi à primo Ente, adeoq; à prima causa dependentem, quales causæ sunt omnia entia creata. Unde prima causa unica & sola est Deus. 129 *Causa prima, secunda.*

Quæri solet ad hanc divisionem. *Primò*: An Deus sit causa universalis, seu quod idem est, An Deus ut causa universalis concurrat ad omnes actus causarum secundarum? *Secundo*: Quo modo istum influxum vel concursum præstet? *Tertiò*: An causæ secundæ verè aliquid agant, an verò solùm dicantur agere per extrinsecam denominationem, quatenus Deus in iis operetur? Sed de iis singulis infrà agō *l. 2. c. 3. t. 19.* de Dei concursu. 130. *Quæstiones.*

Præter hæc solet quæri: An solus Deus sit causa universalis? Sed hac de re nulla est difficultas vel dubitatio, nisi de cœlo, unde tractatio ista est *αυτοκατάκρισις*. Breviter tamen dico: cœlum esse causam universalem non quasi ad omnes res præbeat influxum suum, id quod soli Deo convenit, sed quod concurrat ad res plurimas. 131. *An solus Deus sit causa universalis.*

Posterius patet: quod scilicet cœlum ad res plurimas producendas concurrat. Nam inprimis omnes herbæ & arbores non prottrudunt & germinant nisi calefactæ. Sol autem istius caloris autor est. Proinde sic cœlum universalis causa est, respectu omnium istarum generationum. Idémque est in productione animalium. Unde Arist. *l. 2. Phys. c. 26.* ait: Sol & homo generat hominem. Et *l. 2. de gen. t. 55.* In communi Solem vocat autorem rerum procreandarum. 132. *Cœli efficientia universalis.*

Prius etiam patet, quod scilicet, cœlum non concurrat ad omnes actus rerum sublunarium. Nam inprimis per se non concurrit cœlum ad productionem actionum immaterialium. Actiones enim immateriales sunt improportionatæ ad agens materiale, quale est cœlum. Constituitq; ita Concil. Bracarense primum *cap. 9. 10. contra Priscillianum.* Confer Damasc. *l. 2. de orth. fid. c. 7.* Ejusdémque generis actiones illæ, quæ non sunt veri motus. Ita non apparet necessitas, cur cœlum concurrere debeat ad spartionem speciei ab objecto odorabili, sonoro aliove. Imò & aliqui motus sunt, qui efficiuntur à causis secundis, citra influxum cœli. Qua enim necessitate ignis exigit concursum cœli ad calefaciendum, aut aqua ad humectandum? Et sic in aliis. Confer hac de re Æged. *in proœm. ad lib. Meteor. q. 1. &* 2. Coll. Conimbr. *l. 2. de cœlo. c. 3. q. 1. seq.* Suarez *disp. 22. Met. s. 5.* 133. *Quæ actiones non subsunt influxui cœli;*

TITULUS XII.

DE CAUSÆ EFFICIENTIS DIVISIONE in externam & internam.

HÆc nona est distributio efficientis causæ. Vbi id inprimis certum est, quod omnis causa efficiens externa sit: Sed si externum & internum sumamus per respectum ad essentiam; ut suprà patuit *hoc cap. t. 3. n. 2.* 134. *Efficiens Externum.*

Optimè autem nunc videntur declarari posse causa externa, & interna per ordinem ad actionem transeuntem & immanentem. Nempe quod immanente actione agit, id est efficiens internum. Quod autem agit actione transeunte, id est efficiens externum. Atque ita apparet etiam hujus divisionis differentia ab ea, quâ agens aliud dicebatur esse per emanationem, aliud per transmutationem. Hæc enim divisio non sumebatur juxta diversitatem actionis immanentis & transeuntis, ut suprà visum est.

Porro actio transiens est, cum transitum illum explicando ad aliud suppositum, tum etiam ad aliam partem supposit. Atque ita causæ externæ duo sunt genera.

Primum est, cùm causa ponit effectum in alio supposito, vel cùm producit aliud suppositum, veluti cùm quis alium jugulat. *Alterum* est, cùm causa ponit effectum in alia parte suppositi, veluti cùm forma ignis producit (per naturalem resultantiam) calorem, hærentem in materia ignis, item, cùm anima producit motum hærentem in corpore.

135. *Causa interna.* Atque sic in oppositum causa interna est, quæ effectum ponit, non solùm intra suppositum quod agit, sic etiam intra partem eandem suppositi. Ita anima est causa interna, quatenus ab ea emanat potentia intelligendi, vel etiam quatenus est causa suæ intellectionis vel volitionis, & sic in aliis.

136. *Causa προηγουμένη & προηγουμένη.* Medici frequenter distinguunt causas morborum in internas & externas. Illas προηγουμένας vocant, has προκαταρκτικάς. Vide Galen. *l. 1. de method. med. cap.* 8. *l. de causis Morb. c.* 3. *& l. 2. de sanit. tuend. cap.* 2. sic cùm Dysenteria sit intestinorum exulceratio, causa προηγουμένη est, bilis exuberans in toto corpore, facta acrior & venenatior. Causa autem προκαταρκτικὴ (irritatricem vocant & primitivam) est largior potus in æstu, aut crudi fructus, qui facilè putrescunt, indéque augent bilem, lubricitatem efficiunt, & bilem auctam movent. Sic iracundiæ causa προηγουμένη est temperamentum cholericum, quod veluti stipula concipit facilè iterum flammas, προκαταρκτικὴ verò est objectum aliquod externum, veluti convitium, vel injuria illata, &c.

137. *Causa συνεκτική.* Addit & Galenus aliquando causam συνεκτικὴν. Dicitur autem causa συνεκτικὴ à Medicis illa, quæ ipsa quidem non efficit morbum, sed morbum jam factum auget & fovet, & unà cum morbo incipit & desinit. Sic Hydropis causam externam seu προκαταρκτικὴν aiunt esse intemperantiam: προηγουμένην verò seu internam, malam ventriculi & Epatis constitutionem. Causam συνεκτικὴν verò impuritatem significationis & cruditatem humorum in toto corpore. Hæc enim incipit cum morbo hydropico, & eo sublato desinit. Confer Melanchthonem *lib.* 4. *Dial. Divisione nona de causis p.* (*mihi*) 287.

TITVLVS XIII.

DE DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS in Naturalem sive Physicam & Moralem.

138. HÆc decima & que ultima est divisio causarum efficientium. Vbi inprimis causa Physica & moralis non dicantur hîc ex parte effectus vel causæ, præcisè spectando essentias illarum. Non, inquam, causa Physica dicitur, quæ producit aliquid Physicum, veluti equum, vel motum, &c. Et moralis, quæ producit aliquid ad mores attinens, veluti virtutem vel vitium. Non etiam Physica causa est, id quod est res Physica. Et moralis id, quod est affectum aliquo morali attributo, veluti virtute vel vitio.

139. Denominationes igitur istæ sumuntur ex modo agendi. Ergo Physica causa est, quæ per verum & proprium influxum attingit effectum. Veluti cùm ignis comburit, tum combustionis illius ignis est causa Physica: Moralis autem est, quæ suo quidem influxu non attingit effectum, nihilominus tamen talis est, ut imputetur ei effectus, in laudem vel vituperium, pœnam vel præmium. Sic idem ignis cùm combuxit domum, ex prævia, ab aliquo facta, applicatione ignis ad domum. Hic solus ignis, Physicè loquendo, combuxit et est causa combustionis. Applicans autem ignem, Physicè non est causa combustionis. Neque enim is habet vim combustivam. Nihilominus iste est moraliter causa combustionis, quia illi imputatur incendium, ut inde sit reus mortis, qui tale quid patrat.

140. Atque ad hoc genus moralium causarum pertinent et illi, qui aliquid facienti hortantur, rogant, consultant persuadent, minis instigant, non impedientes meritoriæ causæ, et cum quocunque modo se gerunt, ut eis effectus propriæ et physicæ causæ imputetur. Et hactenus quidem tum de efficiente, sequitur de materia.

DE

DE MATERIA.

SEcunda causæ species est materia. De qua deinceps agendum est. Occurrit autem primò consideratio vocis. Postea agendum est de ejus definitione. Tùm de Entitate illius. Præterea de causalitate materiæ, & quæ ad eam pertinent. Et denique de illius divisionibus. 141.

TITVLVS XIV.

De nomine & definitione Materiæ.

IN omni negotio δεῖ πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα juxta Galeni præceptum. 142.

ARTICVLVS. I.

De nomine Materia, ubi & de nomine Elementi.

PVNCTVM I.

Ad vocem Materiæ.

INprimis vox materiæ est ambigua Aliquando materia est idem quod subjectum: unde & speciatim solet dici materia *in qua*: Aliquando est idem quod objectum, Unde & solet dici materia *circa* quam: Aliquando verò est idem, quod causa materialis, quæ ad evitandam æquivocationem dicitur materia *ex* qua. 143. *Distinctio materiæ in materiam Ex qua, in qua & circa quam.*

Atque ex his intelligitur cùm materia dividitur in materiam in qua, ex qua, & circa quam, tùm, quid per singulos istos terminos intelligatur, tùm quod ea non sit materiæ distributio, sed solùm vocis distinctio. Quamquam Fonseca *l. 5. Met. c. 2. q. 1. s. 1.* Suarez *disp. 13. Met. sect. 1. n. 1.* alique Metaphysici, alium etiam istius distinctionis sensum tradunt, quod scilicet eâ divisione dividatur materialis causa, secundùm distincta munia & officia, ut ipsa dicatur *ex qua* per ordinem ad compositum quod ex ea componitur: *in qua*, per ordinem ad formam, quæ in ea recipitur: & *circa quam* per ordinem ad efficiens, quod in ea disponenda occupatur. Ad nostrum institutum satis est, quod materia aliquando solet significare objectum, aliquando subjectum, & aliquando materialem causam.

Alia ambiguitas in voce Materiæ significatur, cùm materia distinguitur in Physicam & Logicam. Nam & hæc revera non est nisi vocis distinctio, ad hunc sensum, quod materia aliquando sumatur pro genere (quod dicitur materia Logica) aliquando verò significet peculiarem causam, aliis causis condivisam, prout nunc de ea loquimur. Et hæc in illa distinctione intelligitur per materiam physicam. 144. *Materia Physica & Logica quid?*

Denique sumendo materiam pro materiali causa adhuc accipitur ambiguè: Aliquando enim intelligitur κατ' ἀντονομασίαν. Atque tùm materia omnis dicitur esse substantia, apud Arist. *l. 2. de Anim. c. 2. l. 7. Met. t. 7.* & locis aliis quibus Aristoteles substantiam divid.t in materiam, formam & compositum. Atque hæc materia consequenter non reperitur nisi in substantiis & quidem corporeis. Alia autem significatione sumitur latiùs & communiùs pro omni eo, ex quo aliquid componitur, particulam *Ex* speciatim explicando. Atque hoc modo etiam accidentia possunt esse materia, veluti trianguli materia sunt tres lineæ, quadranguli, quator, & sic in aliis.

Quamquam autem Metaphysica consideratio ex se præscindat à materia substantiali, (quam ita vocare possumus) sive materia corporum: nihilominus cum ea potior sit materia, quæ est in corporibus, solent Metaphysici potissimum rationem materiæ declarare per ordinem ad res corporeas, unde postea judicari potest, quid ferat ratio materiæ, quâ talis est & in præciso isto conceptu. 145.

PVNCTVM. II.

De voce Elementi.

CÆterùm quia nomen Elementi, est etiam peculiare nomen materiæ, proinde id hîc declarandum est etiam, cùm Aristoteles idem fecerit, *l. 5. Metaph. cap. 3.* Igitur 146.

Elementi variæ significationes. Forma Elementum.

Igitur id primò observandum est, quod vox Elementi aliquas habeat peregrinas significationes secundum quas non habet rationem materiæ. Igitur Elementum aliquando est idem quod omne illud ex quo aliud est. Hoc sensu etiam forma Elementum dicitur, apud Arist. *l.* 12. *Met. c.* 4. *t.* 29. *l.* 2. *de gener. t.* 16. *l.* 1. *Phys. t.* 84. & aliis locis. Nam ex forma etiam dicitur res esse apud Arist. *l.* 1. *Phys. c.* 7. *t.* 65.

147. Deinde etiam Elementum dicitur, quod conjungitur ei, ex quo aliud componitur, quod exinde etiam solet dici elementum per accidens. Hoc modo privatio vocatur Elementum ab Arist. *l.* 12. *Metaph. c.* 4. *t.* 22. ut Fonseca interpretatur *l.* 5. *Met. c.* 3. *ad t.* 4. *in explan. lit. a.* Solet & elementum æquipollenter dici ad principium & causam, ut in verbis Aristotelis *l.* 1. *Phys. t.* 1. (quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa) interpretatur Perer. *l.* 3. *Physiol. c.* 1.

148. Denique etiam Loci communes & prima initia vel rudimenta solent vocari Elementa ex Arist. *l.* 2. *Rhetor. ad Theodect. c. ult.* Ad quam significationem Arist. *l.* 5. *Met. c.* 3. *t.* 4. *Hinc*, inquit, *& per translationem Elementum vocant, quicquid unum cum sit & parvum, ad multa est utile. Quocirca & id quod parvum est, & quod simplex, & quod indivisibile, Elementum dicitur.*

PUNCTUM III.

In quo explicatur definitio Elementi.

149. Quid autem propriè Elementum sit Aristot. *dicto lib.* 5. *Metaph. cap.* 3. hac definitione expressit, Στοιχεῖον λέγεται ἐξ οὗ συγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος εἴδει ἀδιαιρέτῳ τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος: *Elementum dicitur id, ex quo primo insito ac indivisibili specie in aliam speciem, aliquid componitur.*

150. *Quatuor Elementi conditiones.* Ex hac Elementi definitione, Armandus de Bello Viso, *lib.* 2. *Term. c.* 247. quatuor conditiones Elementi excerpit.

Igitur ut aliquid Elementum dicatur, requiritur *Primò*, ut sit causa *ex qua* fiat aliquid. Et per hanc conditionem, Elementum pertinet ad genus causæ materialis. Et proinde forma non potest Elementum dici. *Secundo* requiritur, ut sit primum in illo genere. Et ideò forma non potest dici Elementum panis, quia habet aliam materiam in se, nempe grana. *Tertio* requiritur, ut ista materia sit inexistens, & intrinseca, per quod differt Elementum ab omni eo, ex quo fit aliquid, tanquam ex materia transeunte, sive sit privatio, sive contrarium, sive materia privationi & contrarietati subjecta, quæ est materia transiens, ut cùm dicimus hominem Musicum fieri ex non musico. Elementa enim oportet manere in his, quorum sunt elementa. *Quarto* requiritur, ut habeant aliquam speciem, quæ non dividatur in alias duas diversas, per quod elementum ait Armandus differre à materia prima, (quæ nullam speciem habet) & ab omnibus materiis aliis, quæ in diversas species resolvi possunt. Sicut corpus humanum, in carnes, ossa, humores, &c. Sed hæc non admittuntur ab omnibus, ut apparebit ex dubiis, quæ statim subjicio.

Dubium primum de forma, an sit Elementum. Igitur dubitatur primò, de forma, an ea sit Elementum.

An etiam forma propriè sit Elementum?

151. ARistoteles aliquando formam Elementum vocat, ut paulò antè retuli. Ex *l.* 12. *Metaph. c.* 4 & locis aliis ibi citatis. Idem tamen etiam negat, eam esse Elementum, *l.* 7. *Metaph. c. ult.* Hanc ad rem fonseca existimat *l.* 5. *Met. cap.* 3. *q.* 2. *s.* 2. eam non esse Elementum secundum primam vocis impositionem: At nihilominus esse propriè Elementum, juxta usum vocis. Sed magis placet, formam κατὰ χρῆσιν Elementum dici. Nam in primis Arist. *l.* 5. *Metaph. q.* 3. rationem Elementi explicat, per esse ex aliquo. Ea autem phrasis, ad communem modum loquendi, significat influxum materialem. Unde & Fonseca *alia explanat. text. lit.* 4. propter illam particulam infert, exemplarem causam, efficientem & finem non posse elementa dici.

Quod

Quod non procedit, si ex aliquo esse, latè accipiantur. Nam singulis istis causis generatim loquendo particula ex accommodari potest, ut mox videbitur. Si autem eadem strictè accipiatur, tum soli materiæ appropriatur, et proinde forma sic non est, ex quo aliquid est. Et per consequens nec ipsa propriè est elementum. Atque hoc etiam Thomas docet 5. *Metaph lect.* 4. Armand. *lib.* 2. *Termin. c.* 247. Et consentire videtur Suarez *disp.* 15. *s.* 10. *n.* 16.

Dubium II.

An materia prima sit Elementum?

151. NEgant id Thom. *d. l.* 5. *Metaph. lib.* 4. Javellus 5. *Metaph. q.* 10. Armand. *d. lib.* 2. *Term. cap.* 247. Ratio illorum est, quia materia in nulla specie est. Ac quod est Elementum debet esse in aliqua specie, per illa verba Aristot. Ἀδιαίρετα τῷ εἴδει εἰς ἕτερα εἴδη.

152. Sed Respondeo, illa verba aliud nihil significare, quàm quòd, quicquid Elementum dicitur, non debeat esse aliquid dissimilare vel heterogeneum. Sicut et hæc phrasis sumitur *lib.* 3. *de Cœlo. cap.* 3. *t.* 31. At materia prima non est aliquid dissimilare et heterogeneum, sed similare. Ergo ex tota elementi definitione nihil deest materiæ ad rationem elementi.

Atque ita apparet spuriam elementi conditionem illam esse, qua requirebatur, ut, quod elementum dicitur, sit in aliqua specie. Quanquam nec in omni modo loquendi repugnet, materiam dici speciem. Confer Thom. *lib.* 3. *de cœlo. lect.* 8. ubi priorem sententiam retractavit; Fons. *l.* 5 *Met. c.* 3. *q.* 2. *s.* 1. et Suarez *disp.* 15. *Met. s.* 10. *n.* 55.

Dubium III.

An vulgata quatuor elementa vellè dicantur Elementa?

154. *Rationes dubitandi.*

Ratio dubitandi ex Aristotelica Elementi definitione est duplex: Altera; quòd ad rationem Elementi requiritur, ut sit *primum* etc. unde quod Elementum est, non debet esse resolubile in alia priora. At singula illa Elementa sunt resolubilia in materiam et formam. Deinde ad rationem Elementi pertinet, ut sit aliquid *insitum* τῷ ἐν αὐτοῖς. At quatuor Elementa non sunt actu in misto. Atque ita Averroes 5. *Metaph. comm.* 4. docet, materiam primam propriè ita esse Elementum: Corpora verò illa quatuor (ignem, aërem, aquam, terram) solùm esse Elementa, hominum opinione, quia scilicet Veteres opinati sint, ex illis corporibus primò omnia componi, & in ea ultimò resolvi. Et videtur id vellè Aristoteles, cùm ista Elementa, *quodammodo* Elementa vocat, quaque nonnulli sic appellent: Vide *lib.* 2. *de part. anim. cap.* 1. & *lib.* 2. *de gen. cap.* 1. *t.* 1. 4. 5 & 3. *Phys. cap.* 5. *t.* 45. & 1. *Phys. cap.* 4. *t.* 32.

155. *Dicitur.*

Hac in re id quidem certum est, etsi juxta primam vocis impositionem vulgata quatuor elementa, primò dicta sint elementa: tamen de re ipsa loquendo, rationem elementi primò convenire materiæ, (quod ipsum etiam voluit Aristot. citatis locis.) Indèque illa quatuor elementa (non quidem impropriè sed tamen) secundariò elementa esse, ut & Fonseca disputat *lib.* 3. *Met. ph. c.* 3 *q.* 1. *s.* 3. & *q.* 2. *s.* 4.

156. *Solvuntur objectiones.*

Atque ita ad *primam* rationem dubitandi respondeo: quòd primitas, quæ ad rationem elementi requiritur, non intelligenda sit absolutè: sed, ut quid elementum dicatur, sufficit, si sit primum in aliquo genere. Atque ita quatuor elementa sunt primum quid, unde corpora componuntur: primum, inquam, non simpliciter, sed in genere sensilium. Neque enim quicquam sensile est, ex quo priùs componatur res corporea, aut in quod ea posteriùs resolvatur, præter illa quatuor elementa.

157 Ad *secundam* Respondeo: Admisso, quod vulgata quatuor Elementa actu non sint in misto, adhuc ea posse Elementa dici. Ad illud enim εὐυπάρχον, cujus mentionem facit definitio Aristotelica Elementi, satis est, si ita contineantur in Elementato, ut hoc in illud resolvi possit. Unde sufficit, si elementum sit in Elemento (si non actu, tamen) virtute, prout Arist. docet *lib. 3. de cælo cap. 3. t. 31.* Atque ita de ratione Elementi, hactenus summatim est, ut initio, nec semper formaliter, nec virtute tantùm, sed modo accommodato suæ compositioni. Vide Suarez. *disp. 15. Metaph. s. 10. n. 54. 55.* & Fonsecam *d. l. & in Explan. tit. 3. illius capitis 3. ad init. l.*

ARTICULUS II.

De definitione materiæ.

158 MAteriæ definitio, dimissis aliis, optima est ea. *Materia est, Ex qua res est,* quam unicè tradit Aristoteles, ἡ ὕλη ἐστὶν, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος, hoc est, *Materia est causa, ex qua inexistente aliquod fit, 4. Metaph. 2. & 2. Phys. t. 3.* Sic & 1. *Polit. c. 3.* λέγω δ' ὕλην τὸ ἀναγκαῖόν τι ἐξ οὗ ἢ ὄντος τελεί ἔργον, hoc est, *Materiam voco subjectum, ex quo res aliqua efficitur.* Et hinc frequenter pro voce ὕλης quasi per periphrasin usurpari solet, τὸ ἐξ οὗ. Coincidit cum istis, Stoicorum definitio, quam Laërtius tradit *in Zenon.* ὕλη ἐστὶν, ἐξ ἧς ὁποιονοῦν γίνεται. *Materia est ex qua quodlibet fit.*

Pertinent autem ad istius definitionis declarationem tria: *Primum* est, quod 159 materia dicitur causa. *Alterum* est particula *Ex. Tertium* est vocula *est.*

160. Horum primum commodius declarabitur, *seq. tit. 16.* Vbi agetur de materiæ causalitate.

Vox est declaratur. Quoad tertium verò sciendum est, quòd particula illa *Est*, sit sumenda cum amplitudine, ita ut complectatur tum esse, tum fieri. Dicimus enim materiam esse causam, ex qua res *fit* & *constat*, quod ipsum etiam *ex seq. tit.* clarius erit.

161 Quoad secundum, ponitur ibi particula *Ex* tanquam propria nota & character materiæ. Verbum γίνομαι cum præpositione ἐξ significat τὸ ὅθεν ἡ ὕλη est. Ait Scaliger. *lib. 1. de plant. p. 234.* Intelligendum autem hoc est de celebriori & famosiori significatione τοῦ ex. Nam aliàs etiam iis tribuitur, quæ materia non sunt, ut Aristot. docet *l. 5. Metaph. c. 24. & l. 1. de gener. anim. cap. 18.* Arm. de Pell. Vis. *Stall. 2. Term. c. 25.* Et speciatim singulis causis ea particula tribui potest.

Declaratur particula Ex.

162. Igitur sic (præter illam significationem, quâ *Ex* materia notat) ex aliquando effi*Ex etiam efficientem significat.* cientem causam significat. Ita *Luc. 1.* Maria dicitur concepisse *Ex* Spiritu S. hoc est, efficientia Spiritus sancti, ut Ambros. interpretatur *l. 2. de Spirit. sanct. c. 5.* Quod eleganter expressit Damascenus, *l. 3. de orth. fid. c. 2.* Conceptum scilicet Christum esse ex Spiritu sancto οὐ σωματικῶς ἀλλὰ δημιουργικῶς. Sic & apud Arist. *lib. 5. Metaph. c. 1.* dicitur esse τὸ τέκνον, ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς καὶ ἀπὸ λοιδορίας, hoc est, filius *ex* Patre & matre, & pugna *ex* convitio. Pertinetque huc etiam, cùm exemplari tribuitur particula *Ex.* Nam exemplar ad causam efficientem pertinet, ut *tit. 3.* visum est. Applicat autem eam particulam Aristoteles exemplari *l. 7. Metaph. c. 7. t. 23.* συμβαίνει πρότερον τὴν ὑγίειαν ἐξ ὑγιεινοῦ γίνεσθαι, ᾗ τὸ ὑγιαῖνον ἐξ οὗ ὑγιάζει, τῆς οἰκίας ἐξ οἰκοδομητοῦ, τὸ ἔχειν ὕλην. *Contingit aliquomodo ex sanitate fieri sanitatem, & ex domo domum, materialem ex immateriali.* Vbi apertè Aristoteles de exemplari loquitur.

163 Secundò *Ex* aliquando adhibetur ad significandam formam. Sic ex forma et materia dicitur esse compositum, ut Aristoteles loquitur, *l. 1. Phys. cap. 7. t. 65.* Atq; hinc Fonseca *l. 5. Metaph. c. 3. q. 2. s. 2.* ait, etiam formam posse dici Elementum formati, quia formatum *ex* eo est.

Tertiò ex significat finem, ut ex eo edimus, ut vivamus, hoc est, propter eum finem edimus, etc.

Quar-

Quartò Ex significat totum. Ita versus aliquis dicitur sumptus esse ex Iliade, vel trabs ex ædificio.

Quintò Ex significat terminum à quo, sive aliquid antecedens: seu id sit positivum, seu simplex negatio. Sic dicitur ex puero senex fieri, & *ex puero indocto sapiens vir bonus.* Item ex nocte dies, & ex die nox, eodem sensu fit. Huc pertinet, quod Arist. ait *l. 1. de gener. anim. c. 18.* Alio *modo* dici, ex die fieri noctem, tem ex puero fieri virum, quia unum post alterum: *Ex alio* etiam *modo*, cùm ex ære statuam. Ex ligno lectum, aliavé ex materia fieri dicimus. Atque huc etiam pertinet, quod per creationem dicitur aliquid fieri ex nihilo. Ibi enim *Ex* nihil notat, nisi antecessionem, quòd scilicet, quod creatur, antequam crearetur, fuerit nihil, ut exponit Anselmus *in Monolog. cap. 7. 8.* Lychetus *in Scot. 2. d. 1. q. 2. in initio.* Scalig. *exerc. 6. sect. 13.* Taurellus *de ver. ætern. p. 211.* 164.

Sextò etiam Τὸ *ex* aliquando speciem significat. Veluti cùm dicimus bovem esse ex genere quadrupedum, apem ex genere avium. Et sic in aliis.

Famosissima tamen, ut suprà dictum est, significatio illa ex est, in qua materiam significat. Indéque etiam sine additio ponitur, quasi adæquata nota materiæ. 165.

TITULUS XV.

De entitate Materiæ.

INprimis materia potest considerari sub duabus notionibus: *altera* absolutâ, secundùm quam consideratur in ratione Entis: *altera* respectivâ, secundùm quam consideratur in ratione causæ, ut Themistius docet, *ad 1. Phys. in magna digress.* & Zabarell. *l. 1. de prim. mater. cap. 6.* 166.

Quoad Entitatem materiæ, quærendum est 1. An materia prima sit Ens? 2. An sit substantia? 3. An sit Ens actuale? Et 4. per quid sit Ens actuale? Et 5. denique agendum est de potentia materiæ.

ARTICULUS I.

An Materia sit Ens.

MAteriam esse Ens, verè dicitur, & rectè probatur inde: quòd materiam apprehendimus, ea ratione, quod aliud per eam intrinsecè constituatur, sive quod materia, cum ex materia constet. At hic est positivus effectus, qui non potest proficisci ab eo, quod nihil est. Et quomodo essentiam dare potest, quod non est Ens, sive quod nullam habet essentiam. 167. *Materiam esse Ens.*

Sed hic duo objiciuntur: *Primò*, quod Arist. 5. *Phys. tit. 8. & lib. 1. de gener. & cor.* Materiam vocat Non Ens. *Deinde* quod essentia indicatur per operationem, ut suprà disputatum est, *cap. 2.* At materiæ nulla est operatio. 168. *Objectiones.*

Ad *primum* Respondeo: De sententia Aristotelis absolutè loquendo, materia omnino est Ens. Frequenter enim Aristoteles substantiam dividit in materiam, formam & compositum, ut suo loco videbitur. At substantia utique Ens est. Proinde sciendum est, Non-Ens aliquando dici, ad significandam Entitatem (non, nullam, sed) imperfectam & incompletam, ut suprà visum est. *c. 2. n. 6.* Sic significat materia non est Ens, hoc est, non est Ens completum, vel perfectum, sicut alia, ut & Pererius interpretatur, *l. 5 Phys. c. 11.* Et ipse Aristoteles intuens hanc perfectionem comparatam, ait *1. Phys. t. 69.* Materia non est Ens *sicut* hoc aliquid. Et Augustinus *lib. 12. conf. c. 7* ait, materiam esse *prope* nihil. Et confirmatur, quia si materia esset absolutè loquendo non ens sive nihilum idem esset, fieri ex materia, & fieri ex nihilo. At ex diversitate creationis & generationis satis constat eorum diversitas. 169. *Solvuntur.* *Materia quomodo sit non ens.*

Ad *secundum* Respondeo: operationem esse indicium essentiæ; sed tamen non 170.

Operatio quale indicium sit essentiæ?

non est indicium adæquatum. Omne, inquam, quod operatur Ens est sed tamen non viciſſim, quicquid Ens est, id operatur, ſi vocem operandi rigoroſè ſumamus. Vel ſaltem operatio extendenda est, ut alibi etiam ſumi ſoleat, ea vox ad omnem uſum vel cauſalitatem, ut attigi ſuprà hoc *lib. 1. c. 2. n. 16.* Atque ita materia est Ens, quia etſi non habet operationem (effectivam) habet tamen cauſalitatem, quæ ad indicandam eſſentiam ſatis est.

ARTICULUS. II.

An omnis Materia ſit ſubſtantia?

171. *Ambiguitas in voce materiæ.*

QUæ hæc res facilis est. Ideò ſtatim reſpondeo per duplicem diſtinctionem: *Primò* materiæ vox intelligitur aliquando pro materia Phyſica. *Aliquando* autem intelligitur communiùs, pro omni eo, quod materialem cauſalitatem exercet, ſive ſit in corpore naturali, ſive non.

172. *Ambiguitas in voce ſubſtantiæ.*

Deinde etiam vox ſubſtantiæ *aliquando* ſumitur communiter, pro omni illo Ente, quod est καθ' ὑπάρκτην, ſeu, quod talem eſſentiam habet, quæ non egeat alio, in quo ſuſciatur. *Aliquando* verò ſpecialiter ſumitur vox ſubſtantiæ, pro eo ſcilicet, quod cum è tali Entium genere ſit, eſt etiam completè tale, ſeu quod eſt ſubſtantia completa.

173. *Deciſio.*

His præmiſſis duo dico: 1. *Materia communiſſime ſumpta non ſemper eſt ſubſtantia.* Ita patet. Nam ſine incommodo tres lineas dicimus materiam trianguli (quod idem eſt in aliis quantitatibus) & tamen lineæ non ſunt ſubſtantiæ. Proinde hinc relinquitur: quod materia, in iſta communitate, præſcindat ab eſſe ſubſtantiæ & accidentis.

174. 2. Dico: *Materia Phyſica eſt ſubſtantia, ſi ſubſtantiam intelligamus communiter pro omni ente καθ' ὑπάρκτω.* Ita patet, quia materia Phyſica dicitur ſolum per ordinem ad corpora naturalia, quæ ex illa componuntur eſſentialiter. At ſubſtantiæ non poſſunt eſſentialiter componi ex non ſubſtantiis, ut diſertè Ariſtoteles docet 1. *Phyſ. t. 52.* Idémque docetur ab Ariſt. 2. *de anim. t. 2.* ubi, ut & multis locis aliis, dividit ſubſtantiam in materiam, formam & compoſitum. Dix: *ſi ſubſtantiæ vox communiter accipiatur*, &c. Nam materia, ſubſtantia completa non eſt, cóque pertinet, quod Ariſtot. 1. *Phy. t. 79.* ait, materiam eſſe propè ſubſtantiam. Et *lib. 7. Metaph t. 8.* ait: *materiam non eſſe ſubſtantiam, neque quantum, neque aliquid aliud eorum, quibus ens determinatur.* Non eſt, inquam, tale quid, perfectè determinatè & completè.

ARTICULUS III.

An materia ſit ens actuale?

175. HOc quæritur: *An hoc ens, quod materiam vocamus, detur de facto in mundo?* Hoc igitur ſi probemus de materia Phyſica, à fortiori, vel etiam à ſimili, procedet de materia alia, vel de materia in communi.

176. *Probatur materiam eſſe ens actuale.*

Igitur materiam de facto in mundo dari, adeóque eam eſſe ens actuale inde patet; quia ſecus corpora naturalia eſſent Entia ſimplicia, & non compoſita, quod implicat. Conſequentia autem patet, quia corpora naturalia, eſſentialiter & Phyſicè non componuntur, niſi ex Materia & Forma. At nihil realiter componitur niſi ex iis, quæ ſunt actualia, ſive quæ actu in illo ſunt.

177. *Deinde* etiam probat id Ariſtoteles 1. *Phyſ.* Ex rerum tranſmutatione, inprimis evidens eſt, cum res corrumpuntur, tres illas non reſolvi in nihilum. Ergo remanet aliqua ſubſtantia in corrupto quæ præfuerat in corrumpendo, quæ ſcilicet ſuſtentet formam cadaveris, quæ antea formam hominis ſuſtentabat. At illud commune ſubjectum formarum continuarum, vocamus materiam.

Denique ſolet id probari per analogiam, de qua Ariſt. diſſerit 1. *Phyſ. t. 69* Nempe ſicut

sicut in mutationibus accidentalibus, aliquod est commune subjectum formæ utriusque. Ita oportet, ut sit etiam in mutabilibus substantialibus. At hæc, quæ in genito & corrupto est eadem substantia, non potest esse, nisi materia. Corruptio enim fit per separationem, & quasi abitum formæ. Antecedens autem patet. Nam eadem aqua est, quæ prius erat frigida, & postea est calida. Idem homo est, qui prius erat rubicundus, & postea est pallidus. Item in mutationibus artificiosis idem æs est, quod nunc caret forma nummi vel thaleri, & postea eam habet, & sic in aliis. Vide inprimis ea de re Zabarell. *lib. 1. de prim. mat. c. 3. n. 5.*

179. *Objectiones.*

Objiciuntur duo: *Primum* est, quod materia dicitur informis. At nihil in mundo est, quod sit informe. *Alterum* est, quod materia dici soleat pura potentia. Purum autem dicimus, quod alieni nihil habet. Proinde pura potentia erit, quæ nihil habet actus: Materia igitur nullum actum habebit, & per consequens non erit aliquid actuale.

180. *Responsiones. Materia quomodo informis.*

Respondeo ad *primum*: Materiam esse informem, si loquamur de ea, in puritate essentiæ. Est, inquam, materia informis, hoc est, in essentia sua non implicat quicquam, quod forma sit. Nihilominus materia non existit. Hactenus enim verum est illud vulgatum: Plura requiruntur ad existentiam, quàm ad essentiam. Sicut igitur forma ratione essentiæ non implicat materiam, & simpliciter est Ens actuale, non obstante eo, quod non reperitur, nisi in materia. Ita vicissim, cùm materia in essentia sua non implicat formam, potest ipsa esse Ens actuale, etsi ipsa non reperiatur, nisi juncta vel unita formæ.

181.

Quomodo autem (quæ altera erat objectio) materia dicatur pura potentia, apparebit in proximè sequenti quinto articulo, unde hujus objectionis solutio petenda est.

ARTICULUS IV.

Per quid materia sit Ens actuale?

182. *Materia est per seipsam actualis & non per formam.*

Zabarella *l. 2. de prim. mat. c. 1. seqq.* disputat materiam actuari per formam solùm. Indèque omnem actum ait esse formalem, & vanum esse, addere aliquem actum Entitativum. Etsi autem verum sit, materiæ potentiam passivam actuari per formam: tamen essentia materiæ non est actualis per formam. Nam secundùm essentiam suam prior est formâ. Ergo in ordine naturæ ratione essentiæ suæ, actualis est, priusquàm habeat formam. Et confirmatur, quòd forma non actuat quicquam essentialiter, nisi intrinsecè illud componendo & constituendo. At materia, quippe Ens simplicissimum, non componitur ex forma. Sed hanc rem satis pertractatus sum suprà, *cap. 14. num. 74. seq. & cap. 15. num. 45 seqq.*

ARTICULUS V.

De potentia materiæ.

183.

Duo solent potissimùm materiæ attributa esse, potentia & privatio. Per privationem significatur absentia vel vacuitas formarum, in eam introducendarum, ut Scalig. definit *ex. 5. s. 2. & de plant. p. 183.* Potentia autem significat aptitudinem ad habendam eam formam, quæ pro tempore non habetur.

Hæc igitur potentia, quomodo cum actualitate materiæ, de qua hactenus actum est, consistat, videndum est.

184. *Materia non est in potentia objectiva.*

Proinde hanc ad rem discernenda est potentia objectiva à potentia passiva materiæ. Illa intelligitur, cùm materia dicitur *posse fieri*, cúmque adeò adhuc dicitur latens in causis. Atque hanc potentiam materia non habet. Neque enim ea adhuc dum producibilis est: sed dudum est producta. Per productionem autem sui, unaquæque res emergit ex tali potentia. Porrò remotio potentiæ infert actualitatem. Per carentiam igitur potentiæ objectivæ, materia est aliquid actuale

Actualis, inquam, est, per actualitatem suæ essentiæ, quòd, quam essentiam habet, non habet eam amplius producibilem.

185. *Materia quomodo sit pura potentia?*

Atque hinc illud, sequitur, quòd, cùm materia dicitur esse pura potentia, non intelligatur removeri à materia actus ille, qui elevet eam ex potentia objectiva. Dicetur ergo pura potentia, non simpliciter, sed secundùm quid.

186. Estque adeò id solùm intelligendum, de potentia passiva, quam habet per ordinem ad recipiendas formas. Est, inquam, hoc modo in pura potentia, quia nullam formam, quæ suo modo actuat materiam, includit. Unde apparet, cùm materia dicitur pura potentia, quod idem sit, ac si dicatur ἄμορφος sive informis.

187. *Potentia materiæ est universalis?*

Atque hinc rursus relinquitur: potentiam materiæ esse universalem. Nam purum dicimus, quod alieni nihil habet. Atque ita pura potentia erit id, quod nihil actualitatis habet. Cùm igitur illa potentia intelligatur per ordinem ad formas. Ergo, nullam prorsus formam habet cum aptitudine ad omnes habendas. At hæc est universalis potentia.

188. *Quatenus sit universalis?*

Sunt autem ad hanc rem duo observanda: *Primum* est, quod illa universalis potentia materiæ intelligatur de ea, cum sermo est de puritate essentiæ, quam materia habet, ut insinuatum est. Nam prout de facto existit materia, semper est conjuncta cum aliqua forma. Ergo sic non habet potentiam ad formam istam, veluti materia, quæ est hominis, ad formam hominis. Hæc enim potentia tollitur per præsentiam actus. Proinde potentia materiæ est universalis, spectando eam ex vi essentiæ ejus. Est autem ejusdem potentia particularis, attendendo eam juxta eum modum, quo de facto existit. Nunquam enim sine aliqua forma, actu habita subsistit.

189. *Alterum est:* quod illa aptitudo in materia, sit quidem ad omnes formas quod tamen illa non compleatur simul per omnes formas. Impossibile enim est, ut eadem materia simul habeat oppositas sive contrarias formas. Materia, quæ hominis formam recipit, non potest etiam simul habere bestiæ formam, & sic in aliis.

TITULUS. XVI.

De Causalitate Materiæ.

190. QUoad causalitatem materiæ tractanda sunt tria: *Primò:* An materia sit causa? *Deinde:* quarum rerum sit causa? *Denique:* quomodo causet, seu, quæ sit ejus causalitas?

ARTICULUS. I.

An materia sit causa.

MAteriam esse causam rectè & sufficienter probatur inde, quod ea verum & positivum influxum præbet ad productionem, vel intrinsecam constitutionem materiati. At illi influxui nihil deest, quod ad veram causalitatem satis sit. Cuicunque autem convenit causalitas, id utique causa est. Alia mitto.

191. *Objectiones.*

Solet objici 1. Quòd materia non sit actu, sed potestate. At omnis causa debet esse aliquid actu. 2. Quòd omnis causa debeat responderi ad propter quid, *Ex 1. Phys. c. 7.* At propter materiam res non dicitur esse, sed ex materia. 3. Quòd materia sit non ens. 4. Quòd materia nihil agat. At omnis causa agere debet.

192. *Solvuntur.*

Respondeo breviter *ad primum*: Esse actuale non est cuivis causæ, necessarium, ut de hac patet. 2. Materiæ non deest esse actuale. Dicitur enim solùm esse in potestate, intelligendo eam potentiam per ordinem ad formas substantiales. Omnis causa autem (excipiendo finem) debet esse actualis, hoc est, non debet latere in potentia agentis. At materia utique non latet in agentis potentia. Vide prior. *lit. 15. n. 3. 5.*

Ad

Ad secundum Respondeo: Tò *propter*, bifariam sumi. Aliquando est idem, quod cujus gratiâ. Et sic soli fini, non autem omnibus causis convenit. Aliter autem sumitur generaliùs. Atque tunc sicut efficiens & forma, non obstantibus specialibus characteribus sunt causæ, & propter quid dicuntur: Ita etiam est in materia. Vide Fonsec. 1. *Metaph. c.* 7. *q.* 1. *s.* 6. 193.

Ad tertium: Antea visum est *tit.* 13. *art.* 1. quomodo materia non sit Ens, quâ explicatione præsuppositâ, nihil relinquitur efficiens causalitati materiæ. 194.

Ad quartum respondeo: Materiam nihil agere, intelligendo actionem pro influxu effectivo. Atque hæc actio non debet competere materiæ: quia materia est, & non efficiens. Unde etiam relinquitur, quod non conveniat causæ generatim loquendo, quod ea agere debeat. Omnis enim causa debet agere, eo solùm sensu, si agere æquipollenter dicatur ad influere. Vnde hoc sensu materia rectè agere dicitur, hoc est, influere. Influit enim utique, dum intrinsecè & essentialiter compositum constituit. 195.

ARTICULUS II.
Quarum rerum materia sit causa?

HAnc rem prosequor per distinctas propositiones. 196.

Vnde dico 1. *Non omnia entia habere materiam.* Ita patet, quia sunt aliqua Entia absolutè simplicia. At cuicunque materia competit, id compositum est. Neque enim materia sola constituit compositum. Ergo coëxigit formam. At hæc juncta, compositionem efficiunt, & tollunt simplicitatem. Vnde si omne Ens haberet materiam, cum repugnantia Ens divideretur in simplex & compositum. *Non omne ens habet materiam.*

Atque ad hanc assertionem porro probandam 2. dico: *Deum non habere materiam.* Ita patet, ex multiplicibus imperfectionibus, quæ secus Deo essent attribuendæ, quas suo loco prosequor. Vide infra *l.* 2. *c.* 3. ad locum de Dei simplicitate. 197.

3. Dico: *Angelos non habere materiam.* Hoc itidem probatur infra *lib.* 2. *c.* 4. *nu.* 23. *seqq. & n.* 50. *seqq.* 198.

4. *Formæ non habent materiam.* Ita patet, quia secus formæ non essent simplices, & præterea etiam ipsæ formæ formas haberent, quia materia sola non absolvit speciem. At hæc omnia absurda sunt. 199.

5. *Non sola corpora naturalia habeant materiam; si latè sumamus terminum.* Nam, ut visum est præcedente Titulo, *art.* 2. Potest vera materia accidens esse. Materiatum igitur, per hanc materiam, utique non erit substantia, ac proinde nec corpus. 200.

6. Atque ad hanc rem nunc porro dico: *etiam accidentia habere materiam*, quod quomodo sit, & quatenus infrà explico, *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 42. *seqq.* 201.

In universum autem, *Primo*: omne id materiam habet, quod formam habet. Forma enim necessariò postulat subjectum, vel receptaculum in quo sit: Et hoc est materia: *Deinde* omne id materiam habet, quod quantitatem habet. Atque hinc Scalig. *exerc.* 61. *s.* 1. in certo etiam esse materiam probat, quia ibi datur quantitas, indicio sumpto ex raritate & densitate partium, quæ sumuntur secundùm diversitatem quantitatis. *Tertio*: quæcunque habent partes realiter distinctas essque Physicè essentiales ea habent materiam. Tales enim partes non sunt, nisi Materia & Forma. 202. *In universum quæ habeant materiam?*

Atque ita ex his relinquitur respectu solius compositi (quod scilicet ex materia & forma constat) materiam exercere causalitatem, seu, quod idem est, materiam solùm compositum causare. Hoc enim solùm intrinsecè constituitur per materiam. Alii autem respectus, quos materia habet, non sunt necessariò sub ratione causæ, sed sufficit ad istos, respectus subjecti. Tales sunt ii, quos 203.

materia

materia habet, per ordinem ad formam vel generationem. Atque hoc ipsum etiam docet Maior 2. *dist.* 12. *q.* 2. Albert. 2. *Phys. tract.* 2. *c.* 3. Dissentit Suarez *disp.* 13. *Metaphys. sect.* 7.

ARTICVLVS III.

Quomodo causet materia?

204 *Materia causat duobus modis.*

COnclusum est hactenus: materiam esse causam compositi: Nunc igitur porro dico: materiam attingere compositum duobus modis, adeóque dupliciter exercere causalitatem, respectu compositi. *Primo* igitur materia concurrit ad productionem compositi, *in fieri suo*. Hoc facit materia, sustentando varias dispositiones, & alterationes, quæ ad ejus productionem pertinent. Atque hanc causalitatem attingit Aristoteles, dicens, quod materia sit subjectum, ex quo res fit, 1. *Phys. c.* 9. & 2. *Phys. c.* 9. *Deinde* materia concurrit ad compositum *in facto esse*, quod facit intrinsecè cum forma componendo compositum. Et hæc ejus causalitas probatur, quia si taliter se non haberet materia, non esset causa interna. Internum enim cùm materiæ & formæ appropriantur, intelliguntur per ordinem ad essentiam, cui istæ causæ internæ dicuntur. Atque ita satis negatoriè ait Timplerus *l.* 4. *Met. t.* 6. *q.* 20. cœlum esse immateriatum, quia non sit ex materia productum. At si non habuit cœlum materiam in fieri, quod facilè admitti potest, habet tamen materiam in facto esse. Ideóque sufficiens ratio est, unde cœlum materiatum dicatur.

TITVLVS XVII.

DE DIVISIONIBVS MATERIÆ.

205 MAteriæ divisiones potissimùm quatuor sunt: Materia est remota vel propinqua. 2. Materia est immanens vel transiens. 3. Materia est sensilis vel intelligibilis. 4. Materia est prima vel secunda.

ARTICVLVS I.

De divisione materiæ in remotam & propinquam.

206 DIvisio hæc facilè intelligitur ex proportione ad divisiones similes. Veluti cùm efficiens aliud propinquum aliud remotum dicimus. Proinde sicut efficiens remotum vocamus, quod causat, mediante alio propinquiori efficiente, ita materia remota est, quæ causat mediante aliqua propinquiori materia. Et rursus: Sicut efficiens propinquum est, quod proximè causalitate sua attingit effectum: Ita materia etiam propinqua est, quæ proximè ad rem aliquam exercet causalitatem materialem. Igitur materia propinqua animalis sunt caro & ossa. Remota sanguis & semen, ex quibus fiunt caro & ossa: Adhuc remotior materia sunt quatuor Elementa; ex quibus fiunt sanguis & semen. Sic in Logicis: Materia propinqua Syllogismi dicuntur præmissæ & conclusio: materia remota sunt tres termini, ex quibus præmissæ & conclusio componuntur: Et sic in aliis.

ARTICVLVS II.

De divisione materiæ in immanentem & transeuntem.

207 *Materia immanens bifariam dicitur.*

AD hanc divisionem rectè intelligendam inprimis advertendum est, quod materia immanens bifariam dicatur: Aliquando enim materia immanens dici potest hoc sensu, quod sit interna materiato, seu quod pertineat ad rei materiatæ essentiam. Et hoc sensu omnis materia est immanens. Nulla autem est transiens. Aliter verò materia immanens intelligi potest, pro ea, quæ secundùm

eandem

eandem rationem & speciem manet in materiato. Et sic aliqua est immanens, aliqua transiens. Vide Colonienses *in Illiens. tract. 5. fol. 212 fac. 1.*

Et ex his statim intelligitur: quid nunc sit materia immanens & transiens. 208.
Transiens nempe *Materia* est, quæ ut composita essentiam constituat, transit prius ex esse suo, in esse illud, secundùm quod maneat in composito. Sic ex caseo fiunt vermes. Hic materia vermium est caseus, materia, inquam, transiens. Transit enim caseus ex esse suo, in esse aliud, secundùm quod est in vermibus. Idem est cùm ex semine homo, ex quisquiliis mus, ex ovo gallina gignitur. Semper enim ibi id, quod materiam vocamus, ex esse suo transit. Neque enim intra essentiam vermium, hominis, muris, vel gallinæ, invenimus caseum, vel semen, vel quisquilias, vel ova: & sic in aliis.

Materia igitur immanens est, quæ in composito manet secundùm eandem speciem & formam. Sic corpus organicum est materia animalis. Materia domus (si in aggregatis id etiam dicere liceat) sunt ligna & lapides. 208.

ARTICULUS III.

De divisione materiæ in intelligibilem & sensilem.

DIvisio hæc traditur ab Aristot. 7. *Metaph. c. 10.* Ἔστι δ' ὕλη ἡ μὲν αἰσθητὴ, ἡ δὲ νοητὴ *Materia alia quidem est sensilis, alia vero intelligibilis.* 210.

Porrò nomen *intelligibilis materiæ* possumus tribus modis accipere. 1. ut intelligibilis materia dicatur, quæ cum verè materia non sit, apprehenditur tamen ab intellectu tanquam materia. Quomodo intelligibilis quantitas dicitur, quæ Angelis tribuitur, à Scalig. *exerc. 269. s. 3.* intelligibilis, inquam, hoc est, quæ *solum* ab intellectu apprehenditur (cum revera non sit) tanquam quantitas. Atque hoc modo possumus angelis, servatâ proportione ad quantitatem rerum tribuere materiam intelligibilem. Sed hoc modo intelligibilis materia non sumitur in illa superiori divisione. Nam juxta hanc significationem, intelligibile non opponitur sensili, sed ei, quod verum vel reale est. 211. *Materia intelligibilis trifariâ dicitur.*

Aliter: intelligibilis materia dici potest, quæ cum sit verè materia, non potest tamen ullo modo, sensu, sed solo intellectu cognosci. Sensilis autem est sic, quæ vel à sensu actu cognoscitur, vel apta est, sic cognosci. Atque sic cùm nihil sensile sit, nisi quod est in corpore, hinc igitur quæcunque materia reperitur in incorporeis, dicenda erit intelligibilis. Atque ita Clarissimus Dominus Theodoricus *in Instit. Dialect. l. 1. cap. 8.* Materiam sensilem definit: Ex qua constat materiatum corporeum; materiam intelligibilem autem definit ex qua constat materiatum incorporeum ut sunt dictiones in oratione, tres propositiones in syllogismo, & sic in aliis. 212.

Denique: materia intelligibilis dicitur, quæ cùm vera sit materia, de facto tamen, &, ut talis est, non cognoscitur sensu. Sensilis autem materia est quæ actu, &, ut talis est, à sensu potest cognosci. Atque hoc modo, materia prima, intelligibilis dicitur, non sensilis. Illa, inquam, intelligibilis solùm est, quia non convenit ei determinata quantitas, aut qualitas, quæ ad actualem sensionem præsupponuntur. Atque hoc modo sumenda est vox materiæ intelligibilis, cum Mathematicus dicitur abstrahere à materia sensili, non autem intelligibili. Sensus enim est, quòd Mathematicus non consideret quantitatem in definito aliquo sensili corpore, sed apprehendat quantitatem in corpore aliquo confusè accepto. At id non est aliud, quàm materia prima. Ita docet Zabarell. *in comm. ad 2. phys. ad tex.* 18. Socinas 6. *Metaph. q.* 11. Ægid. Rom 7. *Metaph. c. 1. q. 1. ad tertium, in fine*, aliique. Nam quòd ibi per materiam intelligibilem intelligunt aliqui ipsam magnitudinem (ut facit Collig. Conimbr. *in phys. q. 1. proœm. a. 1. 4.* Petavius *l. 10. de quantitate, c. 17.* Suarez *disp. 37. Metaph. s. 2. n. 16.* aliique) in ea satis sibi contradicunt, ut ostendi in opusculo de Philosophia, n. 84. *Mathesis quomodo non abstrahat à materia intelligibili.*

ARTICULUS. IV.

De divisione materiæ in primam & secundam.

214. *Quid sit materia prima & secunda?*

HÆc Physica est materiæ divisio. Ideóque breviter attingenda est, solùm ut terminis declarentur. Ratio igitur appellationis est, quod *materia prima* apprehenderitur illa esse, quæ est irresolubilis in aliam, se priorem, materiam. Unde *materia secunda* est, quæ aliam materiam præsupponit: Sic Elementa non sunt materia prima animalium, v.g. sed materia secunda. Nam & ipsa Elementa constant ex aliqua materia, ut inde manifestum est, quia Elementa frequenter corrumpuntur, veluti aqua, cùm ex ea aer fit, aut aer, cùm ex eo aqua fit. Hic igitur imprimis certum est, cum aqua, verbi gratia, eo modo corrumpitur, tum abire quidem formam aquæ, eamque prorsus non remanere, ipsam tamen aquam non annihilari, sive in nihilum abire. Est igitur aliquid substantiale in aqua, quod postea manet sub diversa forma, nempe aëris. Hoc igitur non potest aliud fuisse, nisi materia aquæ. Atque hæc materia, quæ ex hoc discursu resinquitur esse in aqua, est in aliam priorem materiam irresolubilis. Ergo ista materia secunda in se spectata, & non attendendo formam, cui de facto conjungitur, vocatur prima materia. Atque ita apparet etiam istam primam materiam dari.

Ram eorum, eam negantium, argumenta, (quorum quinquaginta quinque recenset & refutat Clarissimus Hippius *in probl. phys. q.* 11.) hic persequi nolo: Sunt enim φυσικοὶ πλεκτοὶ.

215. *Descriptiones materiæ primæ.*

Descriptiones materiæ primæ variæ tradi solent. Arist. *l. 1. phys. in fine* ait: *Materiam esse primam substantiam unuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundùm accidens: Et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* Et lib. 7. Metaph. t. 8. *Materia est, quæ per se ipsam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud est eorum, quibus Ens determinatur,* &c.

216. *Augustinus* l. 12. Confess. c. 7. *Materia,* inquit, *est informis & immutabilis, omnium tamen formarum capax, omnimodæ mutationum prorsus subjectum, non tam ex sc, quàm ex commutatione eorum, quæ in ea versantur, apta cognosci à nobis.*

217. Paulò prolixiùs verò circumloquitur eam *Porphyrius* in lib. de occasionib. c. 11. *Materia prima,* inquit, *ex se est incorporea, neque intellectus, neque anima, neque aliud secundùm se vivens, informis, immutabilis, infinita, impotens. Quapropter neque Ens, sed verum non-Ens. Imago molis apparens, appetitio subsistentiæ, & stans non in stans, tum parvum, tum magnum, quod sit semper, manet vero nunquam, neque tamen aufugere potens, quippe cum totius Entis sit defectus, quamobrem quicquid promittit, mentitur, ac si magnum appareat, interim evadit parvum. Quasi enim indus quidam est in non-Ens refugiens. Fuga ejus non fit in loco, sed dum ab Ente desinit. Quocirca, quæ in ea sunt imagines, ipsum: ita deteriora vultus imagine: Sicut in speculo, quod alicubi situm est, apparet aliis, & ipsum speculum vicinum esse videtur, ubique habet, dum omnia videtur habere.* Sed hæc omnia dextrè sunt intelligenda. Ad Physicam autem pertinet hæc uberiùs tractare. Atque hactenus hinc de materia, sequitur ut agamus.

De Forma.

218. Quoad causam formalem, de his potissimùm videndum est: *Primò*, de appellatione formæ. *Deinde*, de ejus definitione. *Tertiò*, de ejus Entitate. *Quartò*, de ejus causalitate & pertinentibus ad eam, Ac *demque*, de variis illius divisionibus.

TITVLVS XVIII.

DE APPELLATIONE FORMÆ.

NOminis expositio potissimùm in tribus consistit, nempe in Etymologia, distinctione variarum significationum, & expositione æquipollentium, de his igitur agendum est.

ARTICVLVS I.

De Vocis formæ Etymologia, & variis significationibus ejus, ubi & variæ vocis distinctiones explicantur.

219 *Forma unde dicatur.*

IGitur vox formæ videtur transsumpta esse ex Græco μορφὴ per μετάθεσιν literarum, ut Scaliger autumat *exer. 312. pag. 1005.* mutato φ Græcorum in F Latinum, sicut & fit in voce φήμη, unde est fama; & φαίνομαι, unde est, ex Scaligeri opinione, Latinorum nomen, fenestra.

220. *Ambiguitates in voce formæ.*

Quoad varias vocis hujus significationes, solet *primò* vox formæ sumi æquipollenter ad essentiam, sicut & quidditas, et natura. *vide suprà hoc lib. c. 2. n. 25.*

221. *Explicatur distinctio formæ in formam totius et partis.*

Ab hac significatione, alia est ea, quâ forma inter causas numeratur. Atque hoc discrimen constituitur per illam distinctionem Scoti, quando distinguit inter formam totius, et partis, *2. sent. dist. 3. in q. 6. & in quodlib. q. 2. n. 2.* Satis commodè, quicquid dicat Zabarella *lib. de const. individ. c. 8. 9. 10.*

Igitur, *Forma partis* est nihil aliud, quàm forma, quæ est altera pars compositi, illique cum materia, tanquam comparte constituit. Quale quid est anima in homine. *Forma totius* autem est nihil aliud, quàm forma sumpta pro essentia. Vocatur illa *totius* forma negativè, quia non habet rationem Physicæ partis in ente, aut etiam, quia totam essentiam significat, non autem solùm alteram partem. Comprehendit enim in rebus materialibus materiam et formam earum. Et sic humanitas vel hominitas est forma hominis.

222 Atque ex his apparet multiplex discrimen, inter formam totius et partis. Nam 1. Forma totius convenit omni enti etiam immateriali. At forma partis non convenit, nisi rebus habentibus materiam. Deinde forma partis contradistinguitur materiæ. At forma totius materiam implicat. Alia miten. In præsenti igitur contiderationc, sive causarum distinctione, vox formæ intelligitur de forma partis.

223 *Secundo.* Forma aliquando idem est, quod differentia. Hæc etiam significatio non est hujus loci. Nam differentia non constituit totum cum materia, sed cum genere. Forma autem, quæ inter causarum genera ponitur, dicitur πρὸς ὕλην, nempe ad materiam.

Forma Physica & Logica quid?

Ad hanc igitur significationem ab illa discernendam, distinguitur forma in Physicam et Logicam, sive Metaphysicam. Vbi, sub forma Physica, illa intelligitur quæ est pars materiæ, et in divisione causarum intelligitur. Forma autem Logica sive Metaphysica (termini enim hi æquipollenter dicuntur) est idem quod differentia. Juxta quem sensum et genus commutatâ proportione, materia Logica vel Metaphysica, et totum ex genere et differentia resultans, totum Metaphysicum; ex materia autem et forma resultans, totum Physicum, dici solet.

224 *Tertio.* Forma aliquando solet sumi pro externa effigie, vel determinatione quantitatis, quemodo *Aristot. lib. Categ. cap. 8.* figuram et formam fecit quartam speciem qualitatis. Atque ad hanc significationem termè relabitur illa etiam, quâ forma sumitur pro pulchritudine, juxta quam significationem à forma formosum dicimus. Hæc etiam significatio non est hujus.

225. *Forma substantialis & accidentalis quid?* Igitur ad hanc significationem discernendam ab ea, quam nunc habet vox formæ, solet forma distingui in substantialem sive essentialem (οὐσιώδη.) Et accidentalem (ἐπουσιώδη quasi post essentialem) ubi ex terminis statim apparet diversitas significationum. Nam forma in divisione causarum est pars essentiæ, indéque est eâ prior. At accidentalis forma est ὑστερωδης, hoc est, essentiâ posterior. Sic igitur essentialis forma hominis est anima. Accidentalis autem ejus forma est externa lineamentorum dispositio, veluti quod erectos vultus ad sidera tollit. Apparetque inde istam formæ non esse divisionem (rigorosè loquendo) sed distinctionem nominis, sicut & de prioribus erat.

226. *Quarto*; Forma aliquando sumitur pro externo motore. Quomodo Peripatetici aiunt, intelligentias esse formas orbium. Et, sensu Averroistico, dicitur anima rationalis esse forma hominis. Ubi ratio appellationis sumitur solùm à similitudine, juxta quam convenit utrique, impertiri motum ei rei, cujus quidque forma dicitur.

227. *Forma assistens & informans quid?* Atque hæc etiam significatio non est hujus loci. Externus enim motor ad causam efficientem pertinet, cui nunc forma contradistinguitur. Et forma utique non est quid externum, sed internum. Itaque hinc ad hanc etiam vocis significationem secernendam, forma distinguitur in *assistentem & informantem*. Per formam enim informantem intelligitur ea, quæ juxta præsentem sensum forma est. Per formam autem assistentem intelligitur ea, quæ verè forma non est, nec aliquid informat, sed solùm tribuit motum. Atque hinc etiam ea non est divisio rei, sed distinctio vocis solùm. Quod observandum est, contra Templerum, qui id non intelligens ait *lib. 3. Metaph. c. 2. q. 66.* Formam assistentem esse merum figmentum ingenii humani, & propterea ex Philosophiæ limitibus eliminandam. Imposita enim solùm est vox formæ assistentis, ad signandam peculiarem quandam significationem sub voce formæ, ut jam expositum est.

228. *Angeli quomodo sint formæ?* *Quinto*; Forma sumitur per Metaphoram, pro eo ente, quod in ratione simplicitatis simile est formæ. Atque hoc modo Angeli solent dici formæ separatæ. Hæc etiam significatio hujus loci non est, ut ipsa vox separati evincit. Nam forma in quantum talis est, non est aliquid separatum vel abjunctum à materia. Sed unitum ei. Unde etiam significatio ejus est relativa, dicturque adeò forma tormati forma. At Angeli dicuntur formæ, juxta absolutam significationem.

229. *Sexto*; Solet & forma sumi pro imagine, quomodo conceptus in mente, res repræsentantes dicuntur formæ earum. Et hoc modo loquendi exemplar solet forma appellari, ut ex variis Autoribus referunt Conimbricenses *l. 2. Phys. c. 7. q. 4.* non quia sint verè formæ, ut ipsi ibi volunt: sed quia rerum exemplatarum imagines sunt, ut rectè interpretatur Suarez *in Metaph disp. 25 s. 2. n. 15.*

230. *Septimo*; Sicut materia κατ' ἀναλογίαν intelligitur de materia rerum naturalium: ita etiam forma intelligitur quandoque κατ' ἀναλογίαν de forma corporum. Quo sensu Aristot. *l. 2. de anim. t. 2. & 7. Metaph. t. 7.* Substantiam dividit in materiam & formam, & compositum, ubi indicat, quod forma omnis, juxta illam insinuatam ἀναλογίαν, sit substantia.

231. *Denique* in communi forma dicitur omne illud, sive in corpore sit, sive non quod coordinatur materiæ, ad absolvendum aliquam speciem, quomodo Metaphysicus loquitur de forma: Etsi, cùm principale analogatum formæ, sit forma rerum naturalium, non declaret ferè rationem formæ, nisi intuendo id potissimùm formarum genus; Cùm aliàs etiam accidentia verè & propriè sint formæ, ut infrà declarabitur *lib. 2. capit. 6. sect. 4. punct. 4.*

A R-

ARTICULUS II.

De aliis nominibus formæ.

VAriæ vocis formæ significationes & nominales divisiones hactenus determinatæ sunt, venimus ad expositionem æquipollentium. 232

Igitur 1. valde frequenter forma dicitur λόγος τοῦ εἶναι, sive *ratio essendi*, vel *ratio quidditatis*, ex Aristot. 2. *phys. c.* 3. 1. *post.* 11. *et* 5. *Met.* 2. Item λόγος τὸ τί ἦν εἶναι, & εἶδος τὸ τί ἦν εἶναι, *l.* 1. *de gener. anim. c.* 1. Idque adeò, quia est potissima pars essentiæ, non in quibusque entibus (neque enim omnia entia habent formam) sed in iis, quibus ea convenit. In his enim non est tanquam aliquid extrinsecum essentiæ, prout sunt accidentia, neque etiam aliquid inchoans essentiam, sicut materia, sed sicut absolvens: Atque hoc significant nomina ista Simile est, quòd apud Platonem anima, appellatur homo, quia melior pars essentiæ illius in ea consistit, ut interpretantur Conimbr. 1. *phys. c.* 9 *q.* 5. *art.* 3. 233. *Forma dicitur ratio quidditatis*

2. Apud Aristotelem *l.* 2. *de anim. c.* 1. ex definitione animæ, forma vocatur ἐντελέχεια. Ἐντελέχεια autem non est idem quod motio, ut Cicero interpretatur, *Tusc. quæst.* 1. & defendit Politianus, *in Miscell. c.* 1. Quia motio est ens successivum, non permanens, quale quid est anima. Proinde nec ἐντελέχεια significat aliquid successivum. Vnde nec ἐντελέχεια hic eadem est, quod ἐνέργεια, prout hanc Vocem aliquos interpretatos esse, refert Plutarch. *in lib. de placit. Philos.* Rectiùs igitur forma dicitur ἐντελέχεια tanquam actus intrinsecè perficiens; ut Etymologia vocis insinuat. Dicitur enim ἐντελέχεια ἐν τῷ ἐν ἔχειν τέλος, ἔχω, quasi intus habens perfectionem. Vide Budæum *lib.* 1. *de asse.* Monlorium *in particulari lib. de* ἐντελεχείᾳ. Scalig. *exerc.* 307. *s.* 12. & 39. & Fonsec. *l.* 1. *Met. c.* 7 *q.* 3. *s.* 8. Cœlium Rhodiginum. *l.* 2. *antiq lect. c.* 22. 234. *Forma, quomodo dicatur* ἐντελέχεια?

3. Appellatur etiam μορφὴ, unde & præcedenti articulo ex hoc nomine factum putabamus nomen formæ. Sic Scal. *exerc.* 80. *s.* 3. ἐσθωμαμῦτα facit ἐντελέχειαν μορφικὴν ἢ εἶδος. 235. μορφὴ,

4. Forma dicitur *actus*, quia scilicet actuat aliud. Idque bifariam. Nam 1. actuat materiam, non dando ei esse (quod suprà refutatum est) sed, dando ei determinata attributa, quæ ante illius formæ adventum non habebat; aut etiam, quia complet ejus capacitatem sive potentiam passivam, quam habet ad recipiendas formas. Dicitur ergo hactenus actus respectu materiæ. Secundò etiam est actus, respectu compositi. A forma enim est ultima actualitas compositi. Et sic *in l.* 2. *de anim. cap.* 1. Aristot. ait, animam esse actum corporis organici, ubi plerique per corpus organicum non intelligunt corpus ad modum materiæ vel partis, sed ad modum totius. Vide inprimis Zabar. *in l.* 2. *de anim. in comment. p.* 143. 144. Et Suarez. *disp.* 15. *Metaph. s.* 5. *n.* 2. 236. *Forma est actus bifarium.*

5. Forma vocatur εἶδος sive species bifariam: Tum scilicet, quia est speciosum materiæ ornamentum, tum quia compositum specificat, sive in determinata specie constituit. Ut Fonseca exposuit *l.* 1. *Metaph. c.* 7. *q.* 3. *s.* 8. 237. Εἶδος *est forma bifariam.*

6. Forma appellatur *Terminus*, ab Aristot. 3. & 4. *phys. & lib.* 1. *de gener. anim.* Trifariam: 1. respectu generationis, quia formâ introductâ terminatur & finitur generatio. 2. Respectu materiæ, quia eam terminat vel determinat ad certam speciem, ut videlicet sit equi vel lapidis materia, ut interpretatur Marsil. Ficinus. *in Plotinum, Ennead. l.* 1. *l.* 8. *c* 4. & Collegium Conimbr. *l.* 1. *Phys. c.* 9. *q.* 10. *art.* 2. 3. Dicitur Terminus, respectu accidentium, quæ sunt in materia. Nam cùm simpliciter materiæ conveniat quantitas, ipsa facit, ut illa quantitas in materia terminos habeat, veluti ut sit bicubita vel tricubita. Vide Zabar. *l.* 2. *de prim. mater. c.* 9. Atq; hinc vocatur etiam *mensura*, eodem sensu, ut interpretatur Ficinus *d. loc.* 238. *Forma quomodo dicatur terminus?*

7. A Pythagoreis frequenter vocatur *harmonia*, inde sumptâ appellatione, quòd in mistis sunt contraria elementa, & contrariæ qualitates, quæ nihilominus consistunt 239. *Forma quo-*

modo dicatur harmoniæ

sistunt & cohabitant intra eandem speciem. Hunc contrariorum conventum facit forma. Indeque *Harmonia* dicitur. Alia nomina explicat Albert. Magn. *1. phys. tract. 3. c. 17.* & Colleg. Conimbr. *1 phys. q. 10. art. 2.* Pererius *l. 6. de forma, c. 1.*

TITVLVS XIX.
DE DEFINITIONE FORMÆ.

240. *Arabum definitio.*

ARabes, ut Pererius refert, *l. 6. phys. natur. c. 2. ad finem*, formam definiunt, quod sit, *participatio primi actus impressa rebus*. Per primum autem actum intelligunt Deum vel ipsum esse. Platonici aiunt, *Formam esse divinæ exemplaris imaginem, expressam in materia*. Sed obscuriores sunt istæ definitiones.

241 Aristot. *l. 2. phys. c. 3. t. 18.* definit formam, quod sit ratio quidditatis, seu quod sit id, in quo formalis essentia præcipuè consistit.

Suarez. *15. Metaph. s. 1. nu. 1.* sic definit formam: *Forma est substantia simplex & incomposita, quæ ut actus materiæ, cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ.* Sic & Colleg. Conimbr. *1. phys. c. 9. q. 10. art. 1.* Forma est *actus simplex unum per se cum materia constituens*. Sed istæ definitiones inadæquatæ sunt, quia accidentia etiam formæ dici possunt, ut infra disputo *l. 2. cap. 6. t. 4. punct. 4.* Quanquam nec intendunt isti Doctores declarare quidditatem formæ in communi.

Explicatur propria definitio formæ.

Sat bona autem est definitio Aristotelica, quam modò retuli, cum qua coincidit nostra: *Forma est causa per quam res est, id quod est.*

Hic primùm Forma dicitur *causa*. Vnde & eodem sensu, ad evitandam ambiguitatem, solet *formalis causa* dici: Et proinde quod forma quidem dicitur, nec tamen est causa, id à præsenti consideratione est alienum. Tale quid est forma, pro quarta specie qualitatis aut pulchritudine sumpta. An autem forma rectè causa dicatur, & quam causalitatem exerceat, in sequentibus tractandum est.

242 Deinde dicitur, *Per quam res est id quod est*. Hæc verba significant, Formam esse aliquid rei intrinsecum, & pertinere ad speciei constitutionem, & quasi ultimam rei manum imponere, h. e. speciem illam ultimò absolvi & perfici per formam. Proinde juxta primam conditionem à præsenti consideratione excluditur id omne, quod forma dicitur, nec tamen intra rei essentiam est, quale est forma artificiosa, forma externa, sive exemplar, & sic in aliis. Per alteram autem conditionem forma secernitur à materia. Nam materia est intra essentiam rei, sed tamen id est, non absolvendo, sed solùm inchoando essentiam. Per formam, inquam, res est id quod est. Veluti homo per formam suam est homo, & lapis per formam suam est lapis, & sic in aliis.

243. *Explicatur particula per.*

Cæterùm ad hanc rem significandam adhibetur particula PER, sicut & aliis causis peculiares propositiones adduntur, quibus distinguuntur; non quasi illæ aliis rebus non possunt attribui: sed usurpando particulas illas, juxta famosum usum, quem habere solent in doctrina causarum, ut de particula *Ex*, aut definitionem materiæ dixi. Nam alias, quod ad præsens attinet, particula *per* solet etiam adhiberi ad significandum id, quod medium est, ut transire per ignem, demonstrare per causam. Deinde aliquando significat instrumentum, ut ignis excludit pullos per calorem. Imò & communiùs significat efficientem causam, quomodo per exercitationem dicimus acquiri doctrinam. Quartò etiam subjectum significat, veluti cùm corpus *per* superficiem coloratum dicimus. Confer. Arm. de Belli Vsl. *lib. 2. term. Phil. c. 301.*

TITVLVS XX.
DE ENTITATE FORMÆ.

244. QVoad entitatem formæ, inprimis, de duobus inquirendum est: *Primò*, An forma sit? *Deinde*, si sit, quale esse habeat, an substantiale, an accidentale?

Ad

ARTICVLVS I.

An sit illud ens, quod formam vocamus?

SCeptici, aiebant, nihil esse, nisi quod videretur, ut refert Mornæus *lib. de ver. rel. Christ. c. 3.* juxta hanc sententiam nulla forma erit. Nam nulla forma videri potest.

245. *Formas esse probatur.*

Sed principium hoc lubricum est. Nam ad essentias rerum extrinsecus est cognosci à sensibus. Et proinde potest aliquid verè esse Ens, si maximè à sensu non cognoscatur, inprimis quia ruditati & imperfectioni sensus superordinatur intellectus, ut, quod cùm sit, à sensu cognosci nequit, cognoscatur tamen ab intellectu. Per intellectum autem sive rationem, quòd cognosci possit id Ens, quod formam vocamus, statim apparebit.

246. *Probatur formâ ex rerum corruptionibus.*

Igitur quòd formæ dentur, inprimis inde *primo* manifestum est, quia secus nulla daretur corruptio. Nam corruptio non est, nisi per separationem vel secessum formæ à materia quam informavit.

247. *Instantia.*

Dices; per corruptionem hominis, v. g. secedere calorem vitalem. Sed hoc non disputo nunc, quale esse habeat forma, & an esse habeat forma accidentale, an substantiale. Satis nunc est si esse aliquod habeat, quod satis liquet ex natura corruptionis. Ea enim non est, nisi per desitionem alicujus Entitatis. Quanquam revera inde etiam sequitur, quòd corruptio substantiarum fiat per abitum formæ substantialis. Secus enim non esset φθορὰ sed ἀφανισμός, non esset corruptio sed alteratio.

248.

Deinde: dimissâ materiâ (quippe quæ operativa non est) est aliquid pro principio operationum in composito. Ergo datur forma, eâque veram Entitatem habet, consequentia est evidens. Nam sub nomine formæ intelligimus id ipsum, quod est radicale & universale principium operationum compositi. Non potest autem nihil esse, quod veras & reales operationes habet. Antecedens etiam per se liquidum est, cùm materia, ut diximus, operativa non sit. Sed in re perspicua non est opus diutiùs immorari.

ARTICVLVS II.

Quale esse habeat forma substantiale an accidentale?

249. *Rationes dubitandi.*

PRimò videri potest: omnem formam esse substantiam. Nam Aristoteles passim dividit substantiam in materiam formam, & compositum. At divisio debet dividenda adæquata esse.

In oppositum videri potest: omnem formam esse accidens, quia omnis forma est in alio, nempe in materia: Et ita quidem, ut materia sit subjectum ejus. At quod est in alio, ut subjecto, id accidens est, & non substantia. Atque hæc opinio & argumentum est Francisci Patritii *Tom. 4. disput. Peripatet. l. 3 fol. 385.* Neutra tamen illarum sententiarum vera est. Ergo tria dico.

250. *Decisio quæstionis. Non omnis forma est substantia.*

1. *Non omnis forma est substantia.* Hæc assertio est contra priorem opinionem. Patet autem ejus veritas, quia accidentia in abstracto sumpta sine ullo incommodo dicuntur formæ concretorum, veluti albedo albi, doctrina docti. Doctus enim, qua talis per doctrinam est id, quod est, & sic in aliis. Sed hanc rem ex professo persequor, *l. 2. infrà c. 6. tit. 4. part. 3. 4.*

251. *Solvitur objectio.*

Ad objectionem, de divisione substantiæ in materiam, formam & compositum; admitto eam non esse adæquatam, ut patuit ex priori *tit. 15. art. 2. hujus can.* ubi confirmatum est, etiam materiam aliquam esse de prædicamentis accidentium: Idémque plenè patebit infrà *l. 2. c. 2. tit. 2.*

252. *Non omnis forma est accidens.*

2. *Non omnis forma est accidens.* Hæc assertio est contra alteram Patritii opinionem. Et confirmatur 1. Ex præcedente articulo per argumentum factum ex natura corruptionis. *Deinde* id saltem evincit divisio Aristotelica substantiæ in

Actualis, inquam, est, per actualitatem suæ essentiæ, quòd, quam essentiam habet, non habet eam amplius producibilem.

185. *Materia quomodo sit pura potentia?*

Atque hinc illud, sequitur, quòd, cùm materia dicitur esse pura potentia, non intelligatur remotè à materia actus ille, qui elevat eam ex potentia objectiva. Dicetur ergo pura potentia, non simpliciter, sed secundùm quid.

186. Estque adeo id solùm intelligendum, de potentia passiva, quam habet per ordinem ad recipiendas formas. Est, inquam, hoc modo in pura potentia, quia nullam formam, quæ suo modo actuat materiam, includit. Unde apparet, cùm materia dicitur pura potentia, quod idem sit, ac si dicatur ἄμορφος & sive informis.

187. *Potentia materiæ est universalis?*

Atque hinc rursus relinquitur: potentiam materiæ esse universalem. Nam purum dicimus quod alieni nihil habet. Atque ita pura potentia erit id, quod nihil actualitatis habet. Cùm igitur illa potentia intelligatur per ordinem ad formas. Ergo nullam prorsus formam habet cum aptitudine ad omnes habendas. At hæc est universalis potentia.

188. *Quatenus sit universalis?*

Sunt autem ad hanc rem duo observanda: *Primum* est, quod illa universalis potentia materiæ intelligatur de ea, cum sermo est de puritate essentiæ, quam materia habet, ut insinuatum est. Nam prout de facto ex ista materia, semper est conjuncta cum aliqua forma. Ergo sic non habet potentiam ad formam istam, veluti materia, quæ est hominis, ad formam hominis. Hæc enim potentia tollitur per præsentiam actus. Proinde potentia materiæ est universalis, spectando eam ex vi essentiæ ejus. Est autem ejusdem potentia particularis, attendendo eam juxta eum modum, quo de facto exitit. Nunquam enim sine aliqua forma, actu habita subsistit.

189. *Alterum est:* quod illa aptitudo in materia, sit quidem ad omnes formas quod tamen illa non compleatur simul per omnes formas. Impossibile enim est, ut eadem materia simul habeat oppositas sive contrarias formas. Materia, quæ hominis formam recipit, non potest etiam simul habere bestiæ formam, & sic in aliis.

TITULUS. XVI.

De Causalitate Materiæ.

190. QUoad causalitatem materiæ tractanda sunt tria: *Primò:* An materia sit causa? *Deinde:* quarum rerum sit causa? *Denique:* quomodo causet, seu, quæ sit ejus causalitas?

ARTICULUS. I.

An materia sit causa.

MAteriam esse causam rectè & sufficienter probatur inde, quod ea verum & positivum influxum præbet ad productionem, vel intrinsecam constitutionem materiati. At illi influxui nihil deest, quod ad veram causalitatem satis sit. Cuicunque autem convenit causalitas, id utique causa est. Alia mitto.

191. *Objectiones.*

Solet objici 1. Quòd materia non sit actu, sed potestate. At omnis causa debet esse aliquid actu. 2. Quòd omnis causa debeat responderi ad propter quid, Ex 1. *Phys. c. 7.* At propter materiam res non dicitur esse, sed ex materia. 3. Quòd materia sit non ens. 4. Quòd materia nihil agat. At omnis causa agere debet.

192. *Solvuntur.*

Respondeo breviter *ad primum*: Esse actuale non est cuivis causæ, necessarium, ut de hac patet. 2. Materiæ non deest esse actuale. Dicitur enim solùm esse in potestate, intelligendo eam potentiam per ordinem ad formas substantiales. Omnis causa autem (excipiendo finem) debet esse actualis, hoc est, non debet latere in potentia agentis. At materia utique non latet in agentis potentia. Vide prior. *lit.* 15. *n.* 3. 5.

Ad

Ad secundum Respondeo: Tò *propter*, bifariam sumi. Aliquando est idem, quod cujus gratiâ. Et sic soli fini, non autem omnibus causis convenit. Aliter autem sumitur generalius. Atque tunc sicut efficiens & forma, non obstantibus specialibus characteribus sunt causæ, & propter quid dicuntur: Ita etiam est in materia. Vide Fonsec. 1. *Metaph. c. 7. q. 1. s. 6.* 193.

Ad tertium: Antea visum est *tit. 13. art.* 1. quomodo materia non sit Ens, quâ explicatione præsuppositâ, nihil relinquitur efficiens causalitati materiæ. 194.

Ad quartum respondeo: Materiam nihil agere, intelligendo actionem pro influxu effectivo. Atque hæc actio non debet competere materiæ: quia materia est, & non efficiens. Unde etiam relinquitur, quod non conveniat causæ generatim loquendo, quod ea agere debeat. Omnis enim causa debet agere, eo solùm sensu, si agere æquipollenter dicatur ad influere. Unde hoc sensu materia rectè agere dicitur, hoc est, influere. Influit enim utique, dum intrinsecè & essentialiter compositum constituit. 195.

ARTICULUS II.

Quarum rerum materia sit causa?

HAnc rem prosequor per distinctas propositiones.

Vnde dico 1. *Non omnia entia habere materiam.* Ita patet, quia sunt aliqua Entia absolutè simplicia. At cuicunque materia competit, id compositum est. Neque enim materia sola constituit compositum. Ergo coëxigit formam. At hæc juncta, compositionem efficiunt, & tollunt simplicitatem. Vnde si omne Ens haberet materiam, cum repugnantia Ens divideretur in simplex & compositum. 196. *Non omne ens habet materiam.*

Atque ad hanc assertionem porro probandam 2. dico: *Deum non habere materiam.* Ita patet, ex multiplicibus imperfectionibus, quæ secus Deo essent attribuendæ, quas suo loco prosequor. Vide infra *l. 2. c. 3.* ad locum de Dei simplicitate. 197.

3. Dico: *Angelos non habere materiam.* Hoc itidem probatur infra *lib. 2. c. 4. nu. 23. seqq. & n. 50. seqq.* 198.

4. *Formæ non habent materiam.* Ita patet, quia secus formæ non essent simplices, & præterea etiam ipsæ formæ formas haberent, quia materia sola non absolvit speciem. At hæc omnia absurda sunt. 199.

5. *Non sola corpora naturalia habent materiam; si latè sumamus terminum.* Nam, ut visum est præcedente Titulo, *art. 2.* Potest vera materia accidens esse. Materiatum igitur, per hanc materiam, utique non erit substantia, ac proinde nec corpus. 200.

6. Atque ad hanc rem nunc porro dico: *etiam accidentia habere materiam*, quod quomodo sit, & quatenus infrà explico, *lib. 2. c. 6. n. 42. seqq.* 201.

In universum autem, *Primo*: omnè id materiam habet, quod formam habet. Forma enim necessariò postulat subjectum, vel receptaculum in quo sit: Et hoc est materia: *Deinde* omne id materiam habet, quod quantitatem habet. Atque hanc Scalig. *exerc. 61. s. 1.* in cœlo etiam esse materiam probat, quia ibi datur quantitas, indicio sumpto ex raritate & densitate partium, quæ fiunt secundùm diversitatem quantitatis. *Tertiò*: quæcunque habent partes realiter distinctas essque Physicè essentiales ea habent materiam. Tales enim partes non sunt, nisi Materia & Forma. 202. *In universum quæ habeant materiam?*

Atque ita ex his relinquitur respectu solius compositi (quod scilicet ex materia & forma constat) materiam exercere causalitatem, seu, quod idem est, materiam solùm compositum causare. Hoc enim solùm intrinsecè constituitur per materiam. Alii autem respectus, quos materia habet, non sunt necessariò sub ratione causæ, sed sufficit ad istos, respectus subjecti. Tales sunt ii, quos 203.

materia

materia habet, per ordinem ad formam vel generationem. Atque hoc ipsum etiam docet Maior 2. *dist.* 12. *q.* 2. Albert. 2. *Phys. tract.* 2. *c.* 1. Dissentit Suarez *disp.* 13. *Metaphys. sect.* 7.

ARTICVLVS III.

Quomodo causet materia?

204 *Materia causat duobus modis.*

COnclusum est hactenus: materiam esse causam compositi: Nunc igitur porro dico: materiam attingere compositum duobus modis, adeóque duplicitèr exercere causalitatem, respectu compositi. *Primo* igitur materia concurrit ad productionem compositi, *in fieri suo.* Hoc facit materia, sustentando varias dispositiones, & alterationes, quæ ad ejus productionem pertinent. Atque hanc causalitatem attingit Aristoteles, dicens, quod materia sit subjectum, ex quo res fit, 1. *Phys. c.* 9. & 2. *Phys. c.* 9. *Deinde* materia concurrit ad compositum *in facto esse*, quod facit intrinsecè cum forma componendo compositum. Et hæc ejus causalitas probatur, quia si taliter se non haberet materia, non esset causa interna. Internum enim cùm materiæ & formæ appropriantur, intelliguntur per ordinem ad essentiam, cui istæ causæ internæ dicuntur. Atque ita satis nugatoriè ait Timplerus *l.* 4. *Met. t.* 6. *q.* 20. cœlum esse immateriatum, quia non sit ex materia producturn. At si non habuit cœlum materiam in fieri, quod facilè admitti potest, habet tamen materiam in facto esse. Ideóque sufficiens ratio est, unde cœlum materiatum dicatur.

TITVLVS XVII.

DE DIVISIONIBVS MATERIÆ.

205 MAteriæ divisiones potissimùm quatuor sunt: Materia est remota vel propinqua. 2. Materia est immanens vel transiens. 3. Materia est sensilis vel intelligibilis. 4. Materia est prima vel secunda.

ARTICVLVS I.

De divisione materiæ in remotam & propinquam.

206 DIvisio hæc facilè intelligitur ex proportione ad divisiones similes. Veluti cùm efficiens aliud propinquum aliud remotum dicimus. Proinde sicut efficiens remotum vocamus, quod causat, mediante alio propinquiori efficiente, Ita materia remota est, quæ causat mediante aliqua propinquiori materia. Et rursus: Sicut efficiens propinquum est, quod proximè causalitate sua attingit effectum: Ita materia etiam propinqua est, quæ proximè ad rem aliquam exercet causalitatem materialem. Igitur materia propinqua animalis sunt caro & ossa. Remota sanguis & semen, ex quibus fiunt caro & ossa: Adhuc remotior materia sunt quatuor Elementa; ex quibus fiunt sanguis & semen. Sic in Logicis: Materia propinqua Syllog. dicuntur præmissæ & conclusio: materia remota sunt tres termini, ex quibus præmissæ & conclusio componuntur: Et sic in aliis.

ARTICVLVS II.

De divisione materiæ in immanentem & transeuntem.

207 *Materia immanens bifariam dicitur.*

AD hanc divisionem rectè intelligendam inprimis advertendum est, quod materia immanens bifariam dicatur: Aliquando enim materia immanens dici potest hoc sensu, quod sit interna materiato, seu quod pertineat ad rei materiatæ essentiam. Et hoc sensu omnis materia est immanens. Nulla autem est transiens. Aliter verò materia immanens intelligi potest, pro ea, quæ secundùm

eandem

eandem rationem & speciem manet in materiato. Et sic aliqua est immanens, aliqua transiens. Vide Colonienses *in Illsom. tract. 5. fol. 212. sec. 1.*

Et ex his statim intelligitur: quid nunc sit materia immanens & transiens. *Transiens* nempe *Materia* est, quæ ut compositi essentiam constituat, transit ex esse suo, in esse illud, secundùm quod maneat in composito. Sic ex caseo fiunt vermes. Hic materia vermium est caseus, materia, inquam, transiens. Transit enim caseus ex esse suo, in esse aliud, secundùm quod est in vermibus. Idem est cùm ex semine homo, ex quisquiliis mus, ex ovo gallina gignitur. Semper enim ibi id, quod materiam vocamus ex esse suo transit. Neque enim intra essentiam vermium, hominis, muris, vel gallinæ, invenimus caseum, vel semen, vel quisquilias, vel ova: & sic in aliis. 208.

Materia igitur immanens est, quæ in composito manet secundùm eandem speciem & formam. Sic corpus organicum est materia animalis. Materia domus (si in aggregatis id etiam dicere liceat) sunt ligna & lapides. 208.

ARTICULUS III.

De divisione materiæ in intelligibilem & sensilem.

Divisio hæc traditur ab Aristot. 7. *Metaph. c. 10.* Ἔστι δ' ὑποκείμενον καὶ τοῦτο, ὃ θάτερον μορίων *Materia alia quidem est sensilis, alia vero intelligibilis.* 210.

Porrò nomen *intelligibilis materiæ* pollumus tribus accipere. 1. ut intelligibilis materia dicatur, quæ cum verè materia non sit, apprehenditur tamen ab intellectu tanquam materia. Quomodo intelligibilis quantitas dicitur, quæ Angelis tribuitur, à Scalig. exerc. 269. *s. 3.* intelligibilis, inquam, hoc est, quæ *solum* ab intellectu apprehenditur (cum revera non sit) tanquam quantitas. Atque hoc modo pollumus angelis, servatâ proportione ad quantitatem eorum tribuere materiam intelligibilem. Sed hoc modo intelligibilis materia non sumitur in illa superiori divisione. Nam juxta hanc significationem, intelligibile non opponitur sensili, sed ei, quod verum vel reale est. 211. *Materia intelligibilis tribus modis dicitur.*

Aliter: intelligibilis materia dici potest, quæ cum sit verè materia, non potest tamen ullo modo, sensu, sed solo intellectu cognosci. Sensilis autem est sic, quæ vel à sensu actu cognoscitur, vel apta est, sic cognosci. Atque sic cùm nihil sensile sit, nisi quod est in corpore, hinc igitur quæcunque materia reperitur in incorporeis, dicenda erit intelligibilis. Atque ita Clarissimus Dominus Theodoricus *in Instit. Dialect. l. 1. cap. 8.* Materiam sensilem definit: Ex qua constat materiatum corporeum; materiam intelligibilem autem definit ex qua constat materiatum incorporeum ut sunt dictiones in oratione, tres propositiones in syllogismo, & sic in aliis. 212.

Denique: materia intelligibilis dicitur, quæ cùm vera sit materia, de facto tamen, &, ut talis est, non cognoscitur sensu. Sensilis autem materia est quæ actu, &, ut talis est, à sensu potest cognosci. Atque hoc modo, materia prima, intelligibilis dicitur, non sensilis. Illa, inquam, intelligibilis solùm est, quia non convenit ei determinata quantitas, aut qualitas, quæ ad actualem sensionem præsupponuntur. Atque hoc modo sumenda est vox materiæ intelligibilis, cum Mathematicus dicitur abstrahere à materia sensili, non autem intelligibili. Sensus enim est, quòd Mathematicus non consideret quantitatem in definito aliquo sensili corpore, sed apprehendat quantitatem in corpore aliquo confusè accepto. At id non est aliud, quàm materia prima. Ita docet Zabarell. *in comm. ad 2. phys. ad tex.* 18. Socinas 6. *Metaph. q.* 11. Ægid. Rom 7. *Metaph. c. 1. q. 1. ad tertium, in fine,* aliique. Nam quòd ibi per materiam intelligibilem intelligunt aliqui ipsam magnitudinem (ut facit Colleg. Conimbr. *in phys. q. 1. proœm. art. 4.* Peterius *l. 10. de quantitate, c. 17.* Suarez *disp. 37. Metaph. s. 2. n. 16.* aliique) in ea satis sibi contradicunt, ut ostendi in opusculo de Philosophia, *n. 84.* 213. *Mathesis quomodo non abstrahat à materia intelligibili.*

ARTICULUS IV.

De divisione materiæ in primam & secundam.

HÆc Physica est materiæ divisio. Ideóque breviter attingenda est, solùm ut
214. *Quid sit materia prima & secunda?* terminis declarentur. Ratio igitur appellationis est, quod *materia prima* apprehenditur illa esse, quæ est irresolubilis in aliam, se priorem, materiam. Unde *materia secunda* est, quæ aliam materiam præsupponit. Sic Elementa non sunt materia prima animalium, v.g sed materia secunda. Nam & ipsa Elementa constant ex aliqua materia, ut inde manifestum est, quia Elementa frequenter corrumpuntur, veluti aqua, cùm ex ea aer fit, aut aer, cùm ex eo aqua fit. Hic igitur imprimis certum est, cùm aqua, verbi gratia, eo modo corrumpitur, tùm abire quidem formam aquæ, eamque prorsus non remanere, ipsam tamen aquam non annihilari, sive in nihilum abire. Est igitur aliquid substantiale in aqua, quod postea manet sub diversa forma, nempe aëris. Hoc igitur non potest aliud fuisse, nisi materia aquæ. Atque hæc materia, quæ ex hoc discursu reperitur esse in aqua, est in aliam priorem materiam irresolubilis. Ergo ista materia secunda in se spectata, & non attendendo formam, cui de facto conjungitur, vocatur prima materia. Atque ita apparet etiam istam primam materiam dari.

Ramicorum, eam negantium, argumenta, (quorum quinquaginta quinque recenset & refutat Clarissimus Hippius *in probl. phys. q.* 11.) hic persequi nolo: Sunt enim *quæ nihil negat.*

215. *De descriptiones materiæ primæ.* Descriptiones materiæ primæ variæ tradi solent. Arist. *l. 1. phys. in fine* ait: *Materiam esse primam substantiam unuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundùm accidens: Et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* Et lib. 7. Metaph. t. 8. *Materia est, quæ per se ipsam neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud est eorum, quibus Ens determinatur,* &c.

216. *Augustinus* l. 12. Confess. c. 7. *Materia,* inquit, *est infima omnium rerum & prope nihil, ex se informis & immutabilis, omnium tamen formarum capax, omnisque mutationum primum subjectum, non tam ex se, quàm ex commutatione eorum, quæ in ea versantur, apta cognosci à nobis.*

217. Paulò prolixiùs verò circumloquitur eam *Porphyrius* in lib. de occasionib. c. 11. *Materia prima,* inquit, *ex se est incorporea, neque intellectus, neque anima, neque aliud secundùm se vivens: informis, immutabilis, infinita, impotens. Quapropter neque Ens, sed verum non-Ens. Imago molis appareas, apparitio subsistentiæ, & fere non in statu, tùm parvum, tùm magnum, quod sit semper, manet vero nunquam, neque tamen asylum patens, quippe cum totius Entis sit defectus, quamobrem quicquid promittit, mentitur, ac si magnum appareat, interim evadit parvum. Quasi enim inanis quidam est in non-Ens refugiens. Fuga ejus non fit in locum, sed dum ab Ente desinit. Quocirca, quæ in ea sunt imagines, insunt in deteriori vultus imagine: Sicut in speculo, quod alicubi situm est, apparet alibi, & ipsum speculum alienum esse videatur, nihilque habet, dum omnia videtur habere.* Sed hæc omnia dextrè sunt intelligenda. Ad Physicam autem pertinet hæc uberiùs tractare. Atque hactenus hinc de materia, sequitur ut agamus.

De Forma.

218. Quoad causam formalem, de his potissimùm videndum est: *Primò*, de appellatione formæ. *Deinde*, de ejus definitione. *Tertiò*, de ejus Entitate. *Quarto*, de ejus causalitate & pertinentibus ad eam. Ac *denique*, de variis illius divisionibus.

TITU-

TITULUS XVIII.

DE APPELLATIONE FORMÆ.

NOminis expositio potissimùm in tribus consistit, nempe in Etymologia, distinctione variarum significationum, & expositione æquipollentium, de his igitur agendum est.

ARTICULUS I.

De Vocis formæ Etymologia, & variis significationibus ejus, ubi & variæ vocis distinctiones explicantur.

219 *Forma unde dicatur?*

IGitur vox formæ videtur transsumpta esse ex Græco ωφρὴ per μετάθεσιν literarum, ut Scaliger autumat, *exer. 312. pag.* 1005. mutato φ Græcorum in F Latinum, sicut & hic in voce φήμη, unde est fama; & φαίνομαι, unde est, ex Scaligeri opinione, Latinorum nomen, fenestra.

220. *Ambiguitates in voce formæ.*

Quoad varias vocis hujus significationes, solet *primò* vox formæ sumi æquipollenter ad essentia u, sicut & quidditas, et natura. *vide suprà hoc lib. c. 2. n. 25.*

221. *Explicatur distinctio formæ in formam totius et partis.*

Ab hac significatione, alia est ea, quâ forma inter causas numeratur. Atque hoc discrimen constituitur per illam distinctionem Scoti, quando distinguit inter formam totius, et partis, *2. sent. dist. 3. in q. 6. & in quodlib. q. 2. a. 2.* Satis commodè, quicquid dicat Zabarella *lib. de constit. individ. c. 8. 9. 10.*

Igitur, *Forma partis* est nihil aliud, quam forma, quæ est altera pars compositi, illiúsque cum materia, tanquam comparte constituit. Quale quid est anima in homine. *Forma totius* autem est nihil aliud, quàm forma sumpta pro essentia. Vocatur illa *totius* forma negativè, quia non habet rationem Physicæ partis in ente, ait etiam, quia totam essentiam significat, non autem solùm alteram partem. Comprehendit enim in rebus materialibus materiam et formam earum. Et sic humanitas vel hominitas est forma hominis.

222 Atque ex his apparet multiplex discrimen, inter formam totius et partis. Nam 1. Forma totius convenit omni enti etiam immateriali. At forma partis non convenit, nisi rebus habentibus materiam. Deinde forma partis contradistinguitur materiæ. At forma totius materiam implicat. Alia mitto. In præsenti igitur consideratione, sive causarum distinctione, vox formæ intelligitur de forma partis.

223 *Secundo.* Forma aliquando idem est, quod differentia. Hæc etiam significatio non est hujus loci. Nam differentia non constituit totum cum materia, sed cum genere. Forma autem, quæ inter causarum genera ponitur, dicitur πρὸς τι, nempe ad materiam.

Forma Physica & Logica quid?

Ad hanc igitur significationem ab illa discernendam, distinguitur forma in Physicam et Logicam, sive Metaphysicam. Vbi, sub forma Physica, illa intelligitur quæ est compars materiæ, et in divisione causarum intelligitur. Forma autem Logica sive Metaphysica (termini enim hi æquipollenter dicuntur) est idem quod differentia. Juxta quem sensum et genus commutatâ proportione, materia Logica vel Metaphysica, et totum ex genere et differentia resultans, totum Metaphysicum; ex materia autem et forma resultans, totum Physicum, dici solet.

224 *Tertio.* Forma aliquando solet sumi pro externa effigie, vel determinatione quantitatis, quemodo *Aristot. lib. Categ. cap.* 8. figuram et formam fecit quartam speciem qualitatis. Atque ad hanc significationem fermè relabitur illa etiam, quâ forma sumitur pro pulchritudine, juxta quam significationem à forma formosum dicimus. Hæc etiam significatio non est hujus.

225. *Forma substantialis & accidentalis quid?*

Igitur ad hanc significationem discernendam ab ea, quam nunc habet vox formæ, solet forma distingui in substantialem sive essentialem (εἰδικὴν.) Et accidentalem (ἐπουσιώδη quasi post essentialem) ubi ex terminis statim apparet diversitas significationum. Nam forma in divisione causarum est pars essentiæ, indéque est eâ prior. At accidentalis forma est ἐπουσιώδης, hoc est, essentiâ posterior. Sic igitur essentialis forma hominis est anima. Accidentalis autem ejus forma est externa lineamentorum dispositio, veluti quod erectos vultus ad sidera tollit. Apparétque inde istam formæ non esse divisionem (rigorosè loquendo) sed distinctionem nominis, sicut & de prioribus erat.

226.

Quarto; Forma aliquando sumitur pro externo motore. Quomodo Peripatetici aiunt, intelligentias esse formas cœlorum. Et, sensu Averroistico, dicitur anima rationalis esse forma hominis. Vbi ratio appellationis sumitur solùm à similitudine, juxta quam convenit utrique, impertiri motum ei rei, cujus quidque forma dicitur.

227. *Forma assistens & informans quid?*

Atque hæc etiam significatio non est hujus loci. Externus enim motor ad causam efficientem pertinet, cui nunc forma contradistinguitur. Et forma utique non est quid externum, sed internum. Atque hinc ad hanc etiam vocis significationem secernendam, forma distinguitur in *assistentem & informantem*. Per formam enim informantem intelligitur ea, quæ juxta præsentem sensum forma est. Per formam autem assistentem intelligitur ea, quæ verè forma non est, nec aliquid informat, sed solùm tribuit motum. Atque hinc etiam ea non est divisio rei, sed distinctio vocis solùm. Quod observandum est, contra Timplerum, qui id non intelligens ait: *lib. 3. Metaph. c. 2. q. 66.* Formam assistentem esse merum figmentum ingenii humani, & propterea ex Philosophiæ limitibus eliminandam. Imposita enim solùm est vox formæ assistentis, ad signandam peculiarem quandam significationem sub voce formæ, ut jam expositum est.

228. *Angeli quomodo sint formæ?*

Quinto; Forma sumitur per Metaphoram, pro eo ente, quod in ratione simplicitatis simile est formæ. Atque hoc modo Angeli solent dici formæ separatæ. Hæc etiam significatio hujus loci non est, ut ipsa vox separati evincit. Nam forma in quantum talis est, non est aliquid separatum vel abjunctum à materia, sed unitum ei. Unde etiam significatio ejus est relativa, dicitúrque adeò forma totius materiati forma. At Angeli dicuntur formæ, juxta absolutam significationem.

229.

Sexto; Solet & forma sumi pro imagine, quomodo conceptus in mente, res repræsentantes dicuntur formæ earum. Et hoc modo loquendi exemplar solet forma appellari, ut ex variis Autoribus referunt Conimbricenses *l. 2. Phys. c. 7. q. 4.* non quia sint verè formæ, ut ipsi ibi volunt: sed quia rerum exemplatarum imagines sunt, ut rectè interpretatur Suarez *in Metaph. disp. 25 s. 2. n. 15.*

230.

Septimo; Sicut materia κατ' ἀνυπαρξίαν intelligitur de materia rerum naturalium: ita etiam forma intelligitur quandoque κατ' ἀνυπαρξίαν de forma corporum. Quo sensu Aristot. *l. 2. de anim. t. 2. & 7. Metaph. t. 7.* Substantiam dividit in materiam & formam, & compositum, ubi indicat, quod forma omnis, juxta illam insinuatam ἀνυπαρξίαν, sit substantia.

231

Denique in communi forma dicitur omne illud, sive in corpore sit, sive non quod coordinatur materiæ, ad absolvendum aliquam speciem, quomodo Metaphysicus loquitur de formis: Etsi, cùm principale analogatum formæ, sit forma rerum naturalium, non declaret ferè rationem formæ, nisi intuendo id potissimùm formarum genus; Cùm aliàs etiam accidentia verè & propriè sint formæ, ut infrà declarabitur *lib. 2. capit. 6. sect. 4. punct. 4.*

AR-

ARTICULUS II.

De aliis nominibus formæ.

232 VAriæ vocis formæ significationes & nominales divisiones hactenus determinatæ sunt, venimus ad expositionem æquipollentium.

233. *Forma dicitur ratio quidditatis* Igitur 1. valde frequenter forma dicitur λόγος τῆς οὐσίας, sive *ratio essendi*, vel *ratio quidditatis*, ex Aristot. 2. *phys. c.* 3. 1. *post.* 11. *et* 5. *Met.* 2. Item λόγος τοῦ πράγματος, & εἶδος τοῦ πράγματος, *i.* 1. *de gener. anim. c.* 1. Idque adeò, quia est potissima pars essentiæ, non in quibusque entibus (neque enim omnia entia habent formam) sed in iis, quibus ea convenit. In his enim non est tanquam aliquid extrinsecum essentiæ, prout sunt accidentia, neque etiam aliquid inchoans essentiam, sicut materia, sed sicut absolvens: Atque hoc significant nomina ista Simile est, quòd apud Platonem anima, appellatur homo, quia melior pars essentiæ illius in ea consistit, ut interpretantur Conimbr. 1. *phys. c.* 9 *q.* 5. *art.* 3.

234. *Forma, quomodo dicatur* ἐντελέχεια? 2. Apud Aristotelem *l.* 2. *de anim. c.* 1. ex definitione animæ, forma vocatur ἐντελέχεια. Ἐντελέχεια autem non est idem quod motio, ut Cicero interpretatur, *Tusc. quæst.* 1. & defendit Politianus, *in Miscell. c.* 1. Quia motio est ens successivum, non permanens, quale quid est anima. Proinde nec ἐντελέχεια significat aliquid successivum. Vnde nec ἐντελέχεια hic eadem est, quod ἐνέργεια, prout hanc Vocem aliquos interpretatos esse, refert Plutarch. *in lib. de placit. Philos.* Rectiùs igitur forma dicitur ἐντελέχεια tanquam actus intrinsecè perficiens; ut Etymologia vocis insinuat. Dicitur enim ἐντελέχεια ἐν τῷ ἐν τέλει, ἔχω, quasi intus habens perfectionem. Vide Budæum *lib.* 1. *de asse.* Monlorium *in particulari lib. de* ἐντελεχείᾳ. Scalig. *exerc.* 307. *s.* 12. & 39. & Fonsec. *l.* 1. *Met. c.* 7. *q.* 3. *s.* 8. Cœlium Rhodiginum. *l.* 2. *antiq lect. c.* 22.

235. *μορφή.* 3. Appellatur etiam μορφὴ, unde & præcedenti articulo ex hoc nomine factum putabamus nomen formæ. Sic Scal. *exerc.* 80. *s.* 3. ἐνοδωκαμπτα facit ἐντελέχειαν μορφικὸν καὶ εἰδικόν.

236. *Forma est actus bifariam.* 4. Forma dicitur *actus*, quia scilicet actuat aliud. Idque bifariam. Nam 1. actuat materiam, non dando ei esse (quod suprà refutatum est) sed, dando ei determinata attributa, quæ ante illius formæ adventum non habebat; aut etiam, quia complet ejus capacitatem sive potentiam passivam, quam habet ad recipiendas formas. Dicitur ergo hactenus actus respectu materiæ. Secundò etiam est actus, respectu compositi. A forma enim est ultima actualitas compositi. Et sic *in. l.* 2. *de anim. cap.* 1. Aristot. ait, animam esse actum corporis organici, ubi plerique per corpus organicum non intelligunt corpus ad modum materiæ vel partis, sed ad modum totius. Vide inprimis Zabar. *in l.* 2. *de anim. in comment. p.* 143. 144. Et Suarez *disp.* 15. *Metaph. s.* 1. *n.* 2.

237. *Εἶδος est forma bifariam.* 5. Forma vocatur εἶδος sive species bifariam: Tum scilicet, quia est speciosum materiæ ornamentum, tum quia compositum specibear, sive in determinata specie constituit. Ut Fonseca exposuit *l.* 1. *Metaph. c.* 7. *q.* 3. *s.* 8.

238. *Forma quomodo dicatur terminus?* 6. Forma appellatur *Terminus*, ab Aristot. 3. & 4. *phys. & lib.* 1. *de gener. anim.* Trifariam: 1. respectu generationis, quia formâ introductâ terminatur & finitur generatio. 2. Respectu materiæ, quia eam terminat vel determinat ad certam speciem, ut videlicet sit equus vel lapidis materia, ut interpretatur Marsil. Ficinus. *in Plotinum, Enead.* 1. *l.* 8. *c.* 4. & Colleg. Conimbr. *l.* 1. *Phys. c.* 9. *q.* 10. *art.* 2 3. Dicitur Terminus, respectu accidentium, quæ sunt in materia. Nam cùm simpliciter materiæ conveniat quantitas, ipsa facit, ut illa quantitas in materia terminos habeat, veluti ut sit bicubita vel tricubita. Vide Zabar. *l.* 2. *de prim. mater. c.* 9. Atq; hinc vocatur etiam *mensura*, eodem sensu, ut interpretatur Ficinus *d. loc.*

239. *Forma quæ* 7. A Pythagoreis frequenter vocatur *harmonia*, inde sumptâ appellatione, quòd in mistis sunt contraria elementa, & contrariæ qualitates, quæ nihilominus con-

ARTICVLVS I.

An sit illud ens, quod formam vocamus?

SCeptici, aiebant, nihil esse, nisi quod videretur, ut refert Mornæus *lib. de ver. rel. christ. c. 3.* juxta hanc sententiam nulla forma erit. Nam nulla forma videri potest.

245. *Formas esse probatur.*

Sed principium hoc lubricum est. Nam ad essentias rerum extrinsecum est cognosci à sensibus. Et proinde potest aliquid verè esse Ens, si maximè à sensu non cognoscatur, inprimis quia ruditati & imperfectioni sensus superordinatur intellectus, ut, quod cùm sit, à sensu cognosci nequit, cognoscatur tamen ab intellectu. Per intellectum autem sive rationem, quòd cognosci possit id Ens, quod formam vocamus, statim apparebit.

246. *Probatur formâ ex rerum corruptionibus.*

Igitur quòd formæ dentur, inprimis inde *primo* manifestum est, quia secus nulla daretur corruptio. Nam corruptio non est, nisi per separationem vel secessum formæ à materia quam informavit.

247. *Instantia.*

Dices; per corruptionem hominis, v. g. secedere calorem vitalem. Sed hoc non disputo nunc, quale esse habeat forma, & an esse habeat forma accidentale, an substantiale. Satis nunc est si esse aliquod habeat, quod satis liquet ex natura corruptionis. Ea enim non est, nisi per desitionem alicujus Entitatis. Quanquam revera inde etiam sequitur, quòd corruptio substantiarum fiat per abitum formæ substantialis. Secus enim non esset φθορὰ sed ἀφανισμὸς, non esset corruptio sed alteratio.

248.

Deinde: dimissâ materiâ (quippe quæ operativa non est) est aliquid pro principio operationum in composito. Ergo datur forma, eáque veram Entitatem habet, consequentia est evidens. Nam sub nomine formæ intelligimus id ipsum, quod est radicale & universale principium operationum componti. Non potest autem nihil esse, quod veras & reales operationes habet. Antecedens etiam per se liquidum est, cùm materia, ut diximus, operativa non sit. Sed in re perspicua non est opus diutiùs immorari.

ARTICVLVS II.

Quale esse habeat forma substantiale an accidentale?

249. *Rationes dubitandi.*

PRimò videri potest: omnem formam esse substantiam. Nam Aristoteles passim dividit substantiam in materiam formam, & compositum. At divisio debet diviso adæquata esse.

In oppositum videri potest: omnem formam esse accidens, quia omnis forma est in alio, nempe in materia: Et ita quidem, ut materia sit subjectum ejus. At quod est in alio, ut subjecto, id accidens est, & non substantia. Atque hæc opinio, ut & argumentum est Francisci Patritii *Tom. 4. discuss. Peripatet. l. 3 fol. 385.* Neutra tamen istarum sententiarum vera est. Ergo tria dico.

250. *Decisio quæstionis. Non omnis forma est substantia.*

1. *Non omnis forma est substantia.* Hæc assertio est contra priorem opinionem. Patet autem ejus veritas, quia accidentia in abstracto sumpta, sine ullo incommodo dicentur formæ concretorum, veluti albedo albi, doctrina docti. Doctus enim, qua talis per doctrinam est id, quod est, & sic in alijs. Sed hanc rem ex professo persequor, *l. 2. infra c. 6. tit. 4. num. 4.*

251. *Solvitur objectio.*

Ad objectionem, de divisione substantiæ in materiam, formam & compositum: admitto eam non esse adæquatam, ut patuit ex priori *tit. 15. art. 2. hujus cap.* ubi confirmatum est, etiam materiam aliquam esse de prædicamentis accidentium: Idémque plenius patebit infrà *l. 2. c. 2. tit. 2.*

252. *Non omnis forma est accidens.*

2. *Non omnis forma est accidens.* Hæc assertio est contra alteram Patritii opinionem. Et confirmatur 1. Ex præcedente articulo per argumentum factum ex natura corruptionis. *Deinde* id saltem evincit divisio Aristotelica substantiæ in

in materiam & formam, &c. quòd aliqua forma sit substantia. Præsertim cum *lib. 2. de anim. c. 1.* hinc confirmet animam esse substantiam.

Tertiò: Clarè probatur, animam rationalem esse substantiam. Nam illa separatur positivâ separatione à materia, ita quidem, ut naturaliter subsistat extra materiam, ut plenius disputabitur infrà, *l. 2. c. 5.* At hæc clarè arguunt animam habere esse αὐθυπάρκτον. At quod habet esse αὐθυπάρκτον, est substantia. Porrò anima rationalis est forma hominis. Ergo quædam forma est substantia.

253. *Quarto:* Si non daretur in rebus naturalibus forma substantialis, tum nulla res naturalis esset aliquid per se unum. Nam inprimis certum est, res naturales esse compositas ex materia & forma. Si ergo forma rerum naturalium est accidens: Ec ea additur ad materiam (substantiam) pro compositione rerum naturalium, tum fiet Ens per accidens. Nam ens per accidens est, quoties substantia & accidens uniuntur ad faciendum aliquod compositum.

254. *Solvitur objectio.* Ad objectionem Patritii: Respondeo *primo:* Etiam substantiis convenire, quòd sint in alio. Sic aqua est in spongia, locatum in loco. Ita colligi potest ex variis modis essendi I N. quos Aristoteles refert *lib. 4. phys. c. 3. t. 23.* Et ista quidem ibi sunt, ut in subjectis. Unde *Secundo* apparet: *In subjecto* si in omni latitudine sumatur, non statim importare, vel significare essentiam accidentalem. Unde speciatim sequitur, si maximè formæ quævis sint in materia, ut in subjecto, quod tamen ex eo nondum sint accidentia, sicut nec aqua accidens est, etsi sit in spongia, ut in subjecto, continente eam. Igitur *tertio* dico, aliquando phrasin, *in subjecto esse*, speciatim sumi, atque tum ad æquari accidenti: Id tum est, si in subjecto id esse dicatur, quod cum insit, non est pars rei, & omnino esse non potest, nisi in illa re, ut Aristoteles definit *l. 5 Categ. c. 2.* At forma substantialis ita est in materia, tanquam in subjecto, ut tamen sit pars rei, nempe compositi, quod unà cum materia essentialiter constituit. Ita enim amplianda est illa particula, *Non est pars rei*, nempe ut nec sit pars ejus, in quo est: nec cum eo sit pars essentialis alterius, ut bene monuit Titelmannus *in Log. l. 2. c. 12.* Cujus ampliationis necessitatem alibi ostendi. Vide *in introd. Log. c. 5. n. 25. & in Top. c. 8. n. 22.*

In subjecto esse non semper notat esse etiam accidentale.

255. *Forma est indifferens ad esse substantiale & accidentale.* 3. *Forma indifferens est, secundùm se, ad esse accidentale & substantiale.* Hæc assertio ex prioribus relinquitur. Visum enim ibi est, in particulari, aliquam formam esse substantiam, & aliquam esse accidens. Hoc autem esse non posset, nisi forma, qua talis est, præscinderet ab esse substantiali & accidentali. Si enim, qua talis est, forma esset accidens, omnis forma esset accidens: Iterum, si forma qua talis est, esset substantia, omnis forma esset substantia, quorum utrumque patuit esse falsum.

TITVLVS XXI.

De Causalitate Formæ.

256. AD hunc titulum de tribus agendum est: 1. An forma sit causa: Deinde, & cujus sit causa? 3. Quænam sit ejus causalitas? seu, quomodo sit causa?

ARTICVLVS I.

An forma sit causa?

257. IN primis hanc ad rem est triplex dubitandi ratio: 1. Quia omnis causa est prior effecto, dicente Aristotele 2. *Phys. t. 92.* At forma simul est cum formato. *Deinde* omnis causa est nobilior effecto, ut ex Commentatore sumitur 2. *Phys. comm 4.* At forma non est nobilior formato, quia formatum implicat omnem perfectionem formæ, & aliquid amplius, nempe perfectionem materiæ. *Denique*, si forma causa est, cujus erit causa? Non materiæ. Nam hæc est prior formâ. Non compositi, quia sic erit sui ipsius forma, quia dimissa materiâ (cujus forma non erat causa) nihil est in composito, nisi forma.

Nihilo-

Nihilominus dicendum est: Formam esse causam, quia verum & realem influxum præstat ad productionem compositi, inde etiam compositum intrinsecè dependet à forma: Ergo per talem dependentiam compositum est effectum formæ. Ergo vi relativæ ἀντιστροφῆς Forma erit illius causa. 258. *Decisio quod forma sit causa.*

Ad *primam* objectionem *respondeo*. omnem causam esse priorem effecto, loquendo de prioritate naturæ. Nam loquendo de ordine temporis (secundùm quem forma dicebatur simul esse cum formato) etiam aliæ causæ non sunt priores effectis. 259 *Solvuntur objectiones.*

Ad *alterum* respondetur posse juxta Averroëm 2. *phys. comm.* 4. Formam esse nobiliorem composito. *Sed* hæc sententia falsa est, propter argumentationem in objectione additam. Admisso igitur quod forma sit ignobilior composito: *Respondeo*, negando propositionem, quod omnis causa debeat esse nobilior causato. Nam utriq; materia causa est. Et tamen materia est Ens imperfectissimum. Inprimis autem loquitur ista propositio de causa efficiente. Aut si ad alias causas ea etiam extendenda sit, intelligenda solùm est de causato in fieri, & de causa, prout est in ipso influxu. Hactenus enim utriq; nobilius est dare esse, quàm accipere, quomodo forma est aliquid composito nobilius. Huc pertinet, quod August. ait. *qq.* 83. *q.* 2. Omne quod fit (intelligе in quantum fit) ei à quo fit, par esse non potest. 260. *Forma an sit nobilior composito?*

De tertia autem ratione in contrarium, ex dicendis constabit, ad *n.* 268.

ARTICVLVS II.

Forma cujus rei sit causa?

HAc in re id certum mihi est. 1. Quæcunque habent veram materiam, ea etiam verè habent formam. 2. Quæ non habent propriè loquendo materiam, ea nec propriè loquendo formam habent. 3. Quæ habent materiam secundum quid & impropriè, etiam habent formam secundùm quid & impropriè. Ratio est, quia materia & forma sunt ad aliquid. 261 *Quænam habeant formam?*

Id autem quæritur: cùm forma actum formalem exerceat, an id faciat respectu materiæ, an respectu compositi, seu, an formâ informet materiam, an verò informet compositum. Disputant ea de re variè Autores. Vide Ægid. 2. *phys. c.* 7 *q.* 2. Javell. 8. *Met. q.* 1. Perer. *l.* 8. *phys. c.* 2. & *lib.* 5 *c.* 21. Fonsec. 5. *Met. c.* 2. *q.* 2. 3. Suarez. *disp.* 15. *Met. s.* 9. Et adde Interpp. Lombard. *ad* 2. *dist.* 13. & Thom. *ad* 1. *p. qq.* 66. 262. *An forma informet materiam?*

Hac in re mihi præponenda videtur necessaria distinctio in voce informationis. Alia nempe est informatio accidentalis, alia substantialis. Informatio accidentalis est, quæ est non ad dandum esse simpliciter, sed ad dandum esse tale. Atq; hoc modo cùm qualitates, v. g. dicuntur formæ substantiarum, intelliguntur eas informare, accidentaliter. Neque enim per istam informationem substantiis dant esse, quod necessariò tali informationi præsupponitur. Alia igitur est informatio essentialis, secundùm quam, id quod informare dicitur, alii tribuit esse simpliciter. Ita anima rationalis informat hominem, non dando ei esse accidentale, sed dando ei esse simpliciter, nempe ut sit homo. 263 *Informatio duplex.*

Hoc posito, duo dico: 1. *Forma informat materiam non informatione substantiali sive essentiali, sed accidentali.* Ita patet, quia materia ad formam ex ista informatione solùm habet rationem subjecti. Subjecti autem essentia præsupponitur essentiæ adjuncti. Ergo eam ab adjuncto non accipit. Proinde nec materia accipit esse ex tali informatione, quam præstat substantialis forma in illam introducta. At hæc est accidentalis informatio. Non, inquam, forma informans materiam, dat materiæ esse suum, ut scilicet sit materia, sed solùm ei dat esse tale, ut sit materia talis vel talis, tanta vel tanta, hujus vel illius. 264 *Decisio. Forma accidentaliter informat materiam.*

Objicitur: quod Aristot. *l.* 2. *de anim. c.* 1. animam definit, quod sit actus *corporis*. Corpus autem est materia animalis. Igitur animam per ordinem ad materiam definivit. At forma definienda est utriq; per ordinem & respectum ad id, quod essentialiter informat, ut sequitur ex generali natura entium incompletorum, quæ definiuntur per habitudinem ad id quod complent. 265. *Objectio.*

266. *Corpus bifariam dicitur.* *Anima quomodo sit actus corporis?*

Respondeo; vocem corporis esse ambiguam; aliquando significat ad modum partis, ut cùm homo dicitur constare anima & corpore: aliquando dicitur ad modum totius, veluti cùm prædicatione synonymica dicitur *homo esse corpus*. Vide Zabar. *in Tab. Log. p.* 113. & *l.* 1. *de prim. mot. c.* 6 & *l.* 2. *c.* 17. 18. 19. Et Armand. de Bell. *Vis. l.* 2. *term. c.* 58. Atq; ita cùm anima dicitur esse *actus corporis*, corpus intelligendũ est non per modum materiæ sed per modum totius. Anima igitur est actus corporis (non veluti materiæ, sed) veluti animalis, hominis vel plantæ. Prout & alii

267. Autores ibi eam vocem interpretantur, ut prius retuli *t.* 18. *art.* 2. *ad* 4. *appellationem*.

2. Dico: *Forma informat compositum informatione substantiali sive essentiali.* Ita primum relinquitur ex prioribus. Nam inprimis forma debet aliquid essentialiter informare. At denisâ materiâ, nihil relinquitur, nisi compositum, quod ab ea informetur. *Deinde* compositum habet essentiam per formam, & est id quod est per eam. At dare essentiam utiq; est influxus causalis. Ergo forma ad compositum habet influxum causalem. Deniq; apparet id inde, quod diversarum causarum est idem causatum non diversum. At materia non est materia, nisi compositi. Et efficiens non est efficiens, nisi ejusdem. Ergo & forma est compositi forma.

268. *Objectio.* Sed hîc recurrit *objectio*, præcedenti articulo proposita. Forma non est forma materiæ compositi. Et nihil præterea est in composito præter formam. Ergo est sui ipsius forma. *Respondeo* 1. per instantiam. Materia non est formæ materia in composito, & nihil præterea est in eo præter materiam. Ergo materia sui ipsius est materia. Absurdè. Consequentia igitur uerobique est vitiosa. Estq; id inde, quia materia & forma essentiam constituunt, per identitatem ad ipsum compositum vel speciem. Atque ita forma nec seipsam, nec materiam informat, sed speciem, quia partes illæ non ordinantur ad essentiam partium speciei, sed ad speciem ipsam. Atque ita speciatim anima non informat animam, nec corpus humanum, sed ipsam speciem, nempe hominem.

ARTICULUS III.
Quid sit formæ causalitas.

269 BReviter: *respondeo*: Causalitatem formæ esse unionem ejus ad materiam. Ita patet. Nam per causalitatem intelligitur is modus, secundùm quem causa influit in effectum, seu, qui proximè unamquamque causam constituit actu causantem. Ergo formæ etiam causalitas illa est, quæ ex parte formæ requiritur ad hoc, ut ipsa actu influat, & sic actu informet. Id autem est ejus unio ad materiam. Quam primùm enim ipsa materiæ unitur, statim dat essentiam alicui speciei, cámq; ultimò in esse suo absolvit, qui est ejus formalis effectus. Estq; hæc res satis plana. Consentienter ita docere solent Interpp. *ad* 1. *Metaph. c.* 2. & 2. *phys. c.* 3.

TITULUS XXII.
DE DIVISIONIBUS FORMARUM.

270. DIstinctiones nominales formæ suprà *tit.* 18. *art.* 1. persecutus sum: nunc reales divisiones tractandæ sunt. Sunt autem talium divisionum quatuor propositæ in Theorematibus hujus capitis. Igitur *primò*, forma est substantialis vel accidentalis. *Secundo*: forma est generica, specifica vel numerica. *Tertio*: Forma est totalis vel partialis. Et *denique* forma est materialis vel immaterialis. Hæ divisiones ordine explicandæ sunt.

ARTICULUS I.
De divisione formæ in substantialem & accidentalem.

271. HUjus divisionis sensus duplex esse potest: possunt enim termini intelligi, tum juxta diversitatem, quæ est in modo informandi, tum juxta diversitatem rerum, quæ informantur. Si priori modo intelligatur illa divisio, non est realis, sed nominalis, indéque hoc sensu tractata est suprà *t.* 18. *art.* 2. ubi vide.

Sim

Sin verò poſteriori modo intelligatur, hoc eſt, juxta diverſitatem rerum in formantium, ſic alia forma eſt ſubſtantia, & dat eſſe ſubſtantiale: Alia verò eſt accidens, & dat eſſe accidentale, utrobique tamen eſſentiale. Ita anima eſt forma ſubſtantialis hominis. Doctrina formæ accidentalis doctè ſumitúrque tum hujus diviſionis benitas exinde, quod ut antea oſtenſum eſt *tit. 20. art. 2.* alia forma eſt ſubſtantia, alia accidens. 272.

ARTICULUS II.

De diviſione formæ in generícam, ſpecificam & numericam.

HArum formarum definitiones facilè ſumi poſſunt ex ipſis nominibus. Igitur Forma generica eſt, quæ ſpeciei alicui dat eſſe generale. Talis eſt anima ſentiens in homine, quæ tribuit homini, ut ſit animal. Dico *ſpeciei*, quia ſi eſſentiam generalem ſumamus in ipſo genere, ea non neceſſariò præſtatur per formam. Nam generaliſſima genera, cùm ſint expertia generum, à fortiori ſunt expertia formarum. 273. *Forma generica.*

Forma autem *ſpecifica* eſt, quæ dat eſſe ſpecificum, ſive quæ aliquam rem conſtituit in determinata ſpecie. Sic anima rationalis eſt forma ſpecifica hominis. 274. *Forma ſpecifica.*

Denique forma *Numerica* eſt, quæ dat eſſe individuum, ſive ſingulare. Unde eodem ſenſu forma *individuifica* dicitur. Dicitúrque *Numerica*, quia per eam conſtituitur aliquid unum numero. *Id* autem non putandum eſt, quòd unaquæque res, quæ ſingularis eſt, ſit per formam ſingularis, ſed ſolùm, quod forma, in habentibus formam, ſit principium individuationis in illis, qua de re ſuprà ſatis fuit, *c. 6. n. 52. ſeqq.* 275. *Forma Numerica.*

Cæterum eſt obſervandum, quod illa diſtinctio non ſumatur, ſecundùm diverſitatem, quæ ſit à parte rei, ſed ſolùm eſt, ſecundùm abſtractionem vel præciſionem Entis. Nam inprimis à parte rei, non eſt univerſale à ſingulari diſtinctum, ut *d. cap. 6.* oſtenſum eſt: Sed Socrates, verbi gratia, & homo, qui de eo dicitur, & animal, quod de eodem homine dicitur, ſignificant unam & eandem eſſentiam, ſolum ſub præciſioribus conceptibus. Hinc igitur etiam à parte rei non debent reſpondere plures formæ, quatum una ſit generica, alia ſpecifica, alia numerica: ſed una eadémque forma, quæ dat eſſe ſingulare, ſolum ſub præciſiori conceptu, aliud nomen accipit, & ſpecifica ac deinceps generica forma dicitur. Sed hæc res plenius patebit diſputando de pluralitate formarum quod faciemus ſequenti articulo, poſtquam declaraverimus diviſionem formæ in totalem & partialem. Nam & de partialibus formis diſputari ſolet. An earum plures, præſertim in totis diſſimilaribus poſſint eſſe in eodem compoſito. 276. *Quomodo diſtinguatur forma in generícam, ſpecificam & Numericam?*

ARTICULUS III.

De diviſione formæ in totalem & partialem.

ALia eſt hæc diſtributio, ab ea, quâ forma diſtinguebatur in formam totius & partis, de qua prius fuit *c. 18. art. 1. ad 1. ſignif.* Eſt igitur nunc forma *totalis*, quæ eſt adæquata toti compoſito, qualis eſt anima ſentiens in animali. Partialis autem forma eſt, quæ eſt inadæquata ad id quod totum, ſed deſtinatur ad conſtituendam partem aliquam, qualis eſt in animali, forma naſi vel linguæ, vel cordis. 277.

Cæterum hæc etiam diſtinctio, non eſt in diverſas res, ſed ſolum in diverſos modos, vel rationes ejuſdem rei. Neque enim forma partialis dicitur tanquam adæquatè reſpiciens aliquam partem, & ad totalem formam addita. Mox enim oſtendemus, non dari plures formas partiales, quod neceſſarium eſſet, ſi partiales formæ ſumerentur juxta numerum & diverſitatem partium in compoſito. 278. *Qualis ſit diſtributio formæ in totalem & partialem?*

Eſt igitur in unaquaque ſpecie ſpecifica forma, hæc adæquatur toti ſpeciei, qualem dixi eſſe animam ſentientem in animali. Et hæc forma ex illa adæquatione totalis dicitur. Illa igitur forma, quia totalis eſt, neceſſario extenditur ad quam- 279.

libet partem materiæ. Atque ita per præsentiam ad partem, sit partialis. Et sic partialis forma est quasi pars formæ totalis. Id inprimis attenditur in totis dissimilaribus. Ibi igitur anima sentiens (quæ totalis forma est, & proinde etiam ad nasum, verbi gratia, extenditur) accommodata materiæ idoneæ, ut in ea exerceat actum olfaciendi, constituit nasum. Et sic hactenus est forma partialis nasi. Eadem anima, porrò extensa ad materiam, quæ est apta ad videndum vel apprehendendum, constituit cum illa materia, oculum vel manum. Et sic sit partalis forma oculi vel manus. Et sic in partibus aliis. *Sed* hæc clariora erunt ex iis, quæ statim adjungemus, de pluralitate formarum. Ibi enim ostendetur plures partiales formas, realiter diversas, in eodem composito non dari.

DISPUTATUR.

An plures formæ possint esse in eodem composito?

280. HAnc rem *in Topic.* tractavi *c. 5. tum ad num 41. seqq. tum ad n. 64. seqq.* Quid statuendum sit paucis propositionibus expono.

PUNCTUM I.

De formis specificis.

281. *Plures formæ specificæ non sunt in eodem composito.*

1. PLures formæ specificæ, h.e. diversas species facientes non sunt in uno composito. Ita ex ipsis terminis clarum est. Nam forma specifica, est quæ speciem facit. Ergo plures formæ specificæ plures species faciunt. Proinde clara est repugnantia: Dicere plures formas specificas, & tamen dicere unum compositum vel speciem. Estque hæc assertio contra Manichæos, qui hominis duas animas assignabant, easq; contrarias, alteram à bono, alteram à malo Deo inditam, teste Augustino *in l. de duabus animab. contra Manichæos, & l. 10. de Gen. ad lit. c. 13. & lib. de vera relig. c. 9.* cui adde Hieron. *Epist. 150. ad Hedib. q 12.* Damnata hæc Manichæorum opinio est in Conc. Const. *All. 11. Can. 1.* *Apparet* (verba sunt Concilii) *quosdam id temporis in tantam impietatem venisse, ut hominem duas habere animas impudenter dogmatizarent. Tales igitur impietatis inventores, & similia sentientes, cum cæteris & Novi Testamenti, omnesque Ecclesiæ Patres unam habere animam asseverent, sancta & universalis Synodus anathematizat.*

Objectio.

Objectio illorum principalis est: quod in Scriptura solet anima duobus vocabulis conjunctim circumscribi, nempe voce spiritus & animæ, ut *1. Thess. 5. v. 23.* Deus pacis sanctificet vos, ut integer *spiritus* vester *& anima*, & corpus, sine querela in adventum Domini nostri Jesu Christi servetur. Sic & in locis aliis.

282. *Spiritus et anima quomodo in Scripturis distinguantur?*

Sed inprimis hic ipse locus intentionem Manichæorum satis confutat, de anima bona & mala, quia hic de spiritu & de anima dicitur, integritas & sanctificatio & servatio, *Daniel. 3.* ajunt pueri: Benedicite spiritus & animæ justorum Domino. At hæc non possunt animæ attribui, si quæ in nobis esset, præter eam, quæ à bono Deo indita est. Spiritus igitur & anima, in Scripturis, quando conjunguntur, non distinguuntur substantiâ, sed officio & munere, ut Hieron. docet *est. loco.*

PUNCTUM II.

De Formis generalibus.

283. *Formæ non sunt multiplicandæ, juxta quidditativa prædicata.*

2. ASsertio: *Juxta numerum prædicatorum essentialium non sunt numerandæ & multiplicandæ formæ essentiales, tanquam realiter diversæ in eadem specie.* Hæc assertio est contra Paul. Venet. *lib. 7. Met.* Avicembron. *in l. fontis vitæ.* Joh. Gandau. *2. Met. q. 10. et l. 1. de anim q 8.* Philopon *l. 1. de anim. text. 91.* & alios, & patet ejus veritas, per ea, quæ priùs *art. 2.* constituta sunt. Nempe singulare & universale, & proinde genus, species & individuum, non dicunt essentias à parte rei distinctas: sed una eademque essentia, quæ distinctè significatur sub voce *Socratis*, illa ipsa, confusè & cum præcisione conditionum individuantium, significatur sub vo-

ce *hominis*. Et rursus illa ipsa essentia, etiam significatur sub voce *animalis*, per ad huc confusiorem & præcisiorem conceptum. Cùm igitur ipsa formata à parte rei non distinguantur, nulla hactenus necessitas est, ut attributis, ratione distinctis, respondeant formæ distinctæ realiter.

284. Addidi autem in superiori assertione, *tanquam realiter diversa in eodem composito*. Nam sicut plura dicimus prædicata essentialia, sumendo pluralitatem, secundùm diversitatem, & præcisionem rationis: Ita etiam in eodem compolito dici possunt esse plures formæ, itidem sumendo pluralitatem secundùm diversitatem & præcisionem rationis. Ita in homine utique est & anima vegetans & sentiens, & rationalis, non tamen, ut realiter distinctæ, sed ut una anima, sumpta cum majori vel minori præcisione, juxta conditionem formatorum per ipsas, ut speciatim videbitur sequenti propositione.

285. Contra hanc propositionem ex duplici principio potest disputari. *Primò*, quod universale & singulare distinguantur re, & non sola ratione. Inde non consequitur, ut & formæ prioratum realitatum differentia, differentes sint. Sed de hac hypothesi satis dictum est suprà, *hoc lib. 1. c. 7.* *Objectiones.*

286. *Deinde* quòd admissa reali identitate, inter singulare & universale, adhuc sint necessariæ diversæ formæ. Nam inprimis Socrates est homo. At esse hominem est prædicatum substantiale. Ergo per aliquam formam substantialem est homo. Hæc autem est anima rationalis. Rursus idem Socrates est etiam animal. Hoc prædicatum iterum est substantiale. Ergo Socrates per aliquam substantialem formam est animal. Hæc autem est anima sentiens. Ergo præter animam rationalem est in homine anima sentiens. Ergo sic diversitas prædicatorum essentialium infert pluralitatem formarum.

287. *Si dicas*: esse ibi diversas formas, sed solum ratione distinctas, sicut & ipsa essentialia prædicata, hoc est, homo & animal: Retorquebatur: quod sic dici deberet: animam rationalem esse animam sentientem, sicut dicitur hominem esse animal, sed falsum est, animam rationalem esse sentientem animam.

288. Sed tamen bona fuit responsio, quod scilicet Socrates utique sit & homo & animal, & id quidem per substantialem formam. Sed cum homo & animal non significent duas Entitates, sed unam, magis minusve præcisam & abstractam: Ita oportet etiam esse de forma, ut & de ea non necessum sit, ut realiter diversa sit, quæ facit esse animal, & esse hominem.

289. Ad *instantiam* autem *respondeo*: realem identitatem extremorum, non semper satis esse, ut de se invicem prædicetur, quæ realiter idem sunt, præsertim si sermo sit de abstractivis nominibus. Nam inter genus & speciem, ut objectio supponit, est realis identitas, item inter differentiam & speciem, & tamen falsæ sunt hæ propositiones in rigore: *rationalitas est animalitas*, & *humanitas est rationalitas*. Istæ enim prædicationes abstractivæ insinuant, quasi quod formaliter significatur sub una, significetur etiam sub altera, quod hic & ibi (hoc est, in anima sentiente & rationali) non est. Confer Scotum in *prad. q. 16* & Suarez. *disp. 6. Met. s. 10.*

290. Deinde frequenter objicitur locus Arist. *Met. c. 10.* ubi ait: *Partibus definitionis respondere partes definiti, seu rei ipsius.* At partes definitionis sunt genus & differentia. Ergo & in re erunt genus & differentia, & proinde formæ, quibus constituatur esse genericum, & esse quasi differentiale, seu quod idem est, specificum. *Objectio.*

291. *Respondeo* admittendo, quod generi & differentiæ, quæ sunt partes definitionis, respondeant partes in definito, sed istæ non sunt necessario realiter diversæ, & consequenter nec necessario inferunt formas realiter diversas. *Solutio.*

Sunt alia etiam, quæ opponi solent, quæ Zabarella refert pro abstruenda multitudine animarum, desumpta ex natura essentiæ generalis, sed ista melius in sequentibus referentur & refellentur.

PUNCTUM III.

De animarum multitudine vel unitate in homine.

291. *Non sunt plures animæ in homine.*

3. Speciatim dico: *non esse plures (realiter diversas) animas in homine, quarum una sit vegetans, alia sentiens, alia rationalis.* Ita primum ex dictis relinquitur & est contra Occamum *Quodlib. 2. q. 10. & 11.* Zabarellam *lib. de facult. anim. c. 8. de gener. & inter. t. 2. & in comm. ad 2. de anim. t. 31 fol. 361. & in comm. ad lib. 1. de gener. & corrupt. p. 830.* Apparet autem assertionis nostræ veritas, ex separatione animæ. Nam imprimis anima sentiens & vegetans, si realiter diversæ sunt ab anima rationali, prorsus sunt materiales, idémque, sicut cæteræ formæ materiales, separatio illarum à materia, erit interitus earum. At nihilominus eas non interire, Scriptura testatur, *Matth. 7. Animam hominis*, inquit Christus, *occidere non possunt.* Oportet igitur ut eandem substantiam habeant cum anima rationali, ut inde, per identitatem ad illam, leparentur. Alia addere nolo.

De objectionibus.

293. OBjectiones contra hanc assertionem variæ sunt, quas proponit Zabarella *de facult. anim. cap. 8.* & alibi reperit.

Primum argumentum.

Repugnantia operationum sensitivarum & intellectualium.

PRimò, *Fidem*, inquit, *huic animarum distinctioni facere potest, continua illa quam in nobis experimur pugna sensus cum ratione. Quod enim sensus appetit, ab oratione frequenter abhorret, & quod ratio vult, id persæpe sensus fugit ut molestum: ita ut eadem res sit molesta sensui, & jucunda rationi, vel sensui jucunda & molesta rationi: alia igitur est substantia animæ, quâ sentimus, & alia quâ intelligimus & volumus.* Eodem argumento utitur Occamus *quodlib. 2. 10, 28.*

294. Sed *respondeo* ad istam operationum diversitatem vel contrarietatem, satis esse, si sit diversitas in facultatibus, non autem requiritur præterea diversitas in formis, secus enim oporteret etiam aliam animam videntem esse, & aliam audientem, quia si attentè intendamus aliquid auditu nostro observare, in iis quæ præ oculis fuhr, cognoscendis, visus deficit. Estque ad hanc rem observandum, quod Suarez monet *disp. 15. s. 8. n. 28.* dupliciter intelligi posse, quod in homine sint contrariæ operationes, scilicet vel simul, vel diversis temporibus. Hoc posterius non solum in eadem anima, sed etiam in eadem potentia accidere potest. Illud autem prius non est verum de anima hominis, intellectum de propria contrarietate. Nam quando voluntas & appetitus simul moventur affectibus contrariis, tendunt in contraria sub diversis rationibus, diverso etiam modo. Nam cum affectus unius est efficax, alterius est inefficax, ex quo potius colligitur istos diversos appetitus in eadem anima radicari. Nam motus unius retardat motum alterius, si sit aliquomodo repugnans. Si autem inter se consentiant, facilius indicatur ista identitas.

Secundum Argumentum.

295. *Ab una forma, unum esse.*

SEcundò: *Illud me maximè movit*, inquit Zabar. *quod forma simplex est essentia, & dat unum tantum esse & non plura, quæ igitur dat esse hominem, eadem non dat esse animal. Ergo si homo per animam rationalem est homo, non potest per eandem esse animal, & esse vivens; sed per rationalem est homo, & per sensibilem est animal, & per vegetantem vivens.*

296. *Qualenus una forma possit dare plura esse.*

Respondeo: Admitto, quod una forma det tantùm unum esse, nego consequentiam, quia esse hominem, & esse animal non sunt plura esse, sed sunt unum esse. Essentia, inquam generica & specifica, sunt unum esse à parte rei, multitudo autem est solùm secundùm majorem vel minorem præcisionem. Proinde ad hanc multitudinem, etiam satis est una & eadem anima, præcisiùs vel minus præcisè sumpta. Sed ea de re jam fuit in præcedenti puncto.

Tertium argumentum.

297. TErtiò: *Incidunt autem*, inquit porrò Zabarella, *in aliud quoque absurdum, non minus grave. Sicut enim dicunt, plura esse ab una & eadem forma tribui: ita*

ita etiam assumant, idem esse simul tribui à pluribus diversis formis. Nam secundum eos tam forma propria hominis, quàm forma propria equi, & forma propria leonis dat esse animal. Hoc autem tum ipsum per se cuilibet consideranti absurdum est manifestum, tum etiam hoc argumento reprobari potest, quia si unum & idem esse simul provenit à pluribus formis: Ergo à singulis provenit per accidens, ut animalitas per accidens à forma hominis, per accidens à forma equi, & per accidens à qualibet alia. Illa enim est alicujus causa per accidens, sine qua illud esse potest. Atqui animalitas existere potest, & existit altu sine forma humana. Ergo ab ea provenit per accidens, & eadem ratione à qualibet alia per accidens. Idq; à nullo vitè philosophante negari potest. Ex hoc autem postumus tale argumentum colligere: Omne quod est per accidens, est reducendū ad aliquod per se, ut ait Aristoteles 2. Phys. context. 66. 67. Ergo necesse est aliam esse formam ab omnibus specierum formis distinctam, quæ per seſe tribuat esse animali, eamque unam & eandem esse in omnibus animalibus, proinde communem formam generis distinctam esse à formis specierum. Hactenus Zabarella.

Respondeo: Inprimis satis indicat Zabarella in hoc & multis aliis, se minus 298
exercitatum esse in prima Philosophia. Sed videamus 1. Quatenus una forma possit plura esse tribuere, & quatenus id sit in præsenti negotio, ex priori argumento liquet. *Deinde* observandum est, quod unitas generica vel universalis (secundùm quam duæ pluréſve species dicuntur habere unam essentiam) non sit realis, sed rationis. Unitas enim illa non est, nisi sumendo essentiam genericam, cum præci- *unitas generica*
sione & indifferentia ad differentias specificas. At sic nulla res in mundo est, quæ *non est realis,*
à parte rei sit indifferens ad differentias contrahentes. Hoc igitur posito, forma etiam generalis, secundùm quam sit illa unitas, non debet sumi ut à parte rei diversa à specifica, sed solùm secundùm præcisionem. Arq; hoc est de anima hominis, v.g. Ea enim præscindi potest, & inadæquatè concipi, & dimissâ rationalitate solùm apprehendi, secundùm ea attributa, quæ etiam brutis conveniunt. Idémq; sicut est in homine, fieri etiam potest in equo & leone, quæ animalia consequenter secundùm istam præcisionem conveniunt in eadem essentia generica. Ex his igitur liquet, quod à parte rei non debeat una esse forma in diversis speciebus. Vnde porro *tertio* loquendo de animalitate, ut est à parte rei, debet ea dari ab illa forma specifica, cui identificatur. Et proinde animalitas, quæ in equo est, ex equi natura, quæ in leone est, ex leonis natura sumi & præscindi debet. Unde *quarto* id consequenter facilè admittitur, quod leonis natura, ad dandam animalitatem simpliciter sit per accidens. Potest enim & animalitas, ex alia natura, veluti equi vel hominis sumi, quia specifica differentia hæc vel ista, est per accidens ad genus, ut ipse Zab. disputat in 1. *de propos. necess.*

Quid igitur, *inquis*, dat animalitatem per se? *Respondeo*: Animalitas, ut unam 299
aliquam essentiam significet, non est à parte rei, sed cum aliqua præcisione mentis. Hinc igitur & forma ista, quæ dat animalitatem, satis est, si sit cum eadem præcisione. Nempe anima præcisa à determinatis rationibus horum vel istorum animalium, quæ nihil aliud est, quàm anima sentiens, per se dat istam animalitatem sic sumptam. Deinde animalitas, ut est à parte rei, per realem identitatem ad species, quæ sunt sub ea, est à natura per se cujusque speciei, veluti animalitas, quæ in leone est, est à natura leonis: Et animalitas, quæ in homine est, est à natura hominis.

Quartum argumentum.

QUartò: *Hoc eo quoq;* inquit, *argumento confirmatur, quod sic servatur univoca-* 300
tio generis, quæ secundum illorum sententiam, servari non potest. Illa enim vere conveniunt in univoco, quibus una aliqua natura communis, quæ participent, respondet. Atqui secundùm eos homo & bruta non participant aliqua eâdem communi naturâ, quâ sint animalia, siquidem homo est animal per animam rationalem, equus vero est animal, per propriam equi formam. Ergo animal non est eis genus univocum. At si

in

in omnibus unam & eandem ineſſe animæ ſenſibilis naturam fatemur; animalis univocationem optimè ſervamus: ſic etiam, per vegetantis animæ participationem, dicimus in vivente, tanquam communi genere, convenire animalia omnia, & ſtirpes, ideoque vivens eſſe illis omnibus genus univocum. Hæc Zabarella.

301 *Reſpondeo*: Animal eſt univocum ad hominem & bruta, quia ſecundùm eandem definitionem dicitur de homine & brutis. Hæc enim eſt univocorum definitio apud Ariſtot. *lib. Categor. c.* 1. Cùm enim dico, *hominem eſſe animal*, ſub nomine animalis ſignificatur, hominem eſſe naturæ ſenſitivæ & appetitivæ, quæque ſeipſam movere poſſit: At hoc ipſum etiam ſignificatur, cùm dico: *brutum eſſe animal*. Eſtque præterea hîc obſervandum, quòd univocatio illa ſit nihil aliud, quàm unitas ſpecierum in genere. Ea autem unitas non eſt realis, ſed rationis, ut priùs oſtenſum eſt. Ad hanc igitur ſatis eſt, ſi ab animalium brutorum & hominum natura, poſſit aliquid præſcindi & abſtrahi, de ſe ſignificans unam in utroq; eſſentiam, quod ſatis commodè fieri poteſt ſub nomine animalis, & animæ ſentientis.

302 *Quintum argumentum.*

Quintò: *Præterea aliud abſurdum*, inquit, *eorum opinionem conſequitur. Dicunt enim rationalem & ſenſibilem, & vegetabilem in homine, non tres formas eſſe, ſed tres facultates unius & ejuſdem formæ.*

303 *Reſpondeo*: Accuratè loquendo rationalis & ſenſitiva, & vegetans anima, non ſunt facultates (quo nomine ſolent qualitates vel potentiæ activæ ſignificari) ſed ſunt ipſa anima inadæquatè apprehenſa, ſicut homo & animal, & vivens unam eſſentiam dicunt ſub conceptibus inadæquatis.

Hæc propterea prolixiùs tractare volui, quia diſputatio hæc, etſi ſit de anima, & proinde Phyſica, tamen ferè non tractatur, niſi ex principiis Metaphyſicis, ut hactenus patuit.

PVNCTVM IV.
De formis partialibus.

304 *Non eſſe plures formas partiales in eodem compoſito.*

4. Dico: *Non ſunt plures formæ partiales in eodem compoſito*, Entia enim non ſunt multiplicanda ſine manifeſta neceſſitate. At neceſſitas nulla eſt multiplicandi formas partiales. Idque apparebit, ſi ſolverimus rationes, quæ videntur earum formarum partialium neceſſitatem probare. Conſentiunt hanc ad rem Thom. 1. *p. q.* 76. *art.* 4. Greg. 2. *diſp.* 17. *q.* 7. Javell. 7. *Metaph. q.* 19. Suarez 19. *diſp. Metaph. ſ.* 8. *n.* 29.

305 *Aliorum opinio.*

In oppoſitum autem formas plures partiales dari diſputat Venetus *in ſumma de an cap.* 5 Anton. Andr. 7. *Metaph. q.* 17. Niphus *lib.* 1. *de gen. t.* 78. Scalig. *exerc.* 346. Aliique.

306 *Argumenta pro opinione aliorum.*

Probant *primo*: quia in diverſis partibus ſunt diverſæ, imò contrariæ diſpoſitiones & operationes. Requiruntur ergo diverſæ formæ.

307 *Reſpondeo*: negando conſequentiam. Nam forma miſti, quæ virtute ſuâ continet formas elementorum, juxta diverſas elementorum qualitates, facilè poteſt efficere, varias diſpoſitiones, in aliis atque aliis membris. Hinc igitur anima membris diverſimodè diſpoſitis unita, varias etiam poteſt operationes in iis edere, una eâdémque.

308 *Deinde* inquiunt, ſi non eſt peculiaris forma in partibus totius diſſimilaris, cum non differunt partes totius ſimilaris, à partibus totius diſſimilaris. *Reſpondeo*, non differre quidem formâ: at differunt nihilominus diverſis diſpoſitionibus materiæ, quod ſatis eſt.

PUNCTUM V.
De forma miſti.

309 5. Dico: *In rebus animatis præter animam eſt forma miſti, ſive corporeitatis, quam alii vocant.* Hujus aſſertionis veritas patet, quia in miſto corrupto & inte-

integro, veluti homine vivente, & ejus cadavere sunt aliqua determinata attributa, eadem. Oportet igitur, ut in utroque sit eadem forma, quæ non potest esse, nisi forma mixti vel corporeitatis, quam vocant. Consequentia est evidens, quia determinata accidentia non sunt, nisi à forma. Ergo eadem accidentia sunt abeadem forma. Antecedens patet, de quantitate, figura humiditate & calore, elementari, partium densitate, mollitie, & quæ sunt alia, quæ omnia sunt eadem in vivente & cadavere. Et hoc argumentum recte etiam urget Zabarella *in lib. de gener. & interc.* 23. Alia motio, quæ ille prolixè disputat.

animatis peculiares formam mixti.

Cæterùm illa forma requiritur in animatis, non ex eo, quia constituat genus animalis (sic enim visum est in prioribus, quòd generibus non necessariò à parte rei respondeant peculiares formæ) sed quia hæc necessaria est ex parte materiæ, dispositio, ad recipiendam animam. Ad quem modum Scotus, Henricus & alii Scotistæ ea de re loquuntur. Proinde quæ ex natura generum vel universalium sumuntur argumenta, hîc non militant. 310.

Id frequenter *objici* solet: quòd generatio unius sit corruptio alterius, & vicissim corruptio unius sit generatio alterius. Ergo etiam cùm corrumpitur vivens debet aliud generari. At nihil generabitur, si forma mixti præexistat in vivente. Generatio enim requirit novæ formæ introductionem. 311. *Objectio.*

Respondeo: Adæquatus generationis terminus non est forma, sed species. Et proinde nova erit generatio, si fiat species, quæ antea non fuit. Atque hoc fieri potest, etsi forma mixti præexistat. Nam intercunte vivente, utique fit species, quæ antea non erat hoc ipso, quia fit res inanimata. Atque ita corruptio unius, intelligi speciei, est generatio alterius speciei. Et speciatim corruptio viventis, est productio non viventis, sive inanimati. 312. *Corruptio unius quomodo sit generatio alterius?*

Sed *instas:* Generatio est mutatio *totius in totum*, ut Aristot. definit *lib. 1. de gener. t. 23.* Et Scalig. *exerc. 6. s. 1.* Ergo nihil eorum, quæ in genito sunt, præexistit. 313. *Instantia.*

Respondeo: Vocem totius esse ambiguam; potest enim sumi tanquam ex adjectivo *totus*, vel tanquam ex substantivo *totum*, inter quæ quid intersit, exposui suprà *c. 6. n. 13, 14.* Igitur cùm generatur vel corrumpitur homo, totus homo mutatur. At non mutatur totum hominis. Nam saltem manet materia, quæ est ingenerabilis & incorruptibilis. Proinde vox illa *totius* in definitione generationis, non est sic intelligenda, quasi *totum speciei* mutetur (quod apparuit esse falsum) sed quod *tota species* mutetur, hoc est, ut desinat illa species, quæ fuit. Confer & Zabarell. *lib. de gener. & interc. c. 4.*

ARTICULUS IV.

De divisione formæ in materialem & immaterialem.

314. Implerus *lib. 3. Metaph. t. 2. q. 66.* hanc divisionem ait non consistere posse. *Nam formam materialem*, inquit, *vocant, quæ materiæ est unita seu juncta. Immaterialem verò quæ ab omni materia est sejuncta. Jam autem omnis forma, qui forma, est unita materiæ, neque fieri ullo modo potest, ut aliquid actu sit forma, quod à materia est separatum.* Hæc ille.

315. Sed in qua illa est censura: Nam 1. Si per formas immateriales intelligerentur formæ separatæ quas vocant, per materialem autem illæ, quæ sunt materiæ unitæ, adhuc benè distingueretur forma in materialem & immaterialem non tanquam divisione reali, sed tanquam per distinctionem nominis ambigui in sua significata. Id enim negari non potest, quod intelligentiæ & Deus frequenter formæ dicantur. Tùm igitur formas istas à materiis abjunctas significaret nomen formæ immaterialis. Sed tamen 2. respondeo, istum sensum superiori divisione non intendi. Atque ita forma immaterialis & materialis communiter conveniunt in eo, quod utraque informet materiam. Indéque in communi in *Quid forma materialis & immaterialis?*

ratione formæ univocè conveniunt, ut forma, in materialem & immaterialem, realì divisione distinguì possit. Ita mox apparebit.

316. *Formæ materiales.*

Igitur hæc est inter formas inprimis varietas, quod aliæ aliis majorem habeant ad materiam dependentiam. Igitur sic *formæ materiales* sunt, quæ maximam habent ad materiam dependentiam, ut nec esse, nec fieri, nec operari possint, nisi in materia. Tales sunt formæ brutorum, & aliarum rerum infra hominem, quæ non fiunt, nisi in materia, & non operantur, nisi in materia, & non sunt, nisi in materia, ideò, ut, si materia aliunde fiat inhabilis, quæ portò talem formam sustentet, illicò istæ formæ intereant. Istæ igitur formæ hactenus dicuntur materiales.

317. *Formæ immateriales.*

In oppositum igitur forma immaterialis est, non quæ est abjuncta & separata à materia, sed, quæ cùm sit materiæ unita, non tamen tantam habet ad materiam dependentiam, ac formæ aliæ. Talis igitur est anima rationalis, quæ esse potest extra materiam. Separata enim à materia vult & intelligit, sicut & Angeli, non minùs ac actus istos in corpore exercebat. Vnde portò apparet, solam animam humanam, quippè quæ sola immortalis est, inter formas esse formam immaterialem.

318. *Formarum materialium conditiones.*

Pererius *lib. 5. Phys. c. 22.* tradit, & insinuat Colleg. Conimbr. *1. Phys. c. 9. q. 12 a. 5.* Formæ materialis conditiones esse quinque. *Prima* est, quòd tales formæ producuntur ab agentibus materialibus per actiones materiales, & per dispositiones materiales, hoc est, hærentes & infixas in materia. *Secunda* est, quòd tales formæ dependent in fieri à materia, hoc est, non possunt gigni, nisi intra materiam eique penitus copulatæ. Non enim per se producuntur, sed extrinsecus adveniunt & adjunguntur materiæ. *Tertia* est, quòd pendent à materia in esse. Nam extra materiam, in qua ab initio productæ sunt, ne puncto quidem temporis aut per se, aut in alia materia, subsistere possunt: sed planè idem est, eas separari à materia, quod, ipsas penitus interire. *Quarta* est, quòd pendent à materia in operationibus suis. Ex quo fit, inquit, ut operationes hujusmodi formarum, non sint subjectivè in forma, sed in toto composito. *Quinta* est, quod pendent à materia quidditativè, quamobrem sine ea nequeunt aut definiri, aut perfectè intelligi. Hæc Pererius.

Hactenus fuit de Forma, sequitur nunc, ut agamus.

De Fine.

319. DOctrina Finis consistit potissimum in quatuor capitibus. Igitur agendum *Primò* est, de nomine finis & æquipollentibus. *Deinde* de definitione finis. *Tertiò* de ejus causalitate, iisque quæ ad eam pertinent. Tùm *Quartò* de divisionibus finis, & *denique* de mediis.

TITVLVS XXIII.

De nomine Finis.

320. *Unde dicatur Finis?*

VOcabulum *Finis*, à finiendo sumptum est, ut sonus vocis indicat. Scaliger *lib. 2. de plant. c. 317.* Derivat à *fendo*. Verba sunt elegantia: *Nostrâ Latinâ linguâ*, inquit, *vox Finis generationem non abolitionem significat, siquidem à verbo fio dicta est. Itaque vulgo quoque ii, qui Metallicis præsunt, ubi aurum argentumve excoctum est, quasi finem fit, hoc est, perfectionem consecutum, à fine denominant tam Itali, quàm vel Galli, vel Hispani, quâ ratione τέλη quoque dicuntur veligatia, propterea quod essent regiorum, rerumque publicarum perfectiones, & quasi anima quædam. Nam quod usurpat vulgus de iis, quos mori nos dicimus τοῦ τὸν μοῖραν, καὶ τὸν μέρον, quod vulgus de iis dicit, τελευτᾶν, non tàm affert labem voci, propter odium communis mortis, quàm eleuat illius obiectionem vocis lenitate. Sic enim Veteres patarini sapientes, abire nos hinc (quod & ἀπέρχεσθαι & ἀπιέναι dicere*

dicere soliti sunt) ad meliorem vitam, & verum propriumque finem adipiscendum. Hæc ille.

321. *Vox* Finis *quot modis dicatur?*

Cæterùm vox *finis* ambiguè dicitur. Aliquando etiam significat solùm id, quod extremum est, Græci vocant πέρας καὶ ἔσχατον, hoc est terminum, vel extremum, seu extremitatem. Ita extremum punctum in linea vocatur finis lineæ, & qui in extremo loco sedet, dicitur sedere in fine. Et eodem sensu Astrologi Horizontem vocant *finitorem*, quia finiat, vel terminet visum nostrum. Ita nunc finis non accipitur.

Aliter igitur finis sumitur pro eo, propter quod est aliud. Vide Zabarell. *in comm. ad lib. 4. Meteorol. p. 987. & 1025.* Distinguit has significationes Aristoteles *l. 2. phys. t. 23.* ἐ πᾶν ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. Non omne extremum est finis, sed quod est optimum. Sic & *1. de anima*, ait, mortem non esse τέλος, sed ἔσχατον. Vide Scalig. *prius cit. loc. & exc. c. 254. p. 786.* Pertinetque distinctio quorundam, qui distinguunt inter finem terminationis & causalitatis. Hæc enim distinctio solùm nominalis est, juxta diversitatem significationum modò traditarum.

Fuit hactenus notatio & distinctio vocis *finis*, addendum nunc est de æquipollentibus. Ad hanc igitur rem dicendum est, de fine, causa finali & scopo. Græci finem vocant τέλος, τελικὸν αἴτιον, τὸ ἕνεκα.

Finis & causa finalis quomodo conveniant vel differant?

322. *Quomodo aliqui finem & causam finalem distinguant?*

FInem & causam finalem aliqui idem esse aiunt, sicut idem sunt forma, & causa formalis, materia & causa materialis: aliqui tamen istas voces distinguunt.

Gabriel *2. sent. dist. 1. q. 5.* ait: finem esse terminum solùm, ad quem dirigitur operatio. Causam autem finalem esse id, quod movet agens ad operandum, & sic causalitatem aliquam exercet.

Zabarella *lib. 2. de medio demonst. c. 10. t. 610.* inter finem & finalem causam sic distinguit: *Finis*, inquit, *dicitur respectu agentis primarii, quia movet illud ut expetibile. At non est eius causa finalis. Agentium autem secundariorum non est finis, quia non movet illa, sed est causa finalis, cujus gratia facta vel mota sunt ab agente primario.*

Philippus Melanchthon *lib. 4. Dial. pag. (mihi) 291. Differunt*, inquit, *finis & causa finalis. Finis est ipse usus rei, ut finis calceti est munire pedem. Sed causa finalis est cogitatio de fine videlicet de usu, quâ movetur & regitur agens in opere instituendo, ut fabricans animum movetur & regitur cogitatione de usu, ut talem faciat, quæ idonea sit transfectioni earum rerum, quibus indigemus.*

323. *Decisio.*

Sed ista Zabarellæ & Melanchthonis discrimina ferè non sumuntur satis ex usu loquendi. Ibi enim non raro ea observari non solent.

Quomodo differant finis & causa finalis, materia & causa materialis?

Videtur autem mihi potissimùm illorum discrimen esse ad coërcendam ambiguitatem, quæ est in voce finis: Finis enim secundùm se extenditur etiam ad id, quod non est causa, & sic significat quemlibet terminum, qui ut sic, nullam causalitatem exercet. Et ad hunc modum etiam distinguitur materia & materialis causa, forma & formalis causa: quod scilicet materia & forma in amplitudine significationum suarum implicant etiam illa, quæ dicuntur materia vel forma, nec tamen causæ sunt, & proinde non possunt dici causa materialis vel causa formalis. Ita mors est finis, non autem causa finalis. Subjectum est materia, non autem causa materialis. Determinatio quantitatis est forma, non autem causa formalis. Atque hoc ipsum videtur velle Gabriel, in discrimine, quod prius relatum est.

Fines & scopus quomodo conveniant & differant?

324. *Scopus unde dicatur?*

SCalig. lib. 1. de plant. pag. 102. *Græcum verbum*, inquit, σκοπὸς (*unde scopus dicitur*) *primo suo significatu nihil aliud quàm tegere denotavit, Persii sagittarii, posteaquam*

postquam intenderunt, haud prius amittunt, quàm teli mucrone punctum obtexerint: cujus mucronis obiectu scilicet inobservaverint puncti visionem. Idcirco ad eam primùm exercitationem deducta vox atque inde ad mentis agitationem; unde Sceptici dicti Pyrrhonici, qui & Ζητητικοὶ & ἐφεκτικοὶ, eandem ob causam, quia Sceptici essent in disquisitione, statuerent verisimil. Et postea: *Naturam opificem appellamus, quare ut artifici, ita ei scopum tribuamus. Est autem scopus opera sive officium. Finis autem est, quod movet artificem ad operam, & est operæ perfectio. Movet quidem etiam opera artificem (quanquam potius ipsamet motus est) sed non primò, quæ finis primo. Non simpliciter, quia movet propterea, quod movetur. Idcirco finis etiam nomine donatus est scopus ab Aristotele. Duplicem namque finem dicit τὸ οὗ ἕνεκα. Opera & scopus est finis quo. Opus autem ipsum factum est finis, propter quem omnia sunt, quæ ante ipsum sunt. Idcirco Medici scopus & finis medius, est medicari. Finis verus & ultimus, primum movens, est sanitas.*

Sceptici.

325 Ad eum ferè modum etiam Zuingerus *in Annotat. ad Ethic. Arist.* & exinde Goclenius *in Lexic. fol.* 583. scopum & finem distinguunt. His igitur consilium, seu voluntas agendi, seu προαίρεσις, quæ propter finem aliquem est, propriè scopus dicitur, estque in mente artificis, veluti Medici, vel Oratoris. Isti igitur scopo proposito, ea, quæ ad scopum hunc consequendum opportuna sunt, adhibere cogitant. Proinde secundùm ipsos bonus Medicus vel Orator semper scopum suum assequitur, ille quidem ea quæ ad sanitatem recipiendam facere possunt, asserendo, hic verò ea quæ ad persuadendum valent, adhibendo, at finem non semper: cùm hic extra mentem artificis positus sit. Sed in vocabulis non est magnopere insistendum.

TITVLVS XXIV.

DE DEFINITIONE FINIS.

326. *Explicatur definitio finis.*

Dictum de nomine finis, sequitur, ut ejus definitionem tradamus. Solet autem ea tradi bifariam. Primò: *Finis est causa, propter quam res est.* Hic, quod finis *causa* dicitur, *seq. tit.* explicandum est: Particula. a. *propter*, est specialis characteristica hujus causæ. *Præpositio propter finem significat*; inquit Scalig. *exerc.* 250. *s.* 2. Sicut *ex*, materiam; *ab*, efficientem; & *per*, formam. Id autem in singulis illis tenendum est, solùm attendendam principalem illarum particularum & famosiorem significationem. Nam cæteroquin particula *propter* etiam aliis causis accommodatur. Nam demonstratio, quam potissimùm vocant, est propter quid, *diότι*. Et tamen non sumitur solùm ex fine, sed etiam ex efficiente causa. De qua efficiente etiam causa, & non solùm de fine, loquitur illud vulgatum: *propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est*, ut patet ex usu & applicatione Aristotelis *l. 1. post. c. 2. t. 15.* Imò omnibus causis in communi tribuitur particula illa 2. *Phys. c.* 7. ubi Aristoteles ait, tot esse causas, quot modis respondetur ad quæstionem *propter quid*. Ergo omnibus causis competit *in propter quid* prædicari.

Vocula propter explicatur.

327. *Finis est causa, cujus gratia res est.*

Aliter etiam definitio finis hic tradi solet; *Finis est causa, cujus gratia res est*, quam definitionem, Homero, tanquam Auctori primo, transcribit Eustathius *in comment. ad 2. Iliad.* congruitque ad eam, quod frequenter finem Aristoteles nominat τὸ οὗ ἕνεκα ut *2. phys. c. 3 7 & 5. Metaph. c. 2. & 1. de gener. & corr. c. 55.* Est autem idem τὸ *cujus gratia & propter quid*. Velut: cujus gratia agit Medicus? sanitatis gratia. Et propter quid operatur Medicus? propter sanitatem. Itaque à parte rei superiores definitiones non differunt.

TITV-

TITULVS XXV.

DE CAVSALITATE FINIS.

TRactatio de causalitate finis, inprimis articulis quinque absolvitur: 1. An finis causa sit? 2. Quæ agentia possint agere propter finem? 3. Quæ res possit esse finis? 4. An finis causet in esse reali, an esse intentionali? Et denique: Quænam sit causalitas finis? 328

ARTICVLVS I.
An finis sit causa?

VEritas sententiæ affirmativæ patet inde, quod quotiescunque, (fácit id autem sæpissimè,) Aristoteles dividit causas, in ea divisione connumerat enim τὸ οὗ ἕνεκα, hoc est, finem. Et confirmatur, quod finis exerceat aliquem verum influxum, in efficientem causam. Actualis enim motus causæ efficientis, non est nisi ex motione præcogniti finis. At ille actualis motus efficientis proximè ordinatur ad productionem effectus, vel potius est ipsa effectus productio. Oportet igitur ut finis etiam respectu effectus istum influxum, & proinde causalitatem exerceat. 329 *Finem esse causam.*

Cæterùm negant *Stoici* finem esse causam, dum solùm efficientem causam esse aiunt, prout Seneca docet *lib.* 8. *Epist.* 66. In ea tamen generalitate, quòd sola efficiens causa non sit, suprà actum est hac de re *tit.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. 330 *De opinione contraria.*

Nunc eadem sententia, speciatim, quod finis non sit causa, inde probari potest, quia fin.s nihil agit, τὸ οὗ ἕνεκα οὐδὲν ἢ ἀρχὴ κινήσεως, ποιητικὸν αἴτιον τὸ οὗ ἕνεκα ἢ ποιητικὸν, Διὸ ἢ ὑγίεια ἢ ποιητικὸν, εἰ μὴ κατ' μεταφορὰν, hoc est, *Id, unde est principium motus, est effectivum. Id verò, cum gratia non est effectivum. Propterea sanitas non est effectiva, nisi secundum translationem.* Ita Aristoteles *lib.* 1. *d. gener. & corrupt. c.* 7. *tit.* 55. At omnis causa agere debet. Ita Scaliger *l.* 2. *de plant. pag.* 293. De materia ait: *Materia ipsa*, inquit, *nonnihil efficere videtur, puta, dare existentiam materiæ. Alioquin inter causas non esset digna recensevi, si poterentur tantum.* Quibus verbis satis clarè indicat Scaliger, quod omnis causa debeat aliquid agere. 331. *Finis nulla est activa.*

Deinde: Omnis causa est principium, docente Aristotele 5. *Metaph. c.* 1. At finis non est principium, at ex sono vocis apparet. Et ipse Aristot. 5. *Metaph. c.* 2. docet principium & finem opponi.

Sed argumenta hæc efficacia non sunt. *Ad primum* igitur respondeo per distinctionem. Nempe actio aliquando sumitur rigorosè, & sic soli efficienti, non autem omni causæ convenit; Sic enim non solùm, efficiens & agens æquipollentia dicuntur, sed etiam solius efficientis causalitas est actio, ut in superioribus disputabatur. Atque hinc sequitur, si quid non agat hoc modo, non illico sequi, quod non sit causa, sed speciatim, quod non sit efficiens. Et confirmatur, quod neque formæ, neque materiæ, in quantum actus materiæ vel formæ exercent, conveniat isto modo agere, & tamen utique sunt causæ. Aliter igitur agere sumitur in communi, pro quovis influxu. Et sic omnis causa agit, dicente Scaligero. Eum autem habet finis. Isque influxus qui verè fini convenit, dicitur actio Metaphorica, secundum Aristotelem, quia influxus ille finalis similis est influxui causæ efficientis. Atque ita finis non dicitur per Metaphoram causare (sic enim causa non esset) sed dicitur per Metaphoram efficere, seu quod idem est, agere, quia causæ efficienti in modo causandi, ut dictum est, assimilatur. 332. *Solvuntur argumenta contraria.* *Finis quomodo agat?* *Finis quomodo agat Metaphoricè?*

Ad secundum respondeo: Finem opponi principio bifariam: 1. quatenus finis extremitatem significat. Hoc sensu autem non potuit inter causatum genera. Deinde, quatenus principium speciatim idem est, quod efficiens, quomodo 333. *Finis & principium*

quomodo oppositum?

Aristot. 5. *Metaph. c. 2.* de principio loquitur, cùm illud fini opponit. Aliàs autem, quâ generalitate omnis causa principium vocatur, eâdem generalitate etiam finis principium dicitur 5. *Met. c. 1.*

ARTICULUS II.

Quæ agentia possint agere propter finem?

334 Quia finis causalitatem exercet, respectu efficientis, quatenus eum movet ad efficiendum, ideo nunc disquirendum est, quæ agentia moveantur à fine. Qua in re ad diversas controversias complectendas has conclusiones statuo.

Non omnia casu fieri.

335 1. *Absurdè dicitur, nullum agens agere propter finem, sed omnia fieri casu & fortuito.* Inprimis enim cujusvis hominis experientia testatur, quòd agat aliquando ex definita intentione, veluti, quòd mederi velit, quòd studere velit Theologiæ, quòd velit pervenire in locum aliquem, &c. At intentio & casus pugnant. Sed hæc hic satis sunto. Alibi enim specialiùs disputatur contra casum eo modo, quòd non omnia fiant casu.

Agentia naturalia an & quomodo agant propter finem?

336. *Agentia naturalia agunt propter finem.*

2. *Etiam agentia naturalia agunt propter finem.* Per agentia naturalia non intelliguntur nunc res Physicæ, sive corpora naturalia, sed agens naturale sumimus in contrapositione ad agens voluntarium, prout hæc in doctrina de efficiente causâ distincta sunt. Ea igitur agentia Aristoteles expressè docet, propter finem agere. 2. *phys. c. 7.* Et confirmatur, quod natura dicitur nihil agere frustrà, apud Arist. *l. 2. de part. an. cap. 13. et lib. 1. de cæl. c. 4.* Frustrà autem agere, & propter finem opponuntur.

337. *Quomodo agens naturale agat propter finem? Pereirii opinio.*

Sed *objicitur:* Quod agit propter finem, id debet etiam finem cognoscere. Igneti enim & incogniti nulla est cupido, ut Augustinus docet *lib. 10. de Trin. c. 1. & lib. 15. c. 19.* & Anselmus *in Monolog. c. 48* At agentia naturalia nullam cognitionem habent.

Benedictus Pererius *lib. 8. phys. c. 3. ad tertium,* respondet: ut agens agat propter finem, non esse necessariam præcognitionem. Indèque subjungit diversimodè agentia agere propter finem: Et agentia voluntaria agere propter finem: quatenus ex cognitione finis ejusdémque bonitatis, ejus moventur desiderio. Unde in hoc modo agendi omnino requiritur cognitio. Agentia autem naturalia ait agere propter finem, non tanquam ex amore & desiderio finis, sed quia causalitas finis ibi fit, ut ad eum per se & ultimò terminetur agentis operatio.

Refellitur.

Sed hæc responsio non satisfacit. Nam sine dubio τὸ *propter finem agere* significat causalitatem finis. At causalitas finis non est in terminando, sed in movendo. Aliàs enim, quia sphæra sagittario proposita, terminat sagittarii actionem, sphæra etiam sita esset finis sagittarii. Absurdè. Quandoquidem igitur juxta hanc sententiam nondum apparet, quomodo agentia naturalia moveantur à fine, ideo similiter nondum apparet, quomodo per solam terminationem explicetur, cùm agentia naturalia propter finem agere dicuntur.

338. *Communis responsio.*

Aliter igitur communis responsio est, quòd omnis actio sit propter finem, adeóque quod ad omnem finem requiratur ejus præcognitio. Eam tamen præcognitionem aiunt non esse necessariam ex parte cujusvis concurrentis, sed satis esse, si aliquid eorum, quod agit, finem præcognoscat. Quo posito; porro observandum est: quod omnis actio requirat concursum primi agentis. Primum autem agens non agit, nisi ex cognitione finis. At ita attendendo hunc concursum,

nulla

nulla simpliciter actio est, quæ non sit propter finem, vel quæ non fiat citra præcognitionem. Atque ita porrò in particulari non est cuivis agenti necessaria præcognitio, sed satis est, si ex aliqua ex concurrentibus præcognoscat.

An & quatenus Deus propter finem agat?

339. SEd quia diximus: Deum agere propter finem, id nunc porrò explicandum quatenus verum sit. Opus enim est ad hanc rem distinctione aliqua.

Actiones Dei immanentes non habent finem.

1. *Actiones immanentes Dei non habent causam finalem.* Ita patet. Nam actiones Dei immanentes sunt, idem, quod essentia divina, ut suo loco videbitur. At essentiæ divinæ nulla est causa. Ergo nec finalis causa.

340. *Quomodò Deus agat propter se.*

Sed *objicit* Soncinas. 5. *Met. quæst.* 2. quod etiam actiones Dei immanentes sint propter aliquid. Amat enim Deus omnia (amare autem est actus immanens) propter se. At, propter, finem significat.

Respondeo: Tò *propter* in eo modo loquendi non potest, rigorosè loquendo, causam significare, per argumentum modò factum. Duobus igitur aliis modis potest illa ibi particula explicari: 1. ut Tò *propter* notet terminum actionis divinæ, hoc sensu, quod amatio divina, quâ amat quælibet res, terminetur ad propriam suam bonitatem. In terminatione autem non consistit ratio causandi, ut prius visum est. Deinde Tò *propter se agere*, potest non positivè, sed negativè sumi, non, inquam, quasi per positivum influxum ipse suæ actionis immanentis (atque adeò ejusdem suæ essentiæ) causa sit, sed (qui sensus negativus est) quod nihil sit extra Deum, quod respectu illius, finis esse possit. Similis sensus est, ex genere efficientis, cùm dicimus Deum esse à se. Hujus enim sensus non est positivus, quasi Deus per positivum influxum effectivum se produxerit, sed (qui sensus negativus est) quod nihil sit extra Deum, quod Deum efficaciter produxerit, vel producere potuerit.

Deus quomodò sit à se?

341. 2. *Actiones Dei ad extra sive transeuntes habent finem.* Nam forma rei genitæ est finis generationis. Ergo etiam forma, v. g. rei creatæ est finis actionis creativæ. Tandem autem finis ultimus est propria gloria. Et confirmatur, quod & actionum immanentium fuisset aliquis finis, nisi realem cum essentia divina haberent identitatem. Hæc autem causa ibi cessat. Actiones enim transeuntes ab essentia divina, utique distinguuntur.

342. Contra hanc assertionem disputari posset ex eo principio, quod secundùm aliquos, actiones Dei transeuntes nihil aliud sint, quàm actualis Dei volitio. Volitio autem divina etiam ad extra terminata, est realiter eadem cum essentia divina, ut suo loco probabitur. Atque inde videtur consequens, ex priori propositione, quod etiam actionum transeuntium, non sit finis. Sed istam hypothesin, de identitate actionis transeuntis cum volitione divina, suo loco destruemus.

ARTICVLVS III.

Quænam res possint esse fines?

343. IN hoc articulo variæ quæstiunculæ implicantur speciatim, quæ breviter considerandæ sunt. 1. De malo. 2. De indifferenti. 3. De mediis. 4. De incognito. Et denique de non Ente. De his omnibus quæritur, an possint esse fines.

QUÆSTIO I.

An malum possit esse finis?

344. QVæstio hæc eadem est cum illa: *An malum possit appeti?* Nam finis non est finis, nisi cognitus sit ab agente, & ab eodem amatus & cupitus.

Hanc

Bonum ὄντως vel φαινόμενον.

Hinc igitur ad rem, ut respondeatur, præmittenda est distinctio boni. Aliud nempe est bonum ὄντως, hoc est, revera tale. Aliud autem est bonum, φαινόμενον, sive apparenter. Ubi quod est bonum κατὰ φαν., etsi revera malum sit, tamen ex errore judicii intellectivi apprehenditur tanquam bonum. Vide Arist. *l.2. Phys. c.3. t.31.* Et *l.3. Eth. .6.*

345. *Malum, qui malum est, non potest esse finis.*

Quo posito duo dico: Primò: *Malum quâ malum est, hoc est, prout nec revera bonum est, nec speciem vel apparentiam boni habet non potest esse finis.* Ita patet satis per cujusque experientiam. Experimur enim in nobis nihil nos appetere, nisi quod honestum, vel jucundum, ac delectabile existimemus, hoc est, in quo non aliquam rationem boni apprehendamus. Et confirmatur quod malitia secundùm se & formaliter sumpta est non Ens. At non-Ens non potest veram & politivam causalitatem exercere. Atque hoc ipsum docet Aristot. *l.1. Eth. c.1.* Et *l.11. Metaph. c.7.* Marsilius Ficin. *in Plotinum, l.8. c.read. c.3.* Scalig. *exerc 250. sect. 1.* Colleg. Conimbr. *in Eth. disp.1. q.2.* Et consentiunt Patres. Vide Dyonys. *c.4. de divinum.* Augustinum *lib.2. Confess c.6.8.* Damasc. *lib.1. de Orthod. fid. cap.22.* Alios mitto.

346. *Objectiones.*

Sed objicitur *primo* voluntatem hominis non esse liberam, si non posset, sicut bonum appetere, ita & malum. Libertas enim est indifferentia ad opposita. Et apud Lomb. *2. dist. 24, 25.* definitur liberum arbitrium, quod sit facultas rationis & voluntatis, quâ bonum eligitur, gratiâ assistente, vel malum, eâdem desistente. *Deinde:* intellectus & voluntatis eadem est ratio. At intellectus fertur ad verum & falsum. Ergo & voluntas ad bonum et malum. *Tertio:* Experientia docet aliquos aliis appetere dedecus vel contumeliam, vel paupertatem, vel mortem, hoc ipso quia ea mala sunt. *Denique* etiam sæpè movemur, ab objecto ad vitandum illud. Hunc ipsum igitur actum exercet malum in voluntatem nostram. Et proinde malum potest habere rationem finis.

347. *Libertas non est per indifferentiam ad bonum & malum.*

Respondeo *ad primum:* esse elenchum definitionis. Liberum enim arbitrium est quidem facultas ad opposita. Sed ea opposita non necessariò sunt bonum & malum. Deus enim est liberum agens: Et tamen indubiè is non appetit, seu finaliter movetur ab eo, quod malum est. Opposita autem illa, ad quæ terminatur libertas; satis esse potest in genere bonorum, veluti liber est homo, quia potest ambulare, & non ambulare, potest edere, & non edere, bibere, & non bibere, & sic in aliis.

348. *Ad secundum* respondeo: Admittendo propositionem. Et persequor. Sicut igitur intellectus est ad verum & falsum, differenter tamen, ut falso non assentiatur, nisi apprehendatur sub ratione veri. Ita etiam voluntas est ad bonum & malum, ut tamen malum non concupiscat, nisi sub ratione boni.

349. *Ad tertium* dico: cùm aliis mala cupimus, quia mala sunt, tùm fit id ideò, quia malus homo, ex depravatione judicii, existimat sibi bene esse, si alii sit malè. Satis clarè igitur tùm in ista appetitione implicatur ratio boni, in ordine ad appetentem.

350. *Ad quartum* dico: cùm voluntas movetur ad evitandum malum, tùm respectu voluntatis non exercetur finalis causalitas à malo, à quo recedit, sed a bono, quod per mali evitationem, acquiritur, retinetur & possidetur. Vide Colleg Conimbr. *in Eth. d. disp.1. q.2.*

351. *De apparente bono.*

Dico 2. *Etiam id potest exercere finalem causalitatem, quod solùm est apparenter bonum,* quia causa, cur bonum esse debeat, id quod finaliter, hæc est, quia secus non posset movere voluntatem. At voluntatem æquè movet, quod verè bonum est, & quod tale esse apparet. Sequitur enim hac in re voluntas judicium intellectus. Intellectus autem idem pronunciat de re, quæ verè talis est, & quam putat esse talem, decipitur autem.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An quod est indifferens possit esse finis?

RAtio dubitandi est ex prioris quæstionis decisione. Ibi enim apparuit, id solùm esse finem, quod bonum est. At quod indifferens est, est medium inter bonum & malum. Ergo non est bonum. Ergo nec finis esse potest. 352.

Sed *respondeo*: quod est indifferens omnino potest esse finis. Pro quo observandum est, quod indifferens medietinter bonum & malum, non quodvis, sed inter id, quod tale est, per bonitatem & malitiam moralem. Veluti edere & bibere sunt ἀδιάφορα sive indifferentia. Namque ex iis nemo vel vitiosus, vel virtuosus dicitur. Indifferens igitur, non est bonum, bonitate morali. At cùm omnis finis dicitur debere esse bonus, per bonitatem non solùm intelligitur bonitas moralis, sed communiùs intelligitur sub ea omne id bonum, quod delectabile, vel honestum est. In hæc enim bonitas in communi dividitur, ab Aristotele *lib. 2. Ethic. c. 3.* Cicero *lib. 5. Tusc. qq.* Ambrosius *lib. 1. de offic. cap. 9. 10.* Sub honesto intelligendo non id solùm, quod honestum est, honestate morali, sed etiam quod tale est, honestate naturæ, ut suprà expositum est *cap. 10. num. 10.* porro talem bonitatem, hoc est, delectabilitatem vel honestatem naturæ, ea etiam habent, quæ indifferentia sunt. Proinde hoc ipso apta sunt, quæ finalem causalitatem exercere possint. 353. *Indifferens potest esse finis.*

QUÆSTIO III.

An quod est medium possit esse finis?

AD hujus quæstionis decisionem duo dico; 1. *Medium quâ medium non potest esse finis.* Nam reduplicatio significat subjecta sumi in suis propriis formalitatibus. Alia autem sine dubio formalitas est medii, & alia finis. Oportet igitur ut sub ea ratione & reduplicatione medium & finis sint opposita. Et confirmatur, quòd omnis finis debet esse suo modo quid ultimum, ut clarè docet Aristoteles 2 *Metaph. cap. 2. & lib. 5. cap. 16 & lib. 1. Ethic. cap. 7.* At medium nulla ratione est aliquid ultimum, semper enim apprehenditur tanquam utile ad aliud, adeóque tanquam aliquid ad aliud commodum, ut utile definit Augustinus *lib. 1. de doctr. Christ. c. 4* 354. *Medium quâ medium non est finis*

Objicitur: medium quâ tale, est appetibile, & bonum hoc ipso, quia est utile. At quod est appetibile, finis est. At finis & bonum convertuntur.

Respondeo: id solùm finis est, quod est appetibile propter se, quod autem non appetitur, nisi ut utile alii, hoc ipso non est finis, quia, ut dictum est, finis debet esse quid ultimum. Bonum autem & finis convertuntur, loquendo de iis non formaliter, sed materialiter; hoc est, de re subjstrata, hoc est, ea res, quæ denominatur bona, ea etiam habet rationem finis. Ubi tamen addendum est, quod bonum in ista identitate ad finem, non comprehendat utile. Ratio autem illius jam dicta est. Confer Suaretz *disp. Met. 23. s. 5. n. 16. & s. 6. n. 5.* Et adde hac de re Coll. Conimbr. *disp. 2. Eth. q. 1. art. 2.* Porro id facilè admitti potest, quod id, quod est medium, possit esse finis, ut hoc modo medium & finis in materiali conveniat (ut statim dicam in secunda propositione.) Nunc autem solùm sermo est de medio, quâ tale est. Et sub ea ratione nego, medium esse finem. 355. *Bonum & finis quomodo convertantur?*

2. Dico. *Id quod est sub hac ratione medium, sub alia potest esse finis.* Hoc est, quod dixi: Finem & medium posse materialiter, sive in re subjstrata convenire. Patet autem veritas assertionis, in finibus subordinatis. Hic enim qui sunt subordinati, habent rationem mediorum ad fines ultimos: Atque sic Zabarell. *l. 1. de natur. Log. c. 11 n. 26.* ait, fieri posse, ut aliquid tum ad alia utile sit, tum etiam ipsum per se aliquam dignitatem habeat, & non modò ipsum propter alia, sed etiam propter se ipsum expetibile sit. 356

QUÆSTIO IV.

An quod est incognitum, possit esse finis?

357. NEgativæ sententiæ veritas inde patet, quòd finis non exercet causalitatem, nisi prout desiderio & amore sui movet agens ad agendum. Desiderium autem sive amatio, quia actus est voluntatis necessariò præsupponit intellectionem vel cognitionem. Neque enim amamus id, quod non novimus. Fuit prolixius ea de re superiùs. Atque ex his relinquitur, quòd incognitum non possit esse finis. Vide Suarez *disp.* 23. *Metaph. s.* 7.

358. *Objectiones.* Duo *obiicium ur:* 1. Quod fatui & pueri sic non possunt agere propter finem. *Deinde*, quod nec agentia naturalia agant propter finem. *Sed* de posteriori satis fuit, *hoc titulo* 25. *artic.* 3. Vbi vide. De pueris autem & fatuis nego, quod non cognoscant. Neque enim ad finalizandum simpliciter, requiritur accurata & judicriosa cognitio. Sed satis est, si agens propter finem, apprehendat aliquam bonitatem in fine, cujus amore & desiderio, ad agendum moveatur.

QVÆSTIO V.

Quod non Ens est, an possit esse finis?

359. *Non Ens non est finis.* SVprà *cap.* 2. *num* 6. dictum est, aliquando non Ens dici, quod diminutam & ignobilem habet Entitatem. Et hoc, quia absolutè & simpliciter est Ens, utique etiam finis esse potest. Nunc igitur solùm sermo est, de eo, quod simpliciter non est, hoc est, nihil prorsus est. Hoc igitur non Ens, non potest esse finis, rigorosè loquendo, quia omnis finis debet habere realem & positivum influxum, quia causa est. At positivus influxus sufficiens est, idque primarium indicium essendi, ut dictum est *cod. c.* 2. *n.* 26.

360. *Dices*: Sæpe appetitus fertur ad non esse, veluti eorum, qui sunt in exquisitis calamitatibus. Ergo non esse potest sui amorem causare: Et proinde esse finis.

Quomodo appetatur non esse? *Respondeo*: appetere nos quandoque tò non esse, sed in quantum per illud aufertur malum, quod habemus. Ablatio autem mali non appetitur, nisi quia malum à nobis aufert aliquid, quo ablato possidemus aliquam bonitatem vel esse quoddam, quod habere cupimus. Atque sic ipsum esse, solùm & per se finalizat. Confer Thom. 1. *p. q.* 4. *a.* 2. Soncin. *d.* 9. *Metaph. q.* 16. Colleg. Conimbr. 2 *phys. c.* 7. *q.* 23.

ARTICVLVS IV.

An finis causet in esse reali, an in esse intentionali?

361. *Variæ opiniones.* SCistæ de præsenti quæstione sunt Philosophorum sententiæ. Javell. 5. *Met. q.* 6. Fonseca 5. *Met. c.* 2. *q.* 10. 11. Perer. *lib.* 8. *de Phil. nat. c.* 4. Colleg. Conimbr. 2. *phys. c.* 7. *q.* 23. Et Suarez *disp.* 23. *Met. s.* 8. aiunt finem causare in esse reali. *Alii* placet, quod finis causet in esse intentionali. Ita disputat Soncinas 5. *Met. q.* 3. Et solet tribui Thomæ *exere.* 1. 2. *q.* 21. *art.* 1. & Avicennæ 8. *Met. cap.* 5. Den. q; alii utramque sententiam amplectuntur, aientes, quòd utroque modo causet finis, ut meminerunt Fonseca & Javellus dict. s locis.

362. *Præcognitum.* Ad dijudicationem propositæ quæstionis, præcognoscendum est, quòd finis, qualis est sanitas, v g. respectu medicantis, possit tr.fariam considerari; vel enim loquimur de ea, in esse acquisito sive actuali; vel loquimur de ea, in esse acquirendo sive possibili (quorum utrumque reale est) vel denique loquimur de ea; quatenus à mente apprehenditur, quæ mentis apprehensio, secundùm se, se indifferenter habet ad esse actuale & possibile, quibus positis, Dico

363. *Finis non* 1. *Finis non causat in esse reali actuali.* Ita patet, quia cùm finis est, in tali esse, veluti cùm est actualis sanitas, cessat opera agentis. At causalitas finis est ante

operam

operam agentis, ut scilicet ejus amore agens demum incipiat agere, quod antea non egerat. *causat in esse actuali.*

Objicitur: Causalitatem finis in eo esse, ut quietet causam efficientem. Quietatio autem ab opere, non convenit fini, nisi cùm actu est acquisitus. *Respondeo* ad antecedens. Quietare motum agentis, non convenit fini purè & simpliciter, sive ex eo, quia finis est, sed convenit ei, in quantum transit in effectum. Unde purè loquendo, non finis quietat, sed effectus, hoc est, cùm effectus est, tùm agens ab agendo quiescit, & ulteriorem actionem intermittit. 364. *Finis non quietat agens.*

2. *Finis non exercet finalem causalitatem in esse cognito, sive intentionali.*

Hoc dico: Quod formalis ratio causandi finaliter non sit in fine apprehenso ab intellectu, præcisè de eo loquendo, et ex parte intellectus. Ita patet. Quia finis tale quid est, ut aliquando ex parte ejus contingat ejus frustratio. At ratione illius apprehensionis vel intellectionis nulla est frustratio. Nam omne agens habet finem in esse cognito. 365.

3. *Finis non causat, & in esse reali, & in esse cognito.* Apparuit enim simpliciter, quod finis non causet in esse cognito. 366.

4. *Finis causat in esse reali possibili.* Ita apparet ex remotione priorum opinionum, Nam sanitas, v.g. omninò causat finaliter. At non causat simpliciter in esse cognito, ut visum est 3. *proposit.* Nec causat in esse reali actuali, ut visum est ad secundam propositionem. Causat igitur in esse possibili. *Finis causat in esse possibili.* 367. *Objectiones.*

Sed *objicitur:* Quod causat actu, debet etiam esse actu. Ergo finis in esse possibili non potest esse causa. *Respondeo:* Antecedens esse particulare. Et, ut maximè verum sit de efficiente, materia & forma: tamen in fine peculiaris causa est, cur ibi non procedat. Finis enim exercet causalitatem, solùm excitando amorem et desiderium sui in agente. Amor autem sicut & cognitio præcedens, æquè terminari potest ad possibile, ac ad actuale bonum. Atque ita cùm, quod possibile est, non possit alias causalitates exercere: potest tamen finalem causalitatem exercere.

Deinde *objicitur:* Finis in esse reali est effectus. Ergo non est causa in esse reali. *Respondeo* ad antecedens per distinctionem. Finis in esse reali, scilicet actuali, est effectus, ut visum est ad primam propositionem. At non est effectus, in esse possibili. Ita patet, quia omnis efficientia terminatur ad esse actuale ejus rei, quæ producitur. Unde clarè repugnantia est, terminum ad quem productionis esse Ens possibile. 368.

ARTICULUS. V.

Quomodo finis causet, seu qua sit causalitas finis?

EX iis, quæ hactenus de fine disputata sunt, facilis est præsentis quæsiti decisio. Supponendum autem est, quòd in hac, de causarum causalitatibus, disputatione, per causalitatem intelligatur modus, qui ex parte causæ requiritur, ut ipsa constituatur actu causans. Atque tùm dico: Finis causalitatem esse 1. in motione vel excitatione et extimulatione agentis ad agendum. 2. in ordinatione, mensuratione et dispositione mediorum. Hæc enim, si quid exerceat, hoc ipso in effectum influit, & constituitur in actuali causatione effecti. 369. *Finis causalitas in quibus sit?*

TITULUS. XXVI.

De divisionibus variis causæ finalis.

NOvem divisiones finis propositæ sunt in Theorematibus. Igitur 1. finis est proximus vel remotus, 2. Finis est vel ♃ vel ♀ *cujus* vel *cui*. 3. Finis est objectivus 370.

ctivus vel formalis. 4. Finis est finis indigentiæ vel assimilationis. 5. Finis est principalis vel minus principalis. 6. Finis est per se vel per accidens. 7. Finis est adæquatus vel inadæquatus. 8. Finis est vel actionis vel rei per actionem factæ. Et denique *finis* est vel per motum, vel citra motum. Hæ divisiones ordine sunt explicandæ.

ARTICULUS I.

De divisione finis in ultimum, & non ultimum, sive proximum & remotum.

371. Deambulatio sanitatis causa est. Illa vero felicitatis. Felicitas vero alterius. Ita semper aliud alterius gratia est, inquit Aristoteles 2. Metap. c. 2. Atque hinc sumitur divisio finium, in ultimos & non ultimos, sive subordinatos, atque ita etiam in proximos & remotos. Sic & cùm Aristoteles *lib. 1. magn. mor. c. 2.* ait τὰ μὲν τέλη τῶν μὲν πλείονος, τὸ δ' ἔλαττος, hoc est, finem alium esse perfectum, alium imperfectum: finis perfectus ultimum, imperfectus, subordinatum finem significat, Interpretè Donamo *lib. 1. comm. Dial. c. 8. p. 164.* Atque ita finis *proximus* est, qui proximè movet agens ad agendum. *Remotus* autem, qui mediante alio. Porro fines illi, qui non sunt ultimi, dicuntur *subordinati*. Subordinati, inquam, ad fines alios.

372. *Finis ultimus aliquando est secundum quid talis.* Est tamen hîc observandum: quòd finis ultimus quandoque dicatur, ut simpliciter talis, quandoque solùm secundùm quid, & in certo aliquo genere. Ita Rhetoricæ finis ultimus est benè dicere: Et tamen non est simpliciter ultimus. Ordinatur enim τὸ benè dicere ad Dei gloriam. Ultimus igitur solùm erat is finis secundùm quid, & in certo aliquo genere.

373. *Finis omnis est quid ultimum, dupliciter,* Sed *objicitur*: Omnis finis debet esse aliquid ultimum, ut priùs ostendimus *tit. 25. art. 3. q. 3. in inst.* ex variis locis Aristotelis. Nullus igitur finis est subordinatus, & non ultimus.

Respondeo ad antecedens: omnis finis (& proinde etiam iste, quem nunc subordinatum & non ultimum dicimus) est aliquid ultimum, duplici sensu: *Primo* ut idem sit, ac quod omnis finis debeat in se habere aliquam bonitatem, propter quam sit per se appetibilis. Ergo hactenus ultimo & non alterius gratia appeti, est idem, quod non appeti propter extrinsecam bonitatem. Et hoc modo fines subordinati etiam appetuntur propter suam bonitatem, & non propter bonitatem alterius ulterioris. *Alius sensus* est, comparando finem solùm cum mediis. Atque ita finis non appetitur alterius gratiâ, hoc est, non appetitur propter media, sed media propter ipsum. Atque hoc modo, etiam fines subordinati, non sunt alterius gratia. Et confirmatur hæc expositio, quod secus ipse Aristoteles docet, antea citato textu, aliquem finem ordinari ad alium.

ARTICULUS II.

De divisione finis in finem, cujus & cui.

374. Divisionem hanc finis proponit Aristoteles *lib. de anim. c. 4. t. 37. & 2. phys. c. 2. t. 24. & c. 7. t. 7* Dicitur autem finis *cujus*, (Græci vocant finem τὸ) is, cujus adipiscendi gratia agens agit. Finis *cui* autem (Græci vocant finem ᾧ) est, in cujus gratiam agit agens. Sic cùm dico: Medicus laborat, ut ægroto restituat sanitatem: Exprimo Medici finem, cujus & cui. Nam *cujus* adipiscendi gratia laborat Medicus? sanitatis gratia. Ergo hæc sanitas est finis τὸ. Deinde, *in cujus* gratiam laborat Medicus? in gratiam ægroti. Ergo ægrotus est finis ᾧ Medici. Sic est & in aliis. Atque ita hæc divisio non est nominalis, ut aliquibus placet, qui ajunt finem ᾧ solum nomine tenus esse finem. Nam, ut apparet, finis ᾧ etiam finalem causa-

causalitatem exercet. Quanquam ex aliis placet; Finem ℱ non esse vere finem. Sed seorsim videamus de utroque.

PUNCTUM I.

An qui est finis cui, sit verè finis, sive finalis causa?

NEgant id multi ex recentioribus Philosophis. Videatur cum primis Timplerus *l. 3. Metaph. c. 2. q. 41.* Et aliquos vetustiores ita sensisse refert Occamus *lib. 2. sent.* Pler. que tamen asserunt, & rectè quidem, finem ℱ finem revera esse. Videatur Biel. *2. d. 1. art. 5.* Henric. *Quodl. 2. q. 1.* Fonseca *5. Metaph 62. q. 10. s. 1.* Suaretz *disp. 23. Met s 2. n. 2. seqq.* 375.

Et patet hujus affirmativæ sententiæ veritas, inde quod etiam *finis cui* moveat agentem causam & mensurat media. Movetur enim, v. g. Medicus ad hæc vel ista remedia adhibenda, prout ægrotus dives vel pauper, juvenis vel senex est, ne luti ne nimis pretiosis remediis oneret pauperem, & quæ sunt alia. At hæc causalitas finis est, quæ est in respectu ad agens, & media, ut prius visum *in præced. tot. art. ult.* Sic & Minister verbi Dei, cum vult concionari ad salvandum hominem, juxta diversitatem finis ℱ mensurat suam concionem, ut modo ex lege contineatur, ad securos & Epicureos homines, modo ex Evangelico ad contritos & humiliatos. 376. *Finem cui esse finem.*

Sed *objici* solet: *Quod* (verba sunt Timpleri *d. l.*) *finis in genere definitur causa extrinseca* cujus *gratia causatum seu finitum est. Ergo si hæc definitio est vera quemadmodum ab ipsis etiam Scholasticis conceditur, irrefragabiliter sequitur, omnem finem esse finem cujus, idéoque malè finem dici, alium finem cujus, & alium finem cui.* Postea subjungit: Aristotelem semper pro eodem sumere, τὸ τέλος, καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, & cùm finis rerum naturalium dicitur homo, ab Arist. *2. ph. c. 2.* perinde est, sive eas dicamus esse hominis gratia, sive in hominis gratiam. Unde concludit Timplerus, finem ℱ & ℱ non distingui. Alii addunt, quod finis ℱ ab Aristotele dicatur finis cum additione: Nempe finis *quodammodo lib. 2. phys. cap. 2. t. 24. Sumus & nos*, inquit, *quodammodo finis*, vox autem illa *quodammodo*, impropriatem notat. Atque hinc consequenter, aliqui finem ℱ subjectum vocant. 377. *Objectiones Timpleri.*

Hac in re id inprimis observo, quod Timplerus in sua sententia sibi non constet. Nam in principio insinuat, quòd finis ℱ non sit finis; & tamen postea ex phrasibus Aristotelicis disputat, finem ℱ non esse diversum à fine ℰ. At fine dubio, finis ℰ verè est finis. Ergo per istam æquipollentiam & identatem, etiam finis ℱ est verè finis, quod priori argumento negat Timplerus. 378. *Inconstantia Timpleri.*

Ad *primum* argumentum *respondeo*: negando consequentiam. Est, inquam, finis ℱ etiam causa, cujus gratiâ res est. Et tamen non est finis cujus. Ita patet. Nam Aristoteles eodem loco, quo finem ℱ à fine ℰ distinguit dicit tamen finem ℱ etiam esse ἕνεκα. Sic enim ait. *lib. 2. de anim. c. 4.* τὸ ℰ ἕνεκα dicitur, τὸ ὡ' ὦ, τὸ ὃ ℰ. Atque ita non est una eademque locutio, finis cujus gratia res est, & finis cujus. Hoc est commune fini, ut ejus gratiâ agens agat, hoc autem non est commune omni fini, ut ejus possessio, & productio ab agente quæratur. Idque propriè est, quod per finem ℰ notatur. Unde præter dicta, etiam discrimen hujus à fine ℱ sufficienter apparet. Confer Clar. Jacob. Martini *in Met. disp. 12. q. 2.* Apparetque adeò hinc consequenter, quod finis ℱ sine repugnantia dicatur τὸ ℰ ἕνεκα, eo sensu, quo Aristoteles omnem finem generatim vocat ℰ ἕνεκα. Grammaticè autem, etsi non distinguuntur, *cujus gratia, & in cujus gratiam*, tamen satis idonea occasio est, ex diversitate exemplorum, aliquando eos distinguendi in sententia. 379. *Fini ℱ convenit definitio finis.*

Quod autem Aristoteles ait: Finem ℱ esse quodammodo finem non id est, ad imminuendam rationem finis, in fine ℱ: sed ad significandum specialem modum finalisandi, quali velit dicere, quod *quidam* specialis *modus* finalisandi sit, 380.

qui significetur per finem ♂ Confer et Fonsec. *l. 5. Metaph. c. 2. q. 10 s. 5.*

381. Denique finis ♀ subjectum vocari potest, sed ratione finis ♃. Finis enim ♃ recipitur in fine ♂, veluti sanitas in Medico. Eo tamen non obstante, Finis ♂ verus finis sive finalis causa est, in ordine ad agens, quod ad agendum extimulat, non secus ac finis ♃. Ex quo sufficienter habet, ut causa sit.

PUNCTUM II.

An quod est finis ♃, sit verè finalis causa?

382. *Ratio dubitandi.* OCcamus 2 *dist.* 1. & Biel. *ib. q. 5.* & Henric. *quodl. 2. q. 1.* disputant: Finem ♂ solùm esse causam, non item finem ♃. Argumentum illorum hoc est: Illud est propriè finis, ad quod cætera propriè referuntur. Si enim non nisi aliorsum referuntur, non est finis, sed medium. Atqui ad finem ♂ refertur etiam id, quod finis ♃ dicitur. Ergo finis ♂ solùm est finis. Assumptionem declarant, quia ad finem ♃ terminatur actio, sed in quantum is est proportionatus vel congruus subjecto.

383. *Finis ♃ verè est finis.* Sed hæc sententia non militat. Nam & finis ♃ extimulat agens ad agendum, & ordinat ac mensurat media, quæ est propria finis causalitas. Oportet igitur ut finis ♃ revera sit finalis causa.

384. Ad objectionem respondeo: Non illum solùm esse verè finem, qui est ultimus, sed illum etiam, qui est alii subordinatus, ut in priori articulo visum est. Ad probationem autem respondeo, id demum medium esse, si aliorsum referatur, nec habeat in se bonitatem, propter quam sit per se appetibile. Quod igitur tale est, ut non sit appetibile, nisi in quantum est utile ad aliud, finis non est, sed medium: Hoc autem non est de fine cujus, unde ad summum illa objectio efficit, quòd finis ♂ principalius sit finis, quàm finis ♃. De qua tamen re nunc non disputo. Videat, qui volet ea de re Suarez *disp. 23. Met. s. 2. n. 6. seqq.*

ARTICULUS III.

De divisione finis in objectivum & formalem.

385. HÆc tertia est divisio finis. Solet autem finis objectivus dici alio nomine *finis quo*: & finis formalis dicitur alio nomine *finis quo*. Coincidit etiam ex parte cum ea distinctione illa finis distinctio, quâ alius finis dicitur præexistere actioni agentis, alius per eam acquiri.

386. Porrò, Colleg. Conimbr. *in Eth. disp. 2. q. 2. a. 2.* definit finem objectivum, quod sit is, qui ab agente possidendus est. Finis autem formalis est modus, quo objectivus possidetur. Ille objectivus dicitur, quia coincidit cum objecto, ad quod agens refert & terminat suam actionem. Hic autem dicitur formalis, quia est forma, vel modus, vel ratio, secundùm quam agens cum isto, virtutis suæ activæ, objecto unitur. Sic finis noster objectivus est Deus, Formalis finis noster, est Dei visio. Et sic in aliis.

387. Thomas 1. 2. *q. 11. art. 3. ad tertium*, ait, hos fines, non esse duos fines, sed unum finem in se consideratum, & alteri applicatum. *Deus igitur*, inquit, *est ultimus finis, sicut res, quæ ultimo quæritur. Fruitio autem est simul adeptio hujus finis ultimi.* Id non incommodè dicitur. Nam quia actus non potest fieri, nisi circa objectum, & rursus etiam circa objectum occupari non possumus, nisi mediante aliquo actu vel forma, idcircò actus & objectum isti actui accommodatum, conjunctim & per modum unius exercent finalem causalitatem excitando desiderium in agente ad agendum, utque adeò per actionem suam feratur ad istiusmodi objectum.

ART I.

ARTICULUS IV.

De divisione finis, in finem indigentiæ & assimilationis.

INdistinctè solet hæc distinctio assignari fini: rigorosè loquendo tamen, solùm fini *cui* convenit. Definitiones in Theorematibus positæ sunt. Sic *Prov. 16. v. 4.* Dicuntur omnia esse propter Deum: *omnia est propter semetipsum Deus operatus.* Hic Deus est finis assimilationis omnium. Aliter autem Aristoteles 2. *phys. c. 2.* omnia naturalia ait esse propter hominem. Homo igitur est finis indigentiæ, respectu istorum. Sic Scalig. *exerc. 250. s. 1. Ambigua*, inquit, *locutione dicitur: omnia esse propter hominem, & hominem esse propter Deum. Quia homo ut esset, & bene esset opus his habuit. Deus autem non ita. Imò Deo opus habet homo, ut sit & bene sit.* 388

Sed *inquiritur* 1. Quomodo omnia sint propter hominem tanquam finem indigentiæ, cùm multa sint homini noxia? 2. Quomodo Deus dicatur finis assimilationis respectu omnium rerum, cùm bruta & res aliæ, infra eas, non quærant, ut assimilentur Deo? 389 *Objectiones.*

Respondeo: omnia esse propter hominem, sed diversimodè. Indéque juxta illos varios modus, ea, quæ sunt uno modo homini noxia, alio modo explent illius indigentiam, indéque sunt illi utilia. Proinde *primo* generatim, de omnibus rebus loquendo, sunt illa propter hominem, ut ex illorum intuitu sumat materiam glorificandi Deum. Ita *Psal. 19. v. 2.* Cœli dicuntur enarrare gloriam Dei, quod faciunt, dum occasionem & materiam homini præbent, ad enarrandum Dei gloriam. *Deinde* in particulari pertinent aliqua ad esse hominum, ut sunt Elementa. *Tertio*, aliqua pertinent ad victum hominum: ut olera, animalia quædam. *Quarto*, aliqua ad amictum hominum referuntur, ut pelles luporum, vulpium &c. *Quinto*, aliqua referuntur ad medendum homini; vel per introsusceptionem, vel per externam applicationem, quò pertinent varia pharmaca, unguenta, imò etiam aliqua, quæ noxia sunt. Neque enim qui à Scorpionibus icti sunt, aliunde curantur, quàm ex Scorpionibus. *Sexto*: Alia pertinent ad contractus, ut sunt aurum & argentum. *Septimo*, pertinent aliqua ad conservanda & paranda ea, quibus egemus, veluti, quæ sunt alimenta pecorum, ligna & metalla, quibus ad varia vasa & instrumenta opus est. *Octavo*, aliqua homini inserviunt, ut in iis contemplentur imagines virtutum & vitiorum, veluti in Ciconia gratitudinem, in Cuculo ingratitudinem, in Leone fortitudinem, in Turturibus amorem conjugalem. Et sic de aliis. Habent & aliqua hunc usum apud nos, ut per ea puniantur & exerceamur per crucem, atque adeò, ut doceant nos, quærere patriam à talibus calamitatibus liberam. Qua de re vide Augustinum *l. 1. de Gen. ad lit. contra Manich.* Et videatur Selneccer. *part. 1. pædag. Christ. p. 79. & 105.* 390. *Diversimodè omnia sunt propter hominem.*

Ad secundum respondeo: Deum vocari finem assimilationis, proximè attendendo ordinem hominis ad ipsum, cujus ultima perfectio in ista assimilatione consistit. Aliorum autem talis finis est, quatenus ea, eo quo dictum est, modo usui humano deserviunt. 391 *Quomodo Deus sit finis assimilationis omnium.*

ARTICULUS V.

De divisione finis in principalem, & minus principalem.

HÆc divisio intelligi potest, tum de finibus subordinatis, tum de finibus coordinatis. Ergo loquendo de finibus subordinatis, ad alios fines: qui sunt ultimi, sunt principales, qui autem non sunt ultimi, sed subordinati ad alios, sunt minus principales. Ita apparet; quia finis debet esse aliquid ultimum, ut Aristot. docet 2. *Met. c. 2 et l. 5. t. 16.* Et *lib. 1. Eth. c. 7.* Unde quò quid magis habet rationem ultimi, eò magis & principaliùs est finis. Et confirmatur: quòd fines subordinati, etsi per se, hoc est, propter suam propriam bonitatem sint appetibiles, tamen 392.

tamen, vi subordinationis, sunt etiam appetibiles, propter aliud. Ergo hoc erit maximè appetibile. Nam propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est, secundùm Aristot. *l. 1. post. c. 1. 15.* At quò quid magis est appetibile, eo etiam magis & principalius habet rationem finis.

393. Cæterùm ubi talis subordinatio, sive destinatio unius finis ad alium non est, ibi (quod secundùm membrum erat prius propositum) nihilominus potest esse ratio finis & principalis, & minùs principalis: Sic finis per accidens, est finis minus principalis, finis per se verò, est finis principalis. Possunt etiam specialiter illi fines discerni in actionibus humanis, & in rebus aliis.

394. In actionibus humanis ille finis principalis est, qui principaliter ab agente intenditur. Minus principalis, qui intenditur minus principaliter. Ita fieri potest, ut ejus, qui Medicinæ studet, principalis finis sit, ut sciat causas & differentias morborum, modumque curandi illos. Minus principalis autem sit, ut operam medicam exerceat. Neque enim ibi sumitur ratio principalis, vel minus principalis finis aliunde, quàm ex nuda intentione agentis.

395. In aliis autem rebus fines principales sunt fines, qui sumuntur (loquendo de rebus naturalibus) ex naturis rerum, vel (loquendo de rebus arbitrariis) ex arbitrio ac voluntate instituentis. Unde minus principales fines sunt, qui extrinsecâ destinatione rebus adduntur. Unde nihil refert ad rationem finis minùs principalis, fiatne id congruè an incongruè. Ita finis principalis est Elementorum, complere mundum et musta, ut Scalig. disputat *exerc. 11. s. 1.* At minus principalis finis est, si aqua, v. g. adhibeatur ad usum sacramentalem vel ablutionem immundarum rerum, vel ad incantandum. Sic finis principalis matrimonii est, multiplicatio generis humani: Minus principalis est, ut sit in vitæ solatium, et adversus luxuriam ac libidinem remedium. Istiusmodi exempla undique occurrunt plurima.

ARTICULUS VI.

De divisione finis in eum, qui est per se vel per accidens: Item internus & externus.

396. *Respectu agentis nullus est finis per accidens.*

DEnominatio finis, qui sit vel per se, vel per accidens, potest intelligi tum respectu agentis, tum respectu finiti. Isto modo finis per accidens nullus est. Quia τὸ *per accidens*, in ordine ad agens, opponitur ei, quod est per intentionem. At nullus finis est finis, citra intentionem et appetitionem agentis. Unde si quid præter intentionem agentis eveniat, adventitium est et fortuitum, finis autem rationem non habet.

397. *Quid finis per se & per accidens.*

Igitur æstimando istas denominationes, ex respectu ad finitum: Dicitur finis per se, qui sumitur ex natura, et juxta naturam rei. Inde igitur finis per accidens est, qui naturæ isti aliunde additur et superponitur. Finis vestium per se est tegere corpus; Per accidens, si ad superbiendum adhibeatur. Finis Campanarum per se est, ut earum pulsu convocentur homines. Per accidens, ut earum pulsu, in tempestatibus, dissipentur nubes.

398. *Quid finis internus & externus.*

Altera distinctio finis, in internum et externum, ferè ejusdem sensus est. Ergo tum finis internus est, finis per se. Finis externus, est finis per accidens. Possunt tamen et alii sensus illius distinctionis esse.

Igitur deinceps Zabarella *lib 1. de nat. Log. c. 25.* Finis (in artibus) internus, est forma rei efficiendæ: Externus est finis inde resultans. Ita finis internus Architectonicæ est domus; At externus, est domus inhabitatio.

Deinde internus finis (in artibus) dicitur, qui ex vi solius artis obtineri potest, qualis finis Rhetoricæ est, bene dicere; Externus autem finis artis est, qui non obtinetur, nisi assumpto aliquo extraneo; quemadmodo finis Rhetoricæ est, bene

benè persuadere. Is enim finis vix obtinebitur, nisi apud auditorem benevolum, adhibitis alioquin omnibus, quæ ex parte ipsius artis requiruntur.

ARTICULUS. VII.

De divisione finis in adæquatum & inadæquatum.

399. *Inadæquatio finium potest esse bifariam.*

INadæquatio finium potest esse bifariam: *Primùm* igitur finis potest esse inadæquatus, *per defectum*. Id autem est, si sit finis partialis. Ita finis inadæquatus Logicæ est, tradere doctrinam syllogismorum, quia præter syllogismum sunt & alii modi sciendi, quos etiam tradit Logica. Ita finis inadæquatus linguæ est, quod per eam loquimur. Nam & ea data est ad gustandum. Aliter finis inadæquatus est *per excessum*, veluti, si sit finito latior, quales sunt fines communes. Ita finis inadæquatus Physicæ est, quod ea compararetur ad Dei gloriam. Nam & aliæ disciplinæ eodem referuntur.

Hinc igitur ad finem adæquatum duo requiruntur: 1. ut non sit partialis, sed totalis. 2. ut non sit communis, sed proprius.

ARTICULUS. VIII.

De distinctione finis, in eum, qui est finis actionis, & qui est finis rei, per actionem factæ.

400. DIvisionem hanc tradit Averroës *lib. 4. de cœlo. comm. 22.* Sumi solet ex Aristot. *l. 1. magn. mor. c. 3. & l. 1. Eth c. 1. & 2 de gen. & corr. c. 7. t. 55.* Igitur finis actionis, veluti generationis, est forma rei genitæ. Quò pertinet, quod Aristoteles ait *lib. 2. Phys. cap. 7 t. 70.* Formam & finem esse idem numero. Finis autem rei per actionem factæ, est ejus usus vel operatio. Sic Aristoteles *lib. 1. Eth.* ult. mum finem hominis collocat in ejus actione, quâ scilicet agit secundùm virtutem perfectam. Et generatim ait *lib. 2. de cœlo, cap. 3. tit. 17.* Quorum est aliquod opus, unumquodq; eorum esse gratiâ operis. Id quod porrò expositum vide, apud Suarez *disp. 23. Metaph. s. 2. num. 10.*

ARTICULUS IX.

De divisione finis in eum, qui est per motum & citra motum.

401. *Mathematicarum verum quo modo non sit finis?*

DIvisio hæc frequenter habetur apud Interpp. Aristotelis, ad conciliandos varios textus Aristotelis. Nam Aristoteles frequenter ait: Unamquamque rem esse propter finem, vel habere finem, & tamen negat, rerum Mathematicarum & intelligentiarum esse finem *lib. 3. Metaph. cap. 2. t. 3.* Rursus etiam iisdem finem attribuit, *l. 12. Metaphys c. 7. t. 37.* Prior igitur textus loquitur de fine, qui per Physicum motum obtinetur. Posterior autem loquitur de eo, qui est citra motum, qualis in communi est finis iste, propter quem res agunt, citra intentionem producendi eum, quo modo finis hominis, Deus est. Vide Pererium *lib. 2. de Phil. nat. c. 5. p. 85.*

TITULUS XXVII.

De mediis sive destinatis ad finem.

402. *Medii quid? Medii necessaria vel contingentia.*

MEdia sive destinata ad finem vocantur, quæ ad finem referuntur. Solent eorum variæ differentiæ assignari. Ergo sic media sunt necessaria vel contingentia. *Necessaria* media sunt, sine quibus finis obtineri nequit. Ita medium necessarium ad eruditionem consequendam est, diligenter incumbere literis. Media necessaria ad salutem, sunt audire verbum Dei, & uti Sacramentis. *Contingentia* autem media sunt, sine quibus finis potest obtineri, qualia sunt, quæ non simpliciter

pliciter ad esse necessaria sunt. Ita contingens medium ad peregrinandum, est, ut equo vel rheda.

403. *Med orum alia differentia.*

Aliter media differunt bonitate & appetibilitate. *Alia* igitur media sunt bona quidem & perinde appetibilia, propter aliud, sed tamen & dimissa illa destinatione habent bonitatem in se propter quam sint per se appetibilia. Tale medium, ad sui sustentationem, est, doctum fieri. Nam & doctrina per se potest appeti, ad ornandum & perficiendum animum, citra illam destinationem, ut inde quis se sustentare possit. Atque hæc: quæ ea ratione sunt media, dimissâ illa destinatione, possunt habere rationem finis. *Alia* autem sunt media, & propter aliud appetibilia. ita, ut non possint per se terminare appetitionem. Talia igitur media nunquam possunt esse fines.

404. *Media quid habeant ex fine?*

Porrò, quia medium destinatur ad finem, ideò etiam ex fine accipit modum, & ordinem, mensuram & amabilitatem. Atque inde etiam finibus ipsis media non possunt non ignobiliora esse. Atque hæc *de causis* satis sunto: sequitur ut agatur de causato.

TITVLVS XXVIII.

De Causato.

405. Postquam hactenus actum est de causis, nunc etiam paucis agendum est de causato, non tam ut rem ipsam declaremus, quæ satis constat ex præcedentibus, quàm ut aliquid de vocabulis, huic rei propriis attexamus. Dicam autem *primò*, de causato in genere, *tum* de divisione causati in effectum materiatum, formatum & finitum. Et *denique* de singulis istis.

ARTICVLVS I.

De Causato in genere.

406. *Causatum* Græcis τὸ ἀπὸ αἰτίου καὶ αἰτιατὸν dicitur. Cicero *in Top.* fugiens barbaram causati vocem, *effectum* vocavit. *Conjunctus causarum locus*, inquit: *est locus ille, qui efficitur ex causis. ut enim causa effectum indicat, sic effectum, quæ fuerit causa, demonstrat.*

407. *Effecti vox quo modo dicitur.*

Cæterùm vox effecti ambigua est, quæ ambiguitas, quoad duas posteriores significationes, redundat etiam in vocem causati. Igitur effectum *primò* propriè & adæquatè significat causatum specialiter, nempe, cum connotato respectu ad efficientem causam, sicut materiatum significat causatum, sed connotando respectum ad materiam: & formatum, connotando respectum ad formam. *Deinde* effectum sumitur generalius, & per Synecdochen speciei pro genere, quomodo dicitur æquipollenter ad causatum, quomodo jam Cicero loquebatur: ut hoc modo causatum, dicatur etiam effectum, respectu aliarum causarum, veluti materiæ & formæ & finis: Jam præterea *tertiò*: effectum (sicut & causatum) aliquando specialiter accipiuntur, prout significant esse stans & permanens post actionem. In quo distinguuntur contra effectionem vel actionem, vel motum. Atque ita aliqui ajunt actionem non esse effectum, sed id, quo producitur effectus. Vide Suarez. *disp.* 18. *Metaph. s.* 10 *n.* 8.

Hic tamen communius effectum & causarum sumuntur. Dicitúrque id omne causatum, quod habet esse per dependentiam ab aliqua causa, sive sit actio, sive res per actionem facta. Atque ita etiam Ramus *in Log. l.* 1. *c.* 9. *Huc*, inquit in doctrina effecti, *pertinet motus, & res mota falla.*

Denique effectus aliquando communius dicitur pro omni eo, quod est alterius principiatum. Sicut enim quandoque causa dicitur omne id, quod est alterius principium. Ita etiam est causatum omne id, quod est alterius principiatum. Atque ita sicut privatio est causa motus, apud Aristot. *l.* 12. *Metaph. cap.* 2. Ita etiam motus est causatum privationis. Vide suprà *hoc cap. tit.* 2. *art.* 1.

408. *Quid hic fi-*

Igitur juxta præsentem tractationem effectum vel causatum dicimus, omne illud, quod habet esse dependens ab alio tanquam causa. Unde quod ab alio est

est, sed circa dependentiam, hîc effectum non est: Quale quid est Filius Dei, & Spiritus S. quæ personæ sunt à Patre. Rursus, quod ab alio est, sed tamen non accipit esse ab illo, illud itidem effectum non est. Atq; ita motus non est effectum privationis. Privatio enim cùm sit non ens, entitatem dare non potest. *quisnam effectus?*

Disputari solet *utra vox melior sit, effecti an causati?* Mihi in eodem sensu sunt. Nam utraque habet aliquid obscuritatis. Altera, (*effectum*) quia Tropica est, nempe Synecdochica. Altera (*causatum*) quia barbara est πᾶν γὰρ τὸ μὴ εἰωθὸς ἀσαφές: Omne quod inusitatum est obscurum est, inquit Arist. *l. 6. Top. c. 2. §. 1.* Et *Barbaries facit obscuritatem, ut non intelligantur quæ scripta sunt, si non vetèr formatis vocibus res obtegantur*, ait Augustin. *lib. de doct. Christ. c. 10.* Vnde quantò vox effecti melior est voce causati, quia Barbara non est sicut hæc: Ita vicissim tantò melior est vox causati, voce effecti, quia Tropica non est, sicut altera. Perinde itaque mihi est, utra ex his usurpetur. 409. *Utra vox melior sit, effecti, an causati?*

ARTICVLVS II.

De divisione causati, in effectum Materiatum, Formatum & Finitum.

INprimis dico: *Divisionem causati in effectum materiatum, formatum & finitum, non esse divisionem in diversas res, sed in eiusdem rei diversos status & respectus.* Atque ita non est distributio in species, sed in diversa accidentia. Ergo est una res, ad quam unaquæque causa suum ἐπιβάλλον μέρος confert. Finis actuando agens: Efficiens præparando materiam & introducendo formam: materia ab intra inchoando essentiam. Forma ab intra absolvendo essentiam. Propter istam igitur quadruplicem dependentiam, quam causatum habet ad singulas causas, modò sic, modò aliter dicitur: nempe ad significandum respectum, qui est ad causam efficientem, vocatur effectum: & respectu materiæ dicitur materiatum: & respectu formæ, dicitur formatum: & respectu finis, finitum. Atque ita, non sicut distinctæ causæ sunt, sunt etiam distincta causata: Quia singulæ causæ non producunt singulas & diversas entitates, sed unam & eandem. Vnde in causis specifica distinctio locum habet, non etiam in causatis. Sed specialiter de istis videndum. 410. *Qualis sit divisio causati, in effectum materiatum?*

ARTICVLVS III.

De effecto specialiter dicto.

DE effecto hîc non ago, prout æquipollet causato, sed in quantum dicit specialem respectum ad causam efficientem. Nihil autem occurrit hîc explicandum præter specialia nomina effectorum, qualia sunt & ἐνέργεια, ἐνέργημα, ἀπότελεσμα, πρᾶξις, & πόησις. 411.

Igitur ἐνέργεια hoc loco nihil aliud est, quàm *ipsa actio*, Damasc. *lib. 3. de Orth. fid. c. 15.* eam definit, quod sit efficax et substantialis naturæ motus. De hoc effectus genere, hoc est, de actione intelligendus est iste canon: *cessante causa cessat effectus*; Effectus, inquam, qui est ἐνέργεια. Cessante patre cessat (non filius, sed) generatio filii. Cessante architecto, cessat (non domus) sed ædificatio. 412. *Ἐνέργεια quid?*

Ἐνέργημα autem *opus* est, post actionem manens, ut Damascenus *ibidem* docet. Sic ergo patris ἐνέργημα est filius, Architecti domus. Deus creat mundum. Hîc mundus est ἐνέργημα, sed creatio est ipsa ἐνέργεια. 413. *Ἐνέργημα.*

Ἀποτέλεσμα & vox frequenter usurpatur, ad significandum effectum communem, duarum pluriúmve causarum. Ita redemptio generis humani est ἀποτέλεσμα ad quod divina et humana natura concurrunt. Theologi notant ἀποτελέσματα duo esse genera. *Alia* concipiuntur sic, utrique causæ concurrenti ea tribui possint. Sic liberatio generis humani ἀποτέλεσμα est, quia et divinæ et humanæ naturæ eam tribuere possumus. Liberat enim Christus secundùm humanam naturam. Et liberat etiam secundùm divinam naturam. *Alia* autem ἀποτελέσματα concipiuntur, cum connotatione specialis proprietatis, veluti cùm dicitur, *Christi sanguis* *Ἀποτέλεσμα. Apotelesmatum duo genera.*

sanati sumus. Livor enim ad humanam naturam pertinet. Vide Dn. D. Mentzerum *Tom. 1. disp. Gen. disp. 7. th. 83. seqq.* Quod autem hæc etiam ἀποτελέσματα vel ἐ sint ἀτελέσματα inde patet, quod ratio ἀποτελεσματ & absolvatur in eo, ut sit effectus resultans ex influxu distinctarum causarum, quod non minùs est, connotando proprietatem naturæ, quàm eam dimittendo.

415. Πρᾶξις. Πρᾶξις quandoq; generatim significat operationem, sicut & Latina vox actionis. Specialiter autem sumitur cùm τῷ διαμένει ποιήσει ἢ ἐνεργήματι opponitur. Atq; tum πρᾶξις significat illam operationem quæ in se sistit, h. e. quæ non terminatur ad aliquod opus. Igitur dicimur secundùm fortitudinem, agere fortiter. At non dicimur agere domum, sed facere, ut jam dicam. Facere enim est taliter operari, ut inde opus consequatur.

416 Ποίησις. Ποίησις significat operationem, per quam producitur opus. Inde ars definitur ποιητικὴ ἕξις, apud Arist. *l. 6. Eth. c. 3.* hoc est, habitus factivus, vel effectivus, sive operis, alicujus productivus. Solent aliqui τὸ ποιεῖν, definire, quod significet operationem, quæ terminatur ad opus corporeum, ut docet etiam Zab. *l. 1. de nat. log. c. 8.* Arnif. *in Cirill p. 8.* & Regius *l. 1. exerc. log. pro l. 2.* Sed tamen Aristoteles & vocem artis & vocem τὸ ποιητικὸ, attribuit etiam iis, quæ opus materiale & corporeum non producunt. Medicinam enim vocat artem *l. 2. Phys. c. 1. t. 3.* Ea autem producit sanitatem, quæ non est aliquid materiale & corporeum. Confer Julium Pacium *in præf. ad Org. Arist.* & Monlor. *in præf. in prior. Anal.* Plura ea de re sunt, *in Introd. log. c. 1. n. 33. 34. 35.* Atque ita in communi, ποιεῖν sive facere & efficere, est idem, quod opus producere, seu sit materiale, seu immateriale, aut quæcunq; sunt differentiæ aliæ.

ARTICULUS IV.
De Materiato.

417. *Materiatum non est definiendum ex fieri.* MAteriatum Timplerus *l. 4. Metaph. c. 5. in Theor. & q. 18. & 20.* Definit id solum ex productione, h. e. dicit esse materiatum, quod ex materia est productum. Atque hinc infert cœlum non esse materiatum, quia ex nulla materia productum sit. Sed mala hæc est sententia. Nam potior ratio est materiæ *in esse*, quàm *in fieri*. Indéque frequentissimè definitur materia, quòd sit causa ex qua res *constat*. Proinde etsi cœlum, quoad fieri suum non dependerit à materia, tamen quia in facto esse ab ea dependet, & intrinsecè ex materia constituitur & componitur: ideo simpliciter est materiatum. Idémque judicium est de aliis similibus. Atq; hinc etiam eam sententiam in Timplero, (quanquam suppresso nomine) refutat Goclen. *part. 1. controv. Log. 7. q. 11.* Atq; ita materiatum dicitur omne id, quod ex materia constat, & intrinsecè componitur, sive aliàs (loquendo de fieri illius,) ex materia, sive ex nihilo productum sit. Quænam autem in particulari materiata sint, in superioribus discussum est, tractando de causa materiali.

ARTICULUS V.
De Formato.

418. VOx formati est ambigua. *Aliquando* igitur intelligitur aliquid tale esse esse, per dependentiam ad causam efficientem, indéque sic formatum dicitur, quod per aliquem influxum effectivum formam accepit. *Aliquando* verò significat formatum dependentiam ad aliquid intrinsecè formans, hoc est, in specie aliqua absolvens, & ultimò actuans & constituens. Et hoc modo nunc intelligitur formatum. Vnde *tertio* etiam alia est ab hac significatione, illa, quâ formatum sumitur pro effigiato. Sicut & forma aliquando idem est quod effigies. Ita fœtus in utero dicitur formatus vel informis, ex *Exod. 21. v. 22.* apud Augustin. *in q. 80 in Exod.* Unde repetitum est *caus. 32. q. 2. c. quod vero.* Non inquam formatus dicitur fœtus vel informis hoc est, habens animam, vel eâ carens; sed habens effigiem humanam vel eâ carens.

Sicut

Sicut ibi LXX. Interpp. fiunt: παιδίον ἐξεικονισμένον ἢ μὴ ἐξεικονισμένον. Εἰκὼν autem utique effigiem sive figuram vel formam externam significat.

ARTICULUS VI.

De Finito.

FInitum vel dividit Ens in ratione essendi, vel quantitatem, quæ ambæ significationes sunt absolutæ, & tractatæ sunt suprà c. 13. Vel sumitur respectivè, & notat respectum ad causam finalem. Et sic, sicut materiatum dicitur respectivè ad materiam, & formatum ad formam, Ita finitum dicitur per respectum ad finem. Estq; id quod destinatur ad finem. Sic finis omnium rerum est Deus, Ergo omnes res sunt finitæ, sive destinatæ ad hunc finem, hoc est, ad Deum. 419.

CAPUT XXIII.

DE SUBIECTO ET ADjuncto.

1. HActenus fuit prima classis Entium respectivorum in Principio & principiato, & quæ sub iis sumuntur, in Causa & causato. Nunc secunda classis Entium respectivorum, est in Subjecto & adiuncto.

2. Igitur subiectum est Ens respectivum, quod alicui subjicitur: vel cui aliquid adjungitur. Sic homo est subjectum doctrinæ.

3. Adjunctum est Ens respectivum, quod alicui adjungitur: vel, cui aliquid subjicitur. Sic doctrina est adjunctum hominis.

4. Divisiones eorum sunt variæ.

5. Primò: *subjectum est proprium vel commune.*

6. Subjectum proprium est, cujus adjunctum convenit ei soli, omni, semper, Primò & per se. Sic homo est subjectum propriũ risibilitatis.

7. Subjectum commune est, cujus adjunctum convenit etiam rebus aliis. Sic homo est subjectum albedinis.

8. II. Subjectum est vel *subjectum informationis vel denominationis.*

9. Subjectum informationis est pars aliqua totius, quæ primò afficitur ab aliquo adiuncto. Vocatur & *subjectum quo* Sic anima est subiectum doctrinæ.

10. Subiectum denominationis est totum, cui tribuitur adiunctum partis. Sic subiectum doctrinæ est homo. Dicitur aliàs *subiectum quod.*

11. III. Subiectum est vel *subjectum adjuncti separabilis vel inseparabilis.*

12. Adiunctum separabile est, quod potest abesse à subiecto. Sic albedo est adiunctum parietis.

13. Adiunctum inseparabile est, sine quo non est subiectum. Sic albedo nivis, risibilitas hominis, est adiunctum inseparabile.

14. IV. Subiectum vel est *subjectum inhæsionis, vel adhæsionis, vel occupans, sive objectum.*

15. Subjectum inhæsionis est, cui adjunctum inhæret. Sic homo est subiectum doctrinæ.

16. Subjectum adhæsionis est, quod adiunctum recipit ad vel circum se. Sic homo est subiectum vestium, divitiarum, &c.

17. Subiectum occupans, sive obiectum est, circa quod adiunctum occupatur. Sic color est obiectum visus, sonus, auditus.

18. Porro obiecti divisiones variæ sunt.

19. Ergo I. *Objectum est adæquatum vel inadæquatum.*

20. Inadæquatū est, quod est vel commune objectum, vel partiale.

21. Adæquatum est, quod est proprium & totale.

22. Huc II. pertinet distinctio obiecti *in objectum perfectionis vel adequationis.*

23. Obiectum adæquationis est, quod ab adiuncto adæquate occupatur, ut nec sit eo latius, nec angustius.

24. Obiectum perfectionis, est nobilissima pars obiecti totalis.

25. III. *Objectum est vel per se vel per accidens.*

26. Objectum per se est, in quo per se occupatur adiunctum. Ita verum per se est obiectum intellectus.

27. Obiectum per accidens est, in quo adiunctum per accidens occupatur. Ita falsum est obiectum intellectus.

COMMENTARIUS.

QVia in *Top. c. 8.* doctrinam de subjecto et adjuncto exposui satis prolixè, & eâ, quâ ad causarum doctrinā dixi, intentione *μετοδικωτερον*; Proinde hic etiam tractandum est, ea de materia contractiùs; Agendum autem *Primo* est de vocibus subjecti et adjuncti et æquipollentibus. *Deinde* de eorum definitionibus. *Tum* quænam possint esse subjecta vel adjuncta. *Quarto* de eorum divisionibus. Et *denique* particulatim de objecto.

TITVLVS I.

DE VOCE SUBJECTI ET ADJVNCTI & æquipollentibus.

2. *De voce subjecti.*

SUbjectum adjectivè sumitur apud Oratores & Poëtas; & est idem quod subditum: Sicut Virgilius *lib. 6. Æneid.* sit:

Tu regere imperio populos Romane memento.
Parcere subjectis *& debellare superbos.*

Sic & Cicero *de natura Deorum: Nulli*, inquit, *naturæ Subjectus et obediens est Deus.*

Apud Philosophos duæ sunt potissimæ vocis subjecti significationes. Igitur *Primo* subjectum opponitur prædicato. Atq; tum subjectum est nihil aliud quàm pars antecedens in propositione. *Deinde* subjectum opponitur adjuncto. Atque ita in præsenti sumitur vox subjecti, quod, quid sit, postea explicabitur.

3. *De voce adiuncti.*

Adiunctum Oratores sumunt pro eo, quod est alii associatum vel additum. Estq; illa adjectiva significatio. Aliter adjunctum in oppositione ad subjectum est, id quod subjecto apponitur, seu quod adjungitur alii, sumiturque ea vox ex Ciceronе, qui *adjunctum* vocavit, quod prius *συμβεβηκὸς* & *accidens* dicebatur. Vide ipsum in Top. p. 222 *seqq.* Sic & *lib. de legib.* Hostiā maximā parentare, pietatis adjunctum est, *Et de Invent* videndum est, inquit, quid sit adjunctum negotio, &c.

4. Aristotelici subjectum frequenter vocant materiam. Materiam autem dividunt in mate-

materiam *ex qua, in qua, & circa quam.* Vbi materia, *in qua, & circa quam,* sunt specialia nomina subjectorum. Nam materia *in qua* est nihil aliud, quàm subjectum inhærentiæ: Et materia circa quam est nihil aliud quàm subjectum occupans sive objectum, ut superiori capite visum est, in initio doctrinæ de materia. *Quatenus subiectum dicitur, materia?*

Adjunctum autem iidem Aristotelici vocant *accidens*, ut specialiùs infrà attingam, *l. 2. c. 6. n. 10.* ubi patebit, quo sensu accidens & adjunctum æquipollenter dicantur. 5. *Adiunctum quomodo æquipolleat accidenti.*

TITULUS II.
De definitione Subjecti & Adjuncti.

INprimis supponendo, quòd termini Metaphysici ob transcendentiam suam non possint accuratè & limatè definiri, solùm qualitercunque circumloquor rationem subjecti & adjuncti. Fit autem hoc bifariam: Res tamen utrinque eodem redit. 6.

Igitur primo *subjectum* dicitur, *quod alicui subjicitur; & adjunctum est, quod alicui adjungitur.* Sed hæ descriptiones sunt magis nominales. 7. *Subiectum & adiunctum quid?*

Aliæ magis reales sunt: *Subjectum est cui aliquid adjungitur. Et adjunctum est cui aliquid subjicitur.* Generis autem loco ponitur, quod utrumque sit *Ens respectivum.* Entis enim respectivi conceptus ex se latius patet, ut patuit *ex superi. c. 21.*

Cæterùm adjungi non est hìc idem quod inhærere. Dantur enim aliqua adjuncta, quæ non inhærent; sed ea omnia adjungi censentur, quæ essentiam rei consequuntur, vel ei supervenium: Et sic q. formæ illius accidentales fiunt; Atque ita *Primò* inter adjuncta non deputantur, quæ rei essentialia sunt. *Secundò*: Quæ sunt quidem accidentalia & extra rei essentiam, sed tamen non sunt formæ illius. Atque ita actiones non sunt adjuncta agentium, sed effectus eorum. 8. *Adiungi quid sit,*

Denique particula *aliud*, in definitione subjecti & adjuncti, non est intelligenda, tanquam significans alietatem essentialem. Sufficit autem inter subjectum & adjunctum diversitas concipiendi. Ita Deus est subjectum respectu suorum attributorum; Et Ens respectu suarum affectionum transcendentalium; Et tamen in neutro istorum est realis distinctio. 9.

TITULUS III.
Quænam res possint esse Subjecta vel Adjuncta.

VT particularius constet quibus rebus conveniant respectus subiecti & adiuncti, ea de re aliquæ quæstiones tradendæ sunt. Potest autem *primo* dubitari de substantiis, an eæ possint esse adiuncta. Et in oppositum de accidentibus, an ea dici possint subiecta. *Tùm*: an isti respectus conveniant non entibus. *Tùm* an Deus vel respectu suorum attributorum, vel (in persona τῦ λόγυ) respectu humanitatis subjecti rationem habeat. Deus igitur breviter videndum est. 10.

ARTICVLVS I.
An substantiæ possint esse adiuncta?

SVbstantiis non videtur competere ratio adiuncti. *Primo*; quia adiunctum & accidens sunt æquipollentia Aristotelicis. Accidens autem substantiæ opponitur contradictoriè. *Deinde* Aristoteles expressè docet, substantias non esse in subjecto, *l. Cat. c. 5. §. 12.* 11. *Obiectiones.*

Nihilominus potest substantiis convenire respectus adiunctorum. Nam formæ substantiales sunt adiuncta materiæ. Indeque frequenter materia vocatur subiectum, formæ receptaculum, δοχεῖον, πανδοχεύς &c. Vide Schal. Exer. 17. Eademque de causa materia vocatur *locus*, apud Platonicos. Vide Scal. *Exerc. 10.* At formæ substantiales utique substantiæ sunt. Sic & locus est subiectum rei locatæ. Vnde Plato locum μεταληπτικὸν & μεθεκτικὸν vocat. Et tamen res locatæ utique substantiæ sunt. Quin & ipsæ substantiæ, quòd dicantur adiungi, ostendit prædicamentum habitus, 12. *Substantiæ posse esse adiuncta.*

habitus. Nam adjacentia, ex qua illud prædicamentum constituitur, non potest esse nisi ex corporibus adjacentibus, vel quæ adjunguntur.

Ad *Primum Respondeo*: accidens opponi substantiæ, non quatenus adjuncto æquipollet, sed in quantum significat Ens non ἀν' ἀυ πρωτῳ. Unde infrà *l.2.c.6.n.10.*

13. *Solvuntur objectiones.*

Ad *Secundum Respondeo*: substantiis convenire quidem subjectum: Non tamen propterea sunt *in subjecto*. Nam adjuncti respectus non est solùm per modum inessendi, ut prius *tit.2.* dictum est. Potest enim etiam adjunctum habere respectum ad subjectum, per modum adhæsionis, & aliter. Substantiis autem solùm convenit, non esse *in subjecto*, quatenus scilicet illa phrasis strictè & rigorosè sumitur, prout *in subjecto id esse dicitur* (definitore Arist. *in lib. Cat. c.1.*) *quod cum insit, non est pars rei, & omnino esse non potest nisi in illa re.* Plenius hæc de re est infrà, *l.2.c.p.1. t.3. a.3.*

ARTCVLVS II.

An accidentia possint esse subjecta & quomodo?

14

QVæstionem hanc alii Metaphysici sic informant: *An unum accidens possit esse materialis causa alterius accidentis?* Ita videri potest apud Suarez *disp.14. s.4.* Nam per materialem causam intelligunt materiam in qua. Materia autem in qua, est idem quod subiectum. Vnde apparet, in tali huius quæstionis formatione, satis magnam κυκλολογίαν esse. Nam etsi subiectum possit materia dici, non tamen dicendum est materialis *causa*.

15. *Status quæstionis.*

In ea autem quæstione id inprimis controversum est: *An accidentia possint esse proximum subiectum, in quo hæreat aliud accidens: an verò solùm sint dispositiones substantiæ, quibus mediantibus accidentia recipiuntur in substantia, tanquam proximo subiecto?* Vbi tamen illa quæstio non intelligitur de executione divinæ potentiæ: An scilicet Deus facere possit, ut accidentia sustentent (tanquam primum & fundamentale subiectum) accidentia alia, sed quæritur; quid sit, si stendo in natura rerum.

16. *Decisio.*

Igitur Durandus *1.d.8.2.part.q.4.n.15.* disputat: Accidentia posse esse proximum subiectum, quem sequitur Suarez *d.sp.14 s.4.n.6.seqq.* solet & in istam sententiam Thomas allegari *3.p.q.77.a 2.* Negat autem Gre. *1.d.2.& 12.* & Capr. *1.d.3.q.3.a.2.*

Quid hac de re statuendum sit, aliquot propositionibus exponam. 1. *Accidens non potest esse subjectum. Quod hoc est, radicale vel fundamentale & primum.* Ita appareret, quia accidens eget alio sustentante. Ergo ipsum accidentibus non potest esse primum subsistendi fundamentum. Atque hoc etiam docet Arist. *l.4. Met. t.13,14.* dicens ἓ συμβεβηκότ & ὧ ἔστι συμβεβηκὸς, οὐ μὴ ἄμφω συμβεβηκὸς τινὶ, hoc est, *accidenth non esse accidens nisi ambo accidant eidem.* Ubi satis indicat, Aristoteles, quod accidentia pro primo subsistendi fundamento exposcant substantiam.

17. *Accidentia possunt substantiæ mediantibus accidentibus alia inesse.*

2. Certum est: *Accidentia aliqua convenire substantiis mediantibus accidentibus aliis.* Ita patet inprimis communissimè, de habitibus. Isti enim non conveniunt subjectis suis, nisi mediantibus naturalibus potentiis, quibus habitus supraponuntur, quásque ad suos actus isti facilitant, ut suo loco videbitur. Tùm etiam certum est, accidentia corporea recipi mediante quantitate. Ita sine dubio figura v.g. convenit rebus corporeis ex præsuppositâ quantitate. An verò ista mediatio sit ratione causæ, an verò ratione subjecti statim exponendum est.

18.

3. *Accidentia aliqua sunt propria accidentium aliorum subjecta, atque adeo accidentibus non repugnat, ut sint subjecta.* Hoc est quod dico: cùm accidentia dicuntur substantiis, mediantibus accidentibus, convenire, non habet hunc sensum, quasi solùm id sit mediatione causæ, aut quod solùm accidentia sint dispositiones ad accidentia alia, sed id est mediatione subjecti. Atque hoc probatur. Nam inprimis accidentia aliqua, ex eo, quia mediante quantitate recipiuntur, exinde accipiunt etiam extensionem, veluti sunt, colores, sapores, & id genus accidentia alia. At extensio non potest cuiquam competere, nisi vel sit ipsa quantitas, vel habeat quantitatem, vel sit in quantitate. E prioribus autem neutrum convenit istis accidentibus.

Dein-

Deinde: idem etiam patet de habitibus. Nam habitus juvant potentias, in ordine ad actus ipsarum. id autem non faciunt, nisi per seipsos Oportet igitur, ut habitus ipsas potentias informent, atque sic in iis, tanquam proximo subjecto, recipiantur.

Sed *Obiicitur*: Substantiæ substant accidentibus. Indéque nomen habent. Ergo 19
si accidentia substent accidentibus (faciunt autem id, si alia recipiantur in iis tanquam subjectis) tum substantiæ erunt, & non accidentia.

Respondeo: Substantiam à substando dici, Notatio est. Notatio autem non est 20.
necessariò adæquata nomini. In hoc enim à definitione differt. Et propterea ex vi istius notationis non sequitur, ut illico sit substantia, quod accidentibus substat.

Cæterùm pro Coronide observandum est, quòd quæstio proposita inprimis sit 21
de subjecto Inhærentiæ. Nam aliàs, loquendo de subiecto occupante, quod aliàs obiectum dicitur, sine dubio accidentia per se & primò tales respectus suscipere possunt.

ARTICULUS III.

An non Entia possint esse subiecta vel adiuncta?

HAc in re facilis est decisio iuxta vulgatam propositionem: *Non Entis nulla* 22
sunt accidentia, nulla qualitates, nulla operationes. Dextrè tamen id est intelligendum.

Igitur prædicta propositio vera est, si in rigore terminos sumamus, tanquam differentias Entis, Entis, inquam, respectivi. Unde non solùm in eorum definitione *Ens* respectivum ponitur q. loco generis, sed etiam additur, vox *alicui*. Aliquid autem & Ens æquipollenter dicuntur, ut alibi tradidimus.

Cæterùm, quia non-Entia sunt quasi Simiæ Entium, unde & Entia rationis di- 24.
cuntur, in quantum ab intellectu apprehenduntur, tanquam Entia: ideò consequenter fit, ut etiam illa suscipiant respectus subiectorum & adiunctorum. Quanquam revera eo in casu ista non-entia non tam *sint* subiecta & adiuncta, quàm talia esse *fingantur*. Unde in universum servanda est hæc proportio, ut quæ verè sunt entia, verè etiam suscipiant rationem subiecti & adiuncti. Quæ autem finguntur esse entia, fingantur etiam esse subiecta vel adiuncta. Sic Ovid. *l. 2. Metam.* sua tribuit adiuncta, domui Solis:

Regia Solis erat, sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante Pyropo;
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.

Sic Homer. *Iliad. 7.* Chimæræ, quæ similiter est fictum quid, sua attribuit adiuncta quantitatem scilicet & figuram peculiarem.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα μένος πυρὸς αἰθομένοιο.

ARTICULUS IV.

An Deus possit dici subiectum?

INprimis hanc ad rem, ut initio huius Tituli referebam, de duobus controversia 24.
esse solet. *Primò* quidem, quoad ordinem ad attributa divina. *Deinde* quoad assumptam humanitatem. De utroque dico figillatim.

1. *Deus est subiectum suorum attributorum.* Ita patet, quia si quicquam obstaret, 25.
esset id realis eorum ad essentiam divinam identitas. At hæc causa nulla est. Nam Ens & affectiones eius habent etiam realem identitatem, ut suo loco visum est. *Deus potest dici* Et tamen etiam Ens & affectiones eius habent se ut subiectum & adiunctum. Et *subiectum suo-*

tum attributo- confirmatur, quòd omnis demonstratio est de *aliquo ut subjecto*, ut Aristot. docet 1. *post. t. 57. In demonstrationibus*, inquit, *est aliquid ut subiectum genus, cuius affectiones & per se accidentia declarat demonstratio.* Sed ea de re plenius erit infrà, *l. 2. c. 3.*

26. *Humana natura Christi non est divinæ adiunctum.*

2. *Humana natura in Christo non debet dici divinæ naturæ adiunctum.* Ita disputat Thomas 3. *p. q. 2. a. 6.* Chemn. *de duab. nat. in Christ. c. 6. p. 35.* Dn. D. Mentz. *Tom. 1 disp. 6 disp. 2. th. 71.* Dn. D. Meisnerus *in Phil. Sobr. part. 1. s. 1. q. 4. p. 113.* Et veritas illius assertionis probatur: Nam si humanitas esset adjunctum λόγου, λόγος non posset dici homo, sed humanus solùm. Neq; enim adjuncta nominibus substantivis prædicantur. Atque porro indè clare sequitur, quod istæ naturæ non sint unitæ in unam personam, sed quòd solùm hujus ad illam sit aliqua σύναψις, quod Nestorianum est.

27. *Deinde* si humanitas esset adjunctum τῷ λόγῳ, tum id esset vel per inhæsionem, vel per adhæsionem. Non hoc: quia adhæsio ad summum inducit σύναψιν & σχετικὴν ἕνωσιν. Περιχώρησιν autem nullo modo: Indéque manifestè tollit unionem personalem. & facit solùm unionem accidentalem, ut & Nestorius docebat. Vide Thom. *dist. 3. p. q. 2. a. 6.* Nec illud dici potest, quia substantiæ sic essent in subjecto, quod absurdum esse paulò ante visum est.

28. *Denique* non solet dici, quòd subjectum sit *in adiuncto*, sed adjuncta potius sint in subjectis. At Deus *in carne* dicitur esse. Vide *Colos. 1. v. 9. & c. 2. v. 9. 1. Ioh. 4. v. 3.* Unde & humanitatem Patres δοχεῖον τῷ λόγῳ vocant: Vide inprimis Epiphan. *in Anchorato.* Unde humanitas potius τῷ λόγῳ quàm λόγος humanitatis subjectum dici debebat. Greg. Nyssenus σάρκα vocat θεοφόρον. Et Athanasius vocat σάρκα θεοφόρον, quanquam hæc locutio postea in Nestorio reprobata est. Vide Chemn. *de duab. nat. in Christ. c. 9. fol. 59. fac. 2.*

29 *Obiectio.* Sed objicitur: caro accessit ad λόγον. Ergo est ejus adjunctum. Ita *Gocleni*us argumentatur *citato loco.* Sed fallax est consequentia. Neque enim id omne est adjunctum quod ad aliud accedit. Ita apparet in pilis, plumis, dentibus, cornibus, &c. quæ animalibus adnascuntur, & tamen animalium partes sunt, non adjuncta. Idémque est in omnibus istis partibus, quæ demum rebus in esse constitutis accrescunt, ut sunt rami in arboribus, & sic deinceps.

30 Propinquius & vicinius hujus rei est exemplum, quo frequenter utuntur Patres, sumptum à surculo, qui stipiti inseritur. Is enim non est adjunctum, sed fit pars arboris. Eleganter ad hanc rem ait Thomas, *3. p. q. 2. a. 6.* quod tum demum, id, quod accessorium est, sit accidens, si non trahatur in communionem illius esse. Atque ita est in præsenti exemplo. Nam humana natura assumitur in ipsam τῷ λόγῳ personam. Vnde post incarnationem, persona τῷ λόγῳ *ex* & *in* duabus naturis exstitit quo sensu & λόγον ex istis naturis compositum & σύνθετον Patres vocant, et inde istas naturas, partes τῷ λόγῳ dicunt. Vide inprimis Damasc. *l. 3. de Orth. fid. c. 4.* Et adde Lomb. *d. 3. d. 6.* Vide et Thom. *d. l. a. 4.* Fonsec. *l. 5. Met. c. 8. q. 7. sect. 2. fol. 560.*

TITULUS IV.

DE DIVISIONIBUS SUBIECTI & Adiuncti.

31 Divisiones subjecti et adjuncti quatuor propositæ sunt in Theorematibus. *Primò*, in proprium et commune. *Deinde* in subiectum denominationis et informationis. *Tertiò* per separabile et inseparabile. Et *denique* quartò divisum est subiectum in subiectum inhæsionis vel adhæsionis vel occupans. Hæ divisiones sunt ordine explicandæ.

ARTIS

ARTICULUS. I.

De Divisione, in adjunctum proprium & commune.

AD hanc divisionem *Primò* est explicanda vox proprii. *Deinde* explicanda est definitio proprii, quod fiet distinctim explicando quasdam conditiones propriorum, & quæstiones, quæ de illis esse solent. *Denique* agendum est de adjuncto communi. 32

PUNCTUM. I.

De voce Proprii.

PRoprium alio nomine *proprietas*, vel conjunctim *adjunctum proprium* dicitur. Græci vocant ἴδιον, & ἰδιότητας & ἰδίωματα. Unde communicatio idiomatum, de qua Theologi loqui solent, est nihil aliud quàm communicatio proprietatum. Quod observandum est contra imperitos Calvinisequas, qui communicationem quidem idiomatum frequenter in ore habent: Latè tamen admodum impugnant communicationem proprietatum. 33

Vox autem proprii ambiguè sumitur. *Aliquando* enim proprium opponitur figurato. Quomodo Tropus definitur, quod mutet propriam vocis significationem in alienam. Hæc Grammatica vel Rhetorica potiùs est vocis illius significatio. *Aliter* proprium opponitur communi. Vnde sicut commune, ex vi vocis pluribus rebus attribuitur, quàm ut denominet tantùm adjunctum, ita etiam proprium dicimus, non solùm quod est tale, per modum adjuncti: sed & finem & partem & res alias dicimus proprias & communes. *Denique* specialiter solet vox proprii sumi, prout opponitur (in enumeratione prædicabilium) accidenti. Tunc enim idem est quod adjunctum proprium, & contradistinguitur adjuncto communi: Et de proprio juxta talem significationem nunc agitur. 34 *Proprium multis modis dicitur.*

Sed tamen neque sic, proprium, vel proprium adjunctum dicuntur eodem modo. Atque huc pertinet, quod Aristot. 5. *Topic. c.* 1. distinguit proprium, id quod est absolutè proprium & quod est proprium per comparationem. *Proponitur*, inquit, *proprium, vel per se & semper: vel per comparationem cum altero & interdum. Ut hominis proprium est per se, animal naturâ mansuetum. Per comparationem verò cum altero: ut anima cum corpore, quoniam illa jubendi, hoc parendi vim habet. Semper autem, sicut Deo proprium est, animal immortale. Interdum autem ut cujusdam hominis, deambulare in Gymnasio.* Nunc autem agitur, de eo quod per se & absolutè est proprium. 35

Ad hanc vocis distinctionem etiam pertinet, quòd vulgò distingui solet proprium in quatuor modos, ex Porphyr. *in Isagog. c.* 4. *Primus modus* est, quo proprium dicimus ὃ μόνον τινὶ εἴδει συμβέβηκε, εἰ καὶ μὴ παντί, hoc est, *quod uni soli speciei convenit, etsi non omni*. Sic hominis proprium est, esse Medicum, vel Grammaticum. Secundus modus proprii est. Quod omni convenit, etsi non soli. Sic proprium hominis est, esse bipedem. 3. Quod quidem omni & soli competit, sed non semper, sic proprium hominis est canescere. 4. ὃ συνδραμε τῷ ὅλῳ καὶ παντὶ καὶ ἀεί, hoc est, *in quo concurrunt, & soli, & omni, & semper convenire.* Atque hoc est proprium rigorosè dictum, quod etiam idcircò *proprium quarti modi* dici solet. Quod autem hæc distinctio vocis solùm sit, ut vox proprii æquivocè solùm extendatur, ad ea, quæ dicta sunt, inde apparet, quod aliàs proprium id non solet dici, quod etiam aliis convenit, ut Aristot. docet 1. *Topic. c.* 5. Et tamen, quæ hujus generis sunt, nunc etiam propria dicta sunt. 36 *Recensentur quatuor modi proprii.*

PUNCTUM II.

De definitione Proprii.

37. *Proprium quid sit?*

PRoprium vulgo definiri solet, *quod uni speciei convenit, omni soli, semper primo & per se*, prout terè sumitur ex Porphyr. *in Isagog. c.4.* Aristotele 1. *Top. c.5. & 5.* Topic. hinc inde passim. Ista igitur ut rectè intelligantur, seorsim de singulis istis requisitis proprietatum agendum est.

Proprium uni Soli *convenit.*

38. IGitur primo: *proprium uni soli subiecto conveni.* Ita apparet ex ipso sono vocis huius: Proprium enim communi contradistinguitur. At quod non uni soli convenit, sed pluribus, hoc ipso commune est. Unde ex hoc proprium ab accidente sive adiuncto communi distinguitur, à Porphyr. *in Isagog. c.17. §.4.5.* Et Aristoteles, 1. *Top. c.5. §.5.* Ἴδιον ἐστι, inquit, ὃ μόνῳ ὑπάρχει, καὶ ἀντιπαπτωρεῖται τῷ πράγματι. Et posteà: ἴδιον λέγει τὸ ἐφ' ἑαυτῷ μόνον ἀλλ' οὐχ ὑπάρχειν, οἷον τὸ τῷ ἀνθρώπῳ ἐπιστήμονα εἶναι, hoc est, *proprium est quod soli convenit, & cum re reciprocatur.* Et: *Nemo id proprium dicit, quod esse potest in alio, veluti dormire, hominis esse proprium.*

39. Est autem nunc sermo de proprio rigorosè dicto. Quod enim aliàs vox proprii etiam iis accommodetur, quæ uni soli non conveniunt, anteà dictum est.

40. *Proprium quomodo uni soli conveniat?*

Deinde observandum est, quod adjunctum uni soli convenit, sed servando etiam conditiones alias. Convenit, inquam, uni soli, sed primo & excellenter. Aliàs enim quod hujus proprium est, secundario potest alii convenire. Sic calor est proprietas ignis. Et tamen calor secundario etiam convenit mistis. Atque hoc propterea observandum est, quia mirandum est, quomodo dictis viris in mentem venire possit, quod proprietatem, ex eo, quia, ut inquiunt, proprietates sic fiant communes. Nam eâ communicatione non obstante, proprium alicui subjecto, uni, convenit primo & excellenter, quod ad rationem proprii hactenus satis est. Communicatio autem tantùm facit, ut quod uni primo convenit; de alio prædicetur secundario, quod rationem proprietatis non tollit.

Quod proprium conveniat omni *subjecto.*

41. SEcundo, *proprium convenit omni subjecto.* Hanc conditionem expressit Porphyrius *in Isagog. c.4.* dicens, id esse proprium, ἐν ᾧ συνέδραμε τὸ μόνῳ καὶ παντί, in quo & soli & omni concurrunt. Et Arist. 5. *Topic. c.1. §.4.* ὅτι τὸ καθ' αὑτὸ ἴδιον ὁ πρὸς ἅπαντα, ἀποδίδοται hoc est: *Est per se proprium, quod ad omnia tradi tur.*

42. Loquitur autem hæc conditio de proprio rigorosè dicto. Nam aliàs datur in aliquo modo loquendi proprium, quod non convenit omni, ut priùs visum est, in præcedenti puncto.

43. *Proprietatum duo genera.*

Deinde: proprium quidem convenit omni, sed tamen servato aliquo discrimine. Igitur tenendum hic est, quod proprietatum duo sunt genera, ut ex Arist. Zabarellâ docet, 1. *post. c.4. t.31. & lib.1. de propos. necess. cap.12. Alia* sunt simplicia, quæ consequenter sunt ἀντίστροφα ἄνευ συμπλοκῆς, quale quid est risibilitas. *Alia* verò sunt coniuncta sive συμπεπλεγμένα, quæ consequenter reciprocantur. ad subiectum suum, coniunctim sumpta. Sic proprium numeri est, paritas & imparitas. Sic igitur quæ coniunctæ proprietates sunt, illæ etiam subiectis suis coniunctim, non autem simpliciter conveniunt. Neq; enim omnis numerus est par. Neque etiam omnis numerus est impar: Nempe coniuncta coniunctim, simplicia simpliciter omni suo subiecto conveniunt. Veluti: Omnis homo est risibilis. Item omnis numerus est vel par vel impar.

44. Denique observandum est: quod proprium, requirente id subiectâ materiâ nunc

sunè intelligatur de proprio eo, quod est tale, per modum adjuncti. Nam effectus proprii, veluti actus naturalium potentiarum, non necessariò omnibus conveniunt. Ita Scaliger *Exer.* 202. *s.* 3 refert esse in Jucatana & Cozumella & aliis Insulis, canes, qui non latrant. Et sic est in aliis.

Quod proprium suo subjecto semper *conveniat.*

TErtiò: *Proprium convenit suo subjecto semper.* Illud ἀεὶ expressit etiam Porphyr. prius citato loco. Sic & Aristoteles *l.* 5. *Topicor. c.* 1. §. 6. maximè propria ait esse, τὰ καθ' αὑτὰ καὶ ἀεί, *quæ per se & semper sunt.* Illud autem *semper* convenit, quod ut Arist. ibi addit; καὶ πάντα χρόνον ἀληθεύεται καὶ μηδέποτε ἀποβάλλῃ, seu, *quod omni tempore verum est, & nunquam amittitur*, quomodo autem hæc conditio de sempiternitate procedat, postea explicabitur *seq. punct.* ubi disputo, de adjunctorum propriorum à suis subjectis separabilitate. 45.

Quod proprium subjecto primo & immediatè conveniat.

QUartò: *Adjunctum proprium debet suo subjecto convenire primo & per se sive immediatè.* Ita Aristoteles docet 5. *Top. c.* 1. §. 6. ubi Aristoteles ait: *ea maximè propria esse, quæ per se sunt.* Locus paulò ante relatus est. Sunt autem particulæ istæ: *Primo, per se & immediate* æquivalentes. 46.

Porrò id observandum est, quod perfectus & immediatio duplex sit, alia est immediatio *ratione causæ*, alia verò est immediatio *ratione subjecti*. Nunc igitur adjunctum proprium debet suo subjectò convenire, Per se & immediatè, primitate, inquam, & immediatione subjecti, non autem intell. gitur id de immediatione ratisfæ. Potest enim subjecto suo adjunctum convenire, per aliam causam: sed non debet esse in alio priori subjecto. Quanquam id etiam addendum est, quod prioritas illa subjecti, intell. gatur solùm de subjecto *quod*, sive denominationis. Nam potentiæ animæ, sunt adiuncta propria rei animatæ, quia non habent istæ aliud prius subiectum *quod*. Et tamen etiam aliud subiectum *quo* habent, h. e. ipsam animam, in qua subiectivè recipiuntur. 47. *Immediatio duplex.*

Porro in hactenus enumeratis conditionibus consistit quidem ratio & definitio proprietatis, sunt tamen aliæ etiam explicandæ, quæ inde fluunt Igitur: 48.

Proprium reciprocatur ad essentiam.

Quinto: *Proprium reciprocatur cum essentia*, τὸ ἴδιον ἀντικατηγορεῖται τῷ ὅλῳ ἴδιον, 49.
ait Porphyr. *c.* 9. §. 6. & *c.* 13. §. 4. & *c.* 15. §. 2. Reciprocatio autem est nihil aliud quàm conversio simplex sub universali quantitate. Ergo sic, quia risibilitas est *id ipsum* homin. s, ideo omnis homo est risibilis, & vicissim omne risibile est homo.

Unius proprium non est proprium alterius.

SExto: *Proprium unius, non potest esse proprium alterius.* Sic Porphyr: *in Isagog. cap.* 15. §. 4. ἴδιον, τοῦτο ἐστὶ τὸ ἑνὸς, ἀδύνατον. Et Zabarell. *l. post. ad t.* 58. *Quæ subiecto huic sunt essentialia*, inquit, *ea alii subiecto per se inhærere nequeunt.* Et *D. Chemnit.* de duabus Nat. in Christ. cap. 22. fol. 139. *Nos firmiter*, inquit, *tenemus hanc regulam, quod unius naturæ proprietas, nunquam fieri possit etiam alterius proprietas.* Est autem, ratio huius conditionis manifesta, quia si alii etiam conveniret, non conveniret uni soli, sed pluribus. Ergo hoc ipso statim desineret esse proprium & fieret commune. Repugnantia igitur est manifesta. 50.

Aiunt autem illi Autores (non quod est proprium ulterius, non potest alicui alii competere, sed) quod est proprium unius, non esse *proprium* alterius; Et non potest alii *per se* & tanquam alterius *proprietas* convenire. Alias enim secundario 51.

& per participationem, quod est proprium unius, potest alii competere. Quò pertinent illæ Philosophorum sententiæ: *Omne tale per aliud, reducitur ad aliquid per se tale:* Et *illud est per se tale, per quod alia talia sunt.* Et sic inquit Zabarella *lib. 1. de visu, c. 2. p. 861.* Quod alicui competit per participationem, dicitur aliis competere per essentiam. Et Scal. Exerc. 10. ait: *Nihil*, inquit, *accidentaliter inest cuipiam, quod secundum essentiam non insit alicui primò & per se.* Similis sententia est, *Exerc. 51. pag. 195.* Vide & Goclen. *in instit. Log. l. 1. c. 8. p. 250.* Et *in prodrom. Lex. Philos. can. 129.*

Proprium esse naturâ posterius subjecto.

12. SEptimò: *Proprium est naturâ posterius subjecto.* Ita Scalig. *l. 2. de plan. p. 436:* *Potentia*, inquit, *seu potestas, sive facultas, seu vis, aptitudove posterior est naturâ.* Et generatim, ait Porphyrius *in Isagog. c. 9.* διαφέρει τὸ γένος καὶ τὸ ἴδιον, ὅτι τὸ μὲν γένος πρότερον, ὕστερον δὲ τὸ ἴδιον. Differunt genus & proprium, quod genus quidem prius est, proprium autem est posterius. Atque hinc sequitur, quòd nullum proprium possit esse forma alterius. Et specialim, quòd qualitates Elementares nec sint formæ Elementorum, omnis enim forma est natura prior formato.

Procedunt autem hæc de prioritate naturæ, ut diserte dicebat Scaliger. Nam quoad ordinem temporis simul sunt, subjectum & adjunctum proprium.

13. Octavò: *Cui convenit proprium, ei etiam convenit essentia,* & contra *Cui non convenit proprietas, ei non convenit essentia.* Utrumque requisitum sequitur ad præcedentia. Prius quidem. Quia adjuncta propria, ut dictum est, conveniunt suis subjectis solis: alterum, quia adjunctum proprium convenit subjecto suo semper. Atque ita quæ prius ad istas conditiones dicta sunt, hîc recurrunt.

PUNCTUM III.

Continens aliquot quæstiones de adjunctis Propriis.

14. QUatuor inprimis solent de rerum proprietatibus disputari 1. An suscipiant magis & minus. 2. An possunt à suis subjectis separari. 3. An ea possint communicari. Et denique: An uno communicato necessariò etiam communicetur alterum.

An adjuncta propria suscipiant magis & minus?

QUÆSTIO I.

15. VAriant hac in re sententiæ Philosophorum. Porphyr. *in Isagog. c. 17. §. 16.* alicè ἡ μὲν ἰδιότης, ἰσότητος μετέχει· τῶν δὲ συμβεβηκότων, ἡ μὲν μᾶλλον, ἡ δὲ ἧττον, hoc est, *proprium æqualis est participatio, accidentium autem secundum magis & minus.* Repetivit id & Damasc. *in Dial. c. 28.* Vide & Scal. *Exer. 12. s. 2.* Et Zabar. *l. 2. de mot. grav. & lev. can. 15. & lib. de misione c. 3.* Alios mitto.

16. Alii tamen Philosophi contractiùs loquuntur. Suarez. *disp. 46. Met. s. 2 nu. 10. seqq.* docet: Qualitates secundæ & quartæ speciei non suscipere magis & minus: At qualitates primæ & tertiæ suscipere. Portò in qualitatibus patibilibus, (quæ qualitates tertiæ speciei dicuntur) multæ sunt, quæ sunt qualitates propriæ. Asserit igitur aliquas proprietates suscipere magis & minus.

17. *Exempla Fonsecæ propriorum remissionum.* Sic & Fonseca, *5. Metaph. c. 28. q. 19. s. 4.* docet solùm qualecunque discrimen esse proprii & accidentis, quod prius, quoad susceptionem τὸ magis & minus retuli, ex Porphyrio, & intelligi solùm ad hunc sensum, quòd ita sit ut plurimum. Unde subjungit aliqua propriorum exempla, quæ intenduntur & remittuntur, qualia sunt. 1. Qualitates Elementares, veluti calor, frigus & cæteræ. 2. Potentiæ naturales, materiales, veluti sunt sensitivæ & vegetativæ, quæ paulatim deficiunt

ciunt in senibus, et ex parte penitus tolluntur. 3. Dicit etiam extensionem, sive quantitatem recipere magis et minus, in quantum eadem quantitas sit maior et minor per rarefactionem vel condensationem.

58. *Decisio.*

Ergo hanc ad rem sic distinguere soleo: Aliqua propria habent aliquid sibi positivè contrarium: alia non. Deinde aliqua propria unicè et adæquatè dependent ab essentia subiecti. Aliqua verò dependent in fieri vel conservari etiam à causa extrinseca, præter eam dependentiam, quæ est ab essentia subiecti. Sic aiunt aliqui: qualitates Elementares dependere quidem ab essentia Elementorum, sed tamen et concurrere, ad eas faciendas et conservandas, ipsum cœlum. Sic et aiunt Potentias herbarum non solùm dependere ab essentiis herbarum, sed etiam à peculiaribus dispositionibus earum. Vnde iuxta varietatem istarum dispositionum varientur istæ potentiæ.

59. *Quænam qualitates non suscipiant magis & minus?*

His positis. Dico 1. *Eas proprietates non suscipere magis & minus, quæ non habent positivum contrarium.* Remissio enim qualitatum, sit per admistionem contrarii, unde quæ contrarium non habent, intensionis, et remissionis non sunt capaces. Secus autem est in aliis.

Deinde, quæ adæquatè dependent ab essentia subiecti, ea similiter non suscipiunt magis et minus: Secus enim ipsa intenderetur essentia, ut Scaliger infert *Exerc.* 12. *s.* 2. At quæ aliunde etiam pendent, ea intendi et remitti possunt. Ibi enim causa eadem est, quæ est et in intensione et remissione habituum. Intensiores enim hi sunt vel remissiores, quia agens fortiter vel minus fortiter operatur, unde ipsi producuntur.

60. *Expenduntur exempla Fonsecæ.*

Quibus positis *ad primum* Fonsecæ exemplum *respondeo*: qualitates Elementares suscipere magis et minus, quia istæ non dependent adæquatè ab essentiis subiectorum. Sicut neque istæ qualitates suis contrariis carent. In istiusmodi autem proprietatibus admissa est intensio et remissio. Ita malo respondere, quàm ut dicam, eas qualitates non intendi, sed extendi, cum Scaligero *Exerc.* 12. *s.* 2.

61. *Potentiæ naturales an intendantur?*

Ad alterum de potentiis naturalibus, *respondeo:* eas non intendi et remitti. Nam quod experientia ostendit aliquam intensionem et remissionem: ea non est ex parte ipsarum potentiarum, sed est in actibus illarum potentiarum. Actus autem naturales sunt istiusmodi intensionis et remissionis capaces, quia non proficiscuntur à sola potentia naturali, sed præterea ad eas requiruntur peculiaria organa, quæ consequentes, prout melius peiúsve sunt dispolita, etiam intensiores vel remissiores actus efficiunt. Atque ita quod senex non tam accuratè videt, quàm iuvenis, id non est per remissionem potentiæ visivæ, in ipso, sed per defectum et quasi delassationem organorum, quibus ad benè videndum opus est. Confer Suarez. *disp.* 46. *Metaph. s.* 2. *n.* 18.

62. *An quantitas intendatur & remittatur?*

Ad tertium respondeo, quantitatem non suscipere magis et minus, ut disertè docet Aristot. *lib. Categor. c.* 6. §. 25. Rarefactio autem et condensatio etsi habent quid simile ad intensionem et remissionem, ad quam similitudinem enim Thomas rarefactionem intensionem vocat 1. 2 *q.* 24. *a.* 5. Tamen, propriè et absolutè rarefactio et condensatio, intensio et remissio non sunt. Nam intendi et remitti nihil aliud est, quàm admittere plures vel pauciores eiusdem formæ partes, in eadem parte subiecti, ut sumi solet, ex 1. *de gener.* & 8. *Metaph.* In rarefactione autem vel condensatione non admittuntur aliæ partes quantitatis intra eandem partem, sed priores termini quantitatis extenduntur vel contrahuntur. Simile quid est, citra intensionem, etiam in qualitatibus: veluti cùm calor vitalis ad maiores vel minores se extendit, prout partes aliquæ adnascuntur vel demuntur, sive amputantur.

QVÆ-

QUÆSTIO II.

An adjunctum proprium possit separari à suo subjecto?

63. PORphyr. *in Isagog. c. 17. §. 2.* ait: Κοινὸν ἴδιόν τε καὶ ἀχώριστον συμβεβηκός τὸ ἀνὰ αὐτὸ μὲν ἐστὶν ἐκεῖνα, ἐφ' ὧν θεωρεῖται h. e. *commune est proprio et accidenti inseparabili; sine ipsis non subsistere ea, in quibus spectantur.* Ergo ad mentem Porphyrii, neque proprium est extra essentiam subjecti, neque essentia est denudata à suo proprio, quanquam hoc posterius inprimis intenditur.

64. *Observationes, quoad proprium separationem.* Cæterùm, ad hanc rem, triplex est necessariò cautio. Igitur 1. Separatio duplex est. Alia est *mentalis*, quæ aliàs dici solet abstractio. Alia v. est *realis* & significat à parte rei, unius ab alio absentiam realem. Ubi de separatione mentali hic sermo non est. Indubium enim est, quod considerat.one mentis apprehendatur essentia subjecti, dimissis proprietatibus: veluti clarè apparet, definiendo ipsas. Ibi enim concipiuntur essentiæ dimissis conceptibus proprietatum. Sic Scal. *Exerc. 5. §. 6.* ait, propria, quia non includuntur in definitione, abesse posse à definito in definitione. Vide & Zabarell. *l. 1. de prim. mat. c. 12. p. 163. & l. 2. c. 5. p. 188.* Et cùm accidens à Porphyrio, *in Isag. c. 5. §. 2.* dicitur separabile, nihilominus ab eodem dicitur, separabile τῇ ἐπινοίᾳ, hoc est, cogitatione & intellectione mentis.

65. *Actus proprios abesse posse,* Nunc igitur loquendo de reali separatione, 2. Observandum est, quod aliud sint actus proprii, & aliud potentia. Vbi iterum certum est: actus proprios & naturales posse abesse, veluti ab homine risionem, à cane latratum, & sic in aliis. Atque hoc diligenter observandum est, contra Calvinianos, qui negant corpus Christi posse esse, ubi non palpetur & videatur. Nam illi *actus* solùm sunt proprietatum naturalium, quos abesse posse constat, & ipsa Scriptura docet, corpus Christi aliquando fuit ἄφαντον, hoc est, inconspectum & non visum. De istis autem naturalibus actibus nunc quæstio non est. Illi enim habent rationem effectuum, non adjunctorum, de quibus est præsens quæstio.

66. Denique observandum est: quòd aliud sit loqui, de eo quod fieri potest secundùm ordinem naturæ, & quod potest fieri divinitus, & per absolutam dei potentiam.

67. *Divinâ potentiâ posse adunctum separari.* Atque ad hanc rem nunc duo dico. Primò: *Dei potentiâ, quodvis adiunctum proprium, habens realem distinctionem à subiecto posse à subiecto separari.* Disertè loquor de attributis realiter distinctis à subjecto. Sunt enim aliqua, quæ talem distinctionem non habent, veluti sunt affectiones Entis, quæ consequenter ab Ente ne divinâ quidem potentiâ tolli possunt, quia secus essent realiter distinctæ. Quæcunque autem realiter separantur, ea itidem realiter distincta sunt.

68. De realiter autem distinctis patet, quia cùm Deus sit agens libertinum, potest Deus influxum conservativum præbere ad essentiam subjecti, non concurrere tamen ad illam naturalem dimanationem, per quam adjuncta propria sunt à suis subiectis. Ergo vi divinæ conservationis, eo in casu, manebit essentia subiecti. Desinet autem in eo naturalis proprietas, propter istius conservationis defectum. Idem docet etiam Fonseca, *lib. 5. Metaph. c. 5. q. 1. s. 5.* & Suarez. *disp. 9. Met. s. 3. num. 22.* Eademque multis docentur ab Heizone Buscherò *in exercitationibus Logicis.*

69. *Goclenius,* Goclenius contra illam assertionem pluribus agit, *in Appendice ad problemata Log. p. 40. seqq.* non tamen inuenio tam argumenta, quibus sententiam suam probet, quàm declarationem ferè solùm sententiæ suæ. Et (quæ vis veritatis est) non sibi constat ibi. Ait enim *p. 45. Non dico,* inquit, *simpliciter impossibile esse Deo, salvo igni ab eo tollere calorem.* De hoc enim quæstio est, quam disputat Buscherus: An simpliciter Deo impossibilis sit illa proprietatum separatio. Neque ad

rem

rem facit ullo modo, quod ibi subjungit: *Dico impossibile solùm ex hypothesi, propter constantem & immutabilem decretum voluntatis & ordinis ejus veritatem.* Aliud enim est loqui de Dei voluntate, & aliud de potentia Dei. Et quæ secundùm vulgarem ordinem non *vult* Deus fieri, quomodo statim negabuntur etiam à Deo fieri *posse*. Potentia enim Dei latior est, quàm volitio, hactenus, ut suo loco disputabo: Miror autem quomodo istiusmodi limitatoribus potentiæ divinæ, non aliquando subeat in memoriam, quod clarè Scriptura ait; *Posse Deum plus agere, quàm nos intelligere possimus.* Fortassè, cùm mens tua non possit intelligere, quod illud possit Deus, est hoc ipsum ex iis reservatis, quæ Deus potest, neque tamen intelligi possunt possibilia esse.

Secundò: *Adjuncta propria per naturam à subjectis suis separari non possunt.* Hoc enim efficiunt illa, quæ vulgò apud Philosophos habentur, quod propria subjectis suis semper conveniant, ut in priori puncto, ad tertiam conditionem, inductum est. 70. *Adjuncta propria non possunt separari per naturam.*

Id frequenter hîc *objici* solet, quod qualitates Elementares sint adjuncta propria Elementorum & tamen ea à subjectis tollantur. Veluti calor ab aëre, humiditas ab aqua, & sic in aliis.

Respondeo, de aqua, cùm ab ea tollitur humiditas, tùm etiam non manet essentia ejus salva. In quo casu adjuncta sunt à subjectis inseparabilia, Cùm enim humiditas ab aqua tollitur, fit glacies, quæ est quid mixtum. 71. *Objectio de qualitatibus Elementaribus.*

Sed de aqua videtur res esse gravior, à qua manente, videtur frigiditas auferri. Hanc igitur ad rem duplex solet esse responsio. Prima est Conimbricensium, quos vide *in Porphyr. cap. 4. q. 1. art. 2. in fine, & lib. de interp. c. 8. q. 1. a. 1. p. 180.* 72.

Illi igitur ajunt, eas Elementorum qualitates posse vel spectari secundùm convenientiam ad subjecta, vel secundùm inexistentiam in illis, hanc autem tolli quidem aliquando à subjectis: Semper tamen remanere convenientiam, seu de facto habeant illas qualitates seu non. Juxta hanc sententiam porro dicendum est, quod accidentia propria solùm sint inseparabilia, loquendo de convenientia eorum ad subjectum.

Aliàs tamen & fortassè melius videtur, quod proprietates Elementorum nunquam separentur ab illis, quamdiu salva manet eorum essentia, loquendo de ordine naturæ. Unde porro dicendum est, ab aqua nunquam auferri omne frigus, quod non est intelligendum sic, quasi in peculiaribus quibusdam particulis aquæ lateat frigus aliis partibus calefactis, sed quod aqua nunquam accipiat summum gradum caloris, ut sic amittat omne frigus. Quamdiu enim in aqua non est summus calor, tamdiu habet adhuc aliquid frigoris. Caloris enim remissio non est, nisi per admistionem frigoris. Quod autem aqua nunquam habeat calorem summum, quatenus scilicet ex parte caloris possibile est, id inde apparet, quia sic aqua ignireturet. Nam posito summo calore, satis sufficiens est dispositio, ut adsit forma ignis. Ergo cum summo calore quatenus scilicet ejus gradus ex parte caloris possibilis est, non potest salva manere essentia aquæ. Ergo nunquam amittat omnis caloris gradus, etsi valdè minuatur quandoque.

QVÆSTIO III.

An adjuncta Propria possint communicari?

GOclenius passim in libris suis id negat. Cui assentiuntur cæteri Calviniani. Vide Keckermannum, *l. 1. Syst. Log. c. 21. & l. 2. Gymnas. Log. c. 7.* Timpler. *l. 3. Met. c. 8. q. 13.* Generalis illorum intentio est, hinc destruere communicationem Majestatis divinæ ad humanam naturam. 73.

In oppositum autem, cum ex scripturis constet, quod Majestas divina sit carni communicata, veluti clarum est de virtute vivifica, *ex Joh. 6.* de adoratione, *ex Phil. 2.* de omniscientia, *ex Coloss. 1. & 2.* de vi judicandi, *ex Joan. 5.* de omnipotentia, 74.

tentia, ex *Matth* 28. Hinc consequenter nostrates docent, proprio non repugnare ut communicetur. Prolixè hanc rem persequuntur Viri Clarissimi Dn. Schroderus *in peculiari libro de comm propr.* Fincsius *part.* 1. *Sched. Philos.* Meisnerus *in part.* 1. *Subt. Philos.* Joh. Regius *in exerc. Log. contra Fridrum Mindanum.* Victor *in præfer.* Buscherus *in exerc. Log.* Hesselbeinius *in Anti-Goclenianis.*

75. *Proprium generis est communicabile speciei.*

Cæterùm cùm isti autores satis prolixè istam materiam tractent, ego solùm in communi ostendam, quod naturæ proprii non repugnet, si communicetur, quod commodissimè fiet particularia exempla contra hanc rem inducendo. Hæc enim tollunt istas universales: *Proprium si communicetur non manet proprium. Nullum proprium potest communicari.* Et: *proprium quâ tale, est incommunicabile. Quod communicatur commune est, & desinit esse proprium; & si proprium communicetur, tollitur ratio primæ inter proprium & commune,* quæ & similes propositiones frequenter apud istos autores occurrunt. Dico igitur:

76. Primo: *Proprium generis est communicabile speciei.* Ergo quoddam proprium est communicabile. *Antecedens*, ut & consequentia est evidens. Atque hinc porro sequitur: quod falsum sit: nullum proprium esse communicabile; quod communicabile tas tollat proprietatem, quod propria non distinguant, si communicentur, & quod proprium & communium adiunctorum discrimen etiam per illorum communicationem, tollatur. Nam propria generis, ut dictum est, communicantur, & tamen nihil istorum consequitur.

77. *Reflexium exceptio.*

Dicent exemplum esse dissimile. Neque enim disputari, de communicatione proprietatum generalium ad species. *Sed* Respondeo exemplum eò solùm adduci, ut ostendatur, quid ferre possit natura proprii, qua tale est. Nempe genus revera habet proprietates. Et illæ revera communicantur, & tamen illa propria manent: propria, & sufficientiâ sunt ad dandam aliquam distinctionem. Ergo proprio, qua tale est non repugnat communicatio. Neque communicatio, in quantum talis est repugnat proprietati, ut adversaria loquuntur. Si enim id esset, nullum proprium posset communicari, & omnis communicatio tolleret proprietatem.

78. *Propria partium communicari tutis.*

Secundo: *proprium partis vere vi communicatur toti.* Ergo proprium aliquod est communicabile, & proinde falsa est, quæ illi contradicit. Nullum proprium est communicabile. *Antecedens* negatur à Timplero *l.* 3. *Met. c.* 3. *q.* 13. *Neque materia*, inquit, *suo materiato unquam forma suo formato, neque partes vel essentiales vel integrales toti composito assimilari*, &c. *suas proprietates, propter mutuam unionem communicant.* Ita ipse, quem nescio an quisquam alius sequatur. In contrarium autem, nostrum antecedens facilè confirmatur. Nam homo realiter est intelligens & volens, vel habens potentiam intelligendi & volendi. Et tamen istæ potentiæ sunt proprietates animæ, quæ est pars hominis. Ergo alicuius partis proprietas est communicabilis ad suum totum. Idem est de quantitate, quæ à materia sumitur, & prædicatur de materiato. *Alia* mitto. Eâ autem intentione nunc illud argumentum propono, ut ostendatur, generatim non repugnare proprio ut communicetur. Pertinentque huc omnia illa, quibus Patres dicunt proprietates naturarum communicari. per ἰδίωμα τῶν λόγων. Elegans locus est apud Ignat. *in Epist. ad Trallian. Deus*, inquit, revera *natus est verbum ex virgine, vestitus corpore obnoxio iisdem passionibus.* Verè *natus ex vulva, qui omnes in vulva fingit. Et corpus sibi fabricavit ex sanguinibus virginis, hoc solùm excepto, quod nulla viri conjunctio intercesserit. In utero gestatus est sicut & nos, certis mensium circulis, sicut & nos* &c.

79. *Partis unius proprium potest communicari parti alii.*

Tertio: *Proprium partis unius potest communicari ad partem aliam, per intervenientem eorum unionem.* Præsupponendum autem, ad huius rei ostensionem est, quod communicatio proprietatum eo in casu, non fiat per migrationem de subiecto, (communicante) in subiectum (ad quod fit communicatio) aut per informationem & inhærentiam, sed fit per usurpationem alicuius attributi. Veluti sic anima dicitur communicare corpori suas proprietates, non quasi eas in

corpus

corpus illud transfundat, sed quod corpus usurpet illa alimenta, quæ animæ conveniunt.

Igitur, quod ibi revera sit communicatio, patet quia inprimis potentiæ vitales sunt adjuncta propria animæ. Ita patet, quia ejus actus potentia, cujus et est operatio, ut Aristoteles ait, *lib. de Som. & vig. c. 1.* At operationes vitales sunt ab anima. Ita patet ex definitione animæ, quæ delinitur, quod sit principium quo vivimus, sentimus, movemur & intelligimus, ab Aristotele *lib. 2. de Anim. c. 4.* Ergo & animæ sunt illæ potentiæ. Jam quod illæ potentiæ communicentur corpori ad inde patet, quia à corpore illæ usurpantur, veluti ab oculo ad videndum, à lingua ad gustandum, & sic in aliis: At in illa usurpatione alieni proprii consistit formaliter ejus communicatio, unde eodem etiam argumento probatur colorem ab igne communicari ferro ignito: Ferrum enim usurpat illum calorem, ad urendum, qui est in igne ejus naturalis proprietas. Sic elegánter ad hanc rem ait Basilius ὡς τῷ ἀγίῳ τὸ χρίεσθαι γέννησιν ποιεῖται τέλειον ἐκ σαρκὸς ἀποτέκοις, ὡς τὸ πῦρ ἐκ σιδήρου, ἐ μεταβαπτὸς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς· ἐ γὰρ ἐκ τρέχει τὸ πῦρ πρὸς τὸν σίδηρον, μένον ἐν ἑαυτῷ, μεταδίδωσιν αὐτῷ τῆς ἰδίας δυνάμεως, ὅσον ἐστὶ ἐλατὸν τὸ μεταδοθὲν, καὶ ὅλον πληροῖ ἑαυτῷ τὸ μετέχον. h. e. *Quomodo Deitas est in carne? sicut ignis in ferro, non transitivè sed communicativè. Non enim excurrit ignis in ferrum, sed manens in suo loco, communicat ipsi suam propriam facultatem, nec communicationis illa fit minor, sed seipso, illud totum replet, quod particeps est ignis.*

Proponuntur & solvuntur objectiones.

VAria argumenta hîc objici solent. Keckermannus autem istam rem curiosiùs, quàm alii tractavit. Ejus igitur argumenta resumam, prout ab eo proposita sunt *l. 2. Gener. Log. c. 7. p. 127.* 81

Ratio 1. illius hæc est; *Quorum essentia & definitio non est communis, illorum etiam propria non sunt communia. At subjectorum realiter distincto um essentia & definitio non est communis. Ergo etiam non sunt propria eadem.* Rationem consequentiæ in majore probat, quia essentia est causa proxima, è quâ necessariò ebullunt proprii, & ad quam unam & indivisam, tanquam aliquid ἀσώματες ejusmodi propria sunt determinata. 82

Respondeo: concedendo totum. Rerum, inquam, realiter distinctarum propria non possunt esse eadem. Neque ullo modo id officiet proprietatum communicationi, quia per communicationem istam, non sit aliquid rerum distinctarum proprium, sed est solùm proprium unius, illius scilicet, cui primò convenit. Alterius igitur non est proprium hoc ipso, quia ei primò non convenit. Neque enim, si ignis calidus sit, & mixtum sit calidum propterea ignis & mistum habebunt eadem propria. Manetque adeò semper vera regula, præcedente puncto posita: *Proprium unius, non potest esse proprium alterius.* 83

Ratio secundæ: *omne oppositum & diversum, includit in se oppositi & diversi negationem. At commune esse & proprium esse sunt opposita diversa. Ergo & proprium includit communitatis negationem.* 84

Respondeo: iterum admittendo totum. Neque id officit proprietatum communicationi (non magis, cùm est ad diversum & realiter distinctum subjectum, ac cùm est vel ad speciem à genere, vel à parte ad suum totum) quia proprium, quod communicatur, ex ea communicatione non fit commune, hoc ipso, quia ratio communicationis insinuat, quod id uni solùm primò conveniat, alii non. Ergo manet etiam illius solùm proprium, non autem fit vel istorum duorum proprium vel eorundem commune accidens. Illud quidem, quia proprium non est proprium, nisi ubi primò reperitur. Ergò ibi solùm significat affectionem essentialem. Non etiam ut usquequaque est idem commune quia κοινὸν est ταυτότης ὑπάρξεως, ut definivit ex Galeno Scaliger *l. 1. de stant. p. 105. communitas est identitas in plurib.* Unde adjunctum commune dicitur non respectu eorum, quorum uni conve-

nit primò, alii per participationem, sed in quorum utroque æqualiter reperitur. Atque ita etiam profyllegismus Keckermanni, quem ad hanc rationem addit, habet vitiosam & falsam assumptionem. Nullum proprium, (inquit) est commune. Quoddam proprium est commune: Ergo quoddam proprium non est proprium.

85 Ratio tertia: *Quod tollit discrimen inter accidens proprium & commune, id pro absurdo habetur. At communicatio propriorum tollit hoc discrimen. Ergo.* Major probatur: *Quia omnes Philosophi ex Aristotele docent commune & proprium differre præcipuè ratione inhæsionis dum proprium inhæret suo subiecto specifico & determinato: Et ut Scotus super prædicabilia loquitur, exquisit patronum & Dominum tantum unum: accidens autem commune (ut idem loquitur) propter sui capitis fluxibilitatem, est indeterminatum ad plura diversa subiecta.* Hæc ille.

86 *Respondeo:* Discrimen, proprii adjuncti & communis quod sumitur ex unitate vel pluralitate subjecti, satis constans est, nec tollitur per proprii communicationem. Nam illa subjecti pluralitas attenditur, non quomodolibet multiplicando subjecta, sed solùm sic, quod unum debeat esse subjectum proprii, primum scilicet, seu cui primò conveniat. Aliàs enim ignis proprietas etiam non esset calor, quia loquendo de subjectorum pluralitate quomodolibet, quod est proprium unius, aliter potest pluribus convenire. Secus inquam calor non posset esse proprietas ignis, quia calor, præter ignem, etiam aliis rebus convenit. Cæterùm communicatio proprii, nondum multiplicat primum subjectum suum. Ergo hactenus in ea nihil est, quod pugnet contra eam proprii ab adjuncto communi distinctionem, quæ inest ea sumitur ex subjecti unitate vel pluralitate.

87 Ratio quarta: *Propria sunt causæ distinctionum. Ergo non sunt communia diversis subjectis. Quod enim est causa discrepantiæ, id non est causa convenientiæ, respectu eiusdem. Quod autem accidentia propria secundùm rei essentiam & formam præcipuè à re discernant, perspicuè docet Aristot. l. 1. de anim. c. 1. Et Porph. c. 4. s. 3. ubi dicit διαφορὰν ἰδίως distinctam etiam sumi à propriis accidentibus.*

88. *Respondeo:* admittendo, quòd propria dent aliquam distinctionem, nego consequentiam in argumento. Nam in ratione caloris utique distinguitur etiam ignis (quippe qui ejus proprietas est) à rebus mixtis & tamen mixta etiam habent calorem, quia isti convenit calor primò, huic secundariò. Ad hunc modum etiam Patres distinguunt, quoad divinas proprietates, divinam Christi naturam ab humana, quia illa ἰδιώματα conveniant Deo per naturam, huic κεχαριτωμένως (ut Scriptura loquitur *Phil.* 2.) & per gratiam. Sic Vigil. ait *l. 5. contra Eutych. secundum carnis naturam, illam (potestatem cæli & terræ) adeptus est, qui secundùm naturam verbi nihil horum erat aliquando.* Sic Cyr. *l. 4. in Joan. c. 24. Natura carnis,* inquit, *per se vivificare non potest, nec sola in Christo esse intelligitur, sed habet filium Dei conjunctum, qui substantialiter vita est. Quando igitur Christus carnem suam vivificam appellat, non ita illi ut sibi, sive proprio spiritui vim vivificandi attribuit.* Vide ad hanc rem plurima, *in l. Concord. in Append. de Catalog. Testimon. & c. 5.*

89. Denique adducit Keckermannus argumenta inartificialia, ut vocat, ubi *primo,* inquit, *adduci possunt autoritates Theologorum, ut Theodoreti Dialog. 3. Vigil. lib. 5. contra Eutychet. c. 2. & seqq. & ipsius Lutheri in l. de Concil. qui omnes uno ore statuunt, subiatis proprietatibus confundi naturas. Accedit autoritas Philosophica Aristotelis, Porphyrii & omnium fautorum eius interpretum, ex quibus ne quidem unum hactenus produceve potuerunt adversarii, qui vel levissimâ specie propriorum communicationem probaret. In primis autem est manifestum dictum Aristotelis 1. Topic. cap. 5. ubi,* inquit, ἁπλῶς ἴδιον λέγει τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλῳ ὑπάρχειν. Hæc ille.

90 *Respondeo* 1. argumenta quæ à testimoniis humanis petuntur ex suo genere non satis firma sunt. 2. Si maximè aiunt Patres; *subiatis propriis confundi naturas* non tamen

tamen inde negant communicationem idiomatum. Communicatio enim illa non infert ablationem propriorum, ut clarissimè patet ex propositis exemplis. 3. Quomodo non sit proprium, quod est ἐνδεχόμενον ἄλλοις ὑπάρχειν, ad mentem Aristotelis antea expositum est, in responsione ad tertiam rationem. *Denique* admodum gloriosa est instantia pro communicatione nullum Autorem afferri, adeò vacè, ut contrarium verum sit: nullum Autorem contra eam afferri posse, ad eum modum, quo dicitur ea, à nobis fieri, nempe ut, quod proprium est unius, dicatur alii competere secundariò. Communicationis possibilitatem igitur confirmant omnes qui aiunt: *quod unis per se convenit, posse aliis secundario conuenire.* quorum testimonia relata sunt præcedente puncto, ad sextam conditionem. Paulò ante etiam dictum Basilii allegatum est, de communicatione proprietatum ferri. Nec excidit fidne dubio, quod modò de communicatione divinæ Majestatis, ex patribus retuli ad rationem quartam.

QUÆSTIO IV.

An communicato uno adiuncto Proprio, statim communicentur & alia:

CAlviniani id affirmant, indéque cùm demonstrent in particulari, aliqua non communicari, inferunt, nulla communicari. Probant autem, quia adjuncta propria sint connexa cum essentia. Ergo non communicari possunt non communicatâ essentiâ. Rursus *æqualiter* sunt connexa cum essentia. Ergo unum non potest communicari, dimisso altero. Sed ratio firma non est, ut postea videbitur.

91. *Uno communicato non necessario omnia communicantur.*

Inprimis autem clarè patet: *uno communicato non necessario alia communicari.* Ita manifestum est 1. in communicatione, quæ est à parte ad totum. Anima enim communicat composito potentiam intelligendi. Et tamen non communicat ei invisibilitatem, incorporeitatem, immortalitatem. Dicimus, inquam, hominem aliunde intelligentem & volentem (verba illa de potentiis intelligendo) non autem invisibilem, incorporeum, immortalem. Et in persona τῷ λόγῳ ad eam communicantur proprietates aliquæ humanæ naturæ; ut Deus dicitur natus ex virgine, passus, crucifixus, &c. Vide de differentia horum. Thomam 3. *p. quæst.* 16. *a.* 8.

92. Et ex his, per instantiam, respondeti potest, argumento proposito pro parte affirmante. Nam anima non minus habet sibi connexam invisibilitatem ac potentiam intelligendi. Et tamen hac communicatâ, illam non communicat. Apparet etiam hinc communicationem proprii unius quâ talis est, non efficere communicationem proprii alterius, quia si sic tum id semper esset. At jam ostensum est, in propositis exemplis, id semper non esse.

93. Atque hujus rei indicium 2. est etiam, in communicatione effectiva, quam vocant. Ignis enim æquæ communicat calorem. At non communicat ei siccitatem vel levitatem.

94. Atque ita tandem apparet, contra naturam proprii nihil dici, si dicatur ignis ferro communicare calorem, non autem levitatem: Si dicatur anima corpori communicare potentias vitales & animales, non autem invisibilitatem. Si dicatur divina natura, carni communicare omnipotentiam, vim vivificam, potentiam judicandi, &c. non autem infinitatem, vel æternitatem, vel independentiam, & sic in aliis.

PUNCTUM IV.

De Adjuncto communi.

95. *Duæ conditiones adjuncti communis.*

Quid proprium sit hactenus declaratum est: nunc agendum est de adjuncto communi, cuius natura ex dictis intelligitur. Sunt autem inprimis duæ adjuncti communis conditiones. *Prima* est pluribus convenire. *Deinde* æqualiter convenire, non quidem prout æqualitas identitatem gradûs significat, sed, quod adjunctum commune debeat istis pluribus subjectis suis non competere cum hac differentia, ut alteri eorum primò, alteri secundariò conveniat. Pertinétque huc quod Galenus communitatem esse ait ταυτότητα, hoc est, identitátem in pluribus. Vide Scalig. *Ex. de plant. p.* 105.

96. *Accidens an idem sit quod adjunctum commune?*

Aliqui adjunctum commune vocant *accidens*, quia hoc (accidens) in prædicabilibus proprio opponitur. Sed identitas in istis absoluta non est. Nam accidens illud est Porphyrio, quod abesse & adesse potest citra subjecti corruptionem. At dantur multa adjuncta communia, quæ non possunt abesse à subjecto, citra ejus corruptionem ad eum modum id intelligendo, quo id dicitur de adjunctis propriis, veluti est de geneticis proprietatibus quæ in speciebus sunt. Neque enim minus separabilis est ab homine visiva potentia, aut motiva, ac ab animali simpliciter. Ea igitur adjuncta communia specierum, quæ ex genere sumuntur, accidentia dici non possunt. Proinde in universum non æquipollent adjunctum commune & accidens prædicabile. Etsi hoc diffitendum non sit, quòd quicquid est accidens prædicabile, sit adjunctum commune.

ARTICULUS II.

De divisione subjecti in subjectum informationis & denominationis.

97. Subjectum denominationis alio nomine vocatur *subjectum Quod*: Subjectum informationis autem vocatur *subjectum Quo*. Vnde ex distinctione principii, in principium *Quod* & *Quo*, propter terminorum identitatem, hæc distinctio intelligi potest. Sicut igitur principium *Quod*, est, in respectu ad operationem, ipsum suppositum vel compositum, ex *principium Quo* est pars suppositi, secundùm quam operatur. Ita etiam, *subjectum Quod* in respectu ad affectiones, est ipsum compositum vel suppositum; *Subjectum* autem *Quo*, est pars suppositi, secundùm quam ei convenit aliqua affectio. Ita subjectum *Quod* doctrinæ est homo, subjectum autem *Quo*, doctrinæ, est anima.

98. *Cur subjectum quod dicatur subjectum denominationis?*

Porro subjectum Quod vocatur subjectum denominationis, quia suppositum est fundamentalis ratio omnium quæ sunt in eo. Indéque sicut ipsum per excellentiam dicitur agere, ut maximè radicaliter provenient actiones à forma: Ita etiam ipsum per excellentiam q. denominatur ab adjunctis, etsi partes quandoque proprietates in se suscipiant, & proinde ab iis informentur: quo intuitu etiam subjectum quo, subjectum *informationis* dicitur.

99. *Subjectum originis quatenus sit subjectum?*

Eiusdem sensus etiam est vulgata illa divisio, *in subjectum recipiens* et subjectum *originis*. Super subjectum originis intelligamus id, quod ita suscipit aliquod attributum, ut deinceps causa sit, ab eóque sumatur origo, ut ab eo denominetur compositum. Atque tum subjectum originis est nihil aliud, quàm *subjectum Quo*. Sin verò per *subjectum originis* intelligatur ipsum id, quod in compósito tale est, ut ab eo oriatur aliquod attributum, etsi illud in se non recipiat, tum illud subjectum originis æquivocè dicitur *subjectum*, quia ratio subjecti non consistit in tali origine, sed ratio causæ, ut bene observat Zabarella *lib. de nat. scient. constit. cap.* 39.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De divisione subjecti & adjuncti per separabile & inseparabile.

ADjuncta alia à subjectis separari, alia non, Experientia docet. Hinc igitur Porphyrius *in Isagog. c. 5.* accidens divisit per separabile & inseparabile. Sed tamen sub illa distinctione etiam intelligi potest adjunctum proprium. & proinde adjunctum in commune ut in summa, omne adjunctum, sit vel separabile vel inseparabile. 100.

Distinctio autem illa, solùm procedit, quod actualem separationem & absentiam adjunctorum à subjectis. Ergo *separabilia* illa dicuntur adjuncta, quæ vel de facto absunt, vel saltem ex genere suo, & per suam naturam abesse possunt à suis subjectis: seu quæ talia sunt, ut non necessariò possint entia à suis subjectis, ut sibi conveniant. *Inseparabilia* igitur accidentia sunt, quæ subjectis suis sunt necessaria, ab illisque juxta exigentiam naturæ illorum, postulantur ut eis insint: Atque adeo ab iis non absint, nisi vel per speciale Dei actionem, vel aliequin satis raro.

Atque hinc consequenter infero, quod, dimittendo talem separationem accidentium, quæ nunc sunt inseparabilia, possint esse separabilia, separatione mentis seu τῷ ἐπινοητικῷ, ut & Porphyrius docet, *d. l.* Atque hæc separatio mentis non est intelligenda solùm, de separatione *præcisiva*, quâ apprehendatur v. g. corvus, non apprehensâ nigredine: sed etiam separatione *negativâ*, quâ mens nostra imaginetur sibi corvum non nigrum, sed album vel alterius coloris, quod à fortiori inde sequitur, quia, ut jam dicam, accidentia quæ nunc sunt inseparabilia, de facto per divinam potentiam abesse possunt à suis subjectis. Cur igitur mens non possit de facto apprehendere eas res ut carentes talibus adjunctis. Dissentit hac in parte Zabarella, *1. sol. ad t. 82.* qui præcisivam solùm mentis abstractionem, vel separationem admittit, negativam autem nequaquam. 101. *Quomodo accidentia inseparabilia possint separari?*

Tertio etiam adjuncta illa inseparabilia, sunt separabilia, reali separatione à suis subjectis, per divinam potentiam. Cùm enim Deus liberum præstet influxum, ad rerum conservationem fieri potest, ut intuitu in subjectum, suspendat autem influxum in accidens illius. Inde ergo fiet, ut subjectum persistat, intereunte accidente, quia de re suprà fuit, *Præced. art. 1. p. 3. q. 2.* Idemque etiam aliquando in natura fit, quanquam raro. Sic nigredo est adjunctum inseparabile corvi, ut Porphyr. docet *dicti c. 5.* & tamen dantur quandoque corvi albi, ut ex Arist. *l. 5. de gener. animal.* docet Scaliger, *Exerc. 59 s. 1.* ubi & perdices albos & lepores ex Allebrogum Alpibus se efficalle & niverem candore splendidissimo habuisse, similémque passerem & hirundinem se vidisse, scribit idem Scaliger: qui colores aliquin istis animalibus competentes, censentur inter adjuncta inseparabilia. 102.

ARTICULUS. VI.

De divisione subjecti in subjectum inhæsionis, adhæsionis, & occupans.

QUoad hanc distinctionem *primo* explicandus est sensus illius divisionis; *Tùm* inquirendum est: An objectum rectè connumeretur subjectis? *Denique* aliquæ objectorum divisiones explicandæ sunt. 103.

PUNCTUM I.

In quo explicatur sensus propositæ divisionis.

IN proposita illa πεπγοτόμῳ divisione, primò nominatur *subjectum inhæsionis*, potest autem id bifariam sumi. Atque primo inhæsio quandoque significat 104. *Quid sub-*

omnem

iectum inhæsionis.

omnem modum, quo quid accidentaliter afficit aliud, h. e. quicquid in universum non est substantia sed accidens. Ita enim dici solet accidentis esse, esse *inesse*. Quo modo loquendi omne subjectum est subiectum inhæsionis, quia quicquid refertur ad aliud ut subiectum, id subiectum afficit extraessentialiter. Unde iuxta hunc modum loquendi, nunc non potest sumi subiectum inhæsionis. Nam subiectum inhæsionis, tanquam aliis contradistinctum, nunc est inadæquatum ad rationem subiecti in communi. Aliter subiectum inhæsionis, solet æquipollenter dici ad subiectum informationis, sive subiectum Quo. Estque sic subjectum inhæsionis, quod cum sit pars suppositi vel compositi, informatur ab aliquo attributo: Hoc sensu, anima est subiectum inhæsionis, respectu suæ doctrinæ, non autem homo, quippe qui est subiectum denominationis, cui nunc subiectum inhæsionis opponitur & contradistinguitur. Undeaterum apparet, iuxta hunc sensum non posse nunc sumi subiectum inhæsionis. Nam subiectum denominationis quod vocant, non afficitur tantum à suo adiuncto, adhærendo vel occupando, sed multa etiam sunt, quæ in talibus subiectis inhærent. Ideòque iuxta præsentem significationem, quod subiectum denominationis est, potest esse etiam subiectum inhæsionis, veluti est homo respectu sanctitatis, temperantiæ & adiunctorum similium. Ergo *nunc* tandem inhæsio significat illam informationem, qua aliquod adiunctum suum subiectum afficit ab intra seu per introreceptionem in subiectum. Atque tum opponitur subiecto adhæsionis. Quid ergo nunc sit subiectum inhæsionis, hactenus patet.

105. *Subiectum adhæsionis.*

Ex eo in oppositum liquet, quid sit *subjectum adhæsionis*. Adhærentia igitur adiuncta sunt in universum illa omnia, quæ non introsuscipiuntur in subiectum, sed quæ eidem exterius coniunguntur. Sic igitur adiuncta adhærentia sunt, cum hominem armatum, vel palliatum, cùm poculum inauratum, vel argento obductum, dicimus: item, cum aliquem divitem vel oneratum dicimus, & quæ sunt id genus alia.

106. *Obiectum.*

Tandem *subiectum occupans* (alio nomine *obiectum* & *materia circa quam* dicitur) est, quod alterius actionem occupat vel terminat. Sic subiectum visus est color, in quo visus occupatur, obiectum auditus sunt soni. Obiectum Medici, est corpus sanabile: obiectum Physici, est corpus naturale, & sic in aliis. De hoc subiecti genere aliqua porro constituenda sunt.

PUNCTUM. II.

An obiectum referatur, rectè inter subiecta?

107. *Ratio dubitandi.*

VIdentur obiecta potius causæ esse, quàm subiecta, quia ipsorum officium est, movere aliud ad actum. Sic sensitiva potentia, hoc respectu dicitur passiva quia admittit actionem obiecti in se; Et Aristoteles docet ab obiectis mutari & alterari istas potentias *l. 2. de anim. cap. 4.*

108. *Obiectum quâ tale est non debet movere.*

Respondeo: ad rationem obiecti, ut sic & in ea generalitate, per accidens esse, ut moveat & exuscitet potentiam ad agendum: Id enim solum est, de obiectis potentiarum. Hoc igitur officium obiectorum est in communi, quòd debeant *terminare* actionem eorum, quæ in istis obiectis occupantur. In ratione autem terminandi, non consistit causalitas, ut suprà consistit in doctrina de fine. Obiectum igitur, qua tale, quia terminat solum, non habet rationem causæ. Atque ita relinquitur hìc præcisè respectus subiecti. Neque v. g. apparet, quomodo corpus naturale, quod est obiectum Physicæ, moveat Physicum. Et sic est in disciplinis aliis.

109. *Respondetur superiori dubitationi.*

Atque ex hoc porro sequitur, quod cum obiecta potentiarum moveant illas, indéque respectu earum exerceant causalitatem, quod hoc non faciant ex communi officio obiecti, sed ex peculiari causa, quia scilicet *talia* obiecta sunt. Hæc igitur obiecta potentiarum, habent rationem causæ, in quantum potentias

movent

movent ad actus suos. Habent autem rationem subjecti, in quantum actiones illas terminant,, in quia terminatione, ut dictum est, nulla est causalitas, ad rationem autem objecti satis est.

PUNCTUM. III.

De divisionibus objectorum.

110. TRes divisiones objectorum, in Theorematibus propositæ, pro conclusione hujus capitis, porro illustrandæ sunt, *prima* est, in adæquatum & inadæquatum: *Altera* in subjectum perfectionis & adæquationis. *Ultima* in objectum per se & per accidens.

111. *Quid sit objectum adæquatū et inadæquatum?* Quod ad *Primam* divisionem attinet, potest illa intelligi, ex distinctione finis, in inadæquatum & adæquatum propter identitatem terminorum. Ergo sic *inadæquatū objectum* est, quod vel excedit, vel exceditur ab adjuncto occupato, quod est, si vel sit communius, vel sit partiale. Sic objectum inadæquatum visus est quantitas. Nam ex se communius est, cùm possint etiam alii sensus velut tactus, occupari in quantitate. Aliter visus objectum inadæquatum est lux, quia id solum est partiale, cùm præter lucem possit visus occupari in colore.

112. In oppositum igitur id *subiectum adæquatum* erit, quod nec est latius adjuncto occupato, nec angustius, hoc est, quod nec est commune, nec partiale.

113. Ex hac distinctione intelligi potest distinctio altera, quâ subjectum erat vel subjectum adæquationis vel perfectionis, *Obiectum* enim *perfectionale*, quod vocant, est species quædam subjecti adæquati. Unde ad objectum adæquationis hic præter ea, quæ modò dicta sunt, nihil addi oportet.

114. *Obiectum perfectionis.* *Obiectum perfectionis* solet ex duobus denominari. *Primo* igitur subjectum perfectionis dici potest, quod est perfectissima vel nobilissima pars objecti totalis & sic adæquati. Sic Deus est in Metaphysicis objectum perfectionis. Nihil enim nobilius & perfectius in Metaphysica tractatur, quàm sit Deus. Sic & cœlum solet vocari perfectionis objectum in Physicis, quia inter corpora naturalia ipsum sit res nobilissima, ut Arist. appellat *lib. 1 de part. animal. c. 5. & lib. 2. de cælo cap. 2. t. 6.* Sic etiam objectum perfectionis Logicæ est Ens reale, quia id nobilissimum est in objecto cujus totalis, quæ aliàs extenditur ad omne, quod quoquo modo est intelligibile, seu sit Ens reale, seu Ens rationis. Aliter autem subjectum perfectionis dici potest, non intelligendo perfectionem ex parte objecti, sed ex parte modi sciendi. Ergo sic subjectum perfectionis erit quod perfectissimo & maximè scientifico modo tractat aliqua scientia, v. g. sed tamen prior sensus vulgatior est.

115. *In disciplinis quid sit obiectum adæquatū?* Alibi docco, quod ad rationem subjecti adæquati duo pertineant loquendo de objectis disciplinarum. 1. ut omnia sub subjecto contenta in disciplina doceantur, & nihil in disciplina doceatur de quo illud subjectum non prædicetur in recto vel obliquo. Et 2. ut nihil aliò modo in scientia doceatur, quam cùm respectu ad subjectum. Arq; ita homo beandus, etsi sit homo, & proinde etiam corpus naturale, tamen subjectum Physicæ non extenditur ad hominem ut beandus est, quia sub ratione *beandi* homo non cognoscitur speculativè sed practicè. Concluditurq; ex iisdem conditionibus etiam modum differendi non esse objectum Logicæ, ut persequor *in Introd. Log. c. 1. n. 80 segq.*

116. *De obiecto per se & per accidens.* Ultima distinctio objecti erat in objectum per se & per accidens. Sic Aristot. *l. 2. de anim. c. 6. t. 62.* sensilia dividit in sensilia per se & per accidens. Sic visus per se cognoscit colorem, per accidens cognoscit Petrum, quia non fertur ad eum, sub ratione Petri, sed solùm sub ratione coloris. In communi autem *obiectum per se* dicitur, illud ad quod res aliqua terminatur vel ordinatur primariò & ex natura sua. Per accidens autem objectum alicujus est, in quo aliquid eventualiter, vel per directionem ad aliud, vel per exercitantiam aliquam, vel etiam secundariò occupatur. Ita intellectus per se occupatur in Ente reali, per accidens in ente rationis. Voluntas per se occupatur in bono, per accidens, & per errorem judicii, occupatur

in malo. Sic & dicti solet potentias appetitivas per se versari in prosequendo & acquirendo, per accidens autem in fugiendo, & sic in aliis.

CAPVT XXIV.

De Signo & Signato.

1. TErtia classis Entiũ respectivorũ continet Signum et Signatũ.
2. Signum est quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat
3. Id quod repræsentatur, vocatur signatum.
4. Dividuntur signa varie. 1. *Signum est Naturale vel Arbitrarium.*
5. Signum naturale est, quod signat aliquid ex naturali connexione cum eo. Sic fumus est signum ignis.
6. Signum arbitrarium est, quod (non ex natura, sed) ex arbitrio vel ordinatione extrinseca signat. Sed hedera est signum venalis vini.
7. II. *Signum est rememorativum, demonstrativum, vel prognosticum.*
8. *Rememorativum* est, quod signat aliquod præteritum. *Demonstrativum* est, quod signat aliquid præsens. *Prognosticum* est, quod signat aliquid futurum.
9. III. *Signum est contingens vel necessarium.*
10. Signum necessarium (Græcis πανμήνιον) est, quod necessariò signat: contingens signum est, quod contingenter signat.
11. IV. *Signum est instrumentale, vel formale.*
12. Signum instrumentale est, quod prius cognitũ, inducit cognitionem alterius. Sic vestigium leporis in nive, cani est signum leporis.
13. Signum formale est, quod citra sui-cognitionem immediatè signat, sicut species leporis in oculo canis, cani est signum leporis.
14. V. *Signum est Practicum vel Theoricum.*
15. *Practicum est*, quod signando, aliquid per se efficit. *Theoricum* est, quod tantum signat, non autem aliquid per se efficit.
16. VI. Eodem fere sensu signum est σημαντικὸν vel μεταδοτικὸν.
17. Σημαντικὸν signum est, quod signat tantùm: μεταδοτικὸν verò signum est, quod signat, & id quod signat exhibet.
18. VII. *Signum est doctrinale, vel non doctrinale.*
19. Signum doctrinale est, quo utimur in modo docendi, quale signum est *conceptus, vox, & scriptum.* Signa Non-doctrinalia sunt, quæ secus sunt.
20. VIII. *Signum est aptitudinale, vel actuale.*
21. Signum aptitudinale est, quod potest signarè aliquid cognoscenti potentiæ.
22. Signum actuale est, quod actu aliquid signat.
23. IX. *Signum est proprium vel improprium.*
24. Signa propria sunt, quæ significant, & ad hoc instituta sunt ut significent. Talia sunt conceptus, species intelligibilis, & similia signa.
25. Signa impropria sunt, quæ signant quidẽ, tamen per se non sunt insti-

institutа (à natura vel aliunde, ut signent. Sic effecta sunt signa cau-
26 X. *Signum est suppositivum, vel manifestativum.* (sarum.

27 Signum suppositivum est, quod rem signat & pro ea supponit, in oratione, veluti sunt voces, in quantum signant res. Pro his enim in oratione supponunt.

28. Signum manifestativum tantùm est, quod tantùm signat rem, non autem pro ea supponit in oratione. Sic voces sunt respectu conceptuum.

29. XI. *Signũ est notificans* (sive nota) *vel cõmonefaciens, vel obsignans*

30. Notæ sunt signa indicantia rem, alias ignotam. Græcis dicuntur χαρακτηρα. Sic annulus flavus est signum Judæi.

31. Signa cõmonefacientia sunt, quæ rei cognitæ notitiã conservãt. Græcis dicuntur ὑπομνηματα. Sic Cœna est Μνημοσυνον Passionis Christi.

32. Signa obsignantia (Græcis τοκμηρια) sunt quæ certificant rem cognitam. Sic Circumcisio est signum Fœderis.

COMMENTARIUS.

In hoc capite tractandum Primò *est, quasi Proœmii loco: An doctrina signorum debeat esse Metaphysica?* Deinde *de voce signi:* Tertiò *de essentia & definitione signi. Tum* Quarto *de divisionibus signorum.*

PUNCTUM PRIMUM.

AN DOCTRINA SIGNORUM DEBEAT esse Metaphysica.

PRimò igitur videtur dubitari posse: *An doctrina signorum debeat esse Metaphysica?* Propterea, quia Metaphysicæ objectum sunt res. Signa autem non sunt Res. Sicut Aug. *l. 1. de doct. Christ. c. 2.* ait omnem doctrinam esse de rebus vel de signis. Vbi signa & res opponuntur. 1

Respondeo: signa omnino res esse. Nam vocabula in divisionibus Metaphysicis supponuntur pro istis, quæ suscipiunt tales denominationes. At utique res sunt veluti lapis, & alia quæ denominantur esse signa. Et amplius patet. Quia si signa res non essent (Transcendenter sumendo vocem rei) tum nihil essent, ut August. argumentatur *d. loco.* 2

Ad Obiectionem: primò posita, respondet recte Zabarella *lib. 1. de vis. 7.* Ex Scoto *in Sent.* Quando distinguimus rem à signo non propterea dicimus signum non esse rem, sic enim esset nihil, proinde signum appellari non posset. Sed cum rem à signo distinguimus, nihil aliud significare volumus, quàm aliquid esse rem tantùm & non signum, aliquid verò esse & rem & signum. Sic & Lombard. *1. d. 1. Litt. A,* ad istam oppositionem rerum & signorum ait: *Quæ hic appellantur signa, sunt res aliæ, videlicet, quæ ad significandum aliquid adhibentur. Omne tamen signum est aliqua res, quod enim nulla res est, omnino nihil est. Non tamen è diverso, omnis res signum est, quia non adhibetur ad significandum aliquid.* *Quomodo res distinguuntur à signo?*

Atq; hinc sumitur conclusio, quòd Metaphysicus debeat agere de signis, quia illius officium est persequi varios gradus & denominationes Entium. 4 *Probatur quòd Metaphysicus debeat de signis agere.*

Nunc porrò observandum est: Dari posse signorum considerari in actu signato, vel in actu exercito, cujus distinctionis sensum vide *dicta supra, cap. 14. num. 61.*

5. Ergo agere de signis, *in allu signato*, hoc est in quantum generaliter signatur & docetur, quid sit signum, ad solum Metaphysicum spectat: quia ratio signi, ut sic, transcendit omnes particulares scientias. Unde id ipsum est etiam de generalibus signorum divisionibus, in quibus, si quid in particulari occurrat, quod videatur egredi ex abstractione Metaphysica, tunc vel illud remittendum est ad speciales disciplinas, vel tantum est docendum per modum commentarii & ad illustranda alia genera signorum, quæ per se Metaphysicam spectant.

6. *Quoad actum exercitum* autem signorum doctrina ad varias disciplinas pertinet. Sic Theologi agunt de signis sacris, hoc est, de sacramentis: Item de signis sive Notis Ecclesiæ: de signis prognosticis extremi judicii. Physici agunt de signis pluviarum, terræ motuum, Cometarum, &c. De quibus vide Arist. *in Meteorol.* Dialectici agunt de signis universalitatis & particularitatis in propositione, & generaliùs de signis conceptuum, juxta Arist. *de Interp. c.* 1. Item de signis, ut sunt materia Enthymematum, apud Arist. 2. *prior. c.* 27. & 1. *Rhet. c.* 2. Medici agunt de signis valetudinis & morborum, qua de re integrum librum habet Averroes, ut meminit Zabarell. *l.* 2. *de Meth. c.* 12. Apud Hippocratem extat liber de signis morborum ex insomniis, quem I. C. Scaliger commentarius illustravit.

7. Etsi autem per hæc pateat: Metaphysicorum esse de signis agere, tamen non est dissentiendum: vetustiores Metaphysicos, de illis nihil, aut parum habere. Plurimum autem scribi de iis solet, à Philosophis *ad l. de Interp. c.* 1. & à Scholasticis Theologis ad Lomb. 1. *d.* 1. & 4. *d.* 1. & Th. 3. *p. q.* 60. Sed ad rem.

TITULUS II.

DE VOCE SIGNI.

8. *Quot modis sumatur vox signi.* VOX signi variis modis sumitur, quanquam in singulis videtur aliqua ratio signi ficandi insinuari. Astrologi, constellationes sive sidera cœli, vocant signa cœlestia, & imprimis ista, quæ sunt in Zodiaco, quem inde etiam vocant *signiferum*. Vulgò solet signum significare vexillum militare. In Scripturis frequenter significat aliquid prodigiosum & portentosum, veluti Matt. 24. *Actor.* 2. ubi tanquam Syntona conjunguntur signa & prodigia. Unde & pœnæ in quibus singulariter elucet divina severitas, dicuntur signa. Sæpe etiam signum rei sumitur pro ipsa re, veluti signum Circumcisionis *Rom.* 4. est idem quod Circumcisio. Ita signum filii Dei *Matth.* 24. (quod Pontificii plerique intelligunt de imagine crucis) est ipse filius Dei. Quomodo iidem Pontificii ipsam crucem, vocant *signum crucis*, ut signum crucis & crux idem sint per constructionem intransitivam, (ut loquitur Soncinas 6. *Metaph. q.* 18.) ut fatetur Bellarm. *l.* 2. *de Cult. Sanct. c.* 28. Sed de aliis significationibus vocis hujus, videtur Clarissimus Flacius *in Clav. Script. ad vocem Sign.*

9. *Definitiones signi apud Augustinum.* Id nobis peculiariter observandum est: cùm notitia nostra inprimis sit à sensibus, inde vocem signi primò impositam esse, ad significanda illa signa, quæ sunt sensilia. Et juxta hanc impositionem Augustinus definivit signum, *lib.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 1. *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud faciens ex se in cogitationem venire.* Et l. 1. de princ. Dial. c. 5 *signum est, quod se ipsum sensui & præter se aliquid animo repræsentat.*

10. Quia verò aliqua solùm intelligibilia, sunt analoga istis sensilibus signis, ideò hinc amplitata est vox signi, ad comprehendenda etiam ea, quæ nihil sensibus ingerunt, sicut sunt species & conceptus mentis, quæ sunt signa rerum, quarum essentias menti repræsentant. Atque hinc recentiores Dd. solent ampliorem dare signi definitionem, quam mox tradam.

TITU-

TITULUS III.

DE ESSENTIA ET DEFINITIONE signi.

DEfinitiones Augustini, prius retuli *nu.* 9. ubi etiam insinuatum est, eas non esse adæquatas, sed solùm competere signo, sumpto secundùm primam suam impositionem. Patetque id manifestè ex dictis *num.* 10. Nam dantur signa quæ solùm sunt intelligibilia, veluti sunt species & conceptus, quæ Aristoteli signa dicuntur, *de Interp. cap.* 1. At in Augustini definitione illa solùm dicuntur signa, quæ imprimunt aliquid sensui. 11.

Commodior igitur est definitio à nobis tradita, in qua *signum* definitur esse *id quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat.* Et hoc modo nunc ferè communiter solet definiri signum. 12. *Proponitur & explicatur definitio signi.*

Repræsentare hic idem est quod præsens facere. Præsentia autem ista, quam facit signum, non est respectu signati, sed respectu potentiæ cognoscentis, quæ ex cognitione signi, habet sibi præsens etiam ipsum signatum. Et hoc satis clarè insinuat posita definitio, in qua signum dicitur aliquid repræsentare *potentiæ cognoscenti.* 13.

Porro igitur notandum est: Omne signum involvere duplicem respectum, alius est ad signatum, alius est ad potentiam cognoscentem. Utrique insinuatur in definitione tradita: Signum est, quod *aliquid* (signatum) repræsentat *potentiæ* cognoscenti. 14. *Signum involvit duplicem respectum.*

Ut hæc rectiùs & plenius intelligantur, quatuor quæstiones sunt decidendæ 1. An utrique iste respectus (ad signatum scilicet & potentiam cognoscentem) includatur in essentia signi, & an æquè primò? 2. Qualis sit ille respectus, an sit vera relatio, an verò aptitudo quædam transcendens? 3. An ad rationem signi satis sit, posse repræsentare, an verò debeat actu repræsentare; quæ quæstio pertinet ad complementum eorum quæ ad vocem repræsentandi dicta sunt. Denique 4. Quæritur an signum & signatum semper debeant esse realiter distincta. Et per hanc quæstionem declarabitur vocula *aliquid*, quæ reliqua erat in definitione signi. 15

QUÆSTIO I.

An essentia signi implicet respectum ad signatum & potentiam cognoscentem? & quo ordine?

HAc in re dico 1. *Signum implicat respectum ad rem signatam.* Ita patet ex communissimo modo loquendi. Sacramentum definitur *signum rei* sicræ ab Augustino *l.* 10. *de Civit. Dei, c.* 5. Sic Iris dicitur *signum pluviæ & gratiæ*, Circumcisio *signum fuerit*, fasciculum justitiæ fidei &c. quæ omnia sunt signata. 16.

Dico II. *Signum implicat respectum ad potentiam cognoscentem.* Ita insinuat Augustinus, qui definiens signum, ait id esse signum quod præter se ingerit aliquid *animo.* Et patet amplius per Exemplum. Experimur scil. in nobis ipsis, cùm ratione signi concipimus, nos simul implicare habitudinem ad potentiam cognitivam, cui aliquid signetur. Et hinc juxta priorem propositionem signum signat *aliquid*: juxta posteriorem autem signum, signat quid *animo.* 17.

Observationes de respectu signi ad potentiam cognoscentem.

TRia sunt hic notanda. *Primò*: Ullam potentiam cognitivam non solùm esse intellectivam, sed etiam sensitivam: Hoc est, signum posse signare aliquid & intellectui & sensui, & ei quidem etiam bruto. Veluti elevatio lapidis etiam canis signum est futuræ projectionis, & dispositio Bombardæ signum est curvo, futuri ictus, unde et canis et curvus moventur ad fugam. 18. *An ratio signi æstimetur etiam ad sensum?*

Ex quibus porro sequitur, quod cognitio signati ex repræsentatione facta, per signum, non sit necessariò per verum discursum. Neque enim notitia discursiva potest brutis tribui, in quibus sufficit ad apprehensionem signati transitio specifica 19. *Quibus debeat esse co-*

Cognitio quæ ad rationem signi requiritur.

per sensum apprehensæ ad judicium Phantasiæ. Quanquam talis etiam transmissio à potentia cognitiva, una ad aliam, non est semper necessaria.

20. *Objicis*: quod Aug. *de pria. Dial. c. 5.* dicit: Signi cognitionem fieri solùm ab animo: ut relatum est *n.* 9. Animus autem non potest tribui brutis. Respondeo 1. Jam antea ostensum est (*Num.* 10.) quod ista Augustini definitio sit particularis. Neq; nunc apparet, cur ratio signi necessariò implicet respectum ad solum animum sive mentem, præsertim cùm non maneat nomen pro illis signorum generibus (quæ nos vocamus) quæ sensu solùm percipiuntur.

Animi vox explicatur.

2. Quanquam non incommodè etiam dici potest vocem *animi* latè sumi posse, ut significet omnem facultatem cognoscitivam, etsi tersò philosophandi genere in ea generalitate vox animi non sumatur. Nam eâdem ἀκριβολογίᾳ usus est Arist. cum etiam *intellectionem* brutis tribuit, & omnem motum naturalem ait præscribi & dirigi ab intellectione *l. 3. de anim. c. 10.* Ubi Toletus *ad t. 48.* notat, quod intellectio etiam cognitionem sensitivam comprehendat & rectè, ut ostendi *part. 2. de anim. disp. 13. n. 15.*

21 *Ad rationem signi non necessariò concurrunt distincte potentiæ.*

Deinde: etiam hoc notandum est: cùm signatum cognoscitur ex apprehensione signi, non necessariò concurrere actus duarum potentiarum, in quarum una apprehendatur signum, in alia verò signatum, cujus contrarium videtur insinuari, in definitione Augustini. Ubi signum dicitur apprehendi sensu, signati verò cognitio dicitur fieri debere (non in sensu, sed) in animo. Id patet quia sunt aliqua signa solùm intelligibilia, qualia sunt rerum conceptus, unde horum signata non posse sunt alteri ulteriori potentiæ apprehendenda relinqui.

22. Hoc tamen semper est necessarium: Externum sensum ex cognitione signi, ejus, quod instrumentale est, non posse apprehendere signatum, ideóq; cùm signum ingerat aliquid externo sensui, semper requiritur illa transmissio ad aliam potentiam, in qua apprehendatur signatum. Ita patet, quia signatum (ut tale est) non apprehenditur nisi in apprehensione signi. At externi sensus (quia eorum operatio non est reflexa) non cognoscunt se-cognoscere vel apprehendere aliquid. Species igitur signi transmittunt ad sensus internos. (In homine etiam quandoque ad intellectum eam immediatè transmittunt) qui cognoscunt actus sensuum exteriorum, & de iis judicant & sic etiam signatum apprehendere possunt.

23. *Diversitas signorum per ordinem ad potentiam.*

Atq; ex his summatim *tertiò* notandum est; Quod signorum sit multiplex varietas, juxta diversitatem potentiarum, quibus signa aliquid repræsentant. Nempe signa aliqua notificant aliquid sensui, aliqua soli intellectui. Item aliqua signa signati cognitionem transmittunt ad potentiam ulteriorem, aliqua non, &c. quæ omnia in prioribus patuerunt, & patebunt magis *in seq.* ubi signa dividemus in formalia & instrumentalia.

24. *Conferuntur respectus signorum, quos habent ad signata & ad potentias cognoscentes.*

Nunc dico 3. Utrumque respectum essentialiter implicari in ratione signi. In prioribus propositionibus patuit, signum implicare respectum ad rem tunc, & ad potentiam cognoscentem: sed adhuc dubium esse potuit, an illi implicentur essentialiter an verò per modum adjunctorum, idque nunc determino. Patet igitur id contra Bonaventuram & Scotum (quorum uterque 4. *sent. d. 8. q. 2.* rationem signi posuit in solo respectu ad rem) quia saltem hoc exprimitur in mente nostra, quod non possimus sufficientem sign. conceptum apprehendere, nisi cum utroque respectu. Unde Augustinus *d. loco.* utrumque respectum in definitione signi posuit. Veluti hedera signum est vini vendibilis, id non esset verum, nisi daretur mens cognoscens istam habitudinem hederæ ad vinum. Si solùm aures aut nasi essent in mundo (dimisso intellectu) famus non esset signum ignis, quia solum oculo signat ignem. Ita ergo apparet, intimè, in ratione signi implicari istum respectum, ad potentiam cognoscitivam.

25 *Dico 4. Respectum signi ad signatum priorem esse eo qui est ad potentiam.* In eo primum nihil videri debet absurdi esse. Nam id sæpe contingit, ut etiam oppositi inter ea quæ essentialiter alicui conveniunt, ita materia & forma sunt essentiales compositi:

positio. & genus & differentia speciei, & tamen ista his priora sunt. Nunc autem patet veritas istius propositionis, saltem ex ipsis nominibus signi & signati, quæ apprehenduntur ut Relativa, quod non ita est in signo & potentia cognoscente. Relativus autem sine dubio per prius convenit respectui, qui est ad correlatum. Confer de hoc Colleg. Conimb. 1. *de Interp. cap.* 1. *q.* 1. *a.* 1. §. *certum. Ergo.*

QUÆSTIO I.

An respectus signi sit vera relatio prædicamentalis?

NOn opus est prolixitate hac in quæstione. Aiunt igitur Scotus & Bonav. locis, *num.* 24. citatis, aliiq; rationem signi consistere in vera & propriè dicta relatione, quæ sit prædicamentalis. 26.

Hæc sententia nobis non placet. Nam 1. signum, juxta respectum ad potentiam, non habet aliud, quàm ut sit cognoscibile, sive ut sit objectum cognitionis. Nullum autem objectum ad potentiam habet veram relationem prædicamentalem. Quia secus ipsam etiam potentiam oporteret esse de prædicamento relationis, quod non est. Nam potentia cognoscitiva de qua sermo est, est in prædicamento qualitatis. 27.

Deinde, quod nec signum constituatur per prædicamentalem relationem ad signatum apparet, quia signum ut sic, præscindit etiam ab arbitrario signo. At signum arbitrarium non potest constitui per addititiam relationem realem, quia arbitrium, quà tale est, non potest facere realia Entia, indéque nec relationes. At si signum ut sic, constitueretur per relationem, tum omne signum esset tale per relationem realem. Quod ut vidimus absurdum fuit.

Atque ex his etiam sequitur: quòd non congruè dicatur: rationem signi non consistere quidem in tali relatione, hanc tamen semper advenire signis, qui consequenter rationem signi (non in relatione, sed) in fundamentis relationum ponunt. Ita Alex. Alensis 4. *p. q.* 1. Ledesm. 1. *p. q.* 1. *a.* 2. *dub.* 3 & Colleg. Conimb. 2. *de Interp. c.* 1. *q.* 1. *a.* 3. 1. *Arriaga.* Et rectè quidem isti probant, quod essentialis ratio signi non constat in istis realibus relationibus, quia nummus est signum pretii, & fumus latentis ignis, sine ullo addito. Nam signum per id intellectum constitutum (ita argumentantur Conimbricenses) in sua ratione formali, quod est ei ratio promovendi potentiam in notitiam rei signatæ. At hoc præstat, medâ proportione formali non verò interventu relationis. E. per id constituitur in formali ratione signi. Minorem probant exemplo fumi, in quo nemo percipit relationem ad ignem, sed naturam ab eo in sua existentia dependentem. Ex eo enim fumus ducit in notitiam ignis, quia absque eo esse non potest. Confer *quæst.* 4. *in fest. artic.* 1. 28.

Cæterùm id non probant isti, quòd ea rationem signi & signati tandem resultet realis & prædicamentalis relatio, id quod nos jam priùs falsum esse monstravimus *num.* 27. 29.

Atque ita tandem apparet, quòd respectus à signo ad signatum, sit superioris ordinis, nempe Transcendentalis. Atq; hoc, quomodo negare possint Conimbricenses 1 (ac *Interp. c.* 1. *q.* 4. *a.* 1. *in fest. n.* 33.) non video. Sic aiunt: *Fumus haud ducit relationem transcendentalem ad ignem sed naturam absolutam talem, ut possit ignem manifestare.* Nam hæc ipsa ratio manifestandi aliud, significat respectum ad aliud. At præter prædicamentalem respectum non est alius, quàm transcendentalis. 30.

QVÆSTIO V.

An ad essentiam signi pertineat actu repræsentare?

ET hæc quæstio brevitèr expediri potest. Igitur inprimis patuit, quod signum implicet respectum ad potentiam significativam, quomodo habet rationem objecti scibilis sive cognoscibilis. Porro objectum scibile non desinit esse signum, si maximè non actu repræsentet aliquid potentiæ, seu, si, quod idem est, non cognoscatur 31.

&

et apprehendatur à potentia cognoscente. Atque hinc etiam distingui solet signum in actuale et aptitudinale, ut et à me in Theorematibus factum est. Docent quoque ita Alétus 4.o.q.5. Bonavēt. *ibid.q.* 2. Colleg. Conimb. 1. *de Interp c.1.q.2 a.* 2 alii q;

32. Objicitur: Definitio signi, signum est, quod *repræsentat*, etc. ubi certè significatur actus repræsentandi. Respondeo, verba in definitionibus potentiam non actum significare, vel etiam debent indifferenter intelligi ad actum et potentiam. Ergo signum sic est, quod aliquid vel actu repræsentat, vel repræsentare potest.

QUÆSTIO IV.

An signum & signatum debeant esse realiter distincta?

33. AFfirmat Colleg. Conimb. 1. *de Inter. c.1. q 2. c.* 2. atque pro se August. *l. de magist. cap.* 5. Anselm *ad Rom. c* 4. Ambr. *l.* 1 *de Abrah. c.*4. et Soncin. 12. *Metaph q.*59. Et Torres *de trin. q.*27. *a.*1 *disp.*2.

34. *Rationes affirmativæ partis.* Rationes hujus opinionis sunt *primo*, quia signum et signatum sunt relativa. Relata autem, quia sunt speciesoppositorum, necessariò differunt realiter. *Deinde* nihil est nota sui. Ergo signum et signatum differunt realiter *Denique*; arguitur ex definitione signi: Signum est quod aliquid repræsentat. Aliquid autem notat diversitatem. Indèque dici solet, *aliquid* idem valere, ac *aliud quid*. Sic et Augustinus *de princip. Dial. c.*5. ait, signum esse quod *præter se* aliquid significat.

35. Hac in re dico: *Signa, quæ juxta primam vocis impositionem dicuntur signa, ad eoque, quasi per excellentiam signa dicuntur, realiter distingui à signatis.* Et hoc modo interpretor dicta Patrum, priùs n. 33. recensita.

36. In genere tamen dici non potest, quod signum à signato differat realiter. Nam differentia specifica v.g. est signum intelligibile, per quod cognoscitur subesse natura generica. Veluti si intellectus apprehendat, rem aliquam esse rationalem: signum habet hoc ipso, quòd eadem res sit etiam animal. Et si intellectus intelligat rem aliquam esse animal, signum habet, quòd eadem res sit vivens. Congruum huic rei est exemplum quod Aristoteles habet 1. *Rhet. c.* 2. ubi dicitur signum ægritudinis esse, si quis febri laboret. Ægritudo ibi est signum febris, quæ non differunt realiter, quia habent se ut genus et species. At differentia specifica et natura generica non differunt realiter. Alia exempla proponuntur ab iis quæ non urgeo. Accommodum est et illud, cùm Acolastus et Cornelius seipsos repræsentant in Comœdia.

37. *Solvuntur objectiones.* Ad objectiones igitur nunc respondendum est. *Ad primam* sciendum est. 1. Inter signum et signatum esse relationem quandam, sed tamen non prædicamentalem Est, inquam, ibi respectus transcendentalis et in aliquibus relatio rationis. At tales respectus, non necessariò supponunt reale discrimen. Ut de relatione rationis patet in identitate numerali, quâ quid est idem sibi ipsi. De relatione autem transcendentali similiter patet, quia potentia cognoscitiva v. g. habet respectum transcendentalem ab objectum cognoscibile, et appetitus ad appetibile. Et tamen potentia cognoscitiva potest seipsum cognoscere: et voluntas potest seipsam, tanquam bonum quid velle, saltem appetitu complacentiæ, quem vocant.

38. Ad enervandum autem probationem, quæ sumebatur ex vi relativæ oppositionis, fatendum est, signum et signatum (quod ipsum etiam est de aliis terminis relativis) posse sumi bifariam, formaliter, hoc est ut relativa sunt, et materialiter, hoc est, pro rebus subsistatis, quæ à talibus relationibus denominantur. Ergo relativi termini formaliter sumpti, differunt realiter, id quod; est etiã in signo et signato. Nam quod formaliter importat vox signi, id non significat vox signati. Et juxta hæc, formaliter loquendo, de signo et signato verum est dicere: signum non est signatum, et signatum non est signum. Secus autè est si loquamur de signo et signato materialiter, h. e. pro rebus sic denominatis, prout de iis loquitur Metaphysicus, qualia sunt, v.g. ignis et fumus, quæ non amplius opponuntur relativè. Atq; sic de signo et signato dicimus, ea materialiter sumpta, non necessariò differre realiter.

Simile

simile est de definito & definitione, de toto & partibus, de genere & specie & aliis. Hæc enim omnia relativè opponuntur, formaliter sumpta: unde definitio non est definitum: & totum non significat id, quod significat vox partium: & genus non est species et vicissim. Et tamen loquendo de iisdem materialiter sive de rebus, isti denominationi subsstratis, tum potest esse realis identitas: ita realiter idem sunt (ex definito et definitione) Homo, et animal rationale. Item, (ex toto et partibus) Homo et anima sua ac corpus: Item (ex genere et specie) Homo et animal.

In altero argumento (quod Conimbricensium est) petitur principium, et per se etiam inadæquatum est. Nam signum generalius patet quam Nota, ut patet suprà ex Theorematibus hujus capitis. Unde si maximè omnis nota realiter distingueretur à notato; non esset tamen necessarium, signum in generali suo concepto in quo complectitur etiam ea, quæ rigorosè loquendo non sunt Notæ, implicare realem distinctionem à Notato. 39.

Denique vox *aliquid*, non necessariò importat realem distinctionem, si maximè dicatur tanquam *aliud quid*, de quo vide suprà, *cap. 2. n. 5.* Nam etiam illa vox *aliud* (quod ipsum etiam est de voce, *præter se*) ampliari potest ad distinctionem rationis, ut aliud sit, sive sit aliud re, sive solùm sit aliud ratione. Et quia non habemus generaliora vocabula, quàm est vox *aliquid*, ideo oportet, ut ea amplietur ad ea etiam, ubi realis distinctio non est; Veluti subjectum est cui *aliquid* subjicitur, et adjunctum est, cui *aliquid* adjicitur. Et tamen ratio subjecti et adjuncti non necessariò distinguuntur realiter, ut inter alia patet evidentissimè, in Ente et ejus attributis transcendentalibus, et in Deo ac ipsius adjunctis. Vide *in Topic. c. 8 n. 38. 39.* 40

TITVLVS IV.

DE DIVISIONIBVS SIGNORVM.

Nunc supereſt, *ut apponam signorum divisiones, quæ in Theorematibus relatæ sunt.* 41

ARTICVLVS I.

De divisione signi in Naturale & Arbitrarium.

De hac divisione duo sunt videnda. Primò *explicanda est natura & essentia utriusque signi.* Deinde *videndum est, de bonitate illius divisionis.* 42.

PVNCTVM I.

Quid sit signum naturale & arbitrarium?

Divisio hæc communissimè tradi solet à Philosophis et Theologis. Igitur Augustinus *l. 2. de doctr. Christ. c. 1.* Naturalia vocat ea, quæ sine voluntate, atque ullo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicut est fumus significans ignem. Non enim volens significare, id facit, sed rerum experarum animadversione et notatione, cognoscitur ignem subesse, etiamsi solus fumus appareat. *Data* verò signa (ita vocat arbitraria) sunt, quæ sibi quæque viventia dant invicem, ad demonstrandos, quantum possint, motus animi sui, vel sensa et intellecta quælibet. Dicam, si possum, clarius; *Signa naturalia* dicuntur ea, quæ naturalem connexionem habent cum suis signatis, sicut est fumus (propter naturalem dependentiam ab igne) respectu ignis. *Signa* autem *arbitraria* sunt, quæ non significant propter naturalem connexionem cum signatis, sed significant solùm, ex arbitrio, vel ordinatione vel institutione extrinseca, quâ remotâ sunt inefficacia, ad significandum id, ad quod assumuntur. Tale signum est hedera, quæ significat venale vinum, item prostrans cantharus, signi- *Naturalis signum quid?*

ficat venalem cerevisiam, fasces sunt signum imperii, elevatio digitorum, juramenti, & sic in aliis.

PUNCTUM II.

An signum bene dividatur in naturale & arbitrarium?

43. *Rationes dubitandi.*

UT rectiùs ista intelligantur, hæc quæstio decidenda est. Ac 1. videtur dari posse medium inter utrumque, medium scilicet per participationem. Velluti est in Iride. Iris enim est signum non venturi diluvii, partim naturale, partim voluntarium, ut autumat Thomas *Quodlib. 3. a. 30.* Cajetanus *in Gen. c 9.* Colleg. Conimbr. *Interp. c. 1. q. 2. a. 2. ad tertium.* Alique.

44. Deinde: signum arbitrarium constituitur tale, vel per arbitrium humanum solùm, vel etiam divinum. *Si hoc* dicatur, tunc nullum erit signum naturale. Nam ipsæ essentiæ rerum naturalium dependent ex arbitrio et voluntate Dei, veluti fumi. Si essentia. Ergo et hoc ipsum, quod fumus significat ignem. Ergo fumus ex arbitrio divino significat ignem. Ergo est signum arbitrarium. Et in cæteris finis naturalibus (quæ vocantur) est eadem ratio. Ergo ista etiam erunt signa arbitraria. *Sin vero* arbitrium (ex quo denominatur signum arbitrarium) intelligatur solùm de arbitrio humano: tum quæro qualia signa sint Sacramenta? Illa enim dicuntur signa gratiæ et fœderis. At sic non sunt signa arbitraria, quia istam gratiam non signant per arbitrium humanum, nec etiam sunt signa naturalia, ut constat.

45. Denique: aliqui addunt tertiam signorum speciem, nempe ea, quæ significant ex consuetudine. Ita fecit Ruvio 1. *de Interp. c. 1. q. 101.* ponens exemplum istius consuetudinarii signi in Mappa appositæ, quæ est signum prandii vel cœnæ.

46. *Probatur bonitas divisionis.*

Nihilominus bonitas et adæquatio hujus divisionis patet satis, quia illa divisio sumitur ex causa signandi. Causa enim, cur aliqua significent, est vel arbitrium instituentis, vel natura signi. At in ratione causæ, Naturale et voluntarium sive arbitrarium opponuntur exactè, ut ex doctrina causarum notum est.

Solvuntur Objectiones.

47. AD 1. argumentum Conimbricenses *d. l.* existimant, signum Naturale et arbitrarium opponi solum formaliter, non etiam materialiter, et proinde unam eandémque rem, posse esse et signum arbitrarium et Naturale. Hæc sententia vera est solùm, si intelligatur in ordine ad diversa. Ita rectè dicitur: Iridem esse signum Naturale sequentis serenitatis. Arbitrarium verò signum fœderis.

48. *Naturale signum quid?*

Ut hæc plenius intelligantur, cautè observandum est quòd naturale signum sit, illud, quod ex natura sua sine addito, sufficiens est, ad significandum id, ad quod adhibetur. Inde igitur Arbitrarium signum est, quod (etsi supponatur qualecunque fundamentum habere in natura rei illius, ad significandum, tamen) non est sufficiens ad significandum, sine accidente arbitrario, vel institutione, aut ordinatione extrinsecâ, quæ naturæ rerum supervenire debet. Dixi *de sufficientia* ad significandum: Nam sunt aliqua signa arbitraria, quæ nihilominus desumpta sunt juxta naturas signorum, sive rerum signantium.

Duo genera signorum arbitrariorum.

Atque hinc duo sunt genera signorum arbitrariorum: *Prius* est eorum, quæ signant prorsus, et non aliunde, quam ex arbitrio et ordinatione extrinseca. Quale signum est hedera respectu vini: annulus flavus respectu Judaismi, annulus respectu fidei conjugalis, *Aliud* genus est eorum, quæ ad significandum adhibentur, propter conditionem naturæ suæ. Ita Iris est signum arbitrarium ad significandum fœdus et securitatem de non obventuro alio diluvio. Ipsa enim Iris, ut existat, requirit nubem roscidam, et non adeò densam ac fœcundam, quæ vel serenitatem, vel pluviam non adeò magnam, ad quam diluvium consequi possit, indicat. Vide Pererium *lib. 4. in Gen. n. 87. & seqq. & inprimis n. 96.* Atque ita, quia Iris signi-

significat naturaliter proximè non futuram copiosam pluviam, hinc Deus assumsit Iridem, ut significaret, nunquam debere esse diluvium universale, ad quod significandum, Iris, ante arbitrium & beneplacitum divinum, insufficiens est, ut proinde ultima sufficientia ad significandum, sit ex arbitrio divino, quo fit ut meritò Iris signum arbitrarium dicatur. Atque sic solutum relinquitur primum argumentum.

50. *Observatio.*

Illud porrò non inutiliter hîc notari potest: Quod naturale & arbitrarium signum aliquando non denominentur, ex modo significandi (quomodo eam divisionem exposui, & frequenter exponi solet) sed ex rebus significantibus, ut naturale signum sit, quod est res Naturalis, quomodo lapis etiam erit naturale signum in discernendis agnis, qui tamen alias est signum arbitrarium istius discretionis. Unde juxta istum modum loquendi signum arbitrarium est, quod est res sive actio voluntaria, quomodo solùm actus liberi sunt signa arbitraria. Ita loquitur Pererius *d.l.* 14. *in Gen. n.* 73. Ubi signum Iridis Noæ datum, & signum velleris ac roris Gedeoni datum naturale vocat. Signum Circumcisionis autem, vocat signum voluntarium.

An ratio signi arbitrarii sumatur solùm ex respectu, ad arbitrium humanum?

51. IN altero argumento tangitur quæstio *An ratio signi arbitrarii constituatur arbitrio humano solùm, an etiam divino?* Ubi *Respondeo* per utrumque constitui signum arbitrarium. Nam sine dubio Sacramenta sunt signa arbitraria sive voluntaria, quæ tamen gratiam non significant arbitrio humano sed arbitrio seu voluntate & ordinatione divina.

Et quo arbitrio constituatur signum arbitrarium?

Illud autem arbitrium constituit rationem signi arbitrarii, quod est rebus seu naturis rerum *superveniens*, ut priùs dictum *Num.* 48. seu, quod naturam in se insufficientem ad significandum, complet in esse signi. Illud autem arbitrium, quod est ad res producendas & conservandas, huc non pertinet, sed illud solùm quod est ad significandum. Atque hinc patet: non omnia signa dicenda esse signa arbitraria, admisso arbitrio etiam divino in constituendis signis arbitrariis. Nam arbitrium divinum semper quidem supponitur ad rerum productionem. Non tamen semper supervenit naturis rerum, ut quæ nondum ex natura sua sufficientes erant ad aliquid significandum, novo & superveniente arbitrio Dei ordinentur ad aliquid significandum. Et sic fumus non est signum arbitrarium, quia sine addito, & sine superveniente ordinatione aliâ, fumus significat ignem, etsi antecedenter natura fumi pendeat ex arbitrio divino.

De signis Consuetudinariis.

52. AD *tertium* Respondeo: Signa consuetudinaria esse signa arbitraria. Nam consuetudines sumuntur ex placito & consensu utentium, ut Justinianus habet *l.* 1. *Instit. tit.* 2. Unde jus Canonicum *in Instit. Canon. l.* 1. *tit.* 2. definit consuetudinem, quod sit jus-quoddam moribus *institutum ex d.* 1. *c. Consuetudo.*

53. Est etiam specialis dubitatio de vocibus: sûnene arbitrariæ, an naturales signa? quam inferiùs persequor.

ARTICVLVS II.

De divisione signi, in Rememorativum, Demonstrativum, & Prognosticum signum.

54. DIvisio hæc signorum frequenter occurrit, apud Sententiarios. 4. *d.* 1. Exponiturq; à Conimbricensibus *de Interp. c.* 1. *q.* 2. *a.* 1. Sumitur autem istis vicibus signorum à differentiis temporis, prout & ab Aristot. 2. *prior. c.* 27. *t.* 2. factum,

ubi signum aliquod ait simul extare cum signato, aliud prius, alius posterius est. Et sic *Rememorativum* signum est, quod significat aliquid præteritum, unde & *memoriale* vocatur *ein Gedenckmahl, Gedenckzeichen*. Memoria enim est rerum præteritarum: sic Cœna est signum Rememorativum sive memoriale, mortis & passionis Dominicæ.

Demonstrativum signum est, quod signat aliquid præsens. Sic fumus signat
55. ignem præsentem. Sacramenta sunt signa gratiæ præsentis, quam scilicet, per Sacramenta. Deus Christianis offert & exhibet.

Prognosticum signum est, quod signat aliquid futurum: προγνῶσις enim præ-
56. notio vel præcognitio est. Talia signa à Medicis sumuntur multa ad præcognoscendos morbos: ab Astronomis ad præcognoscendas tempestates. Sic ex apparentia Lunæ sumuntur signa prognostica.

Pallida Luna pluit, rubicunda fiat, alba serenat.

Et celebres sunt versus prognostici de die conversionis Pauli:

Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni,
Si fatrim nebulæ, pereunt animalia quæque.
Si fuerint venti, designant prælia genti.
Si nix aut pluvia, designat tempora cara.

Talia multa prognostica habet Colerus *in Calendario & Astronomia Oeconomica*.

ARTICVLVS III.

De divisione signorum, in signa contingentia & Necessaria.

NEcessitas & contingentia transeunt per omnia Entium genera. Atque ita et-
57. iam inveniuntur in signis. Traditur ista divisio ab Aristotele *l.* 1. *Rhetor. c.* 2. Vbi aliud signum esse ait, quale est hoc, *signum est sapientes esse justos, quia Socrates erat sapiens & justus*. Et hoc est contingens. *Aliud vero signum esse ait, quale est hoc: si quis febrim habet, signum est eum ægrotare, vel aliquam peperisse, quia lac habet*. Et hoc est Aristotelis signum Necessarium: Quanquam recentiores Physici & Medici, ex lacte, sumant signum contingens partus.

58. Cæterùm Aristot. *d. l. ex his*. inquit, *quod necessarium est, τεκμήριον est. At quod non est necessarium nomine caret quo distingui possit*. Recentiores tamen etiam signis contingentibus nomen tribuunt, ut ea vocent εἰκότα, *verisimilia*, ut hanc vocem Interpp. reddunt *lib.* 2. *prior. c.* 27. & 1. *Rhetoricor. cap.* 2. & alibi. Verbum enim εἰκὼ significat verisimilitudinem. Necessaria autem signa τεκμήρια dicuntur, quia ipsa sunt δεδειγμένα & πεπερασμένα demonstrata & conclusa, τὸ γὰρ τέκμαρ καλοῦσι τὸ δεῖ, κατ' ἀρχαίαν γλῶτταν, quia τέκμαρ (unde est τεκμήριον) & terminus sive conclusio veteribus idem sunt, ut inquit Aristoteles, *dicto loco*.

ARTICULUS. IV.

De divisione signorum in Instrumentalia & Formalia.

59. HIc etiam *duo sunt explicanda*. 1. *Quid signum formale & instrumentale sit?* Deinde, *An divisio illa sit bona*.

PUNCTUM I.

Quid sit signum formale & instrumentale?

60. HAnc signorum divisionem Veteres quidem non habent, tradiderunt tamen & exposuerunt eam Recentiores. Vide Ægid. 1. *d.* 3. *q.* 2. *a.* 2. Fonsl. 2. *Instit. Logic. cap.* 8. Colleg. Conimbr. 1. *de Interp. c.* 1. *qu.* 2. *a.* 1. & 3. D. D. Finckium. *Disput. Metaph.* 14. *p.* 278. aliósque.

Signa *formalia* dicuntur illa, quæ sunt species receptæ à potentia cognoscitiva, quibus

quibus mediantibus res extraneæ cognoscuntur. Ita species colotis recepta in oculo, species equi recepta in intellectu, species dulcedinis, recepta in lingua, sunt istis potentiis cognoscitivis signa ad percipienda ista objecta extranea, veluti colorem, equum, dulcedinem. Dicuntur hæc signa formalia, quia per modum adjunctorum recipiuntur in potentiis cognoscentibus. Valde frequens autem est, accidentia vocare actus vel formas subjectorum: in quantum in illis recipiuntur. *Formalia signa quæ?*

61. Et inprimis congruit huic, quod, exemplaria, sive ideæ rerum, quæ veluti species & imagines sunt rerum exemplatarum, solent vocari formæ mentis, ex Dionys. *de Divin. Nom. c.* 5. & August. *lib.* 83. *qq.* Et aliàs communiter, imagines rerum, vocantur formæ rerum. Omnia autem exempla signorum formalium sunt imagines rerum aliarum.

62. *Signa instrumentalia* sunt, quæ cognita prius, inducunt cognitionem rerum aliarum. Ita Iris est signum fœderis. Vestigium leporis, pulveri aut nivi impressum, est signum leporis, & sic in aliis. *Signa instrumentalia quæ?*

63. Porro discrimen, inter signa instrumentalia & formalia, multiplex est. 1. Signa formalia semper sunt Entia spiritualia; hoc est, quæ primariò naturæ operâ sunt ad repræsentandum. At in signis instrumentalibus id non est. Potissimum autem discrimen in eo est, quod signa instrumentalia oportet priùs cognosci, antequam cognoscatur signatum. Veluti fumus est signum instrumentale respectu latentis ignis. Hic directè oportet priùs cognosci fumum. Deinde ex fumi cognitione mens elicit aliam cognitionem, nempe ignis latentis. At ad ea, quæ sunt signa formalia, non fertur priùs cognitio mentis nostræ, sed statim ad rem signatam. Veluti sic conceptus est signum rei. Hic non sunt duæ cognitiones, quarum prior feratur ad cognoscendum conceptum, altera ad cognoscendam rem: sed res cognoscitur statim, non cognito conceptu, nisi fortè per accidens. Veluti, si quis dedità operâ, intendat cognitionem peculiarem, ad apprehendendam cognitionem conceptus. Dixi *esse per accidens*: quia signatum præsit apprehendi citra directam cognitionem conceptus. Idem autem est in aliis etiam signis formalibus, ita species, rei visibilis, est signum ipsius rei. Vbi si quis rem visibilem cognoscere velit, non oportet, ut antecedat cognitio ipsius speciei, ut maximè non nisi per istam speciem cognoscatur. *Discrimina inter formale & instrumentale Signum.*

64. Atque hinc puto rationem reddi posse, cur signa instrumentalia dicta sint *instrumentalia*, quia scilicet ipsa cognita, sunt instrumentum cognoscendi signati. Atque tum porro oportet admitti Synecdochen in hac appellatione, quia specialiter instrumentalia vocantur aliqua signa, cùm non incommodè omnia signa possint dici instrumenta cognoscendi signati.

PVNCTVM II.

An signa rectè dividantur in signa formalia & instrumentalia?

65. AVctores & approbatores istius divisionis retuli priùs, *Num.* 59. Præterea que patuit illius bonitas ex dictis, *Num.* 63. Nam ibi per posita exempla apparuit discrimen signorum: quòd scilicet aliqua cognoscantur priùs ad cognoscendum signatum, quæ dicebantur *instrumentalia*: aliqua autem priùs non cognoscantur, quæ dicebantur *formalia*. Atque ex hac signorum diversitate, justissima sumitur occasio dividendi signa, ut factum est. *Obiectiones.*

66. Sed sunt aliqua quæ objici solent. 1. Signa formalia non videntur esse signa, quia videtur de ratione signi esse, duplicem ingerere notitiam, alteram sui, alteram signatæ, ut Augustinus indicat *de princ. Dial. cap.* 5. dicens, quod signum

se manifestet sensui: & signatum manifestet animo: at quod manifestatur sensui, utique cognoscitur à sensu. At signa formalia ut talia sunt, non cognoscuntur à potentia cognoscente. In hoc enim potissimùm distinguebantur à signis instrumentalibus.

67 *Deinde:* Non videntur istæ signorum genera satis opponi, quia una eadémque res potest esse signum Formale & Instrumentale. Veluti: esto in mente hominis conceptus equi. Hic igitur conceptus erit homini signum formale cognoscendi equi. Eundem conceptum in mente hominis intueatur Angelus. Ergò hìc erit idem conceptus, Angelo signum Instrumentale, quia, ut ponimus; per intuitum sive cognitionem, priùs fertur Angelus ad ipsum conceptum.

68 Eadem difficultas frequenter solet etiam moveri de specie in speculo, vel alia aliqua re lævi relucenti, veluti de imagine Solis vel hominis in aqua. Nam istæ imagines sunt manifestè signa Instrumentalia, ideo quia peculiaris cognitio primò fertur ad istas imagines ut constat. Quod tamen istæ species sint etiam signa formalia, patet hoc ipso, quia *species* sunt. Vnde istæ sunt species simules istis, quæ immediatè in potentiis cognoscitivis sunt. At hæ sunt signa formalia.

69. Igitur, suppositâ priùs factâ probatione illius divisionis, ad has objectiones
Solvuntur objectiones. respondendum est: *Ad primam* itaque dico 1. Signa formalia, quæ dicuntur, rectissimè vocari signa. Nam significant aliquid menti. At in significando consistit ratio signi, ut idipsum nomen indicat. Vnde & Lombard. 1. *d.* 2. *a. Signa*, inquit, *sunt, quorum usus consistit in significando.* Et ipse Aristoteles, *l. de Interp. c.* 1. conceptus vocavit signa, quia tamen non cognoscuntur priùs à potentia cognoscente, & postea aliud significant. Nam conceptus equi repræsentat intellectui nostro equum: & tum non necessariò mens nostra reflectitur ad apprehendendum esse ipsius conceptus. Atque ex his respondeo 2. per accidens esse ad rationem signi in genere sumpti, ut in se, priusquam faciat cognosci signatum, peculiari cognitione apprehendatur ab intellectu. Vnde hactenus etiam nimis angusta est definitio signi Augustiniana, ut aliquoties dictum. Voluit enim Augustinus solum definire signum, quod famosissimè et vulgatissimè tale est. Id autem solùm convenit signis Instrumentalibus.

70. *Ad alteram objectionem Respondeo:* Quod membra divisionis debeant dissentire saltem formaliter. Materialiter enim h.e. in re subsstrata, facilè convenire possunt, membra bonæ definitionis. Ita saltem patet in divisione signi in arbitrarium et Naturale. Vbi eadem res poterat signum Naturale et arbitrarium dici, de quo erat, n. 27. Sic igitur et nunc nihil absurdi est, neque inde sequitur quod prædicta div sio bona non sit, si una eadémque res, per ordinem ad diversas potentias, sit signum formale et instrumentale. Dixi *ad diversas potentias.* Nam sicut una eadémque res potest dici signum arbitrarium & naturale per ordinem ad diversas res signatas: Ita nunc eadem res potest dici signum formale et instrumentale, per ordinem ad diversas potentias. Quia divisio ista convenit signo juxta varietatem habitudinis ad potentias cognoscentes. Atque ita respondsum est ad exemplum de conceptu equi, in mente hominis existente.

71. Ad exemplum, de specie in speculo rectè respondent Dd. Conimbr. *de Interp. c.* 1. *q.* 2. *a.* 3. *in secundo*, quòd scil. non sit signum Instrumentale, sed formale, unde porro negandum est, eam speciem directè in speculo videri et cognosci, quod Optici soient clarè demonstrare. Probaturque idem physicè inde: quod nihil à visu est cognoscibile, nisi sit coloratum et illuminatum. At istæ denominationes non possunt speciebus tribui. Proinde visus in speculo non apprehendit speciem, sed per speciem reflexam apprehendit rem visibilem. Atque sic, quia ista species non cognoscitur, sed solùm extra speculum existens, utique hoc ipso signum formale, erit talis species. Satisfactumque etiam est adeò, rationi dubitandi in contrarium factæ.

ARTI-

ARTICVLVS V.

De divisione signorum, in Theorica & Practica Signa.

DIstinctio hæc frequenter occurrere solet in doctrina de Sacramentis. Insinuavit eam Lomb. 1. *dist.* 1. *A. Et* 4. *d.* 1. B. Cui signa *alia sunt, quorum usus consistit tantum in significando: Alia vero sunt, quorum etiam est sanctificare & justificare.* Quanquam ratio practici signi latiùs pateat quàm juxta respectum ad justificandum. Ista igitur Theorica, hæc verò practica signa sunt sub quibus nominibus hanc distinctionem exposuit Bellarm. *l.* 1. *de Sacram. in gen. c.* 8. 72.

Cæterùm *Practica signa* dupliciter dici possunt. *Primo* practicum signum id omne dici possit, quod præter repræsentationem, aliquid efficit. Ubi si efficientiam interpretemur, pro omni consequente actione, post factam significationem & repræsentationem, fortasse nullum signum est, quod non sit practicum. Ita hedera est signum vini vendibilis: hæc præterquam, quod id signat, movet sitientem, ut illuc vadat & vinum emat. Imago Christi est illius signum, hæc præterquam, quod Christum repræsentat, potest occasionem præbere, diligentius meditandi vulnera Christi, & sic ad esse devotum. Atque ita quia signa, sic omnia fortasse sunt practica, nulla relinquentur Theorica. Unde juxta istum modum signa practica exponi non debent. 73. *Practicum signum quid?*

Aliter igitur signa practica dicuntur, quæ non aliunde, sed ex ratione signi, præter significationem, aliquid efficiunt, non occasionaliter, sed per veram efficientiam. Ita signum illud, quod *signaculum* vel *sigillum* vocamus, non debet solùm significare familiam vel Collegium, vel scribentem, sed verè etiam insigne familiæ vel Collegii, &c. imprimere ceræ. Sic etiam Baptismus est signum practicum. Nam Baptismus aliquod signum est, & significat aliquid, ut Augustana Confessio loquitur *art.* 13. Et *in Apolog. ad art.* 4. *p.* 116. *et de usu Sacram. p.* 267. *edit. Lipsi. Anno* 1606. Neque tamen solùm significat gratiam Dei, sed est etiam efficax organon, per quod Deus efficit nostri regenerationem. Ex qua varietate exemplorum apparet, quod practica signa non sint ejusdem ordinis. Aliqua enim sunt practica, ex vi naturali, ut erat de signaculo. Alia autem sunt practica ex speciali Dei ordinatione. ut erat Baptismus, cui naturalis vis operandi remissionem peccatorum (ut Lutherus loquitur *in Catechesi*) non convenit. 74.

Ex his relinquitur: signa Theorica esse quæ solùm significant, & non efficiunt, nisi fortè aliunde & per accidens & occasionaliter, quomodo pictura Herculis est signum Herculis. 75.

ARTICULUS VI.

De divisione signi in σημαντικὸν & μεταδοτικὸν.

DIvisio hæc ferè coincidit cum priori, quatenus signum σημαντικὸν est Theoricum. Signum autem μεταδοτικὸν est Practicum. Estque & hæc distinctio valdè frequens in controversiis de Sacramentis. 76.

Antequam ista divisio explicetur, notandum est, quendam Gueberlethum negare istam divisionem. Ita enim scribit *in assert. disput.* 1. *contra Dn. D. Finchium pag.* 101. oppositionem hic non esse, *cum sit duntaxat secundum gradus differentia, qualis est inter genus & speciem. Nam signum* μεταδοτικὸν *semper præsupponit* σημαντικὸν. Hæc ille. 77.

At 1. Ipsi Calviniani hanc distinctionem tradunt, quorum autoritate ipse moveri debebat. Videat suum Zepperum, *de Sacram. l.* 2. *c.* 9. Deinde id valdè frequens est, ut nomen generale, in defectu vocabulorum sumatur ad significandam speciem per Synecdochen, quomodo certè opponitur alii, cujus aliàs extra synecdochicam significationem genus fuisset. Atque ita esse omnia signa sunt significativa 78.

sive σημαντικὰ generaliter loquendo: aliqua tamen non sunt σημαντικὰ, voce ista, ex conventione Doctorum, acceptâ specialiter, pro iis signis, quæ significant *tantum*. Simile quid est, in divisione principii, in principium essendi, & principium cognoscendi, de quo supra v.d. c. 22. n. 70. 71.

79. Suppositâ igitur sufficiente membrorum oppositione, adeóque divisionis bonitate: Nunc breviter res ipsa declaranda est. Σημαντικὸν igitur, sive significativum signum est, quòd tantùm signat. Dicitur aliàs *nudum* signum. Est autem illa nuditas sive τὸ *tantum signare*, explicandum per oppositionem ad μεταδοτικὸν, ut evincit oppositio. Ergo hactenus σημαντικὸν & *Nudum* signum est, quod tantum signat, non etiam confert, sive exhibet id, quod signat. Estque id diligenter observandum contra Calvinianos, qui cùm dicant Sacramenta non esse Nuda signa, explicant id sic, quod non sint denudata à significando. At præterquam, quod hanc expositionem non patitur oppositio ad μεταδοτικὸν etiam generalis ratio signi illud glossema non ferit. Nam nudum & non nudum nunc sunt differentiæ signi. Atque ita signum nunc dicitur nudum, aliud non nudum. E quibus: si signum non nudum est, cui non deest significatio. Ergo juxta illorum sententiam, signum nudum erit, cui deest significatio. Id quod implicat: esse signum & tamen non significare, vel signare. Atque ita relinquitur, quod nudum signum dicatur non à defectu significandi, sed à defectu μεταδόσεως sive exhibitionis.

80. Μεταδοτικὸν igitur signum est, quod exhibet id quod significat. Ita & sequitur ex prioribus: & ipsa vocis ratio id insinuat. Μετάδοσις enim exhibitionem significat.

ARTICULUS VII.
De divisione signorum in Doctrinalia & non-Doctrinalia.

81. *Hic agendum primò est generatim de illa divisione. Deinde specialiter dicendum est de Signis doctrinalibus.*

PUNCTUM I.
In quo exponitur generatim illa signorum divisio.

82. *Signa doctrinalia quæ?* Divisionem hanc signorum tradidit Scotus, & inde repetivit & expositit Coll. Conimbr. *de interp. c. 1. q. 3. a. 3.* Vocantúrque signa *Doctrinalia* illa, quibus in docendo utimur. *Non-doctrinalia*, quibus non utimur in docendo veluti est fumus, respectu ignis, imago Cæsaris respectu Cæsaris. Cujus discriminis non est iste sensus, quasi per signa posteriori generis nihil possimus docere. (Hoc ipso enim quia signa sunt, sunt media, quibus juvatur intellectus in cognitione, atque adeò per quæ alius doceri possit) sed intelligitur illud discrimen solùm quoad rationem & modum docendi. Atque ita, quia non docemus, nisi *conceptus* nostros exprimendo *scripto* aut *voce*, ideò summatim tria sunt genera doctrinalium signorum, nempe, *conceptus*, *signa*, & *voces*. Vbi quæri statim solet:

An signum doctrinale dicatur univocè de conceptu, scripto, voce

83. ID quod negandum est, quia conceptus significat naturaliter, vox autem & scriptum significant, per impositionem, adeóque per intervenientem operam rationis. At de eo quod reale est, & de eo quod rationis est, non prædicatur quid univocè.

Sed dicamus de singulis seorsim.

PUN-

PUNCTVM II.

De conceptus voce & distinctione.

EX tribus doctrinalibus signis, quæ priùs dicta sunt: Primò est *conceptus*. Et principio hoc præcognoscendū: quòd vox *conceptus* ambiguè dicatur, unde distinguitur, in conceptum formalem & objectivum. Hæc enim distinctio nominis solùm est: cùm conceptus objectivus, dicatur *conceptus* solùm denominatione extrinsecâ, ut patebit. Igitur *objectivus conceptus* est nihil aliud, quàm ipsa res extra intellectum (ut ab eo hanc rem declarem, quod est illustrius) existens, quæ concipitur. Unde manifestum est, conceptum objectivum per extrinsecam denominationem vocari conceptum, sumpta scilicet appellatione ab intellectu concipiente, vel formali conceptu. Rectiùs & evidentiùs diceretur, *objectum conceptibile*. 84. *Quid conceptus formalis objectivus.*

Formalis autem *conceptus* (de quo solo hic loquimur) est forma mentis nostræ, quâ mediante, intellectus noster res ei objectas intelligit. Id sic intelligas. Ad actionem requiritur agentis approximatio ad patiens. Hinc ergo etiam, ut fiat cognitio alicujus, oportet, ut cognoscens & cognoscibile uniantur. Illa autem unio vel approximatio, non potest fieri juxta proprias essentias rerum, quiâ intellectus etiam res absentes & corporeas intelligit, veluti equum, integrum exercitum, &c. quæ si deberent juxta proprias essentias esse in intellectu vel sensu, intellectum vel sensum (idem enim est de potentia sensitiva quoad hoc quidem) oporteret valdè esse amplum, qui tot corpora capere posset. Proinde ista unio fit mediantibus conceptibus, in quibus mens intuetur res extra se positas. 85.

Porro iste conceptus dicitur *formalis*, quia est forma mentis. Ita enim (hoc est, formæ nomine) vocatur omnis qualitas recepta in subjecto.

Est autem multiplex discrimen inter conceptum formalem & objectivum. 1. Formalis conceptus est in mente. Objectivus potest esse extra mentē. 2. Formalis conceptus semper est qualitas (mentis.) At objectivus potest esse omnium generum, substantia, quantitas, &c. 3. Formalis conceptus semper est realis, et significat veram mutationem (accidentalem) mentis. At conceptus objectivus potest esse Entis rationis, ut conceptus Chimæræ aureæ montis, etc. Atque hinc etiam formales conceptus diversi sunt, juxta quamcunque distinctionem rei intelligibilis: sive scilicet in ea sit distinctio realis, sive distinctio rationis. Realiter nempe, in mente nostra, differunt, conceptus de diversis attributis divinis, et tamen hæc reale discrimen non habent, ut alibi disputo 4. Iste semper est singularis. At objectivus potest esse universalis, veluti animalis. Alia mitto. 86 *Discrimen inter conceptum formalem & objectivum.*

Loquendo igitur nunc de formali conceptu, quem diximus pertinere ad hanc contemplationem, determinanda sunt de eo aliqua. 87.

PVNCTVM III.

Cujus signum sit formalis conceptus & quomodo?

HAnc ad rem expedita est responsio. Nempe, Conceptus sunt signa *rerum*. Ita Aristoteles *lib. de Interp. cap.* 1, Affectus sive conceptus (hos enim vocat affectus sive passiones animi) esse *rerum* similitudines. Ergo conceptus equi, est signum realis et materialis equi: Conceptus de lapide, est signum repræsentans realem et materialem lapidem, et sic in aliis. 88.

Solet ad insinuandum specialem modum signandi, quem conceptus habent, dici, quòd sint *imagines* rerum, quæ vox plus requirit, quàm vox *similitudinis*. Nam ratio similitudinis absolvitur in convenientia duorum. *Imago* autem porro requirit, ut sit aliunde expressa. Ovum dicimus simile ovo. At ovum non dicimus imaginem alterius ovi. 89. *Imago quid sit.*

90. *Conceptus quomodo sint imagines?*

Hactenus ergo dum conceptus dicuntur signa rerum, per modum imaginis, implicantur duo. *Prius* est, quòd habeant convenientiam & similitudinem cum rebus. Ubi convenientia ista non est intelligenda aliter, quam attendendo repræsentationem, quâ conceptus rem repræsentat. Nam alias in multis aliis prædicatis differunt conceptus & res, ut patet ex dictis, *Num.* 86. ubi ostendimus, formalem conceptum (quem nunc præcisè conceptum dicimus) in multis differre à conceptu objectivo, hoc est, à re concepta, sive objecta isti actui mentis nostræ. *Posterius* est, quòd omnis conceptus habeat dependentiam à re ipsa, sive eo quod objicitur intellectui.

91. *Inquis:* Sæpe objectum intellectus sunt negationes & Entia rationis, ut constat. Ergo tum oportet, ut eorum sint conceptus, per dicta *Num.* 84. At entia rationis & speciatim negationes non possint aliquid reale producere, quale quid est conceptus. Non videtur igitur de ratione conceptus esse, ut sit signum per modum imaginis.

92. *Imaginis requisita.*

Respondeo: Dependentia imaginis à re imaginata, non est necessaria semper ad eum modum quo effectus ab efficiente pendet; sed satis est, si illa dependentia sit ut ab exemplari. Neque enim necessariò imago Cæsaris est expressa per propriam actionem vel effectionem Cæsaris, sed satis est, si ipse Cæsar sit exemplar suæ imaginis ad quod hæc efformetur. Sic Leuchettus *l. 1. d. 3. quæst. 9. in comm. ad Scotum* cum eodem eleganter ait; *In omni imagine requiritur, ut imago imitetur imaginatum. Imaginatio autem dicit dependentiam essentialem ad imaginatum, vel causati ad causam, vel ut mensurati ad mensuram, vel ut participati ad imparticipatum, &c.* Idémque tradunt Ægid. *1. d. 4. q. 2. & 3.* & Durand. *ibid. q. 1.*

Quo posito dicendum est, conceptum negationis posse dependere à negatione, non per dependentiam, quæ verè & rigorosè loquendo sit effectiva (quam negationes non habent, ut sumebatur in objectione) sed per talem, quæ sit ut ad exemplar, in quantum ejus officium est, terminare exemplatum. Atque hoc ferè modo respondent etiam Conimbr. *1. d. Interp. c. 1. q. 4. a. 1. prope finem.*

93. Alius modus respondendi potest esse, si dicatur, negationum, & aliorum entium rationis, esse conceptus sed ut sunt intelligibiles, intellectionis enim causâ exposcuntur isti conceptus. At negationes & alia entia rationis, non sunt intelligibilia per se sed per accidens, & per juxtapositionem ad entia politiva & realia, sive attribuendo eis similitudinem ad entia politiva & realia. Conceptus ergo isti etiam non conveniunt negationibus, per se, sed per accidens & gratiâ entium positivorum & realium. Sed priorem responsionem magis probo.

PUNCTUM. IV.

An conceptus apud omnes sint iidem?

94. Quæstionem hanc alii aliter formant; *An scil. conceptus sint signa naturalia?* Quæstiones enim hæ in re coincidunt. Nam si conceptus sunt signa naturalia. Ergo etiam iidem sunt apud omnes. Et rursus, si iidem sunt apud omnes, tum etiam erunt signa naturalia.

Conceptus esse eosdem.

Est autem ad hanc rem affirmativa sententia satis clara, per verba Arist. *de Interp. c. 1.* ubi comparans conceptus & voces, Aristoteles ait; *Conceptus apud omnes eosdem esse, voces autem diversas.* Ac res ipsa, de unitate conceptuum evidenter patet inde, quòd conceptus contineant imaginem rerum, et proinde res sunt exemplaria ad quæ conformantur conceptus. At res apud omnes sunt eædem, neque in diversis nationibus essentiæ sunt diversæ. Eadem videlicet res est, quam Germanus vocat *Menschi*, & Latinus, *Homo*, et Græcus ἄνθρωπον, et Hebræus *Adam*. Et sic in aliis. Oportet igitur ut conceptus sint iidem.

95. *Objectio* autem contra 1. conceptus non esse eosdem apud omnes, quia conceptus est forma mentis. Unde sicut non omnibus una mens competit, ita etiam non

non apud omnes est idem conceptus, Ratio consequentiæ est, quia multiplicatis subjectis, oportet multiplicari accidentia. 2. Imò contrarii conceptus de eadem re sunt aliquando apud varios. Ita de terra alius apprehendit eam moveri, alius eam quiescere: Solis conceptus in mente rustici est, per modum corporis parui. At in mente Mathematici, est per modum corporis magni. Et sic in aliis.

95 *Conceptus quo modo sint idem.*

Ad horum *primum* Respondeo; conceptuum identitatem apud omnes non intelligi de identitate numerali. Sic enim conceptus hominis in Petro, Paulo, & aliis individuis, non idem sed diversus est; non solùm de rebus diversis, sed etiam de re una numero. Ita quem de Bucephalo conceptum habeo, numero diversus est ab eo, quem tu habes de eodem Bucephalo. Identitas igitur conceptuum, apud omnes, intelligitur de similitudine conceptuum, in ordine ad res. Veluti quod mihi repræsentat conceptus hominis, id etiam repræsentat tibi conceptus hominis, sive apprehendas hanc rem, quam ego hominem voco, sub voce hominis, sive sub voce alia alterius linguæ.

Ad alterum respondeo; Conceptus eosdem esse, sed cæteris paribus, nempe si ubique veri sint. Potest utrumque illustrari per comparationem ad voces & scripta. Nam istos conceptus comparat Aristoteles dicens; *Conceptus esse eosdem. Voces autem & scripta diversa.* Hic voces diversæ sunt apud diversas nationes, quia non omnibus vox *homo* significat illam rem, quæ dicitur animal rationale, *Grunen* nobis idem est, quod *flere*; Hollandis significat contrarium, quibus *grymen* est idem quod *videre*. Hæc varietas non est in conceptibus, propter immutabilitatem essentiarum, quas conceptus repræsentant. Rursus, si vera significatio vocis apprehendatur, non tamen semper est eadem, adeò ut alicubi, hæc vox (homo, vel alia) sit prorsus ἄσημος. Hoc iterum secus est in conceptibus. Ad hoc igitur significandum dicitur, conceptus apud omnes eosdem esse.

PVNCTUM V.

De distinctione sive varietate conceptuum.

96

COnceptum antea partiti sumus, *Num.* 83. in formalem & objectivum, quæ distinctio nominis erat, ibi satis declarata. Aliter ergo.

1. *Conceptus est medius vel ultimus: sive ultimatus & non ultimatus.*

99. *Conceptus medius.*

DIstinctio hæc frequens est, & exponitur à Fonseca *l.* 2. *Instit. Log. c.* 11. & Colleg. Conimbr. *de Interp. c.* 1. *q.* 3. *a.* 3. Conceptus igitur *medius*, sive non ultimatus, est conceptus vocis, vel soni in voce, qui formari potest ab ignaro linguæ, veluti cùm Monialis legit Psalterium, aut cùm idiota audit loquentem linguis. Conceptus autem *ultimus* sive ultimatus est, conceptus rei, quæ exprimitur per vocem, aut exprimi potest. Veluti cùm dico: *Cœlum movetur*, hic conceptus alius est, qui fertur ad percipiendas voces. Hic est conceptus medius (sic dictus quia est veluti medium ducens ad aliud.) *Alius* est, qui fertur ad cognoscendam rem significatam.

ultimus.

2. *Conceptus est adæquatus & inadæquatus.*

100

FRequens est hæc conceptuum distinctio in doctrina transcendentium & attributorum divinorum. *Adæquatus* igitur conceptus est, qui totam rem repræsentat. *Inadæquatus* est, qui aliquid illius repræsentat. Ita adæquatus conceptus Entis est, qui apprehenditur sub voce *Entis*. Inadæquatus autem Entis conceptus est, qui apprehenditur sub voce *unius*. Unum igitur significat quidem essentiam, sed non nisi ut indivisam. Hactenus igitur sub voce unius, Entitas apprehenditur inadæquatè, quia Entitas apprehendi potest etiam cum addito alio. Sic perfectionis conceptus adæquatus est qui apprehendit totum id quod perfectio

significat. Indefectibilitas autem significat conceptum perfectionis, inadæquatè quia perfectio præter indefectibilitatem implicat, in conceptu suo adæquato, etiam Entitatem. Unde perfectio adæquatè est nihil aliud, quàm *Entitas indefectibilis*. Et sic in aliis. Adæquatus conceptus hominis est, qui repræsentat totam essentiam hominis. At inadæquatus ejus conceptus est, qui significatur per vocem rationalis. Nam præter rationalitatem, ad essentiam humanam, requiritur etiam animalitas.

PUNCTUM VI.

De Vocibus.

101. ALterum genus signorum doctrinalium continebat *voces*, de quibus nunc agendum est.

102. Ubi principiò observandum est: Nomen vocis esse ambiguum. Aliquando enim significat sonum animalis; quomodo Aristot. de voce egit *l. 2. de anim. c. 8. t. 87. seqq.* constituens objectum auditus. Hæc tractatio vocis huc non pertinet. Aliter igitur vox est idem quod vocabulum, quo sensu Aristoteles *1. de Interp. c. 1. seqq.* de vocibus loquitur & eas distinguit in nomen et verbum. Dicitque eas esse signa conceptuum. Ita de istis inprimis nunc agimus. Dixi inprimis, quia consequenter nunc etiam tractatur de voce, in quantum aliquid manifestat auditui. Unde hoc consilio, hîc vox et *scriptum* distinguuntur.

103. Cæterùm de vocibus tria sunt tractanda. 1. Cujus signa sint voces? 2. Qualia signa sint: Natu alia an arbitraria? 3. De vocum varietate, sive earum divisione, quæ ordine videnda sunt.

PUNCTUM VII.

Voces cujus sint signa?

104. QUæstio hæc involvit plures particulares quæstiones. Ergo hîc,

QUÆRITUR:

1. *An voces sint signa conceptuum?*

105. 1. *Voces sunt signa conceptuum.* Ita clarè docet Aristot. *de Interp. c. 1.* Contrariè tamen sententiæ tribuitur Scoto *1. d. 27 q. 3.* Et *de Interp. q. 14* 1. Gabrieli *1. d. 22. q. 1. a. 2.* alisque.

106. Ego hac in re sequar Aristotelem, et probo, voces esse signa conceptuum. 1. Quia secus non daretur mendacium. Nam mentiri est contra mentem ire; unde si quis voce significat quod res est, secus tamen loquitur ac est in animo, potest quis vocari mendax, ut eruditè disputat Scal. *Exerc. 2.* Ex quibus necessariò sequitur, quod mendacium intrinsecè consistat in dissonantia vocis ad conceptus, quoad eorum notificationem. At si voces debent notificare conceptus, utique horum signa sunt.

107. *Secundo* probatur ex necessitate finis, quia si id non esset, nulla posset fieri communicatio consiliorum, doctrinæ, etc. inter homines. Id enim fieri non potest nisi nostros conceptus aliis notificemus. At non possumus nostros conceptus immediatè aliis imprimere, prout id ab Angelis fieri dicitur, qui ob id etiam nullo sermone opus habent. Ergo oportet ut id fiat à nobis per aliud, velut. vocem, scripturam, etc. Ergo cum voces notificant occultos prius conceptus. At in notificando consistit ratio signi.

108. Denique; mittendo plura, idem patet per experientiam cujusvis. Quilibet enim

enim in se experitur, cùm audit aliquem loquentem, quòd tum feratur animus illius ad apprehendendos conceptus loquentis.

In contrarium objicitur 1. Vox supponit in oratione pro suo significato. Veluti cùm dico: homo est animal: sensus est, rem illam, quæ est homo, esse rem illam quæ dicitur animal. Ergo si voces sunt signa conceptuum tum etiam stabunt in oratione pro isto significato suo, id est, pro conceptibus. Veluti cùm dico Homo est animal, sensus erit: conceptus hominis, est conceptus animalis. Id autem est absurdum, quia in mente nostra alius est conceptus animalis, alius hominis. Hunc enim mens nostra apprehendit per modum speciei, illud per modum generis. Et patuit in prioribus, conceptus semper realiter distingui, seu in objectis intelligibilibus sit realis distinctio, seu rationis. *Num* 86. 109. *Obiectiones.*

Deinde, aliud sequitur incommodum. Nam si nomina etiam supponerent pro conceptibus, omnia nomina fierent æquivoca. Nam conceptus sunt rerum imagines. At de re & ejus imagine (exemplo Cæsaris, & imaginis ejus pictæ in pariete) non potest quid unum prædicari, nisi æquivocè. 110.

Denique multæ voces dicuntur, quibus nullus conceptus respondet, veluti cùm incogitanter, & in divinis sæpe dicimus, quæ non intelligere valemus. Sunt enim illa ὑπὲρ νοῦν, καὶ καταλήψιν ἡμῶν, ut *Justinus* ait. 111.

Solutiones.

REspondeo *ad primum*, quod signum sit duplicis generis: aliud, est signum suppositivum, aliud manifestativum tantùm. Ubi *signum suppositivum* vocatur illud quod in oratione, supponit vel stat pro suo signato. Tale signum est vox respectu rei. Cùm enim dicit, hominem esse animal, ille significat hoc, quod res illa quæ est homo, sit realiter animal. *Manifestativum* autem est, quod in sermone non supponit pro re, sed eam solùm manifestat & notificat, quomodo hedera est signum manifestativum, cauponæ. Ex quibus patet, per accidens esse ad rationem signi in genere, ut supponat, pro signato. Indéq; posse aliquid esse signum alterius, si illud non pro se supponat. Atq; ita hactenus, sine incommodo, voces possunt dici signa conceptuum non suppositiva, sed manifestativa tantùm. 112. *Signum suppositivum.*

Inquis: Cùm constet voces esse signa suppositiva rerum, cur non etiam sunt signa suppositiva conceptuum? *Respondeo* 1. ad propositum nostrum satis est, si voces sint signa conceptuum, quicquid sit in particulari, an sint signa suppositiva an manifestativa tantùm. 2. Voces autem videri possunt supponere pro rebus, & non pro conceptibus, quia res sunt ultimum signatum vocum, unde intimiùs voces in ratione significandi debent attingere res quàm conceptus. 113. *Dubium.* 114

Ad 2. objectio ex his soluta relinquitur. Nam nunc vera est, voces non supponere pro conceptibus. Inde vox hominis non prædicatur de conceptu hominis. Neque enim conceptus hominis est homo. Atque hinc desinit intimata æquivocatio, quæ non est nisi cùm quid de pluribus dicitur. Atqui nunc vox hominis (denique est in anima) non dicitur de re & conceptu, sed solùm de re. Id inquam, quod in re est, vocatur homo. Id autem quod in mente est, non vocatur homo. Secus verò hic esset æquivocatio. 115.

Ad *tertium* Respondeo, vocem semper præsupponere conceptum quem vox significat. Ille tamen conceptus non necessariò est conceptus ultimus: sed satis est si sit conceptus medius, qualis antea vidimus, *Num.* 99. est conceptus vocis. De quo patet quod dixi. Nam vocis prolatio pertinet ad facultatem motivam. At facultas nisi va non movet nisi directa à cognitione, ut Aristot. docet *l. 2. d. Anim.* Cognitio autem non fit, nisi per conceptum ejus quod cognoscendum est. 116.

Hactenus igitur patuit, voces esse signa conceptus: Sed porro quæritur.

2. *An voces etiam significent res?*

NUnc igitur 1. Dico: *Voces significant etiam res*: Assertio hæc est contra Poëcium, qui *in secunda edit. lib. de Interp.* docet voces solùm signare conce- 117.

ptus. Et probat: Quia voces sunt inventæ ad significandos conceptus. Nam quia immediatè non poteramus conceptus nostros manifestare, voce opus erat, ut si prius esse posset, vocibus non uteremur. Deinde: multæ sunt voces, quibus nullæ res subsunt, veluti sunt Syncategoremata, *omnis*, *nullus*, *quidem*, *quamquam*, *si*, *aut*, & alia.

118. Nihilominus assertionis nostræ veritas patet. Nam 1. Id omne vocatur signum alicujus, per quod ducimur in illius cognitionem. At per voces ducimur in rerum cognitionem. Ergo rerum signa sunt. *Deinde* idem patet, quod in sermone & scripto voces subrogantur pro rebus & pro iisdem supponunt. At id non esset, nisi res significarent. Et proinde 3. Hinc leguntur nomina esse non conceptibus, sed rebus imposita, veluti ut res terræ, vocaretur nomine terræ. Et res hæc, homo, vocaretur nomine hominis. Et sic deinceps.

119. *Ad primum* Boëthii respondeo: Concedendo; quòd voces sint inventæ ad significandos conceptus. At conceptus non possunt significari per voces, nisi hoc ipso etiam res significent. Quid enim aliud sunt conceptus, quàm signa rerum? Et confirmatur: quòd voces feruntur ad manifestandos conceptus, non in esse proprio, secundùm quod sunt qualitates mentis, sed feruntur ad eos manifestandos, in esse repræsentativo, seu in quantum res significant.

120. Ad *alterum* Respondeo: Syncategoremata non debent res seorsim significare, ut ipsa vox insinuat, vi particulæ *συν*. Juncta autem Categorematibus omnino signant rem aliquam, nempe modificatam. Atque ita rei modificatio, significatur per Syncategoremata, quod hic satis est.

121. Atque hactenus obtentum est, voces signare & res & conceptus. Dubitari adhuc potro solet: *Quo ordine conceptus & res significentur per voces?* Sed hæc ex prioribus non obscurè dijudicari possunt.

PUNCTVM VIII.

Qualia signa sint voces, an Naturalia, an Arbitraria?

122. Quæstio hæc valdè antiqua est, etiam tempore Platonis & Aristotelis disputata. Sunt autem de hac quæstione duæ sententiæ: aliis volentibus, ea esse signa naturalia: aliis ea esse signa arbitraria.

123. *Voces esse naturalia signa.* Igitur: voces esse naturalia signa, probatur 1. De vocibus in genere, inde quia sermo homini est naturalis. Oportet igitur & vocem esse naturalem quâ loquamur. *Deinde* roboratur iste discursus, quod secus bruta essent perfectiora hominibus. Ista enim habent naturalia signa suarum passionum, quomodo grunnitus Sui, mugitus Bovi convenit, & sic illi aliis: *Tertiò* in particulari id saltem patet, in multis vocibus, quæ sumuntur ex naturis rerum. Veluti quod *Adam* dicatur ab *Adamach*, quia ita sumptus de terra rufa, & quod *Jehova* dicitur ab *Haish* ad significationem essentiæ sive *αὐτουσίας*, ut sic mihi loqui liceat. *Quartò* probabile quidam existimant si nullam qui linguam discat, fore, ut loquatur quis Hebraicè. Herodotus etiam meminit *l.* 2. quod Psammitichus, Rex Ægypti jusserit educari pueros, inter pecudes, qui cùm ad homines postea accessissent, nominarint *Beccos*, quæ vox Phrygibus panem significat.

124. *Approbatur vocem esse signa arbitraria.* Oppositа tamen sententia est melior, quod voces sint signa arbitraria, quam apertè tradidit Aristoteles, *de Interp. c. 2. & 4.* Ubi voces ait esse *σημαντικὰς κατὰ συνθήκην*. Et patet, quia si essent signa naturalia, tum apud omnes essent eadem, & omnibus idem significarent. Naturalia enim sunt immutabilia, sicut in omnibus nationibus vaccæ mugiunt, & mugitus indicat affectus vaccarum. Et omnibus in locis fumus significat ignem. At id non est in vocibus. Igitur quod in Germanica vocamus, *Mensch*, significat nobis hanc rem, ex voluntate & impositione nominum. Plura dimitto.

125. Ad *Primam* objectionem *Respondeo*: quòd sermo quidem sit naturalis, non tamen

men naturalis est hic sermo, veluti Latinus aut Germanicus. Hoc ergo naturale est, sonos linguæ posse articulare, id quod brutis non convenit. Ex voluntate autem & arbitrio hominum est, quod hæc sive illa lingua tales soni proferantur. *Solummodo signa voluntaria.*

Neque tamen hinc sequitur, quòd homo per defectum naturalium signorum sit brutis imperfectior. Nam etiam homo habet naturalia signa suorum effectuum veluti risum, lachrimas, osciationem, sternutationem, tussim & hujus generis alia. Ergo quod præterea habet signa voluntaria, pro conceptibus suis exprimendis, id abundantioris est perfectionis, partim quia accepit homo rationem per quam sufficienter potest explere istum, si quis est, defectum in faciendis sib. signis ad placitum suum. 126.

Ad *Tertium* Respondeo: Signa naturalia non dici illa, quæ sumuntur ex naturis rerum vel congruenter iis, sed quæ ante supervenientem d spositionem externam per se *sufficientia* sunt ex naturis suis, ad notificandum aliquid, ut plenius patuit *Num.* 48. 49. *supra hoc cap.* At id non est in vocibus. Nam etiam quæ ex naturis rerum sumuntur, nihilominus nondum possunt significare, nisi arbitrium humanum interveniat. Veluti hominis nomen sumitur ex ejus natura, quod scilicet est *ex humo.* At cur non etiam lapidem & plantam vocamus hominem, quæ etiam sunt ex humo sive terra? Cœlum vocamus Schamajim ex natura illius, quia aquæ ibi. At cur non etiam mare vocamus Schamajim, cùm & ibi sint aquæ? Nulla certè hic causa dari potest, nisi ex arbitrio impositorum, quod clarius patet, si loquamur de nominibus primitivis. Nam cur terram vocamus hoc nomine, *terra* vel *humus*, aut cur aquas vocamus *Majim*. Hic iterum nulla causa dari potest, præter hominum arbitrium. 127. *Signa naturalia quæ sint?*

Quod *in quarto* tangitur, per se improbabile est, quicquid videatur aliis. Nam imprimis de facto apparet, quòd nemo loquatur Hebraicè, nisi qui peritiam linguæ illius sit adeptus aliunde? 128. *An lingua Hebraica vel alia possit esse naturalis?*

Dices: Id esse propterea, quia homines illico assuefiunt suis linguis. *Respondeo:* Ut naturalia non mutantur assuefactione. Millies si lapis sursum projiciatur, non desinet tamen ascendere. Ita si vel maximè homines assuefiant ad linguas alias, nihilominus oporteret exeri saltem aliquid de locutione Hebræa quod nunquam & nusquam deprehensum est.

Illud verò *Decus* Phrygum vel frivolum est & mentitum, vel si quid tale auditum est, contingenter & per accidens id factum est, ut pueris illis censendum sit fuisse vocem ἄσημον. Fortasse etiam Phryges inde gloriam nominis & antiquitatem generis captaturi, valde attenti fuerunt in judicandis vocibus illorum puerorum, unde fieri potuit ut ex obiter prolatarum vocum similitudine ad voces suæ linguæ facilè deciperentur.

PVNCTVM IX.

De varietate seu divisionibus vocum.

HAnc vocum varietatem, utpote, quæ ab instituto Metaphysici paulò alienior esse videtur, non tam tractabo, quàm superficiariè recensebo. 129.

1. Rhetori alia vox est propria, alia tropica sive modificata. 130.

2. In Grammatica vox dividitur per octo partes orationis vulgò notas.

3. Vox alia est *Categorematica*, quæ per se aliquid significat sine addito: Atque hinc etiam potest absolvere subjectum & prædicatum in propositione, vel *Syncategorematica*, cujus significatio est modificare significationem alterius; veluti sunt particulæ adverbiales & aliæ. 131

4. Vox est primæ vel secundæ notionis. *Primæ notionis* nomina dicuntur, quæ immediatè significant res, ut vox *Homo, canis. Secundæ notionis* nomina sunt, quæ imponuntur primis, indèque res non significant, nisi his mediantibus. Veluti *subjectum* significat rem, sed in quantum sub eo sumitur pariter, qui est subjectum alterius, & sic in aliis. 132.

5. Vox

133 5. Vox est certa vel ambigua. *Ambigua* est, quæ multa simul significat, citra convenientiam in eadem definitione, quomodo *canceri* est aliquid ambiguum, ad sidus cœleste & animal aquatile. *Certa* est, quæ aliquid definitè significat, veluti, vox hominis, cùm dico: Homo est animal. Volui autem id declarare in ordine ad propositionem. Nam extra propositionem fortè nullum vocabulum est, quod non sit ambiguum, ut Aug. docet, *de princip. Dial. cap.* 5. Vide de his prolixiùs, *in Top. comm. c.* 27.

134 6. Vox est concreta vel abstracta. *Concreta* vocatur, quæ habet modum significandi compositum, hoc est, significat & formam aliquam & connotat subjectum, ut hæc vox *Albus*, *Abstracta* est, quæ significat formam nudè, citra implicationem subjecti ut hæc vox *Albedo*. Est de his prolixiùs *in Top. comm. c.* 25.

135. Aliàs multas nominum divisiones recensèt Fonseca, *l.* 1. *Inst. Log. aliquot capp.* Sed pleræque non sunt divisiones nominum sed rerum, unde eas omitto.

136. Cæterùm possunt hæc etiam applicari ad voces *scriptas*, non minus ac ad voces prolatas.

Atque sic hactenus fuit de vocibus, sequitur de tertio genere signorum doctrinalium, quod comprehendit Scripturam.

PVNCTUM X.
De Scripto.

137. Quæ de vocibus dicta sunt, satis illustrant signum hoc, quod *Scripturam* vocamus. Igitur scripta significant res & conceptus: sicut & voces: Quod probari potest, sicut & de voce probatum erat. *Deinde* horum non sunt signa naturalia, quia Scriptura non secus ac voces variant ex arbitrio humano. Alia hic addere necesse non est. Videatur plenius Colleg. Conimbr. *de Interp. c.* 1. *q.* 3. *a.* 4.

ARTICULUS VIII.
De divisione signi in aptitudinale & actuale.

138 Divisio hæc sumitur ex respectu signi, quem habet ad potentiam cognoscitivam. Indèque vocatur id *actuale*, quod actu significat aliquid potentiæ cognoscenti. *Potentiale* sive aptitudinale, quod aliquid significare potest. Illustrantur hæc per dicta superiùs *num.* 232. Unde etiam patet, an rectè sic dividatur signum, quia videri potest omne signum debere actu repræsentare.

DIVISIO IX.
Signum est proprium vel improprium.

139 *Prior sensus.* Proprietas & improprietas quibusvis ferè materiis applicantur. Potest autem illius divisionis duplex sensus esse. *Primò* quidem per signum proprium intelligi potest id, quod per excellentiam signum est, quomodo signa sensibilia, signa sunt, & quæ aliàs instrumentalia vocantur. Unde nunc signa impropria sunt quibus non ex prima vocis impositione convenit dici signa, sed ad quæ vox signi extensa est, ob inventam similem rationem in his & istis, qualia signa solùm intelligibilia, & universum quæ formalia dicuntur.

140 *Posterior sensus.* Frequentiùs tamen hoc sensu occurrit ista divisio, ut *signa impropria* dicantur, quæ significant sive signant quidem aliquid, non tamen sunt per se instituta à natura vel aliunde, ad hoc significandum. Tales sunt effectus naturales respectu causarum. Quia enim hi non possunt non pendere à causis, inde ubi effectus sunt, facilè colligitur, subesse vel adfuisse causas, atque ita sunt causarum suarum signa. Propria igitur signa erunt illa, quæ & significant, & ad hoc instituta sunt, ut scilicet significent.

Atque

Atq; hoc modo species sensiles & intelligibiles, & conceptus & voces sunt signa propria, quæ ad nihil aliud ordinata sunt quàm ut significent, sive repræsentent aliquid.

DIVISIO X.

Signum aliud est suppositivum, aliud manifestativum tantum.

Distinctio hæc satis intelligitur, ex superiùs dictis, *Num.* 112. 113. 141

DIVISIO XI.

Signum est notificans (sive Nota) vel commonefaciens vel obsignans.

Divisio hæc sumitur ex fine signorum. Alia igitur dicuntur signa, *Notificantia*, quæ patefaciunt rem ignotam. Unde Græcè dicuntur γνωρίσματα. *Commonefacientia* signa (μνημόσυνα, monumenta) dicuntur, quæ conservant notitiam rei cognitæ. *Obsignantia* (σφραγίδες) sunt, quæ certificant rem cognitam. Ita pura doctrina & rectus Sacramentorum usus sunt notæ Ecclesiæ. Cœna Dominica est μνημόσυνον Passionis Dominicæ. Circumcisio est σφραγὶς sive signaculum Justitiæ fidei. 142.

Conditiones notarum solent vulgò mukæ poni in controversia de notis Ecclesiæ, quæ disputatio tota non est de Notis, quæ ἐνδεχόμενα sunt hoc est, signa contingentia, sed de τεκμηρίοις, hoc est, notis necessariis & perpetuis & inseparabilibus. Nam etiam aliàs nota potest esse contingens & solùm notificat ut plurimum, quomodo in Logicis solent poni notæ argumentorum, veluti in diversis, in similibus, &c. quæ tamen abesse possunt ab istis argumentis, et reperiri in argumentis aliis. 143. *Conditiones notarum.*

Ergo *primo* exquisitæ *Notæ debent simul esse cum notato.* Ita tradit Witackerus *de Ecclesia contra Bell. q. 5. pag. 296 304.*

Secundo: Notæ debent esse propriæ non communes. *Si enim velim designare tibi certum hominem, quem antehac vidisti, ut mox atq; videris discernere eum ab aliis possis, non debeo dicere est quidam homo, qui habet duos oculos, duas manus, &c.* inquit Bellar. *lib. 4. de Eccles. c. 2 p. 280.* Et rectè. Atq; ex hac propria Bellarmini nota, collabuntur omnes ferè, quas Papistæ afferunt, pro notis Ecclesiæ. Nam et Hæretici vocant se Catholicos, et Græcæ Ecclesiæ habent successionem ab Apostolis, et ab Ethnicis aliqua patrata sunt miracula: et Arzania eandem antiquitatem habent, quàm triticum, et sic in aliis. 144.

Quod autem subjicit Bellarminus, notas debere proprias esse notato, non solùm in re, *sed etiam in hominum opinione.* ut eas sibi nullus alius vendicet, id frivolum est. Nam has ipsas, quas Pontificii ponunt, pro notificanda Ecclesia, vendicant sibi illi, quos ipsi Hæreticos vocant, veluti Ecclesiæ notæ sunt: quòd sit una et sancta et Catholica. At has nos etiam nobis vendicamus et nostræ Ecclesiæ. Proprietas igitur notarum satis est, si sit, sepositâ opinione, in rei veritate. Vide Witacker. *de Eccles. p. 495 499. 510.* 145.

Tertio; Nota debet esse notior notato. Aliàs enim non est nota, sed ignota. Ita Bellarmin. *d. l. 4. de Eccles. c. 2.* Similiter hæc conditio rectè assignatur, et probatur, à Witackero *d. l. p. 499.* quia de ratione notæ est, ut sit id, per quod cognoscimus aliud. At propter quod unumquodque tale est, id magis tale est. 146.

Quarto; Nota debet à notato esse inseparabilis. Ita etiam ponit Bellarm. *lib. 4. de Eccles. c. 2.* Et amplectitur Witackerus *de Eccles. p. 504.* Atq; hinc sequitur claritatem, amplitudinem, etc non esse notas. Nam hæ possunt abesse ab Ecclesia, veluti cùm tempore Antichristi Ecclesia fugit in desertum.

CAPUT XXV.
DE MENSURA ET MENSURATO.

1. Sub signo & signato comprehenduntur mensura & mensuratū.
2. Mensura est signum quo quantitas alterius cognoscitur.
3. Ejus correlatum dicitur mensuratum, éstque id cujus quantitas cognoscitur.

COMMENTARIUS.

1. COnnexio hujus capitis cum præcedente, facilè patet, quia mensura & mensuratum participant rationem signi & signati. Id enim signum dicitur, quod ducit in cognitionem alterius, ut suprà visum est. At id convenit etiam mensuræ, ut exprimit ejus definitio per vocem *cognoscitur*, quâ etiam Aristoteles utitur in definitione Mensuræ *lib.* 10. *Met. c.* 1. ut postea videbitur. Atq; ita mensura videtur contrahere rationem signi. Signum enim in genere est, quod aliquid signat. Mensura autem est, quod signat quantitatem alterius. Atque hinc de mensura agi potuisset in præcedente capite, sed id jamdudum satis excrevit. Simile quid factū est suprà, excerpendo speciale caput de causis, ex doctrina principiorum. Antequam progrediamur quærendum est: An Metaphysici sit agere de mensura & mensurato; Tum de voce, definitione, distributione & aliquibus proprietatibus mensuræ agendum est.

TITULUS I.
AN METAPHYSICI SIT AGERE De mensura & mensurato?

2. NUllus Metaphysicorum, quantum scio, ex professo Materiam hanc tractavit in Metaphysicis, solùm declarant incidenter rationem mensuræ, cùm agitur de essentia quantitatis & speciebus durationum, quibus locis Suarez de ea egit *disp.* 40. *Met. s.* 2. & *disp.* 50 hinc inde, inprimis autem *s.* 2. *n.* 7. & *s.* 10. *n.* 1. *seqq.* & *s.* 4. *n.* 3 *seqq.* Alii attingunt eam materiam, agentes de unitate, quomodo & Arist. *l.* 10. *Metaph. c.* 1. incidit in mensuræ considerationem.

Quod de mensura debeat Metaphysicus agere.

3. Nihilominus facilè patebiac de re, ex instituto, disserendum esse in Metaphysicis. Nam ratio mensuræ & mensurati, est aliquid scibile, unde frequenter inter disputandum isti termini occurrunt. At de istis non potest tractari in particularibus scientiis, quia singulas has transcendunt, reperiunturq; in Entibus sumptis supra subjecta specialium istarum scientiarum. Relinquitur igitur, quod de iis agendum sit in Metaphysica.

4. *Objicis:* Mensuram restringi ad quantitatem. At quantitas insequitur materiam, à qua Metaphysicus abstrahit: Ergo sic ratio mensuræ est infra & extra abstractionem Metaphysicam: Vel saltem docerī de ea debet in prædicamento quantitatis, inter ejus attributa. *Resp.* quicquid sit de quantitate, ejusq; ad materiam consequentia vel connexione, ratio mensuræ nec extra abstractionem Metaphysicam est, nec pertinet ad prædicamentum quantitatis. Nam mensura restringitur ad quantitatem quidem sed latè eam sumendo, ut comprehendat etiam quantitatem perfectionis. Indéque mensura indifferenter dicitur sive mensuret magnitudinem, sive perfectionem rerum, ut postea patebit.

TITULUS II.
DE VOCE MENSURÆ.

5. *Mensuræ vox ambigua.* VOx mensuræ aliquando negativè sumitur, veluti cùm Deus dicitur *mensura sui esse.* Hujus enim sensus negativus est, quod scilicet non sit aliud, quod Deum mensuret. Quomodo Deus dicitur esse Ens à se, non quia per positivam actionem

actionem se produxerit, sed quòd non sit productus ab alio. Eodem modo, quod Augustinus ait, Deum finiri sua cognitione, id intelligitur negativè. quod scilicet creato intellectu non possit finiri essentia divina. Ita nunc non intelligitur vox mensuræ.

6. *Mensura activè & passivè sumitur.*

Frequenter etiam distingui solet vox mensuræ, quòd sumatur modò activè, modò passivè. Passivè sumitur cùm ab eo denominatur mensurabile. Et sic solet tempus vocari numerus vel *mensura motus*, hoc est, res mensurabilis & numerata à motu. Quod & Aristoteles tradit *l.4.Phys.c.11.t.102.* Sic & Scal. *Ex.352.sect.2.* Tempus μέτρον vocat motus, quia natura tempus metitur motu. Sic quæri solet. An esse quantitatis consistat in ratione mensuræ? Hic notant Interpretes, vocem mensuræ activè & passivè sumi, ut sensus sit: An esse quantitatis consistat vel in hoc, ut mensuret, vel in hoc, ut mensuretur. Activè igitur sumitur mensura, cùm ab eo denominatur mensurans. Et hæc significatio usitatior est priori. Sumitúrq; ita nunc à nobis, quia mensuram opponimus mensurato.

7. *Mensuræ vox cui sit primum imposita? Tripliciter sumitur.*

Denique observandum est, quod nomen mensuræ *primo* sit impositum ad significandam mensuram quantitatis specialiter dictæ, unde postea traductum est hoc nomen ad significandam mensuram, etiam quantitatis intensivæ sive perfectionis. Atq; hinc tripliciter solet sumi vox mensuræ: *Aliquando* enim intelligitur de ea mensura cui significandæ, primò est imposita ea vox, hoc est, de mensura quantitatis specialiter dictæ. Ita mensura ab Aristotele dicitur esse quid minimum, *l.10.Met.c.1.* Nam de mensura perfectionis secus est. Nempe quod talis mensura debet esse non minimum sed maximum in perfectione, sive perfectissimum. Aliquando autem intelligitur mensura, de mensura perfectionis, veluti cùm Protagoras ait, hominem esse mensuram omnium rerum, sive omnium viventium, ut Scaliger loquitur *Exerc.102.s.2.* Deniq; mensura intelligitur in communi: veluti cùm Arist. *d. lib.10.Met.c.1. in fine*, ait mensuram esse in quantitate. At hoc posteriori modo nunc sermo est de mensura.

TITULVS III.

DE DEFINITIONE MENSURÆ.

8. Μέτρον ἐστὶ πσὸν γνώσεται, *Mensura est qua quantum cognoscitur*, ait Arist. *l.10.Met.c.1* Mensura inquam est, qua cognoscitur quantitas mensurati.

9. Cæterùm notandum hìc est, quòd vox quantitatis significet, & quantitatem molis, seu (ut rectiùs loquamur, ad comprehendendam etiam quantitatem discretam) quantitatem prædicamentalem & extensivam, juxta quam solemus hominem, verbi gratia, *corpore magnum* vocare: & quòd etiam significet quantitatem virtutis quam aliàs quantitatem perfectionis, & quantitatem intensivam vocare solent. Juxta hanc dicimus, hominem *animo magnum*, item calorem magnum, doctrinam magnam. Hic enim disertè notari aliquam quantitatem, vox *magni* indicat. Atque ex his dicendum est, quod quantitas in mensuræ definitione intelligatur cum indifferentia ad utramque quantitatem. Sicut Aristoteles subjicit, dicens: Mensuram esse & ad quantitatem & ad qualitatem. Mensura igitur hactenus est, id, quo quantitas rei cognoscitur, hoc est, quo cognoscitur, quanta sit rei longitudo vel latitudo, &c. (quæ quantitates prædicamentales fuerunt) item ex quo cognoscitur, quanta sit rei perfectio.

10. Deinde in eâdem definitione ponitur vox *cognoscitur*, quæ vox infert respectum mensuræ ad potentiam cognoscitivam. Atque ita mensura omnis implicat duplicem respectum, alterum ad mensuratum, cujus quantitas exploratur per mensuram: Alterum, ad potentiam cognoscentem, cui mensuratur vel manifestatur quantitas mensurati, quæ plenius intelligi possunt ex iis, quæ de signis in genere dixi, suprà *Num.14.164.qq* supra *Cap.14.* cum quibus confer Soncin. *l.10.Metaph. q.2.* §. *Respondeo.*

11. Potest ex dictis decidi quæstio: *An possit alicujus Entis essentia posita esse in ratione*

An aliculus essentiæ possit esse in ratione mensuræ.

ne mensura? Ita existimant aliqui. Nam Thom. *Opusc.* 52. essentiam quantitatis ponit in ratione mensuræ. Sic & aliqui esse durationis ponunt in ratione mensuræ, ut suprà retuli c. 16. n. 21. Hæc tamen sententia non potest procedere. Et de durationem quidem id superiùs patuit *d. l.* Patebitq; initiâ de quantitate. Nunc satis sint

11. generalia argumenta contra hanc opinionem. *Primò*: Ratio mensuræ completur per denominationem extrinsecam. At id, in quo rei essentia consistit, debet maximè intrinsecum esse. *Deinde* non vocatur aliquid mensura, nisi in quantum aliquid ab intellectu assumitur aut assumi potest, ad notificandam quantitatem alterius. At id non est aliud, quàm aliquid esse, aut posse esse medium, concludendi aliquid. At hæ denominationes non conveniunt rebus, nisi præsuppositis essentiis, juxta quas, res idoneæ sunt, ut iis intellectus noster, in discurrendo, & alia investigando utatur. Confer Suaretz *disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 12. *& sect.* 7. *num.* 7.

TITVLVS IV.
DE DIVISIONE MENSURÆ.

13 Mensura duplex.

POtissima divisio mensuræ sumitur ex distinctione quantitatis mensurabilis. Omnis enim mensura mensurat & notificat quantitatem alterius. At quantitas est duplicis generis. Alia est quantitas molis, sive quantitas prædicamentalis, ut antea placebat loqui; alia quantitas perfectionis. Hinc ergo mensura duplex est, alia mensura est, quæ mensurat veram & propriè dictam quantitatem: alia mensurat quantitatem intensivam, sive quantitatem perfectionis.

ARTICULUS I.
De Mensura quantitativa.

14 Mensura adæquationis.

MEnsura prioris generis iterum est duplex. Alia vocatur mensura *adæquationis*, quæ est, cùm mensura & mensuratum exactè in quantitate conveniunt, ut mensuratum non excedat quantitatem mensuræ, in quo casu solùm mensura sit inadæquata. Nam cum mensura excedit quantitatem mensurati, esset quidem inadæquatio, sed tum simpliciter non est mensura inadæquata, quia de ratione mensuræ est, esse minimum: in quoque genere (de hoc genere mensuratum loquendo) hoc est, non esse majus mensurato. Unde sic ulna non vocatur mensura quadrantis panni, sed quadrans ulnæ metitur quadrantem panni. Atque in hoc sic relinquitur exemplum mensuræ adæquationis, quantitas enim in quadrante & panni & ulnæ est æqualis. Ita sex unitates sunt mensura adæquata senarii. Ulna est mensura adæquata quantitatis, æqualis in panno. Duodecim asses sunt mensura adæquata unciæ. Et sic in aliis.

15. Mensura repetitionis.

Huic mensuræ adæquationis opponitur mensura *repetitionis*. Quia enim mensura debet exactè notificare quantitatem mensurati, hinc si hæc excedat, oportet ad cognoscendam mensurati quantitatem iterari & repeti applicationem mensuræ. Posset hæc mésura vocari inadæquata, sicut in oppositione prior dicebatur adæquata. Ita unitas est mensura senarii per repetitionem. Oportet enim unitatem repeti et sexies iterati ad mensurandum senarium. Sic stadium est mensura milliaris. Oportet enim aliquoties iterari stadium ad mensurandum milliare. Ita gradus est mensura Æquatoris, aut alterius circuli, quia 360 gies repetitus gradus, adæquat æquatorem & sic in aliis.

16

Cæterùm divisio hæc exinde apparet convenire soli mensuræ quantitativæ, quia mensura perfectionis non dicitur, nisi quod est perfectissimum, quodque adeò excedit quantitatem alterius. Ergo nihil est mensura perfectionis per adæquationem, quanquam possit esse mensura, & in hoc genere per repetitionem. Unde omnis mensura perfectionis est, propter excessum perfectionis, inadæquata mensurato.

17.

Et hactenus quidem sunt de mensura quantitativa (specialiter sic dicta:) sequitur ut & de altera dicamus, hoc est, de mensura perfectionis.

ARTIC

ARTICVLVS II.

De Mensura perfectionis.

DE hac *primò* tenendum est: quòd rectè dicatur mensura, & proindè rectè contradistinguatur contra mensuram quantitativam. Nam ita docet expresè Aristoteles *l.10. Metaph.c.1.* ubi docet: mensuram non solùm esse quantitatis, sed etiam, qualitatis: Et patet illud, ex vulgatissimo modo loquendi. Deum enim v.g. dicimus mensuram omnium rerum. At id nòn potest intelligi de mensura quantitativa. Igitur non est aliud quàm mensura perfectionis. Assumptum patet, propter duplicem repugnantiam. Nam 1. Sic Deus ipse haberet quantitatem. Mensura enim debet esse συμμετρὸς mensurato, per Arist. *d.l.10. Metaph. cap.1.* unde quantitatem non nisi quantitas, longitudinem longitudo, latitudinem latitudo mensurat, &c. ait ibi Aristoteles. At incongruum est, Deo tribuere quantitatem. Alia repugnantia est, quod sic oporteat omnes res extra Deum esse quantas. Supponimus enim Deum esse mensuram omnium rerum, undè nisi mensura alia esset à mensura quantitativa, relinqueretur necessariò, omnes res esse quantas, quod absurdum est. 18.

Cæterùm mensura perfectionis mensurat perfectionem, ut vox ipsa indicat. Id autem fit eatenus, in quantum intellectus, id quod mensura dicitur, assumit, & per appropinquationem aut recessum ad illud, indicat de majore aut minore perfectione. 19.

Veluti: Homo est regula & mensura viventium: apud Scalig. *Exer.102.s.3.* Hinc ergo cognoscitur perfectio viventium, sic, ut ea quæ plus participant de perfectionibus hominis, dicantur perfectiora: Ea autem quæ minus habent de istis, dicantur imperfectiora. Veluti sic perfectiora sunt animalia bruta, quàm plantæ. Nam in brutis animalibus, reperitur etiam ista hominis perfectio, quæ est sentire & appetere, & moveri loco. At istæ non sunt in plantis. Sic inter animalia illa quæ omnes sensus & motum habent, sunt perfectiora istis, quibus motus & sensus aliqui desunt, quia ista his viciniora sunt, in ordine ad perfectiones humanas. 20. *Homo quomodò sit regula viventium?*

Sic albedo, quæ est perfectissimus color, mensurat perfectionem colorum aliorum, indéque, qui isti propinquior est, perfectior est alio. 21. *Albedo mensurat alios colores.*

Objicies: Sic nigredinem esse imperfectissimum colorem, qui maximè recedit ab albedine. Prius tamen absurdum videtur, quia color iste efficaciùs movet visum, quàm color cineraceus v.g. vel quispiam alius medius. At movere visum est perfectio coloris. Ergo qui magis & efficaciùs movet, etiam erit perfectior color. 22.

Respondeo: Albedinem esse mensuram aliorum colorum attendendo solùm formale coloris, ut observat Soncinas *10. Metaph. q.2.§. quantum ad secundum.* Formale autem in colore dicitur lumen, per quod actuatur color. Unde sic, qui color plus participat de luce, propinquius accedit ad albedinem, quæ eam maximè habet, & proinde sic est perfectior colore alio. Unde idem formale attendendo color niger est imperfectissimus color, quia minimum habet de luce. Motio autem potentiæ visivæ & terminatio diaphani, hactenus non attenduntur. Et summatim nihil absurdi, unum sic, aliud aliter nobilius & perfectius esse alio.

ARTICULUS III.

An Deus rerum aliarum rectè dicatur mensura perfectionis?

FRequentissimè id dicitur à Philosophis & rectè. Nam per appropinquationem ad Deum æstimantur perfectiones, ut quæ plus participant de perfectionibus divinis dicantur perfectiora aliis. Ita homines sunt perfectiores brutis, quia facultatem intelligendi habent, in qua cum Deo conveniunt. Eam autem bruta non habent. Rursum Angeli sunt perfectiores hominibus, quia ista omnia intelligunt intelligentiâ simplici, quâ Deus etiam semper utitur. Homines autem non intelligunt omnia simplici & intuitiva intelligentia, sed sæpe utuntur intellectione dianoetica, sive discursiva, quæ in Deo non est. Unde in tantum recedunt à perfectione divina, indéque imperfectiores sunt Angelis. 23.

24 Sed in oppositum est, quod quælibet creatura infinitè distet à Deo; Ergo una non magis distat, quàm alia. Infinitum enim non dicitur secundùm magis & minus. Id enim si esset, tum quod proprius accedit aliquotjes iteratũ adæquaretur infinito, quod implicat. Et patet in numeris. Centum vig non magis accedunt ad numerum infinitum, quàm tria aut quatuor, propter rationem dictam. Quod si autẽ una creatura non magis distat à Deo, quàm alia, etiam una non magis appropinquat, quàm alia. Ergo Deus non est mensura perfectionis in rebus creatis. *Respondeo*, potest unumquodq; Ens creatum apprehendi, ut medium inter duo extrema. Veluti Deum & non Ens. Atq; sic una creatura magis appropinquare dicitur Deo, quàm alia, non tam secundùm aliquam proportionem ad ipsum, ita ut una appropinquet ei aut distet ab eo, in duplo, alia in triplo: sed tanto magis dicitur, una appropinquarè Deo, quàm alia, quanto plus recedit ab altero extremo opposito, hoc est, à nobilitate, à qua tanto magis recedit, quanto ejus entitas est perfectior, sicut denarius potest dici magis appropinquare infinito quàm senarius, quia magis distet ab unitate, licèt uterq; eorum distet infinitè, & sine proportione à numero infinito.

25. Alio modo dici potest: quod in Deo sint (ratione) distinctæ plures perfectiones, veluti esse, vivere, intelligere, etc. Dicuntur igitur aliqua magis appropinquare, quia non solùm habent esse, sed etiam vivere; Alia verò et utrumque horum habent, et præterea intelligunt, ut maximè, particulatim loquendo, vivere creatum et vivere Dei, et intelligere creatum ac intelligere divinum, infinitè distent. Videatur Soncin. *l.* 10. *Metaphys. q.* 2. §. *Respondeo.* Sed nunc inquirendum est, cui primò conveniat ratio mensuræ?

ARTICVLVS IV.

Cui primo conveniat ratio mensuræ?

26. ATtuli hactenus varia mensurarum genera. Perfectio rei unius, dicebatur mensura perfectionis alienæ, et mensura applicabatur ad numeros et ad quantitatem continuam. De utra igitur harum primò dicatur, vox mensuræ, quæri solet.

27. *Mensura primo convenit veræ quantitati.* Hac in re dico 1. *Mensura principaliter, & primo dicitur de mensura quantitatis prædicamentalis.* Ita patet; Quia omnis mensura dicitur respectu ad quantitatem mensurati, ut patuit per Aristotelicam definitionem mensuræ *ex l.* 10. *Metaph. c.* 1. Quantitas autem per prius dicitur de quantitate prædicamentali, quæ hinc etiam præcisè et sine addito solet vocari *Quantitas*. Ergo idem etiam erit in mensura. Atq; ita sicut vox quantitatis, præter primam impositionem, est extensa et ampliata ad quantitatem virtualem; Ita etiam vox mensuræ eandem extensionem subit. Et hoc clarè docet Arist. *d. l.* Confer Pererium *l.* 12. *de temp. c.* 5.

28. *Qualitates quomodo notiores quantitate.* *Obicis*, Illi prius convenit ratio mensuræ, quod alio notius est, quia mensuræ est notificare. At qualitates sunt notiores quantitate, in quibus potest esse ratio mensuræ perfectionis. Ergo in qualitatibus prior erit ratio mensuræ, quàm in quantitate. Indéque mensura perfectionis per prius erit mensura, quàm mensura quantitativa. *Respondeo*; Qualitates esse quidem absolutè notiores quantitate, eas præsertim, quæ sensiles sunt, attamen, secundùm quid, quantitas est notior qualitate. Secundùm quid inquam, hoc est, secundùm mensuræ rationem; Quod enim est mensura, id debet ita notius esse, ut aptum sit ad notificandam alterius quantitatem. Ad quantitatem autem notificandam nihil tam proportionatum esse potest, ac quantitas ipsa.

29. *Unitati prius convenit mensura quam quantitati continuæ.* 2. Propositio; *Mensura prius convenit unitati, quàm quantitati continuæ.* Ita docet Soncin. *l.* 10. *Metaph. c.* 2. §. *quantum ad tertium.* Et interpretes ferè communiter, *ad* 10. *Metaph. c.* 1. ad mentem Aristotelis *hoc loco*. Et patet. Quia continuum nõ fit, nisi per additionem unitatum. Ergo unitas simpliciter prior est quantitate. Quod autem ista prioritas sit etiam in ratione mensuræ, apparet ex duobus. 1. Quia ipsa unitas est mensura quantitatis continuæ per sui repetitionem. Et sic in ratione mensuræ, continuatum ab uno dependet. Aliud sit, quod Aristoteles

10. Me-

10. *Metaph.* declarans rationem mensuræ in quanto continuo, transsumit nomina ex unitate, veluti quod mensura debeat esse quid *indivisibile* & *minimum*, quæ quantitati continuæ simpliciter non conveniunt, sed declarantur in ea per proportionem ad unitatem.

Obicis: hanc propositionem pugnare contra superiorem: Nam unitas non est quantitas. At priori propositione dicebatur mensuram per prius convenire quantitati. *Respondet* Suarez *disp.* 40. *Metaphys. s.* 3. *num.* 15. Mensuram esse, per repetitionem, esse proprietatem unitatis, & ei primò convenire: Esse autem mensuram per accommodationem sive adæquationem, esse proprietatem quantitatis continuæ. *Sed* hæc sententia non placet: Nam per rationē factam patet, absolutè rationē mensuræ prius reperiri in unitate. Vnde, ad conciliationem hujus præcedentis propositionis, rectiùs dicitur, quod prior propositio constituat quantitatem pro primo subjecto mensuræ: Id autem intelligendum sit largè, ut comprehendat tum ea, quæ absolutè, tum ea, quæ per reductionem pertinent ad prædicamentum quantitatis. Quale quid est unitas. Hæc autem propositio determinat, quod ratio mensuræ conveniat primò, non illi, quod per se est quantitas, sed quod tale est per reductionem. Nulla igitur hic pugnantia. 30

3. Propositio. *Vnitati prius convenit ratio mensuræ quàm numero.* Ita etiam docet Soncin. *d. l.* & patet, quia certum unitatis est mensurare numeros: Et præterea, quia esse minimum & indivisibile (quæ conditiones sunt mensuræ) primò reperiuntur in unitate. 31

Tandem igitur relinquitur: quod simpliciter primò, conveniat unitati esse mensuram. Non verò mensuræ perfectionali; Nec quantitati continuæ; non etiam numero, ut hactenus per distinctas propositiones patuit. 32. *Unitas primo est mensura.*

Et hactenus quidem propriam mensuræ divisionem exposui, nunc etiam quæritur. 33.

ARTICULUS V.

An mensura rectè distribuatur in extrinsecam & intrinsecam?

Distinctionem hanc tradit Soncinas *l.* 1. 10. *Met. cap.* 2. §. *quantum ad secundum.* Igitur *extrinsecam* mensuram vocat eam, ad quam comparando mensuratum, cognoscimus ejus (mensurati) quantitatem, sive dimensionem, sive virtutem. Hoc sensu perfectum in aliquo genere dicitur esse mensura aliorum. *Intrinseca* autem mensura est, rei (mensuratæ) quidditas, per quam cognoscitur, quanta sit illa, secundùm quantitatem perfectionis: aut ejus intrinseca quantitas, per quam certificamur de ejus propria magnitudine, sicut per quantitatem, quâ Sortes formaliter est extensus, cognoscimus quantus sit Sortes. Hæc ille. Eandem divisionem tradit Ægidius, ut refert Suarez *disp.* 50. *Metaph. s. n.* 2. 34. *Extrinseca mensura quid?*

Hæc divisio mihi non placet, qui existimo omnem mensuram esse aliquid extrinsecum mensurato, atque ita repugnantiam esse, dicere, aliquid esse mensuram, & tamen esse rei intrinsecum. Vnde specialiter multi alii negant, quantitatem posse esse mensuram proprii subjecti. Ita Scotus 2. *d.* 2. *q.* 2. Duran. *sb. q.* 5. Suarez *disp.* 40. *s.* 3. *n.* 11. aliique. 35. *Refellitur.*

Igitur 1. *quidditas rei non potest esse sibi mensura intrinseca.* Nam interrogo, quid mensuret? omnis enim mensura aliquid mensurat, & notificat, quod antea erat ignotum. Dici hic nihil aliud potest, quàm quod mensuret perfectionem quidditatis. At hoc incongruè dicitur. Nam 1. quidditas & perfectio quidditatis realiter idem sunt, ut patet ex dictis suprà de perfectione. Mensura enim & mensuratū, juxta communem modum loquendi, non debent esse realiter idem, quia mensura comparatur ad mensuratum, tanquam aliquid hoc notius, & illud notificans: unde si mensura & mensuratum coinciderent in re eadem, tunc una eadémque res esset notior & ignotior se ipsa. Confer Pererium *l.* 12. *de tempor. c.* 10. *propos.* 2. 36. *Quidditas non potest esse sibi mensura?*

Deinde mensura semper debet esse homogenea mensurato. Ergo quod mensuratur perfectionem

perfectionem Jam dum habet perfectionem. Quidditas igitur secundùm quod habet perfectionē mensurat quidditatis perfectionem, hoc est, quidditatis perfectio mensurat ejusdem quidditatis perfectionem, quæ nugatio est & ταυτολογία.

37. *Secundò*: Neque quantitas dici potest mensura substantiæ, in qua est. Nam (quod argumentum superiorum Autorum est) si mensuraret substantiam, in qua hæret, tum vel notificat & mensurat perfectionem substantiæ, vel ejus molem sive magnitudinem. Primum dici non potest, quia mensura perfectionis debet esse nobilior mensurato. Quantitas autem non est nobilior substantiâ. Neque id est ad mentem Sonematis, ut priùs audivimus. Neque etiam dici potest, quòd quantitas sit mensura molis in substantia, quia in substantia moles & magnitudo alia non est, quàm quantitas. Ergo sic quantitas esset mensura sui ipsius: quod absurdum est, quia mensura & mensuratum dicuntur ad aliud, ut patuit non solùm ex communi modo loquendi, sed etiam ex ratione prius facta. *Mensura est*, inquit Suarez. d. l. *per quod cognoscimus rei quantitatem, sed non cognoscimus quantitatem rei, per ipsammet quantitatem eius, sed per applicationem alterius.* Unde licèt quantitas se posset notificare per modum objecti cognoscibilis, non tamen propriè, per modum mensuræ. Atque ita relinquitur: Utrumque definire exemplum mensuræ intrinsecæ, & proinde omnem mensuram esse extrinsecam,

TITVLVS V.

DE CONDITIONIBVS MENSURATI & mensuratorum.

38. 1. *Omnis mensura est notior mensurato.* Ita patet ex adæquata ratione mensuræ, in qua requiritur ut notificet mensuratum. At notificare non potest aliud, quod alio notius non est.

39. 2. *Omnis mensura notificat quantitatem.* Ita sumitur ex definitione Aristotelis priùs tradita: Ex qua recolendum est, quòd vox quantitatis intelligenda sit cum ampliatione, ut complectatur quantitatem propriè & quomodolibet dictam.

40. 3. *Omne igitur mensurabile est quantum.* Ita sequitur ex priori. Unde relinquitur, quod quantitas hic amplianda sit, sicut prius.

4. *Omne mensurabile est finitum.* Ita tradit Peretius *l. 12. de temp. cap. 10.* & inde concludit æternitatē quæ infinita est, non esse mensurabilē. *Mensurabile*, inquit, *debet esse finitū. Nam quod infinitum est, eā ratione, ut est infinitum non potest mensurari. Siquidem mensurari est per mensuram determinari & definitè manifestari, præciseque cognosci, quantum sit. Id autem repugnat infinito, quâ infinitum est. Sed æternitas Dei omnino est intermizabilis, & infinita. Ergo non est mensurabilis.*

Ex hoc axiomate objicit Philosophus quidam Ethnicus apud *Augustinum Epist. 49. ad Deo gratias, quæst. 3.* quod æternum supplicium non rectè dicatur commensurabile peccatis, quod *Matth. 7.* dicitur, *quâ mensurâ mensi fueritis eadem remensurabitur vobis.* Hic damnatio, quæ æterna est, dicitur mensurari à peccatis. Hic *Augustinus* respondet inter alia, quod etiam sempiternum possit aliquid esse, & tamen habere certam sui modi mensuram. Directiùs respondetur, quod verba illa Christi sint allegorica & parabolica. In parabolis autem non exiguntur omnia ad proprietates rerum. Propriè autem id significat Christus, quod qui peccant, congruam suis peccatis pœnam ferre debeant.

41. 5. *Mensura & mensuratum non possunt esse realiter idem* Ita patuit priùs. *Num. 36.*

42. 6. *Mensura est prior mensurato* Sic Scal. *exerc. 352. s. 2.* hinc infert tempus non esse mensuram motus primi. *Nostri sanè motus mensura sit tempus, Primi motus mensura non est. Mensura namque naturâ prior est, quàm res cujus est mensura. At tempus est posterius. At nulla mensura generatur ab eo, cujus est mensura, sed id quod efficitur, erit effectus rei mensura. Ita primum corpus est omnium mensura corporum & primus motus primum motum.*

7. Pri-

7. *Primum in unoquoque genere est mensura reliquorum.*

AXioma hoc, admodum vulgare, sumitur ex Aristot. 10. *Metaph. c. 1. (in edition. Casauboni est) c. 2. μάλιστα τὸ μέτρον ἐστὶ πρῶτον ἑκάστου γένους*, hoc est, *maxime mensuram esse primum cujusque generis.* Etsi enim hoc axioma aliunde sensum habere possit, ut indicat Suarez *in* 10. *Metaph. c.* 2. tamen hunc etiam habet, qui intenditur isto axiomate nunc exponendo. Igitur in eo, per mensuram, intelligitur non quantitatis sed perfectionis mensura. *Primum* autem vocant aliqui, hîc, illud, quod est aliorum productivum. Rectiùs tamen intelligitur de primo, ratione dignitatis, vel nobilitatis, ut primùm idem sit, quod perfectissimum, sive id sit aliorum causa, sive non. Hoc igitur primum sive perfectissimum, est mensura perfectionis aliorum, ejusdem generis, sicut quo magis illud accedit ad hujus perfectionem, eò censeatur perfectius, quo magis autem recedit, eò censeatur imperfectius. Sic igitur homo vocatur regula sive mensura viventium, hoc est, plantarum & bestiarum: & eorum perfectio cognoscitur in collatione ad hominem. Indéque jam cognoscitur perfectio eorum, major scilicet in Bestiis, quàm in plantis, quia istæ magis appropinquant homini, quàm plantæ, eò quòd istæ sensum & motum & affectus habent, quæ in plantis non sunt. 43.

8. *Mensura est aliquid indivisibile.*

AXioma est Aristotelis 10. *Metaphy. cap.* 1. (*aliis est c.* 2.) *τὸ μέτρον ἔν τι καὶ ἀδιαίρετον*, *Mensura est quid unum & indivisibile.* Et postea: *ταπαχοῦ τὸ μέτρον ἕν τι καὶ ἀδιαίρετον ζητεῖν. Ubique mensuram unum quid & indivisibile quærunt.* Intelligitur autem axioma de mensura quantitatis, sive molis & magnitudinis. *Dices:* hanc dividi posse: ulna certè dividitur, dividitur itémque pes, cubitus & aliæ mensuræ quantitatis. 44.

Respondeo: mensura quantitatis est aliquid indivisibile, non hoc sensu, quasi id, quod mensura est, dividi non possit. Id enim repugnat quantitatis mensuræ. Hæc enim debet homogenea esse mensurato, h.e. mensura longitudinis debet esse longa, latitudinis lata, &c. At quod tale est, utique dividi potest. Neque etiam sensus hic, est ad mentem Aristotelis. Nam cùm dixisset *alleg. loco*, mensuram esse aliquid indivisibile, immediatè ibidem subjungit: *οἷον ταῖς γραμμαῖς χρῶνται ὡς ἀτόμῳ τῇ πηδαίᾳ*, hoc est, *in lineis utuntur pedali*, ut *indivisibili*, quæ tamen pedalis dividi potest in suas etiam partes. Sicut rursus postea omnes mensuras ait non similiter indivisibiles esse, ut unitatem & pedem. Nam illam quidem omnino esse indivisibilem, hunc verò non item. Esset enim continuum indivisibile, &c.

Quis igitur sensus est axiomatis? Dicam: Mensura est indivisibilis, hoc est, debet esse aliquid fixum & certum, hoc est, ut de eo nihil demator, vel ad illud addatur, in quantum certa mensura est. Sic igitur ulna etsi divisibilis sit suo modo, est tamen, quia est mensura, indivisibilis hoc sensu, quod quamprimùm aliquid additur vel aufertur, non amplius certa & ῆκα, sed adulterina ulna est. Hanc indivisibilitatem explicat Aristoteles ipse, dicens: *ὅπου μὴ ἔν ἐστι μὴ ἔστι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν ἢ μεταβάλλειν, τοῦτο ἀκριβὲς τὸ μέτρον*, hoc est, ubi videtur non etiam aut addendum aut auferendum, illa *certa* mensura est. 45.

9. *Mensura est quodlibet minimum.*

HOc sumitur ex priori. Nam illi quod est minimum, difficiliùs potest aliquid addi vel detrahi. Ideóque hactenus optimè congruit minimo, esse mensuram, ex hoc colligit Arist. *l.* 10. *Metaph. c.* 1. In numero certissimum esse mensuram. Est enim ibi unitas, quæ est omnino indivisibilis. Unitas autem est 46.

mensura repetitionis. Numerantes enim v.g. studiosos, repetendo unitatem, colligimus & mensuramus eorum numerum, ut viginti dicantur: si vicies unitas repetatur, Cæterùm axioma tantùm intelligitur de mensura quantitatis. Nam in mensura perfectionis, contrarium est. Hoc scilicet, quod est maximum in perfectione, est mensura perfectionis aliorum, ut in *præcedentibus* constitutum est.

10. *Mensura est homogenea mensurato.*

47 AXioma est Aristotel. *l.* 10. *Metaphys. cap.* 1. (*aliis est cap.* 3.) Αεὶ συγγενὲς τὸ μέτρον, μηκῶν μὲν γὰρ μῆκος, καὶ πλατῶν πλάτος, φωνῶν φωνὴ, βάρεων βάρος, μονάδων μονάς, hoc est, *semper mensura congenea est, Magnitudine namque magnitudo, & in universum longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocis vox, gravitatis gravitas, unitatis unitas.*

Dices 1. Sic Deus non esse mensuram aliorum Entium, qui tamen est inter omnia Entia aliquid primum & perfectissimum. Neque enim Deus potest in eodem genere convenire cum aliis Entibus. 2. Tempus non posse mensurare res, quia illud est Ens successivum, hæ Entia permanentia. Quæ certè non sunt homogenea. *Respondendum* est. 1. Axioma hoc inprimis loqui de mensura quantitatis, quæ vocatur. Ad mensuram tamen perfectionis cum proportione servatur istud axioma, sicut & alia quædam. 2. explico sensum axiomatis. Cùm dicitur mensuram debere esse homogeneam mensurato, tum id nec de genere proximo nec de remoto, imò nec de proprio genere necesse est intelligi: sed de tali convenientia, quæ sufficiat ad debitam proportionem inter mensuram & mensuratum, necessariam. Hæc autem convenientia neque in omnibus mensuris, neque in omnibus rebus æqualis esse potest aut debet. Nec de hoc potest una & eadem regula, pro omnibus assignari: sed juxta rerum & mensurarum diversitatem, id est judicandum. Nam in aliqua mensura perfectionis, sufficit convenientia analoga, in aliqua verò mensura quantitativa requiritur non tantùm convenientia generica, sed etiam specifica. Linea enim seu longitudo, non potest nisi lineâ seu longitudine mensurari. Vide Suarez *disp.* 40 *s.* 3. *n.* 11. & 14. & *disp.* 50. *s.n.* 6. & *l.* 10. *Met. in indic. Aristot.* 3. Ex dictis patet solutio ad objectiones. Nunc pro coronide quæritur.

Quomodo res mensurent scientiam & vicissim scientia res?

48 AXioma sumitur ex Aristot. *l.* 10. *Metaph. c.* 1. (*mihi*) τῶν ἐπιστήμων μέτρον ἐστὶ πρᾶγμα τὸν λόγων καὶ τῶν αἰσθήσεων, διὰ τὸ αὐτὸ ὅπερ γνωρίζοντι αὐτάς, ἅπαν μετροῦντες μᾶλλον ἢ μετρεῖσθαι, hoc est, *Scientium, mensuram rerum dicimus & sensum propter eandem rationem, quia cognoscimus aliquid de iis. Aliqui mensurantur magis, quàm mensurent.* Cæterùm res, quæ sit scientiæ mensura, indicatur à Zabarella, quod scilicet sit *subjectum.* Vide ipsum *l.* 1. *Apolog. de ordine c.* 11. Nam subjecto inprimis convenit unitas & simplicitas, præ aliis, quæ in scientia sunt. At ista requiruntur in ratione mensuræ. Per mensuram autem hic intelligitur mensura perfectionis. Et sic axioma hunc sensum habet, quòd scientiæ tum demum cognoscantur perfectæ esse, si in ipsis perfectè cognita habeatur tota natura rerum, ipsis objectarum. Et sic etiam dicendum de sensu, quod eodem modo sit mensura sensibilium. Cæterùm Aristoteles non solùm dicit, scientiam mensurari à rebus, sed etiam in oppositum: *scientiam esse mensuram rerum.* Hæc igitur conciliandæ sunt. Dico igitur: Scientias mensurari à rebus, iis videlicet, quæ earum objecta sunt. Deinde scientiæ mensurant res, per res non intelligendos res objectas scientiæ, sed res, quæ sunt mensuræ. Applicando enim rem, quæ est mensura, ad intellectum, demum illa mensura mensurat. Est enim mensura medium, quo intellectus utitur in cognoscendis quantitatibus ex Aristot. *d. l.* Eo igitur modo scientia vocatur mensura, quo anima vocatur numerus 4. *Phys. c.* 14. quod sit sic, *quod anima applicans dicitur numerare.*

CAPUT

CAPUT XXVI.

DE PRIORI ET POSTERIORI & Simul.

1. IV. CLassis Entium respectivorum est secundùm quod aliquid alio prius vel posterius, vel simul cum eo esse dicitur.
2. Prius igitur est, quod est ante aliud. Posterius contra.
3. Simul est, quod est cum alio.
4. Dicitur autem prius & posterius & simul, 1. Tempore, 2. Natura. 3. Ordine. 4. Cognitione. 5. Dignitate. Et 6. Loco.

COMMENTARIVS.

PRincipiò tenendum est, quòd doctrina Prioris, &c. pertineat omnino ad Metaphysicam. Nam prioritas &c. communissimè invenitur in Entibus materialibus, & immaterialibus: At quæ sic indifferentia sunt, non alibi tractantur quàm in Metaphysicis, quia hoc ipso cognoscuntur esse generalissima. Indéque modos prioris Arist. recensuit *l. 5. Metaph. c. 11.* Quanquam & id fecit *l. Categ. c. 12. 13.* inter Postprædicamenta. 2.

Sed *ubi in Met. debet agi de priori & posteriori & simul*; Respondeo, dicuntur ista relativè, prius ad posterius, & simul ad aliud, cum quo sit simul. Unde hactenus inter gradus Entium respectivorum non malè de illis tractatur ab aliquibus. Alii multa attingunt de prioritate in doctrina de principiis, quia principiorum generalis conditio est, esse prius. Ita fecit Suarez *disput. 12. s. 1. n. 8. seqq.* et nos etiam suprà in eadem materia aliquid hac de re tractavimus. 2. *ubi in Metaphysicis agi debeat de modis prioris?*

Quia tamen immediatè fundantur ista in rerum diversitate, quæ est passio consequens rei unitatem, ideo ad complendam doctrinam de unitate, post materiam de rerum diversitate potest etiam aptè de ea tractari, ut factum est à Clarissimo Martin. *Exerc. 3. s. 1. Metaph.* 3.

Loquor autem potissimùm de priori. Poterit tamen ex his intelligi ratio posterioris, & ejus quod simul est.

TITVLVS I.

DE VOCE PRIORIS, &c.

QVia potissimus gradus prioris est is, quo quid dicitur tempore prius, ut Arist. docet *l. Categ. cap. 12. §. 1.* quod de voce simul repetit, *Ibid. c. 13. §. 1.* Hinc vox prioris seorsim posita & sine addito, frequentissimè sumitur, de prioritate temporis, ut ex Suarez notavit *disput. 26. Metaph. s. 2. n. 20.* Veluti sic *Arist. 5. Met. c. 2.* Illiminatè dicit, causam in actu, esse simul cum suo effecto in actu, & *ibidem* causam in actu,, esse simul cum suo effecto, ubi simultas & ex consequenti, negatio prioritatis, intelliguntur, juxta dicta de ordine temporis. Sic & voces *ante* & *post* solent frequenter intelligi, & ferè solùm, sine addito, de ordine temporis. Solet quidem aliàs etiam sine addito sumi de alio genere prioritatis, sed id sæpe colligitur ex subjecta materia.

Deinde: vox illa *prior* implicat, juxta aliquem modum loquendi, duplicem respectum, alium ad antegredi ens, quod primum sit, alium ad consequens, quo prior sit. Hic igitur, dimisso priori respectu, nunc omne id dicitur prius, quod antegreditur aliud, adeò ut etiam, quod positivè primum est, possit dici prius alio, ut notavit Fonseca, *l. 5. Met. c. 11. in Explic. textus.* 4. *Prioris duplex respectus.*

5 Dixi *positivè primum*. Nam quod primum est negativè, (hoc est, quòd primum vocatur solùm ad negandam antecessionem alterius, si maximè nihil aliud consequatur: quo sensu primus filius & primogenitus dicitur, ante quem non est natus alius, si maximè nullus etiam post nascatur) non dicitur respectivè. At prius de quo nunc loquimur, semper dicitur respectivè ad aliquid posterius. De eo quod primum est positivè, locutus est Taurellus *de verum ατε.* p. 252. τὸ πρῶτον perpetuò est ἐν τῇ ἐσχάτῃ. *Primum certè non est, quod solum est. Sequentium enim respectu primum dicitur.*

Primùm positivè & negativè quid?

TITULUS II.

DE DEFINITIONE PRIORIS.

6. ARist. *l.* 5. *Metaph c.* 11. Priora definit, per propinquitatem ad aliud, vocatque priora, quæ sunt alicui principio, sive primo propinquiora. Et *Thomas* quidem, ac *Alensis* aiunt tradi hic generalem definitionem prioris, ut meminit Fonsec. *ad hunc l.* Sed tamen nec est id ad mentem Aristotelis, nec etiam aliàs sit rectè traditum ratio prioris. Nam Aristoteles initio istius textus subjectum habet particulare Ἔνια *aliqua* vel *nonnulla priora & posteriora dicuntur ex eo, quod cùm primum aliquid sit, & principium in aliquo genere, illud est prius, quod propinquius est alicui principio &c.* Quod autem verè non definiatur prioritas, inde patet, quia si prius alio dicitur, quod est propinquius primo, tum primum à fortiori, hoc prius est. Veluti si aër est prior terra, quia iste est propinquior cœlo, tum à fortiori cœlum ipsum erit prius terra.

Definitio Aristotelica.

7. Atque hinc si particulariter loquamur de prioritate, *aliqua* priora dicuntur aliis, quia primo propinquiora sunt, hoc est, declarabitur prioritas eorum, per ordinem ad tertium. *Aliqua* autem dicuntur priora, præciso respectu ad tertium, juxta habitudinem, quam inter se habent, quemodo cœlum (ordine loci) prius est terrâ.

Differentia eorum quæ priora sunt.

8. Et sic posterior modus definiendi prioritatem est ei adæquatus, juxta quem sine respectu vel propinquitate ad tertium, priora definiuntur per habitudinem, quam inter se solùm habent. Id quæri hic solet:

An prioritas consistat in relatione reali?

9. NEgandum id est: quia relatio realis semper requirit terminos realiter distinctos. At id non est in prioritate. Nam genus est prius specie, veluti animal homine, inter quæ realis distinctio non est. *Deinde* in specie sub generibus priorum, recensentur, quæ priora sunt, secundùm æstimationem humanam, veluti sæpe contingit in prioritate loci, quæ ad quidvis etiam non determinatum sumi potest, ut Aristoteles ait *l.* 5. *Met. c.* 11 *t.* 16. Et idem est in prioritate, qua amicus alio amico prior dicitur, hoc est dilectior, quod genus prioritatis ad prioritatem dignitatis retulit Titelmannus *l.* 2. *coasid. Log. c.* 65. Æstimatio autem humana non potest facere Entia realia, & proinde nec relationes reales. Confer Suarez ad Arist. *l.* 5. *Metaph. c.* 11.

TITULUS III.

DE GENERIBUS PRIORITATIS.

10. GEnera prioritatis non solent eodem modo recenseri, Aug. *l.* 12. *Confess. c.* 28. ait prius dici quatuor modis. 1. *Æternitate*, sic Deus est prior omni creatura. 2. *Tempore*, sic flos est prior fructu. 3. *Electione* sic fructus est prior flore, & *Origine*, sic prior est sonus cantu, & materia materiato.

11 Armandus de Bello Visu, *l.* 2. *Term. c.* 233. sic dividit prius? Ait omne prius dici per respectum ad aliquod principium. Id autem principium intelligi in tribus, in quanti-

quantitate, in cognitione, & in esse. Ex prioritate secundùm quantitatem (continuam) sumit prioritatem *loci*, & *temporis* & secundùm *motum*. Ubi quia complectitur etiam motum in voluntariis, ideo sub hoc genere prioritatis, quod secundùm motum est, complectitur etiam prioritatem secundùm *dignitatem* & eligibilitatem. Ex quantitate autem discreta sumit ordinem *numerationis*, qualis v.g. est inter quatuor sedentes. Sub prioritate secundùm *cognitionem*, comprehendit ea quæ dicuntur notiora aliis. Sub prioritate *in essendo* intelligit eam, quæ est prioritas *naturæ*, cui annectit prioritatem *in causando*.

12] Arist. *l. Categ. c.* 12. Ex vulgi opinione recenset quatuor modos prioris. Nempe prioritatem *temporis*. 2. Prioritatem *in essendi consequentia*. 3. Prioritatem *dignitatis*. 4. prioritatem *ordinis*. His ille de suo addit prioritatem *è ratione causæ*. Ita et Damascenus enumerat, *in Dial. c.* 59. Et hos quinque modos, complectitur illud vulgare distichon.

Tempore, naturâ, prius ordine, dic & honore, &
Causam causato dicimus esse prius.

13] Paulò aliter enumerat modos prioris Arist. *l.* 5. *Met. c.* 11. Est ibi 1. Prius *loco*. 2. *tempore*. 3. *motu*. 4. *potestate*. 5. *ordine*. 6. *cognitione*, & 7. *natura*.

Hac in re primò explicabo peculiaria genera prioritatis. Postea cætera ad ea reducam.

TITULUS IV.

DE GENERIBUS PRIORITATIS *specialim*.

14] PRincipalia genera prioritatis ego agnosco hæc: 1. Prioritatem temporis. 2. Naturæ. 3. Ordinis sive enumerationis. 4. Prioritatem cognitionis. 5. Prioritatem dignitatis. 6. Prioritatem loci.

ARTICULUS I.

De Prioritate temporis.

15] DE Prioritate secundùm tempus rectissimè primum agitur, quia inde nomen prioris sumptum est, ut ante constituebamus *Num.* 3. Damasc. *in Dial. cap.* 59. habet specialia vocabula. Dicit enim quod prius est tempore, in animatis vocari, *senius*: in inanimatis autem *vetustius*, & horum unum pro altero abusivè poni.

16] Dicitur autem id prius tempore, quod uno vel pluribus momentis existit & durat, ante aliud. Unde prioritas temporis non inconimodè potest vocari prioritas *durationis*. Sic flos tempore prior est fructu. Puericia tempore prior est adolescentia, & adolescentia senectute.

17] Apparet autem ex nunc tradita definitione, quod tempus in hoc prioritatis genere, non intelligatur solùm de tempore propriè dicto, sed etiam de tempore imaginario. Nam tempus propriè dictum non fuit ante mundum, & non convenit nisi rebus materialibus. At prioritas temporis latiùs & longiùs patet. Nam si supponamus, Angelum aliquot annis (ut sic loquamur) conditum esse ante creationem mundi. Is rectè dicetur, tempore prior mundo. Et idem est de Deo, qui dici potest tempore prior esse mundo. Atque hinc fortasse prius durationc rectiùs dicimus, quàm prius tempore.

18] *Deinde* est observandum, quod ad prioritatem temporis non sufficiat quodvis genus prioritatis. Sicut Arrius aiebat, *si filius est natus, erat tempus quando non erat filius*, ut refert August. *in 6. lib. 2. de Trinit.* & meminit Lombard. *l.* 1. *d.* 9. *lit. c.* Nam prioritas temporis est valdè specialis. Indéque potest aliquid prius esse alio, nondum tamen tempore. Ita forma est prior formato, quæ tempore simul

est cum eo. Sic & Sol lumine prior est, non tamen tempore, idémque est in aliis. Quod exemplum de lumine declarat falsitatem propositionis Arrianæ. Nam lumen utique nascitur à Sole, & tamen Sole existente, nullum est tempus quo non sit lumen. Atque ita generatio Filii, nullo modo efficit, ut Filius non sit cum Patre simul tempore, hoc est, coæternus.

19. Imò nec forsan absurdè dicetur (quod infrà tangam disputaturus de creatione) creaturam aliquam fieri ab æterno. Nam ab æterno esse, removet solùm prioritatem & antecessionem in tempore. At id quod creatur & efficitur ab alio, non necessariò est tempore posterius gignente, seu creante, ut exemplo Solis & luminis patuit. Loquor de *posse*. Nam novimus ex Scripturis, quod de facto non placuerit Deo facere sive creare aliquid ab æterno.

20 *Prioritas aptitudinalis.* Et hactenus quidem fuit propriè dicta temporis prioritas. Impropriè sumitur, pro prioritate temporis *aptitudinali* quam vocant, quâ tempore prius alio dicitur illud, quod etsi de facto simul existat cum alio, nihilominus tale est, ut separatis iis, quæ illi coexistunt, possit aliquo tempore sine illis esse. Ita interpretantur Autores Aristotelem, cùm dicit *lib. 7. Met. c. 1.* substantiam tempore priorem esse accidente. Confer Suarez *disp. Met. 38. s. 1. n. 5. & 8.*

Simul tempore quæ sint? Ea quæ sunt simul tempore, dicuntur συγχρονα. Dicuntúrque ista, quorum ortus sunt simul, secundùm Aristot. *l. Categ. c. 13.* quæ definitio est intelligenda negativè, ut illa dicantur simul tempore, quorum unum non est ortum ante aliud. Nam personæ Divinæ sine dubio possunt dici simul tempore & durationes & tamen istæ positivæ non habent ortus simul, quia Deo repugnat oriri & fieri. Idémque esset de iis, si quæ mens est Aristotelis, duo lapides vel Angeli fuissent ab æterno. Hi enim non haberent ortus simul positivè (quia id est contra ὑπόθεσιν factam juxta quam loquimur de rebus æternis) et possent tamen dici simul tempore.

21. Quanquam id rectè observârunt etiam Dd. Conimb. *lib. Categ. ad hunc locum*, quod Phrasis illa, *simul tempore esse*, latiùs nunc accipiatur, ut simul tempore dicantur, quæ concurrunt in aliquo tempore, sive incipiant & desinant simul, sive non, aut etiam ut unum citiùs incipiat desinere, quàm aliud. Ita συγχρονους et tempore simul dicimus esse, Matthiam Imperatorem, et Ludovicum Hassiæ Principem, etsi iste hoc sit senior, et unus præ alio desinere possit.

ARTICVLVS II.

De Prioritate naturæ.

22 DAmasc. *in Dial. cap. 7. & 59. Prius naturâ id esse ait, quod coinfertur quidem, sed non coinfert: Et cointerimit, non autem cointerimitur, ut animal natura prius est homine.* Interempto enim et non existente animali, ex necessitate neque homo erit. Nam homo est animal. Homine autem interempto et non existente, possibile est esse animal. Erit enim equus, canis, et alia, quæ animalia sunt. *Rursus* illato homine et animal infertur. Homo enim est animal. Animali autem illato non omninò coinfertur homo, sed equus vel canis vel aliquid talium. Nam et hæc sunt animalia. Atque ita neque Petrus est naturâ prior Paulo, neque homo bestiâ. Petro enim interempto erit Paulus, et Paulo illato non coinfertur Petrus, neque Petro illato coinfertur Paulus. Hæc Damascenus, quæ sumpta sunt ex Arist. *l. 5. Met. c. 11.* ubi πρότερα φύσει *naturâ priora dicuntur, quæ ejusmodi sunt, ut sine aliis esse possint, non item sine eis illa.* Ex quibus locis apparet, quod quæ Aristot. *l. Cat. c. 12. 13* vocavit priora et simul *secundum essentiæ consequentiam*, quòd ea nihil aliud sint, quàm priora naturâ, ut proinde minus bene aliqui duplex genus prioritatis fecerint, ex hac et ista. Nisi fortasse, quod non incommodè fieri potest, placeat dicere prioritatem in essendi consequentia, semper esse prioritatem naturæ. Hanc tamen latiùs patere istâ, ut aliqua dicantur priora naturâ, quæ non sunt priora consequentia essendi.

Prioritas secundum essendi consequentiam.

Est

Est autem ad hæc notandum 1. quod ista collatio et cointeremptio, intelligenda sit in essendo, non prædicando. Unde Arist. *l. Categ. c.* 12. 13. vocat ἀκολούθησιν τοῦ εἶναι. Nam quoad consequentiam *in prædicando* sæpe quod prius natura est, confertur et cointerimitur cum posteriori natura. Veluti est in subjecto proprio, quod est prius naturâ suo adjuncto. Item in differentia, quæ est natura prior specie. Unde sunt hæ propositiones: Homo est rationalis, homo est risibilis, ubi sive hoc, sive istud, interas aut interimas, statim idem est, de altero, hoc est, sive hoc sive istud affirmes vel neges, statim etiam reliquum affirmatur vel negatur, ut patet. At id non est in consequentia *essendi*. Nam quia hic etiam homo à rationalitate et risibilitas ab homine pendet: Hinc fieri non potest, ut homo et risibilitas in essendo apprehendantur simul esse. Intervenit igitur prioritas et posteriorit.as unius ad alterum, quæ non potest alia esse quàm naturæ. 23.

Atque hinc ad evitandam ambiguitatem istam indicatam, fortassè clariùs et melius describitur prioritas naturæ, quod sit ista, quæ intertur per dependentiam, ut prius natura dicatur, à quo aliud dependet. Atque tum etiam facilè redditur causa, cur Pater in divinis non dicatur naturâ prior Filio. Nempe id est, quia prioritas naturæ implicat dependentiam posterioris à priori. At Filius non est Ens dependens à Patre, juxta quæ dicuntur *c.* 14. *n.* 13. *seqq.* 24. *Prioritas naturæ significatur per dependentiam.*

Deinde est observandum: quod prioritas naturæ aliàs non dicatur hoc sensu, quasi, quod hic prius dicitur, in natura, hoc est, ante mentis operationem sit prius alio. Sed simpliciter natura prius vocatur, quod naturam, sive essentiam habet priorem alterius essent à, sive ista sit præcisè in natura, sive per abstractionem mentis. Id noto propter universalia. Hæc naturâ priora sunt singularibus, et tamen id non est nisi tantùm ratione et abstractione mentis, ut Fonseca etiam insinuat, *l* 5. *Met. c.* 11. *in exemplis lit. L.* 25.

Atque ex hoc nunc *Tertio* notandum est, quod sicut universalibus ad prioritatem naturæ satis est, quod ipsa à mente nostra apprehenduntur tanquam priora singularibus: quod, inquam, eodem jure natura priora possint dici, per reductionem qualemcunque, principia ista, quæ cùm realiter non distinguantur à passionibus, adhibentur tamen in potissimis harum demonstrationibus pro principiis, quale quid est essentia, respectu unitatis in Ente. Unde hactenus essentia naturâ prior dici potest (ampliando terminum prioritatis naturæ) respectu hujus et aliarum passionum, et idem est in aliis. 26.

Duplex modus Prioritatis naturæ.

CEterùm solet aliàs duplex ordo naturæ poni. Alius est ordo *naturæ generantis*, alius ordo *naturæ intendentis*. Ita distinguit Armand. de Bello Visu, *l.* 2. *Term c.* 276. Piccolomineus *in Eth. p.* 35. Pererius, *l.* 3. *Phys. c.* 6 *et lib.* 6. *c.* 4. *q.* 2. Zabarell. *de nat. scient. contr. c.* 35. *& lib.* 2. *de med. demonst. c.* 10. *& in comm. ad l.* 1. *Arist. de gener. & corr. p.* 833. 27. *Ordo naturæ generantis & intendentis.*

Ordo igitur *naturæ generantis* est, quem natura servat in generatione rerum, in qua progreditur ab imperfectiori ad perfectius, atque ita prius hic est id, quod est imperfectius: posterius autem, quod est perfectius. Ordo autem *naturæ intendentis est*, quem ipsa servat in intentione sua, cùmque intentio semper primò feratur ad ultimum, à quo cientur media: hinc hic ordo est contrarius priori, et proinde in ordine naturæ intendentis id est primum, quod est perfectissimum. Sic de ordine naturæ generantis verum est: materiam esse priorem formâ, apud Aristot. *l.* 1. *Phys. t.* 52. At de ordine naturæ intendentis verum est oppositum: nempe formam esse priorem materiâ apud Arist. *l.* 7. *Metaph. t.* 7. Partes sunt priores toto, ordine naturæ generantis. At totum est prius partibus, secundùm naturæ intentionem. Potentia prior actu ordine generationis. At actus est prior potentia ordine intentionis et appetitionis. 28.

Aliter Scotus *l.* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. facit duplicem modum prioritatis naturæ. Alia scilicet *Prioritat.*

natura positiva vel privativa.

scilicet prioritas naturæ est positiva, alia privativa. Veluti in eodem instanti in quo forma ingreditur materiam, dicitur expelli privatio, quæ naturâ prior dicitur esse in materia, quàm forma, non formaliter seu positivè, sed causaliter seu negativè: quia nisi introduceretur forma ibi esset privatio. Atque sic etiam Suaretz *disp.* 20 *sect.* 6. *n.* 11. Ad creationem ait satis esse, si ipsum non esse rei creatæ, sit prius ipso esse rei creatæ, per prioritatem naturæ negativè dictam.

ARTICULUS III.

De prioritate ordinis sive enumerationis.

29. OMnis quidem prioritas & posterioritas fiunt secundùm ordinem, ut hactenus posſemus dicere ordinem temporis, naturæ & cognitionis. Nihilominus specialiter uni gradui prioritatis, remansit generale nomen ordinis (quod & in aliis sæpe fieri solet) ea de causa, quia in hoc prioritatis genere, nihil ferè, præter ordinem & enumerationem attenditur. Posuitque id prioritatis genus ipse Arist. *& lib Cat. c.* 12. *& l.* 5. *Met. c.* 11. Veluti: *secundus est in choreâ*, inquit Arist. *prior est eo, qui est tertius. Hoc modo A, prius est S*, inquit Damasc. *in Dial. c.* 59. Sic facultas juridica, prior est facultate Medica & Philosophica. Episcopus Romanus juxta ordinationem Conciliorum prior est (ordine, inquam, non jurisdictione) quàm Constantinopolitanus vel Antiochenus, &c. Exordium est prius narratione & hæc confirmatione.

30 *Pater quomodo prior Filio?*

Atque hoc genere prioritatis patrem priorem filio in divinis dicunt Doctores, Vide Fonsec. *l.* 5. *Metaph. c.* 1. *q.* 3. *s.* 2. Suaretz *disp.* 12. *Metaph. s.* 1. alioſque. Id suprà consideravi plenius, *cap.* 21. *num.* 29. 34. *seqq.* Estque hoc genus prioritatis ad hanc rem commodius, quia id est valdè generale, unde & generale nomen retinuit, ut ordinis prioritas diceretur, ut antea dictum. Ea autem quæ generalia sunt, facilius apprehenduntur sine imperfectione, quàm quæ sunt specialia, quo consilio Theologi & Philosophi volunt Patrem vocari potius principium Filii, quàm causam Filii: Keckerm. *l.* 1. *Syst. Log. c.* 6. *in fine* vocavit priùs analogicum, quia prioritas qua Pater filio prior dicitur, deficit à conditionibus aliarum prioritatum.

31 Est autem hîc observandum, quod prioritas illa ordinis quandoque fundetur in natura, ut non solùm enumerationis iste ordo sumatur ex arbitrio humano. Veluti partes declamationis, per *Arist. in Categ.* habent inter se, una præ alia, prioritatem ordinis, & tamen id non est ex arbitrio humano. Neque enim debet confirmatio prior fieri exordio, vel eodem Epilogus.

32. Atque hinc Dd. Patrem priorem dicunt Filio, prioritate ordinis sive enumerationis naturalis. Nam cùm Filius sit à patre, naturaliter, hoc est, sepositò arbitrio humano, Pater prior Filio dicendus est, cùm aliàs etiam Filius nominetur & numeretur ante Patrem in Epistola ad Galat. c. 2. *Per Jesum Christum, & Deum Patrem, &c.*

33. *Ordo enumerationis duplex.*

Dicam clariùs: cùm enumeratio fiat bifariam, vel enim pro lubitu hinc aut illinc incipimus, ut si in enumerandis liberis alicujus incipimus à natu minimo ad maximum, aut etiam à medio ad extremos, progredimur: Vel etiam incipimus, juxta aliquem ordinem in rebus inventum, vel si eosdem (ordinem temporis secuti) enumeremus à maximo ad minimum, hinc ordo enumerandi etiam erit duplex. Alter numerabilitatis naturalis, alter prorsus arbitrariæ. Utrumque tenere possumus in iis, quæ sunt à parte rei ordinata. Arbitrarium quidem si solùm intendamus colligere numerum ordinatorum. Nihil enim refert ad hanc rem undecunque incipiamus. Naturalem autem: si sequi velimus aliquem alium specialem ordinem, qui in rebus cernitur, in quo enumeratio nostra fundetur.

Atque hoc potest etiam evenire in Divinis personis. Si enim nihil aliud quàm ternarium

ternarium numerum earum colligere velimus perinde est, undecunque incipiamus. At si instituamus seriem ordinem originis (ita enim solet is enumerationis ordo vocari, ex Thom. 1. *part. q.* 42. *art.* 3.) & processionis, qui in eis à parte rei cernitur, tum Pater prima persona & Filius secunda persona, atque adeò non Filius Patri sed Pater Filio prior dicitur, Conf. Fons. *lib.* 5. *Met. c.* 1. *q.* 3. *s.* 2.

ARTICVLVS IV.

De Prioritate cognitionis,

PRioritas cognitionis non est ipsa præcisè, secundùm quam unum cognoscitur ante aliud, veluti cùm per successionem discretam à cognitione unius devenimus ad cognitionem alterius, à cognitione lapidum, ad cognitionem Metallorum. Sed prius cognitione hîc vocamus, quod est alio notius, & per hoc juvat ad cognitionem ignoti. 34

Cæterùm dicitur aliquid alio Notius bifariam, nempe secundùm sensum & rationem, vel secundùm nos, aut simpliciter, ut Aristotel. tradit *l.* 6. *Topic. c.* 3. & 1. *post. s.* 5. Notiora *simpliciter* sunt, à quibus sunt alia Unde hactenus quicquid natura prius est, etiam cognitione prius est. Notiora autem *secundùm nos* sunt quæ propinquiora sunt sensibus, à quibus ferè omnis cognitio nostra inchoatur. Veluti summatim: Causæ effectis, partes totis, substantiæ accidentibus, simplicia compositis, magis universalia minus universalibus & singularibus, sunt Notiora simpliciter. At secundùm nos vice versa, effecta causis, tota partibus, accidentia substantiis, composita simplicibus, singularia universalibus, & inter hæc minus universalia magis universalibus sunt Notiora. 35 *Notiora sunt duplicitèr.*

Ad utrumque autem genus Notiorum Aristoteles ampliavit prioritatem cognitionis, *l.* 5. *Met. c.* 11. *Quæ cognitione*, inquit, *priora sunt, alia ratione, alia sensu priora sunt. Ratione enim priora sunt universalia, sensu particularia.* 36

ARTICULUS V.

De Prioritate dignitatis.

PRiora secundùm dignitatem appellantur ea, quæ aliis sunt nobiliora & dignioratio Metaphora est prima Troporum, hoc est, inter Tropos nobilissima. Quod est diuturnius, est prius, hoc est, nobilius minus diuturno, qualia multa habet Aristot. *l.* 3. *Topic. cap.* 1. quæ exposuimus *Topic. cap.* 12. *num.* 35. *seqq.* 37

Sumpsit autem Arist. *l. Cat. c.* 12. §. 5. hoc prioritatis genus ex isto genere loquendi: quod multi dicere solent, istos esse priores apud se quos magis honorant vel diligunt. Atque hinc sub prioritate dignitatis comprehenditur ea, quæ est secundùm amicitiam, quæ non semper fundatur in majori dignitate amici unius præ alio, sed in magnitudine affectus, quem habet amans, ut observat Titelman. *in Log. l.* 2. *cap.* 65. 38

ARTICULUS VI.

De Prioritate loci.

ARistoteles *in Metaph. l.* 5. *c.* 11. Priora loco definit ea, quæ sunt propinquiora ad locum aliquem definitum. Sed hæc definitio adæquata & bona non est propter dicta, *num.* 6. 7. *hujus capitis*. Rectiùs igitur prioritas loci definitur per habitudinem unius ad aliud, sine propinquitate ad tertium. Ergo prius loco dicitur, cujus locus antegreditur locum alterius. 39

Cæterùm ista prioritas potest esse tripliciter, ut Aristotel. *d. l.* insinuat nempe aut ut ad medium aut ut ad extremum, aut ut ad quidvis, veluti referendo ad 40

medium, hoc est, centrum mundi, prior est aër quam sphæra Lunæ. Referendo autem ad extremum, prius est sphæra Lunæ, quam aër. Ad quidvis autem sumi dicitur prioritas loci, ex arbitrio humano, veluti cùm priorem dicimus esse in Auditorio, qui prior est ad januam æstimando prioritatem. Vel etiam cùm priorem dicimus, qui propinquior est cathedræ, ad hanc æstimando prioritatem.

TITVLVS V.

DE CÆTERIS GENERIBUS PRIORITATIS & eorum reductione.

41. 1. *Prioritas æternitatis*, cujus suprà ex Augustino mentionem feci, *Num.* 10. continetur sub prioritate temporis, ut priùs visum, *num.* 17.

42. 2. *Prioritas in essendi consequentia*, cujus ex Aristot. mentionem feci, *Num.* 12. coincidit cum prioritate Naturæ, vel saltem sub ea continetur, ut visum est, *num.* 22.

43. 3. Prioritas in motu, cujus ex Aristot. mentionem feci, *Num.* 29. reducitur ad prioritatem in ratione causandi. Unde de ea fieri potest judicium ex dicendis de prioritate in causando.

4. Prioritas in potestate continetur sub prioritate dignitatis. Ita enim Arist. *l.* 5. *Met. c.* 11. eam definit sic: *Quod potestate excellit, quodque potentius est id prius dicitur.*

5. *Prioritas causæ*, quam *Num.* 12. ex Aristot. posuimus, non continet peculiare genus prioritatis, quia denominatio ista, non est ex modo antegrediendi (unde sumi debent genera prioritatis) sed est materialis, hoc est, à re subsstrata, unde nullo modo debent sumi species prioritatis, quia aliàs etiam liceret peculiare genus prioritatis facere prioritatem partis, prioritatem universalis, & sic in aliis etiam specialioribus. Prioritas autem quam causa habet ad effectum est prioritas naturæ & cognitionis, concurrit etiam quandoque prioritas temporis, item in causis æquivocis & principalibus, prioritas dignitatis. Ratio causæ autem ut sic non habet peculiare genus prioritatis, propter causam dictam.

CAPUT XXVII.

DE ENTE RATIONIS.

PRo appendice & in conclusionem universalis Metaphysicæ, nunc
1. disputabo de Ente rationis. Cùm enim hactenus tractatum sit de Ente reali & ejus passionibus, ideo antequam fiat digressio ad alia, cognoscendum est de Ente rationis, quantum in Metaphysicis fieri debet.

2. Sunt autem multa de eo tractanda. *Principio*: Cujus disciplinæ sit agere de Ente rationis? *Deinde* de voce Entis rationis. *Deinceps*: An detur Ens rationis? *Porro*, quid sit Ens rationis, ubi occurret *etiam* consideratio ejus quæstionis, à quo sit Ens rationis. *Denique* in particulari agendum est de Ente rationis, præmissâ ejus divisione:

TITU-

TITULUS I.

CUIUS DISCIPLINÆ SIT AGERE de Ente rationis.

HAnc quæstionem necessariò primo loco determino, ne peccare videar, hic agens de ente rationis. 3.

Sunt autem tres sententiæ in hac re. *Alii* referunt ejus doctrinam ad Logicam, ut meminit Suarez. *disp. 54. Metaph. s. 1. in præmio.* Vi- 4. *Varia sententia.*
dentúrque ad hoc inde adduci, quod tota Logica est de notionibus secundis sive Entibus rationis. *Aliqui* referunt ejus tractationem ad Metaphysicam, sic, ut de ea tractet directè & ex instituto, quod consequenter docent illi, qui subjectum Metaphysicæ ponunt Ens communissimè sumptum, prout scilicet communiter prædicatur de Ente reali & rationis, quam opinionem novissimè defendit Timplerus, *l. 1. Met. c. 1. q. 5. & c. 3. q. 8. Denique* alii ad Metaphysicam referunt doctrinam Entis rationis eventualiter & indirectè & per reductionem. Ita communis ferè est opinio quam & ego sequor.

Sunt autem duo prænotanda. 1. quod res sint mensuræ scientiarum: ut Arist. ait 5. *De ente rationis nulla scientia potest per se esse.*
l. 10. Met. c. 1. Unde sicut unumquodque Ens est, ità cognoscitur ab intellectu, & porro scitur in scientia: Ergo quod non est Ens per se sed per proportionem ad aliud, illud etiam non cognoscitur per se, sed per proportionem ad aliud, cessátque in isto genere entium, regula, quæ vulgò circumfertur: Quod in una scientia tractatur per accidens, in altera tractatur per se. Si enim non sit ens per se, etiam consequenter non debet cognosci per se. Modus enim cognoscendi, debet sequi modum essendi. Veluti Physicus agit de privatione, de cæcitate, de vacuo, &c. per accidens utique. Nam non sunt veræ affectiones, neque aliud quid corporis naturalis. Et tamen ista non debent in scientiis aliis per se tractari. Ex quibus nunc infero, quod de ente rationis in nulla scientia debeat tractari per se, quia non est ens per se, sed solùm est per proportionem ad ens reale, ut postea videbitur.

Deinde est observandum, quod quæstio proposita sit intelligenda de ente rationis, in actu signato, non in actu exercito. Hoc est, quæritur: ubi generaliter tractandum & signandum sit, quid sit ens rationis, & quæ ad ipsum pertinent. Nam in actu exercito certum est Dialecticam agere de entibus rationis, veluti argumentis prædicato, subjecto, &c. Sic etiam in particulari, Physica agit de vacuo & aliis, Metaphysica ipsa sic etiam de entibus rationis agit, veluti de identitate quâ quid sibi ipsi idem est, de unitate, universali, & aliis. De hoc autem, ut dixi, præsens quæstio non est, sed de communi ratione entis rationis. Nunc. 6.

Dico 1. *Ad Dialecticam non pertinet agere de Ente rationis in genere.* Ita patet: 7. *Dialectica non potest agere de ente rationis in genere.*
quia generalis illa tractatio non pertinet ad finem Logicæ. Finis autem est mensura in artibus. Antecedens patet. Nam finis Logicæ est tradere modum benè disserendi. At non omnia entia rationis faciunt ad benè disserendum, sicut apparet & de entibus fictis, & iis, quæ ad dicendi vel loquendi artem pertinent. Deinde juxta hanc sententiam supponitur, quod de entibus rationis non debeat tractari in Metaphysica. At id non potest esse, nisi quia per se non sunt entia, sed per proportionem. Hinc infero: Si entia rationis non sunt entia, nisi per proportionem. Ergo etiam non possunt cognosci nisi per proportionem, scilicet ad ens reale. At in Logica non tractatur per se de ente reali. Ergo nec ibi tractari debet de ente rationis in genere: præsertim, quia inquirimus disciplinam, in qua tractetur de ente rationis speculando, & quidditativè illud cognoscendo. Non autem quæ de eo agat modo practico, quod particulariter de ente rationis sit

in Logicis. Quanquam priorem rationem firmiorem judico.

8. Ad objectionem autem *num.* 4. insinuatam, pro hac opinione, responsum est, *num.* 6

9. *Subjectum Metaphysicæ non comprehendit entia rationis.*

Dico 2. *Ad Metaphysicam non pertinet per se agere de ente Rationis.* Ita patet, quia aliàs deberet contineri Ens rationis sub subjecto Metaphysicæ, quod non est, ut suprà vidimus *c.* 1. Et patet hic breviter, quia ens de ente rationis prædicatur solùm per analogiam sive similitudinem, eo modo, quo os v. g. prædicatur de ore animalis & radice plantæ, quæ ejus os dicitur. At hæc analogia revera nihil aliud est, quàm æquivocatio, ea scilicet quam ex consilio vocant. At ens in ista æquivocatione, non potest servare unitatem scientiæ, quia sic ipsum non est unum. Æquivocum enim non significat unum, sed multa. Unde etiam in Physicis non agitur de ore in communi, prout abstrahit ab ore animalis & ore plantæ, sed solùm declaratur per se, & sub voce oris, os animalis, ex qua tractatione consequenter intelligitur, quomodo radix sit os plantæ. Et sic in aliis. Summa argumenti hæc est: Quod destruit unitatem scientiæ, non potest contineri sub subjecto scientiæ. At Ens sumptum in communi, & indifferenter ad ens reale & ens rationis, destruit unitatem Metaphysicæ, propter dictam analogiam proportionis. Ergo id non comprehenditur sub subjecto illius scientiæ per se. Atque sic æquè absurdum est, si quis dicat: Ens in Metaphysicis tractari cum indifferentia ad ens reale, & ad ens rationis, ac si quis dicat Physicum agere de homine vel auro, cum indifferentia ad verum & pictum vel fictum hominem vel aurum.

10 *Objectiones Timpleri.*

Objicit Timplerus, *suprà d. l.* tria, quod directè in Metaphysicis agendum sit de ente rationis. 1. Quia ens rationis directè sub ente universaliter sumpto, tanquam species sub suo genere analogo continetur. 2. Quia ens rationis est per se scibile, multáque habet attributa cum ente reali communia. Ergo de eo, quia in alia scientia id fieri non potest, in Metaphysica tractandum est. 3. Quia sine generali doctrina de ente rationis, multa neque in Metaphysicis neque in aliis scientiis cognosci possunt.

11. *Respondeo* interim supponendo, quod quæstio sit: An *per se* debeat tractari in Metaphysica de ente rationis, ad quod probandum ista argumenta adducit Timplerus.

12 Igitur *ad primum* Dico, quod ens (missâ voce generis & speciei) sit analogum ad reale & rationis, sed analogiâ proportionis. Juxta hanc enim omnia exponi possunt, quæ communiter dicuntur de ente reali & rationis: Unde non opus est ponere majorem analogiam. At ista analogia proportionis est inepta: ut fundet aliquam generalem doctrinam, ad quam per se tractetur etiam de posteriori analogato, ut prius patuit, *Num.* 9.

13 Ad 2. *Respondeo* 1. negando quod ens rationis sit per se scibile, ut patuit antè, *Nu.* 5. 2. Communia autem attributa non fundantur nisi in proportione. Sicut communia attributa sunt Barbarossæ & imaginis ejus. Veluti cùm dicimus Barbarossa habet aures & oculos & capillos. Et imago Barbarossæ habet aures & oculos & capillos. Ex quo exemplo apparet, quòd non omnia communia attributa redigant subjectum eorum, ad unam & eandem scientiam. Neque apparet, quomodo major ratio sit communium attributorum entis realis & entis rationis, ac est in isto exemplo de Barbarossa & imagine ejus, præsertim quia entia rationis sunt veluti imagines entium realium.

Tertium argumentum confirmat quidem in Metaphysicis agendum esse de ente rationis: at non confirmat, quòd id fieri debeat per se, quod nunc negamus.

14. *Quomodo Metaphysica agat*

Dico 3. *In Metaphysicis consequenter & per reductionem agendum est de ente rationis.* Duo hîc dicuntur. 1. quod de ente rationis agendum sit in Metaphysicis. 2. quod id ibi fieri debeat per reductionem. *Primum* patet, quia entia rationis finguntur

guntur communissimè ad naturam entium realium, tam materialium, quàm immaterialium: At quæ talia sunt, sunt generalissima, quàm ut in speciali disciplina tractentur. Ergo tractanda sunt in Metaphysicis. Atq; ex his fluit & alterum, juncti is, quæ dicta sunt ad priorem propositionem, *Num.* 9. quod scilicet in Metaphysicis agendum sit de ente rationis indirectè. Quod enim ad disciplinam pertinet, pertinet ad eam directè vel indirectè. Atqui ad Metaphysicam pertinet agere de ente rationis, per præsentem propositionem, non autem per se, & directè, per propositionem secundam. Ergo id est indirectè, quod nunc intendo. *de entibus rationis.* 2

TITVLVS II.

DE VOCE: ENS RATIONIS.

PRincipiò hic notandum est, quòd vox illa dupliciter sumatur 1. Ens rationis opponitur enti reali. Estque tum ens rationis omne illud, quod non habet essentiam realem, quod quid sit, postea clarius erit. Et in ea latitudine nunc loquor potissimùm de ente rationis. 2. Ens rationis opponitur Enti fictò. Ubi utrique communiter convenit non esse reale. Atque tum dicitur ens fictum, quod involvit repugnantiam, vel saltem nullum fundamentum in re habet. Talis quid est Chimæra, Tragelaphus, sive Hircocervus, aureus mons. Ens igitur rationis tum complectitur illa entia, quæ quidem non sunt, nisi per intellectum, rebus tamen attribuuntur, ut sunt notiones Logicæ, veluti generis, prædicati, subjecti, medius terminus, major extremum &c. quæ denominationes omnes attribuuntur rebus. Confer Fonsec. *l.* 5. *Metaph. c.* 7. *q.* 6. *s.* 5. Et de ente rationis, sic sumpto, aliqui interpretantur istam divisionem, quâ ens rationis dividitur in relationem rationis, Privationem, & negationem, ut meminit Colleg. Conimbr. *in Porphyr. in præfat. quæst.* 6 *a.* 2. & Suarez *disp.* 54. *s.* 4. *n.* 2. 15. *Ambiguitas explicatur.*

Quantum ad Notationem vocis hujus attinet, Ens rationis dicitur, sumpta appellatione à ratione. Nempe ens rationis est, quod est aliquid rationis, vel quod habet respectum ad rationem. 16. *Explicatur Notatio.*

Porro ad rationem potest quid referri multipliciter. 1. *Subjectivè*, quia sit aliquid in ratione. Hic modus convenit multis entibus realibus. Omnes enim habitus intellectivi sunt in ratione, sive animo. 2. *Effectivè.* Sic omnes actiones mentis, item arte facta pertinent ad mentem, & ista, cùm sint Entia realia, consequens est, quod nec juxta hunc modum denominetur ens rationis. 3 *Objectivè*, quemodo omne ens refertur ad intellectum, per modum cogniti vel cognoscibilis. Unde hoc ipso, quia sub cognoscibilibus multa realia continentur, nec ex hac connotatione rationis, dicetur ens rationis, denique dicitur esse aliquid rationis *objectivè tantum*, hoc est, quod nihil est præterquam cùm objicitur intellectui, & ab eo apprehenditur. Atque hoc præcisè dicitur ens rationis. Estque id, de quo nunc agimus. Dicitúrque ens rationis, quia à ratione, & non à voluntate, vel sensu suam dependentiam habet: quod postea ostendemus de eo. 17.

TITVLVS III.

AN SIT ENS RATIONIS.

METhodus Aristotelica, ante quæstionem quid sit, requirit quæstionem an sit. Unde nunc & hanc placet præmittere. Illud enim dari negant, Durand. 1. *d.* 19. *q.* 5. Paulus Venetus *q.* 4. *proœm. in Log.* Major, *in Quodlib. q.* 7. ut communiter ferè meminerunt Autores. 18.

Potest ad hanc rem id afferri, quòd quæcunque sunt entia rationis, à mente apprehenduntur. Ergo sic sunt in intellectu. At esse in intellectu est satis ad esse reale, ut inde patet, quod conceptus & species sunt entia realia, & tamen non 19. *Aliorum opinionis argumenta.*

sunt nisi in intellectu. Imò hoc ipsum *esse in intellectu*, est realis proprietas, quia significat veram inhærentiam. At realis proprietas non potest convenire nisi Enti reali.

20. *Dari Entia rationis.* Nihilominus in oppositum, quod dentur entia rationis, patet per experientiam cujusvis, multa enim sibi imaginatur mens, quæ nullibi sunt & nusquam, nec esse possunt, veluti hominem volantem, vel alatum, Navim Charontis, Purgatorium, & quæ sunt alia.

21. Ad objectionem factam diligenter distinguendum est inter conceptum formalem & objectivum: Conceptus formalis est in mente (etiam de ente rationis) realis. Est enim omnis conceptus formalis, vera quædam forma & accidens mentis, ut suprà patuit *c. 24. n. 86.* Atque ita etiam conceptus, qui in mente mea est de Chimæra, est vera mentis qualitas, & eam afficit per modum formæ accidentalis. At nunc scimo de eo est, quod objicitur intellectui, non de formali conceptu, de eo, inquam, de quo iste formalis conceptus formetur. Veluti: facio conceptum de Chimæra, quæ ambulet in nostra sylva, aut de homine volante, qui sit Giestæ. Hic illud objectum cognitionis, non apprehenditur, ut in mente existens, sed ut existens alibi. Indéque apparet, quod inhærentia formalis conceptus, non satis sit ad realitatem omnium entium, quia hæc non attenditur in formali conceptu (qui, ut dictum est, semper est realis) sed in conceptu objectivo, sive re objecta intellectui: At realiter sive revera extra fictionem & imaginationem, Giestæ non est homo volans, & in sylva nostra non est Chimæra. Hæc igitur, quæ præter formalem conceptum, sive, præter esse, cognitum, nihil sunt, dicuntur entia rationis, quæ dari ex dictis patet.

TITVLVS V.

QVID SIT ENS RATIONIS.

22. QUid Ens rationis sit, optimè declaratur ex ipso nomine Entis rationis?

Ergo 1. *Ens rationis est Ens.* Id autem quo sit modo intelligendum, patet ex iis, quæ antè inducta sunt, nempe sicut radix plantæ vocatur os ejus, *Num. 9.* Et sicut picta imago Barbarossæ, vocatur Barbarossa, *Num. 13.*

23. Ex quibus id obiter intelligitur, cùm Ens distinguitur in ens rationis & reale, quod non sit distinctio rei, sed solùm distinctio nominis ambigui. Talis, inquam, ambigui, quod ex consilio ambiguum dicitur, & ubi ratio ambiguitatis sumitur ex similitudine & proportione unius ad alterum.

24. Formalis autem ratio entis rationis, sumitur per connotationem ad rationem. In eo tamen, declarando, non loquuntur eodem modo Autores.

ARTICULUS I.

In quo proponitur & refutatur opinio, docentium Ens rationis esse, quod est in ratione.

25. IGitur Herveus *Quodlib. 3. q. 3.* Occamus *1. part. Log. c. 4.* Aiunt, Ens rationis esse, quod est in ratione. Ens autem reale esse, quod est extra rationem sive intellectum. Vnde porro inferunt, conceptus rerum & species intelligibiles etiam esse

26 Entia rationis.

Hic primò diffitendum non est, quod Ens reale soleat frequenter circumscribi per esse extra intellectum. Id quod potest fieri ab eo, quod nobilissimo & evidentissimo modo reale est. Si autem summatim putetur adæquata ratio entis reali, constare in *esse extra intellectum*, nimis hic dubio id falsum est.

27 Nam 1. Multa eorum, quæ in intellectu sunt, habent veros & reales actus, sicut

cut inprimis apparet de potentia intelligendi, & habitibus intellectivis. At operatio est index essentiæ. Non possunt igitur è numero Entium realium ejici ista. Et per consequens *esse in intellectu*, non est adæquata ratio Entis rationis.

Esse in intellectu non satis est ad Ens rationis.

2. Neq; oportet, ut minoris conditionis sint species in intellectu, ac sunt species in sensu. At species sensiles non sunt entia rationis, quia movent sensus. Et sensus non est entitates fingere. Et quis diceret, speciem quæ in speculo (cui assimilatur species in speculo animato, hoc est, oculo) esse aliquid rationis solùm, & non habere esse reale? Quinimò hæc ipsa habet esse reale, quia est intra intellectum. Id enim non potest convenire, nisi entibus realibus. At species in speculo, & species intelligibiles sunt ejusdem generis. Si ergo istæ sunt entia realia, oportet etiam ut species intelligibiles sint entia realia.

Species intelligibiles sunt entia realia.

Atque hinc 3. De iis etiam, quæ in intellectu sunt, agunt reales disciplinæ veluti Physica in doctrina de anima. Ethica in speciebus habituum: Metaphysica etiam in prædicamento qualitatis.

ARTICVLVS II.

In quo proponitur opinio, asserens ens rationis consistere, in denominatione extrinseca, ea scilicet, quæ est à ratione.

29. HÆc opinio frequenter solet in hac controversia recenseri. Vide Scotum 1. *d.* 36. *quæst. un.* Fonsec. *d.* 5. *Metaph. cap.* 7. *quæst.* 6. *sect.* 3. 4. Suarez *disp.* 54. *Met. s.* 2. *num.* 6. *seqq.*

30. Hic inprimis id certum est, quod non omnis extrinseca denominatio faciat ens rationis. Talis enim est, cùm poculum dicitur inauratum, corpus locatum (accipiendo locum pro superficie continentis) homo vestitus, & sic in aliis. At hæ denominationes non dependent à ratione, nisi fortè quantum ad sola nomina, quod idem tamen etiam est in entibus realibus.

31. Denominationes igitur extrinsecæ, quando dicuntur constituere ens rationis, aiunt, sumendas eas esse ab intellectu, quales sunt eæ, quæ reducuntur ad esse cognitum. Unde prima talis denominatio est hæc ipsa, quâ aliquid dicitur *cognitum*. Quia autem porrò cognitio nostra triplex est, apprehensio simplicium, compositio & divisio, & denique discursus. Hinc ens rationis ampliatur ad tres ordines, atque sic alia entia rationis sumuntur per denominationem ab intellectu, juxta primam opinionem, veluti sunt esse, *genus*, *speciem*, *definitionem*, *definitum*: Alia sumuntur ex secunda operatione, veluti sunt, esse subjectum, prædicatum: alia sumuntur ex tertia operatione, veluti sunt esse *majus* aut *minus extremum*, esse *medium terminum*, &c.

Cognitio triplex.

32. Hæc opinio etiam proba non est. Nam 1. juxta hanc nondum apparet, quomodo multa, quæ entia rationis dicuntur, sint entia rationis. Veluti est de Entibus fictis, veluti Chimæra, Cerbero. Nam in his non apparet, quam specialem denominationem cogniti ex hac vel illa operatione mentis habeant. Quod autem generaliter denominantur *cognita*, non satis est, ut sint entia rationis. Nam hæc denominatio convenit etiam entibus realibus, ut homo aut lapis dicatur quid cognitum. Sin verò ipsa denominatio cogniti præcisè esset ens rationis, non autem id, quod denominatur cognitum (ut videntur velle Autores hujus opinionis) tum etiam, quando Chimæra denominatur cognita, ipsum quidem cognitum erit aliquid rationis. At res, quæ denominatur cognita, inde non necessariò erit Ens rationis, sicut in similibus denominationibus patuit priùs. Potéstque idem discursus fieri de privationibus & negationibus, quas inferiùs demonstrabo esse Entia rationis.

Ens rationis non constitui per denominationem ab intellectu.

2. Neq

33. 2. Non etiam apparet, cur extrinseca denominatio ab actu rationis sive intellectus, possit facere ens rationis: Et non possit aut debeat idem esse in denominationibus extrinsecis aliis. Nam imprimis non apparet ulla disparitas, cur non attento alio, extrinseca denominatio, facta ab intellectu, faciat ens rationis, & non fiat idem in aliis. Prius autem relatæ sunt, *Num.* 30. denominationes extrinsecæ, quæ non constituunt ens rationis. Idémque est in denominationibus, sumptis à sensibus appetitu & intellectu divino. Veluti, cùm homo aut lapis dicitur visus, vel volitus, vel cognitus à Deo.

34. Quanquam id facilè admittere possim, quod istæ relationes, quæ peculiariter *Num.* 30. sunt inductæ juxta speciales actus mentis. sunt entia rationis. Id tamen non est, adæquatè ex tali denominatione, sed aliunde, nempe, quia dimissâ operatione intellectus, illa non sunt in rebus.

ARTICULUS III.

In quo proponitur propria sententia quid sit Ens rationis.

35 *Quid sit ens rationis?*

MAximè probo veterem illam definitionem, quam Commentator tradit 6. *Met. comm.* 4. Ens rationis est, quod solùm habet esse objectivè in intellectu. Cui consonat definitio Fonsecæ *l.* 5. *Met. c.* 7. *q.* 6. *s.* 5. Ens rationis est, cujus esse pendet ab operatione intellectus. Subjungit enim quod pendentiam illam non intelligat effectivè (quomodo multis entibus realibus convenit ab intellectu pendere, ut vidimus *Num.* 17.) sed objectivè. Unde in tantum melior est nostra ex Commentatore definitio, quæ vocem objectivè statim implicat, ad evitandam æquivocationem.

36. *Quid sit esse objectivè in intellectu?*

Porro *objectivè* illud nunc dicitur esse in intellectu, quod nihil est, nisi in quantum objicitur intellectui, sive, cui nullum esse convenit remota actione mentis. Atque hinc Ens reale, & ens rationis distinguuntur in eo, quod ens reale etiam est, cùm non objicitur intellectui. Ens autem rationis non habet esse, nisi cùm objicitur intellectui.

37. Dico diserte de *esse*. Nam entia rationis possunt rebus convenire præter operationem mentis. At esse nullum habent, nisi quod illis tribuitur ab intellectu. Veluti ante operationem mentis verum est, Barrimæum esse cæcum, hoc est, cæcitatem, quæ ens rationis est, convenire Barrimæo. At cæcitas ante operationem mentis non habet entitatem: sed omnis entitas quam habet, convenit illi, in quantum objicitur rationi. Idémque est in relationibus, cùm dico, homo est albus, tum hominì convenit relatio subjecti, etsi ego non apprehendam relationem subjecti in voce hominis. At entitatem nullam habet ista relatio, antequam intelligat, & quasi fabricet.

38 *Proponuntur dicenda.*

Ut tota hæc res sit plenior, tria sunt inquirenda; 1. An intellectus efficiat entia rationis: 2. An entia rationis fiant per solum intellectum: An verò etiam per respectum ad alia? Et denique: An etiam intellectus Divinus faciat Entia rationis?

QUÆSTIO I.

An intellectus efficiat Ens rationis?

39 NEgat id Soncinas 6. *Met. q.* 18. §. *quantum ad secundum.* Et probat. Nam si ab aliqua causa (quæcunque illa sit) essent, tum essent per se vel in alio. At neutrum, quia nec sunt substantiæ, nec accidentia. 2. Impossibile est, esse productionem nobiliorem suo termino, quia nobilitas productionis, & cujuslibet actionis sumitur ex termino suo. Sed ens rationis est imperfectius qualibet productione

ductione, quia omnis productio est ens reale, omne autem ens reale est perfectius quolibet ente rationis. Hæc ille, à qua sententia alii recedunt, Ponentes efficientem causam entis rationis.

Hac in re dico 1. *Ens rationis non habere efficientem, si propriè & rigorosè loquamur.* Ita patet, quia efficiens & effectum, seu generalius, causa & causatum sunt quasi differentiæ entis. At ens non prædicatur per se de entibus rationis, sed per analogiam proportionis. Ergo & effectum esse, non potest de iis aliter prædicari, ac per analogiam proportionis. Deinde, si qua causa esset per se entis rationis, tunc id maximè esset intellectus. At is non attingit res aliter quàm cognoscendo eas. Cognitio autem non efficit res cognitas, cognoscens equum non facit equum, cognoscens hominem non facit hominem. Ergo etiam cognoscens cerberum, rigorosè loquendo, non facit cerberum. 3. Quod si autem aliter quàm cognoscendo intellectus attingere ens rationis, tum possent dici entia realia non minus ac arte facta. At ens rationis, esse ens reale implicat. Convincitque hoc ipsum ratio Soncinatis, quod per nominatum absurdum, non potest ens rationis terminus esse, realis ac positivæ operationis intellectus, quia terminus, cùm propter eum fiat actio semper debeat esse nobilior actione ipsa. Idémque convincit ejus prius argumentum, quod scilicet per se ens rationis non possit habere causam efficientem. Vnde ad ea nihil porro respondendum est.

40 *Ens rationis proprè non habet efficientem.*

2. *Ens rationis habet causam efficientem per similitudinem & proportionem.* Ita sequitur ex prioribus. Nam quo modo ens est, eo modo potest etiam effectum alterius dici. Sunt enim entia rationis, veluti Similitudines entium realium. Vnde sicut ens reale vocatur ens & unum, & verum, & bonum, & simplex vel compositum & singulare vel universale. Ita etiam ens rationis dicitur ens & unum, etc. Et proinde et effectum: Patet autem id inde, quia ens rationis suo modo incipit, cùm, scilicet sit objectum intellectus, et desinit, cùm intellectus non amplius illud esse apprehendit, et sic in aliis.

41 *Ens rationis quo modo habeat efficientem?*

Vt singula hæc rectiùs teneantur, diligenter notetur ordo hic. Intellectus concipit aliquam rem mente sua, quæ non est, veluti Chimæram. Illa conceptio sive cogitatio est realis, et propriè dicta actio mentis. Ergo isti actioni respondet aliquis terminus, qui necessariò etiam est realis. Is ergo est formalis conceptus, qui, ut superiùs patuit, semper est realis, etiam de ente rationis. Hactenus igitur intellectus in efformatione scilicet conceptus formalis, est verè et propriè dicta causa: jam verò nullus formalis potest esse conceptus, cui non correspondeat conceptus aliquis objectivus, seu, quod idem est, objectum aliquod, quod repræsentetur per istum formalem conceptum. Atque ita cùm intellectus format conceptum Chimæræ, verbi gratia *in sylva* versantis. (Ita enim loqui placet, ut intelligatur distinctio Chimæræ, sub conceptu formali, quomodo est in mente, et sub conceptu objective quomodo dicimus eam in sylva, extra mentem versari) tum fertur etiam intellectus ad Chimæram, tanquam objectum, cui conformetur conceptus formalis. Objectum autem non consequitur ordinariè conceptum formalem, sed ei præsupponitur, sicut & objecta aliorum ordinum. Ex quibus evidens est (quandoquidem alius ordo esse non potest) intellectum non concurrere ad istud objectum suum (quod est ens rationis) per propriè dictam causalitatem.

42 *Intellectus quo modo sit causa entium rationis?*

Nihilominus, quia conceptus iste formalis, quem intellectus habet, conformandus est alicui objecto. Objectum autem istud nihil est, nisi in quantum ejus imago est in mente. Ideo hactenus ratio dicitur esse causa objecti cogniti, quæ tamen vera causa non est, nisi conceptus illius formalis, de objecto cognito. Et hoc intuitu ait Commentator 6. *Metaph. comm.* 8. Et *lib.* 1. *de anim. comm.* 8. quod entia rationis sint facta ab anima, quo sensu ego ipse sæpe loquor, solétque ad eundem sensum quæri: An solus intellectus faciat entia

43

rationis, quam quæstionem statim expedio. Imò simpliciter solet ad id significandum dici, quòd intellectus sit causa entium rationis. Vide *Scot. q. 4. in prædicab.* Rectiùs & cautiùs sic: Intellectus vel fingit, vel format, vel facit conceptum ejus quod non est, quod hoc ipso non est, nisi per formalem conceptum, hoc est, in mente.

QUÆSTIO II.

An Ens rationis sit per solum intellectum?

44 QUI à solo intellectu negant esse entia rationis, addunt partim voluntatem, partim etiam sensum. Dicitúrque ad has omnes potentias ens rationis amplialle Scotus 1. *d. 45 quæst. un.*

45 *An fiat per voluntatem?* Ac *de voluntate* quidem id probatur, quia voluntas sæpe tribuit Rei alicui ordinem ad aliud, quem juxta naturam suam non habet, veluti cùm amat doctrinam propter divitias acquirendas. Iste enim ordo non inventus in re, est relatio rationis, atque sic ens rationis. Ergo voluntas facit ens rationis.

46. Rursus *de sensu* probatur, quia sensus, præsertim imaginativa facilè potest apprehendere, quæ non sunt. Sicut Melancholicus imaginatur sibi irruentes hostes, & versans in tenebris, imaginatur sibi spectra, & sic in aliis. At hæc nihil reale habent, sunt igitur entia rationis.

47. *Ad solum intellectum pertinere.* Nihilominus rectissimè soli intellectui vendicatur fabricatio (ut sic loquamur) entis rationis. Nam (non voluntas, sed) intellectus, solùm versatur in apprehendendo ente, ut ens est. Voluntas autem solùm versatur in ente, ut bonum est. At quod debet facere ens rationis, debet attingere ens ut ens. Unde si voluntas ferretur in aliquod objectum, quod non esset, appetendo illud, ex vi talis actus non esset ens. Inprimis quia voluntas præsupponit intellectum, unde ipsa non fertur ad aliquid tanquam bonum, quod intellectus non antea apprehendit et judicavit *esse bonum*. Ergo ipsum esse, & bonum præcisè non æstimatur, nisi per judicium intellectus.

48 *Solvuntur objectiones.* *Ad objectionem* autem propositam *Respondeo*, quod ordinare unum ad aliud, non sit actus voluntatis, sed intellectus. Unde voluntas, quando unum amat propter aliud, ipsa non facit hunc ordinem, sed præsupponit eum factum esse ab intellectu qui priùs apprehenderit, unam esse bonum propter aliud, postea voluntatis solum est amare. Atque hinc Cajetanus 1. *p. q. 28. a. 1.* rectè ait: voluntatem nihil operari circa ens rationis, nisi præparando fundamentum, quod proximè sit idoneum ad relationem: quemodo ille, qui se collocat ad columnam, dextro latere verso ad columnam, facit, ut columna dicatur, à relatione rationis, sinistra. Ipse tamen non est efficiens talis relationis (ut ita nunc loquamur,) sed mens sive ratio: quia entia rationis non efficiuntur, nisi efficiendo formales conceptus, ut declaravi antea, Confer Colleg. Conimbr. *in Porph. quæst. 6. proæm. c. 1.*

49. *Sensus an faciat ens rationis.* Quod ad alterum attinet, sensus, ut sic, non potest fingere ens rationis, quia ad hoc requiritur actus reflexus, quo unum comparetur cum alio. Est enim ens rationis solùm ens per proportionem ad aliud. Unde potentia, quæ apprehendit ens rationis necessariò utrumque illius proportionis extremum intuetur. At sensus non cognoscit per reflexionem, sed solùm directè.

50. De imaginativa igitur facultate dico, quòd ea apprehendat objecta ficta, sed id solùm est de imaginatione humana, quæ conjungitur cum intellectione. Unde id opus non tam est imaginativæ facultatis, quàm intellectus, præsertim, quia in brutis nihil tale deprehenditur. Confer hic Suar. *disp. 54. s. 2. n. 7. 18.*

Hactenus igitur confirmatum est: solum intellectum facere entia rationis, sed quæri solet specialius, an etiam de Divino intellectu id procedat. Id nunc breviter tractandum est.

QUÆ-

QVÆSTIO III.

An etiam Divinus intellectus efformet Ens rationis.

NOn efformat. Nam in eo actu est imperfectio. Omnis autem imperfectio debet abesse ab actibus divinis. Prius patet, quia in efformatione Entium rationis, Ens apprehenditur secus, ac est. At hæc est aliqua difformitas, ideóque statim est imperfectio. Patet. Nam, ut fingantur entia rationis, ea quæ unum sunt apprehenduntur ut distincta: ea quæ absoluta sunt, intelliguntur ut respectiva. Ea quæ non sunt, apprehenduntur ac si sint. 51.

Id tamen dandum est, quòd cùm intellectus Dei intelligat omnes humanas cogitationes, quod consequenter etiam intelligat conceptus formales, qui sunt in mente nostra. Illi enim sunt verè res. Unde porro sequitur: quod ad perfectionem Divini intellectus pertineat, etiam cognoscere objectum quod intenditur repræsentandum per istum formalem conceptum. Atque adeò tum Deus intuetur id, quod est fictum vel fingibile à nobis, etiamsi ipse non fingat entia. Sicut Deus intuetur nostros discursus, quomodo scilicet à noto ad ignotum progrediamur in cognitione nostra, cùm ipse tamen non discurrat. 52. *Deus intelligit entia rationis.*

TITULUS V.

DE DIVISIONIBVS ENTIS rationis.

OPtimam divisionem entis rationis existimo fieri per proportionem ad divisionem entis realis. In ea enim consistit generalis ratio entis rationis. Ergo sicut ens reale, est substantia vel quantitas, vel qualitas: ita etiam ens rationis est substantia, ut Chimæra: vel quantitas, ut ejusdem magnitudo: vel qualitas, ut cœcitas, vel Chimæræ color, & sic in aliis. 53. *Optima divisio.*

In his tamen eminet relatio. Ad similitudinem enim relationum realium finguntur plurimæ relationes rationis. Estque id inde, quia proprius conceptus relationis consistit in esse ad, qui, ut sic, est entitatis debilissimæ. Unde entia rationis quàm proximè ad istas relationes accedunt. *Cur plurimæ sint relationes rationis.*

Contrariari isti divisioni videtur, quod Timplerus disputat, *l. 1. Metaphic. 3. q.* 10, omne ens rationis esse accidens, probátque tribus rationibus, quæ in idem recidunt, quòd scilicet sit in intellectu omne ens rationis. At inprimis confunditur in hac opinione, entis rationis conceptus formalis cum objectivo. Conceptus formalis de Chimæra, verbi gratia, est subjectivè in mente. At hic ipse est aliquid reale. Conceptus autem objectivus Chimæræ non est subjectivè in mente. Objectum enim istius conceptus potest esse Chimæra, quæ in sylva fingitur versari. At de ente rationis inprimis loquimur juxta objectivum conceptum, tanquam de eo quod intellectui objicitur repræsentandum, per formalem conceptum. Atque hinc rectissimè dixit Suarez, entia rationis non esse in intellectu subjectivè, sed objectivè, quod de Chimæra, *in sylvis* facta, est evidentissimum. Indéque dum hæc Suarezii verba erroris arguit Timplerus, revera indicat, quòd non rectè intelligat naturam entium rationis. 54. *An omne ens rationis sit accidens?*

2. Aliter dividitur ens rationis, in ens fictum, & ens rationis specialiter dictum. Cujus distinctionis sensus haberi potest ex dictis *num.* 15. 55. *Alia divisio.*

3. Distingui solet ens rationis in positivum & negativum. Ubi sub negativo intelliguntur privationes & negationes specialiter dictæ. Sub positivo autem intelliguntur cætera, veluti Chimæra, Minotaurus, Relatio rationis, &c. 56

Timplero non videtur proba ista divisio, quia privationes & negationes non 57.

sunt Entia rationis. Indéque omne ens rationis ait esse positivum quid, *lib. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 11.* Hæc tamen refutatio nihil ponderis habet, ut postea videbitur.

4. Dividitur ens rationis in relationem, privationem & negationem, de qua plura consideranda sunt.

De divisione Entis rationis, in relationem, privationem & negationem.

58. DIvisionem hanc tradunt Autores plurimi, Thom. *q. 21. ar. 1. de veritate.* Cajetanus *1. p. q. 28. a. 1.* Soncinas *9. Metaph. q. 16.* Colleg. Conimbr, *in qq. proœmialib. ad Porphyr. q. 6. a. 2.* Suaretz *in Met. disp. 54. s. 4. & 5.* Aliique ferè communiter. Multum tamen laborant Recentiores, præsertim in istius interpretatione, inprimis quoad sufficientiam istius divisionis: Nam non videtur, sub quo membro debeant comprehendi entia ficta, veluti Chimæræ, Cerberus & alia.

59. *Et sufficientia hujus divisionis.* Duplex autem tentatur reductio. *Primò* reducunt aliqui ista & similia ad relationes: Argumento, quia ista sunt entia rationis per modum cogniti, seu in quantum sunt cognita ab intellectu. Sub ea ratione autem involvimus respectum ad potentiam cognoscentem.

60. Hæc reductio bona non est. Nam 1. Sic eodem jure dicerentur etiam privationes & negationes, relationes rationis, atque sic omne Ens rationis esset relatio rationis, unde aliunde apparet propter membrorum consensum, istius divisionis imperfectio. Patet consequentia, quia ens rationis, ut sic, requirit istam denominationem cogniti, & non est ens rationis, nisi in quantum à ratione cognoscitur esse. *Deinde* denominatio cogniti est quidem respectiva, sed tamen ipsum quod denominatur cognitum, non statim est relatio rationis. Chimæra enim absolutè apprehenditur, nempe per modum animalis, quod sit.

Πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀναπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Vt describitur ab Homero *Iliad. 7.* Atque sic, quia Chimæra apprehenditur ab intellectu, per modum animalis tergemini, utique non apprehenditur ut relatio, præsertim, quia, cùm loquamur de ente rationis sub objectivo conceptu, etiam debemus illud dividere, juxta varietatem, quam habet ens rationis, sub objectivo conceptu.

61. *Aliorum reductio. Refellitur.* Igitur 2. Alii ista entia ficta reducunt ad negationes, quia ipsa sunt simpliciter non entia. Ita fecit Colleg. Conimbr. & Suaretz *dict. loc.* Sed nec hoc benè dicitur, quia si à parte rei intelligatur id *non esse*, tum omnibus entibus rationis convenit non esse. Atque sic etiam relationes rationis possunt dici negationes. Vnde non apparet, quomodo majori jure entia ficta contineantur sub negationibus, quàm relationes rationis. Nam & relationes rationis non habent esse à parte rei.

62. *Instantia.* *Dices:* At entia ficta involvunt repugnantiam & contradictionem, & proinde simpliciter non sunt, quod non est in relationibus rationis. *Respondeo* negando antecedens, si universaliter intelligatur. Sunt enim multa entia rationis, quæ nullam contradictionem involvunt, veluti, si quis fingat magnum exercitum nunc cingere Francofurtum, hoc tempore esse cometam, & in ejusmodi aliis. Hæc quia non sunt, & tamen intellectus de iis aliquid concipit, utique sunt entia rationis. Et tamen nulla involvitur repugnantia, si tale quid revera sit. De his ergo saltem evidens est, quod non contineantur sub negatione, majori jure, ac relationes rationis.

Auto-

Autoris sententia de ista divisione.

ATque propter hæc simpliciter existimo istam divisionem esse insufficientem, 63.
& intelligatur divisio illa, de ente rationis in universum concepta.

Exponi tamen potest commodè illa divisio, si subjectum illius, sive totum distributum, intelligatur de ente rationis particulatim. & quod famosè tale dicitur, contradistinctum ab ente ficto. Quomodo ens rationis id dicitur, quod habet entitatem, per rationem, (in quo convenit cum iis, quæ specialiter dicuntur ficta entia) sed tamen entibus realibus attribuitur, quomodo ens rationis aliquando sumi debeat, suprà tradidi *num.* 15. Solentque hæc entia rationis vocari *doctrinalia*, eò quòd iis in docendo soleamus uti. Unde propter usum hunc suum videntur magis entia esse, quàm entia cætera rationis, atque adeò videntur ipsa sola distributa esse dimissis aliis. Atque sic omne ens rationis (specialiter sumptâ voce, pro ente rationis, quod doctrinale est, quodque ficto contradistinguitur) est vel relatio, vel privatio, vel negatio. *Commodè exponitur illa divisio. Ens rationis quid sit specialiter?*

Sed tum ex alio capite huic divisioni contravenit Timplerus disputans, privationes & negationes non esse entia rationis, *l.* 1. *Met. c.* 3. *q.* 11. *& l.* 5. *c.* 6. *q.* 3. Id nunc considerandum est. 64.

An privationes & negationes sint Entia rationis?

PRincipiò videri potest: Privationem esse plusquam ens rationis, hoc est, esse ens reale, sed de hoc sufficienter disputavi *in Top. c.* 20. *n.* 34. *& seqq.* 65.

Nunc igitur solùm disputandum est, an sint entia rationis, an verò aliud quid sint quod contendit Timplerus *dictis locis*, ex eo, quia omne ens rationis debeat esse positivum. Cui accedit, quod privationes & negationes rebus à parte rei conveniunt, ante omnem operationem intellectus. Neque enim ab ullius intellectu pendet, quod tenebræ conveniant aëri, aut Iro paupertas, & Bartimæo cæcitas, & quod ante istam mentis operationem id non sit.

Nihilominus in oppositum est, quod ipse Aristoteles privationes & negationes vocat entia, *l.* 4. *Metaph. c.* 2. *Quadam*, inquit, *vocantur entia, quia substantia, quædam, quæ privationes, &c.* At negationes & privationes non sunt entia realia. Ergo sunt entia rationis. Faciúntque ad aliqualem entitatem privationum obtinendam (quod idem consequenter est de negationibus infinitis) quod privationes dicuntur quodammodo *habitus* 5. *Met.* 17. & *species* eidem, 1. *phys. c.* 8. *t.* 75. Hæc enim sunt specialia nomina Entium. Atque hinc etiam dicuntur privationes *esse* in subjecto. Veluti cæcitas *est* in oculo, tenebræ sunt in aëre, & sic in aliis. 66.

Ad primam rationem in contrarium *respondeo* negando, quòd omne ens rationis debeat esse positivum. Petiturque principium in ista assertione. Quanquam id largiri possum, quod quicquid est ens rationis apprehendatur à mente, ut positivum quid. mens enim faciendo ens rationis, apprehendit tanquam ens, quod tamen ens non est. Atque hoc etiam est in privationibus & negationibus, quas cùm mens apprehendit, apprehendit eas tanquam inhæreant aliis, adeóque quasi sint attributa vel formæ entium. At hoc ipsum inhærere, non est nisi entium. 67.

Ad *alterum* patet responsio, ex superiùs dictis *num.* 37. Entia rationis pendent ab intellectu, non quantum ad convenientiam quam habent ad subjectum. Hæc enim potest esse remoto actu mentis: sed quantum ad essentiam h. e. Entia rationis non sunt, vel non habent esse, antequam operetur intellectus & eis quasi conferat esse. Ita Iro ante omnium operationem mentis, convenit paupertas, & Bartimæo, ante omnem operationem, convenit cæcitas. 68. *Quatenus entia rationis pendeant ab intellectu.*

Paupertati autem & cæcitati Iri, et Bartimæi non convenit ullum esse nisi in quantum sunt objectivè in intellectu. Nam prout à parte rei sunt, solùm convenit eis negare. Intellectus autem apprehendit eas tanquam formas inhærentes aliquibus subjectis, h.e. apprehendit eas per modum positivorum. Entitatem igitur quamcunque habent privationes, habent per intellectum. Idémque est, ne putetur hic principium peti, in aliis entibus rationis, quæ fundamentum ex re sumunt. Nempe et ista ante operam mentis conveniunt rebus, solùm non sunt entia ante operam mentis. Veluti Tullio et Ciceroni convenit, quod sint idem numero, antequam mens negotietur. Sed ista relatio rationis, sive identitas ejusdem ad seipsum, non habet Entitatem nisi cùm est objectivè in mente. Sic
69 cùm homo quis est albus, ibi à parte rei, homini convenit esse subjectum. At relatio subjecti in homine, nullam habet entitatem, nisi in quantum est in intellectu objectivè. Cæterùm quia Entia rationis in particulari juxta factam divisionem erant, relatio rationis, privatio & negatio. Ideo videbatur de his nunc agendum esse, sed neutrum facio. Nam de privatione & negatione prolixè scripsi *in Top. c. 16. n. 9. & c. 20. toto.* unde ista doctrina sumi potest. Relatio autem rationis commodiùs declarabitur infrà post tractationem de relatione reali. Sicut enim ens rationis in genere rectè intelligitur, per juxtapositionem ad ens reale in genere, (quo consilio etiam hîc in generali Metaphysica de ente rationis egi) ita ens rationis, hoc est, relatio rationis, commodiùs intelligitur per juxtapositionem ad relationem realem. Atque ita nunc generalis Metaphysicæ finis esto.

FINIS LIBRI PRIMI.

CHRI-

CHRISTOPHORI

SCHEIBLERI

METAPHYSICA SPECIALIS,

SIVE

METAPHYSICORVM

LIBER II.

CONTINENS

TRACTATIONEM DE SUBSTANTIIS

(adeóque *de Deo*, *Angelis*, & *Anima separata*)

& singulis accidentium generibus.

****
**

ILLVSTRISSIMO ET

CELSISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

DN. PHILIPPO HASSIÆ LAND-

gravio, Comiti in Cattimeliboco

Decia, Ziegenhaina &

Nidda, &c.

Domino suo Clementissimo:

DOLENDUM est, Princeps Illustrissime, Domine Clementissime, ea quæ superioribus seculis, in doctrina *de Deo*, communiter, idq; rectè, credita & demonstrata fuerunt, hoc nostro tempore, per rationes sæpe nullius ponderis, à nonnullis in controversiam vocari, vel saltem extenuari, & de varietate suspecta reddi. *Conradum Vorstium* intelligo

ejusq;

ejusq; assecias. Is enim ferè nihil, inter attributa Divina intactum reliquit, de quo non aliqua scrupulosè disputaverit, & minus cautis aut exercitatis Lectoribus aliqua dubia reddiderit, quanquam pleraque vel solo auditu absona sint Christianæ menti.

Vorstii sententia de infinitate Dei.

Ait *in notis ad disputationem 3. de Deo*: Deum *solum secundum quid et comparativè infinitum esse, sicut numerus stellarū vel arenæ maris, infinitus est, etsi absolute certus sit et finitus*: Hanc sententiam vel primus de Deo conceptus refutat. Apprehendimus enim infinitum per defectum finitum, in essendo inprimis. Deus autem simpliciter & absolutè, neq; habet initiū essendi, cùm sit simpliciter Ens independens, neq; habet essendi terminum, cùm simpliciter sit immortalis. Oportet igitur, ut simpliciter sit infinitus & absolutè. Et nescio quid vagum vel confusum & ἀόριστον, interim sibi sub voce infiniti imaginetur *Vorstius*.

De Dei potentia.

Sic in eadem disputatione non minùs profanè ait: *Potentia Dei etsi respectu nostri, et rerum possibilium immensa dicatur, non tamen, prorsus infinita est, quia non extenditur ad impossibilia*. Si prorsus infinita non est Dei potentia. Ergo finita est simpliciter & absolutè loquendo. At quos tandē fines habet hæc Dei potentia? Quod impossibilia non producit Deus, mirabile est, quomodo finiat Dei potentiam, cùm impossibile sit simpliciter nihil. Mirum autem est, aliquam potentiam finitam fieri, si non possit ipsum nihil producere. Et omnipotentiæ (sic enim vocatur Dei infinita potentia) vox hanc rem refutat. Omnipotentia enim ab *omnibus* nomen habet. Omnia autem ab iis, quæ nihil vel nulla sunt, manifestè distinguuntur. Vox *omnis*, inquam, distribuit in ea quæ sunt, non in ea quæ non sunt, ut vulgò dici solet.

De Dei simplicitate.

Quin & *simplicitatem* Dei multis oppugnat. At interim Deo multiplicem imperfectionem, quam importat compositio, subinfert. Nempe cùm compositum dependeat à componentibus, indeq; sit istis componentibus posterius, includat etiam aliquid per modum actus perfectivi, & aliud per modum potentiæ perfectibilis (nisi per aggregationem compositum dicere velimus) hinc consequenter Deus erit

Ens

Ens dependens, non Ens primum, nec purus actus, sed obnoxius potentiæ passivæ. Absurdè.

Quoad *præsentiam* Dei, multis argumentis disputat: *Deum non in terris, sed in cœlo solùm præsentem esse.* Et novo errore addit: *Deum, ubi est, non esse totum in qualibet parte sui spatii.* Vnde, cùm de communi sententia, Deus dicatur totus, ubi ubi est, adeóq; in quolibet puncto: Vocat inde Deum, per contemptum, Deum *punctualem* & *atomicum*. Ita nempe ex priori hypothesi tollitur unio personalis, in persona Christi. Neque enim unio personalis esse potest, inter divinam naturam, in solo cœlo existentem, & humanam naturam in terris versantem. Ex hypothesi verò altera, ratione præsentiæ plus relinquitur dignitatis, spiritibus creatis, quàm Deo ipsi: nam Spiritus creati, cùm non habeant partes essentiæ, non possunt adesse per partes. Ergo ubi ubi sunt, toti sunt, totalitate essentiæ, inquam. Ita enim intenditur eâ. quam dixi, locutione, cùm quid dicitur totum esse in qualibet parte spatii sui. *De Dei præsentia.*

Sic & in consideratione *æternitatis* divinæ, hoc ei valdè absurdũ videtur: quòd æternitas Dei dicitur esse *tota simul*. Sed in oppugnatione illius communis sententiæ, neq; intelligit, quid hæc sibi velit locutio, nec quæ ad rationem durationis pertinent. Nempe non vocatur duratio successiva (successioni enim opponitur hoc, quod Dei duratio, dicitur esse tota simul) ab extrinseco, vel quia coexistat res aliqua motui cœlesti, qui successivus est: sed denominatio illa sumitur ab intrinseco, nempe à rei cujusque natura. Vnde in cujus natura non est successio, in eo, ad istum modum loquendi, etiam non est successiva duratio. Jam in rerum creatarum naturis, duplex reperitur successio. Una peculiaris est motui. Unde cùm cætera entia dicantur permanentia, motus dicitur Ens successivum, speciali nomine. Alia successio communis est omnibus Entibus creatis, consistitque in eo, quod Deus, vi conservationis suæ continuè in res creatas influit, non secus ac Sol per continuatam irradiationem, conservat lumen suum, adeò ut si successio vel continuatio illa deficiat, illicò oporteat, omnes res creatas recidere in nihilum, non secus *De æternitate Dei.* *Successio in rebus creatis duplex.*

ac lumen deficit, si Sol illuminare desinat. Et ex hac causa duratio rerum creatarum, dicitur non esse tota simul. Cùm igitur tale quid in essentia, & consequenter in duratione sive æternitate divina non sit, ideo ad remotionem hujus imperfectionis, dicitur Deus esse totus simul. Quid hîc incredibile, aut tale etiam de quo quisquam dubitare debeat? Sed nolo vel hæc vel alia latiùs hoc loco persequi.

Quanquam verò multum in his laborarunt Theologi: tamen cùm ad hanc rem pleraque ex principiis naturæ, & naturali intellectus lumine disputentur; Et inprimis ad Metaphysicam pertineat, explicare istiusmodi Dei attributa: Proinde operæ pretium fuit, hanc rem suo loco pertractare, ut & cætera, quæ ad naturalem Dei cognitionem pertinent. Atq; hæc magna pars est hujus specialis Metaphysicæ. Unde tota disciplina hæc, maximam, supra omnes alias scientias eminentiam consecuta est, cùm nulla earum sit, quæ de rebus tam sublimibus tractet, ac Metaphysica, quatenus ea de Deo, divinis attributis, & actibus (ut interim Angelorum & animæ separatæ cognitionem sicco pede præteream, quæ & ipsa tractatio Metaphysicorum propria est) contemplatur.

Atque hæc ipsa tractationis præsentis sublimitas, efficaciter mihi persuasit, ut considerem, eandem T. Celsitudini, Princeps Illustrissime, non ingratam futuram, præsertim cùm magis ardua consideratio esse nequeat, ac est ea, quæ de rebus divinis est, contemplatio. Accedit singularis T. Celsitudinis in studia literarum, & in Inclytam hanc Academiam in eáque docentes & discentes Clementissima propensio, multis argumentis comprobata, ut ea imperitârit mihi, cùm antehac generalem Metaphysicam, Illustrissimo ac Celsissimo Principi ac Domino, Dn. Ludovico, Hassiæ Landgravio, &c. Celsitudinis Vestræ, Fratri Germano, Domino meo Clementissimo, humillimè inscripserim, nunc ut Metaphysicam specialem Vestræ Celsitudinis inclyto nomini, eâdem humilitate consecrarem, atque adeò utriusque Clementissimum, in studia literarum, animum, submissè deprædicarem. Accipe ergo, Domine Clementissime, hunc

tra-

tractatum meum, eundem instructissimæ Bibliothecæ suæ particulam esse patere, méque quâ soles Literatos (quorum tenuis umbra sum) clementiâ & gratiâ tibi commendatum habe. Vale, Princeps Inclyte, diutissimè & felicissimè. Datum Giſſæ, ex Museo. Anno 1617. M. Martio.

V. Celſ.

Subjectissimus

M. Christophorus Scheiblerus, Logic. & Metaph. Profess. & Pædagogiarcha, & p. t. Academiæ Rector.

LIBRI SECUNDI METAPHYSICORVM

CAPVT I.

DE *SUBSTANTIA IN GENERE.*

1. HActenus fuit Pars communis Metaphysicæ, de Ente, ejusque principiis & affectionibus, & inde orientibus divisionibus: sequitur specialis pars.

2. Pars specialis est, quæ tractat de Ente specialiter, *hoc est*, quæ dividit Ens in substantiam & accidens, & sub his generibus descendit ad inferiora, quoad licet.

3. Ens igitur est substantia, vel accidens.

4. Substantia est Ens per se subsistens.

COMMENTARIUS.

Duo inprimis hoc capite sunt explicanda: 1. Divisio Entis in substantiam & accidens. 2. Propria ratio substantiæ. Quibus præmittenda est generalis quæstio.

TITULUS I.

DE QUÆSTIONE PROOEMIALI

An Metaphysicæ liceat descendere ad specialia?

2. *Rationes dubitandi.*

PRo negativa sententia est. *Primo*, quod Metaphysica est generalis, imò καθολικωτάτη scientia. At si ageret de Ente speciali, fieret disciplina specialis. *Secund:* Si Metaphysica descendit ab universalibus ad specialia, veluti ab Ente ad substantiam, qualitatem, & cur non descendet porro ad species substantiæ, qualitatis, &c. Veluti ad considerationem auri, hominis, caloris, risibilitatis, &c. *Tertio*, cùm aliæ etiam divisiones Entis contrahant rationem Entis, veluti simplex & compositum, necessarium & contingens, finitum & infinitum. Admisso, quòd Metaphysicæ possit esse aliqua pars specialis, cur istæ divisiones relinquuntur in parte communi, sola autem divisio Entis, in substantiam & accidens, facit partem specialem? non videtur major ratio esse hic quàm ibi. *Denique*, si tractatio de substantia & accidente esset pars specialis Metaphysicæ, tum argumentando à conjugatis, substantia & accidens essent species Entis. At hoc est absurdum. Nam ens nullius genus est. Ut conclusum est superiori *lib. cap. 2. nu. 41.* At si substantia & accidens non sunt species entis, quomodo adhuc illorum doctrina debet dici doctrina specialis?

Confirmatur: *Quod Metaphysico liceat descendere ad specialia.*

3. *Posse Metaphysicam tractare specialia.*

NIhilominus omnino dicendum est: Metaphysicam posse & debere descendere ad specialia. Nam omnis disciplina, sive scientia totalis, debet subjectum suum cognoscere & generatim & speciatim. Secus enim non est totalis scientia, sed constituit partem scientiæ. Indéque Zabarella *lib. 1. de tribus præcog. cap. 2.* Conditionem subjecti in scientia totali, ait esse, ut subjectum illud habeat species. Aiúntq; aliqui id etiam velle Aristot. *1. top. t. 179.* Cùm ait considerare debere scientiam, & subjectum, & ejus partes. Et confirmatur id inductione, vel potius exemplo, aliarum scientiarum. Nam Physica non solùm considerat corpus naturale in genere, sed in specie etiam, veluti cœlum, elementa, &c. Mathesis non solùm agit de quantitate simpliciter, sed etiam de ejus speciebus, veluti linea, superficie, corpore.

Solvuntur Objectiones.

4. *Metaphysica quomodo generalissima scientia?*

AD *primam* autem objectionem respondeo: Metaphysicam esse generalissimam scientiam, attendendo generalitatem subjecti totalis, quod est Ens. Hujus enim ratione, excedit omnes alias disciplinas, quæ habent subjecta angustiora. Atque ita Metaphysica servat generalitatem suam satis, etsi ad specialia descendat.

5. *Quousque liceat Metaphysico descendere?*

Neque tamen (ut etiam *ad secundam* respondeam) Metaphysicæ licet descendere ad quaslibet species. Limitatur igitur iste descensus, ad naturam disciplinæ, & peculiarem modum abstractionis. Atque ita, Metaphysica præscribit sibi abstractionem à materia: Hinc licet illi descendere, ad specialia, quamdiu id abstractio, Metaphysicæ debita, patitur. Quamprimùm autem aliquid occurrit, quod isti sit contrarium; illicò contemplationem suam præscindit. Veluti Metaphysicus ab Ente descendit ad substantiam. Hîc nihil adhuc invenit abstractioni Metaphysicæ repugnans. Ergo distinctè considerat substantiam, & porro eam partitur dicendo: substantia alia est corporea, alia incorporea. Inter has, substantia corporea implicat in conceptu suo materiam. Ergo eam Metaphysica dimittit. In incorporea autem nihil materiæ est: Ergo eam iterum cognoscit Metaphysica & porro partitur. Ita facit etiam in aliis prædicamentis, ut descendat ad inferiora tamdiu, donec offendat aliquid materiale. Veluti cognoscit Metaphysica qualitatem, quæ, ut sic nihil materiale implicat. Descendit igitur, v.g. ad potentiam

natura-

naturalem, hæc itidem talis est. Sub potentia naturali, est potentia visiva, quæ implicat respectum ad materiam, quia ejus actus non exercetur, nisi in organo corporeo. Ergo hanc Metaphysica dimittit.

Ad tertiam Resp. Divisionem Entis in substantiam & accidens propterea facere peculiariter partem specialem Metaphysicæ, quia sub ea divisione, Metaphysica descendit ad infima genera, quæ ab ipsa considerari possunt, quod non fit sub distinctionibus aliis. Deinde aliæ divisiones distribuunt ens, non tam per modum specierum, quàm per modum attributorum. Unde hoc ipso, ad generalem doctrinam pertinent. Idque indicatur ferè, per ipsa nomina attributorum talium, quæ solent signari nominibus adjectivis, quæ frequenter adhibentur ad signandum attributa. 6 *Divisio entis in substantiam & accidens, cur faciat specialem partem Metaphysicæ?*

Ad quartam Respondeo: Substantiam & accidens non esse quidem verè species; & rigorosè loquendo, ut patet loco, in objectione, allegato. Nihilominus sunt in Metaphysicis quasi species, quia contrahunt communem rationem Entis. Unde Aristoteles etiam hoc modo loquendi, eas vocavit species, ut sæpe induxi. Atque hinc commodè, tractatio entis, sub modo subsistendi substantiali & accidentali, potest specialis dici. Sed proprius ad hanc rem accedamus. 7

TITULUS II.

DE DIVISIONE ENTIS IN SUBSTANTIAM & accidens.

DE hac divisione tria sunt constituenda: 1. Quid nunc intelligatur per divisum, sive ipsum Ens. Alii formant istam quæstionem sic: Quænam sint in prædicamentis? Nam, quia prædicamenta constituuntur per divisionem Entis, in substantiam & accidens, ideo quæ ad hanc divisionem pertinent, eodem modo, etiam ad prædicamenta pertinent. 2. An bona sit ista divisio? 3. Qualis sit illa divisio, an univoca, an analoga, an nominis solùm? 8

ARTICULUS I.

Quidnam in ista divisione intelligatur per divisum? seu quod idem est: Quænam sint in prædicamentis?

HAnc rem per plures quæstiones prolixè disputavi, *in Introductione Log. 6. 2. n. 40. seqq.* Vnde hæc paucula excerpo, ex quibus summatim apparet, in ista divisione intelligi ens per se comprehendere ens finitum, positivum, per se, reale, completum, unum. 9

PVNCTVM I.

An incorruptibile etiam comprehendatur in prædicamentis?

PEr incorruptibile in præsenti intelligitur, non speciatim illud ens, quod nullo prorsus modo corruptibile est, (Id enim cùm sit solus Deus, quæstio hæc coincideret cum sequenti,) sed incorruptibile, etiam alia entia comprehendit, quæ è creaturis dicuntur naturæ incorruptibilis, qualia sunt Angeli, anima, cœlum, materia prima. 10 *Quid incorruptibile?*

Atque de his ratio dubitandi est, quod entia corruptibilia sine dubio sunt in genere, sive prædicamentis. At corruptibile & incorruptibile, non possunt convenire in eodem genere. Ergo incorruptibile non est sub prædicamentis. Et juxta hæc ne quidem cœlum in prædicamentis esse, asserunt Zimara, *Theor.* 62. Gandau. 10. *Metaph. cap. ult. quæst.* 22. Mercenar. *tom.* 1. *dilucid.* 1. *Ratio dubitandi.*

Hæc tamen sententia bona non est. Nam cœlum & homo (quæ ut corruptibile & incorruptibile differunt) conveniunt in eo, quod utrique eadem convenit materia *Decisio.*

teria, si ea simpliciter, sub esse materiæ, intelligatur. Ergo à fortiori conveniunt in eodem genere. Consequentia est evidens, quia convenientia in materia φυσικωτέρα est, quàm convenientia in genere, quæ magis Logica est. At si inest, quod majus est, etiam inerit id, quod minus est.

Solvitur objectio

Neque ratio in contrarium facta, satis efficax est. Nam cùm corruptibile & incorruptibile dicuntur differre genere, per genus intelligitur non genus Logicum, quod vocant, & speciei opponitur; sed per genus intelligitur, ut alias sæpe apud Aristotelem, subjectum. Ergo corruptibile & incorruptibile non possunt convenire in eodem genere, hoc est, non potest eadem res esse corruptibilis & incorruptibilis. Veluti, si cœlum est incorruptibile, non est corruptibile. Et sic in aliis. Atque tum propositum axioma non est ad propositum, quod sic exponitur à Fonseca 5. *Met. c.* 8. *q.* 4. *s.* 2. Suarez *disp.* 35. *Met. s.* 3. *n.* 37. Arnisæo *in Pol. Met. p.* 229.

Corruptibile & incorruptibile quomodo differant genere?

PVNCTVM II.

An Deus sit in prædicamentis?

11

INprimis certum est sub nomine substantiæ, Metaphysicum rectè posse descendere ad considerationem Dei. Nam Deus, cùm sit Ens ἀνυπέρτατον, commodè dicitur substantia. Id enim omne Metaphysicus sub nomine substantiæ complectitur, neque tractat solùm de iis, quæ per se sunt substantiæ prædicamentales. Dividit enim substantiam per completam & incompletam. At substantiæ incompletæ non sunt per se in prædicamento. Præsens igitur quæstio præcisè loquitur de substantia prædicamentali.

Atque tum valdè scitæ sunt Philosophorum & Theologorum sententiæ, ea de re, ut suo loco latiùs recensui, nunc autem lubens omitto.

Deus non est per se in prædicamento.

Et primò dico: *Deus per se & propriè non est in prædicamento substantiæ.* Patet. Nam quæ per se in prædicamentis sunt, vel sunt genera, vel sub generibus. At Deus nec genus est, quia sic esset, quid universale, quod suprà *lib.* 1. *cap.* 6. refutatum est. Nec etiam sub genere. Aliàs enim esset compositus ex genere & differentia, quod *cap.* 3. *infrà* refutabitur. Quæ autem huic rei contraria videntur, etiam sunt alibi satis tractata.

II. Dico: *Deum per reductionem & similitudinem esse in prædicamento substantiæ.* Ita patet primùm. ex omnium istorum sermone, qui Deum substantiam vocant, suppelito, quòd sub ea Deum non ponant tanquam sub genere. Ab hoc enim recedendo, quod non sit aliquid speciei substantiæ, non apparet, quomodo quid substantia dici possit, nisi per qualemcunque accommodationem & similitudinem ad naturam ejus, quod substantia dicitur. Et confirmatur, quod generatim sumendo terminos, substantia & accidens dividunt ens latissimè, juxta illud:

Summus Aristoteles rutilando cacumina rerum,
In duo divisit, quicquid in orbe fuit.

At Deus utique est aliquid, & non est nihil. Et rursus est aliquid non egens alio sustentante, hoc est, non est accidens. Oportet igitur ut sit substantia. Unde summatim, quæcunq; confirmant Deum esse substantiam, id saltem confirmant, quod Deus per reductionem substantia sit. Atque ideo confer *c.* 3. *n.* 174. *hoc lib.*

PVNCTVM III.

An Angeli sint in prædicamentis?

12

NEgant id Ægidius, *quodlib.* 1. *q.* 8. Durand. *l.* 2 *sent. dist.* 3. *qu.* 1. Albert. *in prædicam. cap.* 2. Sed immeritò. Nam Angelis convenit habere genus & differentiam ut infrà videbitur *c.* 4. *n.* 48. Ac quæ talia nunc sunt, sunt species. Speciebus autem propriè convenit, esse per se in prædicamento. Atque ex hac ratione eandem sententiam defendit Thom. *de ent. & ess. q.* 11. Tolet *in Log. de substant. q.* 2. Colleg. Conimb. *in lib. Categ. c.* 5. *q.* 1. *n.* 2. Fonseca 5. *Met. c.* 8. *q.* 14. *s.* 1. 3. Aliique. Objectiones aliquas sum ad hanc rem, quas commodius inferius propono, & solvo, *d. c.* 4. *n.* 49.

PUNC

PVNCTVM IV.

An Transcendentia sint in prædicamentis?

SUperiori libro audivimus dicentes: quòd *Bonitas*, v.g. sit qualitas, quodque sumatur ex prædicamento qualitatis, quod *quando* & *ubi* significent Durationem & præsentiam, de quibus inter Transcendentia actum est. 13

Hæ sententiæ bonæ non sunt. Patetq; *primò* ex ipsa voce *Transcendentis*. Transcendentia enim dicuntur à Transcendendo. Quid igitur Transcendunt? Transcendunt prædicamenta, communitate etiendi, ut suprà plenius fuit *lib.* 1 *c.* 3. Ergo omnia Transcendentia ex se sunt aliquid latius, quàm prædicamenta. Ergo ipsa dicentur de prædicamentis, prædicamenta autem non poterunt dici de istis. Repugnat enim ut prædicatum sit angustius subjecto. *Transcendentia non sunt in prædicamentis. Vnde dicantur?*

Deinde etiam idem patet per rationem. Nam purissimè loquendo de essentiis substantiarum, v.g. & præscindendo ab omni extraneo, adeóque ab omni accidente, conveniunt tamen eis attributa transcendentia. Signum evidens igitur est, quod attributa transcendentia non significent accidentia, quòdque adeò hactenus non sunt in prædicamentis. Antecedens patet. Nam humanitas, v.g. præcisissimè sumta, & in quantum significatur per puram hominis definitionem, nihilominus est aliquid *unum*. Est enim humanitas, non humanitates, est aliquid *verum*, quia sub ea ratione est aliquid intelligibile. Intelligibilitatem autem signat veritas. Est aliquid *Bonum*. Nam illa essentia terminavit volitionem divinam, ut ea à Deo produceretur. At nihil vult Deus, nisi sub ratione boni. Et sic in aliis.

Proinde dividendo Ens in substantiam & accidens, Transcendentia comprehendenda non sunt sub specialibus istis modis essendi, substantiæ & accidentis, sed sunt ipsum divisum, nempe ens, propter realem identitatem, & æquè latè patentiam ad ipsum.

PVNCTUM V.

An & quomodo negationes sint in prædicamentis?

PEr negationes intelliguntur hîc, tum negationes infinitæ (ut non lapis, non homo) tum privationes, quæ sunt negationes definitæ (ut cæcitas, surditas, nuditas, tenebræ.) Igitur istarum negationum utrumque genus rectè excluditur à prædicamentis, quò minus in iis per se sint. Nam divisum in substantiam & accidens est ens. Negationes autem sunt non-entia. At divisum à dividentibus non debet dissentire. Quod si quando Aristoteles negationes Entia vocat, ut fit 4. *Metaph. cap.* 1. tamen id solùm est æquivocè. Æquivoca autem non comprehenduntur eadem divisione: Neque enim eadem definitione comprehenduntur. 14 *Negationes non sunt per se in prædicamentis.*

Et confirmatur, quod quicquid est in prædicamentis per se, id est genus vel species. At negationibus repugnat, ut sint genera vel species. Utrumq; namque nomen, est nomen Entis. Genus enim communicat *essentiam*: & species accipit *essentiam* à genere. Ergo utrique convenit essentia, ergo quod non est ens, nec genus, nec species esse potest. Loquor de eo, quod sic *per se*. Nam negationes possunt reduci ad prædicamenta. Intelliguntur enim per juxtapositionem ad entia. Vnde etiam juxtaponuntur Entibus, in prædicamentis.

PVNCTUM VI.

An & quomodo Entia rationis sint in prædicamentis?

ENtia rationis, quatenus ea comprehendunt negationes, quæ itidem Entia rationis dicuntur, sic de iis præcedenti puncto dictum est. Proinde præsens quæstio, vel generatim de entibus rationis, vel strictè de relationibus rationis & entibus fictis intelligi potest. 15

Igitur

Aliorum opinio.

Igitur cùm aliqui Entibus rationis peculiare prædicamentum attribuunt, undecimum scilicet, quod *prædicamentum signi* vocant. Ita opinatur Clypeus *q. 6. de prædicamentis.* & Niphus *l. 6. Metaph. dist. 7.* Alii autem sub usitatis decem generibus comprehendunt entia rationis, veluti, ut dicant, relationes rationis esse per se in prædicamento relationis, & sic in aliis.

Entia rationis saltem per reductionem sunt in prædicamentis.

Hac in re inprimis certum est: *Entia rationis saltem per reductionem esse in prædicamentis.* Nam sunt intelligibilia, per ordinem ad entia realia, generatim loquendo, ut visum est superiori *lib. in c. ult.* Ergo ens rationis hoc vel illud, veluti relatio hæc vel ista. Cerberus, Hircocervus, & alia sunt intelligibilia per ordinem ad hæc, vel ista entia realia, veluti per ordinem ad relationem realem, verum canem, hircum, & cervum, quæ per se sunt prædicamentis.

Non possunt esse directè in prædicamentis.

Deinde dico: Entia rationis non posse esse directè in prædicamentis, nec ut aliquod peculiare prædicamentum faciant, nec, ut sub usitatis generibus contineantur. Nam entia rationis non dicuntur entia, nisi æquivocè, ut suo loco visum est. Ergo in quidditativo conceptu entis cum entibus realibus convenire non possunt, ut sub unam cum iis definitionem veniant. Ergo nec sub eandem divisionem? Hæc enim ad istam consequitur. Et confirmatur, quòd aliàs Metaphysica per se ageret de entibus rationis. Absurdè: Nam entia rationis sunt contingentia, cùm ad arbitrium intellectus sint, & non sint. Ac scientiæ speculativæ non agunt de contingentibus.

PVNCTVM VII.

An & quomodo Entia per accidens sint in prædicamentis?

16

Ens per accidens non est per se in prædicamentis.

PEr entia per accidens quid intelligatur, suprà constitutum est *lib. 1. cap. 4. tit. 8.* Patétque de istis, quod per se non sint in prædicamentis. Ens enim per accidens non est Ens, sed entia, absolutè loquendo. At quod in prædicamento est per se, est utique ens. Ens enim est totum illud divisum, quod in prædicamenta dispescitur. Et confirmatur, quod entia per accidens sæpe aggregant entia diversorum prædicamentorum, ut est v. g. pulchritudo, quæ constituitur ex quantitate, relationibus & qualitatibus aliquot. Et idem est in aliis.

Objectio de habitibus disciplinarum.

Principalis difficultas ad hanc rem est: *Primo* de habitibus disciplinarum, veluti Logica, Physica, Metaphysica, Arithmetica, qui, cùm sint habitus, ponuntur utique directè in prædicamentis, & tamen sunt entia per accidens, juxta ea, quæ de iis disputat Fonseca 5. *Metaph. c. 7 q. 5. s. 2.* & Suarez *disp. 1. Met. s. 3. num. 3. seqq. & disp. 4. s. 3. nn. 45 seqq.* & confer *infrà c. 8. n. 133.*

Objectio alia de Numero.

Altera difficultas est de numero sive quantitate discreta. Hic enim ponitur species quantitatis ab Aristotele, dividente quantitatem in continuam & discretam, *lib. 3 Metaph. cap. 13 & in Categ. cap. 6.* Et tamen est numerus ens per accidens, ut plurimis placet. Sed hanc rem de Numero infrà tracto *cap. 7. de quant. tit. ult.* ubi vide.

Solutio.

De habitibus autem disciplinarum, admisso, quòd sint entia per accidens, dico, eos in prædicamentis non esse per se, sed per reductionem, quia scilicet singulæ notitiæ distinctarum conclusionum, ex quibus isti habitus aggregantur, sunt habitus. Unde in iis facilior est reductio, quàm in aliis entibus aggregatis, partim quia non aggregantur istæ disciplinæ ex rebus diversorum prædicamentorum, partim etiam, quia illæ partiales notitiæ, habent qualemcunque ordinem & unitatem, quatenus vel omnes continentur sub eodem totali subjecto (quod est in habitibus speculativis) vel referuntur ad unum finem, quod est in habitibus practicis.

PUN-

PUNCTUM VIII.

An & quomodo concreta sint in prædicamentis?

17. Concreta accidentalia non sunt per se in prædicamentis.

Hic differenter loquendum est de concretis substantiarum, & de concretis accidentium.

Et de concretis accidentium quidem patet, ea non esse per se in prædicamentis. Nam sunt Entia aggregata, & id quidem ex prædicamentis diversis. Veluti concretum hoc *doctus*, est aggregatum ex substantia & qualitate. *Doctus* enim est nihil aliud, quàm *homo* habens *doctrinam*. Quæ autem talia entia sunt, jam & priori puncto à prædicamentis rejecta sunt. Et sic etiam Aristoteles *l.4. Top.c.1.* Justum non esse sub genere sed justitiam. Unde porrò sequitur cum Aristoteles genera prædicamentalia nominibus concretivis appellat, veluti *ποσὸν καὶ ποσὸν*, *quantum*, & *quale*, quod tamen ea nomina supponant pro abstractis, ut suo loco indicabitur.

Concreta accidentalia quæ sum reducenda.

Solet deinceps quæri; Admisso, quod concreta, accidentalia non sint per se in prædicamento, sed per reductionem, ad quodnam prædicamentum reduci debeant, an ad id, in quo est subjectum illius accidentis, an ad id, in quo est accidens? Veluti an doctus debet reduci ad prædicamentum substantiæ, an ad prædicamentum qualitatis? Vbi, missis aliorum opinionibus, ad prædicamentum illud reducendum censeo concretum accidentale, ex quo sumitur forma illius concreti. Veluti, *doctus* reducitur ad prædicamentum, in quo est doctrina. Forma enim in talibus accidentibus potissimum quid est: unde subjectum dicitur etiam solùm *connotari* in concretis accidentium, hoc est, secundariò significari. Et idem docet etiam Durand. *1.d.34.q.1.* Averroës *5. Metaph.comm.14.* & Fonseca *5 Met.c.7.q.5 s.3.*

De concretis substantialibus.

Concreta autem substantiarum sunt in prædicamento per se. Nam illa sunt entia per se. Et aliàs etiam rectè in hoc genere præferuntur abstractis substantialibus, quia abstracta substantialia sunt entia partialia & incompleta. Significant enim per modum differentiarum. ut sunt *animalitas*, *humanitas*, *bestialitas*, &c. Entia autem incompleta, non sunt per se in prædicamentis, ut statim dico.

PUNCTUM IX.

An & quomodo entia incompleta sint in prædicamentis?

18. Entia incompleta non esse per se in prædicamento.

PEr entia incompleta quid intelligatur, suprà patuit *lib.1.cap.12.* Sunt autem talia entia: differentiæ, materia & forma, item-partes integrantes.

Hæc igitur non esse per se in prædicamento, patet, quia secus, in substantiis singularibus differentia, formæ, &c. singulares, essent substantiæ primæ. Per substantiam enim primam nihil aliud intelligitur, quam ea, quæ, in genere substantiarum singularia est. At absurdum id est. Nam substantia singularis Aristoteli est quæ maximè principaliter & propriè subsistit. At id nulli rei convenit quæ entitatem partialem habet. Ex hoc enim quia entitatem partialem habet, necessariò subsistit in alio. Speciales rationes, de singulis istis persequitur Fonseca *5. Metaph. c.7. quæst.7.sect.2.& c.8.quæst.2.*

Illud peculiariter observandum est, quod etiam partes abscissæ à toto heterogeneo, adhuc non sint per se in prædicamento: Secus tamen est, de partibus separatis à toto homogeneo. Hæ enim statim post illam separationem sunt entia completa. Priores autem semper sunt entia incompleta, cujus rei diversitatem supra attigi, *d.lib.1.c.12.*

PUNCTUM X.

An & quatenus æquivoca sint in prædicamentis?

19.

Resp. AEquivoca, antequam ad certas significationes determinentur, non sunt per se in prædicamento. Nam in prædicamentis res locantur secundùm

essentias suas. At æquivocum, in quantum tale est, non supponit pro essentia, sed solum nomen vendit. Et confirmatur, quod æquivoca frequenter significant res diversorum prædicamentorum, aut etiam modò per modum totius modò per modum partis, &c. quorum illud per se in prædicamento, hoc autem solùm per reductionem.

Dixi: *antequam ad certas significationes determinentur.* Eo enim facto, ut desinunt esse æquivoca, ita etiam in prædicamentis ponuntur: veluti cancer, pro animali fluviatili sumptus, est substantia. Cancer pro morbo sumptus, est qualitas. Et sic in aliis.

Æquivocum activè & passivè quid?

Est autem observandum quod per æquivoca nunc intelligamus ea, quæ & activè & passivè talia sunt, hoc est, quæ neque eandem essentiam dant suis significatis, neque etiam eandem essentiam accipiunt, ab aliquo superiori genere. Idque propter individua. Nam Socrates, v.g. vel Johannes simpliciter sunt in prædicamento substantiæ, etsi plura sint individua, quæ æquivocè conveniant in nomine Socratis vel Johannis. Et sic sunt nomina ista activè æquivoca. At ista non sunt passivè æquivoca. Nam & Socrates gentilis, & Socrates historiarum Ecclesiasticarum scriptor, conveniunt in essentia humana & sic unam essentiam accipiunt. Et proinde per hoc in prædicamentis locatur Socrates simpliciter, non attendendo, de quocunque id nomen dicatur.

PVNCTUM XI.

An artificiosa sint per se in prædicamento?

20. Artificiosorum duo genera.

ARtificiosa alia dicuntur, quæ à sola arte fiunt: alia, quæ fiunt ab arte, prout ea adjungitur naturæ cooperanti.

Alia artificiosa sunt per se in prædicamento.

Ex quibus dico: Ea *quæ ab arte fiunt, juncta cum naturâ, ea possunt esse in prædicamentis per se.* Ita aurum, vel aliud metallum purum, non fit à natura, sed beneficio artis purificatur. Et tamen autem purum est per se in prædicamento substantiæ. Idémque est in transmutationibus artificiosis, quas ars efficit, adhibito igne. Ignis enim potest formas substantiales producere. Unde quod per eum facit, non necessariò à prædicamentis arcetur. Sicut est, v.g. calx & alia quæ isto modo artificiosa sunt.

Alia non.

Ea autem, quæ ab arte sola fiunt, in prædicamentis per se non sunt. Nam inprimis artiv.g. mechanicæ debet supponi materia aliqua corporea, in qua artifex operetur. Ut igitur res artificiosa fiat, introducenda est in illam materiam peculiaris forma, quæ non est aliud, quàm figura alia atque alia. Unde res artificiosa, implicat pro materia, corpus aliquod naturale: pro forma autem, figuram, vel accidentalem partium coordinationem. Hæc autem Entia diversorum prædicamentorum, non faciunt Ens per se. At quod non est Ens per se, nec est in prædicamento per se, ut visum est *punctio 7.*

PVNCTVM XII.

In quo continetur summaria decisio propositæ quæstionis.

ATque ita summatim apparet, in ista divisione intelligi: Ens per se comprehendere ens finitum, positivum, reale, per se, completum, univocum. Hæc enim à potiori sunt Entia, unde etiam à potiori debent intelligi in principali divisione Entis. Ens autem infinitum excedit perfectione sua prædicamenta. Esse enim in prædicamento, est nomen mediæ perfectionis. Potest ea esse superior perfectio, ut est in infinito. Potest etiam aliud à perfectione ista deficere, ut erat in cæteris.

ARTICULUS

ARTICVLVS II.

An bona sit divisio Entis in substantiam & accidens?

HAnc etiam quæstionem, prolixè & sufficienter discussi *in Introduct. Log. c. 4. n. 17. seqq.* ubi vide. Nunc breviter ejus *bonitas* tum quoad sufficientiam, tum quoad partium oppositionem, patet inde, quod substantia & accidens opponuntur contradictoriè, quoad essentialia attributa, quæ sunt, *per se subsistere*, & *non per se subsistere*. 22.

Id principaliter hîc notandum est iterum: quòd duobus modis exponi possit illa divisio. 1. rigorosè intelligendo substantiam & accidens. Id, si sit, tum ista divisio, ad æquatur Enti similiter rigorosè sumpto. Veluti procedit de ente reali, positivo, incomplexo, et finito. Hactenus enim quod infinitum est, est eminentius, quàm ut simpliciter ens dicatur. Atque hoc satis patuit præcedenti articulo. 23. *Duplex expositio propositæ divisionis.*

Aliter autem, si substantia et accidens intelligantur latè ad comprehendenda ea etiam, quæ secundùm quid, et per reductionem etiam sunt substantiæ vel accidentia, tum ens in eadem amplitudine sumendum est, ut complectatur tam Ens reale, quàm ens rationis, tam positivum quàm privativum, et sic deinceps, ut ibi latiùs tractatum est; et ex eodem præcedenti articulo intelligi potest. 24.

ARTICVLVS III.

Qualis sit divisio Entis in substantiam & accidens? an univoca, an analoga, an nomina jolùm?

SVprà *lib. 1. cap. 2. num. 37. seqq.* breviter hanc quæstionem attigi, et generaliter: nunc plenius hanc rem persequor. 25.

PUNCTUM I.

In quo referuntur variæ opiniones.

TRiplex potest esse opinio. 1. dicitur ens esse univocum ad substantiam et accidens. Ita docuit Scotus *1. d. 3. qu. 1. & 3. d. 8. quæst. 2.* Idémque tenent Scotistæ alii, Gabriel *1. d. 2. quæst. 4.* Gregor *1. d 8. quæst. 3.* et alii Nominales. 26

Hæc opin. principaliter probatur inde. 1. Quia univocum idem est, ac quod et secundùm nomen, et secundùm definitionem competit suis inferioribus, ut Aristoteles definit *l. Categ c. 11. §. 2.* At id est de ente in respectu ad substantiam et accidens. Nam utrique convenit, ut dicatur ens: Et est id sub eadem significatione entis. Vnde *secundo* argumentantur: si ens non esset univocum ad substantiam et accidens, tum id esset, quia ens inæqualiter significaret substantiam et accidens. At hoc non est. Nam inprimis nunc sermo est de generali conceptu entis, qui dicitur non esse univocus. At, in illo, nullum est vestigium inæqualitatis, sive prioritatis, sive posterioritatis. In substantia autem & accidente est quidem inæqualitas, sed ea est secundùm dignitatem, quæ non tollit univocationem. Nam nullum fortasse genus datur, cujus species sint perfectionis æqualis. Ergo sic nullum genus foret univocum, quod est absurdum. *Rationes pro univocatione.*

II. Opinio est, ut Ens dicatur esse æquivocum ad substantiam & accidens, ut locutus est Porphyrius *in Isag. c. de specie.* Damascen. *in Dialect. c. 46.* Et in hanc opinionem necessariò incidit Scotus, qui existimat accidens non posse præcisè, & sine addito, vocari Ens, *in Antepræd. c. 4. q. 2.* Quæ sententia si strictè intelligat æquivocationem, idoneis argumentis confirmari non potest. 27 *Opinio de æquivocatione entis,*

Neutra autem harum opinionum subsistere potest, ut distinctim videbo. Atque ita tertia aliorum opinio est: Ens esse quid analogum ad substantiam & accidens.

PUNCTUM II.

In quo ostenditur: Ens non esse merè æquivocum ad substantiam & accidens.

28 *Æquivocum bifariam dicitur.*

INprimis notandum est, quòd æquivocum dicatur bifariam. Aliquando æquivocum opponitur adæquatè univoco. Aliquando autem opponitur univoco inadæquatè, prout scilicet inter ista mediat Analogum. Analogum enim habet medium naturam inter æquivocum & univocum: Indeq; analogum propter vicinitatem ad hoc & ad istud solet quandoq; univocum dici, quandoq; æquivocum. Univocum quidem, in quantum unam naturam signat, quod non convenit æquivoco. Æquivocum autem in quantum non signat eandem naturam æqualiter, quod non convenit univoco.

Ens quomodo possit æquivocum dici?

Et ex his, supponendo, quod Ens sit analogum, patet, quod non incommodè possit dici æquivocum, æquivocum, inquam, secundùm quid. Atq; hoc intellexit Damascenus, quando ens æquivocum vocavit. Ait enim ens esse æquivocum, tanquam *ab uno ad unum*. Eodémq; modo intelligi potest Porphyrius.

29. *Ens non esse merè æquivocum.*

At id nunc disputo: ens non esse *merè* æquivocum, hoc est, æquivocum absolutè dictum, & non secundùm quid. Et probatur 1. Æquivocum, id est, cujus nomen solùm est commune pluribus, citra identitatem essentiæ sive definitionis. At tale non est in respectu ad substantiam & accidens. Nam non solùm accidenti convenit nomen entis, ut scilicet ens dicatur, sed etiam convenit eidem definitio Entis. Nam definitio entis hæc est: Ens est, quod habet essentiam. Et etiam accidens habet essentiam. Et confirmatur, quod accidentium sint actiones, veluti caloris calefacere, indurare, frigoris infrigidare. Ubi nihil refert, quòd hæ actiones conveniant accidentibus, non principaliter, sed instrumentaliter. Nam instrumentalis causa, utiq; causa est, & proinde habet veram actionem. At actio indicat essentiam. Unde quicquid veram actionem habet, veram quoq; habet essentiam. Ergo & quod communicat cum alio in agendo, communicabit etiam cum eodem in essendo.

30 Deinde in æquivoco non est contradictio. Veluti utrumq; verum est. Pratum ridet, & pratum non ridet. At id non est de accidente, ut accidens dicatur ens & non ens. Ergo accidens non est ens æquivocè. Argumentum hoc est Soncinatis, *l. 4. Met. q. 4. §. Respondeo.*

31. *Accidens quomodo dicatur non ens?*

Inquis. Omnino accidens potest dici non ens. Imò sæpissimè id factum est ab Aristotele & Philosophis aliis. *Resp.* Verum est: accidens posse dici non ens; sed sunt & substantiæ quædam, hoc est, materia prima, quæ vocatur non ens. Id quod est intelligendum comparatè, hoc sensu: quod accidens imperfectiori modo sit ens, quàm substantia. Sicut & materia vocatur non ens, quia est imperfectiori modo ens ac forma. Ista autem comparata significatio non entis, non pertinet ad hanc quæstionem. Aliàs enim etiam substantia esset æquivocè ens, ut visum est in exemplo materiæ. Intelligitúrque adeò in Metaphysicis ens absolutè, pro omni eo, quod essentiam habet. Essentia autem non est negandi ibi, si absolutè loquamur, à quo est vera & realis operatio. Et hoc modo non dicimus utrumq; contradicentium, de accidente, quod scilicet sit ens & non ens, quod intendit Soncinas.

32 Atq; sic ex dictis deducitur: quòd accidens possit dici ens, sine addito & præcisè. Non, *inquam*, solùm potest dici ens imperfectum, vel ens in alio, vel entis ens, vel aliis cum additamentis diminuentibus: sed absolutè potest dici, quod accidens sit ens, secus ac Soto putabat.

PUNCTUM III.

In quo ostenditur: *Ens non esse merè univocum ad substantiam & accidens.*

33. DIco *merè* univocum, quia supponendo, ens esse analogum per attributionem, sic commodè potest ens vocari univocum, quia analogum aliquo modo,

est vi-

est vicinum univoco, sicut & hinc analogum, æquivocum dicebatur prius, *num.* 18. Dico igitur *merè univocum*, ad intimuandum quod loquar de univoco, quod analogo contradistinguitur. Atq; hanc sententiam tuentur post alios, etiam Soncinas 4. *Metaph.q.4.* Suaretz *disp.*32. *Metaph.s.2.* & Fonseca 4. *Metaph.cap.2.q.1.tota.* & alii plurimi.

34 *Univocum quid? Analogum quid? Analogum quomodo dicatur ab uno ad unum.*

Hujus sententiæ veritas breviter patet, si præmittatur, quid sit univocum in oppositione ad analogum. Est igitur tum *univocum* id, quod æquè primò essentiam suam communicat suis inferioribus.

Analogum autem non communicat essentiam suam æquè (loquor de analogo per attributionem, quale dicimus ens esse ad sua inferiora) suis inferioribus, sed cum ordine, ut uni communicetur prius, alii posterius. Sic ipsum nomen hujus generis indicat. Aristoteles enim semper id vocat πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς, *ab uno ad unum*, hoc sensu, quod natura generalis, ut sic dicam, sit in alio per prius, et in alio per dependentiam à priori. Ita loquitur Aristoteles passim, 4. *Metaph.c.2.l.2 l.7.l.24.l.5.l.12.l.19.12.l.2.poll.l.23.24. & alibi.*

35 *Unde sumatur distinctio univoci & analogi?*

Et patet amplius ex occasione factæ illius distinctionis, inter genus univocum et analogum. Quia enim inter species (ut latè loquamur) inveniebatur hæc diversitas, ut *aliæ* quidem acciperent illam communem naturam æqualiter, hoc est, æquè primò, et independenter ab invicem. *Aliæ* autem acciperent quidem communem essentiam, sed cum dependentia unius speciei ad aliam. Ideo prius dictum est genus univocum, quale est animal respectu hominis et bestiæ, ubi ad accipiendum et habendum esse animalis, nec bestia ab homine, nec homo à bestia dependet. Posterius autem genus (nam ita liceat nunc etiam latè loqui) dictum est analogum, sive πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς, Quale dicimus esse eas respectu Dei et creaturarū. Nam creaturæ non subsistunt, nisi dependenter à Deo Ergo oportet ut ratio entis per prius conveniat Deo. Atque hunc modum communicandi secum fert ratio generis analogi.

36 *Ens non esse univocum ad substantiam & accidens.*

His sic constitutis liquidum est: quod ens non possit esse univocum ad substantiam et accidens. Nam ens non communicat essentiam æquè primò substantiæ et accidenti. Nam accidens est ens sed dependenter à substantia. Ejus enim essentia non potest aliter declarari, quàm per inhærere vel affirere aliud. At sic semper supponitur accidenti aliud, quod jamdùm sit et habeat esse, quodq; afficiatur per accidens, et sit veluti fundamentum et basis, cui innitatur accidens. Et confirmatur; quod propter similem dependentiam entis creati ad increatum, ens non dicitur univocè, sed πρὸς ἕν, sive analogicè, de creato et increato. Et rursus propter eam dependentiæ, unius ab alio, animal est univocum ad hominem et bestiam.

37

Alia multa argumenta fiunt à Fonseca et Soncinate *citatis loc.* quæ nos consultò, ut prætermittimus, ita non omnia satis efficacia esse fatemur.

PUNCTUM IV.

In quo ostenditur Ens esse analogum ad substantiam et accidens.

38 *Analogum duplex est.*

Ita sequitur ex dictis. Nam non aliter removi, ens non esse univocum quàm probando id esse analogum. Ne tamen nunc committatur negatio in terminis: notandum est, quod analogum sit duplex, aliud dicitur analogum per proportionem, aliud dicitur analogum per attributionem.

Analogum per proportionem vocatur, ubi analogia consistit in sola et nuda proportione sive similitudine, citra communitatem in essentia et definitione. Quomodo os analogicè dicitur de ore animalis, et de radice plantæ. Hisque juxta hunc sensum ens analogum adiens reale, et ens rationis. Dixi: *in sola & nuda proportione.* Nam analogum per attributionem potest etiam fundare aliquam

Analogum proportionis.

proportionem (veluti sicut se habet substantia ad suum esse, ita etiam accidens se habet ad suum esse.) At nunc analogum per attributionem, opponitur ei, quod est analogum per proportionem. Salvaturque illa oppositio rectè, si dicatur, analogum per proportionem, in *sola* proportione consistere. Nam analogum per attributionem, præter proportionem, habet aliquid amplius & peculiariter ut postea patebit. Unde admisso, quòd Ens sit analogum per attributionem, non placet, propter insinuatam proportionem, dicere, quod ens sit analogum proportionis, quod Fonseca fecit, *l. 4. Metaph. c. 2. q. 1. sect. 7.* quanquam commodâ explicatione locutio ista explicari possit.

39. *Analogum attributionis.* Ens igitur, ad substantiam & accidens, analogum per proportionem, absolutè non est. Quia ista analogia, est in sola similitudine, & Metaphora: Indeque quod sic analogum est, de posteriori analogato dicitur, non nisi per tropum & impropriè, quod de Ente non est.

40 *Analogum attributionis. duplex.* Aliud igitur genus analogi est quod dicitur analogum per attributionem. Aristoteles non vocavit hoc, analogum: sed semper vocavit πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνός.

Estq; iterum duplicis ordinis: *Aliud* analogum per attributionem dicitur, quòd est tale per *extrinsecam* denominationem & attributionem ad aliud. Ita sanitas propriè competit animali, quod πρώτως vocatur sanum, si sit juxta debitam humorum contemperationem. Hinc per attributionem ad sanitatem animalis, multis aliis tribuitur vox *sani*, veluti, ut cibus dicatur sanus, item somnus, item urina, item remedium, &c. Sanitas igitur sic est analogum per attributionem, seu πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνός.

41. *Quam analogiam habeat Ens?* Hoc genus analogiæ huc etiam non pertinet. Nam ea, ut dictum est, consistit solùm in extrinseca denominatione & respectu ad aliud. At Ens intrinsecè, & juxta unam definitionem attingit & substantiam & accidens.

Aliud igitur analogum per attributionem est, quod secundùm unam & eandem definitionem & essentiam se communicat suis inferioribus, per attributionem tamen & dependentiam unius ab alio. Atq; hoc modo Ens analogum esse dicimus. Idq;, ut diximus, ex prioribus relinquitur. Quæ singula sic cohærent, si quasi συλλογίζεσθαι procedamus.

42. *Deducitur analogia Entis ad substantiam & accidens.*

1. *Ens nunc est id quod analogum dicimus.*
2. *Est autem Ens, id quod habet essentiam.*
3. *Ejus analogata sunt: substantia & accidens.*
4. *Prius analogatum, est substantia.*
5. *Posterius analogatum, est accidens.*
6. *His ergo suis inferioribus convenit Ens secundùm unam & eandem definitionem,* ut pro his propositionibus (*substantia est Ens. Accidens est Ens*) liceat sumere illas: *Accidens habet essentiam.* Et *substantia habet essentiam.* Item substantia est productiva alicujus operationis. Accidens est productivum alicujus operationis. Substantia non implicat repugnantiam. Accidens non implicat repugnantiam. &c. His enim modis circumloquimur, à posteriori, rationem essentiæ.
7. *Accidens igitur non est Ens per extrinsecam denominationem aut æquivocè.*
8. *Est tamen ens per attributionem ad substantiam, in quantum accidens supponit substantiam, in qua esse suum fundatum habet.* Unde hoc ipso apprehendi non potest, quod accidens æquè primò habeat communem rationem essendi, quàm substantia, quia propria ratio accidentis postulat afficere aliud, quòd hinc necessariò illi (accidenti) præsupponitur. At non potest supponi accidenti, nisi saltem in hoc, in quantum ens est.

Quæ contra hanc sententiam specialiter asseruntur, ferè intendunt nihil aliud, quàm ut alias sententias, inprimisque univocationem entis defendant, quæ statim solvimus.

PVN-

PVNCTVM V.

In quo solvuntur objectiones pro univocatione propositæ.

RESTAT tandem, ut contrariæ objectiones, *ex nu.* 26. solvantur. 43

Objiciebatur 1. Definitio univocorum, ex Aristotele *l. Categ. c.* 1. Ad quam *responsiones* Doctorum sunt variæ. Optima mihi videtur ista, qua dicitur, quod ista definitio non sit ad hoc propositum. Nam ibi Aristoteles univocum opponit soli æquivoco. In hac autem disputatione univocum contraponitur æquivoco & analogo simul. Unde porrò dico, illam speciem analogi, qua quid dicitur analogum per attributionem, posteriori genere, comprehendi sub univoco, indéque Ens esse univocum, si ex ista definitione disputetur, in qua nullum relinquitur analogum. Est, *inquam*, sic univocum, hoc est, non est æquivocum. Inprimis etiam patuit, *nu* 28. & 33. Confer suprà *l.* 1 *c.* 6. *tit. ult.* de divisione generis, in univocum & analogum. *De univocorum definitione.*

II. *Objiciebatur*: Ens non convenire inæqualiter substantiæ & accidenti, quia in præciso conceptu, nullum invenietur indicium prioritatis & posterioritatis: Et quod inæqualitas, quæ est in substantia & accidente, sit secundum dignitatem, quæ non tollat univocationem. 44

Resp. 1. Verum est, quod inæqualis *dignitas* specierum, non faciat analogum, & tollat univocationem, ut patuit per ea quæ in objectione proponebantur. 45

2. *Resp.* (id quod diligenter notandum est) quod de analogia aut univocatione non sit judicandum ex præciso conceptu. Hunc enim & univoca & analoga, habent unum indéque in eo nihil diversitatis implicari debet. Et confirmatur; quòd una eadémque res, per respectum ad diversa, potest quid univocum, & quid analogum dici. Judicandum igitur de istis est ex appositione advenientium differentiarum, ut sic loquamur, sive ex participatione illius communis conceptus. Atque tùm quod æquè primò participatur à suis speciebus, vocatur univocum; quod autem participatur à suis inferioribus inæqualiter (non secundùm diversitatem dignitatis, intelligendo illam inæqualitatem, sed de diversitate ordinis, ut inæqualiter, sit idem, quod non æquè primò) & cum dependentia, id vocatur analogum. Propter hanc enim diversitatem, quæ intervenit inter genera & species aliquas, inventa est distinctio analogi & univoci, ut priùs dictum. *Analogia & univocatio non est judicanda ex præciso conceptu.*

Et hactenus quidem exposita est prior pars capitis, quæ erat de divisione Entis in substantiam & accidens. Nunc digrediendum est ad partem aliam, nempe, ad doctrinam, de substantia. 46

TITULUS III.

De Substantia.

DOctrinam *de Substantia, sufficienter tradidi in introduct. Logæ. c.* 9. Ubi vide. *Sunt autem pauca inde breviter repetenda* 1. *de nomine substantiæ.* 2. *de ejus quidditate & definitione.* 3. *de ejus attributis.* 47

ARTICULUS I.

De voce Substantiæ.

HIc duo occurrunt consideranda: 1 Ambiguitas in voce *substantia* 2. ejusdem Notatio. 48

Substantiæ vox sumitur quadrifariam.

Quantum ad primum: Vox *substantia* sumitur apud Philosophos quadrifariam. 1. generaliter pro ente, quomodo Augustinus ait, non esse, quod substantia non est. 2. sumitur pro essentia, quomodo definitio indicat substantiam rei. Ita est ex Græcæ vocis ambiguitate, *οὐσία* enim significat & substantiam & essentiam. 3. substantia est idem quod subjectum quomodo Aristoteles magnitudinem in Mathesi substantiam vocat. 4. opponitur accidenti prædicamentali.

Hæc

Hæc huius loci est significatio. *Vide d. l. c. 5. num. 1. comm.*

49 *Unde dicatur substantia.*

Quantum ad alterum, dicò substantiam à *subsistendo* dici: Ita patet saltem ex sono verborum. *Vide ibid. n. 2. & num. 6.* ubi etiam non adeò probatur Notatio, quòd substantia dici putatur à subsistendo.

50 *Substare quid sit?*

Obiicitur: Substantiam non omnem substare. Substare enim, ut inquiunt, dicit respectum ad accidens. At *Resp.* Substare non necessariò exponitur per respectum ad accidens, sed potest etiam commodè explicari per negationem, ut substare illud dicatur, quod non eget alio, in quo subsistat. 2. Notatio, ad differentiam à definitione, non est necessariò adæquata nomini, multòque minus necesse est, eam veram esse de re secundùm omnes ejus status, ζῶον dicitur ἀπὸ τοῦ ζῆν, & animal ab anima. Et tamen multa ζῶλα & animam habent, quæ non sunt ζῶα vel animalia. Plura vide *in Tract. c. 26. n. 30.*

ARTICVLVS II.

De Quidditate & definitione substantiæ.

51. DEfinitio substantiæ hæc est: *Substantia est Ens per se subsistens*, quam exposui *in intro subst. Log. cap. 5. comm. num. 4. seqq.*

52 *Substantia est Ens.*

Ergo substantia 1. vocatur *Ens*. Quòdque ita sit, apparet, applicando ea, quæ ad naturam Entis dicta sunt. Fungitur autem vox illa vice generis propter communitatem suam, quam habet ad substantiam & accidens. Verumtamen genus non est, propter dicta, superiori *lib. c. 1. n. 41.*

53. 2. Dicitur substantia, *subsistere*. Vbi subsistere est vocabulum notans non existentiam, sed essentiam, ut hactenus definitio illa etiam conveniat Petro, abstrahendo ab existentia ejus, sive scilicet sit in mundo, sive non.

54. 3. Subsistit autem substantia *per se*. Quæ phrasis, dimissis significationibus aliis opponit substantiam ei, quod non subsistit in alio. Unde, *per se subsistere* optimè exponitur negativè, ut idem sit, ac non subsistere in alio. Subsistere autem in alio missis significationibus aliis, intelligitur juxta famosiorem significationem, in qua *in alio subsistere*, idem est, quod subsistere in subjecto. In subjecto autem id esse dicitur, quod cùm sit, non est pars rei, & omninò esse non potest, nisi in illa re. Ergo hactenus substantia est Ens per se subsistens hoc est, *non subsistens in alio, tanquam in subjecto.* Prolixius hoc, ut & objectiones, cum earum solutionibus, vide suprà. Quibus adde Soncinatem *lib. 5. Met. q. 14.*

ARTICVLVS III.

De attributis Substantiæ.

55. ATributa substantiæ *Aristoteles quinque recensuit* lib. Categ. c. 5. *unde paucis etiam de iis hic agendum est, de quibus est alibi plenius.*

PUNCTUM I.

Substantia non sunt in subjecto.

Esse in subjecto dupliciter dicitur.

ESt apud Aristot. *lib. Categ. cap. 5. §. 12.* Ad quod observandum est, quod in subjecto esse bifariam sumatur. Aliquando in subjecto esse dicitur, quod per qualemcunque accidentalem unionem ad aliud dicitur in eo esse, sic aquam in spongia esse dicimus, & hominem in hypocausto, & summatim locatum in loco, tanquam in subjecto. Atque hoc pertinet etiam quod forma substantialis est in materia. Et sic apparet, hoc modo loquendi omninò substantias non repugnare, ut sint in subjecto.

56. Aliter igitur strictè sumitur Tὸ in subjecto esse, in ea, *in quam*, angustia, in qua opponitur τὸ per se subsistere. Cum enim substantia definitur Ens per se subsistens,

Tὸ per

τὸ per se subsistere, negativè exponitur, per non subsistere in alio. Unde quicquid subsistentia est, est Ens per se subsistens, & per hoc non sustentatum in alio. Unde apparet generalis veritas propositi axiomatis.

Porrò in subjecto hîc illud dicitur esse, apud Arist. *lib. Categ. cap. 2. Quod enim insit, non est pars rei, & omninò esse non potest, nisi in illa re.* Et juxta hanc definitionem, nulla earum substantiarum, quæ prius relatæ sunt, est in subjecto. Nam locatum est in loco, sed tamen non *inest* vel inhæret loco, & potest etiam unumquodque locatum extra suum locum esse, veluti homo extra hypocaustum, quod idem etiam de aqua in spongia dicendum est. Denique quod forma dicitur esse in materia, similiter non invertit istam generalem propositionem. Nam forma substantialis est in materia, sed ut pars rei, nempe ipsius compositi. 57. *In subjecto esse quid sit Aristotelis.*

PUNCTUM II.

Substantiæ prædicantur synonymicè.

Est apud Aristotelem *lib. Categ. c. 5. §. 15.* Porrò synonymicè prædicari, est secundùm nomen & definitionem quod dicitur prædicari. Intelligitúrque de solis substantiis secundis. Nam à substantiis primis non est prædicatio quod & generatim de individuis dictum, quod ea non prædicentur. Vide Aristot. *1. prior. cap. 27. §. 2.* Atque ita hinc efficitur, d axioma particulare esse. 58.

Sed de quo substantiæ secundæ prædicantur synonymicè? *Respondeo*; De substantiis primis, quanquam id fit etiam, cùm substantia magis universalis, refertur ad minùs universalem. Atque adeò nunc in hoc distinguuntur substantiæ secundæ ab accidentibus. Nam accidentia prædicantur quidem synonymicè de accidentibus inferioribus, at substantiis primis non prædicantur *συνωνύμως*, sed, *παρωνύμως*. Veluti Socrates (non calor, sed) calidus est. 59.

PUNCTUM III.

Substantia significat hoc aliquid.

Est apud Aristot *d. l. Categ. c. 5. §. 16.* Porrò sicut prius attributum intelligebatur solum de substantiis secundis; ita hoc intelligitur de solis substantiis primis. Nam particula *Hoc*, hæcceitatem atque adeò singularitatem significat. 60.

Summatim autem ut aliquid dicatur hoc aliquid, solent tria requiri. *Primo*, ut illud hoc aliquid, sit aliquid singulare. 2. ut sit res completa, & non pars alterius. Et denique. 3. ut sit substantia, & non accidens, ut notant Colonienses *ad Hisp. tract. 3. fol. 129.* Et Armand. de Bello Visu *lib. 2. term. cap. 290.* Et confer *cap. sequ. 37. 38.* 61. *Ut aliquid dicatur* hoc aliquid *quid requiritur?*

PUNCTUM IV.

Substantia non habet contrarium.

Ita asserit Aristoteles, *d. l. Categ. c. 5. §. 18.* Sunt autem ad illius intelligentiam duo hoc brevissimè notanda. Ubi enim de illis latiùs ago. 62.

Igitur *primo* vox contrarii ambigua est. *Aliquando* significat qualemcunque distantiam extremorum, quomodo motus dicitur esse inter contraria; *Aliquando* verò sumitur Logicè pro distantia duorum positivorum Entium sub eodem genere, *Aliquando* verò (ut tur Physicè definiuntur) quæ contraria ea esse, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subjecto vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt. Vide Aristotelem 10. *Metaph. c. 4.* Et hoc posteriori modo, ad mentem Aristotelicorum, substantiis dicitur nihil esse contrarium. Quæ enim hîc contraria dicuntur, postulant esse in eodem *subjecto*. At substantiæ non sunt in eodem subjecto. 63. *Contrarium quot modis dicatur?*

64. *Contraria aliqua dicuntur duplici ter.*

Jam *secundò* notatur, quòd contraria aliqua dicantur bifariam. Aliqua contraria *primò* & per se, alia *secundariò* & per alia. Unde nunc dicitur: substantiæ sibi non contrariari per se, sed secundariò tamen sibi contrariari: veluti ignem & aquam contrariari sibi, non per essentias, sed per calorem & frigus, quæ primò sunt contraria. Plenius hanc rem tracto *in Topic. cap. 17 num. 12 seqq. prol. xè.*

PUNCTUM V.

Substantia non recipit intensionem & remissionem.

65. *Quatenus substantiis repugnet intensio.*

ESt per Aristot. *d.l. Categ. cap. 5.* § 20. Est autem hic sensus, quòd prædicata substantialia non possint prædicari cum particulis magis & minus, sicut fit in accidentibus. Ibi enim dicimus, inquit Aristoteles, aliud alio magis vel minus album, & honestum aliud alio magis vel minus honestum, & sic in aliis. Et proinde de accidentalibus prædicatis loquendo, sine dubio, substantia recipit eorum intensionem & remissionem. At is sensus est propositi axiomatis solùm, quod substantia, in esse substantiali suo non intendatur vel remittatur, quod fieret si prædicata substantialia cum magis & minùs dicerentur.

66. Atque ita specialim duo continentur in proposito axiomate. *Primo*, quod *sistendo in eadem re*, non sit aliqua substantia, nunc, magis vel minus hoc, quam fuerat antea, vel futura sit postea. Veluti, si quis homo sit, non debet in adolescentia vel senectute magis homo esse, quàm fuerat in pueritia vel infantia, vel etiam cùm in utero adhuc lateret. *Secundo*: comparando substantiam *unam cum re alia*, non debent prædicata substantialia, uni magis, alteri minus convenire. Veluti Johannes non est magis homo, quàm Petrus. Utra neque indicat Aristoteles *d.l. Si hæc substantia*, inquit, *est homo, non erit magis vel minus homo*, ἐὰν ἀνθρωπος ἀνθρωπος, ἀλλ' οὐκ ἐστίν, *neque idem* 1. *respectu sui, neque* 2. *idem respectu alterius.*

67. *Substantiæ primæ, quomodo sint magis substantiæ quàm secundæ?*

Id frequenter hic objici soler, cùm substantia non suscipiat magis & minus, quomodo Aristoteles *d.l.* dicat: *Substantias primas esse magis substantias, quàm secundas.*

Responsio: Vocem substantiæ non esse semper prædicatum essentiale, sed aliquando significare relationem substandi, quâ quid alii subsilat. At, *substare alii*, est attributum accidentale substantiarum. Unde istius Aristotelicæ propositionis hic sensus est: substantiæ primæ sunt magis substantiæ, sive sunt magis aliis substantes, quàm secundæ: Attributa autem accidentalia, ut initio visum est, cùm magis & minùs prædicari possunt. Confer Collegg. Conimbr. *l. Cat. c. 5. in commun. ad t. 9.* & Franciscum Titelmannum *lib. 2. de prædicam. c. 23.* Et ad hunc ferè modum Zabarella *in tab log. fol. 110.* explicat, cùm species dicuntur magis substantiæ, quàm genera.

PUNCTUM VI.

Maximè proprium substantiæ est, cùm una & eadem sit, contraria suscipere posse.

68. *Substantia quando sit susceptiva contrariorum?*

ESt Aristotelis *d. lib. Categ. cap. 5.* §. 21. Estque ad hoc attributum intelligendum, notandum *primo*: Quod illa propositio non sit intelligenda in sensu composito, sed in sensu divisivo: sive de diversis, non eodem tempore. Contraria enim aliàs non possunt esse in eodem subjecto, apud Aristot. *lib. 2. Topic. c. 7* §. 2. Et *de somn. ac vigil cap. 1.* & alibi. Substantia igitur est quid susceptivum contrariorum, sic, ut qui nunc, verbi gratiâ, habet ruditatem, postea habeat doctrinam, & sic in aliis.

69. *Deinde*: Suscipere notat respectum ad extranea & contingentia, sive ea, quæ antea non habentur. Neque enim, quæ naturalia sunt, dicuntur suscipi vel susceptum

ceptæ sed, simpliciter dicuntur haberi, & esse habita. Atque sic ignis non dicitur suscipere hæc contraria, calorem & humus, quia calorem habet sib. essentialiter. Unde ad eum nulla est susceptio. Atque hoc, quod dico, intendit etiam aliorum locutio, dicentium: Substantiam suscipere contraria, *ut sit alterum natum à subsit.*

Atque adeò hinc *tertiò* observandum est, cùm variatas dicitur esse in substantia, quoad susceptionem contrariorum, quod non sit id hoc sensu, quasi quælibet substantia quævis contraria possit suscipere, sed, quòd saltem id sit in aliquibus. Veluti lapis non potest suscipere bonitatem & malitiam, sed potest deniger ari & dealbari, & sic in alijs. Atq; sic etiam Angeli vel in bono confirmati, vel in malo obcæcati & indurati, non necessariò variant in susceptione boni & mali: Et sic in aliis. 70.

Id solet hic objici: quòd non sit hoc attributum *maximè proprium* substantiæ, ut Aristoteles dicit, cùm etiam superficies (quæ accidens est) possit suscipere albedinem & in gradinem: Et oratio, quam dixit quantitatem vocat *lib. Categ. cap.* 6. possit esse vera vel falsa. Veluti hæc propositio: Johannes sedet, vera est, eo sedente; eadem, eodem surgente, statim falsa est. 71. *Quomodo* maximè proprium *sit substantiæ esse susceptivum contrariorum.*

Ad primum Respondeo; Superficiem non esse id *quod* suscipit contraria, sed solùm esse id, quo substantia suscipit contraria. Et sic absolutè, & sine addito dici potest, quod superficies non suscipiat contraria. Sicut et Aristoteles ait, animam non intelligere, quia solùm est id, *quo* intelligimus. Vide *lib. 1. de anim. t.* 69. Et ad eundem modum Scalig. *exerc.* 307. *s.* 36. ait, corpus non edere et bibere, sed hominem, quia illud solùm est, id, *quo* edimus et bibimus. 72.

Ad alterum respondet Aristoteles *d. l. Categ. c.* 5. §. 22. Quod si maximè oratio suscipiat contraria, tamen sit ibi ex hac differentia in modo, quòd oratio suscipiat contraria, *sine sui mutatione*. At substantia cum sui mutatione. Atque hinc sequitur, quod in rigore loquendo, oratio non suscipiat contraria, propter defectum illius mutationis. Nam quod suscipit, patitur. At in oratione nulla fit passio. Sed in alijs est mutatio, hoc est, in re, de qua est oratio. Vide Zabarellam *in Tab. Log. fol.* 111. 73.

CAPUT II.

DE DIVISIONIBVS SVBSTANTIÆ.

1. Substantia dividitur quadrifariam: I. Substantia est completa vel incompleta.

2. II. Substantia est materia vel forma, vel compositum.

3. III. Substantia est prima vel secunda.

4. IV. Substantia est spiritualis sive spiritus, vel corporalis sive corpus.

5. Corporalis est, quæ habet materiam & formam. Quæ descendit infra abstractionem Metaphysicam.

6. Spiritualis est, quæ est materiæ & formæ expers.

7. Sub substantia spirituali Metaphysicè disputandum est de Deo, Angelis, & anima humana separata.

COMMENTARIUS.

1. *Quatuor istæ divisiones nobis ordine sunt explicandæ, in quibus sat multa difficilia occurrent.*

TITULUS I.

DE DIVISIONE SUBSTANTIÆ, IN completam & incompletam.

2. COmpletum & incompletum generaliter dividunt ens, ut suprà factum est, lib. 1. ubi nominatim etiam ostensum est, *quæst.* 4 quòd accidentibus conveniat dici completum vel incompletum. Atque ita ex istis intelligi potest, quid sit substantia completa & incompleta. Unde nunc aliud addere non est necesse. Vendicantur autem istæ, ut sic dicam, differentiæ, substantiæ peculiariùm, quia ipsa est principale analogatum Entis, quale quid sit etiam in universalitate & particularitate, sub nomine substantiæ primæ & secundæ.

3. Id tenendum est, quòd hic dividatur non substantia prædicamentalis, sed substantia latissimè sumpta, ut accidenti opponitur. Nam substantia incompleta non est prædicamentalis substantia; Et proinde quasi species ejus comprehendi non debet sub ea.

TITULUS II.

DE DIVISIONE SUBSTANTIÆ, in materiam, formam & compositum.

4. DIvisionem hanc sæpe tradit Aristoteles 7. *Metaph. cap.* 3. *t.* 13. 15. *& lib.* 12. *cap.* 13. *l.* 2. *de an. ma. cap.* 1. *t.* 2. & alibi.

5. Cæterùm, quia materia & forma declarata sunt in doctrina causarum: Compositum autem, ut ostendimus, coincidit cum corpore, ideo in specie hic nihil de istis dicendum est. Solùm est inquirendum.

An divisio ista bona sit, & quo sensu?

6. VIdetur hæc divisio æquè bona esse, ac prior, quia ea sit eadem cum priori, & solùm differat in modo proponendi. *Dicentibus* enim secundo substantiam, substantia est completa (quæ coincidere videtur cum composito) vel incompleta, quæ subdividitur in materiam & formam. Eadem substantia, si secetur *Porphyrio*, nempe statim in species, ut sic dicam, infimas, tum occurrunt tria ista, materia, forma & compositum.

Hæc tamen sententia non est probanda. Hinc tria dico.

7. *Compositum non est idem quod substantia completa.*

1. Compositum non est idem quod substantia completa. Ita patet, quia compositum Aristotelis est in superiori divisione idem quod corpus, sive quod est compositum (non simpliciter, sed) ex materia & forma. Sic enim Aristoteles dictis locis solet loqui: Materia & forma ἐξ ὧν τὸ σύνολον ἐστὶν οὐσία. *Et tertium, quod ex his est.* At quod ex materia & forma est, nihil aliud, quàm corpus est. Completa autem substantia longè plura complectitur, quàm corpus. Nam Deus & Angelus, & suppositum Angelicum sunt substantiæ completæ, & tamen sunt immaterialia. Patetque adeò, divisionem hanc non coincidere cum divisione substantiæ in completam & incompletam.

8. *Divisio substantiæ in materiam*

II. *Divisio illa, absolutè & universaliter intellecta de substantia, non est bona.* Ita patet per multiplicia vitia. Principale est hoc: quod est divisio angustior. Dantur enim aliquæ substantiæ, quæ non continentur istâ divisione. Ita patet 1. de Deo. 2. de Angelis. 3. de differentiis substantialibus, veluti rationalitate: quæ

quæ singulæ, nec materia, nec forma, nec compositum dici possunt.

Respondeti potest I. de Deo et Angelis, quod illa contineantur sub composito, quia compositum sit idem quod substantia completa.

Sed hæc responsio everta est modo proposito, ubi ostensum est compositum non posse in ea amplitudine sumi, ad mentem Aristotelis, ut adæquetur substantiæ completæ.

II Responderi potest. Deum et Angelos comprehendi sub forma. Dicuntur enim ista entia formæ et actus, item formæ separatæ.

Resp. Nec hanc evasionem esse bonam. Nam verum quidem est, aliquo modo loquendi, posse Deum et Angelos *formas* vocari. At ista conventio entia est solum secundum ambiguitatem, vocis formæ, quæ satis non est ad reductionem. Sicut supra, eadem ex causa concludimus, perfectum non posse reduci ad doctrinam totius, etsi perfectum aliquo modo loquendi idem sit quod totum. Et evidenter Aristoteles loquitur non de forma separata, sed de forma ex qua conficit compositum, ut prius retuli. Hoc autem non convenit formis separatis, sed formis informantibus subjum.

III. Responderi potest: Deum non debere comprehendi sub ista distributione, quia per se non sit in prædicamento, neque non debeat contineri sub divisione substantiæ.

Resp. Admisso, juxta veriorem sententiam, quòd Deus per se non sit in prædicamento, tu ominus non debuit esse extra divisionem istam substantiæ, quia in ea comprehenduntur etiam ea, quæ non per se, sed per reductionem in prædicamento substantiæ sunt, velut materia et forma. Ex quibus apparet, quod dividendo substantiam in materiam, formam et compositum, non intercatur divisio substantiæ prædicamentalis. Aliàs enim contineret aliqua, quæ sub divisio non sunt.

IV. Responderi potest de differentiis substantialibus, quod eæ comprehendantur sub forma.

Resp. Nec id esse posse: quia Aristoteles loquitur de forma, quæ est pars materiæ, et cum ea constituit τὸ σύνολον, hoc est, corpus. At differentia non est pars materiæ, in constitutione compositi, sed generis.

Dices: Materia etiam potest comprehendere ibi genus, ut materia intelligatur latè, comprehendatque et Physicam et Metaphysicam materiam,, quæ genus est: Ut ad eundem modum forma etiam significet formam Physicam et Metaphysicam, hoc est, differentiam:

Resp. Nec hoc subsistere posse, quia genus continetur sub composito, saltem permissivè loquendo. Veluti, Animal hominis, Elementum aëris, planta arboris, genera sunt, quæ omnia intelliguntur, in proposita divisione sub composito. Unde iterum infertur. Cùm materia non possit ampliari ad materiam Logicam, hoc est, genus, quod etiam non possit ampliari forma ad comprehendendam differentiam.

V. Dico: *Divisio substantiæ in materiam, formam & compositum est unum inadæquatum*, hoc est, non intendit Aristoteles eâ divisione dividere totum genus substantiæ, sed incidenter, et pro instituto intelligitur ista divisio pro subjecta *de anima*, vellet indagare genus animæ, substantiam ne materia. Veluti, cùm

TITVLVS III.

DE DIVISIONE SVBSTANTIÆ IN primam & secundam.

16. Divisionem hanc diserte Aristoteles tradit l. Categ. c. 5. & insinuat l. 7. Metaph. cap. 3. *Est autem ad hanc divisionem tractandam*, Primò: *quid intelligatur per substantiam primam & secundam: Atque hinc: an bene dividatur substantia in primam & secundam.* Denique *speculativus agendum est de substantia prima, hoc est, de Hoc aliquid, supposito, persona & hypostasi.*

ARTICULUS I.

Quid intelligatur per substantiam primam & secundam.

17. Dicam id uno verbo: Substantia prima est nihil aliud quàm substantia singularis, ut Socrates. Substantia secunda est idem quod substantia universalis, ut homo.

18. *Explicatur Aristotelica definitio substantiæ primæ.* Aristoteles d. l. Categ. c. 5. Substantiam primam sic definit: *quod sit ea quæ neque de subjecto dicitur, nec in subjecto est.* Frequenter solet illa definitio referri: quæ substantia prima sit, quæ maximè & primò, & principaliter est, & neque de subjecto dicitur, nec in subjecto est. Sed accuratiùs intuenti apparet, hanc non esse Aristotelis mentem. Sic enim is loquitur, substantia quæ maximè & primò, & principaliter subsistit (ita circumloquitur Aristoteles substantiam primam. Idcoq; pertinet hæc ad definitum, non ad definitionem substantiæ) est ea, quæ nec de subjecto dicitur, nec in subjecto est.

19. Definitum igitur hîc est substantia prima, sive, substantia, quia maximè principaliter & primò subsistit.

20. *Cur substantia singularis dicatur prima? & quomodo?* Dicitur autem substantia singularis. *Prima* substantia, quia primò subsistit. Sed quomodo primò subsistit substantia singularis? Cùm genus specie, & species individuo sint priora. Priora utique Entia, & proinde prius subsistentia.

Resp. Verum est, substantiam singularem, ut Catonem, esse posteriorem substantiâ universali, ut homine, spectando ordinè naturæ & essentialis dependentiæ.

21. *Dupliciter substantia prima prius subsistit ac substantia secunda.* Nihilominus etiam substantia singularis est prior universali, sive, substantia singularis primò subsistit, duobus modis id intelligendo. 1. Quatenus substantiæ primæ sunt quàm maximè elongatæ, ultra naturam accidentium. Est enim accidentium natura esse in alio. Hinc naturæ propinquæ sunt universalia, quia illa sunt etiam in alio, nempe in singularibus. At singulares substantiæ nullo modo sunt in alio, ut Aristoteles hâc definitione dicit. 2. quia singulares substantiæ fundant substantias universales, & sunt quasi basis, cui innituntur universalia. Indeque non possunt subsistere, & in mundo esse, universalia, nisi in singularibus. Atque hæc sunt, quæ summatim indicat Aristoteles istis tribus vocabulis: κυριώτατα, καὶ πρώτως καὶ μάλιστα, *principaliter, primò & maximè.* Quæ vocabula nos æquipollentia esse dicimus. Severinus, Boethius, Commentatores Hispani, aliique posuerunt inter illa vocabula discrimen quoddam, sed id discrimen non in ipsis significationibus harum vocum fundatum est, nec aliàs satis intelligi potest. Qui velit, videat Titelman l. 2. *de prædic. cap.* 16. Et hactenus quidem de definito fuit.

22. *Explicatur differentia substantiæ primæ,* Differentia autem in proposita definitione hæc est. *Nec de subjecto dicit, nec in subjecto esse.* In quibus optimè dicitur, posse, quantum ad priorem partem, subjectum sumi pro subjecto propositionis, ut sensus sit: substantias primas non esse prædi-

prædicata aliorum. Id quod Arist. etiam, expressit, dicens hoc c. 5. §. 15. & 1. *prior. c.* 27. §. 3. Singulares substantias non prædicari. Quantum ad alteram verò partem, sumitur pro subjecto intentionis, ut sensus sit, substantias singulares non esse adjuncta, quod intelligo, voce adjuncti proportionaliter sumpta, ad phrasin, esse in subjecto. Esse autem in subjecto Aristoteli hic dicitur illud, quod cùm insit, non est pars rei, & omninò esse non potest, nisi in illa re. Unde per hæc conjuncta, separatur substantia prima sive singularis, ab omnibus illis, quæ non sunt substantiæ primæ. Nam substantiæ secundæ sive universales, non sunt in subjecto, etsi de subjecto dicantur, veluti cùm dico: *Socrates est homo: Petrus est animal*. Et sic in aliis. Atque ita per *non dici de subjecto*, separatur substantia prima à substantia secunda: Ab accidentibus autem separatur substantia prima, per *non esse in subjecto*. Hoc enim specialiter convenit accidentibus. Et hactenus de substantia prima.

Substantia secunda, ut antea dicebamus, est idem quod substantia universalis. Arist. 1. *Categ. cap.* 5. §. 2. Substantiam secundam esse ait: quæ est in primis substantiis. Ita vertit Interpres. Sed Aristotelis verba ad non volentes sic loquitur: Δευτέραι οὐσίαι λέγονται ἐν αἷς εἶδος οὐσιῶν αἱ τοιαῦται λεγόμεναι ὑπάρχουσιν. Quibus verbis Aristoteles dicit: Substantias secundas esse eas (non quæ sunt in primis, sed contra) in quibus sunt primæ. Sunt autem substantiæ primæ in secundis, juxta eum modum, quo inferius est in superiori, sive species in genere, quem etiam Arist. posuit inter modos essendi, I N, *in* 4. *Phys.* 23. *De substantia secunda.*

Quid secunda substantia sit, dicam clariùs: *Substantia secunda est substantia, quæ qualitative prædicatur de substantia prima.*

ARTICVLUS II.

Continens

Dubia & objectiones ad hæc definitiones.

PRimo dubitari potest: *An sub substantia prima ejusque definitione, intelligatur quævis substantia singularis, an vero solum completa & finita.* Nam alias etiam substantiæ singulares sunt, materia hæc, & forma hæc, veluti Petri: Item Deus, non solum ut præcisè apprehenditur, sed etiam ut apprehenditur sub nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. 24. *An substantia prima comprehendat quamvis singularem substantiam?*

Respondeo 1. Sine addito, & absolutè loquendo, materia & forma singulares possunt dici substantiæ primæ. Nam ista sunt Entia singularia. At substantia prima est nomen, redigens singularitatem ad hanc speciem Entis, hoc est, ad substantiam. Vide etiam Suarez, *disp. Met.* 34 *s.* 1. *n.* 4. Unde substantia prima nihil aliud est, quam singulare Ens in ordine substantiarum. Unde eadem collectione patet, Deum, præ se apprehensum esse substantiam primam. Idcóque à sortiori procedit, de Deo apprehenso cum characteribus personalibus. Sic enim Deus vocatur persona & suppositum. At persona & suppositum sunt specialia nomina substantiæ primæ. 25.

II. Nihilominus intentio Aristotelis non est, ista divisione comprehendere substantiam omnem in universum, prout accidenti opponitur, sed solùm dividere substantiam prædicamentalem cujus ordines significantur hac divisione. Prædicamentum enim debet descendere à genere ad speciem, & hic ab universalibus ad singularia, quæ omnia complectitur substantia prima & secunda. Prædicamenta autem non continent Entia incompleta, & quod intimum est. Hinc ergo, prius memorata, hâc divisione, contineri non debent.

Inquies: Per quid igitur excluduntur istæ substantiæ primæ, à definitione, priùs tradita de substantia prima? 26.

Respondeo: Materia & forma excluduntur b fariam: 1. per definitionem nominalem substantiæ primæ, quâ substantia prima dicitur principaliter, κυριωτατα, propriè, maximè & primò subsistere, quæ non possunt convenire Entibus incompletis,

incompletis, qualia sunt materia & forma, ut ex ipso vocabulorum sono apparet. Deinde etiam excluduntur per realem definitionem. Nam materia hæc & forma hæc dicuntur de subjecto (propositionis) veluti Socrates est formatus hac animâ: Petrus constat ex hac materia.

27. Deus autem & Divinæ personæ, non continentur istâ divisione, ex generali conditione entis prædicamentalis, quæ supponitur ad rationem substantiæ. Ea conditio hæc est, ut quod est in prædicamento, sit genus vel species. Prædicamentum enim est series generum & specierum. At Ens infinitum nec genus est, nec species. Vide plenius *in rationali Log. c. 20. n. 54.* Malo autem potius ita dicere, quam Deum esse substantiam primam juxta hanc definitionem. Imprimis, quia Deus est aliquid singulare, & tamen de subjecto non dicitur. Nam *de subjecto dici* Aristoteles intelligit esse idem, quod essentiali prædicatione prædicari de pluribus, in quibus hoc, per modum generis, sit multiplicatum in species, quod non convenit Deo. Vide Fonsec. 5. *Met. c. 8. q. 5. sect. 1.*

Deus non dicitur de personis, ut de subjecto.

28. *Singularia, quomodo non definiantur?*

Deinde dubitatur: *quomodo tradatur definitio substantiæ primæ, cùm substantia prima, & singularis idem sint. Singularia autem non definiantur.*

Resp. Singularia non definiuntur in actu exercito. Possunt tamen definiri in actu signato. Vide suprà declaratum, *l. 1. c. 14. n. 61.*

Tertio: Substantia prima dicitur de subjecto. Ergo falsum est, quod in ejus definitione dicitur: Eam de subjecto non dici. Aut substantia prima erit, non substantia prima. *Antecedens patet.* Nam dicimus: *Socrates est substantia prima. Paulus est substantia prima*, &c.

29. *Resp. Ad.* Applicando priorem distinctionem. Substantia singularis non dicitur de subjecto, intelligendo substantiam singularem in actu exercito, veluti Petrum, Paulum, Johannem, Socratem. Hæ, *inquam*, substantiæ primæ, (quæ ejus exempla sunt) non dicuntur de subjecto. Sic enim substantia prima, sumpta in actu signato, potest de subjecto dici. Interim substantia prima (quod idem est de singulari simpliciter,) est quasi genus ad sua exempla, unde de suis exemplis ipsa prædicatur. Dixi *quasi genus*. Quia termini artium non sunt accuratè loquendo, genera suorum exemplorum, juxta ea quæ alibi dicta sunt.

ARTICULUS III.

An substantia benè distinguatur in substantiam primam & secundam?

30. *Rationes dubitandi.*

RAtio dubitandi est 1. quia ista divisio sumitur juxta universalitatem & singularitatem, ut est expositum. At universalitas & singularitas generatim convenit omni Enti. Ex quo sequitur: hanc divisionem non esse reciprocam & proinde vitiosam.

31. 2. Membra ista inter se non dissentiunt. Nam *primo*, substantia secunda prædicatur de prima, veluti, *Socrates est homo*. At consensio illa, quæ constat in prædicatione unius de alio, vel maximè repugnet bonitati divisionis, ut tradidi *in Log. c. 29. Tom. 1. comm. n. 29. Deinde*: ipsa etiam vox substantiæ secundæ prædicatur de substantia prima, hoc est, *substantia prima est substantia secunda*. Nam substantia secunda dicitur ea, quæ de pluribus dicitur, ut constat ex definitione universalis (est enim hæc substantia universalis substantia) & relinquitur ex definitione substantiæ secundæ, prius tradita. At substantia prima prædicatur de pluribus. Nam Socrates est substantia prima: Et Petrus est substantia prima. & Bucephalus est substantia prima. Ergo substantia prima est substantia secunda.

32. 3. Denique videtur divisio esse insufficiens. Nam sicut datur substantia prima, hoc est, singularis, & secunda, hoc est, quæ une gradu est supra substantiam singularem

gularem: Ita datur porro tertia, quæ duobus, & quarta quæ tribus, &c. gradibus abest, à substantia prima. Veluti prima erit Socrates; Secunda, homo; Tertia animal; Quarta, res vivens; &c.

33. Nihilominus bonitas hujus divisionis patet ex prius dictis ad definitiones substantiæ primæ & secundæ. Unde ad istas objectiones respondendum est breviter. *Approbatur divisio.*

34 *Resp. ad primam:* Universalitatem & singularitatem in genere quidam convenire enti, nihilominus quia principaliter analogatum entis est substantia, & verò porro, in ea reperitur singularitas & universalitas, ideò sub nomine primæ & secundæ substantiæ, accommodatur universalitas & singularitas substantiæ, ut intelligantur ea potissimùm, & per prius vendicari substantiæ. Porro reciprocatio divisionis hujus nihilominus manet, si primum & secundum intelligantur cum reduplicatione substantiæ, sic: substantia est vel substantia prima, vel substantia secunda: Et vicissim: quicquid est substantia prima vel secunda, sive singularis vel universalis, id est substantia. Non autem debet reciprocatio illa tentari, sub solis nominibus primæ et secundæ sive singularis et universalis. Neque enim quicquid est universale vel particulare, id est substantia. Vide *in Topic. c. 29. comm n. 21. 22. 23.* *Solvuntur objectiones.*

35 *Ad secundam* respondeo; Ad bonitatem divisionis quoad dissensionem satis esse, si membra dividentia dissentiant formaliter. Possuntque aliàs in re substrata adeò non dissentire, ut etiam possint esse idem, ut sæpe usu venit. Atque ista dissensio est in substantia prima & secunda. Id enim quod formaliter significat substantia prima, non significat substantia secunda. Et vicissim. Ergo in formalibus conceptibus substantia prima et secunda opponuntur, ut verùm sit dicere: Substantia prima non est substantia secunda, et contrà. Quod autem substantia prima, ut *Socrates*, et substantia secunda, ut *homo*, non dissentiunt, huc non pertinet, quia hæc sunt substantiæ primæ et secundæ exempla, hoc est, sunt materia substrata istis denominationibus, in quibus diximus esse identitatem.

36 Substantia autem prima nequaquam fit substantia secunda, si nomen substantiæ primæ prædicatur de pluribus substantiis individuis. Nam definitiones substantiæ primæ et secundæ, non intelliguntur de ipsis nominibus substantiæ primæ et secundæ, sed de rebus subjacentibus, quibus applicari, et in quibus verificari debent. Sicut est in aliis entis divisionibus, veluti, cùm Ens præcisè dividitur in singulare et universale, in necessarium et contingens, etc. Ipsum enim nomen singularis in ordine ad sua exempla, sortitur qualemcunque universalitatem, et tamen simpliciter singulare (in actu signato, juxta quem intelligi debent ejusmodi divisiones, sumptum) non est universale. Vide priorem. *Num. 29.*

TITVLVS IV.

DE SPECIALIBUS RATIONIBUS SUBstantiæ primæ. hoc est, de, hoc aliquid, supposito, persona & hypostasi.

37 *Nunc, quod tertium erat membrum dicendorum de substantia, dicendum est de substantia prima specialiùs, quod sit sub prædictis quatuor nominibus.*

ARTICVLVS I.
De Hoc aliquid.

Generatim quid sit hoc aliquid. Generaliter Hoc aliquid vocari potest, omne id quod est individuum, etiam de genere accidentium. Ita albedo Socratis est hoc aliquid, et hæc doctrina est hoc aliquid. Ita patet. Nam *aliquid* est vox transcendens, indéque

omnibus indifferenter attribui potest, tam accidentibus, quàm substantiis: Singularitas autem accommodatissimè significatur per hæcceitatem, hoc est, per articulos demonstrativos, *hic, hæc,* et *hoc*, eidem, sive sit in substantiis sive in accidentibus. Ergo hoc totum conjunctum *hoc aliquid*, significat ens singulare, sive sit substantia, sive accidens.

38. *Aristoteli quid sit hoc aliquid?*

Aristoteles tamen terminum (*hoc aliquid*) peculiariter attribuit substantiis primis, ut ipsa significent hoc aliquid, *lib. Categ. cap. 5. §. 16.* Neque id malè. Nam sicut tale et quale, potissimùm accidentibus relinquuntur, ita *hoc*, et *quid*, et *quod* peculiariter denotant substantias. Rursus, cùm *Hoc* vocamus, quod quasi digito demonstramus; quodque proinde coràm videtur; videri autem sit passio; Et verò passiones sint suppositorum: hinc potissimùm vox ista accommodatur substantiis singularibus completis. Quibus cùm quodammodo assimilentur partes abscissæ et separatæ à suis totis, ideo ad istas etiam solet quandóque extendi *tò* hoc aliquid, ut et hæ dicantur hoc aliquid. Vide Armand. de Bello Visu *l. 2. term. c.* 290. et Colon. *in Hispan. tract. 3. copul. Log. f.* 110.

ARTICVLVS II.

De Supposito.

PUNCTUM I.

De voce Suppositi.

39. *Suppositi vox ambigua.*

Suppositum ambiguè dicitur. Aliquando sumitur pro præcognito vel postulato. Unde et præsuppositum, et inde suppositio dicitur. Ita ad definiendum supponitur notitia vocabuli. Ad demonstrandum quòd non sint tres Dii, supponitur quod infinitati repugnat multiplicatio. Hæc significatio ad propositum non est. Hic igitur suppositum dicitur substantia singularis, et completa, qualis est Socrates, Johannes, Christophorus.

40. *Suppositum unde dicatur?*

Cæterùm suppositum dicitur, secundùm Thomam *3. p. q. 2. a. 3.* inde, quod supponitur his, quæ ad rem pertinent, eorum prædicationem recipiens. Vel dicitur tanquam *sub alio positum*, quia scilicet naturæ communi (cujus respectu suppositum dicitur) supponitur, ut autumat Armand de Bello Visu *lib. 2. termin. c.* 289. ubi subjicit: Posse aliquid alii supponi bifariam uno modo, sicut inferius particulare, supponitur superiori universali, in quo continetur natura communis. Ut Socrates supponitur homini. Et in hoc genere inferius subsistit per se; superius autem non subsistit per se, sed per inferius. Estque hoc suppositum, id, de quo loquimur: Et maximè appropriatur substantiis. *Aliter* autem supponitur aliquid alii, ut concretum abstracto, quomodo supponitur homo humanitati, et tunc homo dicitur suppositum Humanitas autem dicitur Natura. Unde, quia tam in substantia, quàm in generibus accidentium, reperitur concretum et substractum in particulari et universali, ideo suppositum intelligitur, sic conceptum, et in substantia et in accidente; et non solùm in singularibus, sed etiam in universalibus. *Socrates* igitur, et *homo*, et *album*, et *hoc album* sic sunt supposita. *Socrateitas* autem et *homoneitas*, et *albedo*, et *hæc albedo* sunt Naturæ. Hactenus de voce suppositi. Nunc suppositum, in quantum significat singulares substantias, definiendum est.

Suppositum est quid bifariam.

PVNCTUM II.

De Definitione Suppositi.

41. *Suppositi definitio ex*

Thomas *3 part. q. 2. a. 3.* Suppositum (sub nomine hypostaseos, quod, ut postea dicam, idem est, quod suppositum) definit, *quod sit substantia particularis* (singularis) *non quocunque modo, sed prout est in suo complemento.*

Hæc

Hæc definitio non est exacta, quia Deus præcisè apprehensus, est substantia singularis & completa, & tamen non est suppositum, juxta vulgarem modum loquendi. Suppositum enim, (cùm sumitur intra rationalem naturam) est persona. At Deus non est persona. Unde Metaphysici communiter rejiciunt, quod Cajetanus Deum (præcisè apprehensum) vocavit suppositum. Vide Fonsec. 5. *Metaph.* c. 8. q. 5. s. 3. & Suarez *disp.* 33. s. 1. n. 2. *Thoma. Rejicitur.*

42. Alii definiunt suppositum sic, *quod sit substantia incommunicabilis.* Hæc etiam definitio imperfecta est. Nam materia hæc, & forma hæc, sunt substantiæ incommunicabiles: & tamen non sunt personæ. *Aliorum definitio rejicitur.*

43 Nos notabimus conditiones suppositi, ex quibus ejus definitio extrui poterit. *Conditiones suppositi.*

Igitur I. quicquid est suppositum, debet esse *substantia*. Accidentia enim non tam dicuntur suppositа, quàm apposita vel accidentia, vel addita.

II. Debet esse *singulare*. Universalia enim non subsistunt, nisi in singularibus, qui est modus subsistendi imperfectus. Per suppositа autem omnes intendunt appellare id, quod excellentissimo modo subsistit.

III. Debet esse *completum*. Nam quod incompletum est, id, sicut ipsa vox indicat, debet habere incompletum modum subsistendi. Atqui, ut dictum est, vox suppositi tribuenda est illis, quibus convenit eminenter τὸ subsistere.

IV. Suppositum debet esse *incommunicabile*. Quod singulare est, solet etiam incommunicabile esse; quia tamen fides nostra docet, Deum esse aliquid singulare, & unum numero: & tamen communicabile; Idcóque ad nomen suppositi, inprimis propter divinam essentiam additur *incommunicabile*. Deus enim non est suppositum, ut dictum est. Incommunicabile autem hic dicitur, quod non prædicatur de aliis quidditativâ prædicatione.

Et hinc summatim: *Suppositum est substantia singularis, completa & incommunicabilis.* Quæ definitio sumitur ex definitione personæ vulgata: Dempto isto, quòd persona sit *rationalis naturæ*. Hanc enim conditionem persona addit ultra conditiones suppositi. Traditúrque frequenter a Lombardistis 3. *d.* 2. & ad Thomam 3. *p. q.* 2. *a.* 3. 44 *Definitio suppositi.*

Atque ita apparet, suppositа non esse 1. ea, quæ sunt accidentia, veluti est calor. 2. Ea, quæ sunt universalia, ut homo, animal. 3. Ea, quæ sunt incompleta, ut materia, forma, differentiæ. 4. Quod est communicabile, ut Deus respectu trium personarum. Ut hæc rectiùs intelligantur, quæritur: quomodo ad substantiam primam & personam se habeat suppositum?

PVNCTVM III.

An suppositum sit idem, quod substantia prima, vel persona?

Resp. 45 Si substantia prima sumatur pro substantia singulari prædicamentali, tum est idem quod suppositum. Nulla enim datur substantia prima, quæ sit directè in prædicamento, & non sit simul etiam suppositum. Sin vero substantia prima, sumatur pro substantia singulari simpliciter, tum dantur substantiæ primæ, quæ non sunt suppositа, & proinde substantia prima latius quid est, quàm suppositum. Nam materia hæc & forma hæc, veluti Lazari? Item Deus (præcisè sumptus) sunt substantiæ singulares. Et tamen non sunt suppositа. *Comparatur suppositum cum substantia prima.*

Sicut autem substantia prima hactenus generalius quid est, quàm suppositum: Ita suppositum rursus generalius quid est, quàm persona. Persona enim non dicitur, nisi intra intellectualem naturam, ut postea dicemus. Indéque Bucephalus, & hic lapis non sunt personæ. Et tamen ista dicuntur suppositа. Suppositum igitur comprehendit omnes substantias (singulares, completas & 46. *Et cum persona.*

incommunicabiles) sive sint animatæ, sive non: Item, sive è genere animatarum, intelligant, sive non. Suppositæ nempe sunt: hic lapis, hoc aurum, hæc arbor, Bucephalus, sive hic equus, & sic in aliis. At istæ substantiæ non sunt personæ.

ARTICULUS III.
De Hypostasi.

47. HYpostaseos vox duplicem habet ambiguitatem. Igitur hypostasis aliquandò sumitur per modum abstracti, hoc est, pro *subsistentia*: Aliquando per modum concreti, hoc est, pro *subsistente*, quod Græci ὑφιστάμενον vocant. Vide Damascen. *in Dial. c.* 42.

48. Aliter hypostasis sumitur pro essentia, aliquando. Sic Hieron. *in Epist. ad Damasc.* negat, in Trinitate esse plures ὑποστάσεις. Et sic etiam Concil. Sard. *c.* apud Theodoret. *l.* 2. *hist. cap.* 8. hæreticorum esse ait, asserere, tres esse hypostases. Vide Lombard. 1. *d.* 26. *A.* Aliquando verò sumitur pro personalitate, sive modo, qui ultra essentiam (ut nostro modo intelligendi loquamur) invenitur in persona, aut etiam pro essentia limitatè sumpta. Atque ita cùm tres characteres personales inveniantur intra essentiam Divinam, ideo sic tres hypostases ponuntur.

49. Dicitur autem ὑπόστασις ὀπὸ τῦ ὑφίστασθαι ex subsistendo, tanquam subsistens alii, quod ei innitatur. Vnde ex vi vocis apparet, idem illam vocem significare ac suppositum. Indèque nihil addi necesse est.

ARTICVLVS IV.
De Persona.

Hîc agendum est primò, *de voce personæ*. Deinde *inquirendum est An persona sit nomen substantiæ*. Tertiò *aliæ conditiones personæ sunt percensendæ*: & denique *tradenda est inde definitio personæ*.

PVNCTVM I.

De Voce Personæ.

50. *Unde dicatur persona.* PErsona Gellio dicitur quasi per se sonans. Vnde & Lombard. 3. *d.* 10. *lit. B.* ait: Animam rationalem non esse personam, quia non sit *per se sonans*, sed alii conjuncta. Hæc tamen Etymologia non est congrua, ut indicatur ex differentia Prosodiæ sive quantitatis, hic & ibi. Aliis placet Græca derivatio, ut persona dicatur περιζώννυμι vel περιζώνη, quasi cinctum quid, vel περὶ σῶμα, quasi habens aliquid circa corpus. Persona enim primitus dicebatur is, qui repræsentabat aliquem in comœdia, ad quem statum cinctura & velamina adhiberi solent. Hæc non valdè moror.

51. *Vox personæ ambigua.* Relinquitur autem ex istis: vocem personæ esse ambiguam. Aliquando enim significat qualitatem, ut cùm quis in comœdia sustinet personam senis, vel juvenis, vel regis. Aliquando autem significat substantiam, veluti cùm Socratem (sine addito) dicimus personam. Et de hac nunc loquimur. De qua inquirendum est, quid sit.

PVNCTVM II.

An Persona sit nomen substantiale?

52. AD cognoscendam personæ quidditatem: Dico 1. *Personam esse substantiam.* Ita communiter ferè statuitur à Theologis & Philosophis. Contrariatur tri assertioni, Valla, qui *l.* 6. *elegant. c.* 35. disputat, contra Boëthium, quòd persona

tonâ non significet substantiam, sed qualitatem, quem sequitur Scalig. *in orat. de verbo ineps. in Epist. p.374.*

Sententia & argumenta Vallæ.

VAllæ argumenta duo: 1. ex usu vocis personæ. Deinde ex re ipsa. *In homine,* 53
inquit, *persona significat qualitatem, quâ aliud ab alio differimus, tum in animo, tum in corpore, tum in externè positis, quæ à Rhetoricis numerantur, in attributis personæ.* Animi; *ut quo studio quis se exerceat, Medicinæ, an Juris Civilis, an militiæ sive iracundus, an moderatus, &c.* Corporis; *Sit ne senex an juvenis &c.* Extrapositorum; *Sitne an dives an pauper? Ideoque figuræ,* inquit, *& sigilla quædam, quæ vestris, aut alia corporis parte aquam fontanam emittunt, quæ repræsentant varios hominum vultus & gestus, personæ dicuntur. Et histriones, in scena personas accipiunt, cùm servum agunt, aut ancillam, &c. Quæ non sunt singula in singulis, sed plurima: Veluti in me est persona humani, liberalis, timidi, iracundi, divitis, fortis, pulchri, &c. Et interdum contraria. Nam ad dostissimum, fortissimum, pulcherrimum, non sum fortis, nec pulcher, nec dives, sed imbecillus, deformis, pauper &c.* Postea subjungit: *In Deo poni personam, quod verò Deo sit triplex qualitas.* Et postea: *tales qualitates statuo in Deo, & has dico esse personas.* Subjicit his: *vulgo barbarè dicis: tres personæ me expectant, &c.*

Alterum ejus argumentum est hoc: *Viderit,* inquit, *Boëthius, quomodo persona* 54
sit substantia. Sunt enim in Deo tres personæ. At non sunt ibi tres substantiæ.

Decisio propositæ quæstionis.

HAc in re *primo* facilè admittitur: quod nomen personæ aliquandò qualitatem 55
significet. Qualitatem, inquam, substantiæ. Ita prius patuit, Possuntque hactenus admitti ea, quæ primo argumento Valla objecit.

2. Nihilominus personam etiam rectè substantiam dici, patet, quia personæ 56.
nomen attribuitur Deo. Cui, si convenit, dici personam, juxta varios status vel habitudines et attributa, tum jam non sunt tres personæ, sed longè plures. Convenit enim Deo persona irati, et persona misericordis, et persona Judicis, & persona Regis, et persona Patris, et quæ sunt plurima alia. At id absurdum est, non difficente Valla, estque diu id damnatum in hæresi Sabellii. *Personam significare substantiam.*

3. Notandum: quod etiam apud Latinos Authores reperiatur vox personæ, ea 57
significatione, quâ substantiam significat, non verò conditionem vel statum substantiæ. Ita probat Bellarm *l.2.de Christo, c.* 5. ex Cicerone, cum *in Topicis, partitionibus & de Invent.* attributa facit alia rerum, alia personarum. Additque Valerium Max. *l.2.c.2.* quosdam vocare personas. Eodémque significatu poni in *Instit. Juris civilis,* quæ Latinissimæ sunt *lib.2.tit.9.* Denique probat id inde, quia ipsi etiam Grammatici, cùm in verborum inflexionibus distinguunt tres personas, non qualitatem intelligunt nomine personæ, sed res quasdam inter se distinctas.

4. Si maximè vox persona, eâ, quâ Ecclesia eam usurpat, significatione non 58.
usurpatet, Ecclesia tamen posset donare eam vocem peculiari significatione, quod fecit etiam in voce *Sacramenti,* et aliis Scriptura enim Patrem, et Filium et Spiritum sanctum *tres* vocat, 1. *Johan.*5. Sed quomodo tres? Non certè tres Patres, vel tres Filios, vel tres Deos. Tres igitur personas vocavit Ecclesia, non ut rem satis exprimeret, sed ut nonnihil diceret, quia juxta aliquod attributum Trinitas ista erat describenda. Vide August. *l.5.de Trinit.cap* 9. *& l.7.cap.*4. et alibi.

Solvuntur Objectiones Vallæ.

QUod ad objectiones Vallæ attinet. Prioris solutio jam monstrata est 59
prius.

60 Posteriorem quod attinet, solet ea etiam à Photinianis urgeri, ut videri posit apud Gosselvium, *lib. 3. contra Keckermann. cap. 4.* Malim autem hic potius Theologos de eo audire, quàm meam sententiam dicere. Ut tamen aliquid dicam: Solent variæ esse responsiones. Mihi quàm maximè placet, negare consequentiam istius collectionis: Persona est substantia. Ergo tres personæ sunt tres substantiæ. Idque propter ambiguitatem in voce personæ, quam ad idem argumentum usurpavit Lombard. 1 *d.* 25. *Lit. E.* Igitur persona aliquando sumitur quasi complexè et concretè, pro essentia & proprietate personali simul. Ita intelligitur, cùm persona dicitur substantia; Item, cùm Pater dicitur persona. Ita Augustinus ait *lib. 7. de Trinit. cap. 6.* quod idem Deo sit, esse personam & essentiam. Unde colligit Lombard. *d. l. lit. B.* quod cùm Pater dicitur persona, dicatur esse essentia Divina. Aliter autem sumitur persona quasi abstractè, & pro addito, quod præter essentiam (ut sic loquamur) significat. Et juxta hanc sumptionem intelligitur, cùm dicuntur *tres* personæ. Cujus sensus est, quod *sub tribus proprietatibus* personalibus subsistat una essentia Divina.

61 Ut res hæc magis declaretur: Esto simile sophisma. Affectio entis est ens. Ergo tres affectiones entis sunt tria entia. Hic ratio argumentandi eadem est, quæ prius. Est enim paralogismus propter ambiguitatem in voce, affectio entis, Nam in antecedente, affectio entis, sumitur quasi complexè, ut includat & essentiam, & quod additur ad essentiam. Cùm autem in consequente dicitur, *tres affectiones, &c.* tum affectio sumitur solùm pro addito. Affectiones enim entis non numerantur & multiplicantur, nisi quoad additum. Unde omnis affectio, loquendo de adæquato conceptu, est ens. Et tamen tres affectiones, non sunt tria entia, sed sunt unum idémque ens sub alio quasi formali sumptum.

62 Frequens est, illustrare doctrinam de Trinitate per exempla potentiarum animæ. Hic potentia animæ (ad mentem Scoti) est idem quod anima. Et tamen tres potentiæ, non sunt tres animæ. Tres enim potentiæ dicuntur, non ex multiplicato toto significato potentiæ, sed juxta id, quod additur ultra animam. Unde recurrit eadem æquivocatio in voce *potentia*, quæ erat in voce affectionis & personæ antea.

63 Remanet itaque ista prima conditio à nobis posita, quâ, quicquid persona est, dicitur substantia. Indéque quicquid accidens est, persona dici non potest.

PUNCTUM III.

In quo percensentur & defenduntur aliæ conditiones personæ.

64 II. CONditio personæ est: *ut sit intelligens.* Atque hinc, Bucephalus non potest dici persona. Et idem est de aliis suppositis, in genere rerum non intelligentium. Differt enim suppositum in hoc à persona, quod suppositum significat in genere, quamvis singularem completam & incommunicabilem substantiam. Persona autem id facit, solùm in genere rerum intelligentium.

Persona est quid intelligens.

65 III. *Persona debet esse aliquid singulare, & quidem completum.* Ita patet, quia persona est speciale nomen suppositi. Participat igitur omnes conditiones, quæ in supposito requiruntur. At quicquid est suppositum, debet esse aliquid singulare & completum, ut prius visum est. Indéque animal & homo personæ non sunt, quia sunt universalia. Et anima hæc aut illa, personæ non sunt, quia sunt entia incompleta.

Persona est aliquid singulare et completum.

66 IV. *Persona non debet esse aliquid communicabile.* Omne singulare est incommunicabile, quatenus intelligitur negatio communicationis, quæ est per modum universalis, quomodo animal est communicabile homini & bestiæ, & homo est communicabilis suis individuis, veluti Petro, Paulo, &c. Unde cùm persona dicitur (peculiari conditione) incommunicabile quid, non intelligitur negatio commu-

Persona est quid incommunicabile

communicabilitatis istius, quæ est per modum universalis. Hæc enim, ut dictum est, continetur sub voce singularitatis. Sciendum est igitur, quod fides revelaverit singularem modum communicationis, secundùm quem una numero natura, adeóque Ens revera singulare, est communicabile pluribus suppositis. Illam igitur essentiam præcisè sumptam Ecclesia non vocat personam (ita enim ipsi placuit, indicandæ distinctionis causa, ut haberet, in quo Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres & unum, quod utrumque Scriptura facit, nominaret.) Et sic nomen personæ limitatum est hac conditione, ut non diceretur persona, quod est communicabile isto modo. Persona igitur est aliquid incommunicabile. Et per hoc, Deus non est persona.

67 *Objectio Goslavii.*

Ex his patet vanitas objectionis Goslavianæ: *Si essentia divina*, inquit lib. 3. contra Keckerm. cap. 2. *est singularis, est etiam incommunicabilis. Et si est incommunicabilis est persona.* Respondeo ex dictis, quod sit ambiguitas in voce *incommunicabilis*. Incommunicabile enim aliquando significat id, quod non est communicabile *pluribus speciebus vel individuis*, seu, quod idem est, pluribus specie aut numero distinctis. Et hoc modo omne singulare est incommunicabile, etiam essentia Divina in hoc ipso, quia singularis est. Neque enim Deus se habet per modum generis aut speciei, ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Atque ita sic sumpta voce, admittitur prima consequentia: Si essentia Divina est singularis, Ergo est incommunicabilis. At altera consequentia est invalida: si scilicet essentia Divina est incommunicabilis. (Isto intellige modo, nempe per oppositum modum ad universale.) Ergo est persona. Nam Ecclesia hoc nomen personæ attribuit illi, quod quasi ultimum modum subsistendi habet, ita ut ne quidem sit communicabile, eo modo, quo natura supposito est communicabilis, quod singulare communicationis genus nobis fides revelavit, in essentia Divina singulari, ad tres hypostases. Unde porro essentia Divina est singularis, & tamen hoc posteriori genere est communicabilis. Et proinde non vocatur persona. Ita enim lumgâ consuetudine nomen personæ in Ecclesia receptum est, ut quod taliter est communicabile, persona non dicatur. In significationibus autem vocum nihil potius est, quàm consuetudo loquentium.

Incommunicabile bifariam dicitur.

68 *Persona non debet sustentari ab alio.*

V. *Persona non debet sustentari ab alio.* Hanc conditionem personæ ponere solent Doctores, propter humanam naturam in Christo; quæ si persona esset, Christus haberet duplicem personam, quod absurdum est. Ab humana igitur natura Christi removetur nomen personæ, quia ipsa sustentatur à λόγῳ. Posset tamen fortasse hæc conditio intelligi: ex generali conditione, quæ ad suppositum (cujus totam naturam implicat persona) requiritur quâ, quicquid suppositum dicitur, debet esse quid completum. At humana natura in Christo apprehenditur, ibi per modum incompleti entis, nempe tanquam pars τῆ λόγῳ, Chemnit *part. 1. Log. com. de Trinit. cap. 4. p. 96.* refert, quod aliqui Scholastici hanc conditionem continuerint sub incommunicabilitate, quam interpretantur ita, ut inde excludant omnem dependentiam ad aliud, in eo quod persona dicitur, Ut tamen omnia sint clariora, judicio ejusdem Chemnitii ista conditio peculiariter additur.

PUNCTUM IV.

In quo traditur definitio personæ.

69

EX dictis nunc facilè fieri potest definitio personæ. Antiquitus satis tenuiter hac in re actum est. Narrat enim Boëthius, cùm lecta esset Epistola Concilii Chalcedonensis, in qua dicitur, *quod Christus sit una persona, in illa una tamen persona sint distinctæ naturæ*, interrogasse se, quid discriminis sit inter naturam & personam, & tum omnes clamasse de personis et natura, neminem tamen potuisse assignare, quid esset persona. Ita refert Chemnit. *dd. p. 95.*

Boë-

70. Boëthius igitur definivit personam, quod *persona sit naturæ rationalis individua substantia.*

Personæ definitio apud Boëthium.

Sed hæc definitio duo adhuc vitia habet, si rigorosè cum Boëthio agamus. Nam 1. *Rationale* non dicimus, nisi id quod intelligit per discursum, adeoque intellectione successiva, successione tali, quæ sit à noto ad ignotum. At id nec Angelis, ut aliquibus placet, nec Deo convenit. Hactenus igitur ponendum est generalius nomen, nempe vox *intelligentis.* Ubi tamen non diffiteor, vocem *rationalis* aliquando generaliter sumi pro intelligenti, quomodo Angeli dicuntur rationales, apud Augustinum *de spirit. & anima cap.* 18. Et cum Aristoteles *lib. 9. Metaph.* dividit potentiam activam in rationalem & irrationalem, per potentiam rationalem intelligit omnem potentiam intellectivam. 2. Si tamen substituatur hæc vox *sic:* persona est naturæ *intelligentis* substantia individua: Nihilominus definitio ista est vitiosa, & nimis lata, quia convenit essentiæ Divinæ. Et Deus præcisè sumptus, non dicitur persona, ut prius patuit.

Rationale quid sit proprium?

71. Frequenter igitur persona definitur sic: Persona est substantia individua intelligens, incommunicabilis, quæ non sustentatur in alia vel ab alia. Fit autem hæc definitio summatim colligendo conditiones personæ. Ego brevius sic definio: *Persona est suppositum intelligens.* Vox *suppositi* enim omnes conditiones personæ implicat, præter gradum intelligendi, qui contrahit suppositum ad rationem personæ. Atque sic relinquitur hæc definitio in sensu concordare cum priori. Malo autem sic potius definire, tum propter brevitatem, quæ in definitionibus maximè commendatur: tum, quòd in ea non relinquitur locus illi sophisticationi Arrianorum & Photinianorum. Si persona est substantia intelligens, &c. Ergo tres personæ sunt tres substantiæ, &c. quanquam ea objectio antea satis confutata est, *num. 60. seqq.*

Propria personæ definitio.

Nunc celebris ista quæstio, de suppositi supra naturam additamento, ejusque à natura distinctione, explicanda est pro quinto articulo.

ARTICULUS V.

Quid suppositum (vel persona) addat naturæ, & quomodo distinguantur?

72. *Prolixa hæc & intricata admodum est disputatio. Nec minus tamen utilis & necessaria est. Sunt autem hæc tractanda:* Primò, *præmittendæ sunt observationes aliquæ.* Deinde, *variæ referendæ sunt opiniones.* Tertiò, *vera sententia confirmanda est.* Et Quartò, *refutandæ sunt contrariæ opiniones.* Denique *solvendæ sunt objectiones veritati contrariæ.*

PUNCTUM I.

In quo præmittuntur aliquæ observationes.

PRincipio hoc animadvertendum est, quod in hac quæstione sermo sit de suppositio & natura ut sunt in rebus creatis. Nam de natura & suppositio, prout est in personis Divinis ex lumine rationis ferè nihil dici potest.

2. Advertendum est, per naturam hîc non intelligi naturam communem, quomodo ea à supposito sive re singulari distinguatur: Sed intelligitur per naturam, natura singularis & individua, veluti est natura Socratis, quomodo scilicet ea distinguatur à Socrate ipso, seu supposito, quod constituit Socrates.

Dicam clariùs: Omnis homo in individuo habet singularem & individuam naturam humanam vel humanitatem. Omnis, *inquam*, homo. Ergo & Christus, qui etiam homo est, habet humanam naturam singularem, et cæteta omnia individua hujus speciei. Est tamen inter has humanitates discrimen. Nam humanitati Christi non convenit, debita aliàs humanæ naturæ personalitas (sive non

constituit

constituit personam humanam, quia sic in Christo essent duæ personæ, quod absurdum est.) At humanæ naturæ, qualis est in Socrate vel Petro, nihil deest eorum, quæ ad rationem personæ vel suppositi pertinent. Sunt enim, Socrates et Petrus, personæ.

Ergo nunc quæritur: quid desit humanitati Christi, quo minùs sit suppositum vel persona, et in oppositum, quid habeant cæteri homines per quod sint suppositа sive personæ. Hoc enim quod his datum, et illi negatum est, erit quod ultra naturam requiritur ad rationem suppositi, sive quod suppositum addit naturæ. Et de hujus distinctione à natura porro quæritur.

Denique est advertendum: suppositum bifariam sumi, aliquando sumitur abstractivè pro suppositalitate, sive ratione aut differentia, unde formaliter constituitur suppositum, quod possumus Græcè dicere ὑπόστασιν, *subsistentiam*: Aliquando autem sumitur concretivè, pro eo, cui convenit esse, et dicitur suppositum, quod Græcè possumus dicere ὑφεστὼς, hoc est, *subsistens*. 73.

PVNCTUM II.

In quo referuntur variæ sententiæ.

HIs præmissis variæ sunt in re proposita sententiæ. Aliqui existimant naturam, et suppositum solùm nominaliter sive vocibus distingui. Ita tribuitur Gandavensi *lib. 4. q. 4.* Durand. *1. d. 34. q. 1* et aliis. 74.

II. Scotus *3. d. 1. quæst. 1. a. 3. & d. 6. q. 1. et quodl. 19. a. 13.* aliique ejus sequaces aiunt, suppositum addere naturæ negationem, actualis videlicet et aptitudinalis (de naturali aptitudine sive potentia eam intelligendo) dependentiæ ab alio. 75

III. Aliis videtur, quod suppositum addat naturæ, singularitatem, et accidentia individualia. Ita tribui solet Thomæ.

IV. Aliqui suppositum aiunt ultimò constitui per existentiam, quam naturæ addat suppositum. Et hæc opinio valdè frequens est.

V. Aliqui suppositum aiunt constitui per habitudinem ad existentiam, et per extrinsecam denominationem. Ita Capreolo, Hervæo, et aliis tribuitur.

VI. Aliis videtur, quod suppositum naturæ addat peculiarem aliquam Entitatem, realiter ab ea distinctam. Ita tribuitur Ferrar. 4. *contra gent. c.* 42. Cajetan. *3. p. q. 1. a. 2.*

Denique aliquibus videtur, quòd suppositum naturæ addat positivum aliquem modum, qui significetur per τὸ per se subsistere, cui opponitur esse alio, et sustentari in alio. Ita sentiunt Fonseca 5. *Metaph. cap. 8. quæst. 6.* Suarez *in Metaph. disp. 34. sect. 2. seqq.* Martin. *in disp. Metaph. disp. 18. thes. 14. seqq. & quæst. 3. ibid.* Dicunt autem frequenter illi Autores, quod id additum per suppositum, distinguatur reipsa à natura, ubi ista intelliguntur realiter distingui, non tanquam res à re, (quæ est rigorosa significatio illius phraseos) sed tanquam modus à re, quæ distinctio realis vocatur, latè loquendo. Ita seipsum explicat Suarez *dict. disp. 34. sect. 4. num. 33.* 76.

PVNCTVM III.

In quo statuuntur conclusiones, declarantes sententiam propriam.

AD evitandam prolixitatem, in re aliàs valde prolixa, propono aliquot propositiones.

I. Conclusio: *Suppositum includit naturam, si concretè sumatur vox suppositi:* ut suprà exposui. Ita certum est et indubium. Natura enim illud est, quod significatur per definitionem rei. At suppositum, v. g. Socrates certè participat naturam, quæ *Suppositum includere naturam.* hominis definitione significatur. 77.

II. *Suppositalitas potest abesse à natura.* Ita patet in exemplo humanitatis Chri- 78.

Suppositalitas potest abesse à natura.

sti. Hic enim habet humanam naturam, & tamen non habet suppositalitatem humanam. Sic enim humanitas ista haberet suppositalitatem, hoc est, istum modum, unde substantia constituitur in ratione suppositi, tunc Christus esset duplex persona, quod absurdum est & Nestorianum, solétque in plurib. à Theologis ostendi. Apparetque adeò naturam & suppositum non facere compositionem *ex his*, ut vocant, sed *cum his*.

79. *Non distingui solâ ratione.*

III. Hinc sequitur: *Quod suppositalitas à natura. Idemq; est de supposito & natura, non distinguuntur sola ratione, & nudis appellationibus.* Quæ enim talia sunt, à parte rei non possunt divelli. Separatio enim proportionatur distinctioni, unde quæ non nisi per rationem distincta sunt, etiam non possunt separari, nisi per rationem. Apparuit autem in prioribus suppositalitatem posse abesse à natura.

80. *Suppositum non addere rem peculiarem.*

IV. *Suppositum non addit ad naturam positivam aliquam rem.* Ita patet: quia illa res addita, vel pertineret ad essentiam rei, quæ suppositum dicitur, vel non. Si primum. Ergo ubicunque est essentia talis rei, ibi erit etiam illud additum tanquam intrinsecè ad eam pertinens, quod falsum esse ostendit exemplum humanæ naturæ in Christo. Si secundum. Ergo suppositum, & natura constituerent Ens per accidens, indéque non unum quid, sed plura quod absurdum est.

81. *Non distingui realiter.*

V. *Suppositum igitur à natura non distinguitur realiter, strictè phrasin sumendo:* Realis enim distinctio sic non est, nisi inter rem & rem.

82.

VI. *Suppositum addit ad naturam modum aliquem.* Ita patet, quia, ut ex doctrina distinctionum constat, quod ab alio distinguitur, non tamen ut res à re, nec etiam prorsus per rationem, id necessariò est modus rei, & sic à re distinguitur modaliter. Is tamen modus, quia non est confictus per rationem, hactenus reipsa à natura distinguitur, ut antea expositi ad *n.* 76.

83. *Suppositalitas non est negatio.*

VII. *Is modus est positivus. Et proinde non addit solam negationem, quanquam eam subinferat.* Ita patet, quia si suppositum creatum ultimò constitueretur per negationem, tum à fortiori id esset in Trinitate, quia hic magis habenda est ratio simplicitatis, quàm in creaturis. A compositione autem magis præcavent negationes, quàm si per suppositum adderetur aliquid positivum ad naturam. Absurdum autem est divinas personas distingui solâm negationibus. Non satis etiam congruit is modus loquendi ad humanam naturam Christi. In hac enim juxta Conciliorum & Patrum doctrinam ὁ λόγος explevit personalitatem. At vanè tenue est, si dicatur λόγος expleviſſe negationem. Vide prolixum ad hoc discursum apud Suarez, *disp* 34. *sect.* 2. *num.* 8. *seqq.* Quòd autem is modus positivus inferat negationem, statim apparebit.

84. *In quo consistat suppositalitas?*

VIII. *In specie igitur is modus est, per se subsistere, sive in αὐθυπαρξία, in per se subsistentia.* Ubi advertendum est, quòd per se subsistere dicatur bifariam: Uno modo τὸ per se subsistere, opponitur inhærentiæ, hoc est, modo essendi in alio, accidentibus proprio. Et sic omnibus substantiis convenit esse non in alio, sed per se subsistere, juxta definitionem substantiæ, superiùs traditam. Unde cùm præter suppositum (quod semper est substantia prima) in genere substantiarum etiam dentur substantiæ secundæ, apparet essentiam suppositi non consistere in tali per se subsistentia. Alter per se subsistere, sumitur pro perfectissimo modo per se subsistendi, quo res dicitur maximè & principaliter per se subsistere, ut Aristot. *in Categ.* loquitur *c* 5. Et tum per se subsistere dicitur, quòd neque inhæret (in quo distinguitur ab accidentibus) nec etiam implicat talem essendi modum, per quem unitur ad aliud ipsud sustentans, vel à quo dependeat, in quo suppositum distinguitur à substantiis secundis, et partibus suppositorum. Et in hoc consistit ratio suppositi. Estque adeò suppositum nihil aliud quàm substantia perfectissimo modo per se subsistens, non includens unionem vel dependentiam ab aliquo sustentante. Ex quibus etiam apparet, quod antea dixi, per suppositum inferri negationem. Nam sic per se subsistere id dicitur, quod non est in alio per dependentiam ab illo. Imò τὸ per se subsistere ferè non potest aliter explicari, quàm istiusmodi negatione.

Cæte-

Cæterùm, dependentia ad aliud sustentans, amplianda est ad dependentiam actualem & aptitudinalem, propter animam separatam. Nam anima separata, etsi (ut ipsa vox *separationis* indicat) est pro ipso statu independens à materia, quoad actualem unionem ad illam, tamen non est suppositum, quia habet aptitudinalem dependentiam ad materiam, quia ex natura sua est forma materiæ, unde necessariò in essentia animæ remanet potentia informandi corpus, quippe quæ realiter non est diversa ab essentia animæ, ut deinceps *cap.* 5. videbitur. 85 *Suppositum includit negationem. Anima separata non est suppositum.* 86

Dices: Sic nullum hominem esse suppositum. Nam sicut humanitas, concepta in Maria, susceptа est in personam τῦ Λόγυ, ita etiam alia singularis humanitas susceptа potuit. Neque enim ad hoc est repugnantia. Ergo etiam aliæ singulares, humanitates habent aptitudinem ad talem unionem. At aptitudo dependendi à sustentante aliquo, repugnat rationi suppositi, ut prius visum est, in exemplo animæ. *Objectio.* 87.

Respondeo: Aptitudinem esse duplicem: Alia est naturalis, alia est obedientialis. Et obedientialis quidem consistit in sola negatione, sive in non repugnantia, unde illius nulla est ratio, in dijudicandis essentiis rerum. De naturali autem potentia secus est, quæ vel est essentia ipsa, vel consistit in reali & positiva proprietate ejus, quod eam habet. Unde dico, quod naturalem potentiam habet ad dependentiam ab aliquo sustentante, id non esse suppositum, per exemplum animæ separatæ. Humanitas autem, idémque est de essentiis aliis, ex natura sua complotis, habet solum potentiam obedientialem, ad hujusmodi dependentiam; unde hæc non consideratâ, talia entia simpliciter sunt supposita. *Quænam aptitudo dependendi repugnet supposito?*

PUNCTUM IV.

In quo proponuntur conclusiones, contra opiniones aliorum.

88.

ET hactenus quidem constituimus veram rationem suppositi, nunc etiam aliquæ sententiæ nobis removendæ sunt. Igitur: 89.

IX. *Suppositum non addit naturæ singularitatem.* Ita patet, quia natura, de qua in præsenti sermo est, est jamdum singularis, per prius dicta *num.* 72. Unde alia quæstio est; An universale differat à singulari, & in quo sit illa differentia, & rursus alia quæstio est, an natura differat à supposito. *Suppositum non addit naturæ singularitatem.*

X. *Suppositum, quâ tale est, non addit accidentia individualia.* Cùm enim suppositum sit perfectissimum genus substantiarum, oportet, ut non id ultimò compleatur per accidentia præsertim, quia sic suppositum, quâ tale, esset ens per accidens. Deinde per suppositalitatem non debet aliquid accedere, quod individuet naturam, quicquid id sit, quia, ut prius patuit, natura est jamdum aliquid singulare. 90 *Nec accidentia individualia.*

XI. *Suppositum non addit naturæ existentiam.* Ita patet, quia formale significatum existentiæ est actualitas rei, hoc est, rem existere nihil est aliud, quàm eam actu esse, & non amplius latere in causis. At istud convenit etiam naturæ, esse extra causas. Ergo etiam naturæ convenit existentia generaliter loquendo, ut suprà in doctrina de existentia prolixiùs visum est. 91. *Nec existentiam.*

Deinde existentia est per accidens ad rationem suppositi, quia suppositum ut sic abstrahit à possibili & actuali. Indéque suppositum est, quod potest latere intra causas, vel esse extra eas, hoc est, potest esse ens potestate, vel ens actu. Atque sic Socrates simpliciter est suppositum, sive possibilis sit sive sit actu in mundo. Formalis autem ratio non debet esse per accidens, sed rei adæquata.

XII. *Suppositum non potest constitui, atque adeò distingui à natura per denominationem extrinsecam, quæcunque illa sit.* Ita patet, ut rectè Suarez concludit. *disp.* 34. *s.* 4. *n.* 4. Distinctio enim in hoc immediatè consistit, quod unus non est aliud & ideò necessariò requirit, ut extrema realia quæ in re distinguuntur, ita se habeant, ut unumquodq; aliquid rei intrinsecùs, in se habeat, quod non habeat aliud. Unde distinctio 92. *Nec denominationem extrinsecam.*

per extrinseca semper supponit aliquid intrinsecum, in quo unum ab alio distingatur, quódque sit ratio & fundamentum distinctionis ejus, quæ est ab extrinseco. Ut, v.g. si visus & auditus distinguuntur per colores & sonos, extrinsecè, necesse est, ut pro fundanda ista distinctione, habeant intra se diversas entitates per quas habeant istos respectus. Et de hoc intrinseco, quidnam id sit, nunc inquiro, de quo prius patuit, quòd id sit modus per se subsistendi.

PVNCTUM V.

In quo solvuntur objectiones.

91 OBjectiones plurimæ hic moveri possunt, per quas particulatim probentur diversæ sententiæ, sed compendii causa istas promiscuè proponam, & quidem tantùm potissimas.

94 I. *Objicitur*: Si personalitas consisteret in aliquo positivo. Ergo ὁ λόγος non assumpsisset quiddam, quod positivè est in humanitate τοῦ λόγου. At hoc absurdum, quia τὸ ἀπροσλήπτον ὅτι, καὶ ἀθεράπευτον, *quod non est assumptum, non est sanatum.* Nihil autem in homine est, quod non sit sanatum.

Respondetur communiter juxta hanc sententiam λόγον assumpsisse humanitatem non autem hominem, unde quicquid ad rationem humanitatis pertinet assumptum est. Atque ita tota humana natura sanata est. Quia verò ὁ λόγος non assumpsit hominem, ideo manifestum, quod id, unde homo ultimò constituitur sub ratione personæ vel suppositi, non sit assumptum, imò ne quidem assumi potuerit in unitatem personæ. Et hoc non impedit plenam sanationem *naturæ* humanæ, quæ tota assumpta. Et sic Damasc. ait *lib. 3. de orth. fid. c. 6.* Deum assumpsisse quicquid *in natura nostra* plantavit.

95 II. *Objicitur*: Si ad constitutionem suppositi requireretur aliquid positivum, & proinde id deesset humanitati Christi. Ergo Christus per defectum istius positivi, non esset homo, sicut homines alii, adeóque non univocè.

96 *Christus univocè est homo cum aliis hominibus.*

Resp. 1. Christum non esse hominem, sicut sunt alii, admitti potest secundùm quid. Nam humanitas Christi est ἐνυπόστατος. Alii autem homines sunt ἀνυπόστατοι. Quoad essentialia tamen, Christus est homo sicut & cæteri homines. Atq; hinc 2. apparet quòd homo dicatur univocè de Christo & cæteris. Et ratio est, quia univocatio consistit in identitate non personalitatis, sed naturæ sive essentiæ, ut Arist. indicat *l. Categ. cap. 1.* Univoca definiens, quorum *essentia & definitio* in univocatis est eadem.

97 III. *Objicitur*: Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. At per negationem satis explicari potest ratio suppositi. Ergo supervacaneum est, addere porro modum positivum. Antecedens declaratur exemplo aquæ, ex qua, prius integra, constituuntur plura suppositi, per solam divisionem, hoc est, per negationem unionis inter partes.

98 *Resp.* 1. Potest omnino ratio suppositi explicari per negationem dependentiæ ab alio, vel unionis ad aliud, ut & antè factum est *num. 84.*

Quòd tamen non possit in ea formaliter consistere ratio suppositi, quodq; proinde necessarium sit, addere alium modum positivum, id in prioribus satis patuit. Inprimis ex Mysterio incarnationis, quo dimisso, Philosophi fortasse non potuissent devenire ad distinctionem naturæ & suppositi. Ex quo exemplo, jam 3. patet, quòd ex una aqua possint fieri multa suppositi, per divisionem aquæ, non quasi negatio unionis adæquatè ad hoc satis sit, sed quod partes aquæ divisæ, dicuntur per se subsistere.

TIT U-

TITVLVS V.
DE DIVISIONE SUBSTANTIÆ *in corpus & spiritum.*

99 HÆc *quarta est divisio substantiæ, ex iis, quæ in theorematibus proposita sunt. Cujus divisionis sensus hic est: quod substantiarum alia sit concreta ex materia, qualis est hominalia sit expers materiæ, qualis est Angelus: Et illa vocatur corpus, seu substantia corporalis & materialis, hæc vocatur spiritus, seu substantia immaterialis sive spiritualis.*

Dicam de istis seorsim, & primùm quidem de corpore, quia ejus tractatio hic abscindenda est, unde deinceps continuo cursu agi poterit de substantiis spiritualibus.

De corpore tria constituenda sunt. Primò, *sunt percensendæ variæ ejus significationes: Quibus positis,* Secundò *exponendum est, quid nunc voce* corporis *intelligatur,* Et denique *quærendum: An & quatenus ejus tractatio sit Metaphysica?*

ARTICULUS IV.
De Corpore.

PVNCTVM I:
De variis significationibus corporis.

100 VOx *corporis* ambigua est: *Primo,* corpus generaliter sumitur, pro eo quod habet esse reale & positivum, juxta quem sensum corpus umbræ opponitur vel figuræ. Ita V. Testamento convenit habere umbram. In N. Testamento autem est *Corpus. Coloss. 2. v. 17.* Dicitúrque ad hunc modum etiam Deus, corpus, ut apud Tertullianum *lib. 2. contra praxeam, pag. 318.* ut Augustin. explicat *ad Quod vult. hæres. 86.* Deinde corpus species quantitatis, quomodo Mathematicus magnitudinem dividit, in lineam, superficiem & corpus. Estque corpus ibi nihil aliud, quàm quantitas trinè dimensa, hoc est, longa, lata & profunda. Solétque dici corpus Mathematicum.

Ambiguitas in voce corporis explicatur.

Deus quomodo sit corpus?

Aliæ significationes sumuntur ex prædicamento substantiæ. Atque ibi *tertio,* corpus aliquando sumitur cum præcisione formæ, hoc est pro sola materia, seu pro altera parte compositi. quæ cum forma illud constituit, quomodo dicimus hominem, v. g. constare ex anima & corpore. Estque sic corpus pars hominis, unde de homine quidditativè & per modum generis prædicari non potest, juxta hanc significationem, ut Aristoteles tradit *4. Topic. c. 5. §. 6.* & confer Ramum *lib. 3. Schol. Dial. c. 4.* Alia igitur significatio est, in qua sumitur per modum totius, & proinde cum inclusione formæ, habétque ad res animatas rationem generis. Et sic Porphyrius *in Isagog.* Corpus dividit per animatum, & inanimatum, indéque animal & homo, & planta, hoc sensu quidditativè sunt corpora. Vide quæ *in Top. dixi cap. 28. n. 109.* Et adde Armand. de Bello Visu *tract. 2. term. c. 58.* & Zabarell. *l. 1. de mat. prima, cap. 6. & l. 2. c. 17. 18. 19.* Intelligitúrq; in præsenti tractatione, ex significationibus recensitis hactenus, hæc ultima. Corpus enim quod hîc intelligitur, facimus deinceps genus ad corpora naturalia, illud distinguentes à spiritu. Unde per illam distinctionem à spiritu, significatur, quod corpus hîc non comprehendat omne ens reale: Et cùm nec pars, nec accidens possit esse genus substantiæ relinquitur, quod nec per modum partis nec per modum accidentis corpus hîc intelligatur.

Corpus sumitur ad modum partis, & ad modum totius.

Præsens significatio corporis quænam.

101 Quibus sic positis, adhuc tres aliæ significationes à præsenti vocis hujus usurpatione rejiciendæ sunt.

Igitur *quarto:* Corpus strictè intelligitur de eo, quod crassius est. Ita Psellus *de Dæmon.* ait: quæ corpora crassiora sunt, vocari corporea: Ea autem quæ subtiliora & tenuiora sunt, incorporea dici. Et juxta hunc sensum, aër, & spiritus animales, & vitales, in corpore nostro, non possunt dici corpora.

Quinto, corpus sumitur latè, dicunturque corpora non tantùm ea, quæ ex materia concreta sunt, sed generalius omnia ea quæ composita sunt, ad quem sensum aliqui Patres animam rationalem, & Angelos corporeos vocant, quod infrà latiùs explico, *hoc. lib. 2. c. 4. num.* 24. Ex his significationibus ista, propter angustiam, hæc propter latitudinem, à præsenti scopo aliena sunt.

102. *Denique* corpus sumitur pro aggregatione corporum, & sic prædicatur de corpore artificioso, quomodo mensa aut domus corpus dicitur. Hæc etiam significatio à præsenti aliena est, quia corpus sic dictum, non est aliquid unum, & sic non est Ens per se, sed per accidens, quia implicat plura corpora, eáq; singula per suas formas completa, vel saltem implicat præter essentiam corporis formam artificiosam, quæ cùm sit de prædicamento accidentis, iterum fiet cum corpore, quod substantia est ens per aggregationem, sive unum per accidens.

PVNCTVM II.

In quo exponitur, quid corpus sit, cum dividit substantiam.

103. *Corpus quid sit?* SUmmatim ex dictis circumloquendo præsentem significationem corporis. *Corpus dicitur illud, quod materiam & formam habet.* Materiam & formam rigorosè intelligendo, juxta usitatas terminorum istorum significationes. Dicitur alio nomine, *substantia corporea, substantia materialis, & corpus naturale.* Damasc. *lib. 2. de orth. fid. cap. 12.* corpus vocat substantiam, quæ tres dimensiones habet. Alii aliter.

Excluduntúrque hac circumlocutione omnes hactenus enumeratæ significationes. Nam 1. quia non omnibus entibus convenit materia & forma. Ergo hactenus corpus, & reale ens, non dicuntur æquipollenter.

Et 2. quia corpus sic implicat formam, ergo non sumitur nunc per modum partis, ubi à forma præscindit, & notat materiam solam.

Et 3. Quia materia, indicio sumpto à quantitate, non convenit solùm iis, quæ crassa sunt, sed etiam quæ tenuia sunt: Ergo & tenuia & crassa corpora nunc sub mentione corporis implicantur.

Iterum 4. Quia materia, juxta usitatam vocis acceptionem, non convenit omnibus quæ qualitercunque composita sunt. Ergo nunc compositum, & corpus non possunt dici æquipollenter.

Denique, quia corpus hic habet materiam & formam, ideo non continetur sub eo corpus artificiosum, quod non habet materiam & formam, sed formas, eo ipso quia est ens per accidens: Et proinde non unum sed multa.

PVNCTVM III.

An & quatenus Metaphysicè sit agere de corpore?

104. *Metaphysicam non posse agere de corpore scientificè.* HIc duas assertiones pono primò: *Metaphysica non potest tractare de corpore scientificè & quidditativè.* Ita patet, quia quidditativa cognitio corporis implicat materiam & formam. Ea autem, quæ in Metaphysicis tractantur, abstrahunt à materia. Præterea, scientifica tractatio implicat notitiam affectionum rei. Scientia enim est demonstrationis fructus. Demonstratio autem implicat omnino passiones subjecti. Affectiones autem corporis sunt motus, locus, &c. Unde si Metaphysicus ageret scientificè de corpore, oporteret eum etiam agere de motu, loco, &c. Quæ absurda sunt.

105. *Obicies:* Cùm Ens dicatur indifferenter ad corpus & spiritum, cur in Metaphysicis, cùm permittatur descensus ad doctrinam de spiritualibus substantiis, non etiam permittatur descensus ad substantias corporeas?

Cur Metaphysica, cum agat de Spi-

Resp. Per instantiam cùm Physicus animal dividat in hominem & bestiam, & substantia bestia descendat porro ad avem & piscem, & cætera, quæ sub bestia continentur. Cur non etiam descendit ad ea, quæ sub homine continentur: hoc est, Catonem.

Plato-

Platonem, &c. Sub natura enim animalis, non minùs continentur individua, quàm species, neque ad utrumque horum, natura communis, est indifferens, quid igitur ibi discrimen facit, ut sub bestia fiat descensus ad species, & non etiam sub (bestia vel) homine fiat descensus ad individua? *ritu, non descendat etiam ad corporis considerationem?*

Igitur II. respondeo utrinque id facere abstractionem cuique disciplinæ propriam, quæ ad constituendos limites scientiæ, semper ad subjectum cujusque disciplinæ adjungenda est. Etsi igitur subjectum Metaphysicæ, dimissâ abstractione, indifferens sit, ad res materiales & immateriales, ut propinde hactenus non magis conveniat Metaphysicæ descendere ad materialia ac immaterialia. Tamen id ita est, si adjungatur abstractio. Abstractio enim Metaphysicæ propria, est ea, quâ Entia sunt abstracta à materia secundùm rem & rationem. Et hæc à Metaphysica arcet res materiales, admittit autem res immateriales. Sicut, cum Physicæ subjectum sit indifferens ad species & individua, in Physicis tamen descenditur non ad individua, sed ad species solùm, quia Physicus abstrahit à materia signata sive singulari.

106. *Quomodo Metaphysica agat de corpore?*

II. Assertio: *Metaphysica agit de corpore præcognoscendo illud*: Non, *inquam*, corpus cognoscendo & sciendo, vel scientificè tractando (quod priori assertione probatum est) sed *præsciendo* vel *præcognoscendo*. Ita patet, quia corpus est subjectum particularis cujusdam disciplinæ, nempe Physicæ. Subjecta autem particularium scienciarum in Metaphysica præcognosci debent.

107. *Subjecti præcognitio est in duobus.*

Cæterùm præcognitio est *in duobus*: *Prius* est, ut intelligatur quid nominis. *Posterius* est, ut intelligatur an res sit, ut Arist. tradit 1. *post.* t. 18. & Zabar. *ad d. Cont. ut & de trib. præcog. c.* 2. Hactenus igitur ad Metaphysicum pertinet agere de corpore quoad quid nominis, & an sit.

108

Et hoc quidem facit Metaphysica, referendo corpus ad divisiones entis, nempe id dividendo, donec offendatur corpus, unde clarè intelligitur, quod corpus sit ens. Alterum verò, hoc est quoad quid nominis, expedit Metaphysicus, cùm varias significationes recenset, & vel per appositionem æquipollentium, vel alia circumlocutione declarat, quid per corpus (cujus considerationem scient. hcam deinceps ad Physicam remittit) intelligendum sit.

109

Et utrumque quidem horum, hactenus præstitum est. Divisum enim est Ens in substantiam & accidens, & porro substantia in corpus & spiritum: Unde relinquitur, quod corpus sit aliquod ens, & non sit nihil. Deinceps etiam varias significationes corporis recensui, & deinceps limitavi, quanam ex istis, in præsenti sit acceptanda significatio ad sensum illius divisionis substantiæ, in corpus & spiritum. Atque ita hic de corpore nihil dicendum superest.

ARTICVLVS II.

De Spiritu.

110

Fuit de corpore, sequitur de spiritu. ubi quatuor puncta declaranda sunt: Primò, *de voce* Spiritus *& æquipollentibus*. Secundò, *quid sit spiritus?* Tertiò, *generales proprietates spirituum referendæ sunt*. Quartò, *de spirituum divisione, seu, quænam res in particulari sint spiritus, dicendum est.*

PUNCTUM I.

De voce Spiritus *& spiritualis & incorporei.*

111. *Ambiguitas in voce spiritus explicatur.*

Spiritus aliquando sumitur pro actione respirandi sive respiratione, ut *Jacob.* 2. *v. ult.* corpus sine spiritu mortuum est. Ubi D. Hunnius spiritum pro respiratione interpretatur, *Tom.* 1. *Lat. oper. fol.* 648. Alii tamen spiritum ibi exponunt pro vita & anima, ut fecit etiam Chemnit. *par.* 1. *Loc. Theol. p.* 228. Aliter solet sumi pro spiritualibus qualitatibus & creatis donis. Et rursus aliter sumitur pro Spiritu sancto. Aliæ plures significationes in Scripturis occurrunt, quas doctè recitat Flaccius *in Clav. Script. voce* Spiritus.

Apud

112. *Quomodo Deus sit incorporeus sive spiritus?*

Apud Philosophos solet inprimis celebrari triplex significatio: I. Spiritus dicitur per excellentiam, & per ἀντονομασίαν, quomodo Spiritus dicitur, quod est omni modo ἀτρεπτον sive immutabile. Et hoc convenit soli Deo, qui hactenus solus vocatur Spiritus & incorporeus, Damasc. *lib. 2. de orth. fid.* solum Deum ait esse incorporeum per naturam. Alia autem posse esse incorporea per indultum & gratiam.

113. *Spiritus vox unde imposita?*

II. Spiritus sumitur pro corpore subtili & tenui, qualis est spiritus egrediens ex ore respirantis. Unde videri potest primò, vocem *spiritus* impositam esse ad significandum talem spiritum: Indéque eam tractam esse, ad substantias incorporeas, quæ in hoc assimilantur talibus spiritibus, quòd videri & tactu prehendi non possint. Juxta hanc igitur significationem ventus vocatur *spiritus*. Sic & in Physicis spiritus dividitur, in vitalem, naturalem, & animalem, ubi per istos spiritus intelliguntur subtilissima corpuscula (ad hoc etiam vasis egentia, intra quæ contineantur, unde & *partes contentæ* dicuntur) quæ generantur ab anima ad potiores operationes edendas, veluti nutritionem, sensum, motum, communicationem vitæ. Pertinent & huc, quæ spiritus præternaturales dicuntur, ut est in inflatione membrorum, in ructu ventris, & aliis.

114. *Quid propriè sit Spiritus?*

III. Spiritus sumitur pro substantia à corpore adæquatè distincta, generatim loquendo, sive id corpus sit subtile sive crassum. Unde 1. secundùm hanc significationem nullum corpus vocari potest spiritus. In quo hæc significatio recedit à secunda. 2. Et quicquid non est substantia corporea, est substantia incorporea. Adæquatè enim dixi, sic corpus distingui à spiritu. Et in hoc hæc significatio recedit à prima significatione, quoad latitudinem significandi. Nempe hîc non solùm Deus Spiritus dicitur, sed et iste et substantiæ creatæ, quotquot non sunt corpora. Vide de istis Cassiodorum *de an. c. 3.* Et hæc quidem vulgò dicuntur.

115. *Quando sola anima dicatur forma spiritualis?*

Est tamen præterea *quarta* significatio Spiritus & spiritualis, quæ tamen non occurrit tam sub voce *substantiæ spiritualis*, quàm sub voce *formæ spiritualis*, Peculiaris enim ista est significatio in distinctione formarum, ea, *inquam*, quâ peculiariter anima rationalis vocatur spiritualis, eique soli vendicatur spiritualitas, ut disputant Conimb. *de an. sep. disp. 1. a. 3.*

116. Vbi primùm apparet: hanc significationem esse diversam à priori. Nam nulla forma substantialis est composita ex materia & forma. Ergo hoc sensu omnis forma substantialis potest spiritualis & incorporea dici. Nunc autem vendicatur id soli animæ rationali.

117. Atque sic nunc spirituale sive immateriale, & materiale sive corporeum, non accipiuntur de concretione ex materia, aut carentia ejus (sic enim omnis anima erit incorporea) sed generalius de dependentia à materia & independentia ab ea. Nempe nunc substantiæ sive formæ illæ vocantur materiales, quæ includunt dependentiam à materia, ut nec esse, nec operari possint extra materiam. Anima autem rationalis dicitur immaterialis peculiariter, quia illa in essendo & operando est independens à materia. Fitque propter istam earum dependentiam à materia, ut nec à Metaphysica specialiter tales formæ considerentur, cùm consideretur ibi anima rationalis.

118. *Ens spirituale quid sit in doctrina de anima.*

Solet et spirituale (frequentius spirituale) æquipollere intentionali, opponiturque tum reali et materiali. Ita Physici præsertim in doctrina de anima frequenter has voces usurpant, cùm quærunt: An sonus in medio habeat esse reale an spirituale? Item, an lumen sit ens reale, an spirituale? Hîc igitur, ut Ægid. definit *lib. 2. de an. tract. 6. qu. 2. a. 2.* Ens spirituale vel spirituale est illud, cujus natura est esse repræsentationem vel similitudinem, quo tanquam medio potentia cognoscitiva tendit in objectum. Ens autem reale est et materiale, quod non est medium, quo aliquid repræsentatur, sed quod dimissa repræsentatione adhuc satis habet, ut sit, et cur sit. Confer et Zabar. *l. 1. de visc. 7.* Veluti sic realis est equus, et realis est Angelus,

Angelus, qui est extra mentem: At species equi & Angeli, eos repræsentantes intra mentem, sunt equus & Angelus spiritalis. Color in pariete est realis, sive materialis. At is, qui est in oculo istum repræsentans, est color spiritalis. Asperitas & duricies in corpore aliquo tangibili, est realis ibi & materialis. Ea autem quæ unitur cum nervo tactivo in manu mea, istam repræsentans, est asperitas & duricies spiritalis. Neque manus mea fit dura aut aspera duritiem aut asperitatem sentiendo. Hæc etiam significatio non huc pertinet, sed ea, quam priùs tertiam dixi.

PUNCTUM II.

Quid sit spiritualis sive substantia immaterialis, & corporea?

119. Timplerus *in Met. l. 4. cap. 6. in Theor. & quæst. 18. & 20.* Immateriale definit quod non est ex materia productum. Indéque consequenter infert, cœlum esse immateriatum. Argumentum ejus hoc est: Quod est ex nihilo productum, est immateriatum, quia ex nihilo esse, & ex materia esse opponuntur. At cœlum est ex nihilo productum. Ergo est immateriatum.

120. Sed Timplerus nec constanter, nec rectè disserit. Illud patet, quia si materiale & immateriale diceretur juxta productionem ex materia, vel talis productionis defectum. Jam non solùm cœlum supremum & materia prima essent immateriata corpora, (quod ipse ait dicto loco) sed etiam terra, quæ similiter non ex materia, sed ex nihilo est producta. *Timplerus redarguitur.*

121. Falsitas autem ejusdem sententiæ inde apparet, quod materia ad materiatum habet duplicem respectum, alium in fieri, alium in facto esse. Ex materia enim res fit, & etiam ex materia res constat. Et ex hoc quidem adequatè quid denominatur materiatum. Materiatum *inquam*, est, quod ex materia constat. Quod etiam esse potest, si maximè quid in fieri non pendeat à materia, sed sit ex nihilo. Per ipsam enim creationem homini, v. g. vel lapidi tribuitur materia & forma. At materia & forma intrinsecè constituunt eam rem, in qua sunt. Ergo in oppositum, res ipsa, veluti homo vel lapis intrinsecè constituetur à materia & forma. Ergo hoc ipso sunt aliquid materiale, si maximè ex materia non sint facta ista corpora.

122. Ex hactenus dictis apparet: quòd, ad rationem rei materialis, satis sit, intrinsecè constitui per materiam, & quod rebus materialibus sit per accidens, in fieri dependere à materia. Unde relinquitur: quòd ad substantiam immaterialem non sit satis, à materia non dependere in fieri. Nihilominus, cùm ex vi nominis, immateriale dicatur, per negationem materiæ, utique per negationem materiæ non incommodè describitur immateriale. Porrò in universum à materia est duplex dependentia, altera in fieri, altera in facto esse, ut antea visum est. Cùmque dependentia à materia in fieri, possit abesse à re materiali, per priùs dicta, utique sequitur, quòd negatio dependentiæ à materia, in facto esse, sit adæquata ratio, per quam substantia immaterialis dicatur immaterialis.

123. Ergo substantia immaterialis sive incorporea, sive spiritus, *est substantia, quæ intrinsecè ex materia non componitur*, sive, *quæ est expers materiæ*, seu (à posteriori definiendo) *quæ est expers molis corporeæ*, quæ definitio melior est priori, si etiam materiam primam excludere velimus, ut infra dicam.

Quæris; *An substantia immaterialis, sicut est expers materiæ, ita etiam expers sit formæ?*

124. *Resp.* Materia & forma dicuntur πρός τι. Unde ubi una earum est, ibi est & altera, & ubi una non est, ibi nec est altera. Et neutra sola est sufficiens ad dandum esse. Materia enim secundum se est potentialis & illimitata. At esse quarumvis specierum est limitatum, oportet igitur ut præter materiam sit aliud quid *An substantia Spiritualis sit etiam.*

expers formæ?

intra rem, ad absolvendam speciem. Forma autem non constituit essentiam, nisi actuando materiam, ad quam naturalem potentiam habet. Vnde in constituendæ specie ipsa necessariò est in materia, tanquam in subjecto, in quo hæreat, & cui ipsa innitatur.

125. Atque ex his sequitur: 6 substantia spiritualis sit expers materiæ, quod etiam sit expers formæ. Est tamen id intelligendum de forma partis, quam vocant, hoc est, illa forma, quæ ut pars constituit rem. Si enim ut pars constituit. Ergo exigit aliam compartem, quæ non est alia, quàm materia, quæ abest à substantia spirituali.

126 Aliàs autem loquendo de forma totius, quam vocant, quæque nihil aliud est, quàm essentia rei, ea sine dubio reperitur in re immateriali. Et hæc non necessariò præexigit formam partis aut materiam, sed simpliciter adæquatur enti. Vnde sicut ens aliud est materiale, aliud immateriale. Ita eâdem proportione entitas, sive forma totius, alia emergit ex materia & forma, alia non.

PUNCTUM III.

De generalibus proprietatibus substantiæ immaterialis.

127. Sicut æterna per temporalia, ita immateriale per materiale cognoscimus. Atque ita generalia rerum spiritualium attributa colliguntur per remotionem eorum, quæ rebus materialibus conveniunt.

128. *Spiritus non sunt quanti.*

Igitur dico primò: *Substantiam spiritualem non esse quantam.* Ita patet, quia quantitas est adæquata proprietas materiæ. Vnde cùm hæc spirituali substantiæ non conveniat, utique nec eidem conveniet quantitas.

129. *Nec sunt circumscriptivè alicubi.*

Et hinc sequitur 2. *Substantias spirituales non esse alicubi per circumscriptionem, sive non esse in loco Physico.* Talis enim modus adessendi insequitur quantitatem, ut superiori libro visum est.

130. *Nec sunt physicè mobiles.*

Et hinc 3. sequitur: *Eas non mobiles esse motu Physico.* Hic enim motus præsupponit modum adessendi per circumscriptionem. Imò generatim loquendo de substantia spirituali, non est ullus motus ei tribuendus. In ista enim generalitate substantia spiritualis includit etiam Deum. Deus autem prorsus est immobilis, propter immensitatem essentiæ, quæ efficit, ut nullum ubi careat Dei præsentia. At motus localis acquirit ubi, antea non habitum. In aliis autem substantiis immaterialibus, Angelis nempe & anima, motus Physicus non est, sed alterius generis, ut in seqq. disputabo.

131. 4. *Substantia spiritualis est simplicior substantiâ corporeâ.* Ita patet, quia in hac reperitur compositio ex materia & forma, quæ ibi non est, ut particulatim attingam in speciali doctrina substantiarum immaterialium. Imò substantia spiritualis, ut sic, præscindit ab omni compositione. Est enim sub ea Deus, qui est Ens simplicissimum, & carens omni compositione. Aliæ autem substantiæ spirituales creatæ, compositæ quidem sunt ex genere et differentia, ex esse & essentia, ex natura et supposito, &c. Illâ tamen compositione ex materia et forma, hæ substantiæ carent, cùm et hæ et istæ in corporeis substantiis reperiantur.

PVNCTVM IV.

Quænam substantiæ in particulari sint immateriales?

132. Antè visum est, omnes formas esse immateriales et incorporeas, hoc est, expertes materiæ. Quod enim aliquæ dicuntur materiales, id non est inde, quasi ex materia et forma compositæ sint, sed propter necessariam dependentiam ad materiam, in qua esse postulant, adeò, ut extra eam subsistere non possint.

Nihil

Nihilominus non sunt omnes considerationis Metaphysicæ, sed solùm anima rationalis. Hæc enim cùm sit naturâ immortalis, ut infrà demonstro, utique & in materia, & extra eam esse potest. Aliæ autem formæ extra materiam esse non possunt. Unde & materiales dicuntur. Ad Metaphysicam pertinent ea, quæ à materia abstrahunt. Extra Metaphysicam autem relegantur, quæ non nisi in materia sunt. Atque ita, ex formis, sola anima rationalis est considerationis Metaphysicæ. 133

Materia prima est quidem expers materiæ & formæ, non tamen dicitur incorporea. Inprimis quia habet quantitatem sive molem corpoream. Unde hac de causa laudabam supra illam substantiæ immaterialis definitionem, qua ista definitur, esse substantia expers molis sive quantitatis. Et propter hanc molem materia prima simpliciter vocatur *corpus*, vel potius inchoamentum corporeitatis. Vi. de Zabarell. *l. 2. de prima mat. c. 19.* 134

Dimissa igitur materia, substantiæ immateriales porro sunt Deus & Angeli. Expertes enim sunt istæ substantiæ omnis materiæ, ut deinceps videbitur. 135

Atque ita summatim in Metaphysicis sub nomine substantiarum immaterialium de tribus agendum est, de Deo, Angelis, & anima rationali, quorum iste est spiritus infinitus, hi spiritus finiti.

CAPUT III.

DE DEO.

1. INter substantias immateriales prima est Deus.
2. Deus est spiritus infinitus.

COMMENTARIUS.

EIa nunc homuncio fuge paululùm occupationes tuas, absconde te modicam à tumultuosis cogitationibus tuis, pone onerosas cogitationes tuas. Vaca aliquantulum Deo, & requiesce aliquantulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ, & exclude omnia præter Deum, & clauso ostio, quære Deum. Dic nunc totum cor meum, dic nunc Deo: Quæro vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiro. Eja nunc ergo, tu Domine Deus meus, doce cor meum, ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inveniat. Ita hanc tractationem inchoare placet, verbis Anselmi 2. *proslog. c.* 1. 1.

Cæterum Dei doctrina consistit principaliter in tractatione, de

Dei nomine.
De Dei definitione.
De Dei attributis.
De Dei actibus.

Quibus, quasi loco proœmii, præmittenda sunt aliqua quæstiones.

TITULUS I.

DE QUÆSTIONIBUS PROOEMIALIBUS.

ARTICULUS I.

An Dei tractatio pertineat ad Metaphysicam?

IN hac quæstione primùm *proponendæ sunt objectiones & sententiæ variæ.* Deinde *sunt subjiciendæ conclusiones.* Et tandem *solvendæ objectiones.* 2.

PUNCTUM I.

De objectionibus & sententiis variis.

Opinio existimans, Deum prorsus non posse esse considerationis Metaphysicæ.

EX duplici opinione posset quæstio præsens negari.

1. Existimando, quòd tota de Deo doctrina pertineat ad Theologiam. Idque propterea, quia, si quæ sit Dei naturalis notitia, ea nihilominus in Scriptura contineatur. Ergo hæc in Theologia satis tradi potest. *Deinde*, si Deus in ulla parte Philosophiæ tractaretur, jam redigeretur sub idem genus cum rebus creatis, quæ aliàs in Philosophia tractantur. At finitum & infinitum non possunt in eodem genere convenire. *Tertiò* non apparet, quomodo *in Metaphys. de Deo* tractari possit. Nam si dicatur ibi de Deo tractari, ut de causa prima, sive per modum principii: Malè id dicitur. Nam ista ratio adæquata esse non potest, cùm in Metaphysicis agi soleat etiam de absolutis Dei attributis. Et si Deus esset principium in Metaphysicis, tùm subjectum Metaphysicæ non esset ens in universum, sed solùm ens creatum. Hujus enim solùm causa est Deus. Unde ens in universum & præcisè abstrahit à ratione creati & increati. Dimissâ autem consideratione ea, quæ de Deo habetur ut principio, non apparet, quomodo in Metaphysicis tractari possit, nisi ut specie subjecti. At repugnat Deo esse speciem. *Denique* quæ in scientiis Philosophicis tractantur, debent esse universalia. At Deus est aliquid singulare.

Opinio existimans de Deo esse specialem scientiam.

2. II. Existimari potest, Dei doctrinam peculiarem esse debere in Philosophia, separatam ab aliis scientiis, quæ dicatur *Theologia* vel *Theosophia naturalis*. Ita opinatur Pererius *lib. 1. de Phil. cap. 6. 7.* Et probat, quia non deberet Metaphysica descendere ad particulares rationes essendi, quia sic fiat illa disciplina particularis, & tollerentur per istiusmodi processum sive descensum omnes aliæ particulares disciplinæ.

PUNCTUM II.

In quo ponuntur assertiones.

3. *Theologica tractatio de Deo.*

HAc in re dico I. *De Deo non posse in sola Philosophia tractari. Et proinde aliquam illius tractationem pertinere ad Theologiam.* Ita patet, quia multa prædicantur de Deo, quæ non constant lumine naturali, sed solùm nota sunt ex revelatione, veluti sunt hæc, quòd Deus sit trinus in personis, quòd Pater ab æterno genuerit Filium. Item de processu Spiritus sancti, quòd Deus ab æterno decreverit redimere genus humanum per missionem Filii, quòd colligat Ecclesiam, & eam conservet, quòd gratiam suam per distincta Sacramenta conferat aut confirmet, & quæ sunt alia. Nihil autem in Philosophia tractari potest, ad quod lumen naturæ pertingere non possit. Atque ita pars aliqua doctrinæ de Deo transcendit universam Philosophiam, estque solius Theologiæ propria.

5. *Tractatio de Deo Philosophica.*

II. *Potest aliquid de Deo tradi in Philosophia.* Ita patet, quia Philosophia ad hoc data est, ut perficiatur naturalis nostra notitia. Unde quousque pertingit naturale lumen intellectus nostri, eousque oportet ut extendatur Philosophia, quæ perficiat notitiam istam, & eam juvet, ut rectè fiat, & minus sit erronea. Idque ex generali natura habituum. Habitus enim ad hoc ordinantur, ut per eos perficiantur naturales actus. Ergo scientiæ (quæ sunt species habituum) ad hoc ordinantur, ut per eas perficiatur nostrum naturale scire. At naturale cognoscimus aliquid de Deo, ut postea docebo. Oportet igitur ut de Deo etiam in Philosophia agatur, ut perficiatur id, quod in nobis, naturale est. Patérque adeò, ex hactenus datis propositionibus, doctrinam de Deo divisam esse, ad Philosophiam & Theologiam.

6.

Nunc porro videndum est: quænam scientia in specie tractare debeat de Deo.

Ubi

Vbi adverte Deum posse in Philosophia bifariam considerari. *Uno modo κατὰ μέρος*, & per modum principii. *Alio modo κατὰ πᾶν*, & juxta absoluta sua attributa. Ex his nunc dico:

Quanam scientia de Deo tractare debeat?

III. *Respectiva Dei consideratio, quâ cognoscitur ut principium, potest ad quasvis particulares disciplinas referri.* Quia enim omnes partes Philosophiæ agunt de Entibus, & verò Deus est universalis causa omnium rerum creatarum. Ideò in singulis disciplinis per modum principii de Deo agi potest. Ita in Physicis de Deo agitur, ut de primo motore, sive ut causa omnium rerum naturalium. In Ethicis, ut de causa Felicitatis. In Politicis, ut de causa Reipublicæ, & sic in aliis.

7. *De consideratione Dei respectiva.*

IV. *In Metaphysicis non potest solùm de Deo tractari respectivè, hoc est, per modum principii.* Ita rectè patuit initio hujus quæstionis. Nempe naturale lumen intellectus, multa absoluta attributa in Deo apprehendit. Oportet igitur ut in aliqua parte Philosophiæ istorum tractatio instituatur, quod non potest esse alibi, quàm in Metaphysica, ut postea videbo. Rectè etiam ibi inductum est, quod Metaphysicæ objectum tum solùm debeat continere ens creatum. Deus enim non est causa, nisi entis creati. At istud fieri non debet. Nam ante ens creatum intelligi potest communis ratio entis, prout præscindit à creato & increato, in qua latitudine dicitur, unum, verum, bonum, &c. quæ omnia dimitterentur ex Metaphysicis, si ens creatum ibi objectum esset. Ea enim sunt inadæquata ad ens creatum & latiora eo.

8

V. *Rectè tractatur in Metaphysicis de Deo absolutè.* Ita patet. Nam aliæ scientiæ isto modo non possunt agere de Deo. Ergo oportet ut in Metaphysicis sit. Consequentia firma est ex dictis ad secundam assertionem. Antecedens autem patet. Nam Physica non agit, nisi de corporibus naturalibus. Et Mathesis agit de sola quantitate. Aliæ autem disciplinæ sunt practicæ, neque diriguntur proximè ad cognoscendas naturas rerum. Ergo nulla illarum est, in qua de Deo absolutè tractari potest. Deinde idem patet, quòd Deus contineatur sub abstractione Metaphysicæ propria. Est enim Deus aliquid abstractum à materia. At abstractionis identitas vel diversitas optimè constituit & discernit disciplinas.

9. *Absoluta Dei doctrina.*

VI. *Temerè ex doctrina de Deo constituitur ab aliquibus specialis disciplina.* Ita patet, quia ejus rei nulla idonea causa dari potest. At disciplinæ non sunt multiplicandæ sine necessitate. Adæquata enim ratio discernendi scientias speculativas sumitur ex abstractione. Unde cùm & Deus, & Angeli, & transcendentia conveniant in eadem specie abstractionis, utique etiam in eadem disciplina doceri debent. Omnia enim ista sunt abstracta à materia secundùm rem & rationem.

10. *Non opus esse, ut specialis aliqua disciplina fiat de Deo.*

Solet *Objici*: Deum purius esse abstractum à materia, quàm sint alia, quæ in Metaphysicis docentur. Ergo eum non convenire simpliciter cum aliis in ratione abstractionis.

Resp. Satis esse ad unam scientiam pro Deo & aliis, si conveniant illa in abstractione simpliciter, ut maximè in particulari sit aliqua diversitas abstractionis, quoad gradum aliquem. Ita patet, quia aliàs ex Physica oporteret fieri tot disciplinas, quot sunt subdivisiones corporum. Nam abstractio Physica illa est, quâ res sunt abstractæ à materia signata sive singulari. At sine dubio purius & longius à materia signata abstracta sunt, quæ sunt magis universalia, ut corpus vivum, quàm minus universalia, ut Passer. Sicut igitur hæc diversitas in modo abstractionis non facit plures Physicas: ita nec ibi id fieri debet.

ARTICVLVS II.

An Deus naturaliter cognosci possit?

NOn quæro nunc de scientia visionis, aut quidditativa et comprehensiva, quas vocare solent (de quibus in sequent. agitur) sed de cognitione simpliciter. 17

PUNCTVM I.

In quo referuntur objectiones.

1 CItur Deum naturaliter cognosci non posse, videtur inde probari posse. Quod intellectus creatus est finitus. Deus autem est quid infinitum. Videtur ergo Deus improportionatum objectum intellectus creati. 18

II. Si naturaliter cognosci posset Deus, Gentiles non negassent Deum esse. At de Diogene meminit Cic. *lib.* 1. *de Nat. Deor.* quòd ille negarit esse Deum. Vide et Lactant. *lib.* 1. *c.* 3. et August. *l.* 3. *cont. lit. Petil. c.* 21. Idémque de aliis insipientibus dicitur. *Ps.* 14. *v.* 1. Imò generatim de Gentibus dicitur, quod ignorent Deum, 1. *Thess.* 4. *v.* 5.

Denique Patres frequentissimè aiunt: Deum superare omnem sensum et rationem, et quæ sunt his similia. Vide Dionys. *de Divin. Nom. c.* 7. Nazian. *Orat.* 2. *de Theol.*

PVNCTVM II.

In quo confirmatur, quòd Deus sit naturaliter cognoscibilis.

NIhilominus omnino dicendum est: *naturaliter posse aliquid cognosci de Deo.* Vbi prius explicandum est, quid intelligatur hic per naturale lumen, sive naturalem cognitionem. Igitur advertendum est: naturale posse bifariam sumi. 1. Vt opponitur ei, quod est ἐπίκτητον, sive acquisitum. Et hoc modo nobis non est naturalis, actualis cognitio Dei, ut facilè patet in infantibus. Deinde naturalis notitia, sive notitia ex lumine naturali, sumitur pro ea, quæ distinguitur contra lumen gratiæ, quam vocant, sive pro ea, quæ est ex speciali Spiritus sancti gratiosa illuminatione. Atque ita illa cognitio est naturalis et secundùm lumen naturale, ad quam intellectus noster satis est, et non eget speciali gratia sive spirituali illuminatione. Veluti ex lumine naturæ intellectus noster potest discurrere de rebus naturalibus, citra additamentum gratiæ spiritualis. At ex lumine naturæ, et ex puris naturalibus non possumus clamare ad Deum Abba pater. Ad quod indigemus lumine gratiæ ulterioris. 19 *Quomodo Dei notitia sit naturalis?*

Ad hunc modum igitur dico: Deum naturaliter cognosci posse quadantenus, hoc est, Deum qualitercunq; cognosci posse ab intellectu creato, speciali Spiritus S. gratiâ non illuminato. Patetq; id clarissimè per Scripturas, quia *Rom.* 1. *v.* 19. 20. 21. dicitur, quòd etiam Gentes cognoverint Dei potentiam, et Divinitatem, per visibilia. In Gentibus autem non supponit quicquam præter naturale lumen intellectus. Egregiè ad hanc rem loquitur *Augustinus* serm. 143. de Tempore. *Sapientes Gentium, quos Philosophos dicunt, scrutati naturam, de operibus artificem cognoverunt. Prophetam Dei non audierunt, Legem Dei non acceperunt, sed eis Deus quodammodo sciens de ipsis mundi operibus loquebatur & ad eos, ad quærendum rerum artificem mundi species invitabat. Nec potuerunt in animum inducere, cœlum & terram sine Autore constare. De his B. Paulus* (Rom. 1.) *ita loquitur:* Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem. *Quid est super omnem? Non solùm super Judæos qui Dei legem acceperunt, & legis Datorem offenderunt, verùm etiam super impietatem Gentium revelatur ira Dei de cœlo. Et ne quisquam diceret: Quare? cùm ipsi legem non acceperint, secutus adjunxit,* et in injustitia veritatem Dei detinent. *Jam tu responde. Quam veritatem? Non enim acceperunt legem, non audierunt Prophetam.* 20

Audi,

Audi, quam veritatem. Quoniam quod notum est, inquit, Dei, manifestum est illis. *unde manifestum? Per visibilia ejus*, inquit, *à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur. Illa per hæc intellecta conspiciuntur*, &c. Et postea: *Cognoscentes Deum non sicut Deum glorificarunt. Non dicit: nescientes Deum, sed* cognoscentes Deum. *unde cognoscimus? Ex his quæ fecit. Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem diffusi & dilatati aëris, interroga pulchritudinem cœli, interroga ordinem siderum*, & quæ elegantur sequuntur. Et hæc majoris facio, utpote ex textu Pauli clarissimè fluentia, quàm ista *Ostrodi*, quæ contra notitiam naturalem iste garrit, *c. 6. nu. 6. suarum Inst.* quæ spec, alius refutanda Theologis relinquo. Alia argumenta hîc addere nolo. Patebitque inox veritas ex actualibus probationibus, quibus ex natura conficitur Deum esse. De quibus erit articulo quarto.

PUNCTUM III.

In quo solvuntur objectiones.

21. *Cognitio Dei non est comprehensiva.*

AD *primum argumentum* Respondeo. I. Aliud est loqui de notitia Dei simpliciter, & aliud, de notitia Dei comprehensiva, quam vocant. Estque ista, qua totum & omne, quod ad Dei essentiam & perfectionem pertinet, adæquatè comprehenditur intelligendo. Et hæc nulli intellectui creato est possibilis, propter infinitatem Dei & finitatem intellectus creati. Neque de tali modo cognoscendi mihi nunc sermo est. Sed satis est mihi, si Deus cognoscatur, quomodocunque tandem id fit. At certè multa sunt, juxta quæ cognosci possit Deus, ab intellectu finito, veluti intuendo effectus Dei, ordinem rerum in mundo, removendo à Deo imperfectiones nostras, & quæ sunt alia.

22. *Infinitas Dei non facit, ut non cognoscatur Deus.*

II. Respondeo: Deducendo ad absurdum. Si finitas intellectus & infinitas Dei simpliciter & præcisè facerent, quo minus Deus cognosci possit naturaliter. Ergo ne quidem per lumen gratiæ cognosci posset, quomodo periret tota Theologia. Si enim nihil de Deo cognoscere possemus, quorsum ista traderetur. Consequentia firma est, quia lumen gratiæ non facit vel Deum finitum, vel intellectum creatum infinitum. Ergo & ibi est disproportio, qualis est inter finitum & infinitum.

23. *Ad secundum Resp.* Negando consequentiam. Si naturaliter cognosci posset Deus, Gentes eum non negassent. Negatio enim ista est solum particularis aliquorum Gentilium. At quæ naturaliter nota sunt, hoc est, citra adjumentum specialis gratiæ, non propterea apud omnes debent habere assensum. Naturaliter isto modo loquendi, notum est, dari quatuor elementa, & tres figuras syllogismorum, neque ad hoc opus est spirituali illuminatione. Et tamen non omnes consentiunt in hoc, inducti vel præjudiis vel peregrinis principiis vel alia causa.

Ad dictum Psalmi 14.

Id autem satis indicat, Deum naturaliter cognosci posse, quia si non omnes, aliqui tamen Gentiles Deum cognoverunt. In istis enim non supponitur ad talem notitiam quicquam præter lumen naturale intellectus. Ex quibus etiam ad dictum Psalmi patet responsio; quanquam id dictum etiam, non tam de scientia (de qua nunc sermo est) quam de vita insipientium loquitur, quam isti talem gerunt, ac si non sit Deus.

Ad dictum 2. Thess. 4.

Ad dictum *ex Epist. ad Thess.* Resp. 1. Scripturam Scripturæ non contrariari. At ista diserte dicit *Rom. 1.* (ut ante retuli) Gentes *cognoscere* veritatem Dei. *Ignoratio* igitur Dei, Gentibus tribuitur bifariam. 1. quia non est talis qualis illa notitia istis utilis. 2. quia non est plena. *Neque enim norunt Deum, ut Patrem, Filium & Spiritum, sicut Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Et sic utrobique ista cognitio reputatur pro nulla.

Dicta Patrum autem loquuntur de notitia comprehensiva, quæ non solum non

non cadit in intellectum creatum prout est in purè naturalibus, sed nec ut est gratiosè illuminatus, ut mox dicam.

ARTICVLVS III.

Quomodo Deus cognoscatur?

HAc in re dico 1. *Deum non posse cognosci quidditativè.* Ut id rectè intelligamus distingui oportet. Igitur quidditativa cognitio bifariam sumi potest. 1. Quidditativa cognitio dicitur, qua cognoscimus quid res sit, quod sit, cùm cognoscimus aliquod prædicatum, quod in quid est de re dicitur. Et hoc modo cognoscitur Deus quidditativè. Cum enim Deum dicimus esse spiritum v.g. omnino spiritus in quid est de Deo prædicatur. Ergo sic ista est cognitio quidditativa. Aliter cognitio quidditativa illa dicitur, qua apprehendimus omnia quidditativa prædicata rei alicujus positivo & proprio conceptu. Et hoc modo Deus non potest quidditativè cognosci. Ita patet, quia omnis nostra de Deo cognitio inchoatur ex ejus effectibus. At nullus est effectus adæquatè ipsum repræsentans. Est enim contra rationem infiniti, ut sint plura infinita. Nobis igitur non potest notum esse illud ultimum, per quod ultimò Deus sit Deus. Confer Thom. 1. p. q. 38. & 3. *contra gent.* c. 45. 24. *Deum non posse quidditativè cognosci.*

11. *Deus non potest cognosci cognitione comprehensiva.* Solum nunc loquor de cognitione qualis est intellectus creati. Deum enim seipsum cognoscere posse, dubium non est. Unde & hoc sensu vulgo dicitur: *Deus sibi ipsi finitus*, quatenus scilicet essentia ejus, non excidit intellectum Dei proprium. Loquendo autem de intellectu humano, Deus dicitur incomprehensibilis: ἀκατάληπτον vocat Damasc. l. 1. *de orth. fid.* c. 1: Et concordat Scriptura, docens, quòd Deus inhabitet lucem inaccessibilem. 25. *Deus comprehensivè cognosci non potest.*

Igitur cognitio comprehensiva dicitur illa, qua totum id, quod est in intelligibili, cognitum est per intellectum, tam quoad quidditativa, quàm quoad attributa alia. Sumptáque est Metaphora à comprehensione corporali, ubi corporaliter quid comprehendi dicitur, cujus tota quantitas continetur intra rem aliquam, ut nihil de quantitate illius sit extra complexum comprehendentis. *Cognitio comprehensiva quid?*

Igitur nunc patet, Dei non posse esse comprehensivam cognitionem. *Primo*, quia hæc quidditativam implicat. At illa de Deo esse non potest per prius dicta. *Deinde*, Deus est infinitus. At quilibet creatus intellectus est finitus, hoc ipso quia est creatus, unde non minus comprehendere potest totum id quod est Deus: ac finitum corpus potest comprehendere, sive complexu suo continere, quod infinitum esset. 26.

Modus Deum cognoscendi est triplex.

EX his relinquitur, quòd cognitio Dei solum sit qualis qualis, quam habemus de eo, contingitque ista his tribus modis. 1. Cognoscimus Deum *negativè*, removendo ab illo imperfectiones nostras, veluti cum dicimus, Deum esse infinitum, incorporeum, invisibilem, incircumscriptum, *&c.* Ubi tamen non dico, quod nulla Dei cognitio affirmata sit. Unde Scotus 1. *d.* 3. *q.* 1. ait: implicari contradictionem, aliquid cognosci solum negativè, quia negatio non cognoscatur nisi per affirmationem, quod Aristoteles docet 2. *de Interp. &* 4. *Met.* c. 2. *&* 16. Et hoc inprimis verum est de istis negationibus, quæ necessario insunt. Negationes inquam, sunt duorum generum. Alia negatio necessario inest, quia ejus oppositum sibi repugnat, ut negatio asini verè inest homini. Negatio alia contingenter inest. Talis est negatio albi in homine, quæ ei contingenter inest, quia album esse, homini non repugnat. Attingit hanc negationum diversitatem, etiam Fonseca *lib.* 5. *Met.* c. 8 *q.* 6. *f.* 5. Atque ex his negatio illa, quæ necessaria inest, cognoscitur per aliquam affirmationem, sive Entitatem positivam. Veluti homini convenit negatio asini, quia repugnat ei asinitas. Hæc negatio inest per oppositam Entitatem, hoc est, per rationalitatem, quæ est quid positivum in homine. Sic igitur in præsenti, si cognosco Deum non esse lapidem, quæ negatio necessario inest Deo, oportet ut cognoscatur aliquid 27. 1. *Deus negativè cognoscitur.* *Negationes duorum generum.*

positivum, cui formaliter repugnet affirmatio opposita negationi lapidis. Puta, quia cognosco Deum esse Spiritum, cui repugnat esse corpus, ideo statim in specie cognosco per hoc affirmatum (Spiritus) Deum non esse lapidem. Vide Leuchettum 1 *d.* 3. *q.* 1. *ad Scotum.* Apparetque adeò, non repugnare, si cognoscatur Deus per terminos positivos, magisque id manifestum erit ex seqq.

28. *Melior est cognitio Dei negativa quàm positiva.*

Cæterùm ex his cognitio illa, quæ est per terminos negativos, melior est illâ, quæ est per terminos positivos, ut tradit Dionys. *de mystic. Theol. cap.* 1. *& 2. de cæl. Hierarch.* Et August. *tract.* 23. *in Joh. & in Psalm.* 85. Cujus rei hæc ratio est, quia in propositione negata, non solùm negatio vera est, sed etiam adæquatè & distinctè cognoscimus prædicatum aliquod, quod de Deo negamus, eò quod est quid creatum, veluti cùm dicimus Deum esse incorporeum, vel non esse corpus. In propositione autem affirmativa licèt affirmatio vera sit, tamen prædicatum prout id in Deo esse cognoscimus, non cognoscimus distinctè & adæquatè, sed confusè, & veluti in communi. Cùm enim dicimus Deum esse sapientem, tribuimus Deo quandam perfectionem correspondentem illi creaturarum perfectioni, quâ hæ sapientes dicuntur. Inter hanc tamen & istam est infinita distantia. Vide Valentiam *tom.* 1. *in Thom. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1.

29. II. *Deus cognoscitur viâ eminentiæ.*

II. Cognoscimus Deum *viâ eminentiæ.* Quia enim à Deo removemus imperfectiones nostras, juxta jam dicta, & tamen oportet ut is etiam habeat suas perfectiones, relinquitur, quòd Deus eminentiores habeat. Ita cùm nobis conveniat Bonitas sed imperfecta, oportet, ut cùm Deo bonitas tribuitur, sit ea eminentior nostra. Et sic in aliis. Huic pertinet, cùm Deus *ens per se* & vocatur, & quæ sunt huic similia. Estque ratio hujus eminentiæ inde evidens: Quia Deus est causa rerum æquivoca. In æquivoca autem causa oportet eminenter præexistere perfectiones causati, ut vulgò constat, & priori libro demonstratum est.

30. III. *Cognoscitur Deus ex actibus suis.*

III. Cognoscitur Deus *per operationes suas.* Sicut enim alias operationes indicant essentiam: Ita etiam operationes divinæ docent nos de essentia divina. Nempe videmus in subordinatione causarum efficientium non posse esse progressum in infinitum. Cùm igitur hoc ab illo & illud ab alio moveatur, ad sistendum istum progressum, oportet, ut deveniatur ad aliquod primum movens. Et sic Deum vocamus primum Motorem. Iterum cùm in creaturis sit esse defectibile, quod indiget conservatione extrinseca, hinc Deum apprehendimus, ut conservatorem. *Et sic in aliis.*

ARTICULUS. IV.

Probans Deum esse.

31. ANtequam porrò provehar, probandum est *Deum* esse. Quæstio n. an sit, prior est quæstione quid. Unde & ipsa inter præcognitiones recenseatur ab Arist. 1. *post. c.* 1. Igitur Diagoræ tribuitur opinio, negans, quòd sit Deus, ut prius *Num.* 18. ex Cic. & August. retuli. Protagoras Abderites dubitat, apud Laërt. *lib.* 9. Item Selius apud Martial. *lib.* 4. *Epigram.* Alios mitto.

32. Nihilominus esse Deum: Primò certum est per revelationem. Scripturæ enim undique testantur ea de re. Idem etiam probari posse ex naturalibus inde clarum est: Quia, ut superiùs confirmatum est, potest aliquid naturaliter de Deo cognosci. At hæc est prima de unaquaque re notitia, rem esse. Unde nisi gentiles cognovissent esse Deum, nulla fuisset eorum de Deo notitia. Nunc igitur id actualiter ex natura probandum est, esse Deum.

33. Id tamen prius dicendum est, quid nempe, confusè saltem, intelligatur sub voce Dei. Is ergo conceptus confusus de Deo optimus est iste, quo apprehendimus sub voce Dei nobilissimum quoddam Ens, quod & reliqua omnia superat, & à quo tanquam primo Authore omnia reliqua pendent, quod proinde ut supremum numen colendum sit, & venerandum. Vide Suarez *disp.* 29. *Metaph. s.* 2. *n.* 5. Possunt tamen & alii conceptus esse, sub quibus confusè apprehendatur Deus, ut in seqq. patebit. Tale igitur Ens dari, nunc probandum est,

PRO-

PROBATIO I.

A subordinatione causarum, in eâque evitando processu in infinitum.

34. IN causis per se subordinatis non potest dari processus in infinitum. Ergo devenitur tandem ad aliquam causam, quæ non dependeat ab alia. At hoc ipsum est Deus. Sub voce enim Dei apprehendimus supremam rerum causam, quæ independenter ab aliis causet.

Causæ per se subordinatæ quid sint?

Vt de vi argumenti constet, oportet prius declarare, quid per causas per se subordinatas intelligatur, Igitur causæ *per se subordinatæ* dicuntur, quarum in agendo una ab altera dependet, quarumque superior complet defectum agendi, qui est in inferiori. *Per accidens* autem *subordinatæ* sunt, quæ istam in agendo dependentiam non habent, sed solùm in fieri suo, quomodo nepos ab ave dependet, & sic in aliis.

35. *Causarum per se subordinatarum tres conditiones.*

Scotus *lib. 1. d. 2.* Tres conditiones ponit causarum subordinatarum per se. I. In causis essentialiter & per se subordinatis, causa secunda, in quantum causat, dependet à prima, sic ut primâ non agente, secunda agere non possit. Id non est in causis accidentaliter ordinatis. Nam esti in his, v. g. Johannes à Francisco dependeat, quoad generari, non tamen dependet ab eo in operari. Quia Francisco mortuo, adhuc Johannes potest generare, vel alios actus exercere.

II. In essentialiter ordinatis causalitas est alterius rationis & ordinis, quia superior est perfectior essentialiter & quidditativè. In accidentaliter autem ordinatis id non est. Est enim impossibile, inter individua ejusdem speciei, esse talem essentialem subordinationem. Quomodo & Arist. *lib. 3. Met. c. 11.* ait: in individuis ejusdem speciei, non est unum alio prius essentialiter. Atque ita causæ essentialiter subordinatæ, oportet, ut sint diversæ speciei.

Cæterùm diversitas ordinis in eo consistit, de quo dixi, quòd scilicet superior, in alio ordine causandi causat, puta quia causat, respectu secundæ, independenter, & est movens non mota. Inferior autem causat dependenter, & movet in quantum movetur à prima.

36. III. Conditio est, quòd causæ essentialiter ordinatæ omnes, simul concurrunt necessariò ad operandum, hoc sensu, quòd inferior non possit concurrere ad effectum, non concurrente superiore, cùm alias superior utique agere possit, non adhibitâ causâ secundâ. Confer de his Leuchettum ad Scotum *d. l.* & Fons. *l. 2. Met. c. 2. q. 1. s. 2.*

37. His præmissis, probatur, in talibus causis non posse dari processum in infinitum. Solent autem ad hoc varia argumenta fieri. Pauca seligam.

38. Superior causa in essentialiter subordinatis est perfectior causa inferiori. Ergo in infinitum superior erit in infinitum perfectior: Et sic infinitæ perfectionis in causando. Ergo & independens erit ab alia causa porro movente. Dependere enim ab alio in causando est ob imperfectionem, cùm id sit ad supplendam virtutem agentis. Vnde relinquitur simpliciter, cum infinita perfectione in causando, pugnare dependentiam ad aliam causam. Causa autem, quæ aliunde non dependeat non est alia quàm Deus.

Secundò: Omnis ordo fit per prius & posterius. Ergo subordinatio essentialis fit secundùm prioritatem & posterioritatem essentialem. Rursus omne prius dicitur per appropinquationem ad aliquod primum, ut Aristot. docet, 5. *Metaph. c. 16.* Ergo ubicunque datur ordo, & sic unum alio prius est, ibi oportet dari primum. E. in ordine etiam causarum datur aliqua prima causa, quod est contra istum in infinitum processum. *Alia mitto.*

PROBATIO II.

Ex ordine & constitutione Mundi.

39. INprimis certum est, Mundum ex contrariis constare. Sunt in eo calida & frigida, humida & sicca, venenosa, aliaque quæ ex naturali propensione ad invicem agunt, ut unum aliud corrumpat. Cùm igitur videmus, ista omnia permanere, oportet, ut sit sapientissima quædam mens, quæ ita disposuerit omnia, ut unumquodque in suo esse perseverare possit.

40. Rursus videmus res brutas & inanimatas efficacissimas habere propensiones ad conservandam unitatem Mundi, & eo fine etiam cum sui detrimento loca naturalia deserere, quod vel solius aquæ exemplum ostendit, quæ cùm naturâ gravis sit, ex natura sua non est nisi ad descendendum proclivis, & proinde ex particulari vel privata natura aquæ loquendo, adscensio ei innaturalis est & detrimentosa, & tamen si fistula v.g. sive arundo applicetur ad superficiem aquæ, & inde attractione evacuetur ista fistula ab aëre, illicò subit & adscendit aqua. Oportet igitur esse aliquod principium, quod provideat unitati & saluti totius universi, ad quod etiam res in mundo deservire oporteat ultra & contra naturales suas propensiones. At hoc ipsum Deum vocamus.

41. Iterum videmus: unam rem deservire ad bonum particulare alterius. Elementa intrant herbas & arbores, & nutriunt eas ac fructus earum. Istæ porro herbæ fiunt nutrimentum variarum bestiarum. Variæ autem bestiæ fiunt cibi hominum. Sic & cœlestia corpora horum omnium saluti prospiciunt, impertiendo calorem, & lumen, & occultè influendo. Quia ergo unum tendit ad aliud, unum aliud sustinet, omnia se mutuò juvant, inferioráq; superioribus deserviunt, & sic faciunt ordinatissimum quoddam systema, oportet ut sit quoddam commune principium ordinans omnia, & dirigens omnia. Vide Raymund. de Sabunde *in Theol. Nat. tit.* 4 & adde August. *l.* 11. *de Civ. c.* 4. & *serm.* 143. *de Temp.* Gregor. *lib.* 26. *Morale c.* 8. Damasc. *lib.* 1. *de orth. fid. c.* 3. & Thom. *l.* 1. *contra gentes. c.* 13. Bernhard. *in Cant. serm. pag.* 662. Justin. *tom.* 3. *ad q. Græcanicam* 6 *f.* 170.

42. Deniq; videmus sæpissimè in natura contingere miracula, ut patrentur sæpissimè talia, quæ omnem finitam naturam excedunt, & proinde non nisi ab infinita virtute provenire possunt, quale est quòd cæcis natis, visus redditus est, quod mortui sunt resuscitati, & quæ sunt his similia. Item quòd actus naturales quandoque derogantur causis naturalibus: Veluti, quòd ignis aliquando non ussit materiam naturâ suâ ustilem, & quæ sunt alia etiam inter gentes notissima. Et hæc quidem, circa causas naturales, & earum actus, miracula indicant clarissimè, quòd aliqua eminentioris perfectionis causa sit, in cujus regimine & dominio sint tales causæ. At eam ipsam nos Deum vocamus.

PROBATIO III.

Ex natura & conditione hominum.

43. POtest hoc genus probationis etiam variè deduci. Igitur, 1. sæpissimè experimur, in patratione facinorum, conscientiam quàm maximè anxiam esse, sibique de pœna talium facinorum metuere.

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro meritis, spemque metumque suis.

Hoc judicium conscientiæ indicat, etiam in potentissimis principibus esse alterum, istiusmodi flagitiorum, vindicem. At is non est, nisi Deus.

44. Iterum ad hanc rem facit universalis omnium populorum consensus, ad colendum Deum. Nulla enim gens est, quæ non sua quædam sacra habeat, utut cùm multis erroribus ea contaminata sint, quibus Deum colere velint. At ea quæ universalissimè dicuntur et fiunt, non possunt non esse, nisi ex lumine notitiæ naturalis, quicquid sit de particularibus erroribus, quos scriptura notavit, *Rom.* 1.

cùm

cùm ait: Deum quidem à Gentibus cognitum, eundem tamen glorificatum non esse, ut oportebat. Alia ex hujus generis, et quæ aliunde formari possent, dimitto lubens. Vide et Lombard. *l.1.d.3.* Et sententiarios *ibid.* Nunc paulò propius ad rem venio.

TITULUS II.
DE NOMINE DEI.

ARTICULUS I.
De nomine Hebræo Dei.

HEbræo nomine Deus potissimùm dicitur *Jehovah*, nomine sumpto ab *Hajàh* vel *Havàh* ab essendo. Illæ enim voces idem sunt, quod *fuit*. Estq; ratio appellationis inde, quòd principalissimè Deo conveniat ipsum esse, quo sensu Aug. *lib. 8. de Civit. dei, cap. 11.* Deus solus, inquit, essentiæ nomen verè habet. Vide et *lib. 7. Conf. c. 11.* Et sic *Exod. 3. v. 14.* Deus circumloquitur nomen suum per esse: Moses enim debebat dicere: *Ero, qui ero,* (hoc est, Deus, Jehovah) *misit me.* Ubi LXX. Interp. aiunt ὁ ὤν, *ille qui est,* misit me. Unde et Justin. existimat, *in Orat. ad Gent. Tom. 2. fol. 61.* Platonem, masculino in neutrum mutato, τὸ ὄν dixisse. Vide et *Apoc. 1. v. 4.* Junius in Irenico vertit αὐτοῦν substitutivè sig. 41

Cùmq; adeò eminentissimo modo, conveniat Deo ipsum esse, patet hoc nomen quàm maximè accommodatum esse, sicut et specialiter ei appropriatur, *Exod. 15. v. 3. & Ps. 83. v. ult.* et *Esa. 42. v. 8.* Nec uspiam alii rei id nomen in Scripturis tribuitur, præterquam soli Deo, quod in aliis Dei nominibus non est. Sed hæc Theologis relinquo.

ARTICULUS II.
De voce Græca Θεὸς & aliis.

IN Græca lingua Deus vocatur Θεός. Sùntque istius nominis variæ Etymologiæ, quæ apud Autores occurrunt. Damasc. *l. 1. de orth. fid. c. 12.* Tres notationes tradit. Θεὸς, inquit, dicitur, vel à θεῖν, hoc est, currere et disponere universa: vel ab αἴθειν, hoc est, urere: Deus enim ignis est consumens omnem malitiam: vel etiam à θεᾶσθαι, hoc est, ab intuendo. Nihil enim cum latere potest, qui omnium inspector est. Quam notat onem et Nyssenus approbat, in *lib. ad Labium.* 46. Θεὸς unde dicitur?

Sic et Plato ἐκ τοῦ θεῖν derivat *in Cratyl.* ut Euseb. meminit *l. 13. de Præpar.* Id Latinè recitat Pererius *l. 15. Phys. ad 20. Argumentū Procli. p. 815.* φαίνονται μοι, inquit, οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν ἑλλάδα, τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ἅπερ οὖν πολλοὶ τῶν βαρβάρων ἥλιον καὶ σελήνην καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν. Ἅτε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ, καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ὀνομάσαι, hoc est. *Videntur mihi primi homines in Græcia, eos solùm Deos existimasse, quos nunc multi barbarorum* (Deos esse existimant) *solem, lunam, terram, astra, cælum. Hæc igitur videntes perpetuò currentia, ob illa currendi naturā, θεοὺς tanquam cursores nominâsse.* Vide et Scal. *exer. 365. s. 4.* et Theod *l. 3. ad Græcos.*

Fortassè hæ non tam notationes sunt, quàm alluſiones. Neq; necesse est omnium nominum notationes dare. Multa enim sunt primitiva. De quo vide Isid. *l. 1. c. 26.*

In Scripturis vocatur ὁ Θεὸς, ad insinuandam emphasin, quod facit Articulus.

Appellationes Dei apud Ethnicos.

SCriptores Ethnici, nominant Θεὸν frequenter cum hoc Epitheto, ut dicant πατέρα ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Familiarissimum etiam iis nomen est, τὸν Διὰ, Jovis: Et Jovis quidem nomen putatur sumptum ex Hebræo Jehova, vel Jova. Dicitúrque ab eis Jupiter, quasi juvans pater: Ζεὺς autem in recto casu vocatur ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod ipsi excellentissimè conveniat vivere, et ipse omnia vivificet. Vel etiam ἀπὸ τοῦ ζέω ferveo, ut visum Scal. *Exer. 365. s. 4.* Sicut Græcum Θεὸς ἐκ τοῦ αἴθειν ab urendo. Jupiter Ζεὺς

do dicebatur: Vel etiam, ut aliquibus videtur, ζεὺς dicitur, ex Æolico Δεὺς eam quam à δίνω, quod rigare significat. Deus enim est, qui rigat omnia.

48 *Gentilia Dei nomina non sunt usurpanda.*

Quanquam autem ratio appellationis sub nomine Jovis & similibus sat congruat vero Deo, non vult tamen Deus se à suo populo istis nominibus vocari, in odium & detestationem idololatriæ, sub talibus nominibus factæ. Ut maiè faciant illi, qui jurantes, aiunt per Jovem, aut, quoties scribunt carmen, ornare (ita opinantur) cupiunt carmen, mentione & invocatione Deorum Gentilium. Vide Clariss. Winckelmannum *in Oseam, cap. 2. p. 34. & 38.*

Nec valet hic exceptio eorum, qui aiunt se sub his nominibus intelligere verum Deum in quantum & ipse juvans pater est. Nam inprimis valdè spectatum est nomen *Baal*, quod significat Dominum & adjutorem. Et non vult tamen Deus vocari *Baal*, in odium, ut dixi, idololatriæ, postquam is aliis se nominibus revelavit. Ose. 2. v. 16. 17. *Non vocabunt me ultra Baalim. Auferam nomina Baalim de ore eorum, & nec recordabuntur ultra nominis eorum.*

ARTICULUS III.
De voce Germanica Gott.

49 VEnio ad Germanicam linguam, in qua Deus vocatur *Gott*, quasi *Gut*, nempe à benefaciendo, & eminentissimâ bonitate ac perfectione. Plato cum definivit, quòd sit Autor boni in natura, indicans inter principalissima Dei attributa esse hoc, quod est benefacere, unde & non immeritò denominari debeat.

ARTICULUS IV.
De voce Latina, Deus.

50. *Deus unde dictus?*

IN Latina lingua usurpatur nomen *Deus*. Hujus igitur vocis similiter variæ sunt derivationes. 1. Aliquibus placet derivatio ex Græca voce θεὸς, quam inter alias tradit etiam Valentia, *Tom. 1. disp. 1. q. 2. punct. 1.* Displicet hæc derivatio aliis, quia Græci habent θ. Latini D. Sed ista μετάβολὴ literarum in derivationibus frequens est, præsertim si fiat in literas cognatæ potestatis. Ex Græco ἔπος derivatur nomen (non pbama, sed) fama, & sic in aliis. Sic & ex Græco ἡμίθεος, Latinè dicitur semideus, ubi sat clarè transit θ. Græcum in D. Latinum. Unde non incongrua mihi videtur ista derivatio, quanquam nec aliàs improbem. Vnius enim nominis variæ dari possunt.

51. II. Alii eam vocem derivant ex Græco δέος *Timor*, tanquam sit res aliqua, cui maximè debeatur timor. Et certè in gentilibus, timor in conscientia, de admissis facinoribus, non videtur postremum fuisse agnoscendi numinis argumentum, congruit huic celebre hemistichion.

Primus in orbe Deos, fecit timor.

52. III. Junio ad Bellar. *l. 2. c. 16.* placet, quòd vox Deus in lingua Latina manârit ex Græca, nempe ex voce Δεὺς, quòd Æolicum est, pro ζεὺς, atq; ita Græcis Deum sive Jovem significet. Ubi porrò addit, utrumq; sumptum esse ex Hebræo nomine *Dii* (quæ *quarta* est vocis derivatio) quod idem est ac sufficiens. *Deus* certè est Ens αὐτάρκες, & sibi ipsi sufficientissimum. Putatúrq; inde etiam sumptum esse aliud Dei Epitheton, quo dicitur *Sebaddai*. Congruitq; huic notationi etiam *quinta* illa, quam Valentia tradit ubi suprà, quòd Deus dicatur, *quasi ei nihil desit.*

53. Zanchio *in lib. de trib. Elohim* ista Hebræa derivatio videtur nimis coacta. *Quasi* inquit, *Latini spectârint hanc radicem Hebræam.* At inprimis novum non est, unius linguæ vocabula ex alia lingua transsumi. Quod si in singulis non videntur tradi justæ notationes, saltem allusiones sunto. Explicant certè Etymologiæ istæ varia Dei attributa & quomodolibet naturam Dei. Sed de Etymologiis istis hactenus satis sit. Id antequam provehar, inquirendum est quale sit nomen Dei.

ARTI-

ARTICULUS. V.

An vox Deus, sit nomen essentiæ an officii?

54. Quæritur est hac de re inter veteres Theologos & Philosophos. Estque eadem quæstio renovata à Photinianis, qui ajunt vocem Dei significare non essentiam, sed dignitatem solùm & officium. Ita docent Transsylvani *lib. 2. cap. 6. apud.* Bellar. *lib. 1. de Christo, c. 16.* Et in simili Osiorodus, *in Instit. sua, c. 10.* Is igitur vocem Dei ait significare nihil aliud, quàm dominatorem & gubernatorem. Unde cùm pluribus conveniat, esse dominatorem, & gubernatorem, ait citra æquivocationem & propriè posse dici multos Deos, & solùm per excellentiam dici unum Deum, & eum solum esse Deum. Unus est Deus, *das ist*, inquit ille, *er vorstnur allein ein einiger aller ding Herscher und Regierer, welcher keinen over sich hat, oder der ihm durchaus in allem gleich were.* Probátque inde, quia vocatur Deus Deorum, hoc est, Dominator dominans etiam dominatoribus aliis, quam phrasin indicat non sustinere posse, si Deus dicatur esse nomen naturæ non essentiæ.

Accedit 11. pro eadem opinione, quod, ut priùs ex Damasceno retuli, Deus dicitur ἐκ τῆ θεᾶσθαι καὶ τῆ θεειν, à providendo, quæ certè primò officium significant, non naturam.

55. Nihilominus apud Philosophos & Theologos receptum est, vocem Dei esse nomen essentiæ divinæ, sicut & vox *Jehova* in lingua sancta. Significátque per utrumque, illud Ens, quod eminentissimam habeat essentiam, omni modo independentem. Vbi tamen non dissitear, posse eam à posteriori circumscribi, per nomina dominandi, gubernandi, &c. *Decisio.*

Vnde porrò sequitur, quod, juxta sententiam Ecclesiæ, cùm quid Deus dicitur, quod non nisi creatum est, id non dicatur Deus, nisi æquivoce & non prædicetur vox Dei, de rebus creatis, & increata, secundum unam significationem, reservata solùm Deo eminentia in hoc prædicato, quale quid est, cùm de Deo & rebus creatis prædicamus bonitatem aut justitiam, Ambros. *l. 2. de fid. c. 3.* diserte ait: quod Deus sit vocabulum Naturæ.

Patétque veritas hujus sententiæ amplius inde, quod si vox Dei haberet significationem officii, tùm *Jehova* non habuisset ab æterno hoc nomen, quo dicitur *Deus*. Ab æterno enim non convenit Deo, esse Dominatorem & Gubernatorem. Sunt enim hi actus ad extra, dicuntque respectum ad creaturas, quæ non fuerunt ante conditum mundum: Incerum nihil absurdi est, si aliquando vox Dei sumatur, ut nomen officii.

56. Ad istum autem modum loquendi quo dicitur *Deus Deorum*, Respondeo: istam phrasin non interre necessariò, quòd vox Dei sit nomen officii. Potest enim id exponi bifariam. Primò: valde frequens est, in omnibus linguis: Istam substantivorum complicationem, significare Eminentiam & Excellentiam. Ita dicitur Schir Schirim, *canticum canticorum*, pro excellentissimo cantico. Sic ὄν ὄντων dicitur, pro subl. missimo ente. Legica dicitur ars artium & scientia scientiarum, hoc est, excellentissima ars & scientia, ut interpretantur Colonienses *in Hilpanum, tract. 1. concl. Log. fol. 11.* ubi & à nobis insinuatam regulam tradunt, hanc: *Genitivus pluralis, reflexus super suum nominativum singularem importat excellentiam.* Hic nullum illorum vocabulorum, dicitur respectivè. Ad hunc igitur sensum, cùm vox Dei soleat applicari rebus variis, Jehova vocatur Deus Deorum, hoc est. Excellentissimum quid inter omnia alia, quæ sortiuntur nomen Dei. Sic & Lutherus *Psal. 84.* Deus Deorum vertit *der Rechte Gott.* Hactenus igitur vox Dei sine incommodo in tali modo loquendi potest intelligi per modum essentiæ. *Quomodo Deus dicatur Deus Deorum.*

Alter Justinus *in Dialcum Tryph. fol. 102.* Sub voce *Deorum* (*cùm Deus Deorum* dicitur) intelligit Deos gentiles, hoc est, Solem & Lunam & alia, quæ pro Diis gentilibus culta sunt. Et juxta hanc expositionem, vox *Deus* respectivè dicitur. Ea enim quæ aliorum sunt, respectivè dicuntur. Unde cùm Deus aliorum Deus dicitur, exponi

poni potest per nomina officii. Nam Deus est Deus deorum, hoc est, creator & conservator rerum, quæ à gentibus pro Diis coluntur. Juxta hoc verò porrò nihil absurdi, si quod modò est nomen naturæ, alias etiam sit nomen officii. Sic & Flacius ait in *Glau. Script. tit. Deus*, In voce Dei, non solùm summam quandam majestatem indicari, sed etiam *tum auxilium curamque ejus* erga creaturas, tum, vicissim creaturarum timorem, cultum ac imprecationem opis, erga ipsum; id autem nunc solum contendo, quod vox Dei, non semper sit nomen officii, sed aliquando etiam naturæ divinæ.

87. Ad alterum Respondeo: Ab impositione alicujus vocis, sæpe deviare ejus usum. Unde etsi nomen Dei impositum sit ex officio, veluti ἐκ τῆ θεῖν. Potest tamen usurpari, ut proximè naturam significet, de quo plenius vide *Thom. part. 1. q. 13. art. 8. & 1. d. 28. art. 5. 6.*

ARTICULUS IV.

In quo exponitur ambiguitas in voce Dei.

88. AD intelligentiam vocis non oportet solùm nosse æquipollentia vocabula & eorum Etymologias, sed oportet etiam tradi distinctionem vocis. Hanc nunc attingo.

89. Igitur tripliciter potissimum sumitur vox Dei; *Primò*, vox Dei sumitur pro eo, quod est Deus apparenter, hoc est, secundùm existimationem & opinionem hominum. Ita Dii gentium, Dii dicuntur, quos frequenter Scriptura, cum addito, vocat *Deos alienos*. Sicut nempe bono apparenti tribuitur nomen boni, & falso auro, nomen auri, per æquivocationem: Ita etiam falso *Deo*, eadem æquivocatione, tribuitur nomen Dei.

Secundò sumitur vox Dei, ad significandum eum, qui gerit divinum officium, seu, qui alicui est, quasi loco Dei. Ita Judices vocantur Dii. *Ps. 82. Exod. 22.* Vulgò solet dici, quòd isti dicantur Dii, *Nuncupativè*. Arriani ajunt, talem significationem habere vocem θεὸς in Scripturis, cùm sine articulo ponitur. Sed hæc observatio non est perpetua. Nam & Deus Pater vocatur non solum ὁ θεὸς, sed etiam sine articulo θεὸς, *Rom. 1. v. 7. & Joh. 8. v. 6.* Et tamen is non est Deus, nuncupativè & per externam denominationem; Vide Chemn. *Tib 1. Loc. Theol. p. 134.*

Denique sumitur vox Dei ad significandum eminentissimum illud Ens, quod est ab omni alio independens, ante quod nihil est, & à quo omnia sunt, Ens optimum maximum. Sub hac significatione nunc de Deo ago.

TITULUS III.

De definitione Dei.

90. A Doctrina, de nomine Dei, progredior ad ejusdem definitionem, ubi *primo* inquiro: An Deus definiri possit; Unde etiam *deinde* patebit, qualiter id fieri possit. Et *denique* ponenda est aliqua descriptiuncula Dei.

ARTICULUS. I.

An Deus definiri possit?

HIc *primò* afferam varia argumenta, quibus suaderi posse videtur, quòd Deus definiri possit. *Posteà* ostendam Deum perfectè definiri non posse, posse tamen describi. Et *denique* solvenda sunt argumenta veritati contraria.

PUNCTUM I.

De argumentis: quòd Deus definiri possit.

Argumentum, quod Deus definiri possit.

91. PRincipiò videtur, Deum posse definiri. Nam *primo*, datur de Deo scientia. Ergo & datur Dei definitio. Consequentia patet, quia sicut demonstratio est adæquata ratio cognoscendi accidentia. Ita definitio est via adæquata cognoscendi substantias. Antecedens autem liquet, quia Metaphysica omninò scientificè agit de

agit de Deo, & confirmatur totus discursus, quod Aristoteles 7. *Metaph. cap.* 15. ex scientia colligit definitionem, & contrà.

62. 2. Rem definire est nihil aliud, quàm ejus essentiam explicare, per plures conceptus, inadæquatè repræsentantes, totam illam essentiam: id quod fit, si illorum conceptuum alter insinuet prædicata communia, alter, autem insinuet illud alterum, per quod Ens quasi constituatur in esse tali, per quod sit hoc & non aliud, hoc est, distinctum ab omnibus rebus aliis, quorum illud genus vocatur, hoc, differentia. Hæc autem omnia attribui possunt Deo. Nam 1. nihil repugnat: Divinam essentiam apprehendi sub pluribus conceptibus. Ita patet. Attribuit enim mens nostra Deo multa attributa, etsi eorum singula habent realem identitatem ad essentiam. E. sic una essentia Divina apprehenditur sub pluribus inadæquatis conceptibus. E. absolutè non repugnat Deo, ista multiplicatio conceptuum, ut, ex hoc principio Deo repugnet definiri, nec deinceps, ut Deus repræsentetur per aliquod commune prædicatum. Nam id de facto est in voce Entis, substantiæ, Spiritus, quæ omnia essentiam Dei confuso & communi conceptu significant. Nam id omne, quod sub voce Entis, substantiæ & Spiritus significatur, verè Deo convenit & aliis, ut patet. Hactenus igitur habetur ad Deum definiendum genus, nempe aliquid prædictorum. Ex quibus porrò ad contexendam Dei definitionem, eligendum est, quod est propinquius. Nec denique repugnat, ut sit aliquis conceptus Deo proprius. Nam ut Deus sit Ens distinctum à cæteris omnibus, oportet ut habeat aliquid etiam sibi proprium, per quod ab aliis distinguatur, quale quid est hoc, quod dicitur infinitus, immensus, prima causa, & quæ sunt alia, quæ soli Deo conveniunt. Hactenus igitur habetur differentia ad istam Dei definitionem. Quid igitur tandem obstat, cur non possit Deus definiri?

63. Unde porrò 3. argumentor. Si quid obstaret, cur Deus non possit definiri, tum id vel faceret potissimum ejus simplicitas, vel infinitas. At neutrum est. Nam linea cùm sit infinita, definitur tamen; Et Angeli cùm sint simplices, nihilominus & ipsi definiuntur. Unde patet, quòd infinitas & simplicitas, ut sic, non dicant repugnantiam, ad definiri posse.

PVNCTVM II.

Deum perfectè definiri non posse.

64. IN oppositum: Quòd Deus definiri non possit *primo*, confirmatur inde, quod, ad exquisitam definitionem, requiruntur genus & differentia, ut Aristoteles docet 6. *Topic. c.* 5. Debéntque ista (genus & differentia) non intelligi taliter qualiter, sed accuratè, ut inde patet, quia genera generalissima in Philosophia Aristotelica non possunt definiri, quia iis non convenit genus & differentia: Et tamen talia, quæ qualemcunque generis & differentiæ rationem habeant, in generibus generalissimis etiam reperiuntur. Prædicamenta enim singula sunt genera generalissima, & ob id perfectè definiri nequeunt. Et tamen habent distinctos & speciales conceptus, per quos singula à singulis secernantur, veluti quod substantia ἀυθυπαρξίαν significat, quantitas extensionem, actio influxum effectivum, & sic in aliis. Unde hæc eo ipso sunt istis Entibus vice differentiarum & *quasi* differentiæ.

Ad definitionem requiri genus & differentiam exactè dicta.

Prædicamenta non possunt perfectè definiri.

Porrò singula istorum sunt Entia, unde singulis istis convenit communis ratio Entis. Ens tamen verè genus non est, vide *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 41. Patétque adeò clarissimè ad constituendam exquisitam definitionem, non sufficere id, quod qualitercunque nomen generis & differentiæ, sed quod ea exactè & rigorosè dicta habet.

65. Hâc hypothesi præmissâ, concluditur efficacissimè, quòd Deo non conveniat perfecta definitio, quia nec genus nec differentiam habet, accuratè loquendo.

66. *Deo non convenit differentia.*

Et patet primò *de Differentia*, quod ea Deo non conveniat, inde, quia de ratione differentiæ, propriè sic dictæ, est, ut neque includat speciem quam constituit, nec etiam genus illius speciei, ut Aristoteles docet *l.6.Top.c.9.& 14.* & Porphyr. *in Isag.c.7.§.5.* veluti rationalitas, quæ est differentia specifica hominis, non est homo. Et eadem rationalitas non est animal, quod est genus istius speciei (hominis) quam constituit rationalitas. Unde si qua esset differentia per quam constitueretur Deus in hac specie Entis, illa non esset Deus. At nihil est in Deo quod non sit ipse Deus. Cum enim quicquid præter Deum est, sit creatum quid, oporteret id esse creatum quid, si non esset Deus. Absurdissimum autem est, Deum ab aliquo creato, habere ultimam perfectionem. Hanc enim habentia differentiam, sumunt à differentia sua.

Rursus etiam illa differentia, quæ poneretur in Deo, non esset Ens, quod juxta adversariam hypothesin esset genus Dei, seu remotum sit seu propinquum. De differentia autem non debebat prædicari nomen generis. At quod non est Ens, non potest esse differentia, juxta aliam differentiæ conditionem, ab Aristotele traditam, *l.l.6.Top.c.6.§.5.* Et quis credat Deum, summum illud Ens accipere ultimam suam perfectionem & actualitatem (quod differentiæ specificæ officium est) ab eo, quod non Ens, atque adeò, nihil est. Relinquitúrque adeò summatim Deo, non competere propriè dictam differentiam.

67 *Deus non differens sed diversus est ab aliis.*

Atque hæc etiam causa est, cur Deus ab aliis dicatur diversus, non autem differens, quia scilicet diversa dicuntur, quæ seipsis distinguuntur. Differentia autem dicuntur, quæ non se totis, nec seipsis distinguuntur, sed per aliquid sui, hoc est, per differentias additas, ut Aristoteles distinguit *lib.4. Metaph.c.2. & l.5. Met. c.9. & l.10.c.5.* Ita nempe Deus diversus est à materia prima (& sic ab aliis etiam) non autem differens, quia per differentiam nullam in esse Dei constituitur, rigorosè loquendo. Vide Peret. *lib.5 Phys.c.12.* Colleg. Conimb. *lib.1.Phys c.9.q.3.a.3.* & Scal. *lib.1.de Plant.p.140.* Plura, quæ fieri possent, argumenta movere nolo.

68. *Deo non convenire genus.*

Cæterùm ex his, quòd Deo non conveniat differentia, efficaciter sequitur, quòd nec eidem conveniat genus. Nam generica natura non datur, nisi contracta per differentiam, quæ ipsam actuat & complet, sicut forma materiam. Atque ita sicut huic repugnat, esse sine forma, ita generi repugnat, esse sine differentia. Unde cui repugnat habere differentiam, eidem etiam repugnat, habere genus. At ostensum est, quòd Deo repugnet, habere differentiam. Repugnat igitur eidem habere genus.

Et confirmatur: quod Arist. *1.Top.c.5.* Porphyr. *in Isag.c.2.* Damasc. *in Dialect. c.9.* aliique: cùm definiunt genus, dicerè ajunt, id esse genus, quod prædicatur de differentibus specie, *&c.* Differentia autem specie dicuntur, quæ per additas differentias distinguuntur. Unde clarè importatur, cùm quid non prædicatur de differentibus specie, genus non esse. At Deus (cùm, ut visum est, nullam differentiam habeat) à nulla re est specie vel alio modo differens, sed solum diversus, si rigorosè loquamur. Vide, quæ ad hanc rem dixi, *in Introd. Log.c 3.n.8.9. in Comm.*

Patétque adeò nec Deo genus convenire nec differentiam: Et proinde, nec perfectè definiri posse, cum & differentia & genus ad definitionem requirantur.

69. *Quomodo Deus sit quid simplicissimum.*

Alia argumenta libens omitto, quæ sumuntur ex simplicitate Dei. Quia Deus Ens simplicissimum vocatur, removendo solum compositionem realem. Compositio autem rationis non repugnat Deo, ut infrà videtur. Atque ita genus & differentia (quæ re ipsa solum facerent compositionem rationis) non repugnant Deo, quia compositionem faciant, in re, quæ utrumque habet: sed quia aliunde ista compositio infert aliquas imperfectiones, unde & aliquæ aliæ compositiones rationis à Deo removentur, quæ aliunde imperfectionem important, ut est compositio ex esse & essentia. Quatenus tamen simplicissimum volumus appellare Deum, in quantum ab eo genus & differentia removetur, sic ratio, à simplicitate sumpta, coincidit cum prius dictis.

Infiniti

Infinitas autem quomodo repugnet, si Deus definiatur, mox attingam. Consentiunt hac in re Dd. pluriimi, negantes, Deum perfectè definiri posse. Sic August. *lib. de Cognitione veræ vitæ, c. 7. Sicut summus ille spiritus*, inquit, *qui Deus est, à nullo intellectu valet propriè excogitari, ita nullâ definitione potest propriè definiri aut determinari.* Et Hilarius: *Certè*, inquit, *hoc est Deus, quod cùm dicitur, non potest dici, cùm æstimatur, non potest æstimari, & cùm definitur, ipse suâ definitione crescit.* Unde plura apud Dn. Chemnit. *p. 1. loc. Theol. de Deo, c. 3. p. 59.* 70

Et pertinet huc, quod Cicero, *l. 1. de natura Deorum*, memorat de Simonide Philosopho. Is cùm interrogaretur ab Hierone Tyranno, quid esset Deus, unum ad deliberandum diem petiit. Interrogatus postridiè, biduum petiit, & tandem, *quanto diutiùs rem considero*, inquit Symonides, *tanto mihi res videtur obscurior.* *Simonidis sententia de Dei definitione.*

PVNCTVM III.
Deum definiri posse definitione imperfectâ.

ATque hæc, quæ hactenus dicta sunt, rectè confirmant, Deum, perfectâ definitione definiri non posse. Interim tamen Deus qualicunque circumlocutione describi potest. Ad descriptionem enim satis est si res aliqua (quam definitum vocamus) possit sub aliis pluribus conceptibus apprehendi, per quos intelligatur hoc aliquid esse, & distinctum ab aliis rebus, cujus generis descriptiones etiam postea apponam quam ad rem eleganter ait Chemnitius *d. l. p. 60. Quia*, inquit, *omnino vult Deus ita cognosci & invocari, sicut se patefecit, tenenda est aliqua descriptio Dei, ad quam mens in invocatione se referat. Nihil enim aliud est adoratio, quàm confessio, tribuens illi essentiæ, quam in invocatione alloquimur, omnia illa attributa quæ in definitione ponuntur.* 71. *Deum describi posse,*

PVNCTVM IV.
In quo objectiones solvuntur.

AD objectiones igitur principio propositas nunc, in quantum propositæ doctrinæ officiunt, respondendum est.

Ad *primam* dico: ad scientiam latis esse, si quid definiatur per descriptionem: non autem necessaria est ad hoc definitio perfecta. Ita patet ex summis generibus, quæ scientificè cognoscuntur in Metaphysicis, & tamen perfectè definiri non possunt. Vnde 2. apparet, quoad hoc, esse definitionem & scientiæ diversitatem. Nam quod perfectè definibile est, id non potest esse ens perfectissimum, quia implicat compositionem ex genere & differentia, quæ imperfectionis sunt. At, ut quid dicatur scibile, nihil imperfectionis importatur.

Ad *secundam* respondeo: Posse Deum apprehendi sub conceptu communi & confuso, & similiter sub conceptu proprio ac distincto. Sed non omnis conceptus communis habet rationem veri generis. Vnde nec omnis conceptus distinctus ac proprius subinfert propriè dictam differentiam. Nam potest aliquid prædicari de pluribus, vel primò diversis, vel distinctis accidentaliter, vel distinctis Numero, &c. Id igitur hactenus, quia de pluribus prædicatur, conceptum communem significat, & tamen genus non est, quia in neutro casu prædicatur de differentibus specie, quod in definitione generis requiritur, ut alibi latiùs declaravi. Inde igitur etiam sequitur, non omnem conceptum proprium facere differentiam. 73. *Non omnis communis conceptus genus est.*

Ad *Tertiam* dico: Angelos non esse simplicis, removendo ab iis compositionem ex genere et differentia, ut disputo, *seq. c. nu. 48.* Vnde nec repugnat Angelo perfectè definiri. At Deus ita simplex est, ut ista etiam compositio ex genere & differentia, ei non conveniat, quæ ad definiendum necessaria est. 74.

De infinitate autem dico, aliam esse in quantitate, aliam esse in essentia, è quibus infinita quantitas, simpliciter, non est Ens infinitum. Atque ita ei non repu-

gnat definiri posse, quod repugnat Deo, quia infinitus est in essentia. Infinitas etiam in essentia excludit omnem dependentiam in essentia. At quod est definibile, id constat ex genere & differentia. Genus autem & differentia componunt essentialiter, sive dando essentiam. Unde quicquid est definibile, habet essentiam dependentem, ex genere et differentia, quæ dependentia clarè repugnat ei, quod in essentia est infinitum.

Cur infinitum non possit definiri.

ARTICVLVS II.

Quomodo & qualiter Deus definiri possit?

75. HAc in re dico 1. *Deum non definiri definitione perfecta, sed solùm per descriptionem.* Ita patuit in priori puncto. Nec addi aliquid nunc necesse est.

76. 2. Descriptio autem illa fieri potest, 1. *Per operationes*, ut quæ indicant Divinam essentiam. Quò pertinet, si dicatur Deus *Autor boni in natura*, vel *causa prima, unde pendeant cætera, Creator & Conservator, ac Gubernator omnium*, & quæ sunt his similia.

II. Fit *per negationes*, quibus removentur à Deo nostræ imperfectiones: veluti, si dicatur *infinitus*, *immensus*, *incomprehensibilis*, & quæ istis sunt similia. Ubi tamen diligenter observandum est, quòd sub istis negationibus non apprehendatur negatio præcisè, sed adæquatus eorum conceptus est implicando essentiam Divinam. Veluti infinitas non est præcisè carentia finitatis, sed in conceptu adæquato est idem, quod essentia Divina carens finitate. Negationes enim ut sic, sunt non entia. Unde nisi quid positivum implicarent, non deberent poni in definitione, vel Dei, vel nullius rei alterius.

III. Fit ex *via eminentiæ*, veluti si Deus dicatur *ὑπερέν & omnipotens, omniscius, omnipræsens, optimus, maximus*, & quæ sunt his similia.

77.

Ad quæ tamen genetatim notandum est: Videri ferè perinde esse, sive ex coacervatione omnium attributorum Divinorum fiat illa Dei descriptio, sive ex aliquibus solùm. Elegi tamen in Theorematibus definitionem Dei, factam ex solo attributo infinitatis, & non ex coacervatione omnium attributorum, quia sæpe unum attributum Dei, solet in alio contineri, & unum ex alio demonstrari, ut sequentibus patebit. Sed hac de re contendere nolo.

78. *Qualis debeat esse Dei descriptio in Metaphysicis.*

Denique descriptio Dei Metaphysica, non debet immiscere ea, quæ non sunt nota nisi ex revelatione. Juxta talia enim attributa agitur de Deo in Theologia. In Philosophia autem non agitur de Deo, nisi quantum per notitiam naturalem cognosci potest, ut suprà visum. Et sic etsi ad plenam Dei descriptionem, qualis à Theologis fieri debet, pertineat mentio, Patris, Filii, & Spiritus sancti, & relationum illarum, quibus ad invicem referuntur: Philosophus tamen describens Deum, istas personas non attingit. Unde & in futuro hoc de Deo tractatu, dimissâ ad Theologos doctrinâ de Trinitate, agimus de Deo præcisè.

ARTICULUS III.

In quo ponuntur Dei descriptiones.

79. *Pythagoræ definitio.*

PYthagoras ait: *Deum esse excessum maximorum numerorum suprà proximum*; sed hæc definitio nimis ænigmatica est, ut rectè judicat Chemnit. *de Deo*, p. 58.

80. *Trismegisti.*

Trismegistus ait: Deum esse circulum cujus medium est in centro, circumferentia ubique. Hanc definitionem etiam non immeritò reprehendit Scaliger, *Ex.* 363. *Perimè*, inquit, *medium assignat* (Trismegistus) *infinito, & circumferentium qui dat, finitum facit. Tum si erit ubique circumferentia, erit etiam in medio,*

medio. Et idem fiet medium cum circumferentia. Et alibi etiam prohibet Aristoteles definitiones fieri μεταφορικῶς.

Alii tamen definitionem Trismegisti aliter referunt. Sic scilicet: *Deus est intelligibilis sphæra, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.* Traditque Ambrosius *ad cap. 3. Ephes.* Hujus descriptionis hanc resolutionem: Sicut nempe in sphæra omnia sunt æqualia, & quanta est altitudo & latitudo, tanta est profunditas: ita in Deo etiam omnia sunt æqualia. Per centrum indicatur individua & omnimoda Dei simplicitas, & sedere quasi in centro dicitur Deus, indeque universali oculo cuncta conspicere, quoniam à centro sinul in omnia est conspectus. Tandem per circumferentiam notatur infinitas & immensitas divina, quæ nullis, neque intra neque extra mundi ambitum coercetur limitibus. Confer Clarifl. Martin. *lib. 2. Exerc. Met. 4. Theor. 12. p. 778*, quamquam sic adhuc est illa definitio Metaphorica.

81. *Platonis.*

Platoni Θεὸς ἔστιν ἀθάνατον, εὐτυχὲς πρὸς δαιμονίαν, ἰσότιμον, τὰ πάντα οὕτως αἴτιον. Hoc est: *Deus est animal immortale, sufficiens sibi ad beatitudinem, substantiæ æternæ, Author boni in natura.* Sed neque hic placet nomen animalis. Animal enim juxta propriam eámque etiam significationem est species corporis, & præditum est variis organis corporeis, quæ Deo non conveniunt.

82 *Augustini.*

Meliores sunt aliorum definitiones. August. *lib. qq. V. & N. T. q. 1. Deus*, inquit, *est Spiritus naturâ simplex, lux inaccessibilis, invisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis, venerandus, diligendus, metuendus, omnipotens, omnitenens, dives, bonus, justus, severus, misericors, clemens, patiens sive longanimis.* Et de quantit. animæ cap. 33. *Deus est omnium verum creator, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, incorruptibile principium, incommutabilis sapientia, incommutabilis veritas, incommutabilis æternitas, incommutabilis virtus, incommutabilis caritas, unus verus Deus atque perfectus, qui nunquam non fuit, nunquam non erit, nunquam aliter fuit, nunquam aliter erit, quo nihil secretius, nihil præsentius, qui difficilè invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit, &c.*

83. *Anshelmi.*

Anshelmus in *Prosolog. c. 18. Quid es, Domine, quid es, quam te intelligit cor meum? Certè vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, æternitas es, & omne, verum, bonum es.*

84 *Damascen.*

Damascenus *l. 2. de Orth. fid. c. 2.* Deum negativè ferè describit: Θεός ἐστι ἀναρχος ἀτελεύτητος, ἀίδιος, καὶ ἀΐδιος, ἄκτιστος, ἄτρεπτος, ἀναλλοίωτος, ἀπαθὴς, ἀσύνθετος, ἀόρατος, ἀναρχὸς, ἀπερίγραπτος, ἀπεριόριστος, ἀγαθὸς, ἁγιαστὴς, πάντων κτισμάτων δημιουργὸς, καὶ τροφεύς, πάντων ἐξουσιαστὴς, κρίτης, hoc est, *Deus est sine principio, sine fine, æternus ac sempiternus, increatus, immutabilis, inalterabilis, simplex, incorporeus, invisibilis, intangibilis, incircumscriptus, inintelligibilis, Bonus, justus, omnium creaturarum fabricator, omnipotens, omnia gubernans & intuens, omnibus providens, habens potestatem, & Judex, &c.* Alia recensere supersedeo.

85. *Propria definitionis resolutio.*

In Theorematibus dixi brevissimè: *Deum esse spiritum infinitum:* ubi sub voce *spiritus*, repræsentatur essentia Dei, secundùm confusum & communem conceptum. Spiritualis enim natura reperitur etiam in Angelis. *Infinitas* autem secernit Deum ab omnibus rebus aliis. Posui autem unum solùm istud attributum, quia in definitionibus studendum est brevitati, quàm maximè, & quia hoc attributum satis est ad distinguendum & secernendum Deum, ab omnibus entibus aliis, tibi tamen nec aliorum, coacervantium omnia attributa divina, consilium improbo. Sed hæc attributa divina deinceps consideranda sunt.

TITULUS IV.
DE ATTRIBUTIS DEI IN GENERE.

86. Hîc sequentia tractanda sunt. *Primò* explicanda est vox attributi. 2. Disputandum est: An Deo conveniant attributa. 3. Quid illa sint, adeóque. 4. Quomodo à Deo vel ab invicem distinguantur. 5. Quomodo de Deo enúntientur, & 6. De eorundem divisione. *Et denique* quis sit ordo inter ea.

ARTICULUS I.
De voce attributi & æquipollentibus.

87. *Attributum unde dicatur?* LYchetus 1. *d.* 8. *qu.* 3 *sol.* 115. *fac.* 2. docet, quod attributum primò dicatur in creaturis, tanquam quod alteri attribuitur, sic ut sapientia dicitur attributum hominis.

Unde porro ex vi nominis attributum præsupponit essentiam ejus, cui attribuitur, quasi porro & accidentaliter perficiens id, quod in se & essentialiter perfectum erat.

Et hinc porro vox attributi transsumpta est ad significanda ea, quibus perfectiones Dei de ipso enunciamus. Nam & hæc cùm de Deo prædicantur, imitantur ferè modum prædicandi eum, quo prædicari solent attributa creaturarum de creaturis, veluti, ut Deus bonus, sapiens, &c. dicatur, etsi ista essentiæ divinæ revera non superveniant.

Est tamen præterea notandum, quòd vox attributi deinceps traducta sit, ad significanda prædicata ἐσιωδῆ, ut maximè ex prima vocis impositione attributa solùm sint illa, quæ sunt ἔκτοσεν. Atque sic in præsenti titulo per attributa deinceps intelligemus etiam quidditativa Dei prædicata, veluti quum Deus Ens vel spiritus, vel substantia dicitur. Si quis tamen attributa Dei essentialia, ab aliis distinguere velit, & hæc reliqua, specialiter attributa dicere, nihil refragor.

88. *Attributa divina etiam dicuntur accidentia.* Cyrill *l.* 11. *Thesauri* vocat *Accidentia*, sed tamen cum moderatione. *Sapienter*, inquit, *dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est: Sed tamen cogimur nonnunquam quasi accidentia, etiamsi non omnino accidant Dei, hæc dicere, & mente, accidentium modo, concipere.* Frequentiùs tamen usurpatur vox attributi, quàm accidentis, in hac materia. Accidens enim significat essentiam accidentalem, adeóque imperfectam, quod non est in voce attributi, juxta vocis usum loquendo, quicquid sit de impositione. Nam vulgatissimè omne κατηγορούμενον (prædicatum) dicitur attribui subjecto, & tamen ea, quæ cum subjectis realiter sunt eadem, sæpe attribuuntur, hoc est, prædicantur de subjectis.

89. *Attributa divina dicuntur perfectiones simpliciter.* Vocari etiam solent ista attributa *perfectiones simpliciter*. Hæc appellatio ut intelligatur, notandum est: quod in rebus creatis aliæ sunt perfectiones simpliciter, aliæ perfectiones secundùm quid. Et *perfectiones secundùm quid* illæ dicuntur, quæ perficiunt quidem naturam finitam, implicant tamen in se aliquid imperfectionis, ut infinitati non possint, sed ut jungi non possint cum infinitari. Unde in oppositum in rebus creatis dicuntur *perfectiones simpliciter* illæ, quæ, etsi in rebus creatis sint finitæ, tamen ex genere suo iis non repugnat, ut sint infinitæ, seu, ut reperiri possint in Ente infinito. Sic esse rationale est perfectio hominis, perfectio inquam secundùm quid. Nam Ens infinitum non potest dici rationale. Nam rationalitas, sive esse discursivum, quâ tale est, involvit progressum à noto ad ignotum. Unde quia discurrenti seu ratiocinanti aliquid adhuc ignotum est, simpliciter repugnat primo & infinito enti, ut ratiocinetur. At justitia hominis est perfectio simpliciter. Nam justitiæ ad infinitatem nulla est repugnantia, potestque adeò, aliqua justitia esse infinita. Sic ergo nunc attributa Dei vocantur perfectiones simpliciter. Omnia enim attributa Dei intelliguntur cum infinitate.

Perfectio simpliciter quid sit?

ARTI-

ARTICVLVS II.

An Deo conveniant attributa?

90. RAtio dubitandi in negativam partem est, quod attributi vox videtur importare realem distinctionem ab eo cui attribuitur, ut sit aliquid essentiæ superveniens, quod attributum dicitur. At tale quid non debet de Deo dici, ut postea videbitur. Et confirmatur 11. quòd subjectum in definitione attributi ponitur solùm κατὰ σχέσιν, sive per modum additamenti, ut Aristoteles docet *lib. 1. Post. cap. 18. 35. & lib. 7. Metaph. cap. 5. & 18.* Si ergo subjectum est aliquid προστιθέμενον sive additum ad essentiam attributi, ergo non potest habere realem identitatem cum suo attributo. At quæ Dei attributa sunt, illa habent realem identitatem cum eo, ut ex postea dicendis suppono. Attributa igitur Dei non sunt attributa. Et confirmatur porrò, quòd si aliqua essent Dei attributa, ea vel maximè essent talia, quæ sunt Dei idiomata sive proprietates, quæque adeò in secundo modo dicendi per se de Deo prædicari possent. At nulla talia esse possunt. Nam in isto modo similiter exigitur realis distinctio prædicati à subjecto, ut Zabarella docet *lib. 1. de Propos. necess. c. 5.*

91. *Attributa Dei quidditativa.* Nihilominus hac in re dico I. *Deum habere aliqua attributa quidditativa*, qualia sunt, quæ essentiam Dei significant sub confusis sive communibus conceptibus, ut *Ens Spiritus, Substantia*, neque hac de re est controversia.

Affectiones Dei. II. *Deus etiam habet attributa, quæ sunt quasi passiones, sive affectiones eius.* Ita patet. Nam Deus est aliquid ἐπιστητὸν, hoc est, scibile, sive considerabile in scientia. At quæcunque talia sunt, ea habent affectiones. Est enim scientia in tribus conjunctum, nempe subjecto, principiis, & affectionibus, per Aristotel. *1. post. 4. 76.* Deinde confirmatur ex eadem Hypothesi, quod si Deus in scientia considerari possit, de Deo oportet ut fiant demonstrationes. Scientia enim est habitus demonstrationis. At non demonstrantur de re nisi quæ passiones sunt, vel ad modum earum apprehenduntur.

92. *Solvuntur objectiones.* Ad solutionem objectorum prius factarum, præcognoscendum est, quod aliud sit, esse veram, eámque rigorosè & strictè dictam, subjecti passionem: aliud vero est, concipi & explicari, atque adeo prædicari per modum passionis seu attributi, ut benè monet Suarez *Disput. 3. Metaphys. sect 1. Num. 5.* ubi nunc porro dico, quod ad rationem demonstrationis ac scientiæ, non semper requirantur passiones, quæ tales sint rigorosè loquendo, sed satis est, ad eam, si quid explicetur, concipiatur & prædicetur per modum passionis, ut alibi probatum, & brevissime patet in attributis transcendentalibus, uno, vero, bono, *&c.* Hæc enim apprehenduntur per modum passionum, & in Metaphysicis satis sunt, ut Metaphysica scientificè & demonstrativè agat de Ente universalissime. Illa tamen attributa transcendentalia habent realem identitatem ad Ens, ut suprà visum est, unde & ipsa non superveniunt Enti, in esse constituto.

Atque ita clare indicatur, quod ad rationem passionis vel attributi, in scientia requisiti, non requiratur ejus realis à subjecto, distinctio. Sed ea est, ad rationem scientifici attributi, per accidens. Unde porro patet, aliqua scibilia attributa habere cum subjecto realem identitatem, aliqua vero habere realem diversitatem.

Et ex his patet responsio ad duas posteriores confirmationes. Nam solum in rigorosissimè dicta passione, requiritur, quo ad ejus definitionem, subjectum tanquam προστιθέμενον. In aliis autem, ut patuit, potest attributi ad subjectum esse realis identitas.

Potest tamen *secundò* responderi per proportionem: quod sicut aliquæ passiones sunt vere & rigorosè dictæ passiones, alix vero solum apprehenduntur per modum passionum: Ita etiam aliquando subjectum est vere aliquid, definitioni

passionis,

passionis, προσδιαίνοια: aliquando verò solùm apprehenditur vel concipitur, nè aliquid appositum. Estque id omnino etiam in iis attributis, quæ de Deo prædicantur. Ponitur enim in illorum definitione, Deus, etiam in obliquo casu, sicut & Ens in definitione transcendentalium attributorum. Infinitas est attributum Dei &c. Immensitas est attributum Dei, &c. & sic in aliis. Veritas est affectio *Entis*, & sic deinceps.

94. Realis autem distinctio (de qua erat ultima confirmatione) quam Zabarella urget ad secundum modum dicendi per se, similiter non admittitur, ut saltem indicant attributa transcendentalia. Dixique ea de re satis, *in lib. de Propos. c. 4. n. 75.*

95. Ad *primam objectionem* dico: sæpe vocis usum deviare ab ejus impositione. Unde etsi vox attributi principiò sit imposita ad significandum id, quod quasi supervenit essentiæ rei: nihilominus sæpe attributa dicuntur, quæ non superveniunt essentiæ, sed cum illa eadem sunt, ut sine dubio est in omnibus quidditativis prædicatis, quæ hoc ipso quia prædicata sunt, attribuuntur suis subjectis, & tamen realem distinctionem, idque indubiè, ab iis non habent. Sed de eo jamdum fuit in priori puncto hujus tituli.

ARTICULUS. III.

Quid sint attributa divina.

96. *Dei attributa non esse accidentia.* HAc in re dico I. *Attributa Dei non sunt accidentia Dei.* Hoc inprimis per se certum est, de quidditativis attributis. Cùm enim Deus substantia sit, nihil de eo in quid est prædicari potest, quod sit accidens. Estque indubium.

Attributa divina non esse accidentia.

97. DE aliis autem attributis, quæ per modum passionum apprehenduntur, similiter patet: quia si quid esset accidens in Deo, Deus esset aliquid compositum ex essentia & suo accidente. At repugnat ista compositio Deo, ut infrà patebit, disputando de simplicitate Dei, inprimis, *n. 250.*

Actiones non componunt. Loquor autem diserte *de attributis, quæ sunt per modum passionum sive affectionum.* Nam actiones divinæ, transeuntes, non sunt subjectivè in Deo, sed solùm à Deo procedunt, unde nullam compositionem cum Deo faciunt. Fit enim compositio per unionem eorum, quæ in re sunt. At actio quasi digreditur ab agente. Si Sol incipiat illuminare, qui ante annum non illuminabat, non proinde incipit esse aliquid compositum, ex suo esse & sua illuminatione.

Quanquam id etiam est de actionibus immanentibus. Hæc enim non dicuntur immanentes positivè, quasi in agente, rigidè loquendo, subjectentur, sed negativè solùm, quia in externam materiam non transeunt. Unde ad rationem actionis simpliciter & immanentis & transeuntis, non requiritur esse *in*, sed solùm esse *ab*. adeóque neutra facit cum agente compositionem. Et sic anima nostra, si incipiat intelligere aut velle, non tamen componitur tum ex suo esse & intellectione & volitione, quâ tales sunt: Sed in utroque statu, vtque est anima simplex Dixi: *quâ tales sunt.* Quia ad intellectionem potest consequi aliqua compositio, si sit per speciem intelligibilem. Hujus enim Entitas addita ad essentiam animæ facit ibi compositionem.

98. Atque ita hactenus patet: Affectiones Dei non posse esse de prædicamento accidentium, nihil tamen obstare: quo minùs aliquæ saltem actiones Dei, sint ex prædicamento actionis.

99. Unde porrò specialiùs sequitur, quod duratio Dei, hoc est, æternitas, sicut nec præsentia illius ad ubi, pertineant ad prædicamentum. Quando, vel ad prædicamentum ubi, de quibus suprà fuit, *lib. 1. c. 16. & 17.* Plenissimque id patebit infrà tractando de simplicitate Dei, quatenus ab eo accidentalis compositio removetur.

Divina

Divina attributa esse inadæquatos conceptus divinæ essentiæ.

Deo 11. *Attributa divina sunt inadæquati conceptus essentiæ divinæ.* Id sic intellige, Intellectus noster non potest simul distinctè cognoscere multa. Jam verò nomen Dei est Pelagus quasi, ut Damascenus loquitur, multarum perfectionum, in quantum in essentia Dei, vel excellentiori modo est, quod est in nobis, vel etiam à Deo nostræ imperfectiones removentur. Hinc ergo fit, ut essentiam Dei, modò apprehendamus cum perfectione hac, modò cum perfectione alia: & sic unam illius essentiam partimur in plures conceptus, eandem essentiam inadæquatè repræsentantes. 100.

Hactenus igitur dico duo, *primum* est, quod omnia attributa divina implicent essentiam divinam, & eam repræsentent. Patetque id de quidditativis attributis. Nam illa omnia significant essentiam Dei, sub communi conceptu, per modum generum, etsi revera genus Dei non sint ut alibi disputo. Genera autem, quæq, rationem generum imitantur, significant suarum specierum, vel inferiorum suorum, essentias, sub confusis conceptibus: ut communiter admittitur. De aliis autem attributis, quæ per modum affectionum apprehenduntur, similiter patet. Nam illa omnia attributa sunt attributa realia: Conveniunque Deo, à parte rei, & citra actum mentis, quod per singula ista significatur, veluti quod essentia Dei careat finibus, in præsentia, duratione, essentia, &c. At non sunt realia, per hoc, quod addunt essentiæ divinæ, (ut more nostro loquamur.) Id enim est negatio vel respectus rationis, ut posteà dicam, quæ nihil realitatis habent. Oportet igitur ut includant essentiam divinam, ut per eam habeant realitatem suam. Illustrari hæc possunt ex iis, quæ suprà dixi, in communi, de affectionibus transcendentibus, in quibus similis est ratio. 101. *Attributa divina implicare essentiam divinam.* 102.

Diligenter itaque cavendum est cùm adæquatus conceptus divinorum attributorum dandus est, ne solius negationis aut istiusmodi respectus mentio fiat. Quid igitur est æternitas? Non rectè dico, quod æternitas sit carentia terminorum, in durando: sed æternitas est ipsa Dei essentia, carens terminis in durando. Sic quid est infinitas divina? Non rectè dico & adæquatè: eam esse negationem finitatis, sed (implicando nomen essentiæ divinæ, dico rectè) eam esse ipsam essentiam divinam, sumptam cum negatione vel carentia finium. Nisi enim hoc modo adæquati conceptus singulorum attributorum apprehendantur, non potest stare realis identitas divinorum attributorum, cum ejus essentia. Neque enim idem sunt Deitas & carentia terminorum in duratione, v. g. sed maximè idem sunt, & in re nihil differunt: Deitas & Deitas carens durationis terminis. Non enim ista differunt nisi per negationem additam. Negatio autem non est aliquid reale in se & præcisè sumpta. Ergo neque reale discrimen facere potest.

Alterum quod in superiori propositione continetur, est quod per attributa divina, essentia divina *inadæquatè* repræsentetur. Id etiam patet, & primo quidem generatim: quia si significent essentiam divinam adæquate, & quod omnia, quæ in ea statim implicantur, jam non essent attributa, sed vocabula æquipollentia ad vocem Dei. Sicut in simili, *res & aliquid*, quæ adæquate significant id, quod Ens significat, non sunt affectiones Entis, sed dicuntur æquipollenter ad Ens, unde ista non magis sunt affectiones Entis, ac Ens est affectio rei & alicujus. 103. *Attributa divina essentiam Dei inadæquatè significant.*

Specialim etiam patet, de attributis Dei quidditativis, quod illa inadæquate solùm significent divinam essentiam. Nam illa solum continent conceptus communes, hoc est, repræsentant essentiam divinam, solùm secundum ea quæ etiam in aliis rebus sunt. At omnis res præter ea, quæ cum aliis habet communia, habet etiam aliquid sibi proprium, per quod ab aliis distinguatur; Prædicata autem communia non repræsentant, in quod rei cuique proprium est. 104.

Rursus etiam id apparet in iis attributis, quæ apprehenduntur per modum affectionum. Nempe in essentiæ divinæ adæquato conceptu implicantur omnes perfectiones. 105.

fectiones. Ergo & perfectio, qua Deus caret terminis durationis & præsentiæ, qua est incapax dependentiæ, mortalitatis & aliorum.

Nulla autem affectio implicat hæc singula sub conceptu distincto ac proprio. Nam æternitas non implicat infinitatem in addendo, neq; hæc illam. Et sic in aliis. Habent enim illa attributa suam per ista distinctionem. Sed quidnam sit, per quod hæc attributa inadæquatè significent essentiam divinam, statim addendum est,

Unde attributa divina significent essentiam divinam inadæquatè.

106. *Attributa divina adduat aliquid ad essentiam.*

DIco III. *Attributa, quæ Dei affectiones sunt, non addunt aliquid reale ad essentiam divinam, sed aliquid rationis.* Hic tria dico. I. Quod ista divina attributa aliquid ad essentiam divinam (quam ipsam tamen implicant, ut prius visum est) addunt. Ita patet, quia aliàs non possent attributa esse, & essentiam divinam inadæquatè solùm repræsentare; sed fierent revera æquipollentia ad vocem Dei, ut & prius tactum est. Et patet idem: æternitas enim distinctè, & explicatè infert carentiam terminorum in durando, quod non sit sub nomine Deitatis vel divinæ essentiæ.

107. *Non reale.*

II. Dico in ista propositione: *Quod attributa divina nihil ad essentiam reale addant.* Et patet, quia nihil reale ad essentiam ullius rei additum, (quod quidem rationem affectionis habere possit) potest esse, ni si quod sit accidens. At prius visum est, attributa Dei non esse accidentia.

108. *Sed rationis.*

III. Dico: *Quod attributa divina addant aliquid rationis.* Id ex prioribus relinquitur. Nam si singula addunt aliquid, & tamen non addunt aliquid reale, oportet igitur, ut addant aliquid rationis. Inter hæc enim non datur medium, nempe inter reale & rationis. Sic igitur aliqua addunt *negationem*, ut infinitas, immensitas, aliqua addunt *respectum* quendam, ut omnipotentia, scientia, providentia, & sic deinceps.

ARTICULUS IV.
Quomodo attributa divina à Deo & inter se distinguantur?

109. DE duobus quæritur præsenti quæstione, nempe quomodo se habeant attributa Dei ad essentiam divinam. *Deinde*, quomodo se habeant ad invicem.

PVNCTVM I.
Quomodo se habeant attributa divina ad essentiam Dei?

110. *Attributa divina realiter eadem sunt cum essentia divina.*

IGitur I. Dico, *Attributa divina realiter eadem esse cum essentia divina.* Ita reinquitur ex priori puncto. Nam ibi probatum est, singula attributa implicare essentiam Dei, eámque per inadæquatum conceptum repræsentare. Et patet, quia si secus esset, daretur in eo realis compositio, ex essentia ejus & superadditis attributis. Sic *August. lib. 7. de Trinit. cap. 1.* ait: *Non alio magnus, alio Deus est: Sed eo magnus quo Deus, quia non est illi aliud, magnum esse, aliud, Deum esse. Eadem quippe ejus magnitudo est, quæ virtus, & eadem essentia, quæ magnitudo.* Et *l. 7. Confess. c. 4. Voluntas & potentia Dei est Deus. Æternitas quoque Dei, divina essentia est.* Sic & alii docent. Vide cum Magistro interpret. *ad. 1. d. 19. & l. 4. d. 46.* Thom. *1. p. q. 13.* Suarez *disp. 30. Met. sect. 6.*

PVNCTUM II.
Quomodo Attributa divina se habeant ad invicem?

111. *Attributa.*

SEcundo dico: *Attributa Dei inter se realiter non distinguuntur.* Hoc primum patet de attributis quidditativis inde, quia ista sunt communia Dei prædicata

cata. Unde hactenus imitantur rationem generis. At genera uni rei non possunt plura convenire, nisi cùm est inter ista subordinatio, & unum includitur quidditativè in altero, ut Aristoteles docet *Topic. c. 3. §. 3.* & Porph. *in Isagog c. 7. §. 9.* Procedit quoque idem à fortiori in illis prædicatis, quæ solùm rationem generum imitantur, quod est in istis divinis attributis. Quia scilicet non sunt realiter diversa prædicata, cùm Petrus vocatur homo & animal & Ens: Inde etiam non sunt realiter diversa prædicata, cùm Deus vocatur Spiritus, & Substantia & Ens. Estque de istis per se certum.

Dei inter se non distingui realiter

112. De exteris etiam attributis, quæ per modum affectionum de eo enunciantur, paret idem, quia inprimis nullum sufficiens indicium dari potest realis distinctionis inter ea. Entia autem non sunt multiplicanda sine necessitate. Antecedens patet, discurrendo per ea, quæ efferri solent majoris distinctionis indicia.

Indicium nullum est realis distinctionis inter attributa divina,

Nam *Primò* non potest illa realis distinctio inferri *ex distinctione operationum.* Nam ab una simplici virtute possunt plures operationes dari, sicut virtus illuminativa in Sole est eadem, & tamen ab ea est & illuminatio & calefactio & exiccatio, & sic deinceps in aliis.

Nec *Secundo* ad eam realem distinctionem faciendam satis est *varietas negationum*, quæ significatur per diversa Dei attributa. Nam ea varietas sit solùm ob imperfectionem intellectus nostri, nequeuntis rem simplicem uno actu apprehendere sub uno conceptu. Unde eandem rem partitur in plures conceptus, juxta negationum diversitatem, ut suprà patuit loquendo de Entibus rationis.

Neq; *Tertio* hæc ipsa *diversitas conceptuum* satis est, ad diversitatem rerum. Nam in re maximè eâdem dantur varii conceptus. Nam à parte rei idem est Socrates, & homo & animal, & tamen alios conceptus formamus de Socrate quâ Socrates, & quâ est animal, & quâ est homo. Idémque est in aliis. Et patet, quia conceptuum diversitas est, ad qualemcunq; distinctionem objecti intelligibilis, sive scilicet illud sit realiter sive re distinctum, ut suprà visum est, *lib. 1. c. 25. n. 86.*

Nec *denique* hanc ad rem satis est *diversitas respectuum*, quæ per attributa divina indicantur. Nam dicitur res aliqua scibilis & appetibilis qui diversi respectus sunt. Et tamen isti respectus realiter nec inter se nec à re quæ hos respectus suscipit, differunt. Nam si removeamus à re ista, omne extraneum & ab ea diversum, adhuc, præcisissimè sumpta, & erit & cognoscibilis, & appetibilis.

PUNCTUM III.

Quod attributa divina distinguantur ratione ratiocinatâ?

113 III. Dico: *Ista attributa divina distingui inter se ratione Ratiocinatâ.* Hic duo dicuntur. Primò, *quod attributa divina distinguantur ratione.* Ita patet, nam inprimis attributa divina sunt multa, eáque non synonyma, ut facilè patet. At omnis multitudo infert distinctionem, servatâ proportione, inter multitudinem & distinctionem. Unde si à parte rei sit multitudo, etiam erit realis distinctio, si autem multitudo solùm sit per multos mentis conceptus, etiam distinctio est per rationem sive mentis conceptū At attributa divina non sunt multa realiter, ut prius visum, sed sunt una divina essentia, per plures inadæquatos conceptus apprehensa. Ergo etiam oportet, ut inter ea sit distinctio per rationem.

114 Deinde dico: quod ista attributa distinguantur *ratione Ratiocinatâ.* Distinctionem rationis ratiocinatæ superiori libro dixi eam, quâ mens, in faciendo rationis distinctione, sumit ex re occasionem. Atque hoc dico esse in attributorum divinorum distinctione.

115 Igitur occasio distinguendi attributa divina est multiplex; singulæ tamen sunt in ordine ad creaturas, à quarum cognitione provehitur intellectus ad cognitionem Dei. *Prima* sumitur ex distinctione rerū positivarū, quæ per negativa Dei attributa

Occasiones distinguendi divina attributa.

à Deo removentur. Aliud nempe est mori, aliud circumscripta præsentia, & sic in aliis. Hinc ergo juxta horum distinctionem etiam intellectus nostri sumit occasionem distinguendi in Deo immortalitatem & immensitatem. Illa enim removet à Deo τὸ mori, hæc finitam præsentiam, quæ in creaturis omnino differunt.

Deinde alia occasio ista attributa distinguendi est, ex diversitate operationum; quia nempe alia est operatio Dei, punire hominem, & alia hominis misereri, hinc, ex illa actuum diversitate, etiam mens nostra distinguit attributa, nempe justitiam (quâ punit Deus) & misericordiam, (quâ miseretur) quas hinc etiam Cassiod. *in Ps.* 50. vocat duas res. Simile est, quod mens nostra in sole distinguit vim exiccativam & calefactivam, (quæ aliàs à parte rei est una simplex & indivisibilis qualitas) quia alia operatio est, calefacere, & alia est exiccare. Et harum operationum intuitu solet dici, quod attributa divina distinguantur *virtualiter*. Hoc enim nihil aliud est, quàm quòd ea attributa distinguantur virtute et operatione.

Tertia occasio distinguendi attributa divina est inde, quod quæ attributa in creaturis, correspondent attributis divinis, sunt in rebus creatis distincta. Ita apprehendimus in Deo sapientiam, bonitatem, intellectum, voluntatem, et sic in aliis. Ea etiam prædicantur de rebus creatis. Homini enim et Angelo ista omnia conveniunt. Jam in rebus creatis illa attributa sunt realiter distincta. Hinc igitur sumit ratio nostra occasionem, similiter ea distinguendi in Deo, quæ tamen revera hîc distincta non erant. Alia mitto.

116 *Objectiones* Scotistarum, qui majorem, quàm rationis distinctionem inter attributa divina ponunt, ex his ferè solutæ relinquuntur. Præsertim in iis, quæ ad secundam propositionem dicta sunt. Ubi ostensum est, ea quæ putantur realis distinctionis indicia esse, non tamen talia esse. Quamquam fortasse Scotus ejusq; asseclæ revera ab hac doctrina non dissentiunt. Iste enim etiam absolutè simplicem docet esse Deum, 1. *d.* 8. et alibi. Unde solùm videtur: quoad hanc rem esse discrepantia in modo loquendi, ut videtur Suarezio, *Disp.* 30. *Met. s.* 6. *a.* 3.

ARTICULUS V.

Quomodo Attributa divina de Deo enuncientur.

117. SUb hoc Articulo possunt variæ quæstiones moveri, sed studio brevitatis eas contraham in paucas propositiones.

118. *Attributa divina non intelligi efficienter.* I. Propositio: *Attributa divina non enunciantur de Deo efficienter:* Aiunt aliqui Deum esse bonum, quatenus efficit bonitatem, et justum, quatenus efficit justitiam, et sic in aliis. Hæc igitur resolutio bona non est, quia aliàs etiam Deus posset dici lapis, quia lapidem efficit. Absurdè *Confer* Lychet. *l.* 1. *d.* 8. *q.* 3. *fol.* 115. ubi porro observandum est, quod multa attributa de Deo prædicentur, quæ non efficiantur in rebus creatis, ut sunt infinitas, immensitas, æternitas. Rectiùs igitur illa attributa dicuntur de Deo prædicari, per modum adjunctorum, ut in Topicis *cap.* 8. *nu.* 38. *& seqq.* disputavi.

119. *Nec omnia esse Metaphorica.* II. *Non omnia attributa divina enunciantur de Deo Metaphoricè, sed intelliguntur aliqua propriè.* Hoc totum docet Ambros. *lib.* 2. *de fid ad Gratianum. Sunt quædam nomina*, inquit, *quæ evidenter proprietatem divinitatis ostendunt. Alia vero sunt quæ translatitiè & per similitudinem de Deo dicuntur.*

120. *Objicitur*, Omnia attributa divina translatiè à creaturis. Ab his enim solis deducimur in cognitionem Dei. At quæ creatæ sunt, non possunt citra tropum prædicari de Deo.

Attributa divina posse bifariam apprehendi. Ad hoc Respondet Thomas *part* 1. *q.* 13. *a.* 3. Quòd attributa divina possint bifariam apprehendi. *Primo* quoad ipsas perfectiones, quas dicunt; *Secundo* quoad modum significandi. Ex modo priori, dicuntur de Deo propriè. Sine enim tropo convenit Deo perfectio, quæ significatur voce bonitatis, justitiæ, et sic in aliis. In ipso tamen modo significandi occurrit aliqua improprietas vel catachresis. In creaturis enim (cum de iis prædicatur bonitas, justitia, etc.) fit per motûs prædicâdi

cum

cum quadam compositione, intelligitúrque ibi prædicari, per modum accidentium.

Quænam de Deo dicantur Metaphoricè.

Deinde est observandum: quòd *alia* nomina immediate, & ex prima impositione, significent res creatas, ut est nomen *Leonis, agni, manuum, oculorum, &c.* Et hæc non prædicantur de Deo, nisi Metaphoricè. *Alia* autem ex genere suo sunt indifferentia, ad esse finitum & infinitum, quale quid est bonitas, sapientia, &c. Et ista non prædicantur, quoad rem significatam, impropriè de Deo, sed maximè propriè, & per prius dicuntur de eo. Denique *alia* sumuntur à creaturis, sed removendo earum proprietates, & in his etiam non apparet, quomodo improprietas sit, veluti cùm Deum infinitum, immensúmque dicimus.

Quid sentiendum de abstractivis & concretivis prædicationibus attributorum divinorum de Deo?

121. III. *Attributa divina possunt de Deo enunciari in abstracto & concreto.* Ita apparet. Nam inprimis Scripturæ utroque modo loquuntur *Deus est bonus, misericors, perfectus, immortalis, verax, &c.* quæ locutiones sunt concretivæ. Et rursus: *Deus est charitas, vita, veritas, &c.* quæ locutiones sunt abstractivæ. Indeque simile sit judicium de attributis cæteris.

Gilbertus Porretanus ut meminit Bernhardus, *Serm. 80. in Cantic.* existimavit, non eandem rem in Deo significari vocibus abstractis & concretis. Sed id ἀλόγως dicitur & contra rationem & Scripturam. Unde & ista sententia porro patronum non habet. Ejus refutationem qui volet, videat apud Bernhardum *d. l.* & Valentiam *Tom. 1. in Thom. disp. 1. q. 3. punct. 3.*

122. Scalig. *Ex. 365. s. 6. disp.* Locutiones concretivas bonas non esse. *Quoniam*, inquit, *nulla Deo attribuuntur, ut omnipotens, omnisciens, misericors, pius, judex, sanctus, fortis, immortalis, bonus, purum Ens: haud rectè extorsit usus, ut sic loqueremur. Sin denominativè de eo quicquam prædicaretur, abstractum esset tum aliud ab ipso, tum ab ipso prius, quod sanè impium est. Quare neque Ens est sed essentia, neque bonus sed bonitas, neque sapiens sed sapientia, neque omnipotens sed omnipotentia, quæ ita in ipso sunt, ut sint ipsum, ita insunt, ut nihil antecedat, nihil sequatur.* Hæc ille.

Quænam meliores sint prædicationes abstractivæ, an concretivæ.

123. Nihilominus hæc censura mihi non adeò probatur. Nam inprimis istæ concretivæ, sive denominativæ prædicationes non necessariò inferunt, vel realem distinctionem, vel etiam realem prioritatem abstractorum ad concreta. Nam etiam transcendentalia attributa concretivè dicuntur de Ente, veluti *Ens est unum, verum, bonum.* Et tamen ibi nec realis distinctio, nec realis prioritas est. Sufficit enim hic prioritas apprehensionis vel cognitionis nostræ, quæ inter attributa divina, ipso Scaligero judice, negari non potest, dum *d. Exer. 365. sect. 6.* Unum *prius* alio vocat, & posteà *sect. 7* inter ea ordinem, (qui sine prioritate & posterioritate non est) ponit.

124. Deinde: id quidem negari non potest, quòd attributa divina, quia de Deo abstractivè dicuntur, significent eminentiam, secundùm quam Deo conveniant (ita namque in creatis etiam, cùm quem excellenter fortem vel temperantem dicere volumus, solemus eum appellare fortitudinem vel temperantiam) nihilominus, alia ex parte, locutiones concretivæ liberant Deum ab imperfectione, præsertim in prædicatis substantialibus. Nam abstracta substantialia habent modum significandi incompletum, & quasi partialem. Unde, ut Deus intelligatur ens completum esse, rectiùs apprehendemus eum tale quid esse, si enim *Ens* & *spiritum* dicamus: quàm si eum dicamus *Entitatem* vel *spiritualitatem.*

125. Cætera autem attributa similiter aliquam Dei perfectionem rectiùs significant cùm concretè prædicantur, quàm cùm prædicantur abstractivè. Inprimis enim ista attributa ex se habent modum significandi per esse *In*: neque, ut sic, apprehenduntur tanquam αὐυπόστατα, & per se subsistentia, sed tanquam circumstantia naturam, ut Damascenus loquitur *l. b. 1. c. 4. & 9.* At Deo maximè convenit esse αὐυπόστατον, & habere esse substantiale. Illud igitur rectiùs intelligitur cùm Deus bonus dicitur, quàm cùm dicitur bonitas, idémque est in aliis.

126 *Abstractivæ et concretivæ prædicationes conjungendæ.*

Atque hinc summatim apparet, rectè locutiones abstractivas & concretivas esse jungi. Atq; tum *abstractivæ* locutiones indicant talium attributorum eminentiam in Deo, tum etiam quòd talia attributa non sint in Deo accidentia, sed sint in eò per identitatem, ad Dei essentiam. *Concretivæ* autem locutiones vendicant quàm maximè, Deo, esse completum & substantiale.

ARTICVLVS VI.

De divisione Attributorum divinorum.

127. *Attributa Dei alia quidditativa, alia secus.*

ATributorum divinorum variæ sunt distinctiones, quarum aliquæ ex hactenus dictis haberi possunt.

I. *Attributa divina alia quidditativa sunt, alia naturam circumstantia.* Ita Damascenus distinguit *lib. 1. de Orth. fid. c. 4.* Sùntque attributa illa quidditativa, quæ in quid est de Deo prædicantur, quæque adeò de Deo per modum cujusdam generis dicuntur, ut sunt hæc, quibus Deus dicitur Ens, spiritus, substantia. Circa naturam autem, vel circumstantia naturam divinam illa dicuntur, quæ apprehenduntur in Deo per modum affectionum, veluti cùm Deus bonus, sapiens, justus, æternus, &c. dicitur. Distinctionem hanc etiam inculcat *Aug. lib. 15. de Trinit. Si*, inquit, *dicam, æternus, immortalis, &c.* Et *Spiritus; horum omnium nouissimum, scilicet* Spiritus, *videtur tantùm significare substantiam.*

128. *Alia propria, alia communia.*

II. *Attributa divina alia sunt Deo propria, alia communia.* Ista soli Deo conveniunt, atque ἰδιώματα & proprietates dici possunt. Hæc etiam conveniunt rebus creatis. Propria sunt: æternitas, immensitas: communia sunt, ut esse bonum, sapientem, unum: dicunturque illa attributa communia, non quasi talis bonitas, qualis in Deo est, etiam aliis in rebus reperiatur, sed quia potest aliquis communis conceptus abstrahi à Dei bonitate, &c. in quo conveniant etiam creaturæ, quatenus & hæ bonæ dicuntur.

129 *Alia positiva, alia negativa.*

III. *Attributa Dei alia sunt positiva, alia negativa.* Positiva sunt, quæ significantur terminis affirmativis, ut, cùm Deus omnipotens, omniscius, bonus, &c. dicitur. *Negativa* sunt, quæ per particulam negativam *IN*, vel Græcam *A*, de Deo prædicantur. Illa enim particula στερητικὴ est, ut Aristoteles docet *l. 5. Met. cap. 22.* Talia sunt, cùm Deus vocatur ἀθάνατος & immortalis, ἀπερίγραπτος & incircumscriptus, ἀκατάληπτος & incomprehensibilis, ἄναρχος & sine principio. & sic deinceps.

130 *Qualis negatio sit in attributis divinis?*

Quæres: *An illa negativa attributa significent negationes infinitas, an privationes? Respondeo.* Absolutè loquendo, negationes illas esse infinitas. Nam negationes privativæ negant solùm in subjecto πρεπόν, hoc est, illo, cui per naturam convenit habitus oppositus. Unde cùm per naturam non conveniat Deo mortalitas, finitas, comprehensibilitas, ideo immortalitas, infinitas, incomprehensibilitas, &c. non sunt privationes, sed absolutè sunt negationes infinitæ. Nihilominus, quia non solet convenire negationibus infinitis, ut ad rem comparentur, quasi per modum adjacentis ad ipsam, quod reperitur in privationibus, hinc nihil incommodi est, si attributa illa dicantur στερητικὰ & privativa, eo modo loquendi, quo suprà expositi, quod unitas addens Enti indivisionem, addat illi privationem.

Iterum quæris: *Quomodo aliqua Dei attributa possint esse negativa: Cùm omnia illa debeant significare perfectiones. Negatio enim nullam perfectionem significat?*

131. *Attributa negativa quomodo dicant perfectionem in Deo?*

Respondeo: Attributa Dei negativa bifariam dicere perfectionem in Deo. *Primo* quidem, quia implicant omnia attributa, essentiam Dei infinitam. Essentia autem divina eminenter implicat omnem imperfectionem *Secundo*, quia singula attributa ista removent à Deo imperfectionem, seu potiùs perfectionem creatam. Indèque consequenter notant, Deo convenire perfectiones eminentiores. Sed hac de re etiam suprà dixi, *lib. 1. c. 5.*

132. *Ἐνεργητικὰ vel ἀνενέργητα.*

IV. *Attributa divina alia sunt* ἐνεργητικὰ, *operativa, alia* ἀνενέργητα *non operativa.* Distinctio illa frequenter à Dd. usurpari solet, in doctrina de communicatione idiomatum sive propriorum. Ubi, cùm communicatio fiat ad operationem, aiunt

ejus-

ἐνεργητικὰ solùm attributa communicari velut est potentis, vis vivifica, &c. Non autem ἀνενέργητα, qualia sunt, æternitas, &c. Dicuntur que attributa illa ἐνεργητικὰ, secundum quæ Deo convenit influere in aliquem actum, qualia jam relata sunt, Ἀνενέργητα autem attributa dicuntur illa, quæ non sunt ordinata ad actus aliquos, quorum exempla similiter modò recensita sunt.

V. *Attributa alia sunt absoluta, alia σχετικὰ sive respectiva.* Absoluta sunt, quæ nullum respectum implicant, ut est immensitas, æternitas, infinitas, &c. *Respectiva* autem sunt, quæ respectum aliquem implicant, talia sunt cùm Deus dicitur prima causa, & primus motor, creator, conservator, Dominus, & sic deinceps. Quòd si & respectivis annumerare placet, quæ respectum transcendentem involuunt, tum porrò omnia illa attributa respectiva dicenda sunt, quæ per modum habituum vel naturalium potentiarum in Deo apprehenduntur, Hæc enim omnia transcendentem habitudinem involuunt, tùm ad objecta, tùm ad actus suos. Talia attributa sunt, cùm Deus Justus, bonus, sapiens, potens, intelligens, & volens (de potentiis loquor) dicitur. 133. *Absoluta vel respectiva.*

VI. *Attributa alia sunt propria, alia improprie, seu Tropica & Metaphorica. Impropria* dicuntur illa, quæ propriè sunt imposita ad significandum aliquid creatum, vel ullam imperfectionem connotant, veluti cùm Deo tribuuntur membra corporea, aut cùm leo vel agnus dicitur, &c. Huc pertinet etiam, cùm Deo tribuitur consilium. Nam ista vox imperfectionem notat, ut monet Damasc. *lib. 2. de orth. fid. c. 24.* Et Scalig. *Ex. 365 sect. 8. Non disceptat Deus, non ratiocinatur, non proponit, non colligit, non cum alio confert, non ab alio accipit*, quæ omnia ad rationem consilii, si propriè loquamur, requiruntur. *Propriè* autem prædicantur de Deo, quæ reliqua sunt, hoc est, quæ nihil creati aut cujusquam imperfectionis significant quanquam in his etiam, quoad modum prædicandi, aliquando interveniant improprietates, ut priori Articulo dictum est. 134. *Propria vel tropica.*

VII. *Aliqua attributa dicuntur de Deo in concreto, aliqua in abstracto.* De his etiam satis fuit, in priori Articulo, ad propos. 3. 135. *Abstractiva vel concretiva.*

ARTICULUS. VII.

De ordine attributorum divinorum ac deinceps dicendorum.

ATributa divina quia eadem sunt cum essentia divina, à parte rei nullum ordinem habent, secundùm quem unum priùs sit alio. Nihilominus quia intellectus noster frequenter apprehendit unum attributum tanquam principium alterius, ex quo etiam demonstret aliud: Et rursus, quia intellectus noster non potest, simul distinctè intueri omnia, & ea considerare, ideóque oportet, ut aliquis inter illa attributa ordo constituatur. 136.

Igitur ordinem inter divina attributa talem tradit Scalig. *Ex. 365. s. 7.* Ait igitur nobis naturali sensu notissimum esse lumen. Et hinc devenisse nos in notitiam motus. Deinceps ut per lumen motum, ita per motum cognovimus ipsum Deum. Et quia non potuimus ipsum pro motore agnoscere, nisi sit, secundariâ intellectione Deum esse percepimus. Tertiò mentis appulsu admovimus nos ad notitiam potestatis. Movet siquidem, quia potest, tùm sese obtulêre sapientia; Inde bonitas. Nisi enim bonus esset non benefaceret. Idcircò ex ea deduximus communicabilitatem Serò tandem deprehensum est, quare esset Ens unum & primum, propterea quòd multi motus apparebant. Post hæc alia sunt consequuta, immensus, æternus, immutabilis, simplex, &c. 137. *Ordo divinorum attributorum.*

Nobis hic ordo maximè placet, ut *primò* dicatur de attributis Dei quidditativis. Ideóque proximè sequenti titulo ago de istis, veluti quid Deus Ens, Spiritus & substantia dicitur. *Deinceps* tractanda alia attributa, quæ quasi naturam circumstare, phrasi Damasceni dicuntur. Inter ista autem multa sumuntur ex transcendentalibus 138.

dentalibus distinctionibus & affectionibus Entis, velut quod Deus dicitur aliquid unum, simplex, necessarium, infinitum, &c. De istis igitur tum subjungo, ac tandem persequor cætera attributa.

TITVLVS V.

De attributis Dei quid quidditativis.

139 PEr attributa Dei quidditativa ista intelligo, quæ in quid est de Deo dicuntur, qualia sunt, Ens, substantia, Spiritus. Unde præsenti titulo disquirendum est: An & quatenus ea Deo conveniant?

ARTICVLVS I.

De Entitate Dei.

PVNCTVM I.

Deus est Ens.

140. INprimis suprà *Titulo* 2. *hujus Capitis, num.* 45. ad vocem *Jehova* satis constitit, quod secundùm Scripturas Deus commodissimè, imò quasi κατ' ἐξοχὴν, sive, excellentiam, *Ens* dici possit.

Nunc etiam idem doceri potest à posteriori. Nam operatio est indicium optimè essentiæ, ut suprà *lib.* 1. *cap.* 2. traditum est, ὡς τὸ μὴ ἐνεργεῖν, ἀκολουθεῖ τῷ μὴ εἶναι, οὕτω τὸ ἐνεργεῖν ἀκολουθεῖ τῷ εἶναι, hoc est, *Sicut ad non esse sequitur non operari, sic ad esse sequitur ipsum operari*, ait eleganter Plutarch. *lib. de Prim. frigid.* Atque adeò cuicunque convenit realis operatio; Ei & convenit verum & reale esse. At Deo convenit vera & realis operatio. Ergo etiam convenit ei verum & reale esse. At secundùm veram & realem Entitatem dicitur quid Ens. Ergo Deus est Ens.

141 *Deus potest & Ens & essentia dici.*

Dices: Deum non esse Ens, sed essentiam.

Respondeo 1. In ipsis Scripturis Deus vocatur ὁ ὤν existens, ut visum est, hoc cap. *d. tit.* 2. *n.* 46. 2. Et ut maximè Deus etiam essentia dici possit, nihilominus ad significandam aliam quandam perfectionem, nempe τὸ εἶναι αὐτοτοπάτως sive substantialis, melius dicitur (hactenus quidem) Ens quàm essentia: qua de re satis fuit in præcedenti *t.* 4 *art.* 5. *ad propos.* 3.

Nunc, quia illud est communissimum prædicatum & Dei & creaturarum, inquirendum est quale sit illud prædicatum.

PVNCTVM II.

Quomodo Ens prædicetur de Deo & creaturis.

142. SUprà *l.* 1. *c.* 2 *n.* 37. & *seqq.* generaliter constitui, etsi Ens ad aliqua dicatur univocè, veluti lignum, lapidem, hominem, &c. quod tamen generalissimus ejus conceptus, non sit univocus sed analogicus, veluti cùm in particulari iste conceptus applicatur substantiæ & accidenti, (de quo plenius dixi, *hoc l.* 2. *c.* 1. *nu.* 25. *seqq.*) tum etiam, cùm iste conceptus applicatur Deo & creaturis, & hoc ipsum nunc ostendendum est.

143. *Varia opiniones; Ens esse æquivocum.*

Est autem inprimis triplex modus opinandi hac de re. *Primò* videri potest, Ens *æquivocè* prædicari de Deo & creaturis. Ita sensisse Rabbi Mosen, tradit *Thom. q.* 7. *de Potent. a.* 5. Incidúntque in eandem opinionem, qui dicunt, cum de Deo Ens dicitur, id intelligi prorsus alio modo ab eo, quo creaturæ Entia dicuntur. Diversitas enim significationis, sub uno nomine, facit æquivocationem. At ibi est tantum nomen, nempe Ens, quod prædicatur de Deo & creaturis. Ergo si alia atque alia subest illi nomini significatio, in applicatione ad Deum & creaturas omninò relinquitur æquivocatio.

Opinio quòd Ens sit univocum.

Alia opinio in alio extremo est, quâ Ens dicitur *univocum* ad Deum & creaturas. Ita docuit Scot. 1. *d.* 3 *q.* 1. & 3 *d.* 8. *q.* 2. & qui eum ad ista loca interpretantur.

Quod ana-

Alii denique defendunt quod Ens sit *analogum* ad Ens creatum & increatum. Ita sensit Tho-

sit Thomas 1.p.q.13.a.5.1 contra.gent.c.32. Et alibi Suarez disp.28./3.n.5. Est logum sit ens, que nunc communissima eaque vera sententia, ut adparebit.

PVNCTVM III.

Ens non est nomen æquivocum, ad Deum & creaturas.

144. IGitur, ens non esse æquivocum ad Ens creatum & increatum, patet. quia æquivocum dicitur id, quod de pluribus prædicatur, secundum nomen solum commune, non autem secundum rationem vel significationem vel definitionem eandem, ut Aristoteles definit, lib. Categ. c. 1. At omnino una est significatio, secundum quam Deus Ens dicitur, & creaturæ dicuntur entia.

Id clarissimè apparebit, si primum sumantur duo entia creata, & in istis explicetur ratio entis. De istis enim sine dubio ens non dicitur æquivocè. Dico igitur: *Angelus est ens, & homo est ens.* De his, quia æquivocè non dicitur ens, oportet ut dicatur ens secundùm eandem significationem.

Quid igitur utrobique significat ens, seu quid est, cùm Angelus dicitur ens, & Homo dicitur ens?

Respondeo: Id non significare aliud, quàm (negative explicando istum conceptum) Angelum & hominem non esse nihil, neutrum horum esse aliquid fictum, neutrum horum implicare contradictionem sive repugnantiam: vel (per operationes, sive à posteriori eum conceptum explicando) Angelum & hominem esse tale quid quorum utrumque possit veros & reales actus exercere: vel (per attributa eum conceptum explicando) Angelum & hominem esse aliquid per se intelligibile, (verum.) & per se appetibile (bonum.) Hæc inquam sunt, quæ intelliguntur, cùm aliquam creaturam ens vocamus. Et non possumus ferè aliter conceptum entis explicare, ut suprà constitit l. 1. c. 2. ad definitionem Entis.

145. Jam porrò omnia hæc etiam Deo applicari possunt, ut secundùm eandem definitionem ens dicatur. Quid igitur est, cùm Deum dico ens? *Respondeo:* Deus est ens, hoc est, Deus non est nihil, vel fictum quid, neque implicat ullam repugnantiam 2. Deus est aliquid realiter operativum, sive est tale aliquid, quod verè operari possit. 3. Deus est aliquid per se intelligibile & appetibile. Vides singula applicata. Attendentias significationis perimit æquivocationem, ut prius visum est, aliæ addere nolo.

146. Frequenter hîc *objicitur* ad ostendendam significationum diversitatem, quòd Deus longè superiori ratione, sit ens ac creaturæ. Unde ajunt, aliam esse significationem utrobique. Ibi enim intelligi infinitum, hîc finitum. *Objectio.*

Resp. Præcisum & adæquatum conceptum entis, quatenus tale est, nec includere finitum nec infinitum, sed (quæ in genere, omnium transcendentium conditio est) præscindere ab utroque. At nunc loquimur de conceptu entis, quem per se habet, quemque insinuat, cum vel Deum vel creaturas ens dicimus. Et istum dico ejusdem significationis esse ad Deum & creaturas. 2. Id tamen facile admitto, quòd ad Deum communis et indifferens ratio entis contrahatur per infinitum, ad creaturam autem per finitum. Hinc autem non constituitur æquivocatio. Nam simile quid est, imò oportet esse, in communibus conceptibus, ut ad particulares modos essendi contrahantur per aliud et aliud. Animal ad hominem contrahitur per rationale; Ad bestiam, per irrationalitatem. Hinc tamen non efficitur, quod animal sit æquivocum ad hominem et bestiam, quia cum de homine dicitur, animal contrahitur per rationale, cum de bestia dicitur, contrahitur per irrationale. Quia unitas ista communis conceptus, et hic, et in aliis exemplis, sumenda prorsus est in præcisione et abstracto conceptu, qui si secundum illud idem, quod præcisè significat, reperiatur in pluribus, æquivocus non est. *Solvitur.*

PVNCTVM IV.

Continens primum corollarium de unitate conceptus Entis ad Deum & creaturas.

147. SEquitúrque ex his, Entis conceptum (præcisum) esse unum & eundem in ordine ad Deum & creaturas. Nomini enim æquivoco non opponitur adæquatè, nisi quod unum conceptum significat. Et porrò patet cuique per experientiam mentis suæ. Omnes inquam, experimur, cum apprehendimus significatum Entis in hac prædicatione (Deus est Ens) id nos apprehendere, quod etiam concipimus, dicendo, homo est Ens. Apparuítque satis in prius dictis hic ipse unus conceptus.

148. *Objectiones contra unitatem conceptus.* Duo potissimum contra hunc objici solent. *Primò*: si Ens significaret unum conceptum, attributum Deo & creaturis, tum ens esset genus ad Deum & creaturas. Neque enim videtur quicquam significare posse unum conceptum, nisi quod genus sit: unde porrò sequitur, vel Ens non significare unum conceptum ad Deum & creaturas; vel Deum esse compositum ex genere & differentia, quod absurdum esse postea apparebit.

149. *Dein de*: Extrema contradictoria non conveniunt in uno conceptu. Ista enim habent se ut esse & non esse, quibus nihil est commune. At esse dependens & non dependens sunt contradictoria extrema. Ergo istis nihil est commune. Et confirmatur; quod frequenter creaturæ divinæ dicuntur non entia, quomodo *Aug.* ait lib. 8. de Ciu. Dei, c. 11. *quæ creata sunt*, inquit, *etsi videntur esse, non sunt tamen.*

Solvuntur objectiones.

150. *Non omnis communis conceptus est generícus.* AD harum *primam* Respondeo: negando, quod omnis conceptus, qui communis dicitur, sit genericus, si accurate loquamur. Lychetus *lib. 1. d. 8. q. 2. fol. 114.* in *Scotum*, facit conceptus quidditativos triplices. *Alii* sunt per modum generis, ut cum Animal dicitur de homine & bestia: *Alii* sunt per modum speciei, ut cum homo dicitur de Francisco, Christophoro: *Alii* nec sunt per modum generis, nec per modum speciei, sed tantum dicuntur, quomodo ens dicitur de Deo & rebus creatis.

Conceptus quidditativus triplex. Exempla communium non generícorum, conceptuum. Sed ne in exemplo Lycheti videatur principium peti, facilè ostenditur, in aliis exemplis, quod unitas conceptus, non statim inferat rationem generis. Calor unum conceptum habet, ad intensum & remissum calorem: Et quantitas ad longam & brevem & animal ad marem & fœminam. Et ens ad simplex & compositum. Et tamen nullum istorum habet rationem generis. Non in primis duobus exemplis. Nam magis & minus & majus & minus non variant species. At si calor genus esset caloris intensi & remissi; remissus & intensus calor, utique specie different. Et idem est de quantitate.

Rursus si animal esset genus maris & fœminæ, mas & fœmina essent specie diversa. Absurdè. Nam specificum discrimen est essentiale, sexus autem discrimen non est essentiale sed accidentale, ut ex Phys. constat.

Denique si ens esset genus ad simplex & compositum, tùm simplex esset species entis & proinde simplex (in actu signato sumptum) esset compositum ex genere & differentia, & proinde simplex non esset simplex, inprimis, quia simplicitas etiam removet compositionem ex genere et differentia.

151. *Instantia. Quomodo Deus & creatura sint primo diversa?* *Dices*: Sic nihilominus Deus non erit à creaturis aliquid primò diversum, si conveniretur creaturis in aliquo, quod etiam absurdum est. Patet consequentia, quia, ut Arist. 5 *Metaph. c.* 10. tradit, non diversa sed differentia dicuntur ea, quæ in aliquo conveniunt, et in aliquo differunt.

Respondet Scotus, 1. *d.* 8. *q.* 2. ubi et Lychetus *fol.* 110. et idem *ad* 1. *d.* 2. *q.* 1. Quod Deus et creatura non sint primo diversa in *conceptu*. Sed solum sunt primo diversa in realitate, quia in nulla re conveniunt.

152. *Extrema contra-* *Ad alteram* objectionem Respondeo, quod extrema contradictoria possint sumi forma-

Formaliter, vel materialiter seu fundamentaliter, seu pro rebus, talibus prædicatis subſtratis. Ut maximè igitur formaliter ſumpta contradictoria, non poſſint convenire in uno communi conceptu: ſecus tamen eſt in rebus, de quibus contradictoria dicuntur, hoc eſt, non dependere & dependere. Nam, in ſimili, ſubſtantia & accidens dicuntur contradictoria fundamentaliter, quatenus ſcilicet in iis fundantur prædicata contradictoria, eſſe per ſe & non eſſe per ſe. Et tamen ſubſtantia & accidens conveniunt in uno communi conceptu Entis, quod in ſuperioribus patuit. *dictoria quomodo non poſſint convenire in uno conceptu?*

Quod autem creaturæ dicuntur *Non Entia*, nihil officit. Nam id ſolùm dicitur, vendicando Deo Entitatem, per excellentiam, qui modus loquendi in aliis etiam uſitatus eſt, ad ſimilem eminentiam in alio inſinuandam. Quod enim creaturæ ſimpliciter non ſint non entia, apparet, quia aliàs non poſſem dici creatæ. Creatio enim non terminatur ad dandum non eſſe. Quod conſiderans Auguſtinus, ait, creaturas non eſſe, *quia non ſunt id quod tu* (Deus) *es: Et tamen ſunt, quia à te ſunt.* 153. *Quomodo creaturæ dicantur Non Entia.*

PUNCTUM V.
Continens conſectarium ſecundum.

Quod Entis conceptus in ordine ad Deum & creaturas non ſit analogus; analogiâ illâ, quæ eſt per proportionem & denominationem extrinſecam.

EX iiſdem etiam ſequitur, quod Entis conceptus non ſit analogus per analogiam proportionis vel extrinſecæ denominationis. Ut hoc quod dico rectè intelligatur, inprimis animadvertendum, quod Entis conceptus ad Deum & creaturas ſit analogus, ut infrà conſtabit. Solùm nunc removeo ſpuria genera analogiæ, quæ hîc non interveniunt. 154

Igitur 1. dico: *Entis conceptum non eſſe analogum per analogiam proportionis.* Analogum analogiâ proportionis dicitur id, quod de pluribus dicitur, propter analogiam, hoc eſt, proportionem ſeu ſimilitudinem, quam habet unum ad aliud. Hæc Analogia non fundat unitatem in eſſendo, quæ ταυτότης dicitur, ſed ſolùm ſimilitudinem ſive convenientiam accidentalem, quæ ὁμοιότης dicitur. Hanc analogiam habet os, quod prædicatur de ore animalis, & radice plantæ, quæ illi eſt pro ore. Ita Barbaroſſa analogicè dicitur, cùm prædicatur de ipſo Cæſare Barbaroſſa, & de effigie Barbaroſſæ. Hanc analogiam etiam habet Ens, cùm prædicatur de Ente reali & de Ente rationis, quod illius quaſi imago eſt. 155 *Removetur omnis analogia proportionalitatis.*

Nunc ergo patet, Ens ad Deum & creaturas non eſſe iſto analogiæ genere analogum: quia hæc analogia coincidit cum æquivocatione. Id enim quod tale dicitur per proportionem ad aliud non eſt niſi Metaphoricè tale, ut patet. At quod de uno ſuorum dicitur propriè, de alio impropriè & per Metaphoram, id ipſum æquivocum eſt. At ſuprà viſum eſt, Entis conceptum non eſſe æquivocum ad Deum & creaturas. 156

Deinde quòd ſub tali analogo eſt poſterius analogatum, ſeu quod dicitur tale propter ſimilitudinem ad aliud, id remotâ iſtâ comparatione non dicitur aut eſt amplius tale. At Ens creatum v. g. homo, abſolutiſſimè de eo loquendo, omnino Entitatem habet, dimiſſâ illâ comparatione ad Deum. Non igitur ſolùm homo, v. g. dicitur Ens, quia Enti ſit ſimilis, ſed abſolutè eſt Ens & per hoc, Ens de Deo & creaturis, non dicitur iſto genere analogiæ. Confer Suarez *diſp. 28. ſ. 3. num. 11.* & Fonſecam, *4. Metaph. c. 4. q. 1. ſ. 7.*

Dices: Omnino Ens creatum in Entitate aſſimilari Deo, juxta quod dici ſolet, quod homo habeat divinæ particulam auræ. Ergo omnino hîc eſt proportio ſive ſimilitudo. 157

Reſpondeo: Etiam inter ea, quæ in conceptu univoco conveniunt, facilè dari ſimili-

tudinem. Omne scilicet genitum est simile geneti, ait Aristo. 2. *de anim.* 4. *text.* 49. Unde apparet, non omnem similitudinem facere analogiam propositionis, quæ solùm tunc est, cùm aliqua res non habet aliquod nomen, nisi in quantum simile est ei, cui per prius convenit, ut in hujus libri *cap.* 1. plenius dixi, contra Fonsecam, de analogia entis ad substantiam & accidens. Atque hoc ostendi non esse in proposito exemplo.

158. *Removetur analogia extrinsecæ denominationis.*

II. *Ens non est analogum analogiâ illâ attributionis, quæ est per extrinsecam denominationem.*

Inprimis hic tene, quòd summatim *aliqua* analogia sit proportionis, alia attributionis. Ista hactenus à præsenti negotio remota est.

Analogia attributionis est duplex.

Analogia autem *attributionis* rursus duplex est. Alia est per attributionem intrinsecam, quâ scilicet quod analogum est, significat unam quandam entitatem inæqualiter & dependenter inventam in analogatis. Hanc enim in sequentibus assignabo. Alia autem est per extrinsecam solùm denominationem, quam nunc ab ente removeo.

Ista igitur analogia extrinsecæ denominationis, est, cùm aliquod commune nomen prædicatur de pluribus per habitudinè ad aliquid unũ, quod prius analogatum dicitur. Sic primò convenit animali esse sanum. In isto igitur reperitur sanitas. Per habitudinem ad istam animalis sanitatem, multa alia dicuntur sana, cibus, urina, remedium, &c. Non utiq; per inhærentem sibi sanitatem, sed per extrinsecam denominationem, factam, ad sanitatem animalis, quam diversimodè ista respiciunt.

159. Igitur quod nec hæc analogia conveniat enti in ordine ad Deum & creaturas, iisdem fundamentis patet: Quia hoc etiam genus analogiæ coincidit cum æquivocatione. Ista nempe omnia non dicuntur sana nisi æquivocè. Non enim est unum significatum, ũ sanum esse, in istis singulis, quod ad æquivocationem satis est. Superiùs autem ostensum est, ens æquivocum non esse.

Deinde dimissâ illa attributione, istis posterioribus analogatis, non convenit, ut sint sana, et absolutè sana non sunt. Ut dimisso omni respectu hominis v. g. ad Deum, nihilominus in se et intrinsecè habet humanitatem atque adeò entitatem, quæ identicè in humanitate includitur. Plura addere nolo.

Objicitur locus Aristotelis.

Sed *objicitur* locus ex Arist. 4. *Met. c.* 2. *text.* 2. Ubi Aristoteles omnino dicit ens prædicari de substantia et accidente sicut sanum de sanitate animalis, et exteris quæ sana dicuntur, quorum utrumque est contra jam dicta.

Verba Aristotelis hæc sunt. *Ens autem multipliciter dicitur*, inquit, *verum ad unum, unámque quandam naturam, & non æquivocè sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem, quoddam eò, quod eam conservat, quoddam eo quod facit, quoddam eò quod est signum sanitatis. Quoddam verò capax ejus est.* Et addit ibi Aristoteles simile exemplum de Medicinali, quod etiam de aliquibus dicitur κατ' ἐν. Et tandem subjicit. *Ita et ens multipliciter dicitur, sed totum ad unum principium. Quædam enim entia dicuntur, quia substantiæ sunt, quædam quia sunt substantiæ passiones, quædam quorum sunt ista ad substantiam.*

Explicatur. Æquivocum bifariam dicitur.

Ad hæc igitur *Respondeo*, 1. æquivocum bifariam dici. Aliquando æquivocum sumitur quasi per excellentiam, pro eo quod nullam prorsus in significatione sua, involvat unitatem, quale quid est, quod casu æquivocum dicitur, quale quid est jus ad legem et ostium. Sic igitur æquivoca non sunt, quæ plura significant, sed tamen cum aliqua unitate (non quidem essentiæ, quæ aliò pertinet, sed accidentali, veluti cum propter similitudinem aliquam vel extrinsecam habitudinem aliquod nomen plura significat, quæ aliàs dicuntur æquivoca ex consilio. Atque ita apparet ea quæ κατ' ἐν dicuntur, hoc modo æquivoca non esse. Aliter autem æquivocum dicitur omne illud, quod sub communi nomine non significat communem essentiam, ut Arist. definivit æquivocum, *1. Cat. g. c.* 1. Et hinc æquivoca dicuntur, sive ex casu sive ex consilio talia sint. Unde cum *sanum*, v. g. non significet unam et eandem essentiam, in iis quæ sana denominantur, ideo hoc modo loquendi æquivocum rectè dicitur. Et sic, quoad hoc, constat veritas dictorum.

Deinde

Deinde, quod Aristoteles addit: Ens dici multipliciter *sicut sanum, &c.* In eo non vult stabilire omnimodam convenientiam, quæ sit in utrumque analogia sed ea similitudo est, quæ satis habet, si in aliquo tertio procedat. Sufficienda igitur est illa comparatio in eo, quod utrumque istorum, nempe & ens & sanum dicuntur de suis analogatis per prius & posterius. Et hoc verum est de utroque. Quo posito, in cæteris facilè potest esse differentia sive dissimilitudo, sic, ut ens quidem significet unum conceptum in suis analogatis, sanum autem eum non habeat. Et hoc intuitu dixi, quòd ens ad sua analogata non dicatur sicut sanum, propter hanc nempe dissimilitudinem, quam dixi.

PUNCTUM VI.

Ens non esse univocum ad Deum & creaturas.

160 NUnc venio ad secundam, quæ Scoto tributa est, opinionem. Observo autem primò in ea, quòd hæc opinio ad bonum sensum accommodari possit.

161 Id igitur potest fieri trifariam. *Primò* video Scotum & ejus allectas, generatim, omne illud dicere univocum, quod unum quid significat, in suis (ordine prædicandi) inferioribus. Vide inter alios Lychetum Scoti interpretem, 1. *d.* 2. *q.* 4. *fol.* 45. & *d.* 3. *q.* 3 *f.* 75. & *d.* 8. *q.* 2. *f.* 109. *fin.* 2. unde videri potest, Scotum univocum non opponere nisi analogo illi, quod tale dicitur per proportionem & extrinsecam denominationem, quod & ipse in priori puncto removi. *Tribus modis in bonum sensum explicatur univocatio entis.*

Et juxta hunc sensum, revera conceptus entis non analogus sed univocus est, prout & prius ad consectarium primum ostensum est, eum unum esse. Viderique hinc potest esse solùm litem de nomine.

162. *Secundò*: vox univoci ambiguè sumitur, aliquando adæquatè opponitur æquivoco: aliquando autem ei opponitur inadæquatè, ut scilicet, præter æquivocum, opponatur etiam analogo. Et priori quidem modo sumsit Aristot. univocum, *l. Categ. c.* 1. ubi Arist. § 2. univoca ea dicit esse, *quorum & nomen est idem, & ad illud nomen accommodata definitio est eadem.* *Univocum dicitur ambiguè.*

Et juxta hunc sensum, iterum ens est univocum ad Deum & creaturas, hoc est, non æquivocum. Univocum enim solùm negatur esse ens, quatenus inter univocum & æquivocum tertium datur, hoc est analogum. In qua oppositione horum trium, univocum non est, quod eandem essentiam sub communi nomine significat, sed quod eam eandem significat, æqualiter existentem in univocatis, & non, ut eam habeat unum eorum primò, aliud per dependentiam ab isto.

163. *Tertiò* Analogum, ut visum est, est medium inter univocum & æquivocum, Medium, inquam, per participationem extremorum, seu propter similitudinem, quam habet ad utrumque extremum. Convenit enim analogum cum univoco, quod unam essentiam significat: In eo autem ab ipso deficit ad æquivoca, quod eam unam essentiam in analogatis significat inæqualiter, hoc est, cum ordine quodam & dependentia unius ad alterum. Unde summatim relinquitur, quòd analogum sit admodùm vicinum univoco, magisque ei assimiletur quàm æquivoco, quodque adeò, propter istam maximam assimilationem ad univocum, possit etiam univocum dici, quod analogum est, illâ tamen analogiâ quæ intrinsecæ attributionis dici potest.

164 *Absolutè* tamen censeo: Ens univocum dici non debere ad Deum & creaturas. Quã ad rem suppono, quod quæ in uno conceptu conveniunt, hanc tamen habeant differentiam. Nempe istorum aliqua prædicatur de suis (ordine prædicandi) inferioribus, ut nulla sit, quoad istius attributi participationem, dependentia; In aliis autem illa dependentia reperitur. Velut, animal unum communem conceptum significat, quê participant homo & bestia. Hic igitur participando esse animalis, nec homo à bestia, nec bestia ab homine dependet. Estq; adeò participatio æqualis, quoad istius ordinis remotionem & attendendo istam unius ad alterum independentiam. In oppositum etiam ens unum conceptum significat, ad substantiam & accidens, sed istum entis conceptum non participant substantia & accidens æquè: Sed *Ens non esse univocum ad Deum & creaturas. Occasio distinguendi univocum ab analogo quænam?*

accidens per posterius. Accidens enim habet entitatem per inhærentiam. Inhærentia autem non potest apprehendi, citra aliquod præexistens, quod jamdum habeat esse, & suo esse quasi fulciat & sustentet id, quod alii inhærens est. Hoc ipsum est substantia. Ergo sic substantiæ per prius convenit entitas, et mediante eâ, tanquam sustentante, convenit accidenti essentia.

165 Ad hanc igitur diversitatem significandam, nunc usurpatur nomen analogi et univoci. Dicitúrque univocum, id, in cujus participatione, eorum, quæ sub eo sunt, unum non dependet ab alio, quale quid prius erat in animali ad hominem et bestiam. Analogum autem est illud, quod, cùm unum conceptum significet in suis inferioribus, non tamen eum participant ista æqualiter et æquè primò, sed unum dependet ab alio, quale quid erat Ens in ordine ad substantiam et Accidens, quod etiam de causa *superiori cap. 1. hujus libri* analogum esse dixi.

166 Hinc nunc probatur principalis intentio: Id quod est univocum, significat unam quandam essentiam æqualiter, hoc est, æquè primò et citra dependentiam, inventam in suis inferioribus. Ad hoc enim significandum, ut visum est, usurpatur nunc vox univoci. At tale quod non est in Ente ad Deum et creaturas. Ergo Ens ibi non est univocum.

167 Assumptum patet: Nam Ens creatum participat istum communem conceptum Entis, dependenter ad Deum, ut ipsa vox *creati* innuit. Indéque non videtur ullo modo apprehendi posse, quomodo entitas æquè primò reperitur in creato et increato quia de ratione entis creati est, ut sit ens per dependentiam ab increato, in quo quasi fulciatur et sustentetur illius esse. Plura non addo.

Argumenta, quæ contra hæc faciunt, commodiùs sequenti puncto octavo solvúntur.

PVNCTVM VII.

Ens esse analogum ad Deum & Creaturas.

168. NUnc ad tertiam opinionem venio, in qua analogum intelligitur de illo, quod alii analogum per attributionem (cáinque, quæ sit ab intrinseco) vocant. Ita enim sumendum est, cùm univoco et æquivoco opponitur analogum. Id enim quod analogum est, per proportionẽ, et extrinsecã denominationem, reverâ æquivocũ est; ut primo puncto, ad consectarium secundum, visum est. Unde in ista oppositione ad æquivocum, non relinquitur analogum, nisi quod per attributionem dictum est.

169. *Analogi duæ conditiones.* Hoc igitur analogum duas potissimùm conditiones habet. *Prima* est, ut quod sic analogum est, habeat unum conceptum ad sua analogata. In hoc enim distinguitur contra æquivocum. *Altera* est, ut eum communem conceptum inæqualiter participent analogata: Non intelligendo illam inæqualitatem, secundùm diversitatem dignitatis. (Nam tale quid potest esse in univoco) sed juxta diversitatem ordinis, ut scilicet aliud analogatorum participet istum conceptum communem primò, aliud autem demum per dependentiam ad prius analogatum. Et quoad hoc analogum distinguitur contra univocum, quod æqualiter participatur à suis inferioribus.

170. Igitur nunc ens analogum esse ad Deum et creaturas sat clarè ex prioribus conficitur: Aut enim Entis conceptus ad Deum et creaturas est idem vel diversus: Non hoc, quia ens de Deo diceretur æquivocè, quod refutatum est priori puncto. Si autem est idem conceptus. Ergo vel in *Deo* et creaturis is unus conceptus reperitur æquè primo vel non. Non illud, quia sic esset ejus conceptus univocus, quod puncto secundo refutatum est. Relinquitur igitur ut is unus conceptus Entis reperiatur in *Deo* et creaturis inæqualiter, in *Deo* quidem per prius, in creaturis autem per dependentiam à *Deo*. At hæc ipsa est analogia, de qua contendo.

PVNCTVM VIII.

In quo objectiones solvuntur.

171. OBjicitur 1. Ens non esse analogũ sed univocum, quia univoca sunt, quæ sub uno nomine unam etiam essentiam significant, per Arist. 1. *Categ.* At id facit Ens. *Resp.* Vnivocum in ista Aristotelica definitione non opponi analogo, sed solùm æqui-

æquivocè, vide quæ dicta sunt, *præcedenti puncto 6. Num. 162.*

Objicitur II. Analogum non potest fundare unum conceptum. At id secus est de Ente. 172.

Resp. I. Ad antecedens per distinctionem. Analogiæ sc. extrinsecæ denominationis & proportionis non fiunt secundum unum conceptum. Aliud autem est de analogia attributionis, quam vocant. Nam inter hujus conditiones requiritur, unam essentiam significare.

Objicitur III. Ens creatum ab increato solum dependere, quoad particularem modum essendi, & illam dependentiam non involui in præciso & abstracto conceptu Entis. In eo enim nihil vel finitatis vel infinitatis includitur, quia si id esset, revera non posset manere unus conceptus. Reverâ enim quilibet experitur, quod non possit uno conceptu apprehendere dependens & independens. Ergo saltem iste præcisus ac abstractus conceptus Entis non est analogus sed univocus. 173.

Resp. Analogiam & univocationem non spectari, nisi *in participatione* conceptus communis. Unde ad eum considerandum non est sistendum *in præciso* conceptu. Proindéque si particulares modi essendi, per quos indifferens ratio Entis contrahitur ad Ens creatum & increatum, involvant istam in essendo dependentiam, tum, hoc ipso, Ens non erit univocum sed analogum. Nam ad hoc ipsum significandum usurpatur ista analogi & univoci differentia, ut prius visum est ad punctum sextum, *num. 164.*

ARTICULUS. II.

De esse Dei substantiali.

IN superiori articulo visum est, Deum Ens esse. Quia igitur Ens est substantia vel accidens, nunc declarandum est: quid horum Deo conveniat, & quomodo? 174.

PUNCTUM I.

An Deus sit substantia.

RAtio dubitandi est, quia Deus solet dici ὑπερούσιος, *super substantialis* ex Dionys. *c. 1. de Div. nominib. & 2. de myst. Theol.* unde videtur diminuta esse perfectio, esse substantiam: Deinde substantia à substando dicitur, quia scilicet substat accidentibus. At id Deo non convenit. Deinceps plerique Metaphysici docent, quod divisio Entis in substantiam & accidens, sit solum Entis subdivisio, qui ajunt, quod Ens primum dividatur in finitum & infinitum, postea Ens finitum sit substantia vel accidens. 175. *Ratio dubitandi.*

Hac in re Dico I. *Deum non esse accidens.* Ita patet, quia accidentibus convenit modus essendi, valdè imperfectus, talis scilicet, qui fulcitur & sustentatur ab alio. Indignum autem est Deo, ranquam αὐτυπαρξάτῳ Ente, dependere ab alio in essendo. 176.

Dico II. *Deum esse substantiam.* Ita sequitur ex priori, præsuppositâ unâ eáque reali & positiva essentia in Deo, quam priori articulo ei competere vidimus. Quicquid enim unam, eámque realem & positivam essentiam habet, id eam vel habet αὐτυπαρκτον seu per se subsistentem, vel ἐν ὑποκειμένῳ, hoc est, non per se sed in alio subsistente. Hoc autem Deo non convenit, quia quod tale est, accidens est. Ergo prius Deo convenit. At quod habet essentiam per se subsistentem, id substantia est. Atq; ita substantiam esse, non est diminuta perfectio, sed perfectio simpliciter. 177.

Solvuntur objectiones.

AD *primum Resp.* οὐσίαν significare & essentiam (unde ὄν hoc est, Ens dicitur) & etiam significare substantiam. Unde Deus ὑπερούσιος vocatur dupliciter; *Primò*, quia est supra ens: *Secundò*, quia est supra substantiam. At non dicitur esse supra Ens, quo minus etiam dicatur Ens. Ergo nec est supra substantiam, quo minus possit dici substantia. Dicatur igitur & supra Ens & supra substantiam, solum significando eminentiam ejus, quam in ratione Entis & substantiæ habet, quæ utrobique tanta est, ut communem quasi rationem essendi & subsistendi dignitate sua, transcendat. 178. *Deus dupliciter ὑπερούσιος dicitur.*

Ad

179. *Ad secundum* respondent aliqui, quòd substantia non à substando dicatur, sed à subsistendo. sed id non admodum probo, apparetque secus esse ex ipsofonovocis substantiæ. Dixi ea de re plenius, *in Introd. Log. c. 5. n. 2. & 6* & adde supra *h. l. c. 1. t. 3.*

Igitur II. Respondeo, si substantia à substando dicatur, adhuc Deum posse dici substantiam, idque bifariam.

Nam *primò* valdè frequens est, ut nominis defiectant in usu, à sua impositione, & aut latiùs vel angustiùs sumatur, ac prima nominis fert impositio, ejusque notatio. Unde si vel maximè substantia inde dicta esset, quia substaret accidentibus, posset tamen ex dicta nominum proprietate, aliqua res substantia dici, quæ nullis accidentibus substaret.

Deinde non necessariò, *n* substare exponitur positivè, quasi scil. significet respectum substandi accidentibus. Potest itaque id negative exponi, ut substare dicatur, quod non fulcitur aut sustentatur ab alio, sed quasi suo esset stat. Ita Suarez hanc vocem interpretatur, *disp. 33. Met. sect. 1. num. 3.* unde sic etiam sine incommodo dici potest, quòd Deus subest, & à substando, sit substantia.

180. *Ad tertium* dico: Entis divisioni in substantiam & accidens præmittendam esse divisionem entis in finitum & infinitum, ut istud solum porrò dividatur in substantiam & accidens, si scilicet per substantiam velimus intelligere prædicamentalem substantiam, vel prædicamentum substantiæ, substantia enim prædicamentalis, (cum prædicamentum sit series generum & specierum) de omnibus suis inferioribus dicitur per modum generis. Infinito autem non convenit esse sub genere. At nunc non loquor de prædicamentali substantia, ut mox dicam, sed solum de substantia simpliciter, atque sic dico conceptum substantiæ Deo convenire.

PVNCTUM II.

Quomodo Deus sit substantia.

181. HUjus quæstionis decisio ferè sumitur ex priori. Igitur I dico: *Deum esse substantiam, solum sub substantiæ nomine apprehendendo id ens, quod per se est, sive subsistit, seu quod esse suum habet prorsus independenter ad aliud sustentans.* Hoc enim hactenus perfectionis est. Ille autem respectus, qui præterea substantiis convenit, ut sustententur accidentia, imperfectionis est, unde is, sub nomine substantiæ implicari non debet. Sic Lychetus *1. d. 8 q. 2. fol. 110 fac 2.*

182. II. *Deus non est per se substantia prædicamentalis.* Ita etiam apparet ex prioribus. Nam substantia prædicamentalis dicitur de suis inferioribus, quæ directè scil. sub illa continentur, per modum generis, ut præcedenti puncto ad tertium confirmatum est. At de Deo nihil per modum generis prædicari potest, ut in seqq. videbitur.

183. III. *Nihilominus, qualibetque reductione Deus est in prædicamento substantiæ.* Ita patet, quia prædicamenta constituunt universale & adæquatum objectum Logicæ. Neque enim alio consilio de iis agitur in Logicis. At subjectum Logicæ comprehendit quicquid quacunque ratione intelligibile est. Universaliter enim Logica perficit intellectum, in ordine ad omnia intelligibilia, quoad modum cognoscendi. Oportet igitur, ut id, quod quoquomodo intelligibile est, ad prædicamenta referatur; siquè id non sit per se, ob defectum vel eminentiam aliquam (est enim esse in prædicamento perfectio media) est ad saltem per aliquam reductionem. sed hanc etiam tum disputavi. & à variis objectionibus liberavi in Logicis. Ad Logicam enim ex instituto pertinet prædicamenta constituere. Vide prolixè *in Introd. ad Log. c. 2. n. 43. & seqq.*

ARTICVLVS III.

De esse Dei spirituali.

184. PRæcedente articulo secundo visum est Deum esse substantiam. Jam substantia est corporea vel spiritualis. Quæritur utrum Deus horum posterius sit.

Ac

An Deus sit Spiritus.

DE voce spiritus, quidque sit spiritus, satis supra dictum est, *hoc l.* 2. *c.* 2. *n.* 110. *seqq.* Nempe Spiritus est substantia expers materiæ & formæ. Quid ergo nunc inquiritur? An Deus Entitatem suam habeat per materiam & formam? An vero sit Ens & essentiam habeat, ab utroque immunem? Rursus, cum spiritus opponatur corporis, id quæritur: An Deus Spiritus sit aut corpus? Corpus inquam, sumendo pro eo, quod ex materia & forma componitur. Quod ideò, quia corpus quandoque sumitur pro omni illo, quod habet esse verum & reale, & non umbratile: quo sensu aliqui Deum corpus vocarunt. Vide supra *l.* 2. *c.* 2. *n.* 110. & *c.* 4. *num.* 24. Hæc in re *primò* probo, Deum esse spiritum & spiritualis substantiæ. *Deinde* soluo objectiones. 185.

PUNCTVM 1.

Probatur Deum esse spiritum.

IN primis de fide certum est. Nam Scriptura disertè Deum vocat spiritum, *Joh.* 4. *v.* 24. πνεῦμα ὁ Θεός. *Deus est spiritus.* Deinde id etiam probatur rationibus Philosophicis. 186.

I. Quicquid habet materiam & formam id non est Ens primum. At Deus est Ens primum. Ergo non habet materiam & formam. Ergo non est corpus sed spiritus. Propositio probatur, quia materia & forma non cohærent & uniuntur nisi ab aliquo componente, & istam unionem efficiente. Nam forma non potest seipsam unire materiæ, quia hæc ipsâ posterior est. Neque materia id ipsum facere potest: ut quæ nullius est activitatis. Fingi autem non potest, quod compositum sibi uniat suam materiam & formam. Nam per talem unionem, id quod ex materia compositum est, demum accipit essentiam. Ergo ante factam istam unionem est non Ens. Ergo nec operari potest, efficienter uniendo sibi materiam & formam suam. 187. *Rationes pro spiritualitate Dei essentiæ.*

II. Deus est actus purus. Ergo nulla convenit ei potentia passiva. Ergo nec habet materiam, & per consequens est spiritus. 188.

Antecedens patet, quia potentialitas ad imperfectionem pertinet, unde videmus è creaturarum genere, quo Entia aliqua magis recedunt à potentiali esse, quod tantò sint perfectiora.

Jam porrò probatur prima consequentia, inde. Purum dicitur unumquodque ex eo, quod est suo opposito impermixtum. Actus ergo purus dicitur, qui nihil admiscet potentiæ, potentiæ inquam passivæ. Activa enim potentia nihil imperfectionis infert.

Secunda autem consequentia similiter facilè probatur, quia materia multiplicem potentiam (passivam) implicat. Nam *Primo* implicat potentiam in ordine ad formam, quæ illi advenit, tanquam actuans & perficiens illam. *Deinde* implicat potentiam in ordine ad agens, à quo illi forma infertur, prout antè visum est in primo argumento.

III. Si Deus includeret materiam & formam, atque adeò spiritus non esset, tùm essentialiter dependeret à materia & forma. Ergo à parte rei, & non solùm juxta modum concipiendi. Esset aliquid Deo prius, & Deus esset aliquid dependens. Hæc omnia sunt absurda. Nam sub nomine Dei apprehendimus primum Ens, quódque adeò ab omni alio est independens. Connexio probatur. Nam materia & forma sunt in composito per modum partium essentialium, eò quod conferunt ipsum esse rei compositæ. Porrò illæ partes sunt partes Physicæ, hoc est, tales, quæ sunt à parte rei, & inter se realem distinctionem habent. Et à parte rei habent essentias, quarum singulæ sunt naturâ priores re compositâ. Unde plenum est, si istæ in Deo sint, quod Deus non sit primum & independens Ens. 189.

Dependet enim utique ab ista sua materia & forma sicut homo ab anima & corpore.

190. *Denique;* Si Deus non esset spiritus, sed corpus: atque adeò haberet materiam & formam, tùm etiam haberet quantitatem. Quantitas enim est proprium consequens materiæ. At absurdum est Deum dicere quantum. Nam ex infrà dicendis constabit, Deum esse immensum. Unde si & quantus esset, haberet immensam quantitatem. Si ita, tùm nec motus ullus, nec corpus ullum, posset esse in mundo, nisi facto miraculo, quod absurdum est. Patet tamen. Nam quantitas facit impenetrabilitatem quantitatis alterius, unde, quia supposita immensâ quantitate Dei jam undique est Dei quantitas, nulla quantitas alia subingredi posset, quod reverâ est nihil aliud, quàm tollere omnem motum, corpus omne.

Dixi, nisi facto miraculo. Nam scimus, divina virtute auferri posse à quantitate, hunc ejus affectum, quo ipsa aliam subeuntem quantitatem prohibet. Id autem perquam absurdum est, mundum non consistere nisi per continuatum miraculi exercitium, quod esset in tali coëxistentione actus, quem alias præstat quantitas.

191. *Tuetur:* Corpus, quod Deo tribuitur, non esse tale, qualia sunt nostratia, sed in infinitum subtilius ac tenuius.

Removetur à Deo subtile corpus.

Respondeo: Illud igitur corpus, qualecunque vel quomodocunque id sit, subtile an crassum, vel habet materiam (qualemcunque itidem & hanc sit) vel non. Si hoc: jam absolutè non est corpus. Id enim Ens, quod materia caret, non corpus sed spiritum vocamus. In ista enim, ad corpus, appositione, Spiritus sumitur, pro isto Ente, quod materiam non habet. Sin verò dicatur prius, quod scilicet Deus materiam habeat, tum adhuc remanent priores imperfectiones in Deo; nempe, quòd Deus non sit ens primum, sed dependens ab al quo componente; & quoad essentiam suam ab intrinsecis ejus partibus: item, quòd potentiam impleret passivam, Ex quod quantitatem haberet. Nam hæc omnia oportet, ut ex qualibet materia inferantur, seu ut in crasso seu tenui corpore. Sequuntur enim ad rationem materiæ simpliciter.

PVNCTVM II.

In quo solvuntur objectiones.

192. OBjicitur quod in Scripturis Deo tribuatur anima. Sic ait Deus *Hebr. 10. v. 38. Si subtraxerit se non placebit animæ meæ.* Anima autem est forma. At forma relativè dicitur ad materiam. Ergo sic habebit Deus & formam & materiam.

193. 2. Imò illud ipsum corpus aliis Scripturæ textibus per varia membra describitur. Tribuuntur enim huic unde Deo incumbra corporea, oculi, aures, manus, dextra & sinistra, pedes, caput, tergum, et sic de reliquis.

194. 3. Tribuuntur Deo attributa rerum corporearum, veluti sunt situs, sedendi, stando, et motus, ascensionis, et descensionis, affectus, iræ, doloris, tristitiæ, misericordiæ.

195. *Respondeo:* Hæc singula esse intelligenda per ἀνθρωποπάθειαν, hoc est, eo loquendi more, quo de Deo loquimur, ac si homo sit. Quæ autem dicuntur de Deo ἀνθρωπομόρφως, intelligenda sunt [illegible]. Quod dixi, patet. Nam supponit articulo vilius est, clarè in Scripturis Deum Spiritum dici. Scriptura autem sibi non contrariatur. Oportet igitur, ut alia quæ corporeitatem insinuant, dicantur de Deo Metaphoricè, veluti, ut anima, oculi vel aures & alia humana Deo tribuantur, quatenus ipse etiam tale quid operari potest, (quanquam immediatè per simplicem suam essentiam) quod nos efficimus per talia organa, vide Anshelm. *lib. de expositione actuum & membrorum Dei.*

196. Dices: Æquè multa, imò plura esse loca, quibus docetur Deum esse corporeum quid, per attributionem externorum membrorum, quàm quibus tribuitur esse spiri-

spirituale, unde potius per Metaphoram explicandum esse, quod Deus Spiritus vocetur, quàm quod toties ei corporea membra designantur.

Respondeo: Si Spiritus Metaphoricè sumatur, tum ejus appellationem deseriptione Dei per membra corporea non convenire. Nam illa membra, si ea propriè *Cui membra corporea potius tribuenda intelligenda sint, insinuant, Deum constare crassa aliqua materia, qualis se licet* *quam Deus Spiritus vocatur?*
in hominibus esse solet & ad varietatem organorum, variis actibus vitalibus ministrandum, necessaria est. At tale quid non solemus spiritum dicere per Metaphoram, siquidem corpus quidem vocari potest nomine *Spiritus*, sed si sit admodum subtile & tenue, ut tactum fere omnem effugiat, qualis quid est ventus, aër. Quia igitur Metaphorica Spiritus acceptio, cum proprietate quoad membra corporea, stare non potest, oportet, ut versâ vice, Spiritus propriè sumatur, & per Metaphoram explicentur membra corporea, ut alia argumenta, quæ ad persuadere possent, dimittam. Patuitque adeo hactenus 1. Deum Ens esse. 2. Eum substantiam esse. Et 3. Eum Spiritum esse.

TITULUS VI.

DE UNITATE DEI.

IN superiori *tit. 4. b. cap. art. 7.* dixi, quod post considerationem quidditativorum Dei attributorum, (quæ hactenus fuerunt) agere velim de illis, quæ ex transcendentibus affectionibus & divisionibus Entis sumuntur. In istis autem primò occurrit unitas. 197.

Et generatim quidem loquendo de unitate transcendenti, facilè constat, quod Deus sit aliquid unum; Significat enim Deus utique aliquid indivisum, Deum, inquam, & non Deos, aut aliquid quod non sit Deus. Neque enim unitas transcendens statim significat aliquid unum numero, sed satis est ad eam, si quid significet essentiam indivisam, sive aliàs illud Ens sit universale sive singulare, ut supra satis constitit. 198.

Quia tamen Ens secundùm unitatem distinguitur 1. in singulare & universale. 2. in simplex & compositum: ideo sub præsenti titulo disquirendum est. *Primo*, de unitate Dei numerali, seu an Deus sit aliquid singulare, & unum quid numero, an verò essentia Dei possit multiplicari in plures vel species vel individua, quo in casu Deus aliquid erit universale. *Deinde* etiam disquirendum est de Dei simplicitate. 199.

ARTICULUS I.

An Deus sit aliquid singulare & unus Numero.

Principio, voci singularis aliqui Patres minus faverent, ut suprà retuli l. 1. c. 7. Sed de verbis litigandum non est. Deum esse aliquid singulare. Metaphysicè loquendo, est nihil aliud, quam Deum esse unum Deum tantum, vel etiam non esse plures Deos. 200.

PUNCTUM I.

In quo referuntur variæ opiniones.

FIctur plures Deos introduxerunt Hæretici & Gentiles, veluti Carpocratiani sive Gnostici, teste Epiphan. *hæres. 33. & 36.* Aug. *de hæres. c. 6.* Apellitæ, test. Eusebio, *lib. 5. hist. cap. 13.* Manichæi, teste Augustin. *de mores. cap. 46.* Pertinent & hùc, qui sub nomine trium personarum, tres Deos nominârunt, inde dicti Tritheitæ, quales fuerunt Peratæ apud Theodoret. *l. 1. c. 18. de Fabulis hæreticorum.* Philoponus, apud Nicephorum *l. 18. c. 48.* Et superioribus temporibus Valentinus Gentilis, *Prolus. 20. 23.* idem docuit. Quod autem Gentiles plures Deos introduxerint, probatione non egeo. Est enim ita liquidissimum. 201.

202. Non etiam defuerunt in Ecclesia, qui etsi consenserunt, quòd unus sit Deus tantùm: Existimârunt tamen id non posse naturali ratione probari, sed solùm esse cognitum ex revelatione Scripturarum, veluti Ockam & Gabriel, 1. *d.* 2. *q.* 10. ut meminit Valent. *tom.* 1 *disput.* 1. *q.* 11. *punct.* 2. Et Guilhelm. Var. 1. *d.* 2. *q.* 1. ut meminit Lychetus *ibidem q.* 3.

203. Deinceps igitur probabo ex Scripturis, Deum esse unum, tum etiam ex naturali ratione, & consensu etiam saniorum Ethnicorum; unde simul patebit, non solùm de ista numerali Dei unitate ex revelatione constare: tandem etiam proponentur & solventur objectiones.

PUNCTUM II.

In quo probatur Deo numero unum esse.

204 *Ex testimoniis Scripturæ.*

IGitur Deum esse aliquid singulare sive ens unum numero, inprimis ex Scripturis certum est, Deut. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum.* Et Deut 32. *Videte quod ego sim solus & non est alius præter me.* Isa. 45. *Ego Deus et non est alius, extra me non est Deus.* Alia testimonia mitto. Ista enim clarissimè evincunt id, quod propositum est. Nam quòd non possit intelligi alia unitas præter numeralem, saltem patet, si talem modum loquendi tribuamus particulari alicui homini. Is certè non potest dicere; Ego sum solus homo & non est alius præter me: cujus rei ratio alia esse non potest, quàm quia sub specie humana de facto dentur multa individua ejusdem speciei. Ergo in oppositum iste modus loquendi de Deo evincit, quòd non sint plura individua sub esse divino: sed quòd sit Deus unum quid numero.

Rationes pro unitate Dei.

205 *Ratio 1. infinitate. Non posse esse plura infinita.*

RAtiones verò ad idem probandum variæ esse possunt. *Prima*, sumi potest ex infinitate Dei. Inprimis enim omnes apprehenderunt Deum sub esse infiniti. Inde igitur sic arguo. Non possunt esse plura infinita. Ergo nec possunt esse plures Dii. Ergo Deus est aliquid unum numero, & singulare. Hujus Enthymematis antecedens patet, quia si plura essent infinita, nihil istorum esset infinitum, quia unum quodque istorum careret aliquâ infinitâ perfectione, eâ scilicet, quæ ultimò est in infinito altero, quâque hoc ab illo distingueretur. Oportet enim unumquodque infinitum distingui ab alio infinito. Ergo habebit aliquid quod non habet alterum. Ad id ut infinitum sit oportet, Sumitur enim distinctio ab eo, quod in quaque re ultimum est, quódque ultimum ac summum dat perfectionem. Non convenit igitur, ut illud ultimum sit finitum quid. Deerit igitur infinito huic, quod ita ponimus, aliquid infinitum. Et sic ad eundem modum cæteris aliquid infiniti deesset. At per defectum infinitæ perfectionis reliniquitur res finita. Ergo suppositâ pluralitate infinitorum nihil infinitum est ex istis, atque ita oportet, ut infinitas solùm tribuatur uni enti. Consequentia autem Syllogismi est firma, quia sub nomine Dei, ut dictum est, omnes apprehendunt, id quod infinitum est.

206. II. Si plures essent Dii, tum vel illi essent *subordinati*, ita ut unus eorum sit sub alio, quomodo Gentiles Jovi subordinant Deunculos cæteros: vel essent *coordinati*, tanquam æqualis dignitatis, ordinis, virtutis ac perfectionis.

Non possunt esse plures Dii subordinati.

Si primum dicatur, quia, in subordinatis causis, inferior causa est limitationis virtutis ac est superior isti subordinati *Dei*, non essent *Dii*, quia haberent ab alio superiori causa limitationem virtutis. Ergo illa illimitata virtus esset solùm penes summam causam illius ordinis. Ergo illa sola verè esset Deus. Nam omnes apprehendimus Deum esse aliquid, in virtute agendi illimitatum atque infinitum & independens.

Nec coordinati.

Si autem eligatur posterius; quod scilicet illi multi *Dii* sint *coordinati*: tum ite-

rum

rum interrogo: sintne illi Dii ita coordinati, quia neuter istorum potuerit sufficere ad gubernationem, v.g. mundi. Annuerò solùm ex placito, quia ita illis placuerit, partiri operas, cùm singuli alias sufficientes essent ad eundem effectum, puta mundi gubernationem. Primum dici non potest, quia ex defectu virtutis, (ad cujus supplementum exigunt istam societatem) singuli istorum cognoscuntur esse finitæ perfectionis. Ergo nullus eorum est Deus. Sin verò posterius dicatur, quòd scilicet cùm singuli sufficientes essent, placuerit tamen ita partiri operas, tum inprimis nulla prima ratio dari potest, ob quam ista Entia sint multiplicanda. Neque enim plures eorum esse, ullo modo revelatum est, & inde.

III. Porro argumentor: quod sufficienter & æquè bene fit uno posito, id melius fit per unum quàm per multos. Fit enim ordinatius cùm ordo fit per revocationem ad unum. Et melius est id fieri per unum quàm per multos. Quò pertinet illud Homeri: 207.

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
Non bona res regnum multi, Rex unicus esto.

Unde & Aristoteles *l. 12. Metaph.* Entia nolunt malè gubernari. Non est autem bona pluralitas. Unus ergo Princeps. Et Athanas. *in orat. contra Idol.* Ubi Princeps non est, ibi distributio nascitur. Unde concluditur, quod multitudo Deorum est nullitas Deorum: Plura vide apud Stobæum *sect.* 45.

Gentilium testimonia de unitate Dei.

Alt Apostolus Rom. 1. *Quod Gentiles cognoverint Deum, non tamen, ut Deum glorificaverint.* Id eatenus etiam verum est, quatenus illi peregrina quædam & inconvenientia attributa illi attribuerunt. Veluti quod, inter alia, multos Deos introduxerunt. Et quanquam ita factum est, tamen aliquando unum esse Deum dixerunt, cùm usi sunt *normâ rationis & artis*, ut eleganter Prudentius ait in *περὶ στεφ.* 208.

Prudentius.

Consule, inquit, Barbati deliramenta Platonis,
Consule & hirsutos Cynicos, quos somniat, & quos
Texit Aristoteles tortâ vertigine nexos:
Hos omnes ancipi semper labyrinthus & error
Circumflexus agit; quamvis promittere & ipsi
Sublimem soleant aut Gallum, Climenus ut se
Dignetur præstare Deus mortalibus æquum:
Cæci tentatum tamen ad normam rationis & artis
Turbidulos sensus & litigiosa soporis
Argumenta modis concludunt Numen in unum.

Et id ipsum diligenter aliqui patres ostenderunt ab Ethnicis traditum esse. Vide Justin. Martyr. *Ode. Monarch. Dei, & Orat. Parænet. Aug. lib. 4. de Civ. Dei. Arnob. l. 3. cont. Gent.* Lactant. *lib. 1. Instit. c. 5.* Tertullian. *in Apolog. cap. 10. segq.* Pauca dicta huc referam. 209.

Orpheus πολυθεΐαν primùm introduxisse dicitur, à Justino *in orat. ad Gentes, tom. 1. fol. 55.* Is tamen tandem ad filium suum sic scribit, ut *ibid.* refert Justinus: 210. *Orpheus.*

Solis cantu pii, omnes procul esse profani:
Tu Musæe, audi, Lunæ progenite suavis,
Pernicioſa prius, utæque infesta furenti,
Ex me cognosti: sed nunc te vera docebo.

Et postea subdit:

Regemque hunc orbis adora.
Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit.
Inque his ipse extat, nulli è mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

Hic hausit, Exundansque hæris, generi mala nostro
Et bellum horrendum & tellus immissa cervos,
Non alius conflat vegetator magnus ab illo.

211 Sic & Sophocles:

Sophocles.

Unum profectò numen, unus est Deus
Qui condidit cælum & solum terræ patens
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique sophum, mente sed capti, Deum.
Simulacra nobis, ceu mali solatium,
Cum fixa atque aerea consecravimus,
Tum & aureas eburneasque imagines
Hos vultimus placamus, has festos dies
Agimus: pios hoc esse nos rati modo.

212. Sic & Pythagoras, ut Justinus refert *de Monarch. Dei tom. 1. fol. 207.*

Pythagoras.

Extra unum si fors jactet, sibi numina quisquam,
Debet & is merito talem sibi condere munstrum.
Hic meus est, tellus tum dicat: & incolat orbem.
Ipse suum, testans quo sit fallore creatus
Et qua de causa.

Plura recensere nolo, qui plura cupit, videat Autores prius allegatos.

PUNCTUM II.

In quo proponuntur & solvuntur objectiones contra Dei unitatem.

213. TRes objectiones sunt potissimùm contra superiorem doctrinam. Igitur 1. non videtur Deus esse aliquid singulare sed universale. Idcóque unitas, quæ de Deo dicitur, videtur non esse intelligenda de unitate numerali, sed speciei, vel generis. Universale enim est, quod prædicari potest de pluribus. At vox hæc, Deus, prædicatur de pluribus, nempe de Patre, Filio, & Spiritu sancto. Ergo Deus etiam est aliquid non singulare sed universale, & confitetur, quod Damascenus *l. 3. de Orth. fid. c. 4.* Divinitatem ait esse *communem* tribus personis. At communitas & communicabilitas repugnant rei singulari, & indicant naturam universalem.

214 Unde 2. Porro non apparet, quomodo unitas Dei stare possit cum fide nostra, qua jubamur tres divinas personas venerari. Videntúrque adeò inde omnia argumenta nostra everti. Nam ita tribus convenit, sicut Deitas ita & infinitas, quod primo argumento negabatur. Rursus tribus convenit æqualis, cáque infinita potestas, quod secundo argumento negabatur. Denique hic mundi regimen non apparet quomodo sit Monarchicum, si id tres respiciat.

215. *Objectiones Scripturis. Quorum communicabilitas repugnet rei singulari.*

Denique ipsa Scriptura multos Deos dicit 1 *Cor.* 8. Multi sunt dii & Domini multi.

Ad horum *primum*, responsum suprà est, *l. 1 c. 7.* ubi plenius vide. Inde breviter dico: quod non omnis communicabilitas tollat naturam singularem; sed ea solùm, quæ est in ordine ad plures species vel individua. Ea autem communicabilitas, quæ est talis, qualis est naturæ ad suppositum, facilè potest esse cum singularitate. At Pater, Filius, & Spiritus S. non sunt species vel individua Dei, tanquam generis aut speciei, ut elegantèr docet Aug. *l. 7. de Trin. c. 6.* quia omne genus & omnis species multiplicatur in suis speciebus & individuis: unde cùm animal & bestia sint genus equorum, hinc tres equi rectè dicuntur tres bestiæ & tria animalia. At divinarum personarum singulæ quidem sunt Deus. Non tamen cùm tres personæ sint, sunt tres Dii, sed, ita in Scripturis singularum illarum divinitas revelatur, ut tamen non unitas & Deitatis unitas confirmetur. Unde inferri rectè sequitur, quòd illæ personæ, per unam numero Deitatem, Deus sint.

Damasce-

Damascenus autem Deitatem ait esse communem personis, solùm quoad modum prædicandi, ut suprà d. l. expositum ex Lombard. ind. 19 cap. *Damascenus quomodo dicat naturam communem?*

Unde etiam ad secundum respondetur: Trinitatem non tollere unitatem. Nam unitas est, attendendo essentiam divinam. Trinitas est, attendendo multitudinem relationum. Non sunt autem opposita, quæ non intelliguntur secundùm idem. 216.

Unde patet, Trinitatem non evertere argumenta, facta pro unitate Dei. Infinitas enim est essentialis Dei attributum. Unde sicut ipsa essentia non multiplicatur in personis; ita nec infinitas. Et proinde in tribus personis subsistit una essentia. Est itaque infinitus Pater, infinitus Filius, infinitus Spiritus sanctus. Et tamen non sunt tres infiniti. sed unus est infinitus. Sicut est æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. & tamen non sunt tres æterni, sed unus æternus est, ut ait Athanasius Symb. Deinde in Trinitate est quidem æqualis potestas personarum; Sed tamen non est diversa unius ab alia, præter identitatem essentiæ. Unde non tam æquales, (quæ aliquam diversitatem importat, quàm una est singularum personarum potestas, si rigorosè loquamur. Denique nec desinet regimen mundi esse monarchicum, tùm quia istæ tres personæ sunt unus Deus, tanquam unus Monarcha, tùm etiam, quia illarum personarum actiones ad extra, qualis esse gubernatio mundi, sunt indivisæ, juxta Theologorum regulam. *Trinitas non evertit argumenta pro unitate Dei.*

Ad *Tertium* respondetur, supplendo Scripturam. Dii sunt multi & Domini multi, *nobis tamen*, addit Apostolus 1. Cor. 8. *Deus unus est.* Unde Dii multi dicuntur, complectendo omnem significationem, quæ est sub voce Deus, & commemorando etiam putativos, quos *Deastros* vel *Deuncules* dicere solis. Juxta rei veritatem autem & accurate loquendo, subjicit Apostolus, unum esse Deum. Atque hoc in præsenti, etiam intenditur. Sed hæc prolixius explicantur à Theologis. 217.

ARTICULUS II.

De simplicitate Dei.

ALterum quod complectitur unitas est simplicitas. Nunc ergo videndum: Simplexne Deus sit an compositus? Ubi communissima est sententia, quòd Deus sit simplicissimum ens, atque adeò expers omnis compositionis Damasc. l. 1. c. 2. *de Orth. fid.* Deum vocat ἀσώματον, ἀσύνθετον καὶ ἀσύγκριτον, Aug. *in qq. V. & N. T. q. 1.* Deus est spiritus naturâ simplex *l. 1. de Trin. cap. 6.* Deus etsi multiplex dicitur, vere tamen & summè simplex est. Anselm. *Lib. 1. de fid. cap. 7.* Deus naturæ simplicis est, non conjunctæ atque compositæ. Et quis omnia loca vel Autores recensere possit. 218. *Deus simplex?*

Cæterum ut de tota hac materia vestibus constet, primùm aliqua præcognoscenda sunt. Deinde inspiciendæ variæ compositionum generibus videndum est, ut ea à Deo removeantur. tum quæ singulis objiciuntur, statim sunt addenda. 219. *Proponenda.*

PUNCTUM I.

In quo præcognoscuntur aliqua.

PRimò igitur animadvertendum est; quòd simplicissimum aliquid dicatur bifariam. Nempè aliquid dicitur simplicissimum absolutè & simpliciter, aliud autem dicitur simplicissimum secundùm quid, & in certo aliquo genere. Sic cælum dicitur quia simplicissimum, sed in genere corporum, hoc est, est corpus simplicissimum, unde quia cælum est corpus, includit utique aliquam compositionem, puta eam, quæ est ex materia & forma, ac partibus quantitativis. Simplicitas igitur illa non removet omnem compositionem, sed eam solùm, quæ in corporea natura, ultra compositionem, quæ ad esse corporis necessaria est, requiritur. Nempè est ea, quæ est ex elementorum mistione. Deum autem simplicissimum vocamus in genere Entium. Unde sicut in genere corporum dicitur simplicissimum, quod 220. *Simplicissimum bifariam dicitur.* *Cælum quomodo simplicissimum?*

quod nullam compositionem habet in genere corporum specialiter possibilem; ità etiam in genere Entium dicetur id simplicissimum Ens, quod nullam habet compositionem simpliciter in genere Entium possibilem.

221. *In simplicissimo potest esse Compositio rationis.*

II. Igitur potrò nunc ad istam summam simplicitatem non requiritur defectus compositionis rationis. Nihil enim obstat, quò minus etiam in re simplicissima, ratio sivè mens nostra multiplicet conceptus, quibus una eademque res, quæ à parte rei simplicissima est, inadæquatè repræsentetur. Atque ita etsi in Deo apprehendamus multa attributa, tamen inde non efficitur, ut Deus non sit simplicissimus. Multa enim ni solùm sunt attributa, propter inadæquationem nostræ intellectionis, ad apprehendendam Dei essentiam. Alias, à parte rei, nulla est inter ista attributa realis multitudo. Et consequenter nec compositio realis. Realis enim compositio necessariò præsupponit realem multitudinem componentium, hoc est, eorum, ex quibus res aliqua dicitur composita. Ubi tamen nec hoc dandum est, quod statim, quæcunque est compositio per rationem, Deo tribuenda sit. Aliunde enim potest inferre imperfectionem, propter quam ea Deo repugnet, ut infrà patebit in compositione ex genere & differentia, esse & essentia natura & supposito.

Cur aliqua rationis compositio Deo repugnet?

222. *Summa simplicitas duo removet.*

III. Est observandum: quòd summa simplicitas excludat omnem compositionem *ex* aliis, & omnem componibilitatem *cum* aliis, ut rectè docet Lychetus *lib. 1. d. 8. q. 1. fol. 108.* Duplex enim est compositionis genus, *Ex his & cum his.* Unde cùm simplicitas tollat omnem compositionem, etiam tollit eam qua quid dicitur esse compositum cum his. Et patet: quia non aliud est compositionis genus, quo res ex subjecto & accidente dicitur composita. Neque enim hic exurgit rectum, sed essentiæ subjecti additum accidens, statim facit compositionem cum ista.

223. *Denique*: specialiter prænotandi sunt modi compositionis, de quibus nunc quæritur. Quæritur igitur: An Deus ita simplex sit, ut non habeat compositionem, ex genere & differentia, *aut* ex materia & forma, *aut* ex esse & essentia, *aut* ex natura & supposito, *aut* ex subjecto, & accidente, *aut* an sit cum re alia Deus componibilis? Atque ita nunc optimo modo defendemus Dei simplicitatem, si omnes istos modos compositionum à Deo removerimus.

PVNCTVM II:

In quo removetur à Deo compositio ex materia & forma.

224. HÆc res satis evicta est in præcedenti titulo, in quo confirmatum est: Deum habere esse spirituale, atque ita esse spiritum, non autem corpus. Nam per Spiritum significatur illa substantia, quæ materiæ & formæ expers est. Satis etiam ib. solutæ sunt objectiones, huic doctrinæ contrariæ. Nihil ergo nunc addendum superest.

PVNCTVM III.

In quo removetur à Deo compositio ex genere & differentia.

225. QVod Deo non conveniant genus & differentia, satis *in superiori titulo 3. a. 1.* evictum est, ubi ferè potissimam rationem, cur Deus perfectè definiri non possit, dedimus hanc, quia non habeat genus & differentiam. Indeque quod hæc isti non conveniant, ibi confirmatum est satis. Et hinc statim sequitur Deum non esse compositum ex genere & differentia.

Scotus

Scotus 1.d.8.q.2.idem confirmat ex infinitate & necessitate Dei. Ex infinitate quidem, quia omne genus sumi debet ab aliqua realitate, quæ secundùm se est indifferens ad realitatem, à qua accipitur differentia. Sed nullum infinitum est potentiale ad aliquid, quod sit ejus perfectivum. At quicquid in Deo est, est infinitum. Ergo nihil in Deo potest apprehendi, quod rationem generis habeat. Hæc enim sunt oppositæ conditiones: Quia si genus Deus habeat aliquid perfectibile includit. Et tamen si sit infinitas, repugnat ejus quicquam in eo, (tanquam essentiale prædicatum, unde & ab intrinseco constituatur) sit, quod habeat aptitudinem acquirendi aliquam perfectionem. *Deum genus habere repugnat ejus infinitati.*

Ex necessitate autem primi Entis, idem sic conficit Scotus, & cum eo Avicenna 8. *Metaph. cap.4.* S. necessarium Ens haberet genus, tum illius genus esset vel ex se necessarium, vel non. Si hoc dicatur, tùm id quod est Ens necessarium, esset constitutum ex non necessario, quod est absurdum. Si verò dicatur prius, tum illud genus esset sub suo actu ultimo. Nam ens necessarium est in in actu ultimo. At Genus non est in actu ultimo, nisi cum conjungatur suæ differentiæ. Ergo & illud genus includit suam differentiam. At illud nat, non est genus. Est enim contra rationem generis, differentiam includere, ut constat. *Et necessitati.*

Objectiones quod Deo conveniat genus.

OPpositam sententiam defendunt Ariminenses, & Biel Johannes Major 1. d. 8. Item Albertus de Saxonia & Robertus Holcotus *l.1.q.5.* ut refert Leucheetus 1.d.8.q.2 *fol.110.* Argumenta ipsorum hæc sunt. *Primo.* Quod Patres solent Deum vocare substantiam. Et August *l.5.de Trinit.* docet, quod Spiritus significet substantiam Dei, quod nihil aliud est, quàm quòd Spiritus sit quidditativum Dei prædicatum. At genera nihil aliud sunt, quàm quidditativa Dei prædicata. 226.

Deinde afferunt autoritatem & rationem Averrois, ex 10. *Metaph. Comment.7.* Ibi docet Averroes, quod in quolibet genere sit unum aliquod primum, sicut in coloribus est unus aliquis color, qui quasi sit mensura cæterorum. Vide & Arist.10. *Metaph.c.3.*

Igitur in substantiis etiam est una prima substantia. Hæc autem substantia non est alia quàm primus motor. Unde sicut in aliis generibus, quod est primum, est aliquid illius generis. Ita etiam primus motor, hoc est, Deus erit, aliquid è genere substantiarum. Atque sic genus ejus erit substantia. 227.

Tertio: Potest concipi substantia creata & increata. Et neuter conceptus est simpliciter simplex. Ergo istos conceptus resolvendo, remanebit notio substantiæ indifferens, adutrumque & sic indifferenter accepta, erit verum genus substantiæ increatæ. 228.

Quarto addunt: Si quid prohiberet, Deum esse sub genere, tùm id esset simplicitas Dei: Atqui id non efficit. Nam Angeli & accidentia, inquiunt, sunt Entia simplicia, & nihilominus tamen sunt sub genere, ut constat. 229

Denique videtur Deus prædicari per modum generis aut speciei, de tribus personis. Et idem est sub nomine personæ. Nam utrumque istorum prædicatur de istis personis in quid. At si Deus potest esse genus, cur non posset includere genus? Nam utrobique æquè recurrit eadem imperfectio, nempe perfectibilitas. Tum enim inde saltem sequitur, quod Pater, v.g. sit compositus ex genere, veluti essentia divina & differentia, hoc est, accedente charactere hypostatico,

Solvuntur objectiones.

NIhil tamen horum efficit, quòd Deus sit sub genere, quódque adeò ipse sit compositus ex genere & differentia, unde ea solvenda sunt, quæ jam sunt allata. Ad quæ omnia diligenter observandum est, quod & suprà ostendi n. 150. *hujus cap.* quod non omnis quidditativus conceptus habeat rationem generis 230. *Non omne quidditativum prædicatum*

catum est genus. Patétque nunc iterum breviter. Nam non de ratione generis est prædicari in quid, sed de differentibus specie. Unde si quid prædicatur in quid, non tamen de differentibus specie, non erit revera genus. Id autem est, cùm quid prædicatur de primo diversis. Nam primo diversa opponuntur differentibus. Rursus id est, cùm quid prædicetur de non distinctis essentialiter, vide quæ hac de re plenius dixi *in Introduct. Log. c. 3. Num. 8. & 9.*

231. *Substantia cur non sit genus Dei.* Et sic ex his statim constat vanitas præcedentis objectionis. Nam in primis admittitur, quòd Deus sit substantia, quódque substantiæ & spiritus nomen significent quidditativum Dei prædicatum. At non statim genus est quod quidditativè prædicatur. Deus enim & res creatæ sunt primò diversa. Unde quod indifferenter ad ista dicitur, rationem generis non habet. Sicut Ens neque genus est ad substantiam & accidens, eadem de causa, quia scilicet substantia & accidens primo diversa sunt. Et tamen aliàs Ens quidditative dicitur de substantia & accidente.

232. *Ad secundum* respondeo 1. Deum omnino posse dici substantiam & primam substantiam. Inde tamen non sequitur, quod substantia ejus generis sit, ut patuit.

Mensura & mensuratum non sunt necessario in eodem genere. Et porro respondeo: Per istam primitatem non sequi quod Deus præcisè debeat esse sub eodem genere cum aliis creatis substantiis. Nam unitas etiam est mensura numerorum. Et tamen ipsa numerus non est, neque ad prædicamentum quantitatis per se pertinet, sed solùm per reductionem: Quid? Quod Deus non solùm est primus in genere substantiarum, sed simpliciter in genere Entium, unde & accidentia mensurantur per ordinem ad Deum. An ergo & accidens Dei genus est? Absurde.

233. *Ad tertium Resp.* 1. Si admittatur, quod conceptus substantiæ increatæ sit resolubilis in duos, hoc est, in conceptum substantiæ & increati, nihilominus tamen inde non sequitur, nisi, quod substantia, præcisè sumpta, possit quidditative prædicari de substantia increata. At patuit jam, non omnem conceptum quidditativum esse genericum.

Non omnes complexi terminii involvunt duos conceptus. *Deinde* respondeo negando: quod substantia increata possit resolui in duos conceptus. Impossibile enim est, increatum apprehendere, non apprehenso esse substantiali in eo. Unde signum est infallibile, quod increatum non habeat conceptum differentiæ. Nam differentia facile apprehenditur non apprehenso genere. Exempla similia sunt in aliis complexis, v. g. *quantitas bicubita*; non potest resolui in duos conceptus, quantitatis scilicet & Bicubiti. Neque enim bicubitum possumus, ullo modo apprehendere, non apprehensa extensione, quæ formaliter facit quantitatem. Unde bicubitum specialiter implicat quantitatem. Sic etiam complexus terminus est, *Ens simplex*: Hoc non potest resolvi in plures conceptus, Entis scilicet & simplicis. Nam aliàs simplex non esset simplex, sed compositum ex genere (Ente) & differentia (simplicitate.) Plura talia exempla notari solent, cum de contractione Entis ad inferiora disputatur. Illa enim in universum, non fit per additionem aliquarum differentiarum, sed solum per expressiores ac determinatiores conceptus. Unde, si ad eundem modum philosophemur, (dimissa ex genere & differentia compositione) de quidditativis attributis divinis, certè magnificentius loquimur de Deo, quam istam compositionem ei tribuentes. Confer tamen apud Suarez. plura exempla, *Disp. 2. Metaph. s. 1. nu. 10 11. & Disp. 29. s. 3. n. 9.*

Ens quomodo contrahatur ad inferiora.

234. Ad *quartum* Respondeo 1. Quod simplicitas summa Dei præcise & sine addito loquendo, non removeat a Deo genus & differentiam. Nam simplicitas illa summa præcisè consistit in remotione compositionum realium. Genus autem & differentia realem compositionem non faciunt, quia realiter illa non distinguuntur. Potius igitur perfectio Dei removet ab eo genus & differentiam. Nam ista est in Deo infinita. Unde repugnat ut quicquam sit in Deo, quod sit perfectibile. At omne genus apprehenditur ut aliquid perfectibile. Atque hinc etiam antea remota sunt a Deo, genus & differentia, solum considerando infinitatem, & necessitatem primi Entis.

Denique

Denique: Deus aut persona, non potest per modum generis prædicari, de tribus divinitatis personis. Quia omne genus prædicatur de differentibus essentialiter, ut ex definitione generis antea eliciebamus. Personæ autem divinitatis non distinguuntur essentialiter, sed tubsistunt in indivisa & una numerò divina essentia. Vide Suarez, *Disp.30.s.4.n.31.* & August. *lib.7.de Trin.c.6.* 235. *Deus ut persona cur non sit genus trium personarum?*

PUNCTUM IV.

In quo removetur à Deo compositio ex esse & essentia.

236 In primis in hoc genere compositionis per *esse* intelligitur existentia rei. Unde sic, componi ex esse & essentia, est nihil aliud, quàm componi ex essentia & existentia, ut *lib.1.* declaratum est. Quanquam & alius sensus esse possit.

Inprimis igitur hæc compositio non satis removetur à Deo, si probentur ista (esse & essentia) in Deo non distingui realiter. Nam etiam aliqua rationis compositio Deo repugnat, si scilicet aliunde importet imperfectionem aliquam, ut prius de compositione ex genere & differentia dicebamus. Unde simplicitas Dei summa solùm tollitur, per reales compositiones. Perfectio tamen istius primi Entis etiam non admittit quasdam compositiones, per rationem factas. *Deinde* in creaturis etiam existentia & essentia faciunt compositionem, & tamen in illis etiam realiter non distinguuntur, ut suprà *lib. 1.c.15.n.23 seqq.* visum est.

237. *Cur in Deo non sit compositio ex esse & essentia*

Igitur: cur in Deo non possit esse compositio ex esse & essentia, ejus adæquata ratio est; quia mens nostra non potest in Deo distinguere existentiam & essentiam: citra specialem aliquam imperfectionem maximè Deo repugnantem. At quæ, ne quidem juxta diversitatem conceptuum, possunt distingui, ea nullam compositionem facere possunt. Compositum enim est ὁκ πολλῶν ἕν; ex multis unum. Unde omnis compositio præsupponit multitudinem componentium.

238

Igitur: quod in Deo non possint essentia & existentia concipi sub duobus conceptibus, patet, quia essentia, præcisâ existentiâ apprehenditur ut carens actualitate, proindéque ut laténs in causa. Existentiæ enim formale significatum est, actualis Entitas, & non latens in potentia. Ergo essentia divina, præcisa existentiâ ejus, apprehenditur etiam ut carens actualitate, & ut latens in potentia alicujus causæ, quæ eam actuare possit.

Cur Deus non possit apprehendi ut latens in potentia?

Iste autem conceptus multiplicem imperfectionem implicat. Nam inprimis quod dicitur esse Ens in potentia objectiva, id, ut Dd. loquuntur, sic dicitur, quia scilicet tale Ens possit esse objectum alicujus potentiæ activæ, unde producatur. Unde quicquid est in potentia, recognoscit aliquid efficiens, unde actuetur, vel actuari possit, indéque pro isto statu non est adhuc, nisi in viribus causæ, unde, hoc ipso, habet esse mutabiliter & contingenter, & si ista causa libera sit, poterit nunquam causari: Et proinde, quod est in potentia, nunquam erit. Hæ autem sunt imperfectiones maximæ, non esse primum Ens, sed dependere à superiori causa, quæ activè possit dare esse mutabiliter &c.

Paretque adeò: essentiam divinam non posse præscindi ab existentia, ut ipsa apprehendatur, dimissâ existentiâ & actualitate.

Existere est de essentia Dei.

Atque hoc volunt Doctores & Patres, cùm aiunt: ipsum existere, esse de essentia Dei. Unde similiter prorsus fit, ut essentia Dei non possit apprehendi, dimissâ existentiâ. Neque enim res apprehendi potest, dimissis iis, quæ sunt de ejus essentia. Vide August. *l.5.de Trinit c.2.& tract. 99 in Joan.* Hilarium *lib. 6.de Trin.* Et alios quos refert Valentia *Tom.1.in Thom. Disp.1.q.3. puncto.* 4.

Et ex hoc cognosci potest: cur existentia & essentia in creaturis faciant compositionem, non autem in Deo, quia scilicet essentia creaturarum intelligi potest, præcisâ actualitate sive ejus existentiâ. Essentiæ enim creaturarum non repugnat, ut sint in potentia, atque adeò ut lateant sub causis, ut sic de facto non sint.

239. *Cur ex esse & essentia componatur creatura, & Non Deus.*

Et hinc fit, ut existentia in creaturis, possit apprehendi per modum cujusdam actus supervenientis essentiæ ejus.

Et hinc porro est, ut existentia non sit de essentia cujusquam creaturæ, quod in Deo erat. Nam ut maximè et am in creaturis existentia non sit realiter distincta ab essentia: non tamen existentia est de essentia essentiæ creatæ. Sicut & differentia individualis in creaturis realiter eadem est, cum natura rei singularis; neq; tamen differentia ista est de essentia naturæ singularis, ut alibi disputatur. Colligiturq; ex istis: *non statim esse de essentia alterius, quod cum alio realiter idem est.*

PUNCTUM V.

In quo removetur à Deo compositio ex natura & supposito.

240. IN hoc puncto possumus trifariam loqui. I. de Deo præcisè, non habita ratione divinarum personarum, solùm in quantum sub nomine Dei, apprehendimus primum Ens. *Deinde* possumus loqui de Deo, ut subsistente in tribus personis. *Tertiò* de aliqua persona particulatim, vt puta Patre aut Filio.

241. Ex his, hi duo posteriores modi non tam ad Philosophiam quàm ad Theologiam spectant, quia attingunt materiam de Trinitate, quæ Philosophiam transcendit. In quibus punctis & Suarez existimat *Disp. 30 s. 4. nu. 13.* Ex ratione naturali non posse probari, perfectam simplicitatem & identitatem inter naturam & personam, cum distinctione reali personarum, inter se posse consistere. *Nihilominus tamen*, inquit, *certâ fide credimus, mysterium illud nihil simplicitati divinæ derogare; neque est contra naturalem rationem, esto sit supra illam.*

Refutatur compositio ex natura & supposito.

1. Igitur de prima consideratione loquendo non potest Deus, præcisè sumptus, dici compositus, secundùm fidem nostram loquendo, ex natura & supposito, quia Deus ut sic non est suppositum. Suppositum enim constituitur per incommunicabilitatem. At Deus est aliquid communicabile tribus personis. Ergo Deus sic sumptus non est suppositum, sive (quod in intellectualibus Entibus, idem est) persona: Et hinc communiter rejicitur Cajetani sententia, quæ ponit subsistentiam quandam absolutam in essentia divina. Vide ipsum *2. p. in Thom. q. 3. a. 3.* Id enim si esset, darentur quatuor suppositа divina. Nihil enim obstaret, quo minus Deus dicatur persona, præcisè sumptus, quia sic in eo apprehenditur subsistentia absoluta, quæ (ut nunc ista vox sumitur) ad rationem personæ satis est. Vide Valentiam *Tom. 1. disp. 103 puncto 3.*

In divina essentia non esse subsistentiam.

242. *Deinde:* Si natura esset aliquid distinctum quomodolibet à supposito, tum illa natura esset indifferens, quæ sit sub supposito divino vel creato. Exinde enim solùm sumpta est naturæ & suppositi distinctio, atque adeò compositio ex illis, in rebus realis.

Fundamentum hujus compositionis in rebus creatis.

Nempe quia in exemplo humanitatis Christi apparet; humanitatem (quæ est natura creata) manere, dimissâ suppositalitate humanâ, quæ ei supplebat est, per subsistentiam sive suppositalitatem τῦ λόγυ. Hinc collectum est 1. Humanam naturam (idémque est in cæteris creatis naturis) secundùm se indifferentem esse, ad suppositalitatem propriam & suppositalitatem alienam. Hinc *porro* collectum est, cùm aliqua natura creata, personata sit per suppositalitatem propriam, & ex natura sua sibi debitam, quòd in re creatâ concipiantur duo, natura & addita ei personalitas, è quibus ista tantùm (natura) competit humanitati Christi, hæc non. *Denique* hinc illatum est, illa facere in re creatâ compositionem, hanc scilicet, quæ est ex natura et supposito. Videlicet potest, non innotescere potuisse istam, ex natura et supposito, compositionem, nisi mysterium incarnationis illam revelâsset.

Talis quid autem non est in natura divina. Nam natura divina non potest apprehendi, ut indifferens ad suppositum divinum, et ad suppositum creatum. Nam suppositalitas actuat naturam. Vnde si divina natura posset apprehendi, sic quasi

suppo-

suppositari possit à supposito creato, hoc ipso apprehenderetur, tanquam actuabilis à creatura, quæ est imperfectio summa. Indéque quam maximè à Deo removenda est.

243

Tertiò: Facit huc; quod essentia non videtur satis præscindi posse à personis: Juxta illud Ecclesiæ dictum: *cùm unum cogito, statim in tria ferior.* Unde fit ut Theologi, formantes plenam Dei descriptionem, addant etiam mentionem singularum personarum, sic: *Deus est essentia spiritualis infinita, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, &c.*

244.

An Deus sit compositus ex natura et supposito, attendendo pluralitatem personarum?

De aliis duobus sensibus neque disserendum est Philosopho, neque ea de re disputare satis cautè possumus. Nebulæ in rebus τῶν ὑπερκειμένων transcendentibus, tutius est balbutire, quàm operosè disputare. Et res ipsa etiam rectiùs ex Scripturis explicari potest, dimissis Metaphysicis terminis, quàm si hos terminos isti mysterio scrupulosè applicare velimus.

Justinus Martyr non vult dicere compositionem, sed συνυπαρξίαν, Bono Consilio. Cùm enim res sit illa singularis, commodè etiam ibi adhibentur singularia vocabula, ne cùm per vocabula nostrarum imperfectionum loquamur, referamus etiam ad Deum imperfectiones nostras.

Verba ejus hæc sunt, tom. 3. in qq. & resp. quæst 129. *Quomodo Deus incompositus dicitur, è duabus personis, quæ intelligentiâ consubstantiales esse percipiuntur, Patris dico, & Filii. Et unius personæ, quæ facilem peculiaris substantiæ notionem præbet, sancti, inquam, Spiritus, omnimodæ compositionem?*

Respondet: *Qui facientem* (ποιητικὸν, Langius vertit generantem) *& componentem non habet, neque genitus* (factus) *neq; compositus est. Quocirca in Deo quidem dicimus esse æternam συνυπαρξιν, hoc est, coëxistentiam, non autem compositionem.*

Sic & q. 144. Itidem fol. 163. *Si*, inquit, *Deus habet* subsistentiam *existentem, & voluntatem inexistentem, & Filium existentem, quomodo tot modis compositus, simplex Deus dicitur?*

Respondet: *Sicuti Deus ubique est totus, & totus in quoquo, totúsque in se ipso, atque id fide nostra probamus: Ita etiam simplicitas ejus tota filius est, & tota filium habens est, totáque voluntas est ac tota voluntatem habens est. Non enim ad instar creatæ naturæ Deus est, ut id quod sit & id quod habeat per compositionem intelligetur, sicut natura creata. Verum pro eo atque naturam habet, ita etiam intelligendus est, id quod sit, & id quod habeat obtinere supra compositionem.* Nempe non vult Justinus creaturarum imperfectionibus dicatum, nomen compositionis, assignare Deo. Sed sicut sublimior Deo convenit essentia & subsistentia, ita oportet etiam ut ibi sint sublimiora nomina. Sed hac de re prolixiùs egi in oratione huic capiti annexâ.

PUNCTUM VI.

In quo agitur de compositione ex subjecto & accidente, adcóque disquiritur, an in Deo sint accidentia?

245.

HArum quæstionem una sequitur ex alia. Nam si in Deo sint accidentia statuem per unionem ad essentiam Dei facient in Deo ex subjecto & accidente compositionem. Et iterùm si hæc in Deo ponatur compositio oportet, ex vi terminorum, in Deo dari accidentia, alterum enim extremum in ista compositione est accidens.

246.

De quo sit quæstio?

Sunt autem hac in re duo præmonenda. *Primò* quæstionem esse de veris accidentibus, quæ differentiæ causâ dici pollunt *prædicamentalia accidentia*, quæque adeò realiter distincta sint à Substantia. Id ideò dico, quia attributa divina solent ab aliquibus accidentia dici, ut suprà ex Cyrillo retuli, *Num.* 88. Ista tamen attributa divina huc non pertinent. Nam non sumuntur ex prædicamentis acci-

dentium, ut eleganter, varia prædicamenta inducens Auguſt. ait, *l. 5. de Trinit. c. 2. Intelligimus Deum ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſidentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ulla ſui mutatione mutabilia omnia facientem, &c.* Pertinet & huc quod Athanaſ. ait, *l. 1. de Trin.* Θεὸς ἐ κατὰμεθεξιν ἀγαθός, ἀγαθὸς, ἀλλ' αὐτὸς ὢν ἀγαθὸς, οὐ τι ὢν ἀγαθὸς, hoc eſt, *Deus non eſt bonus bonitatis participatione, ſed ipſe eſt bonus, naturâ exiſtens bonus.* Et alias iſta attributa, ut ſuprà concluſum eſt, habent realem identitatem ad eſſentiam Dei, unde hoc ipſo præſens compoſitionis genus (ex ſubjecto & accidente) quod reale eſt, non efficiunt.

247 *Actionum conſideratio huc non pertinet.*

II. Quæſtio eſt de accidentibus, quæ *in Deo* ſint. Hæc enim ſola poſſunt compoſitionem in Deo facere. Compoſitio enim requirit unionem & connexionem extremorum illorum, ex quibus res aliqua componitur. Unde quod comparatur per modum egredientis ab eſſentia, vel ut aliquid extraneum ſive extrinſecum ad eſſentiam, id compoſitionem facere non poteſt in Deo.

248 *Actiones cur non faciant compoſitionem?*

Unde ſpecialiter relinquitur: quòd in Deo non fiat compoſitio ex ſubjecto & accidente, ſi maximè ei conveniat *agere*, tali actione, quæ prædicamentalis dici poſſit. Nam actiones non comparantur ad agens, per modum eſſendi *in*, ſed ſolùm per modum eſſendi *ab* alio, ut infrà dicemus in generali doctrina accidentium. Atque ita actiones tantùm apprehenduntur ut egredientes ab eſſentia rei. Quod autem egreditur ab eſſentia rei, hoc, eo ipſo, non poteſt cum eſſentia facere compoſitionem, quæ ut dixi, extremorum unionem requirit.

249 *Attributa extrinſeca non faciunt in Deo compoſitionem.*

Deinde: ex eadem obſervatione relinquitur: quòd extrinſeca Dei attributa non faciant in eo compoſitionem ex ſubjecto & accidente. Talia ſunt, quæ Voſſius introducit ex Goclenio, *in Notis ad Diſp. 3. de Deo, pag.* 208. quòd ſcilicet Deus colitur, invocatur, oſtenditur. Hæc enim attributa, hoc ipſo, quia extrinſeca ſunt; non ſunt *in* Deo. Indéque nec in Deo realem diverſitatem aut compoſitionem efficiunt, ut à fortiori apparet inde, quòd nec quidem in rebus creatis iſtæ paſſiones aliquid reale ſignificent, intra rem creatam, quæ ab iſtis paſſionibus denominatur, ut inde inportetur realis diverſitas & compoſitio in illam. Sunt enim ſimpliciter illæ denominationes extrinſecæ, & ſumuntur ab aliquibus actibus relatis ad objecta ſua. Actibus autem extrinſecæ ſunt res, quæ illis actibus objiciuntur. Nihilo ſimplicior vel compoſitior eſt Sol, ſive (à Gentili aliquo) invocetur ſive non. Et ſic in aliis.

Patétque id à ſimili, per illas denominationes, quas objecta habent, à potentiis cognoſcitivis, veluti cùm paries dicitur videri, aut cognoſci. Ibi paries, ſive videatur & cognoſcatur ſive non, nihilo eſt vel ſimplicior vel compoſitior, quia ſcilicet per iſta attributa, nihil reale dicitur aut ponitur in pariete, ſed attribuitur ei aliquid extrinſecum, quod de ſe ineptum eſt, ut compoſitionem faciat.

250. Igitur loquendo de veris accidentibus, quæ in re ſunt, communiſſima eſt Doctorum ſententia, quòd in Deo non detur accidens, quòdque adeò repugnet Deo compoſitio ex ſubjecto & accidente. Hanc ſententiam probabiliſſimam eſſe exiſtimo, unde & ſuperiùs, eo intuitu, diſputatur, *N.* 97. Attributa divina non eſſe accidentia propriè dicta: Docent ita & Patres, quos Autores infrà citandi retulerunt, quibus adde Pelag. *in Damaſc. l. 1. de Orthod. fid. c.* 20. *n.* 5. Prolixè iſta recitare nolo.

PROBATUR

Deo non convenire accidentia.

251 SUntque pro iſto argumenta hæc potiſſima. 1. Accidentia addunt aliquam Entitatem ſubſtantiæ. Ergo & addunt aliquam perfectionem. Omnis enim Entitas ſuam quandam perfectionem implicat. Ac repugnat ei, quod jam ſimpliciter

citer est infinitæ perfectionis, aliam perfectionem addi. Et sic quia Deus ex vi essentiæ suæ, est infinitè bonum quid, non opus est ut ei addatur aliquod accidens, per quod habeat bonitatem accidentalem; ita in simili, cùm infinitas perfectiones alias habeat, ex vi essentiæ suæ, non est opus, ut ei addantur accidentia alia, per quæ consequatur perfectionem accidentalem. Et confirmatur, quod accidentia ad hoc ordinentur, ut perficeant substantiam in accidentalibus. Repugnat autem Deo talis perfectionis additio.

252. II. Illa accidentia vel habent esse creatum vel increatum. Est enim inter hæc immediata oppositio, ut alibi constitit. At Accidentia illa non habent esse increatum nec creatum. Ergo non sunt ulla in Deo.

253. *Quod accidentia divina non habere possint esse increatum.* Quod esse increatum illa accidentia habere non possint, inde patet, quia soli Deo convenit esse increatum. Unde sequitur, si talia increata dentur in Deo, quod & ipsa sint Deus, atque adeò consequeretur; quod plures dentur Dii, supposito, quod adversaria sententia intendit, reali discrimine inter illa accidentia & subjectum suum, quod absurdissimum est. Deinde illa sunt incompossibilia, habere summam perfectionem, & esse infimæ perfectionis. At ista concurrerent, si daretur accidens aliquod increatum. Nam accidens, ut sic, notat diminutam & valdè debilem perfectionem, qua scilicet indiget aliquo se sustentante & fulciente. At in oppositum est summæ perfectionis, habere Entitatem increatam, hoc est, per se ipsam, & citra dependentiam ad aliud superius.

254. *Exceptio Vorstii, Refellitur, de increato spatio.* Disputat Vorstius *in refut. Sladi*, quod detur etiam aliquid increatum præter Deum, veluti est spatium quod præexistit creationi mundi. *Sed* hoc nihil ad rem pertinet. Nam illud spatium est increatum solùm negativè, hoc est, non creatum, quia scilicet nihil reale est. At nunc est sermo de increato, quod tale sit positivè, hoc est, quod Entitatem habeat, habet tamen eam increatam & independentem ab alio, id quod revera soli Deo convenit. Atque inde adhuc relinquitur, si accidentibus istis divinis realis eaque increata Entitas conveniat, quod revera Deus sint, quod antea absurdum erat.

255. *Quod accidentia divina non possint habere esse creatum.* Quòd autem accidentia illa non habeant esse creatum, id inde patet, quia sic ab æterno fuissent aliqua Entia creata. Patet consequentia, quia decreta divina (ex quibus potissimum adstruuntur ista divina accidentia) fuerunt ab æterno. At est id expressè contra fidem quod aliquid ab æterno creatum sit, ut clarè docet creationis historia. *Deinde*, cùm de ratione accidentis sit perficere subjectum, quomodo Deus, qui infinitum Ens est, potest perfici ab eo, quod creatum est? Alia argumenta mitto. Vide, si libet, plura apud Thom. 1. *p. q.* 3. *a.* 6. Valen. iam aliósque Commentatores. *Ibid.* Suar. *d. p.* 30. *s.* 3. Chemn. 1. *part. Loc. p.* 68.

Proponitur sententia Vorstii posterius in Deo accidentia.

256. *Vorstii inconstantia.* COntra hanc communissimam sententiam disputat Conradus Vorstius *in Not. ad disput.* 3 *de Deo p.* 208. *seqq. & in Apologiis suis passim.* Non sunt hæc simpliciter vera: *Nullum omnino in Deo accidens esse, sed quicquid in ipso est Deum esse* inquit, *d. l. p.* 207. in qua tamen re satis repugnanter loquitur. Nam disputat dari aliqua Entia sive accidentia in Deo à Deo & inter se realiter distincta, & tamen, nègat in Deo dari compositionem, & non nisi per κατάχρησιν ibi esse compositionem. Sic enim loquitur, *ad Apolog. Exegesi in append. Part.* 1. *num.* 4. Et rursus nihilominus hæc disputat, *in notis ad gatis*, ut evertat simplicitatem omnimodam Dei, ut ex titulo patet, *p.* 203.

257. *Argumenta Vorstii.* Argumenta Vorstii *prius d. l.* hæc sunt: *in Deo*, inquit, *sunt varia de rebus creatis vel creandis decreta, quæ revera inter se differunt, v. g. decreta, quòdam eligendi, alios reprobandi, mundum condendi vel abolendi, &c. quæ contrariis aut diversis saltem objectis ad quæ feruntur, aperte differunt. At Dei substantia unica & simplex est. Non igitur quicquid in Deo est, Dei substantia est. Esse autem illa decreta in Deo tanquam in subjecto, aut saltem tanquam in efficiente causa, vel ex eo constat, quod sunt effectus sive actiones Dei, omnis autem actio est in agente.*

15. Hæc

258. II. Hæc, ipsa decreta Dei libera sunt, hoc est, ita sunt in Deo, ut simpliciter possint aut potuerint non esse. Sic enim dicitur nos Deus elegisse, secundum *voluntatem* suam, *Eph.* 1. 4. At essentia Dei non potest non esse id quod est, nec ullo modo indifferens est ad esse, sive de contrarietatis sive de contradictionis indifferentia loquamur. Ergo non quicquid in Deo est, ipsa Dei essentia est.

259. III. Hæc ipsa decreta, quia pendent à causa voluntaria, videlicet à libera Dei voluntate, non sunt simpliciter æterna. At Dei essentia simpliciter æterna est, & omnis omninò principii sive originis expers. Non sunt igitur ista Dei essentia.

260. Extruit hinc *quarto* aliam rationem. Si quicquid in Deo est, Deus est, non potest quicquam apud animum suum Deus liberè, h.e. contingente sive indifferenter decernere. Proinde nec liberè aut contingenter potest quicquam operari. Nam in essentia Dei nulla est mutabilitas seu contingentia. Si igitur omnis actio divinæ voluntatis est ipsa Dei essentia, consequitur omninò, Deum quicquid vult, ex necessitate naturæ velle: Et quia quicquid vult, idem facit, sive efficitur ex eadem naturæ necessitate, eum omnia facere, quæ facit.

261. Hinc porrò, *inquit*, alia effloresceit ratio qua docetur accidentia etiam quædam in Deo locum habere. Nam (5) decreta illa Dei aut substantiæ sunt, aut accidentia. Non illud: quia neque Deus ipse sunt, (uti vidimus) neque res creatæ jam revera existentes. Siquidem aliud est propositum de re, aliud res ipsa. Ergo hoc: & proinde totidem in Deo accidentia sunt, quot decreta de rebus forte efficiendis.

262. Addit & *sexto* rationem ex Goclenio, quod Deus & colatur, invocetur, offendatur, &c. Et addo ego, *inquit*, ex Sacris literis, quod peccatoribus verè irascatur, contráque, bonis piorum operibus delectetur, deque creaturis suis lætetur, &c. Hæc autem omnia extrinsecè quidem accidentia sunt, quæque Deus aliquatenus tùm ad se recipit.

263. Tandem subjicit Vorstius considerationem distinctionum personalium in Trinitate, quæ & ipsæ videntur facere in Deo compositionem. Sed ea de re in præcedente puncto actum est, & nunc non agitur nisi de compositione accidentali.

EXAMEN.

Sententiæ Vorstianæ, de Accidentibus Dei.

264. ARgumenta Vorstii ferè omnia sumuntur ex decretis divinis, de quibus ipse disputat, quod realiter à divina essentia distinguantur, & proinde in Deo realem compositionem faciant, (accidentalem scil.) Quod si enim quandoque evitare vult nomen compositionis, revera tamen in rem ipsam incidit. Omnia enim dicta quæ ad veram compositionem pertinent, nempe 1. quòd illa decreta sint accidentia, 2. quódque ea sint in Deo, & 3. realiter distincta à Deo. Ista autem ad accidentalem compositionem satis sunt.

265. *Decretum quid.* Nunc igitur porrò advertendum est, quòd decretum dicatur de Deo per ἀνθρωποπάθειαν. Unde vox ista ab imperfectionibus expurganda est, ut rectiùs de divinis decretis judicemus. Igitur nos dicimur decernere (loquor enim de decreto, quatenus actum decernendi significat, cum soleat alias etiam decretum sumi pro sententia decreta, quæ quasi objectum est actus illius quo quid decernitur) quando ultrò citróque discurrentes & consultantes, tandem aliquid faciendum statuimus. E quibus, cum discursus ac consultatio sint imperfectiones, removendæ istæ à Deo sunt, & si divinum decretum nihil aliud est, quàm cognitio vel intuitus rei faciendæ. Ubi dum rem faciendam dico, Dei volitionem includo. Neque enim Deus quicquam facit, nisi quod velit facere. Loqui igitur de decretis divinis, est nihil aliud, quàm loqui de cognitione & volitione Dei, prout isti actus referuntur ad objectum externum. Philosophi, missio decreti nomine (quod προαιρετικώτερον est) disputant hac de re sub nominibus actuum liberorum.

Ad ple-

Ad plenam autem rei illius dijudicationem, de duobus dicendum est. I. An isti actus liberi realiter distincti sint ab essentia Dei, & proinde, *an* reverâ non sint substantiæ, *sed accidentia*? II. Sed distinguantur vel non, ab essentia divina: An in Deo *accidentalem compositionem* faciant? 266.

PRIMO DISPUTATUR.

Quid sint actus liberi Dei, & quomodo se ad essentiam Dei habeant?

ETsi solùm volitio Dei sit libera formaliter, loquimur tamen etiam de Dei intellectione, quia decretum divinum, ut visum est, cognitionem implicat. 267.

Cognitionem & volitionem Dei esse eandem cum essentia Dei.

268. Igitur dico I. *Cognitio & volitio Dei, prout in se sumuntur, & significant actum vitalem, quo Deus dicitur formaliter cognoscens, & volens sicut idem quod esse tia Dei.* Ita video teneri in universum ab omnibus Doctoribus, Philosophis & Theologis. Vide August. *lib.* 15. *de Trin. c.* 15 solétque idem deduci, *ex l.* 7. *de Trin. c.*7. ubi ait quod eâ Dei sit sapientem esse. At sapientem esse Deum, est nihil aliud, quàm eum intelligere. Adde Thom. 1. *p. q.* 14. *a.* 4. *d.* 2. *contra Gentes, c.* 10. Scotum, 1. *d.* 2. *q.* 1 ubi & Lychetum *f.* 44. *seqq.* Valent. *tom.* 1. *in Thom. Disp.* 2. *q* 14. *punct.* 1. Bellarm *l.b.* 3 *de libero arbitrio, cap.* 17. Suarez *in Met. Disp.* 30. *s n* 14. *& s.* 16. *num.* 32 *seqq.* 15. Idémque docet Aristoteles, ut inducit prolixè Suarez *disp.* 15. *n.* 40. *Intellectio & volitio Dei sunt idem quod essentia divina.*

Ista igitur assertio probari potest multipliciter. *Primo* Dei summa perfectio consistit in cognitione, & amore (quia ad voluntatem pertinet) saltem sui. Nam ex hac ipsa cognitione Deus fœlix & beatus denominatur. Absurdum autem est summam Dei perfectionem consistere in aliquo creato Ente, eóque accidente, quod omnium imperfectissimum est. 269.

Deinde si amor ille cognitio Dei esset aliquid à Deo distinctum, ergo essent Entia causata. Nam quod incausatum est, idem est cum Deo, cùm solùm sit unum Ens incausatum. At absurdum est, talia dici Entia causata. Nam quicquid causatur si producitur, id causatur mediante cognitione & volitione, hoc est, nihil producit Deus, nisi quod cognoscit & vult. Ergo *vel* progrediendum est in infinitum in istis cognitionibus & volitionibus, quæ ad facienda Entia creata prærequiruntur, *Vel* dicendum est aliquid à Deo fieri, ad quod non præsit aliqua cognitio vel volitio, quorum utrumque absurdum est: *Vel* denique sistendum est in aliqua cognitione & volitione increata, quæ consequenter erunt idem quod Deus, ut per dicta relinquitur. 270.

Dices: id procedere quidem de cognitione & volitione, quâ Deus *se ipsum* cognoscit & amat. Secus autem esse in istis, cùm cognoscuntur & amantur *res creatæ*.

Resp. I. Doctores ferè in communi sicut consentiunt, quòd cognitio & volitio, quâ Deus *se* cognoscit & amat, sint eadem realiter cum Deo: ita etiam docent, quod actus, quo Deus cognoscit & amat *creaturas*, sint idem cum Deo.

II. Et hoc ipsum sequitur ex priori. Nam nulla idonea causa dari potest, cur isti actus Dei, sint realiter idem cum Deo, cùm terminantur ad Deum & non cum terminantur ad creaturas. Imprimis verò id ipsum sequitur ex argumento, quod ad evitandum processum in infinitum factum est. Unde & id à Lychetto ex Scoto urgetur 1. *d.* 2. *q.* 1. *fol.* 44 *fac.* 4. *Cognitio & volitio etiam rei creatæ est idem quod Deus.*

Præsuppono, inquit ibi Lychetus, *quod Deus possit realiter causare hominem, atque tum certum est, quod non possit eum causare, nec voluntas illum velle, nisi præ*

intelligeretur. Quæro tunc, aut intellectio hominis est idem cum principio effectivo, aut est aliud. Si primum: habetur propositum, quod scilicet etiam intellectio, quâ Deus intelligit rem creatam, sit idem quid cum Deo. Si secundum: Ergo illa intellectio est quid causabile. Nam omne quod est aliud, à primo effectivo, est causabile. Sed voluntas non posset illud velle nisi & hoc præintelligeretur. Et tunc quæro de illa alia intellectione, an sit eadem cum Deo, an aliud. Si illud: Ergo & prima intellectio erit eadem, cùm non sit major ratio de secunda quàm prima: si secundum, tunc erit processus in infinitum in intellectionibus respectu ejusdem hominis causabilis. Ad istum igitur evitandum, est in prima intellectione hominis sistendum, quod scilicet ea realiter cum Deo eadem sit. Idemque est etiam de volitione rerum creatarum.

271. Item: si intellectio & volitio Dei, quâ creaturas intelligit, esset aliquid realiter à Deo distinctum, cùm Deus non esset Ens αὐτάρκες & sufficiens & satis perfectum, in ordine ad producendas creaturas. At hoc est absurdum, ut ferè ex primo, quàm de Deo habemus conceptu patet. Ergo & erit illud absurdum. Consequentia connexi patet, quia Deus non producit rem creatam, nisi volendo & intelligendo illam. Ergo ad productionem cujusque rei creabilis præsupponitur volitio & intellectio, saltem ut conditiones sine quibus non. Si igitur ista non sint idem quod Deus, ergo Deus tanquam in se insufficiens ad agendum, completur quasi & actuatur ad agendum, per creatum aliquid.

Cognitionem & volitionem Dei esse unam, respectu omnium objectorum.

272. *Unam esse intellectionem, quâ Deus res omnes intelligit.*

EX hactenus dictis. II. Dico *quod intellectio Dei, respectu omnium intelligibilium una sit; Et, quod volitio Dei, respectu omnium volibilium similiter una sit.* Ita sequitur ex iis, quæ de identitate istorum actuum ad essentiam Dei, conclusa sunt.

Declaro autem istam propositionem sic: Deus intelligit se, & intelligendo se, intelligit eodem actu omnia, quæ à Deo creata & creabilia sunt. Et amando se, amat omnia, quæ à Deo creata sunt & creabilia sunt. De utroque præter dicta patet breviter. Infrà enim fortasse prolixiùs hæc dicentur. Intellectio Dei, qua cognoscit se est comprehensiva. Ergo per eam cognoscit Deus omne, quod quoquomodo ad Deum refertur. Ergo & terminatur ad effectus Dei, atque adeo ad ea omnia, quæ quoquomodo possibilia, hoc est, talia sunt, quibus participari possit divinum esse, per qualemcunque imitationem illius. Et confirmatur, quod ad illam adæquatam & comprehensivam Dei cognitionem utique pertinet cognitio perfectissima potentiæ & scientiæ divinæ. Perfectissima autem cognitio scientiæ & potentiæ divinæ non potest esse, nisi perfectè cognoscendo, scibilia & possibilia secundùm illa attributa. Absurdum autem est, Deum, cùm se intelligit, intelligere se per plures actus intelligendi. De volitione etiam idem patet. Nam inprimis creaturæ, amantur à Deo, non nisi, ut media deservientia ad Dei gloriam. At medium (quod simpliciter medium est & non induit rationem finis) non amatur, nisi eo solùm amore, quo amatur finis. Ita non amamus sectionem manus, nisi amore, quo sanitatem amemus & sic in aliis.

273. Nunc declarandum est, quomodo in isto actu uno & individuabili, volitionis divinæ sit libertas? *Resp.* igitur id solùm esse, cùm is terminatur ad objectum aliquod externum, veluti est creatio mundi, punitio hominis, missio Prophetæ, &c. hoc est, est in volitione, in quantum volitio illa vel intellectio practica est, sive operosa in externo objecto.

SECUN-

SECUNDO DISPUTATUR:

An decreta divina faciant in Deo compositionem realem?

Respondeo; non facere: quod inde patet. Decretum enim duo notat. 1. cognitionem ac volitionem. 2. terminationem ad objectum externum. Quantum *ad primum*, hæc cognitio & volitio realiter idem sunt cum Deo, ut priùs visum est. At realis compositio præsupponit realem distinctionem extremorum componentium? Hic igitur non potest esse realis compositio. Quantum *ad secundum* sic verum est: Deo realiter distinctos effectus attribui, veluti creationem & prædestinationem, & sic in aliis. Effectus autem cum sua causa non faciunt compositionem, quia secundùm proprium suum esse, non sunt in causa sed à causa solùm. Unde hoc ipso causæ suæ extranean tur & ab ea quasi egrediuntur. At termini componentes in re esse debent. Est enim de ratione compositi, includere, vel intra se continere multa, sub ratione alicujus unitatis. 274.

Examinantur Argumenta Vorstii.

ARgumenta Vorstii ex his ferè dijudicari possunt: ad pleniorem tamen totius rei dijudicationem specialiter respondeo. 275.

Ad 1. dico: Decreta Dei diversa esse per extrinsecum, sive per habitudinem ad aliquid extrinsecum. At id non satis est, ad faciendum eorum reale discrimen in Deo. Nam & posse Dei unum est & simplex, neque componitur Deus ex variis posse. Et tamen per habitudinem ad extrinsecum, posse divinum distinguitur. Aliud enim est posse mundum creare, & posse eundem perdere, & posse hominem prædestinare, & sic in aliis. Unde sicut realis distinctio inter creationem & perditionem & prædestinationem ad quæ terminatur divina potentia non facit realem distinctionem, in divino *posse*: Ita eorundem distinctio, ad quæ terminatur divina voluntas, non facit realem distinctionem in divino *velle*, & sic utrinque cessat in Deo compositio. 276. *Decreta divina quomodo differant.*

II. Decreta divina sunt in Deo, quatenus in iis implicatur actus cognoscendi & volendi. Illi autem actus sunt in Deo, non ut in subjecto, sed per identitatem ad essentiam Dei, ut prius probatum est.

III. Neque ratio Vorstii ad id probandum firma est. Ait enim illa esse in Deo, quia est illorum causa, & omnis actio sit in agente. Nam inprimis ad rationem actionis (alia ut omittam istius argumenti ἀφαλματα) non requiritur, ut ipsa sit in agente, de communi sententia Metaphysicorum. Convenit, inquam, iis solùm modus essendi AB, & non modus essendi IN, ut apparet saltem in actionibus transeuntibus. Quin & actiones immanentes non sunt in agente, ut subjecto, vel ut accidentia: sed dicuntur solùm in eo esse negativè, quatenus non terminantur in externum subjectum, unde etiam cum agente actus interni compositionem non faciunt, quâ de re suprà dixi *Num.* 247. & 248.

Ad *secundum* Respondeo: Decreta Dei esse libera, solùm per terminationem ad extraneum, seu in quantum volitio Dei circa objectum aliquod extrinsecum practicè est, ut priùs dicebamus. Eo posito, non tamen datur intra essentiam divinam realis multitudo volitionum, è quibus Deus sit accidentaliter compositus. Ut ex simili de posse divino potuit. Et actus isti actus externi, voluntatis divinæ sine dubio realiter & inter se & à Deo distinguuntur. Aliud, inquam, est destructio mundi, & aliud creatio mundi, & aliud Deus ipse. 277. *Decreta Dei quatenus libera?*

Ad *tertium* Responsio eadem est. Pendent itaque ista decreta à Dei voluntate, quoad terminationem ad extraneum subjectum. In quantum autem in Deo sunt, sic important ista decreta solùm cognitionem & volitionem creaturarum, qui actus realiter iidem sunt cum Deo. Et sic utrobique cadit compositio. *Ibi*, quia extranea 278.

ent anea non componunt. *Hic*, quia realiter eadem, non faciunt realem compositionem.

279 Ad *quartum* negatur consequentia propositionis. Nam nulla repugnantia est, si Deus aliquid liberè ad extra agat, si maximè in se nihil contingentiæ includat. Et confirmatur ex hypothesibus Vorstii. Inprimis enim datur juxta Vorstium aliquis actus mutabilis & contingens in Deo, qui realiter à Deo sit distinctus, unde et formaliter sit agens liberum. Is actus, quia est à Deo distinctus, est productus et causatus (ut loquimur) à Deo: Ergo ante illius productionem, nihil liberum erat in Deo. Quia si quid præextitisset, de eo idem procederet discursus. Ergo sic tandem devenitur ad essentiam, à tali producto actu libero, denudatam. At sic, quomodo eum ipsum liberum actum producere poterat Deus, si Deus nihil liberè operari posset, nisi aliquem in se liberum actum includat, per quem quasi ultimò actuetur et compleatur ejus sufficientia, ad agendum liberè ad extrà? Patetque adeò, Deum ex vi essentiæ suæ, citra aliquid additum, primò sufficientem esse, ad edendos actus liberos.

280 *Inter creatum et increatum non datur medium.*

Ad *quintum* Respondeo: I. Majus vel saltem æquè grave flagitium est in Philosophia, inter creatum et increatum ponere medium, quod ibi Vorstius facit, quàm ponere medium inter substantiam et accidens, quod ibi Vorstius conatur declinare. II. Actus liberi seu decreta in quantum IN Deo sint (sic enim de iis solùm loquimur, quia sub alia ratione non apparet quomodo compositionem, facere possint) sic utique substantiæ sunt, per ea, quæ suprà disputata sunt, ubi probatum est: cognitionem et velle Dei, idem esse cum essentia Dei.

281. Ad *sextum* ex parte suprà responsum est, *Num.* 249. ubi vide. De actu autem transcendi et similibus dico, ea de Deo dici per ἀνθρωποπάθειαν. Quantum autem significant à parte rei, id coincidit cum actibus intelligendi et volendi, qui ut visum est, sunt non accidentia sed essentia Dei.

PUNCTUM VII.

An Deus sit componibilis cum aliis.

282. PEr summam simplicitatem removeri componibilitatem cum aliis suprà relatum est, *Num.* 222. De ea ergo nunc videndum est.

283. Hac igitur in re inprimis certum est et de fide, quod divinæ naturæ unita sit humana natura, quódque ex istis sit quasi composita persona Christi, composita, inquam, quatenus in Christo attenditur naturarum pluralitas, et earum in persona eadem sive ὑποστατικὴ unio. Unde et persona ista composita vocatur, ut elicitur et disputatum à Damasc. *lib. 3. de Orthodox fid. cap.* 3. 4. 5. Et Thom. *part.* 3. *q.* 2 *a.* 2. Lomb. *l.* 3. *d.* 6. Fonseca *l.* 5. *Met. c.* 8 *q.* 7 *s.* 2 *fol* 560. Valentia *in Thom. tom.* 4 *d. p.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *& tom.* 1. *d. p.* 1. *q.* 3. *p* 8. Vbi & docet Valentia hanc compositionem solùm esse *quasi* compositionem, quia compositum debeat esse aliquid perfectius partibus componentibus. Ibi autem nihil majus et perfectius, quod ex conjunctione ejusmodi naturarum existit, quàm sit ipsa sola natura divina, ut quæ eminentiori modo jamdudum habeat omnem perfectionem humanitatis. Vnde solùm dicitur illa persona composita, quatenus ea cùm una sit, constat tamen ex pluribus distinctis naturis. Sed id mysterium est ὑπὲρ κατάληψιν. Vnde ea de re tacemus potiùs quàm disputemus, et si quid disputandum sit, id à Theologis fiat.

284 Igitur loquendo de vulgatis et naturâ notis (altiùs enim Philosophia non transcendit) compositionum generibus, ei eo Deum non posse esse alterum compositionis terminum, ut sit isto modo componibilis cum alio, patuitque id ex parte in superioribus.

285. *Non posse.* Nam ibi probatum est: *Deum non posse esse genus*, ut breviter inde patet, quia omne genus multiplicandum est in suis speciebus, ut plures homines, v. g. sint

etiam

etiam plura animalia. At Deus non potest multiplicari. Deus enim, ut sic, est aliquid infinitum. Repugnat autem infinito, ut sæpe visum est, multiplicatio. *Deum esse genus.*

II. *Deus non potest esse differentia cujusquam,* Ita patet, quia differentiæ est habere perfectionem præcisam & limitatam, & æqualiter contra distinctam à differentia alia. Unde contra rationem differentiæ est habere perfectionem infinitam, quæ Deo convenit. 286. *Deus non potest esse differentia.*

III. *Deus est nullius rei materia.* Hæc assertio est contra Davidem de Dynando, qui materiam primam & Deum stultissimâ opinione nihil differre dixit, ut refert & refutat Thomas 1. *p. q.* 3. *a.* 8. *Et* 1. *contra Gent. cap.* 17. & Pererius *l.* 5. *Phys. cap.* 12. Colleg. Conimbr. 1. *Phys. c.* 9. *q.* 3. Sic & Alexander quidam Epicuræus, Deum materiam esse dixit, ut Albertus 1. *Phys. tract.* 3. *c.* 13. refert, & meminit Pererius *d. l.* 287. *Nec materia.*

Hæc tamen opinio prorsus stulta est & ferè non meretur refutari, quia, subipso nomine Dei omnes apprehendunt Ens perfectissimum, quod omnibus sit causa essendi, eis provideat & præsit. Sub nomine autem materiæ primæ omnes apprehendunt Ens imperfectissimum, iners, expers omnis activitatis, potentiale, incompletum, quæ omnia repugnant Dei conceptui. 288.

Objectio istius Davidis fuit, quòd Deus & materia prima idem sint, quia si differrent, per aliquid sui differrent. Ergo in utroque esset aliquid per modum differentiæ. Ergo singulum istorum esset compositum, nempe ex differentia & alio, quod per differentiam actuetur. At id repugnat Deo & materiæ primæ, cùm utrumque istorum sit Ens simplex. 289.

Respondetur: Materiam primam & Deum non esse idem, sed distingui. Per istam tamen distinctionem non sunt *differentia,* sed *primò diversa.* Quæ autem primò diversa sunt, non distinguuntur per differentias, sed seipsis, quomodo et ipsæ differentiæ, veluti rationalitas et irrationalitas diversa sunt, non per differentias alias, unde istæ compositæ sint, sed seipsis. *Diversa quæ.*

IV. *Deus nullius rei potest esse forma.* Hæc assertio est contra Varronem, qui Deum animam mundi esse dixit, ut refert August. *l.* 7. *de Civ. Dei, cap.* 6. Et Thales Milesius ac Democritus apud Eusebium *l.* 14. *de præpar. Evang. c.* 6. Et Plinius *l.* 1. *Nat. hist. cap.* 1. Et Petrus Abaliardus apud Bernh. *Epist.* 199. Huc pertinet etiam quod aliqui dixerunt: Deum esse formam omnium rerum, ut refert Thom. 1. *p. q.* 1 *a.* 8 Et quod Gnostici ac Priscilanistæ animam humanam dixerunt esse particulam divinæ substantiæ, referente August. *hæres.* 6 & 7. 290. *Deus nullius rei forma est.*

Sed tamen nec hæc sententia subsistere potest. Nam forma est Ens incompletum, atque adeò imperfectum. Sine dubio autem perfectior est modus subsistendi, completus quàm incompletus. Jam porrò forma ordinatur ad alterius perfectionem, nempe compositi, quod consequenter perfectius est, quàm forma sola. Et denique forma includit dependentiam ad aliquod efficiens, quodcunque id sit. Unde repugnat formæ, ut sit Ens primum. At hæc omnia repugnant conceptui, quem de Deo formamus. Omnes enim apprehendimus Deum sub esse completo, et perfectissimo et independente, atque adeò primo. 291.

Argumenta contra hanc sententiam nulla, quæ speciem habeant, invenio. Nec etiam de cæteris generibus componibilitatum, aliquid dicendum supererit. Quòd enim Deus videri possit componibilis cum alio, ut accidente, de eo priori puncto satis fuit. 292.

PUNCTUM VIII.

In quo proponuntur & solvuntur generalia argumenta contra simplicitatem Dei.

DUo sunt quæ passim generaliter simplicitati Dei opponi solent. 1. Simplicitas est aliquid negativum, Ita patet non solùm ex nominis notatione, 293.

(*simplex* enim dicitur tanquam quod est *sine Plica*, vel plicatione) sed etiam quia simplicitas non solet explicari aliter, quàm quod simplicitas sit unitas, secundùm quam quid (non solùm indivisum, sed etiam) indivisibile est, qui conceptus negativus est. Negationes autem nullam perfectionem dicunt. Et sic differit Cajetanus *de Ente & Essen. c. 2.*

294. *Deinde:* si Deus esset Ens simplicissimum. Ergo res creatæ.

Quò essent simpliciores eò essent perfectiores. Nam Deus est mensura perfectionis. Res igitur creatæ erunt perfectiores vel imperfectiores, per majorem vel minorem appropinquationem ad Deum. Id tamen secus est in rebus creatis. Nam materia ex omnibus creatis Entibus est simplicissima, & tamen imperfectissima. Et in oppositum, homo ex omni genere rerum naturalium est nobilissimus & perfectissimus, & tamen est summè compositus, ut evincit formatum in eo multitudo seu istæ à parte rei multæ sint, seu solùm per varias abstractiones, juxta varios essendi gradus.

Solvuntur objectiones.

295. *Simplicitas majorem perfectionem significat, quàm compositio.*

AD *primam* horum Respondeo. I. quod simplicitas omnino censeatur perfectio simpliciter, ut rectè tuentur, contra Cajetanum, Lychetus *1. d. 8. qu. 1.* et Scotus *ibid. qu. 1. ad primum.* Suaretz *disput. 3. Metaph. quæst. 14.* Et patet, quia simplicitas significat perfectionem independentem. At compositio infert perfectionem dependentem à partibus componentibus. Sine dubio autem perfectio independens est perfectio simpliciter: Nec officit huic veritati, quod simplicitas sit attributum negativum, per ea, quæ generatim de attributis negativis suprà dicta sunt, *Num. 131 h. cap.*

296 *Approximatio ad Deum, qualenus sit indicium perfectionis.*

Ad *secundum Resp.* Quæ magis approximant Deo in attributis, ea esse perfectiora, id verum est, *cæteris paribus*. Nam quæ approximant Deo magis, quàm alia, secundùm attributum unum, possunt à Deo magis recedere in attributo alio, eoq; potiori. Unde per hunc decessum à Deo, simpliciter sunt aliis imperfectiora. Veluti, materia prima, etsi simplicior & per hoc propinquior sit Deo, quàm res aliæ creatæ; tamen ipsa est Ens valdè potentiale, unde per hoc maximè à Deo recedit, qui est actus purissimus. Sic major perfectio Dei est, intellectio, quàm simplicitas. Unde elementa, etsi propinquiora Deo sint quàm homo, quoad simplicitatem, tamen magis ab eo recedunt, quàm homo, quod intellectionem. Et per hoc, non obstante compositione, homo elementis nobilior est. Confer Suaretz *disp. 30. Met. s. 3. n. 3.* Et hoc ipsum est etiam in aliis attributis divinis. Deus quia immensus est, immobilis; & tamen in rebus creatis nobiliores sunt creaturæ mobiles, veluti Angeli & animalia, quàm immobiles, veluti lapides & alia, quia scilicet istæ creaturæ in aliis potioribus actibus approximant Deo, dimissâ immobilitate. Alia mitto. Vide plura suprà *l. 1. c. 5 n. 14.*

TITVLVS VII.

DE DEI VERITATE ET COGNOSCIbilitate.

297. CONsiderata unitate in Deo, consideranda etiam est Dei veritas, atque adeò Dei cognoscibilitas. Veritas enim dicit conformitatem ad intellectum, atque adeò importat cognoscibilitatem sive intelligibilitatem.

298. Igitur Deo convenire veritatem, atque adeò verum quid esse, inde patet, quòd Deus seipsum cognoscit, & intellectus creatus etiam eundem cognoscit, adeò ut in ista cognitione, beatitudo rei creatæ, consistat. At intellectus non fertur ad rem nisi sub ratione veri.

De cognoscibilitate Dei varia solent hoc loco disputari. Sed eorum pleraque

299 Theologica sunt. Quæ autem hac de materia Philosophicè disputari possunt, jamdudum

jamdum tractata in superioribus, *Num.* 25. *seqq.* ubi conclusum est, quod Deus non possit quidditativè & comprehensivè ab intellectu creato cognosci, sed solùm quasiter qualiter, sed hæc ibi vide.

TITULUS VIII.

De Dei Bonitate.

SUb hoc titulo tractari solent variæ quæstiones, de quibus communiter agi solet ad Thom. 1. *p. q.* 6. *ab. Interp.* 1. An Deus sit aliquid bonum. 2. An solus Deus bonus sit? 3. Quomodo Deus bonus sit, veluti: an sit summè bonus et bonus per essentiam? Et *denique* an aliæ res sint bonæ Dei bonitate? 300.

ARTICULUS I.

An Deus sit bonus?

MAnichæi statuerunt alium Deum bonum, alium malum, ut Augustinus meminit, *hæres.* 46. *& alibi.* Probandum igitur est: Deum esse bonum, non solum bonitate *transcendentali* (de qua fortasse id admiserunt etiam Manichæi, stare enim potest ista cum malitia *morali*, ut apparet in hominibus et actionibus malis) sed etiam de bonitate *morali*. Ubi tamen & sententia Manichæorum inde convincitur, quòd non possunt esse plures Dii, ut prius visum. 301. *Manichæorum opinio.*

Igitur bonitate transcendentali Deum esse bonum quid, patet inde, quia Ens est. Bonitas enim transcendens est realiter idem cum Ente, ut priori libro ostensum est. 302. *De bonitate transcendente. De bonitate morali.*

Esse etiam eundem bonum, bonitate morali, ut sic loquamur, hoc est, nullis eum vitiis præditum esse, inde patet, quia vitiositas est ab imperfectione et inordinatione ad finem ultimum: At omnes sub voce Dei apprehendunt Ens perfectissimum. Sumptumque hoc ipsum est ex omnibus Scripturæ textibus, qui dicunt, quod Deus sit *bonus* adjectivè. Nam loquendo sine addito, *Bonus* significat bonitatem moralem, et *Bonum* significat bonitatem transcendentem. Dicitur autem Deus bonus, *Psal.* 73. *& 118. Thren.* 3. *& alibi.*

Ubi tamen nequaquam id dico, quod ista bonitas in Deo sit habitualis vel accidentalis, quomodo ea in nobis est, sed ea convenit ei per essentiam, ut ostendat ex dictis, de attributis Dei in genere. Celebre est illud Augustini. *lib.* 8. *de Trin. c.* 2. *Deus sine quantitate magnus, sine qualitate bonus est, &c.*

Accedit, quod attributa Boni Deo conveniunt, veluti, quod est aliquid appetibile et amabile, quod est sui diffusivus et communicativus, et quæ sunt alia.

Objicis: Bonum consistere in specie, mensura et ordine. Hæc autem Deo non conveniunt, qui est sub nulla specie, et immensus, et non ordinabilis ad aliud. 303.

Respondetur prædictam definitionem loqui de bono creato. Deus autem quia est prima causa, bonus est hoc ipso, quia alias dat speciem, mensuram & ordinem. Vide Thom. 1. *p. q.* 6. *a.* 1. *ad primum.*

ARTICULUS II.

An solus Deus sit bonus.

ITa videri potest. Nam 1. Ita differtè dicunt Scripturæ, Matth. 19. v. 17. *Nemo bonus nisi solus Deus.* 11. Idem probatur ex ratione. Bonum est, quod omnia appetunt, per Arist. 1. *Eth.* c. 1. At nihil est, quod omnia appetant, præter solum Deum. 304.

In oppositum tamen, non solum Deo convenire esse bonum, similiter patet ex Scriptura. Vidit Deus *omnia*, quæ fecerat, & ecce erant valde *bona*, *Gen.* 1. *& Matth.* 25. Servus fidelis & *bonus* dicitur. Et *Matth.* 12. *Bonus* homo de *bono* thesauro, *&c.* Patetque idem per rationem, quia quæcunque præter Deum sunt, sunt entia à Deo creata. At repugnat, ut Deus producat aliquid, nisi velit illud producere. 305.

Voluntas

Voluntas autem non est, nisi ad bonum. In omni igitur re creabili est bonitas, cujus intuitu Deus eam producere cupit.

306. *Quomodo solus Deus bonus dicatur?*

Igitur *ad 1. Resp:* Deum solum dici bonum, per eminentiam & excellentiam. Unde exclusiva *solus*, non removet ab aliis prædicatum (esse bonum) simpliciter, sed quoad eminentiam solum, intelligendo bonitatem. Similes est, cum Deus solus in Scripturis dicitur immortalis & verax. Nam & hæc ista prædicata, ἐξοχὴν intelligenda sunt. Sic August. *Epist. 54. ad Macedon. Non est, inquit, contraria locutus Deus, Hic (Matth. 19) & Matth. 12. Bonus homo, &c. Deus ergo solus singulariter bonus est & hoc amittere non potest. Nullius enim boni participatione bonum est, quoniam bonum, quo bonus est, à seipso est. Homines autem, quos Deus bonos dicit, ex participatione gratiæ id sunt.*

Ad 2. respondent alii, quòd Aristoteles loquatur ibi solùm de bono increato, sive Deo, propter argumentum in oppositionem factum. Ita sensit Eustachius, & alii, ut referunt Conimbr. *in Eth. Disp. 1. q. 1. a. 2.* Hæc tamen limitatio Aristotelis non congruit, dicit enim Aristoteles ibi, bona aliis alia amabiliora esse, unde non loquitur de bono increato, sed de bono in communi. Alii alias interpretationes afferunt.

307. *Explicatur Bonum est, quod omnia appetunt.*

Mihi optimè videtur dici, quod propositio Aristotelica sit exponenda negativè. Nempe bonum est quod omnia appetunt, hoc est, nulla res appetit quicquam, nisi quod bonum. Bonum, inquam, est, & non malum, ad quod quælibet sive omnia feruntur. Similis modus loquendi est, *Joh. 1. v. 9. Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non quia nullus hominum sit, qui non illuminetur, sed quia, nisi ab eo, nullus illuminatur, ut interpretatur Lombardus *1. d. 46.*

ARTICVLUS III.

Quomodo Deus bonus sit?

308. *Deum esse summo bonum.*

HUjus quæstionis decisio sumi ferè potest ex prioribus. Unde dico 1. *Deus est summè bonus.* Ita sequitur ex dicto, *Matth.* prius allegato. Nam non aliâ ratione Deus solus bonus dicitur, quàm quia eminentissimè bonus est. Deinde apparet per rationem. Deus rerum creatarum est causa æquivoca. At in omni causa æquivoca eminenter est id, quod producit. Ergo & bonitas, quam in aliis producit, eminentius est in eo, quàm in rebus aliis.

309. *Deum esse bonum per essentiam.*

II. *Deus non est bonus bonitate accidentali, sed per essentiam.* Prius patet, quia si isto modo Deus bonus esset, jam esset compositus, & in Deo darentur accidentia, quorum utrumque absurdum est, ut prius visum. Relinquitur igitur, ut Deus sit bonus sine addito, immediatè, per essentiam.

310. *Dubiciter Deo soli convenit, esse bonum per essentiam.*

Dices: Et ita res creatæ sunt bonæ per essentiam. Ergo hactenus Deus nihil peculiare habet. Antecedens patet. Nam bonitas, sicut & alia transcendentalia attributa, realiter eadem sunt cum essentia. Ergo unumquodque Ens bonum est sine addito, hoc ipso quia essentiam habet.

R. In. Dupliciter soli Deo convenire, quod sit bonus per essentiam. *Primo* per essentiam id esse, quod tale est, non per participationem. Et isto modo solus Deus dicitur Ens per essentiam, alia autem entia dicuntur Entia per participationem. Ergo idem etiam est in bonitate. Servatâ proportione ad essentiam. Ergo Ens per essentiam est etiam bonum per essentiam, & Ens per participationem, est etiam bonum per participationem.

Deinde, Deus solus est bonus per essentiam, quia omnis bonitas convenit Deo per essentiam, & nulla accidentaliter. Hominis tamen, v. g. etsi bonitatem transcendentem habeant, ex vi essentiæ suæ: tamen bonitas moralis etiam in iis est, quæ eorum accidens est, proindè est in iis amissibiliter.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An res creatæ sint bonæ bonitate divinâ?

CAjetanus 1. p. qu. 6. a. 4. Disputat denominationem boni in rebus creatis esse partim intrinsecam, partim extrinsecam. *Hoc*: quia bonæ sunt dependenter à Deo: *illud*, quia in se habent suam sibi essentiam, quæ bonitatem aliquam implicat. 311

Rursus etiam videri potest: res creatas esse solùm bonas bonitate divinâ, hoc est, per denominationem extrinsecam ut scilicet dicantur bonæ, quia sunt à Deo, vel quia ordinantur ad Deum. Quò videtur pertinere dictum *Aug. lib. 3. de Trin. cap. 8. Bonum hoc & bonum illud. Tolle hoc & tolle illud, & vide ipsum bonum, si potes. Ita Deum videris non alio bono bonum. Sed bonum omnis boni.* 312.

Nihilominus absolutè dicendum est: Denominationem boni in rebus creatis esse à bonitate propria, adeóque ab intrinseco. Nam ipsa essentia rei creatæ est appetibilis, ergo implicat aliquam bonitatem, ut per eam res creatæ dici possint ab intrinseco bonæ. 313. *Res creatæ esse bonas intrinsecè.*

Quanquam & res creatæ secundariò quasi dicantur bonæ, bonitate divina, quatenus ea bonitatis propriæ, quæ in creaturis est, & unde formaliter bonæ dicuntur, est effectiva vel exemplar, juxta quem sensum etiam intelligi debet Augustinus secundùm Thom. 1. p. qu. 6. a. 4.

Ad argumentum Cajetani in oppositum neganda est consequentia. Nam dependentia ab extrinseco, non facit statim denominationem extrinsecam, quia sic nulla denominatio intrinseca inveniretur in rebus creatis, quæ omnes suas perfectiones habent dependenter ab efficientibus. Sive igitur aliqua proprietas aliunde pendeat sive non, censebitur fatere denominationem intrinsecam, si formale significatum illius, sit intra eam rem, quæ ab ea proprietate denominatur. Atque hoc est de bonitate in rebus creatis. Ergo simpliciter est denominatio intrinseca, unde res creatæ bonæ dicuntur. 314.

TITULUS IX.

De perfectione Dei.

INprimis *superiori lib. c. 11.* traditum est, quod perfectum bifariam dicatur, aliquando sumitur participialiter, éstque perfectum illud, quod ab aliquo perficiente accipit ultimum suum complementum, seu, quod est plenè & totaliter factum. Hoc modo Deus non dicitur aliquid perfectum. Sic enim perfectum dicit respectum ad aliquid quod effectivè perficiat. Unde repugnat, ut quod ad effectum est independens, sic perfectum dicatur. Aliter igitur vox perfecti sumitur nominaliter, in quo sensu præscindit ab efficiente. 315. *Perfectum dupliciter, dicitur.*

Dicitur quoque perfectum in communi id omne, cui nihil deest, esto sit dependens sive non. Et hoc modo Deus dici potest perfectus præeuntibus Scripturis, *Matth. 5. Estote perfecti sicut & pater vester perfectus est.* Posito igitur, quòd Deus sit perfectum quid, videndum est de duobus. I. An Deus sit aliquid perfectissimum? II. An & quomodo rerum creatarum perfectiones contineat? *Quomodo Deus dicatur perfectus.*

ARTICVLVS I.

An Deus sit aliquid perfectissimum?

INprimis dupliciter intelligi potest, quòd Deus sit aliquid perfectissimum. 316.

Primo ad removendam imperfectionem privativam, quòd scil. Deo nihil desit eorum, quæ ei debita sunt: Ad quem sensum unaquæque res, in genere suo, dicitur esse perfecta, quia nihil eorum deest ei, quæ intra illud genus essendi, rei cuique debentur, etsi alias his possint deesse ulteriores perfectiones, quæ intrà latitudinem. Entis possibiles sunt. *Dupliciter intelligitur Dei perfectio.*

II. Potest Deus dici Ens perfectissimum, ad removendam imperfectionem negativam quòd scilicet Deo nihil desit. Dicam clarius.

317. Perfectum Ens dicitur, cui nihil deest. Imposita igitur est vox perfecti, ad removendos defectus sive imperfectiones. Ergo perfectissimum est, cui nulla convenit imperfectio.

Imperfectio negativa & privativa. Cæterùm imperfectio duplex est, privativa & negativa. Secundùm imperfectionem privativam dicitur id imperfectum, cui aliquid eorum deest, quæ habere debet, veluti si animal aliquod sit cæcum vel surdum. Secundùm imperfectionem negativam id dicitur imperfectum, cui deest aliqua earum perfectionum, quæ non quidem huic speciei debentur, sunt tamen in genere Entis possibiles. Hoc modo imperfectus est lapis, quia non potest loqui, & homo est imperfectus, quia non est natura immortalis, vel bonus per essentiam, & sic deinceps.

318. Hinc duo dico. I. *Deus est Ens perfectissimum & ei nihil deest eorum, quæ habere debet, & proinde non habet imperfectionem privativam.* Ita patet, quia privatio eorum, quæ inesse debent, non contingit nisi ab extrinseco. Unumquodque enim Ens appetit sui conservationem, atque adeò & suarum proprietatum. At non potest quicquam tam potens esse, quod Deo ista, quæ ei debentur, adimat. Neque hic dici potest, quod Deus possit sibi adimere suas perfectiones. Nam Deus quia est Ens simplicissimum, omnes perfectiones habet per identitatem ad essentiam suam. Perfectiones igitur divinæ non possunt ei adimi nisi per destructionem essentiæ divinæ, quæ prorsus immortalis est, ut alibi probatur. Vide Suarez *Disp.* 30. *s.* 1. & Lychet. 1. *d.* 2 *q.* 1.

319. *Deo non convenit imperfectio negativa.* II. *Deo nihil deest harum perfectionum, quæ in genere Entis vel sunt, vel sunt possibiles.* Ita patet. Quia quæcunque perfectiones, extra Deum, de facto sunt in mundo, ex sine dependenter à Deo, tanquam à prima causa, eáque æquivoca. Ergo oportet ut præhabeantur omnes istæ perfectiones in Deo & id quidem excellentiori modo. Utrumque patet. Nam omnes res creatæ sicut habent essentiam causatam, ita etiam habent omnes perfectiones causatas, à creante, id quod ipsorum causa est. Causa etiam non potest dare id quod nullo modo habet. Quòd autem habeat istas perfectiones excellentiori modo, patet, quia de ratione causæ æquivocæ est perfectiones, quæ ab ea dantur nobiliori modo præhabere.

De perfectionibus possibilibus eadem procedit probatio. Nam perfectiones istæ dicuntur possibiles, non nisi sumpta denominatione à potentia activa Dei, ut constat ex dictis suprà de Entibus potentialibus. Ergo perfectiones *possibiles* dicuntur, quas Deus potest producere. Ergo hic etiam intervenit ratio causæ quæ infert eminenter perfectionem illam in Deo. Alia argumenta mitto. Relinquitur eaque adeò ex his: Deum simpliciter esse Ens perfectissimum. Sed tum statim ipsidit altera quæstio.

ARTICULUS. II.

Quomodo Deus contineat aliarum rerum perfectionem?

320. PRæcedente quæstione visum est, quòd Dei perfectio consistat in hoc etiam, quòd contineat aliarum rerum perfectiones, quod ipsum etiam docet Dionys. *De Divinom. cap.* 5. Iren. *lib.* 2. *c.* 1. August. *l.* 4. *de Trin. cap.* 1. Damasc. *l.* 1. *de orth. fid. cap.* 8. Anshel *in Monolog. cap.* 34. 35. aliique plurimi, ut prolixè recitat Valentia, *in Thom.* 1. *p quæst.* 4. *punct.* 1. quomodo igitur istæ perfectiones Deo conveniat, videndum.

321. *Perfectiones simpliciter, vel secundum quid.* Principio igitur tenendum est, quod perfectiones in rebus creatis sint duorum generum: *aliæ* sunt perfectiones simpliciter, *aliæ* sunt perfectiones secundum quid. Ubi *perfectiones simpliciter* sunt, quæ nullam imperfectionem, quales sunt in homine, esse sapientem, bonum, intelligentem. *Perfectiones* autem *secundum*

dùm quid sunt, quæ implicant imperfectiones, quales sunt in homine quod est risibile, discursivus. Illud enim attributum requirat commercium cum materia, quæ Ens imperfectum est. Esse autem discursivum significat intellectionem, quæ procedit ad cognoscendum, quod antea ignotum erat. Unde hoc ipso imperfectionem connotat in intelligendo.

Hinc dico I. *quæ in creaturis sunt perfectiones simpliciter, sunt in Deo formaliter.* Ita patet. Nam cùm ista attributa nullam imperfectionem implicent, nulla causa est, cur in Deo non ponantur formaliter, præsertim cùm hic modus habendi, cæteris paribus, sit nobilior, quàm is, quo quid habetur eminenter. 322. *Perfectiones simpliciter quomodo sint in Deo?*

Est autem hic diligenter notandum: Cùm Deus istiusmodi perfectiones creaturarum (veluti sapientiam, bonitatem, intellectionem, &c.) dicitur habere formaliter, quid non dicta intelligendum sit, quasi prorsus secundùm eandem rationem sint in Deo, secundùm quam sunt in creaturis. Omnia enim ista in creaturis accidentia sunt. At in Deo secus est. Dicitur igitur Deus has perfectiones continere formaliter, (ut & Suarez monet, *Disp.* 30 *s.* 1. *n.* 12.) quia secundùm eas habet aliquam formalem convenientiam cum creatura, ratione cujus illa perfectio, secundùm unam & eandem rationem seu conceptum formalem, attribuitur Deo & creaturæ, salvâ interim prius insinuata diversitate istarum proprietatum in Deo & creaturis. Idemq; est etiam de vita Dei. Esse enim viventem, est utriq; perfectio, & tamen non secundùm omnia attributa, convenit Deo vita, ac nobis, ut Suarez disserit *disp.* 30 *s.* 14. *n.* 7. & infrà attingam *tit.* 13.

II. *Quæ sunt in Deo perfectiones secundum quid, sunt in Deo non formaliter, sed eminenter.* Prius patet, quia nihil formaliter v. g. & ab intrinseco potest esse in Deo, quod imperfectionem notet. At tales sunt illæ perfectiones quæ tales dicuntur secundùm quid. Et hinc alterum relinquitur, quòd istæ sint in Deo eminenter. 323 *Perfectiones secundum quid, quomodo sint in Deo?*

Sed: *quid* hoc est, quod dicitur Deus habere istas perfectiones eminenter? 324. *Quid sit eminenter habere?*

Resp. Habet Deus perfectiones creaturarum eminenter, quatenus omnes actus earum, effectivos etiam per se ipsum exercere potest. Veluti maxima hominis perfectio est, producere hominem, & equi, producere equum. Has ergo perfectiones habet Deus, qui & ipse potest producere hominem vel equum. 325

Atq; ita 1. habet Deus perfectiones creaturarum eminenter, quatenus ille habet aliquid omnibus istis perfectionibus excellentius, per quod potest omnes tales actus attingere. Veluti perfectio hominis est rem cognoscere per discursum, per oculos, aures, &c. Has perfectiones habet Deus eminenter, quia ex perspicacitate & lumine intellectus sui illico & intimè penetrat essentias rerum, ut eas cognoscat. Huc pertinet, quod *Psal.* 93 dicitur: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non considerabit?* Et Esa. 66. *Ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?*

Dixi de actibus effectivis. Nam illi simpliciter sunt perfectiones. Unde omnem causam efficientem supplere potest Deus. Actus autem formales & materiales, non sunt citra imperfectionem, Entitatis partialis & incompletæ. Unde illi non possunt à Deo supplerì. Indéq; potest quidem homo esse sine generatione, Deo actum generantis supplente: At non potest ede homo sine anima, ut munus formæ etiam suppleat Deus.

Denique 3. habet Deus perfectiones rerum creatarum eminenter, quatenus ipse essentiam habet, à qua omnes istæ esse possint. Et hoc modo ipsam eminentiam Suarez explicat, ex Aug. *l.* 4 *de Gen. ad lit. c.* 24. & Anshelmo *in Monol. c.* 34. 35. *Creatura*, inquit, *in Deo est creatrix essentia.* Vide & *in proslog. c.* 17. 326.

TITULUS X.

De infinitate Dei.

QUot modis vox infiniti sumatur, eaque sub voce infiniti significetur, cùm per finitum & infinitum Ens dividitur, dictum est suprà, *lib.* 2. *c.* 13. Nunc de 327

eo quæritur. 1. An & quomodo Deus sit infinitus? *deinde* declaranda sunt æquipollentia attributa Dei.

ARTICULUS I.

An & quomodo Deus sit infinitus?

328. INprimis infinitum hîc dicitur per carentiam finium. Ergo infinitum est, quod non habet fines, fines, inquam, in essentia, in perfectionibus, in virtute & operatione, in duratione & præsentia. Atque hos omnes fines removendo, Deus dicitur ens infinitum.

Deus infinitus in essentia,

Igitur 1. *Deus est infinitus in essentia.* Infinitas essentiæ divinæ significatur per duo particularia attributa, nempe, per omnimodam independentiam ab alia superiori causa, & per omnimodam indefectibilitatem sive immortalitatem. Igitur, quòd Deus prorsus sit infinitus in essentia, nec ab ulla re alia dependeat, inde patet, quia si id esset, tum daretur aliquid effectivum. Deo naturâ prius. At hoc repugnat primo conceptui de Deo. Omnes enim sub nomine Dei apprehendimus tale ens, quo non sit prius. Ita autem hoc effectivum potiùs diceretur Deus quam illud.

329 *Deus nullo modo potest desinere,*

Rursus: quòd Deus omni modo sit indefectibilis & immortalis, inde patet, quia si Deus desinere posset, tum vel id esset ab extrinseco, & per vim alterius, vel esset ab intrinseco, veluti per spontaneam destructionem quam sibi violentè Deus inferret, aut per collapsum naturæ tanquam per senectutem. At neutro modo id esse potest. Ergo Deus est simpliciter immortalis. Assumptum patet, quia si Deus desineret per vim alicujus agentis extrinseci. Ergo id esset Deo potius & valentius. Omnis enim actio, quæ est cum finali victoria, & destructione patientis, sit à fortiori. Unde hoc destructivum potiùs dicendum esset Deus, quàm illud.

Neque intelligi potest, quomodo Deus sibi ipsi admittere possit vitam. Nam inprimis, omne ens naturâ suâ appetit, nec appetit sui destructionem, nisi per inordinationem voluntatis. Enti autem αὐθυπάρκτῳ tribuere voluntatis inordinationem, absurdum est.

Denique Deum, quasi per collapsum & senium naturæ desinere posse, Deo non potest: quia sic Deus esset compositus ex contrariis, vel haberet qualitates aliis contrarias, & sic revera esset inferioris conditionis, quàm sunt aliquæ res creatæ, veluti Angeli & animæ rationales. Et hoc vult etiam Scriptura, 1 *Tim.* 6. ubi Deus solus immortalis dicitur. Relinquitúrque adeò, per utrumque, quod Deus in esse suo sit immortalis.

330 *Infinitas Dei in duratione.*

Et hinc II. sequitur: quòd Deus etiam in *duratione* sit infinitus, h. e. quòd sit vere & absolutè æternus. Æternitas enim significat durationem undiquaque indefectibilem, ut supra visum est, *l. 1. cap. 16.* At ubi essentia est undiquaque independens & immortalis, ibi consequenter necessariò etiam duratio est indefectibilis.

331 *In perfectionibus.*

III. Deus est *in perfectionibus* infinitus. Ita relinquitur ex præcedente item. Nam ibi ostensum est: Deum esse ens perfectissimum, atque ita Deum tantam habere perfectionem, quâ majori esse non possit, et exteroquin omnes alias rerum aliarum perfectiones eminenter continere, utrumque sufficienter esse, qui istas omnes perfectiones producat. Atque hæc est infinitas in perfectionibus.

332. *In operatione,*

IV. Deus *in actu & operatione* est infinitus. Hanc assertionem probat Arist. 8. *Phys. l. 9. & 12. Metaph. l. 14.* indè, quòd Deus moveat infinito tempore. Ad movendum autem infinitè, requiri ait virtutem infinitam: sed hæc ratio bona non est. Nam quælibet virtus immaterialis, in infinitum repetere potest actus suos. Defatigatio enim vel defectibilitas, in ordine ad operationes, sequitur solùm ex commercio cum materia. Unde anima senis, si daretur ei oculus juvenis, æquè bene videret per istum oculum, ac si esset anima juvenis, ut ex Aristotele subtiliter docet Scaliger, *Exerc. 76. 4.* Ad summam igitur, ex illo divinæ virtutis effectu,

fectu, sequitur, eam primi agentis potentiam immaterialem esse, non autem infinitam.

Varii Doctores Philosophiæ Aristoteliceæ amore, varias vias conati sunt proponere, juxta quas exponant mentem Aristotelis, ut prolixè disputat Suaretz *in put.* 30. *s.* 2. *n.* 3. *seq.* sed operæ pretium non est ista persequi.

Ut igitur rectiùs probemus infinitam virtutem agendi in Deo, inprimis priùs determinandum est in quo ista infinitas consistat, quod optimè fiet considerando finitatem in operando.

333. *Finitum in virtute quid sit.*

Igitur finitum in virtute activa dicimus illud, quod in operando fines habet, ultra & extra quos operari non potest.

Veluti virtus creata 1. determinata est *ad materiam*: & sic non potest aliquid producere ex nihilo, atque adeò in non Ens agere. 2. Virtus creata est determinata *ad peculiarem speciem*, intra quam producere potest id, quod optimum est, non tamen extra eam, multòque minus aliam excellentiorem speciem, veluti homo quidem potest producere hominem, at non potest producere vel equum vel Angelum, &c. 3. Virtus creata habet fines & *sphæram activitatis* ratione distantiæ. Velut ignis aliquis potest calefacere ad decem pedes: sed non ad pedes mille. 4. Virtus creata est dependens in agendo à *concursu extrinseco*, veluti ipsius Dei. Unde etiam cum eâ maximè intendit operari, & ex se sufficiens est ad operandum, sæpe tamen non potest in operatione progredi, propter defectum istius concursus, si Deo placeat, cum non adhibere.

334.

Ergo sic Deum infinitæ virtutis esse intelligemus, si sit in operando prorsus independens, possitque adeò id operari omne, quod sit possibile, hoc est, quod ex parte sui non implicet repugnantiam, veluti, si possit, diminuâ materiâ, ex nihilo facere rem materialem & producere id, quod in quavis specie est melius, atque adeò si agat independenter ad quamvis aliam causam, & in quamvis distantiam.

335. *Deus agit independenter ad aliud agens.*

Sic igitur nunc declaratur infinita virtus Dei. Deus agit prorsus independenter & citra concursum alterius superioris causæ, citra concursum materiæ, &c. Ergo habet vim agendi infinitam. Consequentia firma est, quia finitas in agendo sumitur ex dependentia ad aliud, ut visum est. Antecedens autem probatur. Nam primò, Deus est ens primum, ergo non recognoscit aliud superius ens, ergo nec aliud superius agens, à quo in agendo pendeat. Ergo simpliciter agit secundùm intellectionem & volitionem. Ergo producere potest etiam illud quod ullo modo possibile est, seu quod nullam repugnantiam involvit.

336. *Et independenter ad materiam.*

Quod etiam Deus possit agere independenter ad materiam, atque adeò quòd possit agere ex nihilo, patet quia inprimis nulla hic, ex parte effecti, apparet repugnantia. Ergo hactenus possibile est, ut homo v.g. fiat ex nihilo. At quod nullam involvit repugnantiam, Deo possibile est, ut priùs dictum est, & infrà plenius dicetur, tractando de attributo omnipotentiæ. Quod enim ad hunc modum agendi revera requiratur infinita virtus in agendo, inde patet, quia tanto major requiritur virtus in agente, quanto major est distantia rei producibilis, ab esse, quod habere debet. Ergo ubi est infinita distantia, ibi oportet, ut sit infinita virtus in agendo. Cum autem res est sub nihilo, & deinceps est sub esse actuali, ibi est distantia infinita. Sed de his erit plenius in materia de creatione.

Agere ex nihilum est infinita virtus.

337. *Deus est infinitus in præsentia.*

V. Deus est infinitus ratione *præsentiæ*, hoc est, Deus est revera immensus & omnipræsens. Ita patebit infrà, cùm de Dei immensitate agendum est.

ARTICULUS II.

In quo solvuntur objectiones contra Dei infinitatem.

338. I. Videri potest Deum non esse infinitum in virtute, quia nullus ejus effectus est infinitus. At ex effectibus est judicandum de essentia cujusque rei.

Effectum non potest esse infinitum.

Resp. 1. Nullum effectum Dei posse esse infinitum (ut nunc de infinito loquimur) quia manifesta est repugnantia in ratione effecti et infiniti. Effectum enim qua tale adjudicit dependentiam in essendo à causa sua. At de ratione infiniti est, carere illâ dependentiâ, ut prius visum est.

Essentia quomodo judicetur ex effectis?

II. Igitur ad judicandum de essentia cujusq; rei, duo sunt consideranda, nempe et effectus, et modus seu ratio efficiendi. Hinc, si nullus effectus Dei sit infinitus: Est tamen modus agendi, quo Deus agit, infinitus, velut, quod agit in non Ens, ut scilicet actuet id, quod in infinitum distat ab omni actualitate et entitate. Et hoc in præsentia satis est. Eleganter ad hanc rem ait Scalig. exerc. 365 §. 8. *Non sequitur, inquit, alio finito, ergo & agens. Propterea quod alterius essentia & potentiæ continuatio, superest ipsi jam facilè operæ. Partes tamen habet intermissiones, quæ per intellectum adæquantur finitis actionibus, sed aliæ succedunt in infinitum.*

339.

2. Deus est hoc et non aliud. Ergo suam sibi habet essentiam, ita finitam, ut per eam distinguatur à quavis re alia. Ergo est Ens finitum. Et confirmatur, quod Deus aliquo modo possit *definiri*, ut suprà visum est. Ergo sic Deus est aliquid ὡρισμένον, definitum.

Ens finitum unde dictum?

Resp. Ens dici finitum, non quod intellectus noster definitè vel ἀφωρισμένως, et non indefinitè, hoc est, indistinctè et confusè apprehendit, seu quod est hoc et non aliud, ut rectè Alegius dicit, 1. *p. q. 6. art. 1. ad* 19. Sed quia definitur et perficitur ab alio, sive quod dependentiam habet ad aliud, et non potest agere omne quod citra repugnantiam est possibile. Atq; hoc, dum Deo convenit, ut visum est, ipse simpliciter est Ens infinitum.

340.

III. Si Deus esset corpus infinitum et immensum, tum non posse dari ullum aliud corpus. Ergo eodem modo, si daretur ens infinitum, non posset dari aliud ens infinitum.

Cur non possit esse infinitum corpus?

Resp. Negando consequentiam, quæ mala est, propter dissimilitudinem corporum et entium spiritualium. Igitur si daretur infinitum corpus, non posset dari ullum corpus aliud, quia istud jamdum ea vi immensitatis suæ occuparet omne spatium. Ergo sic excluderet omne corpus aliud. Quantitas enim in corpore facit impenetrabilitatem. At id non est ex ente infinito, si quod daretur, (ut de facto datur) in genere entium immaterialium. Entia enim immaterialia non sunt alicubi per occupationem spatii. Unde ubi sunt ipsa facilè potest esse ens materiale, vel immateriale aliud. Atque sic patet, per immensitatem corporis unius, tolli omnia alia corpora. At id non esse per immensitatem entis immaterialis.

341

IV. Videtur infinitum importare multiplicem imperfectionem. Ergo non dicendus est Deus infinitus. Antecedens patet. Nam primus infinitus est attributum negativum. Negationes autem nullam perfectionem significant. Deinde finitas et infinitas sumuntur secundùm quantitatem, ut est, 1. *Phys. t.* 15. & 3. *Phys. t.* 66. Quantitas autem ut quæ imperfectionem significat.

Infinit. multiplicem imperfectionem remotè à Deo. Infinitas & finitas non dicuntur in sola quantitate.

Resp. 1. Negationes non necessariò importare imperfectionem, quia possunt removere multiplicem imperfectionem, dummodo id quod est sub attributo negativo tale sit, ut prius satis patuit. Removetur nempe à Deo sub hoc attributo, dependentia à superiori causa, defectibilitas in essendo, virtus limitata et determinata in operando, quæ omnes sunt vanè magnæ imperfectiones.

2. Finitas et infinitas ex prima impositione quidem sumuntur à quantitate: Translatæ tamen sunt illæ voces deinceps etiam ad essentias et perfectiones rerum, quæ finè dicuntur quantitates virtutis. Et secundùm hunc posteriorem sensum, infinitum et finitum, dividit ens, non utique attendendo quantitatem vel molem, sed essentiam et perfectionem rerum. Et secundùm hunc sensum Deus à nobis dicitur infinitus.

ARTI-

ARTICULUS III.

In quo declarantur attributa æquipollentia.

Superiori *lib. 1. cap. 13.* dividendo Ens, in finitum & infinitum, dictum est, esse alias æquipollentes divisiones, è quibus nunc etiam Deo applicanda sunt, quæ ibi dicta sunt Entis infinito æquiponere. 342.

Ergo sic 1. *Deus est Ens à se.* Est, inquam, Deus Ens à se, non id intelligendo de positivo influxu, per quem Deus sibi dederit esse. (Hoc enim implicat) sed intelligendo id negativè. Est, inquam, Deus ens à se, hoc est, non est factus à causa aliqua superiori. Et hic patet Deum esse Ens à se. Nam ipsa infinitas ejus, quam hactenus probavi, infert omnimodam independentiam ad superiorem causam, ut prius visum est, *in præced. hujus tituli art. 1.* *Deus quomodo Ens à se?*

2. *Deus est Ens independens.* Hoc etiam relinquitur ex dictis. Nam infinitas primò consistit, in independentia ad causam superiorem. 343.

3. *Deus est Ens increatum.* Nam increatum Ens dicitur per remotionem causæ efficientis; quæ infinito repugnat per prius dicta.

4. *Deus est Ens per essentiam.* Per essentiam, inquam; & non per participationem, quatenus is, ex se & à se, suam habet essentiam.

5. *Deus est Ens purè actuale, sive est actus purissimus.* Sub hac appellatione, à Deo removetur omnis potentia passiva. Atque ita primò Deus expers est omnis potentiæ, secundum quam dicitur esse vel fuisse possibilis, quæ potentia vulgò solet objectiva dici. Patet autem, quia Ens possibile dicitur, per latentiam in causis. At repugnat, Ens infinitum habere causas. *Secundò:* caret Deus potentia obedientiali ad non esse. Nam Deus prorsus & simpliciter est immortalis, per prius dicta. *Tertiò:* Deus caret potentia passiva, qua possit crescere vel decrescere in perfectionibus. Est enim Deus Ens simpliciter perfectissimum. Perfectissimo autem repugnat omne incrementum & decrementum. *Quartò:* Deo repugnat potentia materialis. Deus enim simpliciter est Ens spirituale, ut supra disputavi. Spiritus autem nullam habet materiam. 344. *Deo nulla convenit passiva potentia.*

6. *Deus est ens vere necessarium.* Ipsius enim essentia simpliciter est immortalis, unde nec potuit aliquando non esse. Quis enim, ex illo non esse, potuisset Deum educere? Nec potest aliquando desinere, quia est simpliciter immortalis, ut antea probatum est. 345. *Deus est ens necessarium.*

7. Deus est ens ἀπερίγραπτον, hoc est, incircumscriptum. Incircumscriptus, inquam, Deus est, tribus modis, quos modis etiam Deus infinitus dicitur. Incircumscriptum enim dicitur, per defectum terminorum seu finium. Per finium tamen, sub hoc titulo removetur à Deo circumscriptio localis, quantitatis & essentiæ. Atque ita Deus I. non est solum in patriali aliquo spatio. Hoc patebit infrà, ubi demonstrandum est, Deum prorsus immensum, atque ita omnipræsentem esse. II. Deus non habet limitatam aliquam quantitatem, intra cujus extrema contineatur. Ita patet, quia non solùm Deus est immensus, sed etiam est naturæ spiritualis. Unde omnis quantitatis est expers. III. Deus est expers finium seu terminorum in essentia, quod ita declaratur, sicut in superioribus declarandum est, quòd Deus infinitus sit in essentia. Hic igitur nihil addo. 346. *Et incircumscriptum.*

TITULUS II.

De Dei æternitate.

Sub infinitate Dei, comprehenditur ejus æternitas, ut prius visum. Æternitas enim significat carentiam terminorum in duratione. At infinitas indifferenter dicit quamlibet finium carentiam, ut ex voce patet. De ista igitur nunc ago. Et in superiori quidem *lib. 1. c. 16. n. 36. seqq.* satis dictum est, quid æternitas sit. Unde cadere nihil dicendum superest. Solùm hic videndum est de duobus. An Deus sit æternus? 2. Qualis sit Dei æternitas. 347.

ARTICULUS

ARTICVLVS I.

An Deus sit æternus?

348. INprimis quòd Deus sit æternus, per Scripturas certum est. Vidè *Psal.90.v.2.& 102.v.13.Esa.40. Rom.16.*& alibi.

Idem etiam ex ratione certum est. Igitur inprimis æternitas significat durationem unà quaque indefectibilem, qua scilicet Ens, quòd æternitate durare dicitur, nec potest habere initium, nec potest habere finem. At Deo hæc omnia conveniunt. Nam inprimis Deo convenit aliqua duratio. Permanet enim Deus in esse suo. At permansio in essendo, vocatur duratio. Deinde Deus non potest habere initium. Si enim id esset, tùm Deus esset dependenter ab aliqua causa, quæ illi esse tribueret. At hoc repugnat Deo, ut aliquoties demonstratum est. Deinde Deus etiam non potest habere finem: Est enim absolutè & prorsus immortalis, ut similiter in priori titulo demonstratum est.

Æternitas Dei.

349. Atquæ hæc etiam ratio consequenter evincit, quòd soli Deo conveniat æternitas. Nam quicquid est, præter Deum, est dependenter à Deo. Vnde nec ei repugnat habere initium, nec repugnat aliquando desinere. Vnde simpliciter habet defectibilem & mutabilem Entitatem. At defectibilitas in essendo repugnat æternitati, ut paulò antè dictum & suprà *lib.1.c.16.* probatum est.

Soli Deo convenire æternitatem.

350. *Objicitur* 1. Æternitas est duratio. Duratio autem habet rationem mensuræ. Ergo & Deus mensuræ habet rationem. At repugnat ut mensura Deo tribuatur, quia ipse est immensus, quæ vox carentiam mensuræ significat.

Objectiones.

Resp. Negando, quod duratio habeat rationem mensuræ: ut suprà *citato cap.16.* ostensum est. Ad rationem igitur durationis, satis est, si quid in essendo maneat. At hoc Deo convenit.

351. II. Si Deus esset æternus, etiam ab æterno aliquid egisset. Videtur enim repugnare, si Deus dicatur tanto tempore otiosus fuisse, præsertim cùm natura boni sit seipsum communicare.

Quid egerit Deus ab æterno.

Respondet Aristot. Deum ab æterno mundum fecisse: sed hæc responsio evertit principia fidei, quibus docemur, mundum definito cœpisse tempore. Falsè respondent alii istis curiosis hominibus, de actibus divinis quos Deus ab æterno habuerit, quòd scilicet Deus collegerit virgas, vel præparaverit locum pœnæ istis, qui de talibus solliciti sunt. Confer Aug. *lib.11.conf.c.12.*& Bod. *in Meth.hist.p.446.*

Sed secundò respondeo. Non opus fuisse, ut ab æterno Deus quicquam faceret. Nam sufficienter Deus beatus est citra operationem ad extra. Consistit enim ejus beatitudo in visione & cognitione sui, quam ab æterno habuit.

352. 3. Neque hinc Deus otiosus dici debet, antequam quicquam faceret. Otiosum enim dicimus, quod cùm debet & potest agere, non tamen agit, ut Scalig. *definit. exerc.6.s.9.* At quis legem Deo posuit, quod debuerit agere?

Cur Deus in tempore mundum condiderit?

4. Non etiam id est contra rationem boni. Nam Deus quidem, Ens bonum est, sed tamen & agens liberum. Unde communicat istam bonitatem suam, pro voluntate tamen & placito suo: Placuit autem Deo, non ab æterno, sed in tempore, ad creaturas eam diffundere, idque variis de causis. I. Ut appareret Deum mundo non indiguisse, sed fuisse eum perfectè felicissimum, mundo etiam non existente, mundum verò ut esset, divinâ indiguisse virtute. II. Ut ita Deus se demonstraret rerum omnium esse principium & causam efficientem. Si namque mundus ab æterno fuisset, quis à Deo eum factum esse intelligeret? Denique ut cognosceretur, Deum esse agens liberum. Vide ex Toleto Taurellum, *lib.1.de rerum æter. ad argumentum 2. Toleti, pag.50.* Et Pererium *l.15. Phys.c.4. ad argumentum 1.2.*

ARTI-

ARTICULUS. II.

Qualis sit Dei æternitas?

Hic vulgaris sententia est ex Boëthio *lib. 5. de consol.* quòd æternitas Dei sit interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. 353.

In qua definitione duo dicuntur. 1. *quod æternitas Dei sit interminabilis vitæ possessio*: hoc est, quatenus Deus dicitur æternus, habet vitam undequaque indefectibilem, quæ nec possit incipere nec desinere. Et hæc pars per se constat ex dictis, præcedenti quæstione.

2. Dicitur, quòd Deus, in quantum æternus dicitur, habeat vitam suam *totam simul*. Vnde ex hac parte removetur à Dei duratione, hoc est, ejus æternitate, omnis successio. Id etiam docet August. *in Psal. 101. conc. 2.* *Æternitas Dei substantia est*, inquit, *quæ nihil habet mutabile, ibi nihil est præteritum, nihil est futurum, quia nondum sit, sed non est ibi nisi est.* Vide & *lib. 1. de vera religione, cap. 49.* sequuntúrque eum sententiarii 1. *d. 9. & 19. & 2. d. 2.* *Dei æternitas tota simul.*

Ab hac tamen sententia recedit Vorstius, *in Not. ad disp. 2. de Deo, pag. 222.* ubi contendit, etiam Dei durationem esse successivam, & probat, quia Deo tribuantur differentiæ temporis, heri, hodie, quæque diversitatem temporis involuunt, ut recordari, promittere, prædicere, & quæ sunt alia. 354. *Vorstii sententia.*

Sed res facilis est, & rectè ista poterit expediri, si solùm intelligatur, quo sensu Dei æternitas dicatur tota esse simul.

Imprimis igitur sciendum est 1. quod duratio non dicatur successiva, per coëxistentiam ad tempus imaginarium, quale etiam, ante mundum conditum, extra Deum possumus apprehendere, sicut apprehendimus ibi spatium imaginarium. Est enim duratio attributum reale Entium, unde non debet ea per aliquid imaginarium compleri. Fuit ea de re suprà, *lib. 1. c. 16. n. 92.* 355. *Refellitur Durandus unde dicatur successiva?*

II. *Neque duratio debet successiva dici per coexistentiam ad motum cæli, qui successivus est.* Nam duratio simpliciter est attributum intrinsecum. Ergo successio etiam quæ sit in duratione, non est sumenda ab extrinseco. Quod si per alterutrum horum æstimetur successio in durationibus rerum, id est per κατ' ἀναλογίαν & improprièt. Fatemur autem, quoad hunc sensum utrumque æternitatem Dei successivam dici posse. 356.

Neque aliud evincunt argumenta Vorstii, quæ omnia de alterutra successione loquuntur, unde nihil ad ista porrò respondendum superest. Patres autem, & alii Theologi & Philosophi de ista successione, quam imaginariam vel extrinsecàm dicere possis, non loquuntur. *Quomodo æternitas Dei sit successiva?* 357.

Ad hoc explicandum prænotandum est, quod duratio realiter eadem sit cum essentia rei, quod sæpè *d. l. 1. c. 16.* probavi, & Vorstius facilè admittit, saltem de Deo & ejus æternitate: Propter istam igitur durationis & essentiæ identitatem, æstimanda est successio durationis ex successione essentiæ. Atque hinc in cujus essentia nulla datur successio prorsus, in ejus duratione quoque nulla erit successio prorsus. Facit huc quod & ipse Vorstius dicit, *in Not. ad Disp. 3. de Deo, pag. 221.* *Omnis duratio*, inquit, *æstimanda est ex natura Entium, quæ durare dicuntur.* *Quomodo non sit successiva?*

Quo posito advertendum est: quòd in essentiis rerum creatarum dupliciter sit aliqua successio. Igitur 1. *a*) quibus Entibus creatis, in particulari convenit, quoad esse illorum, successio talis, ut partes essentiæ suæ nunquam habeant simul, qualia Entia sunt accidentales motus, qui ob id etiam dicuntur Entia successiva. Vnde per excellentiam illis convenit duratio successiva. Et reliquis omnibus Entibus convenit, sicut esse, ita & duratio permanens, ut suprà de durationibus visum est. 358. *In essentiis rerum creatarum duplex est successio.*

II. In universum omnibus Entibus creatis convenit successio in essentia, in

quantum illa per divinum influxum, ipsam conservantem, porrò sunt. Per istam enim conservationem continuatur esse illorum, quod semel per creationem vel generationem acceperunt. Vnde conservatio illorum dicitur continuata generatio. Et vi istius influxus, in quolibet momento potest abrumpi essentia illorum, ut res creatæ non accipiant illam quasi partem esse sui, quæ per influxum conservativum, proximè subsequentem, obtingeret. Ad quem modum & lumen accipit esse suum ab illuminante, quod per continuatum influxum conservatur ab illuminante, & sic partes essentiæ suæ, suo modo, in fluxu habet.

359. *Quomodo æternitas Dei sit tota simul?*

Et horum neutrum est in essentia divina, quæ neque partes fluentes habet, per modum motuum: neque etiam partes esse sui habet dependentes, ex continuo influxu alterius conservantis. Ergo sic essentia divina prorsus est tota simul. Ergo sic etiam ejus duratio sive æternitas (quæ cum essentia est eadem) est tota simul. Intelliguntque hoc ipsum Doctores verbis prælegatis, contra quam sententiam prorsus inefficacia sunt argumenta Vorstii: Sed solùm loquuntur de imaginaria & extrinseca successione, ut priùs dictum est.

TITULUS XII.

De omnipræsentia Dei.

360. IN primis *lib. 1. c. 17. num. 11.* satis declaratum est (sub phrasi: *esse alicubi negativè*) quid sit, esse ubique vel omnipræsens. Nempe esse omnipræsentem, est nihil aliud, quam non adesse spatio alicui finito, sed adesse omnibus spatiis, tam iis, quæ de facto impleta sunt corporibus, quam iis, quæ nobis imaginamur, etiam extra hunc mundum, unde & relinquitur quod omnipræsentia formaliter non consistat in operatione transeunte, quod ibi pluribus confirmatum est. Atque sic summatim, esse omnipræsentem, est esse in omni spatio, tàm reali quàm imaginario. Ista igitur Dei omnipræsentia nunc ostendenda est, quod ut fiat, quæstiones aliquæ sunt enodandæ.

QUÆSTIO I.

An Deus sit omnipræsens?

361. IN hac quæstione *prius* referam aliorum sententias: *Deinde* veram sententiam proponam: *Denique* solventur objectiones.

ARTICVLUS I.

In quo referuntur sententiæ variæ.

De præsentia Dei, sententia Aristotelis.

DE præsentia substantiæ divinæ ad res quaslibet, atque adeò de immensitate Dei, dubitarunt plurimi ex Veteribus, & etiamnum de ea controvertitur: Arist. 8. *Metaph. c. 8. t. 84.* ait primum motorem necessariò vel in centro, vel in circulo seu circumferentia esse. Et 1. *de cælo, c. 3. t. 22.* ait: Omnes homines supremum locum Diis tribuisse. Idem dicitur *in lib. ad Alex. de mundo, c. 6. Præstabilius esse censemus,* inquit Autor, *Deoque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus, potestatem illam in cælo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus universis præstare, iis quoque quæ longius ab eo remota sunt. Nec illis assentiri, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem & ventilantem, ad ea quoque quæ nec adire ipsam honestum est, neque dictu speciosum, sua ita hic opera efficere contendant, vel que terrenas administrare. Atque sic nec ex hominum quidem Principum dignitate esse dixeris, cuilibet operi incumbere, ut v. g. Exercitus ducis, aut urbis præfecti, atque etiam domus primarii dispensatoris, si fasciculum sarcinarium componere, aut viliorem aliquam operam obire, usu venerit, &c.* Sic & Ægyptii, aliique Philosophi, Deum in cælo suo, locabant. Vide Justinum Martyr. *Tom. 1. in Paranes. ad Gentes.* Cyrill. Alex. *l. 1. contra Jul.*

In

In Ecclesia etiam ita senserunt aliqui Judæi vetustiores, qui Deum in solo templo Hierosolymitano ponebant, ut refert Hieronym. *in c.66. Isa.* Et August. Steuchus *in Psal.138.* ait: in cœlo Deum esse per essentiam, in terra autem esse eum solùm, per virtutem, potentiam & cognitionem, sicut Sol, quo exemplo utitur, est, per essentiæ præsentiam in suo orbe, in aliis autem rebus, per influentiam virtutis suæ. 362.

Novissimè etiam eandem sententiam renovavit Vorstius, *in Not. ad disp. 3. de Deo, p.230.* quanquam non vult videri, quod ita doceat. Et ait quidem statim in initio, *esse certum* & exploratum, quòd Deus non modò virtute & potentia, sed etiam essentiæ suæ respectu immensus sit: Nihilominus, isti contradicens, mox *inter dubia* ponit, quomodo Deus ubique præsens sit, *puta* (verba ipsius sunt) *per essentiamne, & quidem omnino totam, an per potentiam & operationem generalem?* Tum etiam ejus sententia inde patet, quod omnia argumenta, quæ pro immensitate Dei afferri solent, examinat. De contraria autem sententia, id non facit, sed semper loquitur plausibiliter, & non obscurè insinuat, in quam sententiam propendeat, & aliquoties dicit: *Immensitatem eam non immerito inter simpliciter dicta referri, p.234. Esse immensæ essentiæ, adversatur naturæ, p.255.* Et hinc communissimè à Theologis Vorstio tribuitur sententia hæc, etiam à Calvinianis, quod omn. præsentiam essentiæ divinæ neget. 363 *Vorstii sententia.*

In oppositum autem, vulgarium est Doctorum sententia, quòd Deus omnipræsens sit, essentiæ suæ ratione. Dico *essentiæ suæ ratione*, ad excludendum modum loquendi illum, quo Deus omnipræsens dici solet à parte adversa. Id enim intelligunt de præsentia secundùm virtutem et operationem solùm, quod scilicet eam præsentem exhibeat in omni loco mundi. 364. *Communis sententia exponitur.*

Hæc sententia verior est, ut mox probabitur. An tamen Aristot. eam defenderit, dubitari solet. Multi certè sunt qui id asserunt. Vide Simpl. *l.8. Phys. Comment. 48.* Philopon. *l.1. de anima, t.40.* Eugubin. *de Perenni Philos. l.4 c.7.* Tolet. *l.8. Phys. cap.10. q.7.* Colleg. Conimbr. *ibid. q.1. art.2.* Et videri ita potest. Nam *l.1. de part. animal. cap.5.* laudat dictum Heracliti, qui ingressus domum furnariam interrogabatur, cur tam vilem domum ingrederetur, & respondit: *etiam ibi Deos esse*, Alia mitto: Neque magnopere curo, quid Aristoteles senserit, ut tantam ea in re operam insumi necesse sit. 365 *Approbatur.*

ARTICULUS II.

In quo probatur Dei omnipræsentia.

UT Dei omnipræsentia & immensitas probetur, duo sunt concludenda. 1. Deum esse in qualibet parte mundi. 2. Deum etiam esse in imaginariis spatiis extra mundum. Utrumque enim requiritur, ad rationem omnipræsentiæ, ut suprà visum est, *lib.1. c.17.* 366

PUNCTUM I.

De præsentia Dei in omnibus partibus mundi.

ERgo dico 1. *Deum præsentem esse in quavis parte mundi.* Ita patet, primùm per Scripturas, *Psal. 139. v.7. Quò ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es. si descendero in infernum, tu ades, si sumpsero pennas meas diluculo, illic etiam manus tua duceret me, & apprehenderet me dextra tua.* 367. *Dictum Psal. 139.*

Excipit Vorstius cum Calvino: quòd agatur in hoc dicto, non de essentiæ immensitate, sed de omnipotente providentia, & operosa sive efficace Dei virtute. *Sed* inprimis vocabula omnia dictis illius, si propriè intelligantur, notam 368. *Exceptio Vorstii refellitur.*

præsentiam essentiæ divinæ, veluti sunt, *Illic es & ades.* Vult nempe Propheta ostendere, quod nemo se possit seducere à facie vel conspectu Dei, quia ipse sit in omnibus mundi angulis, indicans speciatim istas mundi partes, quæ peculiariter inaccessæ sunt, quæque adeò tales sunt, ut si quo à loco Deus sit absens, ibi potissimùm abesse censendus sit, veluti est infernus & extremum maris. De præsentia autem per efficaciam & providentiam, nonnisi per catachresticam Metonymiam intelliguntur ista, *ades & illic es*, qualis esset, si quis in terra diceret esse Solem, Solem, inquam, hoc est, calorem vel lumen Solis: Tropicus autem sensus in Scripturis non est acceptandus præ proprio, nisi manifesta cogat necessitas, per August *l.3.de doct Christ.c.10.16.*

369. *Dictum Jerem. 23.* Ejusdem argumenti est, quod Propheta Jer.c.23.v.23 probat, neminem posse Deo absconditum esse, quia ipse cœlum & terram impleat, atque adeò sit etiam in abscondito, & non Deus de longè. Quæ omnia clarè & quoad literam loquuntur de essentiæ præsentia, ut non nisi violentè à Vorstio explicentur de sola (denuntiâ essentiæ præsentiâ) providentia Dei. Verba hæc sunt. *Nunquid Deus è vicinia ego sum, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis & ego non videbo eum? dicit Dominus. Nunquid non cœlum & terram ego impleo?*

370. *Esaiæ. 66.* Pertinet & huc dictum, Esa. 66. v. 1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Vbi Deus per ἀνθρωποπάθειαν intelligitur sedens in aliquo solio vel sella. Proinde sicut in sella sedens, exhibet essentiæ suæ præsentiam, non solùm sellæ, sed etiam scabello. (Nam in eo sunt pedes sedentis) ita etiam Deus in cœlo, tanquam in solio sedens, aliquam tamen sui partem, (ut per eandem ἀνθρωποπάθειαν loqui liceat) exhibet etiam terræ, quæ ei scabellum est.

371 *Exceptio Vorstii refellitur.* Vbi non video: quâ fronte dicat Vorstius, *in Notis, p. 233.* Illud dictum potius immensitati Dei refragari, quia hîc dicatur, *substantialiter in altissimo illo cœlo* (verba ejus recito) *tanquam in solio vel palatio suo residere, sic tamen ut virtualiter etiam seu κατ' ἐνέργειαν suam in terra versetur: Sive ita, ut hæc etiam terrena aspicere & curare dignetur.* Nam certè sedens in solio aliquo, non minus substantialiter præsens est scabello, utpote ad quod pedes pertingunt (qui utique ad substantiam sedentis pertinent) quam substantialiter præsens est solio ipsi. Vnde quo jure ex eadem Metaphora sedendi, Vorstius Deo tribuit præsentiam substantialem ad solium, & præsentiam solùm energeticam per intuitum ad Scabellum; ibi ad cœlum; Hîc ad terram?

372. Sic & *Actor.17.v.27,28.* Non longè abest Deus ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus, movemur & sumus. *Et Eph.4.v.6.* Deus dicitur esse in omnibus & per omnia.

Exceptiones, quæ ejusdem generis sunt cum prioribus vitandæ prolixitatis causa refutare nolo, præsertim, quia si maximè hæc dicta de omnipræsentiâ essentiæ Dei non loquerentur Satis tamen ea evicta esset per priora. Nunc eadem conclusio rationibus est probanda. Hactenus enim ostensum est esse eam de fide.

373. *Rationes pro Dei omnipræsentia.* Ratio potissima, cur Deus sit omnipræsens, sumitur ex ejus concursu, cum rebus creatis, qui est ad omnes actus eorum. Ita autem nunc supponimus & infrà idem probabitur. Hoc igitur supposito, efficit Deus omnes Physicos et reales motus atque actus causarum secundarum. Ergo etiam iis est præsens, Ita patet. Nam in rebus spiritualibus actio ipsarum transiens, supponit earum præsentiam, & aliâs etiam semper, inter agens et effectum, debet esse propinquitas. Variæ solent ad hanc argumentationem objectiones fieri, sed ex desumuntur ex propinquitate causæ ad effectum, unde et alibi videndæ sunt. Qui volet videat prolixè eas discutientem Suarez, *disputatione 3 ſ 7. Num.4 & seqq.* Valent. *tom.1. in Thom. disp.1 q.8. punct.1. &* Thom. *1.ſ q.8 a.1.*

374 *Deinde* idem probatur ex attributo infinitatis. Deus est infinitus. Ergo et immensus et omnipræsens. Ita patet, quia defectus omnipræsentiæ et immensitatis, est per finitam præsentiam et mensuratam ad definita loca, ut ex terminis constat.

Omnia

Omnipræsentiæ enim opponitur partialis vel particularis præsentia: Et immensitati opponitur mensuratio, quæ simul involvunt finitam præsentiam. At quod est finitè præsens, utique finitum est non infinitum.

Tandem etiam idem probatur per testimonium doctorum. Igitur istam essentiæ divinæ substantialem, in toto mundo præsentiam, manifestè docent. Dyonys. *c.9.de divinis nominibus.* Deus super omnem magnitudinem funditur et suprà expanditur. Cyprian. *l.de vanit.idolorum.* Dei templum est totus mundus. Augustin. *Epist.57.ad Dardan.* Deus substantialiter ubique diffusus est. Et *l.7. de Civit. Dei, c.30.* Deus ubique totus implens cœlum et terram, præsente potentiâ, non absente naturâ. Vide plures alios Patres apud Valent. *ubi suprà*, et adde Lombardum 1. *d.37.* ubi etiam id docent Sententiarii. Item Thom. 1. *p.q.* 8. ubi et ejus Commentatores idem tenent. E Philosophis etiam, tum Gentilibus, tum Christianis, tenent idem plurimi. Pythagoras apud Lactant. *l.1.div. Instit. c.* 5. ait: Deum esse animum, per universas mundi partes, omnémque naturam diffusum. Orpheus de Saturno ait: ὃς ναίοις πᾶσι μέρη κόσμοιο, qui habitas ad omnes mundi partes. Alios gentiles Philosophos recenset Ficin. *de immortal animæ, l. 2. c.6.* Clemens Alex. *l.5.Strom.circa fin.* Alex. *l.1.contra Julian.* Eugubin. *l. 4. de Peren. Philosoph.* De sententia Aristotelis et Heraclitipriùs dictum est. 375. *Testimonia prò Dei omnipræsentia.*

PUNCTUM II.

De præsentia Dei extra mundum.

DIco II. *Deum præsentem esse in omnibus spatiis extra mundum. Et sic revera immensum & omnipræsentem esse.* Hæc assertio etiam probari potest. 1. Scripturis. 2. Rationibus. 3. autoritatibus. 376

Igitur Scripturæ testimonia ad hanc rem multa sunt, quæ Deum dicunt esse immensum. Vt Ps. 145. v. 3. *Magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch. 3. v. 24. 25. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est & non habet finem, excelsus & immensus* At certè Deus non esset immensus; sed haberet finem magnitudinis suæ, si solùm esset in omnibus partibus mundi. Nam totus mundus finitus est et non immensus. Deinde idem probatur ex 3. Reg. 8. v. 27. *Cæli cælorum non capiunt eum, unde & Deus excelsior cælis* dicitur, *Job. 22. vers. 8. 9.* Excelsior *cælo est, profundior inferno, longior terrâ.* Et Job 22. v. 12. dicitur *excelsior cælo & supra verticem stellarum sublimior.* Quæ verba clarè indicant, quod Deus etiam sit extra et supra cœlum. Sic et Justinus ad hæc *in qq. Christ. q. 11.* Deus universo *major est substantiâ* et dignitate. Pertinétque huc Metaphora de Deo *sedente* in cœlo tanquam in solio, *Esa. 66. v. 1.* E qua sequitur, quòd Deus sicut substantialiter præsens est partibus aliquibus infrà solium, veluti, qua pedes pertingunt: ita etiam sic substantialiter præsens aliquibus partibus supra solium, qua caput pertingit. Ergo sic juxta sedendi Metaphoram, Deus est in solio, et infrà solium, et supra solium. Quanquam in ista Metaphorica argumentatione non admodum nitor. *Probatur præsentia Dei extra mundum.* 377

Exceptiones Vurstanæ, de præsentia virtuali et exertione providentiæ ad dictum, 3 *Reg* 8. facilè evanescunt. Nam extra cœlum non exeritur divina providentia, supposito quod ibi nihil creatum sit. Loquimur enim de istis spatiis imaginariis supra cœlum, ubi nihil creatum est. 378

Quoad rationes, aliquæ istarum suprà propositæ sunt *lib. 1. c.17. n.27. seqq.* Vnde eas brevitatis causa repetat Lector. Potest autem id porro etiam probari, ex consideratione infinitatis divinæ. Nam inprimis non apparet, quomodo Deus sit infinitus in præsentia, si intra hunc mundum tantùm sit. Nam mundus hic totus finitus est, ut et antea argumentabar, in priori classe probationum ad præsentem conclusionem. 379

Denique Autores, ita sentientes, etiam plurimos allegavi *d. c.17. N.26.* ubi vide

ARTICULUS III.

In quo solvuntur objectiones veritati contrariæ.

380. OBjectiones duorum generum solvendæ sunt. *Primò* quidem illæ quibus docetur & confirmari intenditur, quòd Deus habeat μεριϰὸν sive partiale ubi, & sic ne quidem in toto mundo sit. *Deinde* etiam illæ, quibus confirmatur; Deum non esse præsentem, imaginariis spatiis extra mundum.

PUNCTUM I.

In quo considerantur objectiones de partiali Dei præsentia in hoc mundo.

AUtores negantes omnipræsentiam Dei & constituentes ejus partialem præsentiam, vel in cœlo vel alibi, priùs recensiti sunt in initio hujus tituli. Argumenta autem istorum complexus est Conradus Vorstius *in Not. ad disp. 3. de Deo, p. 235.* quæ resumemus.

PRIMUM ARGUMENTUM.

381. *Ex Scriptura.* I. OBicitur: Quod Scriptura omnino affirmare videatur: Deum ratione substantiæ suæ tantùm esse in cœlo, sive cœlesti Paradiso, quæ nimirum propriè domus & locus, & habitaculum ipsius in Scripturis appellatur, *Esa. 66. v. 1. Psalm. 2. v. 4. & 103. vers. 19 & 113. v. 5. 6. & 115. Luc. 2. v. 14. Ps. 14. v. 2. & 33. v. 13. 14. & 123. v. 1. & 138. v. 6. Matth. 6. v. 9. et 18. v. 10. 1 Tim. 6. v. 16. Esa. 40. v. 22.* Hæc omnia loca allegat Vorstius. Et subjicit, hîc non posse excipi, quòd hæc omnia impropriè sic dicantur, propter singularem aliquam gloriæ divinæ patefactionem, quæ in cœlo fiat, quia hoc ipsum, præcipuum hujus loci χριτήριον sit, & tantisper, clariùs, probetur, in medio relinquendum sit.

382. *Solvitur.* *Respondeo primò.* Ista dicta indicant: Deum esse in cœlo: At non dicunt, Deum esse in cœlo adæquatè, hoc est, in cœlo solo.

Secundò. Imò aliqua eorum contrarium docent. Nam in illorum aliquibus Deus dicitur esse in cœlo, sed tanquam in solio, vel throno vel sede, unde tamen, ut eadem Metaphorâ loquamur, pedes porrigat usque ad terram, quæ illorum pedum scabellum sit. Vnde & ibi, hoc est, in cœlo substantialiter præsens est & in terra. Nam pedes utique pertinent ad substantiam sedentis.

Et patet *tertiò*, quia alias Scriptura sibi contrariaretur. Nam passim Scripturæ dicunt Deum esse in cordibus hominum, ibi cum mansionem facere, esse ibi tanquam in habitaculo vel templo, quæ dicta, ex modo loquendi, non minus insinuant substantialem præsentiam Dei, hîc, ac ibi, hoc est, in cœlo.

383. Ut igitur *quarto* Scriptura sit sibi analoga, quid quæso vetat, *Vorsti*, quo minus, ut communiter fieri solet, explicetur Scriptura, de speciali illa præsentia Dei in cœlo, per specialem actionem, hoc modo,: Deus ubique præsens est; Sed tamen gratiosissimus ille hospes, non ubique eadem operatur. Vnde ubi plus operatur, specialius præsens est. Igitur cùm in sanctis sit, operando in illis gratiosè, quod non est in reprobis. Specialiter istis adesse dicitur, ab his abesse. Et rursus, cùm in cœlo sit Deus gloriosè, per sui visionem, & fruitionem, se exhibendo Sanctis, quod non est in hoc mundo: Ergo ibi specialiùs dicitur esse quàm in mundo. Hæc satis rectè cohærent. Nam de præsentia Spirituum ferè non solemus loqui, nisi per manifestationem eorum ex operationibus, unde & aliqui præsentiam illorum, quanquam perperam, ut alibi vilum est, putarunt consistere in operatione transeunte.

Et sic tandem *quinto* patet, in hac responsione non peti principium, ut Vorstius

Vorstius excepit. Nam dimisso illo speciali modo divinæ præsentiæ, non apparet, quomodo conciliari possint sibi Scripturæ. At illæ nusquam sibi contradicunt.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

II. Accedit, inquit Vorstius, *tacitus naturæ & populorum omnium consensus. Ad cœlum enim elevamus & animum & oculos & manus, quoties in precibus nostris ad Dei majestatem q. assurgere conamur, atque ita non obscurè fatemur, Deum in cœlis habitare, prout diserte ait David, Ps. 123. v. 1.* Ad te levo oculos meos, qui habitas in cœlis. *Ipsi etiam Ethnici, hoc naturæ instinctu (teste Aristot. in lib. de mundo) Deum in cœlo, ut pote suprema mundi regione & quasi acropoli seu regia sede habitare, confessi sunt.* Hæc ille. 384. *Rationes apud Vorstium.*

Resp. 1. Suppositâ omnipræsentia essentiæ divinæ, satis idonea ratio dari potest illius elevationis in cœlum, nempe quia illic est patria nostra, & ibidem Deus maximè gloriosè se exhibet suis, quò & nos aspiramus: Sicuti Judæi orantes, solebant se vertere versus Jerusalem, in orationibus suis, non quia ibi solùm esset Deus: Sed quia ibi Deus se peculiariter manifestabat, ibique quasi patria illorum erat. Sic *Augustin. serm. 182. Cum ad orandum, inquit, stamus, ad Orientem vertimur, unde cœlum surgit, non ideò, quod ibi sit Deus, tanquam cæteris mundi partibus velitis, sed ut admoneatur animus ad excellentiorem naturam consurgere, id est, ad Deum. Peccatori enim dictum erat: Terra es & in terram ibis.* Ergo sic, cùm de consuetudine orantium soleant homines oculos elevare ad cœlum, sed Orientem versus. Ergo ad mentem & intentionem Vorstii sequitur: Deum in parte orientali cœli esse, unde ego porrò inferam: Deum ubique esse. Nam ubique oriens & ubique occidens in cœlo. 385. *Cur orando elevemus oculos ad cœlum? Cur ad orientem?*

Ethnicorum autem testimonia & consensus, sæpè non sumuntur ex lumine naturæ sed ex imperfectione intellectus. Velut est cùm inducunt μαυτόσατα, purgatoria animarum, &c: *De Ethnicorum testimoniis.*

Neque 3. omnes Ethnici tenuerunt, Deum non esse omnipræsentem, prout suprà constitit, *art. 1. & 2. hujus quæstionis.* Et nominatim Aristoteles (quanquam autor illius libri censetur alius) *in lib. de mund.* docet, aliquos Gentiles autumare, quod Deorum omnia sint plena, etsi alias is autor, ibi, secus doceat.

TERTIUM ARGUMENTUM.

III. Adhæc, inquit, *majestas Dei postulare videtur, ut substantiam suam à rebus hisce terrenis & sordidis abstractam habeat, quæ alioquin rebus ipsis immisceri, & pars earum effici videbitur. Et licèt hoc non sequeretur, an non tamen indignum erit Deo, si dicatur in antro formicæ, aut locis sordidis, totâ suâ essentiâ adesse. Et num Majestati eius consentaneum erit, dicere, totum essentialiter ad esse in minimo etiam pulvisculi grano. Quibus cogitationibus, qui indulgeret, non videatur magnificè satis & condigne de Deo sentire. Simpliciter igitur credamus quod sacræ literæ docent: Deum revera suâ substantiâ (quæ ut amplissima & maxima, nostróque respectu immensa, ita simul summè gloriosa est) in cœlo altissimo, coëmque capacissimo habitare: In terra vero ubique virtute & sapientiâ suâ sive efficaci operatione & providentiâ nobis adesse.* 386.

Resp. 1. Nihil detrahit Dei majestati, si adsit rebus sordidis. Sicut neque detrahitur illi, quod eas facit & conservat. Non est minor ratio hic quàm ibi. Lumen Solis, etsi collustret res sordidissimas, eisque conjungatur: Nihil sordidum tamen inde contrahit. 387. *Nihil detrahit Deo, præsentia ad res sordidas. Nec inde rerum pars fit.*

2. Neque etiam inde sequitur: quòd Deus rebus ipsis immisceatur, & pars earum efficiatur. Præsentia namque simpliciter expescit solùm assistentiam & unionem accidentalem. At, ut pars quid dicatur, unio essentialis requiritur, ut scilicet alterum eorum sit quasi actus, intrinsecè perficiens, & aliud sit potentia perfectibilis. Id autem, in præsentia Dei ad res creatas, non est. Et ipse etiam Vorstius sua adversativa satis indicat imbecillitatem suæ rationis, dicens: *Licèt id non sequeretur, &c.*

3. De totali præsentia Dei, ad quamlibet partem spatii, in quo est, postea videbitur,

videbitur. Interim cogitet Vorstius, cùm ipse Deum dicat præsentem esse, cœlo capacissimo, utrum magnificentius sit: Deo, in spatio extenso, tribuere præsentiam divisibilem (quod solùm convenit corporibus) an verò indivisibilem, ut in quaque parte spatii sit totus quod aliis etiam spiritibus competere, infrà *sect. cap.* probabo. Certè qui divisibiliter, adeóque per modum corporeum, dicunt Deum præsentem esse, multò minus magnificè ac condignè de Deo sentiunt ac alii, sicut & id non admodum magnificum est, quod dicitur: Deum solum *respectu nostri immensum*, ubi indicatur, quòd absolutè & simpliciter Deus sit mensurabilis (mensurabilitatis enim negationem significat vox immensus) & finitus.

Ait Vorstius: Deum nostri respectu immensum.

4. De dictis Scripturæ, quoad præsertim in cœlo, anteà responsum est, ad primum argumentum. De præsentia autem Dei virtuali in terris, quæ dicuntur, dicuntur solùm, non probantur. Neque nunc allatum argumentum id convincit, ut vidimus.

QUARTUM ARGUMENTUM.

388. *De visione Dei.*

IV. *Substantia Dei videtur jam ab Angelis, Matth. 18. v. 16. & videbitur olim à nobis, de facie ad faciem, 1 Joh. 3. v. 2. & Apocal. 22. vers. 4. Ergo non est prorsus & simpliciter infinita. Nam quod tale est, nullo sensu apprehendi potest, quia scilicet proportio esse debet, inter rem percipiendam, & rem seu personam percipientem. Porrò quod ea loca, quibus Deum visuri dicimur, de interiori mentis speculatione non de externi oculorum inspectione vulgò interpretantur, nescio, an sacris literis satis consentaneum sit: certe magnam futuræ felicitatis nostræ partem, hac explicatione tolli videntur.* Hactenus ille.

389. *Deus oculis corporeis an videatur?*

Resp. 1. Certum est, naturaliter loquendo, Deum, sensu corporeo visus, non esse visibilem. Deus enim est incorporeus, potentia autem visiva corporea & materialis est. Unde ipsa ex vi suæ naturæ, non potest Deum attingere, tanquam subjectum visibile, tributúmque contraria sententia Anthropomorphitis & Arrianis. Imò censent etiam aliqui, id fieri non posse ab oculo glorificato. Vide August. *lib. 3. contra Maxim. c. 26. lib. 2 de Trinit. c. 8. Epist. 111. 11. 174. 178. Greg. 418. Moral. c. 36.* Epiph. *hæres. 70.* Et alios, apud Valent. *tom. 1. Disp. 1. q. 12. punct. 8.* Et Suarez *Disp. 30. s. 11. n. 2.*

390. *Visio Dei non tollit ejus infinitatem.*

Sed quicquid ea de re sit (relinquens ejus pleniorem dijudicationem Theologis,) *Resp.* Istam Dei visionem non tollere ejus infinitatem. *Partim*, quia si id sit, elevanda est vis visiva, ut Augustin. ait *lib. 22. de Civitat. Dei cap. 29.* Longè alterius, *inquit*, potentiæ erunt oculi, si per eos videbitur incorporea natura, quæ non continetur loco, sed ubique tota est; *Partim* etiam, quia essentia Dei, tota in singulis cœli spatiis videri poterit, ut infrà videbitur. Præsentia enim ejus est prorsus indivisibilis. Ad perfectionem autem beatitudinis satis est, si tota essentia Dei videatur, quod in quolibet puncto fieri potest. *Partim* denique, quia illa visio debet esse clarissima. At clara & distincta visio, si ex nostra visione, prout eam hic habemus, sumamus ejus rei indicium, non solùm non potest esse de re infinita, sed ne quidem de re valdè magna. Nam & res nimis magna excedit capacitatem oculi & visus nostri, ut experientia monstrat. Vorstius autem etsi Deum infinitum neget, fatetur tamen eum esse substantiæ amplissimæ, & esse in cœlo capacissimo. Unde si ex modo corporeæ nostræ visionis ejúsque claritate, argumentari velimus, longè minoris amplitudinis oportet, ut sit Deus, ac Vorstius sibi imaginatur. Sed de visione Dei nihil certi dicere possumus, qualis sit, cum in patriam venturi sumus, eâ de re accuratiùs Philosophari poterimus. Meritò igitur istud argumentum interim dimittere debebat Vorstius.

QVINTUM ARGVMENTVM.

391. V. *Nihil, inquit, potest esse actu infinitum in natura tota, cùm omnia actum certum habeant & definitam essentiam, per quam sunt id quod sunt, & per*

quam

quem ab aliis differunt. Nam ne materia quidem, etsi potentiâ dicitur infinita, etiam infinita esse potest, quia revera non potest recipere formas infinitas. Nec numerus ullus, nec magnitudo ita actu infinita est &c. Ergo nec Deus. Nam actu infinitum esse, & in specie hoc vel illud esse, contradictoria sunt, quia omne, quod actu est, hoc aliquid in seipso finitum & ad certum aliquod genus Entis quasi contractum est. Non quod Deus ab alio Deo finitus vel limitatus sit, sed quod à seipso sive natura sua habeat specificam formam seu differentiam, quæ ipsam substantiam necessario restringit, limitat, definit.

Respondeo 1. De infinitate essentiæ divinæ; seu de infinitate, quam Deus habet in essendo, satis dictum est, *tit.* 10. Nunc autem sub nomine immensitatis & omnipræsentiæ loquimur solùm, de infinitate in adessendo, vel infinitate præsentiæ Dei: de qua, ex instituto etiam loquitur Vorstius. 392.

2. Est autem admodum inefficax consequentia. Materia & magnitudo & multitudo non est infinita. Ergo nec Deus. Nam argumentatio ab exemplo, debet procedere simili exemplo. Dissimilitudo autem hîc est maxima. Tùm quia infinitas aliter de istis intelligitur ac de *Deo*: tùm etiam, quia illa creata sunt Entia. Deus autem tale quid non est. Infinitas autem convenit Deo, ex hoc ipso quia Deus est. Unde per ista non magis sequitur, Deum non esse infinitum, ac, eum non esse increatum vel Deum, quia ista vel alia non sint increata vel Deus.

3. Neque tert.ò repugnat essentiæ infinitas, quia omnis essentia hoc ipso, quia est actu, debeat finita esse. Nam præterquam, quod nunc sermo non est de infinitate in essendo, sed de infinitate in adessendo, distinguendum est necessario in voce infiniti. Infinitum, inquam, aliquando est idem quod vagum, ἀόριστον confusum & indistinctum, &c. Sic Deus non est aliquid infinitum. Et hæc infinitas repugnat Enti. Hoc ipso enim, quia quod Ens est, est unum quid, & sic distinctum quid, ideò est & ratione essentiæ suæ divisum & aliud à quovis alio. Aliter autem infinitum dicitur in essendo quidem, quod prorsus independenter & indefectibiliter est, in adessendo verò, quod non habet essentiæ suæ finem. Et hæc infinitas non apparet quomodo tollat Entitatem: Et entis illius ab aliis distinctionem. Distinctio enim rerum non sumitur per ordinem ad locum, sed sumitur ab intrinseco. Immensum igitur etsi sit in omni spatio, in quo est aliud, est tamen aliud ab iis, cum quibus est. Et id ipsum oportet agnoscere Vorstium etiam, nisi fortè dicat Deum in cœlo ita esse, ut cedat à spatio eo, in quo sunt Angeli vel Sancti. Si enim est cum illis ad idem ubi, relinquitur, admissâ identitate rei ubi, nihilominus adhuc esse diversitatem in essentia. Sed ea de re jamdum dictum *tit.* 10. *hujus cap. art. 2. in solut. 2. objectionis, num.* 339. 393. *Quomodo Deus dicitur infinitus.*

SEXTUM ARGUMENTUM.

VI. *Potentia Dei*, inquit, *etsi respectu nostri & rerum possibilium recte immensa dicitur, non tamen prorsus infinita est, quia non extenditur ad impossibilia. Imò in ipso Deo consistit intra naturales Dei qualitates. Ergo nec essentia infinita est, quia ut infinita potentia requirit infinitam essentiam ita etiam finita finitam.* 394.

Respondeo 1. Vniuscujusque potentiæ vis est æstimanda ex objecto proprio. Neque enim potentia visiva debet audire, aut potentia auditiva videre. Objectum autem proprium potentiæ divinæ est id, quod non involvit repugnantiam. Igitur si in Deo sit sufficiens virtus, per quam actuare possit id omne, quod repugnantiam non involvit, absolutè dicetur infinitus in potentia, hoc est, omnipotens. Et patet ex vi vocis. Omnipotens est qui potest omnia. Vox autem illa, *omnia*, est solum distributiva ad Entia. Ergo quibus Entitas repugnat, sub istis non continentur. Ergo per defectum potentiæ, ad producenda talia, nihil decedit omnipotentiæ seu infinitæ potentiæ. Absolutè igitur & simpliciter Deus est *infinitæ infinitam esse potentiæ*, & non solùm *nostri respectu*, cujus certè locutionis pudere debebat Christianum, nedum Theologum. Cùm ne quidem sapientiores Ethnici ita loquantur. 395. *Vorstius dicit potentiam Dei nostri respectu, solum.*

Igitur 2. Evicta omnipotentia, hoc est infinita potentia Dei, *respondeo* per retorsionem argumenti Vorstiani, Deus habet infinitam potentiam. Ergo & infinitam essentiam. Sequor enim Vorstium quo ducit. Neque enim alias sermo nunc est, de infinitate essentiæ Dei, sed de infinitate præsentiæ: seu, non sermo est de infinitate essentiæ, ut essentia est, sed de infinitate essentiæ, ut præsens est.

SEPTIMUM ARGUMENTUM.

396. VII. AD *de etiam*, inquit, *quod sacræ literæ, Deum quidem magnum, excelsum, elevatum vocant, vide Psal. 95. vers. 3. & 96. vers. 4. & 97. v. 9. & 99. v. 2. & alibi, sed nusquam absolute infinitum, aut simpliciter immensum appellant.* Nam *secundum quid & comparative dici posse infinitum, non negamus, sicut respectu nostri infinitus est numerus stellarum & arenæ maris, quamvis in se definitum & certum esse constet, cùm actu infinitum non sit in rebus creatis, licet multa sic dicantur suo quodam peculiari respectu & modo.*

Deus secundum quid est infinitus Vorstio.

397. *Resp.* I. *Multa sunt in scripturis, quæ tamen in iis non disputur*, inquit Nazianzenus *de Theol.* Veluti sunt ea, quæ per consequentiam eliciuntur inde unde, si maximè in Scripturis non diceretur, Deum esse immensum, nihil tamen ejus immensitati derogaretur, quia per bonas consequentias eam ante confirmavi ex Scripturis. II. Non tamen admitto antecedens. Nam suprà relati sunt loci Scripturarum, in quibus Deus immensus dicitur, & magnitudinis ejus finis non esse. Carentia autem finis in magnitudine, est immensitas. III. Quod autem ista immensitas est intelligenda, non absolutè & simpliciter, sed secundùm quid, prout infinitas intelligi solet, cùm rebus creatis tribuitur, unde tamen evincet Vorstius? Turius certè est, quod litera docet, tenere cum Doctoribus communissimè ita sentientibus, quàm ob qualescunque rationes à litera desciscere. Et hactenus fuerunt argumenta Vorstii, quæ ille tanti æstimat, ut saltem opinionem de particulari præsentia Dei possint speciosam facere.

PUNCTUM II.

In quo solvuntur objectiones, quibus disputatur Deum non esse supra cœlum.

398. IN priori puncto, quæ probarunt, Deum non esse in toto mundo, quia in se & absolute non sit immensus: illa consequenter inferunt, Deum etiam in infinitis spatiis supra cœlum non esse. Indeque ista ex prioribus dijudicanda sunt. Suppositâ autem præsentia essentiæ divinæ, ad quasuis partes mundi, negant aliqui, Deum esse præsentem etiam extra cœlum. Ita censent, Aquarius, Argentarius, Durandus, Scotus, Bonaventura, Capreolus, aliique, quos suprà recensui, *l. 1. c. 17. Num. 25.*

399. *Objicitur* 1. Res spirituales sunt in loco per operationem (transeuntem intelligo.) At extra cœlum non potest talis operatio esse. Nam operatio tranziens dicitur, quia ad externam materiam terminetur. Ibi autem tale quid nihil est.

Resp. Negando propositionem. Et patuit suprà satis, quod nullius rei præsentia essentialiter vel formaliter consistat in operatione. Vide *l. 1. c. 17. n. 7. 9 seqq.*

400. II. *Objicitur*: Spatia illa, quæ supra cœlum sunt, vel sunt aliquid, vel nihil. Si sunt aliquid, cùm divinam essentiam & increatam non habeant, oportet ut sint quid creatum. Entia autem creata pertinent ad systema mundi. Sermo autem nunc est de istis, quæ sunt extra mundum. Ergo asserendo, quod spatia illa sint aliquid, nondum disputatur ex hypothesi proposita. Si vero sunt nihil, non magis erit Deus in istis spatiis, ac est in privationibus.

401. *Spatium supra. Cæleste quale Eus sit.*

Resp. De esse spatii super-cœlestis existimant Conimbricenses, illud non esse entis rationis, neque tamen etiam prorsus Ens reale. Vide *l. 8. Phys. c. ult. q. 2. art. 4.* Idemque sentit Fonseca, *l. 5. Metaph. c. 5. q. 1. sect. 2.* Sed hæc sententia merito rejicitur, per

ea, quæ

ta quæ in priori objectionis parte dicta sunt. Plenè autem ista sententia refutata est suprà, *lib.* 1. *c.* 17. *n.* 14. 15.

Igitur admisso, quòd spatium illud non sit aliquid reale, sed rationis: Jam, porro, *primo* respondeo: Inprimis non repugnare, ut aliquid præsentiam habeat, ibi, ubi præterea nihil adest. Ita patet, non solùm de toto mundo, qui à nullo reali ambitur. Et tamen partes ejus summæ præsentes sunt, istis proximè contiguis spatiis, supposito, quòd mundus non sit magnitudine infinitus. Idémque esset & corpore, si quod Deus poneret intra vacuum, aut si lapidem poneret extra mundum, ibique eum crearet. Et certè ipse Deus ante creationem mundi non fuit nullibi. Præsentia igitur illius non necessariò exposcit aliquid reale, id quod & *Augustini* verba monent, *lib.* 3. *conf. Maxim. cap.* 21. dicentis, Deum, antequam mundum fabricaret, fuisse in seipso, in seipso inquam, negativè, hoc est, non in alio. 402

Unde rursus apparet, aliam esse spatii, & aliam privationum rationem. Spatium enim primò dicit aptitudinem ad præsentiam: non autem, id est, de privationibus, aliisque negationibus. Plura non addo.

QUÆSTIO II.

Qualis sit Dei omnipræsentia?

403. *Præsentiam Dei esse indivisibilem.*

Communis, ad hanc quæstionem, Theologorum & Philosophorum consensus est, Deum esse præsentem indivisibiliter, atque adeò, esse eum totum præsentem, in qualibet parte spatii illius, cui adest.

404. *Vorstii sententia.*

Hæc tamen sententia, minus placet Vorstio, quavis ferè, de Deo divinisque proprietatibus sententias, innovanti et pervertenti. *Num majestati ejus*, inquit, in notis ad Disp. 3. de Deo. 137. *consentaneum erit dicere, totam essentialiter adesse, in minimo etiam pulviculi grano? Qui his cogitationibus indulget, non videtur magnificè satis & condignè posse de Deo sentire. Et in Apol. Exeg. c.* 16. taxat Scholasticos, dicentes: Deum totum totalitate essentiæ suæ instar indivisibilis puncti in omnibus etiam minimis, esse substantialiter, adeoq; ipsam SS. Trinitatem: Patrem, Filium et Spir. sanctum, non dicam in antro Scarabæi (quod vulgò jactatur) sed in atomo aliquo, v.g. in exiguo pulviculi grano, totam realiter præsentem esse. Et hinc porro, in opusculo contra Sladum, aliquoties juxta hanc sententiam Deum per contemptum vocat *Atomicum*, h.e. *indivisibilem & punctualem* Deum. Rursus etiam in dictis notis ad disp. 3 de Deo. p. 248. *Sanè nimis videtur esse paradoxon, Deum sic omnis quantitatis expertem esse, ut totus substantialiter sit in re qualibet etiam minima, v.g. antro Scarabæi, aut in apice unius pili, &c. Hoc enim maximam & amplissimam Dei essentiam esset in angustum cogere, sive ex maximo & immenso Deo, minimum & pusillum facere.* Et subjicit pro argumento: *Non video, quomodo idem cum S. Scriptura conciliari possit, quæ Deum vere magnum & amplum esse apertè testatur, scilicet non tantum ratione qualitatis, hoc est, virtutis, seu potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, (quod extra controversiam est) sed etiam respectu quantitatis, seu spiritualis & divinæ, hoc est, quæ substantiæ divinæ conveniat.*

405. *Indivisibilis Dei præsentia probatur.*

Nihilominus ista, de Dei indivisibili præsentia, sententia necessariò tenenda est, & facilè obtinetur, si solùm rectè intelligatur modus loquendi. In communi enim spiritibus convenit, ut spatio, cui adsunt, adsint indivisibiliter. Igitur id inprimis certum est, quòd corpora, ad essentiæ suæ integritatem, requirant materiam. Hæc enim est altera pars compositi materialis. In ista materia fundatur quantitas, ut perse notum est. Est enim ista materiæ proprietas. Quantitatis autem officium est, ponere partem extra partem, in ordine ad spatium, si sermo sit, de eo, quod juxta ordinarium naturæ cursum esse solet. Et hinc fit, ut materia, atq; adeò consequenter nullum corpus naturale habeat essentiæ suæ ratione, spatium indivisibile, sed eam habeat porrectam, secundùm varias dimensiones. Sic v.g. homo non potest esse totus in qualibet parte sui spatii: quia etsi (supponendo ita) anima tota sit in pede, v.g. tamen anima et pes non constituunt essentiam hominis, sed ad essentialem integritatem hominis requiritur etiam cor et cerebrum, & *Corpora cur non habeant præsentiam divisibilem.*

& aliæ partes, materiam, atque adeò essentiam hominis (materia enim pars essentialis est) integrantes. Unde & fit, ut neque totus homo sit ibi, ubi cor, vel cerebrum, vel pars corporis alia est. Hæc igitur est quam dixi, conditio omnium corporum, ut in essentia sua, propter materiam, habeant positionem partis unius extra partem aliam.

406 *Res spirituales totæ sunt, ubi sunt.*

Porro, dimissâ materiâ non remanet ista proprietas, quia physicè & realiter loquendo, non datur quantitas extra materiam. Cùm igitur res spirituales non habeant materiam, consequenter nec habent (eam consequentem) quantitatem, per quam ponat partem extra partem. Ergo sic ad essentiæ suæ rationem sunt in individuibili, & ubicunque sunt, tota sunt. Sumamus exemplum Animæ. Hæc est in pede. Quæro an in eo tota sit? *Resp.* utiq; eam ibi totam esse. Quid enim extra pedem est, quod animam essentialiter constituat, & aliunde accersendum sit, ut anima sit anima? sicut ad essentiæ hominis integritatem, ad animam & pedem accersendum erat cor, cerebrum, & alia, quæ etiam homini sunt essentialia.

Et anima.

407. *Qualitates spirituales.*

Idem est etiam in qualitatibus spiritualibus. Sumamus doctrinam vel sanctitatem. Illa est in anima, supponamus nunc animam habere extensam præsentiam, prout certè eam in corpore habet. Hic igitur de doctrina rectissimè dicimus, eam totam esse in qualibet parte animæ, loquendo de essentia doctrinæ. Quid enim deest doctrinæ, ad essentiam suam, in anima, ubi cordi unitur? aut iterum, quid deest doctrinæ ad esse suum, in anima, ubi cerebro, vel alii parti unitur? Nihil certè nominari potest. Hoc igitur sensu res spirituales in communi dicuntur totæ esse in qualibet parte spatii, in quo sunt, quatenus ad essentiale ipsarum complementum, non sunt aliunde accersendæ partes aliæ: sicut in rebus materialibus, ad unumquodque punctum, in quo forma ejus tota est aliunde accersentur partes aliæ materiales, quæ ad essentiam rei pertinent.

408 *Anima quomodo tota sit in qualibet corporis parte.*

Zabar. *lib. de partit. anim. cap.* 1. cùm anima dicitur esse tota in qualibet corporis parte, dicit, id posse tribus modis intelligi, nempe de totalitate essentiæ, quantitatis, potestatis ac virtutis. Et subjicit: non intelligi id, de totalitate secundùm quantitatem animæ, quam intelligitur habere per ordinem ad spatium in quo est, sed de totalitate essentiæ & virtutis. Ergo anima tota est in qualibet corporis parte, hoc est, in ubi etiam minimo, nihil deest animæ, quod ad essentiam ejus pertinet, aut potentia aut perfectio ulla. Idem etiam judicium est de spiritualibus substantiis aliis.

409. Et sic etiam patet solutio objectionis Vorstianæ de magnitudine atque amplitudine Dei: Hæc enim non erit, si dextrè intelligatur: Et optimè stat, cum indivisibili Dei, ad quodvis spatium, præsentia. Est, inquam, Deus maximus, imò immensus, sed tamen nullibi ei deest, quocunque sit in spatio etiam minimo, quod ad essentiam ejus aliunde accersendum sit, nulla etiam virtus, nulla potentia vel perfectio. Sicut id etiam erat in anima.

410 Excipit Vorstius, *d. l. p.* 41. ad exemplum animæ, negans esse eam totam in qualibet corporis parte. Sed inprimis id pugnat contra principia Physica & Metaph. Nam inprimis, formâ non informat compositum, nisi unione ad materiam, undè cùm pedem, verbi gratiâ, animatum dicimus, non est prædicatio accidentalis, (quod esset, si solùm virtus animæ à corde, vel aliunde in pedem porrigeretur) sed essentialis & substantialis, non minùs ac cùm cor animatum dicitur: sed hanc rem persequuntur Physici. Et hactenus quidem fuit de illis attributis Dei, de quibus occasione ex transcendentibus sumptâ, disserendum fuit. Sequuntur alia.

TITVLVS XIII.
De vita Dei.

411 INprimis sub hoc tit. de duobus quæri solet. *Primo:* An Deo conveniat vita? *Secundo:* qualis ea sit & quomodo ei conveniat?

ARTI-

ARTICULUS I.

An Deo conveniat vita proprie loquendo?

412. INprimis Deum posse viventem dici, certum est ex Scriptura, quæ eum ita appellat sæpissimè, *Deut.* 5. 1 *Reg.* 17. *Esa.* 37. *Hebr.* 9. *Apoc.* 7. & 10. & *alibi*. An verò ei vita conveniat propriè, an verò per Metaphoram solùm, quomodo ei oculi, aures, aliáque membra tribuuntur, nunc quærendum est.

413 *Vita unde dicatur.* Ad hanc igitur rem *principio* notandum est, quòd vox, vitæ, primò imposita sit, inde, si quæ deprehensa sunt seipsa movere, ut Armand. de Bello Visu recenset *l.* 2. *Termin. Cap.* 52. Et sic ex motu suo, argentum vivum vocatur vivum, & aquæ ebullientes, ex impetu motus sui, dicuntur, vivæ. Stagnales autem & quiescentes dicuntur mortuæ. Et hinc specialim, postea mansit nomen vitæ istis rebus, quæ intrinsecum principium habent actionum suarum, veluti id in specie repertum est, in plantis, bestiis, hominibus in quibus vita est (inter istas quidem species) nobilissimo modo. Est enim ibi intrinsecum principium intelligendi. Intellectione autem non est nobilior actus, qui ulli rei naturali conveniat. Convenitque adeò homini vita intellectiva.

Unde statim relinquitur, quòd Deus possit dici quid vivens. Nam & ille est res intelligens. At, ut visum est, intellectiva vita est nobilissima vita. Unde & porro sequitur, quòd non solùm vivat Deus, sed nobilissimè vivat, quia ipsius actus vitalis, hoc est, intellectio, est nobilissimus.

ARTICVLVS II.

Quomodo Deo conveniat vita?

414. *Vitam Deo proprie convenire.* INprimis ex præcedentibus relinquitur: Deo convenire vitam, non impropriè, & per similitudinem, sed propriè. Unde Deus formaliter est aliquid vivens. Porro ea, quæ formaliter sunt in Deo, non tamen absolutissimam habent convenientiam, cum iisdem attributis, in rebus creatis. Neque enim sequitur, quod formaliter reperitur in Deo esse ibi, ut accidens vel habitum, vel aliquid ab essentia Dei realiter distinctum, sicut est in rebus creatis. Idémq; est in cæteris attributis, ut suprà visum est, *tit.* 9. *art.* 2. Unde si quæ imperfectiones occurrunt in istis attributis, quæ formaliter Deo attribuuntur, repurgandæ illæ prius sunt ab imperfectionibus, & deinceps Deo accommodandæ.

415. *Vita rerum creatarum quas imperfectiones implicet.* Est autem in rerum corporearum vita, hæc imperfectio, quod 1.ea consistit in corpore. Unde vita est permansio animæ *in corpore*. Dicitúrque in animalibus consistere in calido & humido, per Arist. *l. de vit. & mort.* Hæc in Deo non sunt, quia ipse est res spiritualis. *Alia* imperfectio est, quâ res creatæ habent actus suos vitales, per veram causalitatem & actionem, quæ ad causalitatem efficativam satis est. Ita intellectio hominis, v.g. ad hominem comparatur, ut ad efficientem causam, propriè sic dictam. Hoc etiam non est in Deo. Actus enim vitales Dei, ut est ejus intellectio & volitio, habent sibi realem identitatem ad essentiam divinam. Unde sicut essentia Dei est infactibilis, ita etiam isti actus sunt infactibiles, hoc est, non possunt dependere ab aliquo faciente, vel ab efficiente causa.

416. *Perfectio in vita.* Dimissis igitur imperfectionibus istis, quæ sunt in rerum creatarum vita, aliquid est in vita rerum creatarum, quod simpliciter est perfectionis, quódque adeò consequenter sub attributo vitæ Deo tribuendum est. Illud est, quod (verba sunt Suarez. *Disp.* 30. *s.* 14. *num.* 7.) existentes (res creatæ) in suo naturali statu, sese actuant, vel aliquando se perficiendo, vel in seipsis aliqua repræsentando, per cognitionem, vel in cognita tendendo, per appetitum. Ergo Deus est aliquid vivens in quantum apprehenditur ut sese actuans (negativè intelligendo, quatenus scilicet ipse non actuatur aliunde vel ab alio) & intelligens ac volens.

Nunc igitur de ista divina vita, sive actibus vitalibus, porro agendum.

TITULVS XIV.

De intellectu sive scientia Dei.

417. *Deum esse naturæ intellectualis.*

INprimis hac in re suppono, ut certum, Deum esse intellectualem, sive naturæ intellectualis. Et patet id firmiter ex effectibus divinis, in quibus relucet ordo & omnium partium harmonia, si unicam hominis structuram intuemur, quoad dispensationem alimenti, communicationem spirituum, exclusionem excrementorum, connexionem membrorum & quæ sunt alia: ut impossibile sit, existimare, ea ex casu & fortuna, & non summâ cum sapientiâ cotgmentata esse. Alia taceo.

Constitit autem præsentis tituli tractatio, inprimis, in his quatuor articulis, ut o disquiratur I. quid sit scientia sive intellectus divinus. II. De intellectionis divinæ objecto. III. De ejusdem modo, & ut varii modi intellectionis explicentur, IV. An & quatenus Deo conveniant?

ARTICVLVS I.

Quid sit scientia sive intellectus divinus?

418. *In Deo non est intellectus per modum potentiæ.*

HAnc rem persequor distinctis propositionibus. I. *Intellectus Dei non est potentia, ut sit quasi in actu primo, secluso actu secundo, h. e. in intellectione actuali.* Patet autem veritas. Nam potentia ad suum actum comparatur, ut effectum illius, Vnde intellectio, v. g. esset effectus potentiæ intellectivæ. At hoc hic absurdum est. Nam intellectio Dei, cùm sit actus immanens, consequenter realiter eadem est, cum Deo, ut superiùs probatum est. At repugnat Deo, ut sit effectus, ab alia superiori causa.

419. *Nec per modum habitus.*

Atque hinc II. dico: *Intellectum divinum non esse in Deo per modum habitus.* Ita patet. Nam habitus non ordinatur nisi ad facilitandam & juvandam naturalem potentiam, ut alibi videtur. At potentia intellectiva in Deo nulla est, & aliàs etiam habitus sunt accidentia, quæ Deo repugnant.

Esse per modum actus puri.

III. *Scientia igitur vel intellectus assignandus est Deo, per modum actus puri & ultimi:* sive, est idem quod intellectio. Ita relinquitur ex prioribus. Nam quia omnino Deo convenit intellectio naturalis, ut in proœmio visum est, & verò ea nec habet rationem vel potentiæ vel habitus. Ergo Deus immediatè per suam intellectionem est intellectualis. Diligenter ista & prolixè prosequitur Suaretz, *Disp. 30. s. 15. n. 4. seqq.* ub. vide.

421. *Esse divinam essentiam.*

IV. *Intellectio divina est idem quod essentia divina.* Ita patet, quia ab intellectione, ut visum est, Deus dicitur formaliter intellectualis. Esse autem intellectualem, est quidditatem sive essentiale Dei attributum, quasi per modum differentiæ Deum constituens. In nulla autem re differentia est aliquid realiter distinctum à suo differentiato. Ergo id à fortiori erit in Deo. Non solùm, quia ille aliis rebus simplicior est, sed etiam quia intellectualitas illa, rigorosè dicta, differentia non est. Deinde: si intellectio, quâ Deus intelligit, esset aliquid à Deo realiter distinctum, ergo esset aliquid creatum. Inter Deum enim & rem creatam non datur medium. Absurdum autem esset, intellectionem divinam esse aliquid creatum. Nam in hoc constitit formaliter felicitas atque adeò summa perfectio Dei, quòd intelligit, præsertim seipsum. Absurdum autem est: Beatitudinem Dei consistere in aliquo creato, hoc est caduco & variabili ente. Sed hac de re ex instituto suprà disputavi, plurib. argumentis *tit. 6. Num. 167. seqq.* ubi vide.

ARTICVLVS II.

De objecto divinæ intellectionis.

422. IN ista materia varie se offerunt materiæ, de quibus disputari solet à *Metaphysicis*, inprimis apud *Thomistas* 1. p. q. 14. & alibi: sed eam rem contrahamus.

PVN-

PUNCTUM I.

De cognitione Dei, quâ cognoscit sive intelligit seipsum.

Dico I. *Deum cognoscere seipsum, & quæ in se sunt.* Ita apparet. Nam inprimis in Deo est Entitas. Omnis autem Entitas, quâ talis, est cognoscibilis. Et intellectus humanus saltem quomodolibet Deum cognoscit. Ergo, à fortiori, divinus intellectus cognoscit istam Dei Entitatem. Et confirmatur. Nam nulla causa est, cur intellectus divinus non possit seipsum apprehendere, atque adeò divinam essentiam. Omnia enim ibi sufficienter sunt proportionata. Pertinétque huc quod Apostolus ait: 1. Corint. 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi spiritus Dei, qui in ipso est.* Quod dictum etiam insinuat, perfectissimam esse eam cognitionem, quâ Deus se cognoscit. Nam ibi, nosse Deum, soli Deo vendicatur. At id non est, loquendo de Dei cognitione simpliciter. Nam & nos cognoscimus Deum. Ergo loquitur id dictum de eminentia sive perfectione cognoscendi, tali, inquam, ut in comparatione ad istam, nostra censeatur pro nulla, ad eum modum, quo Deo tribuitur immortalitas, bonitas, veracitas, in quibus prædicatis similiter, exclusiva excludit non à prædicato simpliciter, sed ab ea eminentia illud habendi. Et facilè patet res ipsa. Nam omnia attributa intelliguntur de Deo cum summa perfectione. Ergo idem est etiam de cognitione, quâ Deus se cognoscit. Unde & solet illa cognitio vocari κατάληψις, hoc est, *comprehensiva*, hoc sensu, quòd Deus, cognoscendo se, comprehendat illam essentiam; vel quòd illa cognitio adæquetur essentiæ divinæ. 423.

Scientia Dei quomodo comprehensiva?

PUNCTUM II.

An cognoscat Deus res creatas omnes, quæ sunt in mundo?

Visso, quod cognoscat seipsum, jam etiam videndum est, an cognoscat alia præter se, ubi principiò inquirendum est de istis, quæ in mundo habent esse actuale seu quæ creata sunt. Ubi gentiles aliqui Philosophi censuerunt, vilescere intellectum Dei, si ad res vilissimas etiam extendatur. Ita inprimis tribuitur Avicennæ & Averroi. Imò & Arist. ita opinari censent aliqui, Nemes. *l. 8. Phil. c. 4.* Ambros. *l. 1. de offic. c. 13* Clemens Alex. *lib. 5 stromat.* Iandum 12. *Metaph cap. 4. t. 52* Manifestum, inquit Aristoteles, *est quod illud Deus intelligit, quod divinissimum & honorabilissimum.* Et posteà: *quædam melius est non videre quàm videre. Alioquin non esset optimum quid intellectio: seipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est.* Sic etiam difficilis est locus, Hieron. in Habacuc. c. 1. *Absurdum est*, inquit, *ad hæc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascuntur pulices, quotve moriantur. Quæ cornicum, pulicum, & muscarum, sit in terra multitudo: Quot pisces in aqua natent & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.* Aliis tamen locis sat bene sensit Hieronimus, hac de re: Et hic locus intelligi potest, in sensu comparato, sicut illud Pauli: *Nunquid de bobus cura est Deo?* cujus solum sensus est, quòd non tanta providentia Deus bobus prospiciat, ac hominibus: ut inde apparet, quod alii textus Scripturæ passim providentiam Dei ad res vilissimas extendunt, veluti gramen agri, passerem, pilum capitis & quæ sunt his similia. Vide *Matth. c. 6. & c. 10. & Luc 12.* 424.

Hieronymi sententia.

De bobus quomodo Deo non sit cura?

Atq; ex his locis opposita sententia rectè primum confirmatur: quod scilicet Deus res quasvis cognoscat, quæ sunt in mundo. Nam ut visum est, providentia Dei extenditur etiam ad res vilissimas. At providentia (Græcis προνοια) non est sine notitia vel cognitione, ut vel ipsa vox evincit. Accedunt & generalia dicta: *Hebr. 4.* Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia enim nuda & aperta sunt 425.

Deum res quasvis in mundo cognoscere.

sunt oculis ejus & 2. *Paral.*16. oculi Domini contemplantur universam terram Et *Job.*28.Ipse fines mundi intuetur,& omnia quæ sub cœlo sunt respicit.

426 *Probatur ex ratione.* Idémque apparet etiam ex ratione. Inprimis certum est,magnam esse perfectionem intellectus nostri,si plura cognoscat, h.e. in extentione ad plura cognoscibilia: ut inde patet, quia uno cognito, adhuc mens nostra laborat, ut potiò cognoscat, & sic aliquam perfectionem consequatur per extensionem ad plura objecta. Vnde apparet,simpliciter esse perfectionem in nobis,si cognita habeamus plura objecta.Et absolutè non apparet ea in re,ulla imperfectio. Ergo formaliter debet Deo convenire cognitio omnium rerum, quaicunque sint.

427. *Deinde* : idem probatur ex præcedenti assertione. Inprimis cognoscit Deus seipsum comprehensivè, hoc est,ut cognitio ejus,essentiæ adæquetur. E & cognoscit Deus potentiam suam, quâ creare & conservare potest res quasvis. At id non potest fieri,quin cognoscantur eodem actu,quo Deus se cognoscit,etiam res quævis creabiles & conservabiles.

Et porrò *tertio* id clariùs patet:quòd istam potentiam suam Deus actualiter exerceat,creando & conservando res. Ea autem esset maxima imperfectio, & proinde alienissima à Deo, si Deus crearet & conservaret aliquid, & tamen nesciret quid crearet & conservaret.

428. *Quid Aristoteles senserit?* Et hæc sententia communiter teneri solet à Christianis aliisque sanis Philosophis. Et putatur etiam esse sententia Aristotelis. Nam 3.*Met.c.*4.*n.*15.taxat Empedoclem, dicentem : quòd Deus non intelligat contentionem, quia sic Deus non sit felicissimus, & minùs sapiens, quàm cæteri, qui contentionem & discordiam intelligunt: & rursus, 1. *de anima l.*18. ait, ad mentem Empedoclis, Deum insipientem esse. Volvit igitur Aristoteles, partem sapientiæ & felicitatis esse, etiam hæc secularia intelligere. Idem Aristoteles *l.*12. *Met.c.*2. Deum facit Autorem omnium. Notum autem est, quod de sententia Aristotelis non faciat Deus quid ignoranter. E. omnia cognoscit. Et *l.Oecon.c.*3.ait: Divina providentia viri & mulieris societatem ordinatam esse.E. vir & mulier Deo nota sunt, secundum Aristotelem. Alia talia occurrunt apud Aristotelem plurima. E quibus omninò videtur, alia Aristotelis sententia acceptanda comparatè, quod de Hieronymi sententia dicebamus, cùm hæc dicta clarissimè ostendant, Aristotelis sententiam esse,quòd Deus res omnes cognoscat. Nisi fortè placeat dicere,Aristotelem(quippe qui homo fuit,& proinde errare potuit) hac in re contraria docuisse. Confer plura *Thom.*1.*p.q.*14.*a.*5,6.Suarez *disp.*30.*s.*15,*n.*28.*et* 40.*seqq.*Et interpp.Thomæ *ad d.*1.*p.q.*14. & sententiarios 1.*d.*35.

CONSECTARIVM.

De notitia singularium et universalium; corporalium et spiritualium.

429. EX his,quæ hactenus concluſa sunt, quòd scilicet Deus cognoscat omnes res, à se creatas,sequitur & Entia singularia & universalia:corporalia & spiritualia, à Deo cognosci.

Deum non cognoscere solum res in communi. Et de singularibus quidem patet. Nam actiones sunt ad singularia: cùm igitur ex vi actionis divinæ, hoc est, creationis & conservationis, conveniat ei notitia creaturarum,ut visum est.E.oportet,ut ista singularia Deo sint cognita. Caditque adeò sententia eorum, qui, ut Thomas refert, 1.*p.q.*14.*a.*6. *et* 11. aiunt: Deum cognoscere res creatas solùm in communi,in quantum Entia sunt, quæ certe satis magna esset in intelligendo imperfectio. Per eundem autem discursum sequitur, quod Deus cognoscat conceptus universales. Cognoscit enim res singulares,comprehensive & quidditativè exigente id perfectione divinæ cognitionis. E. cognoscit etiam communia prædicata rerum singularium. Ea enim in essentia & quidditate earum concludantur.

Similiter

Similiter quòd Deus cognoscat res materiales & immateriales, ex eadem generalitate relinquitur. Nam circa has res omnes sunt actus divini. Quia igitur Deus non potest actus suos ignorare, consequenter neque res istas ignorare potest, seu immateriales sint, seu materiales.

De Objectionibus.

Duo ad hanc rem possunt objici. 1. Singularia sunt numero infinita, præsertimque id est, suppositâ Angelorum & animarum immortalitate & permanasione in æternum. Hinc enim sequitur cogitationes & actus istorum multiplicari in infinitum. At infinitum numero est incognoscibile, quia id infinitum, quâ tale est, semper est ejusmodi, ut ejus quantitatem apprehendendo, semper possit aliquid ultra & extra eam sumi, per Arist. 3. *Phys. tex. 63.* At August. *l. 12. de Civ. Dei, c. 19. ait*, quicquid scientiâ comprehenditur, scientis comprehensione finiri. Unde vel infinitum numero erit finitum quod implicat: vel comprehendi non poterit. 430.

II. *Objicitur:* inter intellectum & intelligibile debet esse proportio. At res materiales eam non habent, ad intellectum divinum, qui est immaterialissimus. E. res materialis ab intellectione divina non potest cognosci. 431.

Resp. Ad primum: Infinitum numero posse cognosci, non quidem per intellectum creatum, sed tamen per divinum intellectum, ut August. clarè docet *l. 12. de Civ. Dei, c. 18.* Quamvis infinitorum numerorum nullus est numerus, non tamen est incomprehensibilis ei, cujus scientiæ non est numerus. Estque id propterea, quia Deus per eminentiam scientiæ omnes res intelligit simul. E & infinitum Numero intelligit, singulos nempe istius infiniti numeros apprehendendo, juxta tempus in quo Deus unumquemque futurum videt. Nos autem, quia infinitum non possumus apprehendere, nisi partem unam intelligendo per alteram: Ideò nobis infinitum numero est incognoscibile. Confer. Thom. 1. *p. q. 14. à 12.* 432. *Infinitum numero an cognosci possit?*

Ad secundum respondeo: quod proportio inter intelligibile & rem intellectam non exposcat, ut utrumque eorum sit intra eandem Entis speciem. Deus enim cùm sit substantia, intelligit accidentia: & cùm sit creator, intelligit creaturas. E. & cùm immaterialis sit, potest intelligere res materiales. Proportio igitur illa solùm exigit qualemcunque similitudinem. At res creatæ certo suo modo similes sunt creatori, ut alibi dicetur. 433.

PUNCTUM III.

An Deus cognoscat res creatas in seipso solùm? an verò cognoscat eas juxta proprias earum essentias?

Etsi hæc quæstio attingat modum cognitionis divinæ: Non incommodè tamen hic de ea agitur, quia in ea implicatur ratio objecti. Sensus enim est hujus quæstionis: An res creatæ sint objectum divini intellectus in esse proprio: an verò solùm, in quantum in Deo eminenter idealiter aut virtualiter continentur. 434.

Hac in re dico I. *In se cognoscit Deus res creatas.* Ita patet. Nam cognitio est actus vitalis intrinsecus agentis, per quem scilicet objectum cognoscibile cernitur ab intelligente & ei quasi attrahitur. In quo differt à volitione. Volitio enim q. egreditur ad objectum. Intellectio autem quasi attrahit objectum. Estque id per se clarum. 435.

Quo posito, dico: II. *Oportere aliquid esse in Deo quod repræsentet res creatas.* Fit enim intellectio per repræsentationem objecti intelligibilis, ad intellectum, 436.

Illa autem repræsentatio non est per species, à creaturis, acceptas. Prout aliàs fit nostra intellectio, ut infrà patebit. Est igitur aliquid intimius Deo, quod res creatas repræsentet. Estque id essentia ipsa Dei, quæ est quasi lucidissimum speculum, in quo, citra additionem specierum, relucent omnes essentiæ & perfectiones rerum creatarum. Ipsa igitur ad eas repræsentandas sufficiens est. Cúmque is modus intelligendi sit eminentissimus gratis, confingitur alius.

437. *Deus res creatas cognoscit in esse proprio,*

Neque tamen *tertiò* hoc sequitur: quasi Deus non cognoscat creaturas in esse proprio, ut videri potest inde, quia solùm sic Deus intelligit creaturas, comprehendendo, vel adæquatè cognoscendo essentiam suam. Id enim cùm fit, cognoscit Deus omnem modum, quo illa participabilis vel participata est. E. hactenus semper sistitur, in cognitione, qua Deus cognóscitur in essentia sua: neque apparet illius cognitionis progressus, ad cognoscendas creaturas in esse proprio.

Tota igitur res consistit in eo: ut explicetur quomodo Deus cognoscat creaturas in esse proprio, & tamen non cognoscat eas nisi intuendo & comprehendendo essentiam suam. Omnia enim quæ hanc per hypothesin insinuantur admittuntur. Nempe 1. Cognoscit Deus creaturas in esse proprio, hoc est ipsum esse creatum, quâ tale est, prout in priori puncto satis conclusum est, & per textus Scripturæ, & per rationes. Omnia enim illa huc faciunt, ut ostendant Deum cognoscere res creatas. At id non est, si non cognoscat Deus res in esse proprio. Ipsa enim essentia Dei, non est quid creatum.

438. *Deinde* & hoc admittitur: quòd Deus cognoscat creaturas, comprehendendo essentiam suam, ut patuit in hoc puncto, propositione secundâ. *Denique* & hoc admittitur: quòd eadem actione, quâ cognoscit Deus essentiam suam, cognoscat creaturas. Cognitio enim divina est realiter eadem cum essentia divina, ut suprà visum est. E. uno indivisibili actu attinguntur & cognoscuntur omnia intelligibilia.

439. Ut igitur concordantia sit istarum propositionum: inprimis præcognoscendum est, quod essentia divina per seipsam eam rationem habeat, in cognitione, quâ Deus cognoscit, quam rationem habent species, in cognitione hominum. Ita patet, quod utrumque proximè est ista ratio, unde cognitio fit actualis. Sicut igitur, factâ unione speciei ad potentiam cognoscitivam, apprehenditur ipsa res, quæ in esse suo est extra intellectum, idque juxta esse proprium, quod ipsa habet realiter & de facto in mundo, extra animum. Ita etiam est, cùm Deus cognoscit essentiam suam, ut in ea etiam, tanquam specie, repræsentante essentias creatas, res creatæ intelligantur à Deo juxta esse proprium. Similiter etiam est in speculo. Qui intuetur rem in speculo, proximè quidem intuetur speciem in speculo extantem; sed tamen & actu intuetur Petrum vel Paulum, cujus ea est imago.

Summatim: Intelligit Deus res creatas in esse proprio ipsarum, & intelligit eas in esse suo. Ibi indicando id *Quod* intelligitur: Hic verò indicando id *Quo* intelligitur res creata. Videatur Thomas, 1. p. q. 14. a. 6. & Interp. ibid. & adde Interpp. ad Lombard. 1. d. 35. Et adde Suarez *disp.* 30 *s.* 1. *n.* 2.

PUNCTUM IV.

An Deus cognoscat res contingenter futuras?

440. Affirmanda est hæc quæstio. Nam inprimis & res præteritæ & futuræ quæ sunt, continentur eminenter in essentia divina, unde non possunt, non cognosci cùm Deus istam suam essentiam cognoscit. Relinquitúrque id ex dictis, in præcedentibus punctis.

441. *Difficultas,*

Sed tùm incidit difficultas, quomodo concordet rerum istarum contingentia, cum certitudine & infallibilitate scientiæ divinæ. Quia enim res contingentes possunt non fieri. Ergo etiam possunt non sciri. Ergo aut nulla est earum rerum scientia, aut est mutabilis & variabilis scientia.

Hæc

Hæc igitur res ut concilietur, prolixè solet ea ab Interpp. Thomæ tractari, *ad* 1.p.q.14.a.13. Optimè tamen expeditur hoc negotium, distinguendo cognitionem rei contingentis. Igitur res contingens potest bifariam cognosci: nempe in proprio suo esse, quod de facto habet in mundo, & aliter, in causa sua & ejus dispositionibus. Igitur si contingens cognoscatur in causa sua, & ejus dispositionibus; non gignit nisi conjecturalem, hoc est, incertam notitiam. Nam causa rei contingentis, cùm putatur in proxima esse dispositione, nihilominus adhuc variare potest effectum, vel ob interveniens impedimentum (si sermo sit de agente naturali) vel ob alterationem voluntatis (si sermo sit de agente libero) veluti si quis puerum videat pergere ad pædagogium, adventus tamen ad Pædagogium non cognoscitur infallibili & certâ scientiâ, sed solùm per opinionem: esto satis in isto motu cognoscatur pueri dispositio, ad istum adventum, quia in ipso momento, quo vult puer limini pedem inferre, potest alternari ejus voluntas, aut aliud ei obvenire.

Contingens res bifariam potest cognosci.

Ut igitur certitudo divinæ scientiæ constet, aliâ viâ procedendum est. Quia enim nos de futuris contingentibus non possumus judicare, nisi ex dispositionibus eorum, à quibus sunt res contingentes; ideo nostra de illis scientia non nisi lubrica & incerta est.

442

Proinde dicendum est: quòd Deus cognoscat contingens, tanquam sub proprio esse, & non solùm in dispositione causæ. Ea enim est perspicacitas divini intellectus & scientiæ, qua Deus tanquam universalis causa, ad omnes actus, iisdem esse dando, concurrit, ut à longè possit videre, quid unaquæque causa sit operatura: An illi alternatio voluntatis, vel impedimentum in agendo eventurum sit, vel non, ut semper inde constet certitudo divino intellectui. Atque ita à longè Deus intuetur, id quod in tempore fit, juxta omnes circumstantias, secundùm quas futurum est, tanquam in speculo vel turri inspiciens ea quæ à longè accidunt vel appropinquant. *Is qui in via vadit*, inquit Thomas 1.p q.14 a.13. Ad certum, *non potest quidem videre eos, qui post se veniunt. Ille tamen qui est in altitudine aliqua, totam viam intuetur, & simul videt omnes transeuntes per viam, seu è longinquo, seu è propinquo.*

Deus cognoscit res contingentes in esse proprio,

443

Per peram igitur hanc rem explicant, qui rebus creatis tribuunt esse quoddam æternum, aut etiam, qui idem ponunt à rebus abjunctum, quòd intuens Deus, dicatur cognoscere res etiam contingenter futuras, ut hinc habeat certam atque infallibilem scientiam. Nam inprimis illud esse æternum quod res creatæ habeant, antequam creentur, fictitium est, ut suprà ostensum est *l.* 1.c. 14.& 15. declarando naturam Entis potentialis & existentiæ.

444

Quod in principali decisione dixi, inde etiam luculentissimum est, quod ea est perspicacitas divini intellectus, ut etiam positis hypothesibus solùm, nihilominus possit Deus scire, quid eventurum sit, hoc est, quid futurum sit, si determinata aliqua hypothesis futura sit. Ubi certè istiusmodi æterna idea non supponitur. Ita 1 *Sam.* 23.*cap.* sciebat Deus, quid futurum fuerit, si David abiret in certamen. Ait enim Dominus: *Descendet Saul & Ceilamitæ tradent te.* Et Matth.11. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ in te factæ sunt, egissent pœnitentiam in cilicio & cinere.* Et Sap.4. *Raptus est ne malitia mutaret mentem.* Hæc reipsa non futura erant & tamen prævidet Deus, sub aliquibus hypothesibus, quid eventurum fuerit.

De cognitione eorum, quæ nunquam fiunt.

445

Objicies: Ergo Deus non cognoscit res contingentes sub actu proprio; sed solùm, per intuitum illarum dispositionum, quæ sunt in causis. Nam ista, quæ enumerata sunt, nunquam fortita sunt actum, ut concedatur, & res ipsa loquatur.

446.

Respondent aliqui: cognitionem Dei, quæ est ad actus istos, Hypothetícos, esse solùm certam moraliter & probabiliter. *Sed* hæc responsio diminuit de perfectione divinæ scientiæ. Nam quod probabile est, nihilominus potest esse secus, indeque non est de eo scientia, sed opinio solùm, quæ est imperfecta notitia. *Deinde*

Deus non habet certam notitiam eorum, quæ absolutè sunt de facto, per intuitum dispositionum illarum, quæ in causis sunt. E. nulla causa est, cur is modus certificandi notitiam Dei, sit in istis actibus hypotheticis, quasi scilicet ea certa sit, ex hoc capite, quia Deus intueatur dispositiones causæ. Antecedens patet. Nam cùm omnis dispositio causæ contingentis seu liberæ, antecedens quidem ipsum effectum, sit indifferens ad utrumlibet: non potest ex vi illius, aut in illa, certò præsciri effectus futurus. Vide inprimis Valentiam *tom. 1. disp. 1. q. 14. punct. 5. §. 2. f. 342.* Docentque id etiam communiter Logici, qui etiam in contradicentibus aiunt: alteram partem contradictionis esse determinatè veram. Atque ex his intelligitur summatim: cùm Deus intuetur actum rerum contingentium, intueri eum vel absolutè vel sub hypothesi. Ad utrumque autem modum non incommodè ista rerum visio amplitur. Estque illud, cùm actus absolutè dandus est. Hoc verò, cùm actus prævidetur futurus quibusdam positis.

PUNCTUM V.

An Deus cognoscat etiam non Entia?

447 *Non-Ens multifariam dicitur.*

Respondeo ad hanc quæstionem: præmittendo varias acceptiones non-Entis. *Primò* igitur aliquando non-Ens dicitur, quod non est Ens actuale. Atque ita, quod est in potentia, non est Ens, vel non est. *Deinde:* Ens solet accipi pro eo, quod habet realem & positivam Entitatem. Unde in oppositum non Ens dicitur, quod est quid rationis aut quid negativum. *Denique;* non Entia dicuntur, quæ sunt συνάδυνατα, hoc est, impossibilia, vel incompossibilia, seu, quæ involvunt contradictionem: ut est, Chimæra, Tragelaphus, quæque sunt his similia.

448. *Deum cognoscere possibilia.*

Nunc statuo aliquot propositiones. 1 *Deus cognoscit ea quæ possibilia sunt, seu actu futura sint seu non sint.* Atque ita cognoscit Deus non-Ens, quod sic dicitur ad negandam Entitatem actualem. Ita patet *ex Roman. 4. Vocat Deus quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Etsi enim iste locus non loquatur primò de cognitione, sed de productione eorum, quæ non sunt, ut rectè interpretatur Chrysostom. *Hom. 8. ad Rom.* & Theodoretus *ad h. l.* tamen ea ipsa productio, involvit & prærequirit notitiam. Quis enim credat Deum aliquid producere velle, quod non intelligit?

449 *Deinde:* patet idem ex sæpiùs allegata ratione. Deus adæquatè seu comprehensivè (ut loquuntur) cognoscit essentiam suam: E. & potentiam suam, hoc est, quid facere possit. At inter ea, quæ Deus facere potest, sunt etiam entia possibilia, seu futura sint seu non. Nam ex hoc ipso dicuntur possibilia, quia ad ea actuanda, præexistit alicujus agentis potentia, quæ ad istam actuationem sit sufficiens, qualis est potentia divina. Ita constat ex suprà dictis de Ente potentiâ, *c. 14. lib. 1.*

450 *Deum cognoscere entia rationis, non autem ea formare.*

II. *Deus quidem non format Entia rationis, cognoscit tamen ea.* Ita patet. Nam *primò*, quòd Deus non formet entia rationis, inde patet, quia formare entia rationis est ab imperfectione intelligendi. Ens enim rationis formatur, cùm id apprehenditur per modum Entis, quod revera Ens non est, aut apprehenditur aliter ac est: veluti cùm aliquid negativum, apprehenditur per modum formæ hærentis in subjecto; aut cùm, quod absolutum est, apprehenditur sub aliquo respectu; aut quod à parte rei unum est, apprehenditur, ut distincta, aut quæ à parte rei diversa sunt, apprehenduntur ut unum, per præcisos & abstractos conceptus. At fieri non potest, quin in illa difformitate objecti ad intellectum, sit magna imperfectio, non minor, ac si quis, quod Orichalcum est, cognosceret tanquam aurum: aut quod spirituale est, apprehenderet, ut corporale, & sic deinceps.

451. *Secundò;* Quòd autem cognoscat Deus entia rationis, inde probatur. Nam 1. simpli-

simpliciter est perfectionis, si intellectus extendatur ad plurà intelligibilia. Et ad absolutissimam & perfectissimam scientiam, hoc est, omniscientiam, requiritur extensio. (Ita enim vocari solet amplitudo, quæ est in ordine ad objecta) ad omnia objecta. At inter intelligibilia pertinent etiam Entia rationis, ut patet per experientiam humani intellectus. Nos enim omnes experimur nos intelligere sive cognoscere Entia rationis.

Atque hinc 2. id porro confirmatur. Inprimis id certum est, quòd Deus cognoscat omnia Entia realia, ut priùs visum est. E. & cognoscit Deus etiam illam hominis intellectionem & illum formalem conceptum, qui in homine est de Ente rationis. Nam intellectio & conceptus reales sunt, qui sunt de Entibus rationis, ut suprà conclusum est, c. 25. *Num.* 86. *in libro* 1. *hujus operis.* Intellectio autem & formalis conceptus, non potest cognosci, nisi cognoscatur & objectum illius, seu objectivus conceptus, quem vocant. Intellectio enim est nihil aliud, quàm repræsentatio objecti in potentia cognoscente, unde cognoscens intellectionem non potest ignorare objectum illius actus. 452.

III. *Deus cognoscit etiam negationes, veluti sunt cæcitas, tenebræ, &c.* Ita sequitur *primo* ex jam dictis. Nam istæ etiam sunt Entia rationis, in quantum ipsæ intelliguntur ab humano intellectu, ut habentes positivam Entitatem. At visum est, entia rationis cognosci à Deo. Non tamen cognoscit Deus negationes, per modum alicujus positivi (sic enim ex iis formaret entia rationis, quod fieri non posse ostendimus) sed absolutè & simpliciter cognoscit illas. Neque enim perfecta cognitio negationis quæ Deo tribuenda est) exposcit, ut ipsa directè & per modum entis, repræsentetur, sed est in hoc, quòd Deus cognoscendo clarissimè entia positiva, in eis cognoscit unum non esse aliud, vel non habere aliud, seu hoc non esse unitum alii absque ulla diversa repræsentatione negationis vel privationis. Sic igitur Deus perfectissimè cognoscit negationes, eodem inquam actu positivo & reali, quo Deus cognoscit extrema, quæ de se invicem negantur. Confer Suaretz *disp. Metaph.* 54. *s.* 2. *n.* 22. 453. *Deum cognoscere negationes.*

IV. *Deus cognoscit etiam impossibilia.* Ita relinquitur etiam ex facto discursu ad secundam propositionem. Nam et ista sunt objecta, et fictiones intellectus humani. Et patet porro, quia impossibilia sunt terminus sive finis negativus intellectionis. Unde non possent cognosci extrema in ordine rerum possibilium, nisi cognoscerentur ista, quæ ultra eum sunt impossibilia. Veluti perfectio alicujus rei creatæ est, cognoscere singularia sensilia veluti est in plerisque bestiis. Ultra eam adhuc est perfectio in genere rerum creatarum, cognoscere etiam universalia, ut est in homine per discursum. Ultra eam adhuc est perfectio in rebus creatis, cognoscere effectum in causa sua, adeóque quasi intuitivè, non autem necessariò per causam, adeóque per discursum. Ita reperitur in Angelis quadantenus. Omnia autem cognoscere intuitivè, quæcunque intelligibilia sunt, id est, impossibile, in re creata. Ut igitur cognoscatur iste ordo rerum possibilium: negativè tandem in aliquo sistendum est, quod scilicet non possibile sed impossibile sit, veluti hic est, creatura, intuitivè & perfectissimè cognoscens omnia. Et idem est de aliis. 454. *Deum cognoscere etiam impossibilia.*

PUNCTUM VI.

An Deus etiam mala cognoscat

INprimis hanc ad rem præcognoscendum est, quòd verbum notitiæ vel scientiæ seu cognitionis in Scriptura ambiguum sit. Aliquando igitur sumitur notitia quasi complexè, prout ea implicat approbationem vel amorem, quomodo Deus dicitur *novisse* viam justorum, *Ps.* 1. Indéque, quæ Deus non approbat, dicuntur ab eo ignorari. Vt *Matth.* 7. *v.* 23. Nunquam *novi* vos: Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Et, de hac scientia, facilè patet; Deum malum 455. *Verba notitiæ quomodo sumantur in Scripturis.*

non cognoscere, hoc est, cognoscendo approbare. *Mundi sunt oculi tui*, dicunt Habac. 1. *ne videant malum, & ad iniquitatem respicere non poteris.* Non vident, inquam, quia non libenter vident, ait Hier. *ad Hab.* 1. *cap.* Aliter igitur sumitur vox cognitionis præcisè & simpliciter, hoc est, sine addito vel connotato, & tum notat cognitionem, sive actum intellectus, cum præcisè, quo res apprehenduntur, non addendo actum ullum voluntatis, veluti amoris vel affectus alterius. Et de hac cognitione in præsenti quæritur.

456. Iterum 2. præcognoscendum est: quod de malo possimus trifariam loqui: Nempe *primò* quoad id, quod in eo materiale est, veluti est actus vel alia res positiva, quæ malitiæ subsstat. *Secundò*, quoad id quod in eo formale est, hoc est, de ipsa malitia vel ἀταξία, vel ipsa inordinatione, ad divinam voluntatem. *Denique* de toto aggregato vel complexo quodque Ethici solent malum vocare, hoc est, actionem v.g. cum adhærente ἀταξία.

457. Ex his quoad *primum* res est expedita, quòd Deus cognoscat malum. Nam scientia divina indubiè extenditur ad omne positivum, ut suprà patuit. De cæteris autem duobus capitibus quæstio est.

458 *Deum ipsam malitiam cognoscere.* Dico igitur: *Deum cognoscere etiam ipsum malitiam, atque adeò totum id, quod significatur voce abstractis malæ.* Ita patet 1. per Scripturam, *Ps.* 49. *v.* 11. Ubi dicitur Deus novisse vanitatem in cogitationibus hominum, & sic in locis aliis. *Deinde* idem patet per rationem. Inprimis non potest Deus ignorare actus suos. Ergo non potest ignorare objectum eorundem, vel etiam alias eorum circumstantias. Confirmatur ex suprà dictis. Ibi enim inferebatur, Deum, quia non potest ignorare actum suum creativum, ignorare non posse objectum creabile, seu creaturam. Ergo ad eundem modum, si Deus actum aliquem exerceat circa rem malam, oportet ut etiam cognoscat ipsam rem malam, tanquam actus istius objectum. Actus autem quos Deus circa malum exercet varii sunt, veluti punire malum, irasci malo, prohibere malum, permittere mala, & qui sunt ejus generis alii.

459 *Scientia Dei, quomodo sit causa rerum?* *Objicitur*: Scientia Dei est causa rerum ut Thom. ait 1. *q.* 14. *a.* 8. At malorum Autor Deus non est. Ergo nec scientiam de iis habet. *Resp.* 1. Scientia divina dicitur esse causa rerum, non quasi quæcunque Deus cognoscit, efficiat: sed quòd nihil efficiatur citra divinam scientiam. Est enim aliqua notitia Dei non practica, sed speculativa solùm. Et patet. Nam cognoscit Deus impossibilia, & generatim omnia Entia rationis, quæque possibilia quidem sunt, nunquam tamen eveniunt, cognoscit etiam seipsum, quorum nihil efficit Deus. Scientia etiam divina est causa rerum, adjuncta voluntate, ut bene disputat Valentianus, *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 14. *punct.* 8. *fol.* 379. Unde quæ scit Deus, non tamen vult, non efficit, sed quæ & cognoscit & vult, ea efficit.

ARTICULUS III.
De modo divinæ cognitionis.

460. Quoad modum divinæ cognitionis multa ex dictis clara esse possunt. Sed progrediamur distinctè.

PUNCTUM I.
Cognitio Dei est perfectissima.

PErfectissima inquam. Nam omnia attributa divina sunt sumenda cum perfectione summa. Estque illa perfectio intelligenda de perfectione tam extensiva quàm intensiva, ut eos terminos huic materiæ attribuere liceat, ex analogia ad habitus & actus creatos. Perfectio ejus *extensiva* est in eo, quòd nihil, quod quacunque ratione sit intelligibile, effugiat divinam intellectionem, prout per partes, in præcedenti articulo, visum est. Perfectio autem *intensiva* est in eo non

(non quod ex pluribus scientiæ gradibus sit coagmentata, quod aliàs solet esse in extensiva perfectione habituum & actuum) sed quod ea divina scientia sit clarissimà, evidentissima, absolutissima, nullo modo fluctuans, caténique adeò omnibus imperfectionibus, quibus humana vel Angelica scientiæ sunt expositæ.

PVNCTVM II.

Cognitio Dei est certa & infallibilis.

ITa relinquitur ex priori attributo: Nam fallibilitas & incertitudo in scientia est maximæ imperfectionis. Quomodo autem ea infallibilitas & certitudo divinæ scientiæ consistat cum rerum contingentia (de hoc enim potissimùm dubitari solet) anteà visum est, *in præced. Artic. punct.* 4. 461.

Distinguunt autem aliqui inter certitudinem & infallibilitatem in scientia. Ita Valentia *tom.* 1. *disp.* 1 *q* 14. *punct.* 5. §. 2. Infallibilem scientiam vocat, quæ talis est, ut spectato lumine, seu principio seu medio, quo nititur, atque etiam spectatâ ratione objecti, de quo est, non possit esse falsa. *Certam* autem vocat scientiam, quæ ita est necessaria, ut non possit non haberi. Atque sic infallibilitas purificat scientiam à falsante vel opinione: Certitudo autem purificat scientiam à contingentia. Frequenter tamen certa vocatur scientia, quæ certificat quasi intellectum in assensu, indéque intellectum expurgat à dubitatione, fallitate, vel debilitate aut timiditate in assentiendo, quo sensu infallibilitas & certitudo scientiæ in idem recidunt. 462. *Certitudo & infallibilitas scientiæ an sint idem?*

PVNCTVM III.

Deus comprehendendo se (seu comprehensivè & adæquatè se cognoscendo) cognoscit creaturas in seipso, juxta proprium esse earum.

DIco definio: I. Modum quo Deus se cognoscat, cognoscit inquam se comprehensivè. II. Definio modum, quo cognoscit creaturas. Has igitur cognoscit in seipso tanquam speculo, in quo relucent ideæ omnium rerum creatarum, attingendo tamen eas sub esse proprio earum. Neque enim cognoscit solùm essentiam suam Deus. Hæc tota res suprà plenius disputata est, *in præcart. hujus cap. punct.* 11 & 13. 463.

PVNCTVM IV.

Deus non cognoscit per speciem res creatas, & proinde nec seipsum.

QUòd Deus non cognoscat res creatas per speciem, multipliciter patet. Nam 1. Species est quasi effectum rei intelligibilis. Igitur ordine naturæ est posterior re intelligibili. At rem creatam intelligit Deus cum ipsa adhuc est in esse possibili, ubi nullam speciem spargere potest. Hanc tamen argumentationem non adeò firmam puto. Deinde, si Deus ad res creatas cognoscendas egeret specie. E. earum productio etiam præsupponeret earum speciem, in intellectu divino. At hæc esset magna in Deo imperfectio, si produceret Deus res creatas, ex necessariò præsupposito aliquo creato Ente. quia sic Deus ex seipso & sine addito non esset sufficiens ad executionem potentiæ suæ. At Deus est ἕν αὐτάρκεστον. Ergo isto Ente creato hoc est, specie intelligibili opus non habet, ad rerum productiones. Ergo multo minus ad earum cognitionem. *Denique* officium speciei intelligibilis potissimùm 464. *Deum res creatas non cognoscere per speciem.* *Speciei intelligibilis officium.*

eſt

est duplex: primum est, unire objectum intellectui cognoscenti. Oportet enim objectum approximatum esse potentiæ cognoscenti, unde cum ab intellectu humano multa quoad essentiam suam absint, quæ ab eo cognoscuntur, fiunt ei per speciem sui præsentia. Alterum est, actuare potentiam cognoscentem, quæ ex sese indifferens est, ad objectum hoc vel illud, & simpliciter prior est ipsa actuali cognitione. Vtrumque autem cessat in cognitione Dei. Nam divino intellectui, utpote, qui ubique est, omnia sunt præsentissima. Vnde & ob eandem præsentiam Dei, noster etiam intellectus Deum non intelligit per speciem intelligibilem. Huc pertinet quod Scaliger ait *Exerc.* 365. *s.* 3. Non intelligit Deus per speciem, sed per sui ipsius præsentiam. Deinde etiam divinus intellectus est actualissimus. Est enim scientia in Deo non per modum habitus vel potentiæ, sed per modum actus primi & ultimi, hoc est, non est in Deo potentia intelligendi, sed intellectio, unde dicitur Deus intellectualis naturæ, per actualem intellectionem, quæ tum ipso Deo eadem sit, ut suprà concluſum est, *hoc titulo, articulo primo.*

PVNCTVM V.

Deus non cognoscit componendo & dividendo.

465. *Intellectio hominis triplex.*

NOstra intellectio triplex est: Aliquando intelligimus simplices terminos: aliquando apprehendimus & facimus propositiones, & aliquando discurrimus, ut Arist. docet, *lib.* 3. *de anima, c.* 6. (ubi & Interpp.) *& lib. de interp. c.* 1. Scalig. *Exerc.* 307. *s.* 2. Zabarella *lib.* 2 *de nat. Log. c.* 2. Colleg. Conimbr. 1. *prior. cap.* 4. *q.* 2. *a.* 1. aliique. Ex his igitur, quid Deo conveniat vel non conveniat, nunc videndum est.

466 *Deum cognoscere complexa.*

Hac igitur in re id *primo* certum est: quòd Deus cognoscat simplicia & complexa, hoc est, propositiones & Syllogismos. De his enim singulis sunt intellectiones nostræ, indéque ista omnia per conceptus formales in mente nostra repræsentantur. Quia igitur cognoscit Deus omnem intellectionem nostram, igitur cognoscit etiam omnis intellectionis nostræ objectum. Ergo & syllogismum & propositionem. Nam intellectio est nihil aliud quàm objecti perceptio. Ergo cognitio hæc est hujus objecti perceptio. Ergo & cognoscere intellectionem hanc, est cognoscere hujus objecti perceptionem. Atque hinc summatim, cùm Deus suam intellectionem cognoscit, eodem actu fertur ad cognoscendum humani intellectus objectum.

467. *Modus cognoscendi in Deo, non est per compositionem & divisionem.*

Loquendo autem non de re cognitâ, sed modo cognoscendi, dico: Deum non cognoscere componendo & dividendo, hoc est, formando propositiones. Idque inde est, quia noster intellectus distinctâ intellectione non fertur simul ad plura objecta, & proinde necesse habet, ut partiatur intellectionem, juxta diversitatem intelligibilium, imò, ut aliquando eandem rem partiatur in intelligendo, dum, per plures inadæquatos conceptus, eum oportet apprehendere, quod à parte rei unum est. Veluti, non possumus non unâ intellectione apprehendere, significatum hominis, & significatum risibilitatis. Oportet igitur, ut aggregemus hos conceptus, dicendo: *Homo est risibilis.* Hæc autem ratio non procedit de divino intellectu. Nam divinus intellectus distinctissimè uno actu cognoscit objecta omnia, eo scilicet, quo se ipsum cognoscit. Atque hinc consequenter repugnat Deo, ut intelligat componendo & dividendo, hoc est, per plures intellectiones, quæ pluralitas in isto modo cognoscendi implicatur, ut visum est. Confer Thom. 1. *p. q.* 14. *a.* 14. De discursu statim dicam.

PVNCTVM

PUNCTUM VI.

Deus non cognoscit discurrendo.

Visso, de compositione & divisione, nunc addendum est de discursu, qui ex dictis, tertius erat modus cognitionis nostræ. 468.

Præsupponendo autem hanc ad rem quod & præcedenti puncto dictum est, non esse nunc sermonem de re cognita, sed de modo cognoscendi. Inprimis enim certum est, quod & ibi probatum est, quòd Deus cognoscat discursum, quia & ipse discursu mittitur, cùm nobis aliquid patefacit, vel in verbo suo persuadere intendit. Est enim sacrorum discursuum plena Scriptura. Hoc solùm dico, quòd ipse non cognoscat discurrendo, hoc est, ut habeat alicujus rei notitiam, non eam acquirit ibi per discursum.

Hoc ut rectiùs intelligatur, præcognoscendum est, quod discursus sit duplex. alius est continuus, alius discretus, seu, ut clariùs dicam, alius est per successionem continuam, alius discretam. Prioris generis discursus est in syllogismo, ubi à notitia pendet. Alterius posterioris generis discursus est, cùm citra dependentiam unius ad alium, unum post aliud intelligimus. Veluti, si cognitis plantis, cognoscamus doctrinam de Metallis. Estque adeò summatim in omni discursu pluralitas notitiarum se consequentium, ut inferiùs pluribus persequor, *c. 4. hujus libri, nu. 190. seq.* & plenius in doctrina syllogistica *c. 1. n. 17. seqq.* & Confer Colleg. Conim. *l. 1. prior. c. 1. q. 2. a. 1.* 469. *Discursus duplex.*

Nunc 1. Dico: *Deus non discurrit discursu eo, qui est secundum continuam successionem.* Ita patet, quia usus istius discursus est, ad cognoscendum ex notis ignotum & dubium. Unde & medius terminus dicitur ratio rei *dubiæ* fidem faciens, à *Cicer.* Et Ramus *l. 2. Dial. c. 9* ad constituendum Syllogismum ait: *cum aliquid dubium sit quæsitio efficitur, & ad ejus fidem tertio argumento opus est.* At hæ sunt multiplices imperfectiones in cognitione, præsupponere aliquid ignotum & dubium, & ejus notitiam quærere per antè cognita, & in allensu dependere ex tertio, ut facilè constat. 470.

Dices: Deus cognoscit causam & effectum, v. g. Ergo ex causa cognita potest concludere effectum. At iste discursus est syllogisticus. *Resp.* Deus non cognoscit effectum ex causa vel per causam, sed statim *in* causa intuetur ejus effectus omnes citra dependentiam notitiarum. Ergo ibi non est discursus, quia discursus, de quo loquitur, est cum notitiarum dependentia, ut scilicet unum per aliud vel ex alio cognoscatur. 471.

II. *Deus non cognoscit discursu eo, qui est per successionem discretam, atque adeò simpliciter non discurrit.* Ita patet, quia summatim omnis discursus est cum successione notitiarum, indéque præsupponit multitudinem earum. At simpliciter repugnat Deo, illa Intellectionum pluralitas, ut visum est, in præcedenti puncto, de compositione & divisione. Ita enim quæ ibi dicta sunt, hic à fortiori procedunt. Nam minus simplex est modus intelligendi per discursum; quàm iste, quo intelligimus componendo & dividendo, ut constat. Confer Aug. *lib. 15 de Trin. cap. 14.* & de Genes. *ad liter. c. 18.* Dionys. *de div. nom. c. 7.* Et Thom. *l. 1. cont. gentes. cap. 55. seqq. Quodlib. 12. a. 2. & 1. p. q. 14. a. 7.* 472.

ARTICULUS IV.

De variis distinctionibus divinæ cognitionis.

Inprimis præsupono hanc ad rem, à parte rei, unam esse Dei cognitionem, ut sæpè visum est, & nunc iterum breviter patet. 473.

Inprimis certum est, quòd Deus cognoscat seipsum & quidem perfectissimè. In ista enim cognitione sui, consistit Dei felicitas. Sine dubio autem Deus est beatissimus *Cognitionem*

Dei unam esse probatur.

tissimus & felicissimus. Porrò illa cognitio, quâ Deus seipsum, quæque in eo sunt cognoscit, necessariò est una. Nam ipse Deus est aliquid unum, & quæ in ipso sunt, habent realem identitatem cum ipso. Ergo & cognitio, quâ se Deus cognoscit, est una. Vnum enim objectum, per plures inadæquatos conceptus apprehendere, est imperfectionis in cognoscendo. Et hactenus Deus cognoscendo essentiam suam, una & eadem intellectione, cognoscit perfectissimo etiam modo omnia sua attributa, & proinde etiam potentiam & scientiam. At potentia & scientia Dei isto actu intelligendi, non cognoscitur perfectissimè, si non cognoscatur istorum extentiva latitudo, in ordine ad objecta, hoc est, quid particularissimè sit per ea attributa Deo per potentiam quidem, possibile, per scientiam cognoscibile, hoc est, quicquid ullo modo extra Deum est. Ergo hæc omnia eodem actu, uno & indiviso, perfectissimè cognoscuntur. Ergo non superest jam actus intelligendi alius. Ergo absolutè una & simplex est Dei cognitio. Mitto alia, de quibus confer *Lychet. ad Scotum* 1 *d.* 2 *q.* 1 *fol.* 45. & Suarez *Disp.* 30. *s.* 1 *n.* 33.

474. Atque hinc sequitur: quòd in variis divisionibus cognitionis divinæ, non intelligatur multiplicari divina cognitio: sed solùm membra istarum divisionum respondent nostris diversis iisque inadæquatis conceptibus, quos de ista una divina cognitione habemus. Quanquam aliquæ etiam continent solùm distinctionem nominis, ut apparebit.

Propono autem *primò* istarum distinctionum aliquas; *deinceps* etiam alia nomina cognitionis humanæ considerabo, an ea Deo tribui possint?

PVNCTVM I.

De distinctione scientiæ Dei in scientiam simplicem & scientiam approbationis.

475. I. *Scientia Dei est vel simplex, vel approbationis.* Hæc distinctio est distinctio nominis solùm. Indicat enim vocem scientiæ vel cognitionis ambiguè dici, hoc sensu, quod aliquando notet solum & præcisum actum intellectus divini, hoc est, nudam cognitionem. Et sic scientia divina est simplex: Aliquando verò notet cognitionem, cum addito vel connotato actu voluntatis, veluti est actus approbationis vel amoris seu affectus. Dicitúrque sic Deus ea cognoscere, quæ cognoscit & amat. Secundum priorem sententiam, dicuntur omnia nuda & aperta esse oculis Dei, *Heb* 4. Secundum posteriorem scientiam Deus dicitur non novisse maledictos, *Matth.* 7. *v.* 23. Sic Aug. *Epist* 102. *ad Evodium.* Deus, inquit, *si ad scientiam referas, non ignorat eos, quibus dicturus est non novi vos, sed ea ipsa improbatio hoc verbo insinuata est.* Alia exempla prius relata sunt, hujus tit. art. 2. punct. 5.

PVNCTVM II.

De divisione scientiæ Dei, in scientiam visionis & intelligentiæ.

476. II. *Scientia Dei est vel scientia visionis, vel simplicis intelligentiæ.* Ut distinctio hæc intelligatur, prænotandum est discrimen, inter visum & intellectum nostrum. Igitur visus cognoscit ea solum quæ certa sunt, quæque adeò præsentia & actualia sunt. Vnde & *præsentia* Scholasticis quibusdam dicta sunt, tanquam *præsentibus* Entia. Intellectus autem vagatur longius, & non cognoscit ea solum, quæ præ sensibus sunt, sed ea etiam, quæ futura sunt, aut etiam, cum quæ sunt prorsus impossibilia, sibi imaginatur.

477. *Scientia visionis.* Igitur ad hanc analogiam *scientia visionis* est, qua Deus intuetur & cognoscit ea, quæ coram sunt, aut etiam in universum, quæ esse actuale habent vel habuerunt, vel habitura sunt. Hæc omnia seu præterita seu futura sint, sunt intellectui divino

divino præsentia, non hoc sensu: quasi res omnes habeant esse quoddam æternum & permanens, per quod Deo omnibus temporibus coexistant, sed quod singula per ideam sui, quam in mente divina habent, nunquam Deo sint incognita.

Scientia autem *similicis intelligentiæ* dicitur illa, quâ Deus cognoscit ea, quæ in nullo tempore habebunt esse actuale, veluti sunt ea, quæ sunt impossibilia, aut quæ, cùm ex parte sui non involvant repugnantiam ad essendum, non tamen de facto existunt unquam. Multa enim quæ possibilia sunt, nunquam fient. Ista igitur cognoscuntur à Deo scientiâ, non visionis sed intelligentiæ. 478 *Scientia similicis intelligentiæ.*

Ex his apparet 1. *Scientiam visionis non dici hoc sensu de Deo quasi Deus aliqua cognoscat per sensum visus, dimissis aliis, quæ cognoscantur ab intellectu:* ad quem sensum, in nobis sunt duæ potentiæ cognoscitivæ, sensus scil. & intellectus, ad quem modum porro dici solet, in nobis sensum esse singularium, intellectum autem esse universalium. Nam imprimis visio propriè sic dicta est actus materialis, unde est dependens à materia sive organo corporeo, quod oculus est, proindéque non convenit nisi rebus materialibus. Deus autem spiritus, & proinde expers omnis materiæ est. Scientia igitur visionis, de Deo non propriè, sed per Metaphoram dicitur, sumptâ similitudine inde, quod sicut initio dictum est, sicut visus est rerum præsentium, ita etiam Deus dicitur cognoscere scientiâ visionis, ea quæ præsentia sunt. Ubi tamen & ampliatio sive Synecdoche concurrit. Cùm enim visus sit ad præsentia solùm, scientia tamen visionis, Deo tributa, non est ad sola præsentia, sed etiam præterita & futura, quæ Deus ita tuetur, ac si coram seu præsentia essent. 479 *Deo non convenit visus.*

Deinde ex his etiam apparet: scientiam intelligentiæ in Deo contradistingui contra scientiam visionis, non hoc sensu, quasi detur in Deo ulla cognitio, quæ non sit intellectiva. Sed generale nomen remansit speciali actui intellectus divini, quod alias etiam familiare est, ut speciei uni maneat generale nomen. Generatim igitur loquendo, omnis cognitio divina est intellectio seu intelligentia, & proinde etiam scientia visionis, quam vocamus. Speciatim autem quia Deus aliqua cognoscit, coràm intuendo, aliqua non intuendo, hinc iste modus cognoscendi posterior, simpliciter vocatur scientia intelligentiæ. 480

PUNCTUM III.

De distinctione scientiæ divinæ in practicam & speculativam.

III. *Scientia Dei est practica vel speculativa.*

Aristoteles *lib. 3. de anim. t. 49.* intellectum humanum dividit in speculativum & Practicum: unde aliqua propositione istæ applicationes tribuuntur scientiæ divinæ. Sunt autem duo considerandi. 1. Quid sit practica & speculativa cognitio? Atque adeò an istæ Deo conveniant? 2. Quarum rerum sit scientia practica & speculativa? 481

QUÆSTIO II.

Quid sit practica & speculativa cognitio? atque adeo, an Deo conveniant?

THomas *1. p. quæst. 14. a. ultim.* disputat, istas denominationes à tribus sumi. 482

Primò: igitur dicitur scientia speculativa vel practica, ex parte rerum scitarum. Quæ ergo non sunt operabiles à scientes, qualis est scientia hominis de rebus naturalibus vel divinis, ex iisdem faciunt scientiam speculativam: quæ operabiles sunt, Practicam, qualis est scientia ædificatoris, de domo, vel sutoris de calceo. *Tripliciter dicitur cognitio speculativa vel practica.*

Deinde sumuntur istæ denominationes ex modo cognoscendi, quicquid sit de 483

objecto cognoscibili. Ita scientia speculativa est, si quis domum cognoscat, v. g. solùm definiendo & dividendo istud thema, aut etiam communissima ejus prædicata pensitando.

484 *Denique* sumantur istæ denominationes ex fine. Ergo si quis aliquam rem cognoscat, ut secundùm eam cognitionem operetur, dicetur habere scientiam practicam: Si autem rem aliquam cognoscat, citra intentionem operationis, solùm veritatem considerando, dicetur habere scientiam speculativam.

His præmissis apparet: Convenire Deo scientiam speculativam & practicam. Nam *Primò*: cadunt aliqua sub divinam cognitionem, quæ non sunt operabilia, ut est Deus ipse. *Deinde:* apprehendit Deus nostros conceptus, quibus definimus, dividimus res, hoc est, de rebus speculamur. Denique cognoscit Deus aliqua, quæ nunquam facere vult. Ergo hactenus Deo convenit, aliqua speculativa cognitio. *Secundò*: cognoscit Deus aliqua operabilia, veluti omnes res creabiles, & quidem antequam eirent, ut definito tempore eas creare velit. Ergo hactenus Dei cognitio de istis est practica. Sed hæc amplius patebunt in sequenti quæstione.

QUÆSTIO II.

Quarum rerum sit cognitio Dei speculativa & practica?

485 ATinganus eas solùm materias, de quibus controversia esse solet. Atque hinc dico I. *Deus cognoscit se purè speculativè.* Ita patet, quia Deus non est aliquid operabile. Ergo nec ut aliquid operabile cognosci potest. Operativa verò scientia requirit subjectum operabile, et ordinem ad operationem.

486 Oppugnat hanc assertionem Scotus, *in Prolog sent. & 1. d. 38.* ubi docet scientiam sive cognitionem, quam Deus de se habet, esse practicam, quia rectificat amorem, quo Deus se amat. Sed fundamentum lubricum est. Nam si illa rectificatio practica esset, oporteret cognitionem, quâ Deus se cognoscit, diversam esse ab amatione, quâ Deus se amat. Quomodo enim quid dicetur rectificare ipsum? Amatio autem & cognitio, qua Deus se cognoscit et amat, realiter idem sunt, quia sunt actus vitales Dei, qui ad essentiam, et sic ad se invicem, realem habent, identitatem. Vide Valentiam *tomo 1. disp. 14 punct. 8.*

487 II. Dico: *Cognitio Dei respectu creaturarum creabilium est practica.* Ita patet. Nam et subjectum ibi operabile est, et cognitio est ad operandum.

Objicit hic Scotus: Scientiam Dei, respectu harum rerum, non esse practicam. Quia praxis omnis, quæ fit in rerum productione, referenda sit, ad voluntatem non ad intellectum sive scientiam. *Resp.* Scriptura frequenter productionem refert, non ad voluntatem solùm, sed ad intellectum etiam, ut ad *Eph. 2.* Operatur Deus omnia juxta *consilium* voluntatis suæ. Consilium enim utique ad intellectum pertinet. 2. Humana etiam scientia (unde primò sumpta est ista appellatio) non dicitur practica, quasi scientia præcisè & remota voluntate sit practica, sed quòd eâ accidente talis sit. Ergo etiam ut aliqua scientia Dei dicatur practica, satis est, si id sit accedente voluntate. Vide Cajetan, *in summ. 1. p. q. 14. a. 6.*

III. Dico: *Scientia Dei etiam respectu malorum est practica.* Non hoc sensu, quasi Deus mala afficiat, sed quia per aliquos actus practicos, circa eos occupetur, 488 veluti ordinando, prohibendo, permittendo ea. Sic Thom. *1. p. q. 14. a. 16.* Mala, inquit, licèt à Deo non sint operabilia, tamen sub cognitionem practicam ipsius cadunt sicut & bona: in quantum permittit vel impedit, vel ordinat ea, sicut & aegritudines cadunt sub practicam scientiam Medici, in quantum per artem suam curat eas & removet.

PUN-

PUNCTUM IV.

quo disseritur de aliis humanæ scientiæ nominibus, & eorum applicatione, ad scientiam divinam.

I. SCientia humana solet distingui in confusam & distinctam, adæquatam & inadæquatam. Hæc tamen varietas intelligendi in Deo apprehendi non potest. Nam rem confusè & inadæquatè apprehendere ex semiste saltem est imperfectionis, ut ex ipsis terminis constat. Confusè siquidem apprehendere rem, est eam apprehendere, prout per nomen (dimissâ definitione) exprimitur ut Scotus definit *in quodlibet. q.* 2. 9. *loquendo igitur:* Vel etiam est idem, quod rem apprehendere in iis quæ in ea continentur promiscuè & permixtim cognitis, ut Colleg. Conimbr. definit, 1. *Phys cap.* 1. *quæst.* 2. *a.* 1. ubi confer Zabarell. *de vid. intell. cap.* 11. 489 *Deo non convenit scientia confusa, & inadæquata.*

II. Scientia humana alia est à priori, alia a posteriori. Illa dicitur scientia propter *quid*, & est per causam: Hæc dicitur scientia *quia* & est per effectum. Juxta quam distinctionem etiam aliqua dicuntur notiora secundùm nos, alia secundùm naturam, apud Arist. 1. *post. tit.* 5. & 6. *Topic. c.* 3. Sed nec hæc varietas intelligendi in Deum cadit. Novit enim Deus necessariam connexionem causæ cum effecto & novit etiam intellectum humanum posse assurgere ex effectorum cognitione, in cognitionem causarum: ipse tamen non ita ascendit, sed effectum potiùs *in causa* cognoscit. Et sic non convenit ei scientia à posteriori. Vide Suarez. *Disp.* 30. *s.* 15. *nu.* 38. 490. *Nec ea quæ est à posteriori.*

Sed neque scientia propter quid, seu à priori, *Deo* convenit, si rigorosè loquamur, ad modum scientiæ illius, quam in nobis vocamus scientiam propter quid. Eam enim sic dicimus, quam de effecto habemus per vel propter causam per causam, inquam, tanquam medium. Id enim notat vocula per & propter. Indeq; insinuant discursum. At Deo non convenit discursus, ut prius visum est, *art.* 3. *punct.* 6. Ad quem modum & Thom. ait. 1. *part. qu.* 14. *a.* 7. *ad secundum:* Deus non cognoscit *per causam*, quasi prius cognitam, effectus incognitos, sed eos cognoscit in *causa*. 491. *Quatenus ei conveniat scientia à priori.*

Nihilominus commodè interpretando, potest scientia Dei vocari propter quid, partim negativè, quatenus isto modo loquendi, removetur à Deo scientia à posteriori; partim etiam, ut particula propter, indicet, non causalitatem, respectu illius cognoscentis, sed solùm causalitatem inter Entia cognoscibilia, quæ à parte rei est, veluti quod effectus est per vel propter causam. Unde habet Deus scientiam, *Propter quid*, in quantum simplicissimâ cognitione cognoscit, quinam effectus huic vel illi causæ congruant, vel quinam ex hac vel illa causa effectus dependeant. Confer Durand. 1. *d.* 35. *q.* 4. *Quomodo scientia Dei dicatur Propter quid?*

Denique: loquendo de scientia nostra, solet frequenter usurpari nomen *iudicii, prævisionis, recordationis* seu *reminiscentiæ, fidei, opinionis, conjecturationis* seu *conjectur.* Hæc omnia significant imperfectionem, unde formaliter Deo non conveniunt si propriè loquamur. Videamus de singulis. 492

Judicium significat in nobis modum intelligendi compositum, eum nempe, qui est per compositionem & divisionem & discursum. Unde & pars Logicæ ea, quæ est de propositionibus & syllogismis vocatur doctrina judicii apud Cic. 1. *lib* 4. *de Finibus, & init. Topic.* Fabium *Instit. Orat. cap.* 14. & alios. Vide inprimis Ram. *l.* 2. *Schol. Dial. cap.* 8. & *compar.* 3. & 4. *contra Schek in orat. pag.* 47. Sic igitur solet in judicio implicari duplex actus, alter est apprehensivus, quo scilicet objectum apprehenditur; alter verò superveniens est judicativus. Sic Ægid. *lib.* 2. *de anima, tract.* 5. *q.* 1 *a.* 1. intellectuale judicium est, inquit, quando potentia præter actionem, quâ apprehendit objectum, elicit alium actum, quo judicat rem ita esse vel non esse, 493. *An Deo conveniat judicium?*

quomodo apprehenditur? Et hoc modo judicare, est opus mentis, quæ apprehensâ hac propositione, homo est animal, assentitur illi, judicans rem ita se habere. Cùm igitur intellectio Dei non sit composita, judicium ei propriè non convenit.

In quantum tamen judicium significat cognitionem, purificatam quasi à temeritate, imprudentia, vel sententiæ præcipitantia, sic judicium Deo convenit. Ita dicitur Deus corripere in judicio. *Hier.* 10. castigare in judicio, hoc est, moderatè & leviter. *Hier.* 33. Mitto significationes alias, quas diligenter recensitas Vide apud Flac. *in Clavi Script. part. 1. in voce Judicare.*

494 *An Deo conveniat præviso & recordatio?*

Præviso & recordatio, dicuntur per ordinem ad præterita & futura, quæ cognoscuntur. Recordamur enim præteritorum & prævidemus futura. Et proinde accuratè loquendo, (quia ad divinum intellectum nihil est futurum, vel præteritum, sed intuetur Deus omnia tanquam præsentia, unde & omnia quibus convenit esse actuale, sub quacunque id sit differentia temporis, cadunt sub scientiam visionis Dei, quam vocant) Deus non prævidet vel recordatur. Præsertim quia recordatio sive reminiscentia est eorum, quorum notitia in intellectu nostro quasi abiculi est per oblivionem. *Cùm species in mente nostra obrutæ sunt aut confusæ, per disquisitionem aut recolutionem mens nostra eas repetit. Et hanc rem reminiscentiam vocant*, ait Scal. Exerc. 307. *s.* 2. *p.* 921. Sic & de prævisione ait, *Exerc.* 365. *s.* 8. *Omnia*, inquit, *præsentia Deo sunt, quare ut illud quoque subtilius excutiatur, ne verbum quidem illud prævidere Dei conveniat omnipotentiæ, nisi quoad nostrâ mutilâ intellectione metiamur infinitatem. Nobis quidem, quibus est futurum, prævisio illa est, Deus, cui nihil futurum est, non prævidet, sed videt simplicissimè quod est præsens. At omnia præsentia.* Vid: & Exerc. 307. *s.* 20. *p.* 957.

Quòd si tamen prævisio & recordatio vel rememoratio simpliciter sumantur juxta ordinem temporis, quod est in rebus cognoscibilibus, tum quia res aliæ aliis priores sunt, & proinde aliæ præteritæ, aliæ futuræ, non autem omnes præsentes sunt, hactenus sano sensu Deo potest tribui prævisio & recordatio, hoc est, cognoscere res, quæ sunt post alias, vel præ aliis in mundo.

495 *Deus an per fidem cognoscat?*

Fides notat assensum propter autoritatem dicentis vel testantis, atque hic, prout autoritas major minorve est in testante, fides est certior vel incertior. *Ab exiguitatis proficiscens oratio, vel ab inexistimatis eadem haud quaquam tantundem valet*, ait Hecuba *apud Eurip. ad ultim.* Atque hinc, quia testimonium divinum insinuat autoritatem in dicente summam, ideò certissimus est assensus, qui ei innititur. Certissimus inquam est assensus, non tamen necessariò est ei evidentissimus, quia non potest scire rationem, ob quam conclusio vel sententia, quam tenet vera sit, ullq; propter rerum sublimitatem & imperscrutabilitatem. Atque ita summatim fides insinuat 1. imperfectionem inevidentiæ & obscuritatis, 2. dependentiam ad autoritatem dicentis. Dei autem cognitio est ipsi Deo clarissima & evidentissima, & prorsus independens ad alterius autoritatem. Deo ad alterius: Nam respectu sui ipsius non est credibile, ut scilicet quis assentiatur verbis suis ob sui autoritatem. Indeq; nulla relinquitur autoritas, cujus respectu Deo tribuenda sit fides, hoc est, quâ ipse credat, vel eam cognitionem habeat, quam nos fidem vocamus. Nam inferior autoritas ex se fallibilis est & proinde Deum non potest ad assensum movere. Et si quando dictis hominum assentitur, non facit id credendo, sed sciendo. Sibi autem non credit, quia locutio, qua sibi loquitur Deus, est perfectissima sui & rerum omnium comprehensio. Vide Suarez in Metaph. *disp.* 30. *s.* 16. *nn.* 37.

496 *Opinio Deo non convenit.*

Opinio notat in hominibus assensum fluctuantem, indeterminatum & probabilem. Ita opinamur, cras fore serenitatem, quia nunc est vespertina rubedo; opinamur aliquem fore doctum vel divitem, quia videmus ipsum pro tempore diligenter studere vel inhiare opibus. Differtq; adeò opinio à scientia in eo, quòd scientia est de rebus certis. Opinio autem est de incertis, & quæ possunt secus habere, Imperfectio igitur manifestè insinuatur per opinionem. Unde etiam Deo non convenit, ut cognoscat aliquo per opinionem. Atque hinc etiam suprà rejectum est,

in hy-

in hypothetícis futuris. Deum habere de istis certitudinem moralem, hoc est, probabilitatem. Nam ista absolutè non est certitudo. Vide *hoc titulo art. 2. punct. 5.*

Consilium & consultatio primò etiam significant imperfectionem. Nam insinuant multitudinem cogitationum vel intellectionum. Consultamus enim conferendo diversas sententias. At pluralitas intellectionis imperfectio est, Deóq; repugnat, qui omnia intelligit intellectione unâ. Atque inde alia etiam imperfectio est in consultatione, quòd .c. in consultando animus primùm dubius est, quid tenendum sit in mediis propositis. Consultamus enim, ut in dubio videamus, quid rectius vel verius sit. Vide Arist. *l. 3. Ethic. c. 3.* Nemes. *l. 5. Phil. c. 5.* Thomam, *1. 2. q. 14. a. 4, 5, 6.* ubi & Interpp. Vide & nominatim Valentiam, *tom. 2. in 1. p. 2. qu. 9. punct. 2. 3.* Dubitare autem similiter notat imperfectionem. Atque hinc Scalig. *Exer. 365. s. 8.* ait, etiam impiam esse vocem consilii in divinis, ac est Deitatis pluralitas. Confer & Pelarg. *in Damasc. pag. 77.* & Suarez *Disp. 30 s. 15. n. 39.* 497. *Consilium an Deo conveniat?*

Nihilominus non est diffitendum: quòd consilium aliquando notet simplicem assensum, ut ex consilio dicatur factum, quod non est factum temerè vel præcipitanter vel imprudenter. Et hoc sensu dicitur, *Ephes. 1. v. 11.* Deum omnia operari ex consilio voluntatis suæ. *Et Jer. 23. v. 18.* Dicitur Deus magnus consilio. Patètque adeò, sic Deo convenire, ut ei tribuatur consilium. 498.

TITULUS XV.

De voluntate Dei.

Hæc in re id præsupponо, quòd omninò Deo conveniat voluntas. Ita enim sequitur ex iis, quæ de Dei intellectu dicta sunt. Cuicunque enim convenit intellectus, ei etiam convenit voluntas. Fertur enim unaquæque res in suum bonum. Inclinatio autem ad bonum est per appetitum. Ergo unicuique rei suus convenit appetitus. Proinde si res ferantur ad bonum suum per naturalem instinctum, erit appetitus naturalis: Sin ferantur ad bonum suum per notitiam sensitivam, appetitus erit sensitivus & animalis. Ergo & si ferantur res ad bonum suum per notitiam intellectualem, competet eis etiam appetitus intellectualis, quod nihil aliud est quàm voluntas. Proindéque hinc maximè connexa sunt, habere intellectum & voluntatem. Vnde si iste Deo convenit, eidem etiam conveniet voluntas. Plura vide apud Thom. *1. p. q. 19. n. 1. & p. 3. q. 18. n. 1.* ubi & interpp. vide, & adde sententiarios *1. d. 45. n. 36.* 499. *Deo convenit voluntatem.*

Hoc præsuppositо dicendum est. 1. Quid sit voluntas Dei? 2. Quod sit objectum voluntatis divinæ? 3. Qualis sit voluntas Dei, seu quomodo velit? 4. De distinctionibus divinæ voluntatis. Et denique de virtutibus & affectibus nostræ voluntati tribui solitis. *Proponuntur discenda.*

ARTICULUS I.

Quid sit voluntas Dei?

Voluntas aliquando significat rem volitam, hoc est, objectum voluntatis. Ut voluntas regis est, suspendi latronem. Id etiam est in divinis: Sic in Psal. dicitur *in capite libri scriptum est, ut facerem voluntatem tuam,* hoc est, id quod vis, &c 1. Thess 4. *Voluntas Dei est sanctificatio vestra.* Vide Armand. de Bello Vit. *l. 2. Term. c. 145.* Hæc significatio voluntatis à præsenti instituto est aliena. Quærimus enim quid sit illud, unde Deus formaliter & ab intrinseco dicatur volens: Hæc igitur res decidenda est, juxta ea, quæ de intellectu divino dicta sunt in præcedenti *art. 14 hujus capitis, a. 1.* Attamen melioris lucis causâ duo dico. 500.

1. *Voluntas divina est idem quod ipsa essentia divina, eandem inadæquatè, seu inadæquato conceptu significans.* Ita inprimis patet, ex iis quæ generatim de divinis attributis suprà constituta sunt. Nulla enim ratio est, cur voluntas debeat esse aliquid realiter 501. *Voluntatem divinam esse eandem cum ipsa essentia.*

realiter distinctum in Deo, ab ejus essentia, & non sit idem de æternitate, vel bonitate vel attributis aliis. Inadæquatus autem conceptus, quo voluntas significat essentiam Dei, in eo consistit, quòd voluntas addat inclinationem ad bonum. Atque ita voluntas divina, adæquatè loquendo, est idem quòd essentia divina, ad bonum propensa.

502. *Voluntatem esse in Deo, per modum actus ultimi.*

II. *Voluntas Dei est in eo non per modum potentiæ, sed per modum actus ultimi sui, est nihil aliud quàm volitio.* Prius patet. Nam si voluntas Dei esset in eo per modum potentiæ, tùm volitio esset in eo per modum effectus. Actus enim sunt potentiarum suarum effecta. At hoc est absurdum. Nam volitio Dei est ejus essentia, ut mox patebit. Essentia autem divina est infactibilis. Relinquitúrque adeò: Potentiam volendi non significari per voluntatem Dei. Atque ita non probo, quod Armand. de Bello Vis. *d. 2. Termin. cap.* 145. ait: voluntatem etiam in divinis aliquando significare per modum potentiæ, & aliquando per modum actus.

503. *Volitionem Dei esse ejus essentiam.*

Quod autem volitio, seu actus volendi sit idem, quod essentia Dei, patet inde: quia in ista actuali volitione, seu complacentia & amore sui, consistit magna pars beatudinis divinæ, inde usque ab æterno. Unde si volitio Dei, saltem qua Deus per actualem amorem, conjungitur quasi sibi ipsi, non esset ipsa Dei essentia, consisteret beatitudo Dei in aliquo creato, quod absurdum est, & pugnat contra *autάρκειαν* divinam, & aliquid creatum fuisset ab æterno, quod iterum absurdum, & pugnat contra fidem. Neque enim quod essentialiter à Deo distinguitur, aliud potest esse quàm ens creatum. *Omnis res quæ Deus non est, creatura est*, ait Aug. *l. 1. de Trin. cap.* 6. Et Just. Martyr, in Expos. Fidei: *in id, quod creatum est, & id quod non creatum est, dividuntur omnia.*

504. *Volitionem creaturarum esse divinam essentiam.*

Atque hoc ipsum est etiam dicendum de actu volendi, quo Deus actualiter vult creaturas, prout scilicet est iste actus à parte Dei. Nempe & actus iste volendi est idem quod essentia Dei. Sicut enim actus quo se intelligit Deus, est idem cum eo actu, quo intelligit creaturas (ut præcedente visum est, *art. 4. in init.*) ita etiam ille actus, quo Deus vult & amat se, est idem cum actu isto, quo Deus vult & amat creaturas suas. Et confirmatur, non solùm, quod nulla ratio disparitatis dari potest: sed etiam, quia actus voluntatis sequitur (ut loquamur de divinis modo loquendi nostro) actum intelligendi. Neque enim amamus incognitum. Ad istam igitur proportionem sequitur, quod ubi intellectio est una & eadem, etiam sit volitio una.

505. Deinde: potest idem speciali argumento probari. In primis certum est: Productionem creaturarum præsupponere in Deo volitionem earum. Hoc est, nihil de facto Deus producit, nisi quod antea voluerit producere, volitione, inquam, eâ, quam ab æterno habuerit. Aut igitur illa volitio creaturarum, & productionis earum, est aliquid creatum, aut non.

Si primum dicatur, duplex absurdum sequitur. Prius est, quod ista actualis volitio est proxima dispositio (ut sic loquamur) causæ agentis per intellectum, indéque sine ista, causa est insufficiens in causando. Nisi enim illa accedat, nihil creabitur. Si igitur ista est aliquid creatum. Ergo Deus, ad causandum, complebitur per aliquid creatum, & in se ipso, ad hoc, citra additionem alicujus creati, erit insufficiens. Absurdè. Citius credetur, non esse Deum, quàm eum tam impotentem esse, ut non possit agere nisi dependenter ad aliquid creatum. Posterius absurdum est: Quod si illa volitio est aliquid creatum. Ergo & ista est ex præsupposita alia volitione. Simpliciter enim impossibile est: Deum producere aliquid creatum, præter id, quod vult producere. Ergo vel in istis volitionibus creaturarum dabitur processus in infinitum, quod repugnat, vel sistendum est in aliqua volitione increata, atque hoc est quod intendo.

506. Atque hinc si posterius detur, hoc est, quòd volitio creaturarum, ea, inquam, qua Deus eas vult, sit aliquid increatum, tunc habetur intentum, nempè quod etiam

etiam voluntatum creatarum sit idem quod Deus Nam non datur nisi unum increatum, & hoc est Deus. Confer Scotum *d. 2. q. 1.* & Lychet. *ibid fol. 44 Col. 3. & seqq* & plures alios, quos retuli superiùs *hoc cap. num. 268. seqq* ubi vide.

Atque ità ex dictis summatim constat de duobus. I. Quod voluntas Dei non sit in Deo potentia quædam, sed quòd sit actus purus et ultimus. II. Quòdque adeò voluntas sive volitio Dei, tùm quâ se, tùm quâ creaturas amat, sit idem, quod ipsius essentia.

Objectio quæ contra hanc rem fieri solet, ex consideratione libertatis quæ est in actibus voluntatis divinæ, supra examinata est, *priùs citato loco.*

ARTICULUS II.

De objecto voluntatis divinæ.

VIso, quid sit voluntas divina, nunc videndum est, de ejus objecto, non quasi putemus esse aliquid, quod actuet quasi voluntatem divinam (quod officium alias solet esse objectorum, in ordine ad habitus & potentias) sed apprehendimus voluntatem divinam terminari ad aliquid, quod hactenus habet rationem objecti. Est enim ad rationem objecti satis, si terminet actum alquem. Dico igitur primò: 507.

PUNCTUM I.

Deus amat seipsum primario.

HIc dico: objectum voluntatis divinæ esse Deum ipsum. Amare enim est actus voluntatis. Igitur quòd Deus velit seipsum, inde inprimis patet, quia Deo convenit bonitas summa, ut suprà patuit, *hic cap. tit. 8. q. 3.* Bonitati autem proportionatur appetibile. Ergo quod summè bonum, summè etiam appetibile est. 508.

Dices: Id appeti quod non habetur. *Appetitus est affectio eius, quo caremus, potiundi.* ait Scal. 1. *de plant. p. 37. & exerc. 274. p. 837.* Appetitus, *inquit*, est affectus habendi: At quod habetur non appetitur. Similia sunt *exerc. 307. sect. 7. pag. 978. & l. 5. de C. Img. M. c. 114 123.* At certe Deus ipse à seipso non abest. Ergo non potest voluntas seu appetitus Dei terminari ad seipsum.

Resp. Ad propositionem: distinguendo, Appetitus scilicet duplex est, alius dicitur appetitus desiderii, alius est appetitus complacentiæ. Ille terminatur ad bonum non habitum, hic vero significat quietationem in bono habito. Sic materia v. g. tribuitur universalis appetitus ad formas, & tamen non potest omni forma carere, quin alicui formæ de facto sit unita. Ad formam igitur, quam habet, habet appetitum complacentiæ. Vide Coileg. Conimbr. *l. 1. Phys. c. 6. q. 5. a. 1.* Sic etiam omnia dicuntur appetere suum esse. Et Aristoteles ait amabile bonum, unicuique esse, suum esse proprium. Atque sic voluntas Dei terminatur ad ipsam essentiam divinam, non per appetitum desiderii, sed per appetitum complacentiæ. 509. *Quomodo voluntas Dei terminetur ad seipsum.*

PUNCTUM II.

Dei voluntas terminatur etiam ad res creatas.

ITa patet 1. per Scripturas, 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra,* Sap. 11. v. 26. *quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses,* Psalm. 113. v. 3. *Omnia quæcumque voluit fecit,* 1. Cor. 12. v. 11. *Dividit dona prout vult.* Alia in Scripturis sunt plurima. 510.

Patet idem etiam per rationem. Inprimis Deus producit creaturas. Ergo vel vult & amat illas creaturas, vel eas non vult et amat. Hoc dici non potest, nam

agens per intellectum nihil producit nisi volitum. Voluntas enim in eo est principium practicum. Ergo relinquitur: quod Deus eas creaturas velit. Deinde est in rebus creatis bonitas aliqua. Ergo illa est amabilis. Ergo maxime per divinam voluntatem.

Sed quæritur;

An Deus velit res creatas in se, an in esse ipsorum proprio?

511. HÆc quæstio proportionaliter judicanda & decidenda est ex eis, quæ de Dei intellectu dicta sunt *in priori tit. 14. art. 2. punctо 3.*

Igitur dico 1. *Vult res creatas Deus in esse ipsorum proprio.* Ita patet. Nam ipsæ res creatæ sunt effecta divina, secundùm esse proprium. At non producit Deus effectum, nisi quod vult producere, ut ante argumentabar.

II. *Vult Deus res creatas non tamen ultimatè.* Ita patet ex Prov. 15. omnia *propter semetipsum* operatus est. Omnia igitur quæ cupiuntur à Deo, cupiuntur non ultimate sed propter aliud, hoc est, Dei gloriam. Atque hinc etiam est, quod Deus eo actu volitionis, quo amat se, amat etiam creaturas, tanquam media destinata ad suam gloriam. Confer Valentiam *tom. 1. disp. 1. q. 19 punctо 3.*

PUNCTUM III.

Deus non vult peccatum seu malum culpæ.

512. *Quinam dixerunt Deum Authorem peccati.* QUi Deum peccati Authorem faciunt, iis consequentur asserendum est, quòd Deus peccatum velit. Nihil enim facit Deus involitum, ut ex prædictis constat. Autorem autem malorum faciunt Deum multi ex Hæreticis, Manichæi, apud Augustin. *de hæres. c. 49.* Marcion. apud Irenæum *l. 1. adv. hæres. cap. 19.* Florinus, apud Euseb. *l. 5. hist. Eccles. cap. 20.* Albigenses, apud Antonin. *part. 4. Sum. tit. 11. cap. 7. 8. 9.* & ante hos omnes, primus hæreticorum; Simon Magus apud Vincent. *l. 7. c. 34.* Et hos sequuntur in præcedente assertione, *Zuinglius Calvinus, Beza*, & eorum asseclæ, ut ex eorum verbis multi è nostris ostendunt, quibus adde Bellar. *l. 2 de amiss. gent. c. 3.*

513. *Quid nunc per malum intelligatur.* Per peccatum autem sive malum, in præsenti non intelligo seorsim & præcise, actum positivum, qui subest ipsi malitiæ: sed totum id complexum; quod peccatum vocamus, id nunc intelligo: An scilicet totum illud, quod per fornicationem vel adulterium intelligitur, sit à Deo, ut implicatur etiam ἀνομία vel ἀταξία.

Formavi etiam propositam sententiam *de malo culpæ*, quia de malo pœnæ secus est. Potest enim id malum, sicut & naturalis defectus, convenire cum alio bono magis appetibili. Unde recta ratione, quamquam intensione secundaria, à Deo appeti potest: prout & Scriptura docet, *Isaiæ 45. Hier. 36. Amos. 3. & Deut. 32.*

514. *Deum non velle malum culpæ.* Igitur: quod malum illud culpæ, non velit Deus, disertè docet Scriptura passim. *Ps. 5. & 45 Osee 13.* Prov. 15. *Sap. 14.* Et hinc inde id Scriptura insinuat. *Deinde* idem patet per rationem. Malum formaliter constitit in inordinatione ad voluntatem divinam. Malum inquam, (vocamus unumquodque, in quantum est disforme Dei voluntati. Ergo, si Deus vellet malum, vellet aliquid disforme suæ voluntati, hoc est, involitum à se, vel involibile. Hæc autem manifesta est pugnantia.

Deinde: si Deus vult peccatum, cùm etiam licitè poterit se conformare homo divinæ voluntati, volendo id, ea ratione, qua id Deus vult, & consequenter, non peccabit volendo malum, quod est absurdissimum. Consequentia tamen patet quia est perfectio simpliciter, conformare se divinæ voluntati. Huc pertinet quod Vulgentius ait *lib. 2. ad Aluum.* posse peccatum aliquod ex Dei prædestina-

tione

tione esse, si posset aliquis hominum justè peccare?

Tertio: Egregia hanc ad rem ratio est, D. *Augustini l. 83. qq. q. 3.* Nullo sapiente homine Autore, fit homo deterior. At Deus est sapientissimus. Ergo multo minus Deo Autore fit aliquis hominum deterior. At si id esset maximè, si Deus vellet peccatum. Peccatum enim per se maculat & dedecorat. 515.

Quartò: Quicunque vult malum, ille vult aliquid ἄτακτον, seu recedit à regula legis æternæ, quæ est justitia & sapientia Dei. Repugnat autem, Deum recedere à justitia & sapientia sua. Ergo Deus non vult malum. Vide plura apud Irenæum *lib. 4. c. 47.* Gregor. Nazian. *in orat. 1. contra Julian.* Fulgent. *l. 1. ad Monimum, cap. 21. 22. 23.* Ambros. *l. 1. Exaem. cap. 8.* Anselm. *l. de lib. arbit. cap. 8.* Greg. Magn. *l. 29. moral. c. 21.* Basil. *in Homil. quòd Deus non sit Autor peccati*, ubi inter alia ait: *Idem est Deum affirmare peccati Autorem, & negare esse Deum.* Vide & Lomb. *1. d. 46.* & Sententiarios *ibidem.*

DISPUTATUR

Deum non esse causam peccati, atque adeo non velle etiam peccatum per accidens

Dices: per se quidem Deus non vult peccatum. Vult tamen illud per accidens in quantum scilicet Deus id potest ordinare ad suam gloriam. 516.

Resp. Ne sic quidem, Deum velle peccatum. Nam imprimis nunquam appetitur malum nisi per conjunctionem ad aliquod bonum. Cùm Leo occidit aliquod animal, intendit cibum, cum quo conjungitur occisio istius animalis, & cùm homo fornicatur, conjungitur deformitati actus, delectatio sensus. Ut igitur malum bonâ cum ratione, seu rectè appetatur, nempè sub boni ratione, oportet ut id bonum malo adhærens, vel eidem annexum, sit magis appetibile, quàm bonum aliud, quo privat. Sed nullum bonum, cum quo sit conjunctum malum culpæ, est magis appetibile quàm istud bonum quo privat malum culpæ. Ergo malum culpæ prorsus non potest rectè appeti, vel à Deo vel ab homine: Assumptio patet. Nam nullum bonum (ut rectè discurrit Valent. *tom. 1. D. Spir. 1. q. 19. punct. 3.*) est magis appetibile quàm bonum ipsum divinum, & rectus ordo creaturæ ad illud, quippe cùm in hoc ordine ad Deum, contineatur ratio ipsius boni honesti, quod est omnium appetibilissimum. Hac autem boni honesti ratione, privat malum culpæ. Imò etiam quantum est ex se, tollit bonum divinum, vel quia per malum culpæ constituit sibi homo alium finem ultimum, vel etiam, quia quantum est ex se. Deum contristat & privat summâ felicitate, quæ est illi naturalis & intima. Confer etiam ipsum Thom. *1. p. q. 19. a. 9.* Et Clariss. Meisnerum *part. 1. Sobria Philos. s. 2. quæst 5. & s. 4. q. 6.* Vide etiam quæ ad hanc rem in Topic. dixi, *ad caput 3. num. 75. s. 91.* *Deum non posse esse causam mali per accidens.*

Objectiones, quæ contra hanc rem esse possint plerasque, continent dicta aliqua Scripturæ. Istarum igitur objectionum expositionem Theologis relinquo.

ARTICULS III.

Qualis sit voluntas Dei? seu: quomodo velit Deus?

Duo sunt, quæ principaliter attribuuntur divinæ voluntati, libertas & immutabilitas, quibus quasi modus volitionis divinæ significatur. De utroque igitur videndum est. 517.

QUÆSTIO I.

An et quatenus voluntas Dei sit libera?

AD hanc quæstionem distinguenda sunt objecta divinæ voluntatis, juxta ea quæ priùs recensita sunt. Continetur nempe inter ista & Deus ipse, & alia ab eo creata.

518. *Deus amat se necessariò.* Igitur I. dico: *Deum seipsum amare necessariò.* Ita patet, quia quicquid est in ista volitione, necessariò est semper, tum ex parte voluntatis ipsius, tùm ex parte objecti volibilis. Oportet igitur ut ipsa etiam volitio seu amatio necessaria sit. Antecedens patet. Nam ipsa essentia divina habet in se hanc perfectionem, per quam ipsa eadem voluntas etiam est objectum sui ipsius, in quantum ipsa essentiale bonum est, in quo quietari possit voluntas Dei. Hæc etiam essentia divina est Ens necessarium, & necessariò per se existit. Cùm igitur per hanc ipsam Entitatem Deus se velit, necessariò seipsum simpliciter vult, non modò, quia se aversari nunquam potest, sed etiam quia non potest nunquam intermittere sui volitionem & amationem. Confer Greg. de valent. *Tom. 1. disp. 1. q. 19. punct. 4.*

519. *Voluntas Dei ad externa objecta est libera.* Dico II. *Voluntas divina in terminatione ad externa objecta est libera.* Ita patet passim per Scripturas & confirmatur per rationem, quam eleganter persequitur Thomas *1. p. quæst. 19. a. 3.* Alia à se vult Deus, in quantum ordinantur ad sui gloriam tanquam finem. Ea autem quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus, volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest, sicut volumus cibum, volentes conservationem vitæ, & navim, volentes transfretare. Non sic autem ex necessitate volumus ea sine quibus finis esse potest, sicut equum ad peregrinandum, quia sine hoc possumus ire. Hinc igitur argumentor: Quæ appetuntur ut media ad finem, quæque non sunt ad eum necessaria, ea non appetuntur actu necessario, ut hactenus visum est. At tales sunt omnes res creatæ, in ordine ad Deum. Deus enim est Ens *a'υπερέσιατον*, unde nec indiget ullo nostrùm, Voluntas igitur Dei non fertur ad ista, actu necessario.

520. *Objectiones.* *Dices*: Cognitio qua Deus cognoscit res creatas est necessaria. Ergo & volitio. Utriusque enim videtur esse eadem ratio. *Deinde* volitio, qua Deus vult se, et res creatas, à parte rei est eadem, ut supra concluſimus. Non potest igitur dici simul et necessarius et liber actus: qui est indivisibiliter unus,

521. *Solvuntur.* *Ad primum* respondeo: negando paritatem. Estque diversitas in eo, quod voluntas fertur ad res, juxta esse actuale illarum, ut vel esse actuale accipiant, vel in eo conserventur. Intellectus autem Dei pertingit etiam ad res possibiles, apprehenditque eas etiam, cum sunt sub non esse, ut supra patuit. Cum igitur esse actuale res creatæ habeant contingenter et amissibiliter, utique amor etiam istorum objectorum non non erit necessarius, quoad istam, de qua loquor, terminationem ad objectum. Suarez. *Disp. 30. s. 15 n. 37.* Distinguit voluntatem à scientia sic: Objectum scibile, inquit, etiam creatum necessariò scitur à Deo, non autem omne diligibile necessario diligitur. Et ratio discriminis propria est hæc, quod voluntas est formaliter libera, scientia vero non est formaliter libera. Atque inde fit, ut scientia naturaliter ac necessario repræsentet, quicquid repræsentabile aut scibile est; Voluntas vero non necessario amet, quod amabile. Advertit etiam varietatem statuum in rebus amabilibus et scibilibus, et subtiliter persequitur eam rem ad hoc propositum: sed id ibi vide.

Diversitas voluntionis & intellectionis divinæ.

Ad alterum in præcedentibus responsum est, Vide supra *num* 272.

522. *Deum esse agens liberum.* Dico III. Atque hinc summatim relinquitur: *Deum esse agens liberum, vel non agens ex necessitate naturæ.* Et patet. Nam potest Deus volitionem suam terminare et non terminare ad extra, hoc est, potest creare mundum et non creare destituere eum, et non destituere, hoc momento punire peccatorem et non punire. At hæc omnia significant libertatem in agendo. *Deinde* idem patet inde, quod

Libet

liberè agere vel causare, simpliciter est perfectionis, agere autem ex necessitate naturæ, est imperfectionis. E. non hoc sed istud, Deo competit. Antecedens patet. Quæ enim agunt ex necessitate naturæ, agunt per directionem superioris agentis, quod ipsum ad finem suum ordinat, unde id hoc ipso agit dependenter. Hæ autem omnes sunt imperfectiones maximæ. *Tertiò* idem patet, quòd, interrogando de rebus creatis, ultima resolutio est ad Dei beneplacitum, veluti: Cur fecit Deus hominem tantæ molis, & non majoris, veluti qualis est arboris, nec minoris, qualis est ovis alterius ve animalis? Nulla hic ratio alia est, nisi quia sic Deus liberè voluerit.

Objectiones contra Libertatem Dei.

OBjici contra solet. I. Si Deo tribuatur liberum arbitrium, quod tùm Deus possit etiam detlecti ad malum. Si enim solùm bene ageret Deus nec secus agere posset, non libere sed necessario ageret. II. Sic actiones ejus fient contingentes. III. Ipse aget, aliquo determinante ipsius indifferentiam, ut hoc agat & non aliud. *Denique* is fiet mutabilis. 523.

Sed nihil horum procedit: Nam 1. liberum arbitrium est quidem ad opposita, sed ea non sunt necessariò, bonum & malum, ut libertas versetur inter bene & malè agere. Imo in oppositum, quò minus male agere potest agens aliquid, eò liberius est, unde Deus vocatur agens liberrimum. Atque ita libertas in Deo satis inducatur, si possit creare & non creare, & qui sunt actus alii, quibus bonitatem suam communicat. Vide Lombard. *l.* 2. *d.* 24. 25. & August. *l.* 22. *de Civ. Dei, c.* 30. 524. *Solvuntur objectiones. Libertas non est restricta solùm ad bonum, & malum.*

Ad *secundum* respondeo: Malle aliquos Philosophos dicere, quod Deus agat liberiùs quam ut dicant, agere eum contingenter, quia vox hæc aliquam imperfectionem insinuet. Sed si vox rectè explicetur, ut scilicet contingenter agere sit idem, quod indifferenter agere, hoc est non necessario sic, vel aliter: actiones Dei contingentes dici possunt. Neque aliud exposcit agendi libertas. Ita etiam sensit Scotus 1. *d.* 2. *nu.* 38. 39. Pererius *l.* 9. *Physic. c.* 11. Videantur de eodem, Conimbr. 8. *Physic.* 2. *q.* 5. *a.* 1. 525.

Ad *Tertium* respondeo: Agens liberum e creaturum genere eget determinante, sed quia est Eus imperfectum: nempe quia ipsum agit ex præsuppositâ potentiâ, quæ actuanda est. Deus est agens liberum, non per potentiam volendi, sed per purum & ultimum actum volendi: ut suprà conclusum est. Nullo igitur opus est hic determinante. Itaque Deus per eam potentiam & sufficientiam potestatis suæ seipsum determinare potest. Confer Thom. *l.* 4. *contra Gent. c.* 82. plenius de tota hac re dixi *in Topic. c.* 3. *n.* 38 *seqq.* 526.

Ad *quartum* de immutabilitate voluntatis divinæ statim respondebo.

QUÆSTIO II.

An & quatenus voluntas Dei sit immutabilis?

IN primis Scripturæ passim tribuunt voluntati divinæ immutabilitatem. N. 23 *Jacob.* 1. *Hebr.* 6. & *alibi*. Ea igitur dextrè explicanda est.

Igitur 1. *Immutabilitas voluntatis divinæ non est intelligenda objectivè hoc est, quasi Deus non possit velle mutationem vel varietatem rerum.* Nam hoc ipsum pertinet ad libertatem Dei, quod potest velle ut mundus, v. g. pro tempore sit, & paulò post non sit, Sic in V. T. voluit Deus observari ceremonias & judicia, hoc est, Levitica & forenses leges, quas in N. T. non vult teneri amplius. Neque ista immutabilitas objectiva facit simpliciter mutabilem voluntatem, ut etiam in nobis apparet. Nam quis putet eum hominem habere voluntatem mutabilem, qui hâc horâ decerneret, quòd cras velit domum ædificare, & post biennium velit 527. *Immutabilitas voluntatis divinæ non est intelligenda objectivè*

eandem destruere, si hæc exequeretur. Non habet inquam, Deus mutabilem voluntatem, sed tamen mutationem vult, ait Thom. 1. *p. q. 19. a. 7. ad tertium.*

II. *Nec immutabilitas voluntatis divinæ est intelligenda in sensu diviso, hoc est, antequam quasi uni oppositorum conjuncta est.* Antequam enim Deus decernit punire hominem aliquem, poterat utique non decernere. Et hæc ipsa est radix libertatis. Unde si aliquod agens diceretur immutabile, in sensu diviso, revera non esset liberum, quia libertas consistit in hoc, ut possit quis divisivè velle & non velle idem

528. *In quo consistit Dei immutabilitas.*

Igitur III. *Immutabilitas voluntatis divinæ intelligenda est in sensu composito, hoc est, si Deus actuali volitione se ad aliquam rem determinaverit, est constans & tenax propositi.* Veluti decrevit Deus ab æterno mundum aliquo tempore creare. Id autem, quo tùm definivit eum fieri debere, tempore, eundem fecit. Decrevit Deus, aliquo temporis puncto annihilare hunc mundum. Id igitur eo, quo sibi præstituit tempore, Deus exequetur. Atque hæc est immutabilitas voluntatis quæ nihil pugnat cum ejusdem libertate. Nam & nos qui agentia libera sumus, possumus constantes manere in proposito, atque ita in sensu composito habere voluntatis immutabilitatem, non decedente quoquam de libertate.

529. *Probatur Dei immutabilitas.*

Quod autem ista Deo immutabilitas conveniat, patet ex textibus Scripturæ prius allegatis, qui nihil aliud volunt, quàm talem immutabilitatem, quam nunc definivi.

Principaliter contra hæc *objici* solet: Quod in scriptura Deo tribuitur pœnitentia, Gen. 6. *pœnitet me fecisse hominem.* Pœnitentia autem est signum mutatæ voluntatis

530. *Quomodo Deo tribuatur pœnitentia.*

Resp. Hæc intelligenda esse per ἀνθρωποπάθειαν & Metaphoram. Nos, inquam dicimur pœnitere, quando id destruimus quod feceramus: Id ipsum igitur significatur etiam per pœnitentiam de Deo. Quæ tamen absolutè, ut de Deo usurpatur, non dicit nisi mutabilitatem objectivam, de qua in prima assertione loquebar. Nam facta destruere non semper etiam in homine, notat mutabilitatem voluntatis. Potest enim & homo sine voluntatis mutatione, aliquid facere, simul intendens, eandem rem, ex intervallo, destruere quod maximè procedit de Deo qui ex lumine intellectus sui, intimè videt, antequam eas faciat, quid rebus suis superventurum sit. Unde nulla causa est, cur decernendo creationem, non possit decernere, quid ad hanc vel illam circumstantiam, porrò velit agere, ut pœnitentiâ propriè dictâ, atque adeò mutabilitate, opus non sit. Huc pertinet, quod eleganter ait Augustin. *lib. 17 de Civitat. Dei c. 7.* ubi legitur, quòd, Deum cùm pœniteat, mutatio rerum significetur, immutabili præsentiâ divina manente. Et Justin Martyr *tom. 3. in qq. Christianorum, quæst. 36.* Si in divinitatem non cadit mutatio, cur Deus de Saulis unctione dicit, se pœnitentia duci, & de eversione Ninivæ aliud statuit? *Respondet:* Dominus Deus, cùm eò quòd existit, tùm eò quod actiones se decentes agit, immutabilis est. Prospiciens autem mutationi obnoxiis, utilitati eorum, quibus prospicit, consulit, & res ipsas mutat. Proinde & cùm ignoscit, & cùm non ignoscit, immutabilitatem retinet: Siquidem his, qui dilecta sua corrigunt, ita ut non mutetur, ignoscit. His autem, qui in vitiis suis absque emendatione perseverant, ita ut non mutetur, non ignoscit. Itaq; illud: *Pœnitentia ducor*, immutabilitatem ejus, eò quòd non ignoscit, designat. Et illud: *Aliud statuit Dominus*, immutabilitatem ejus, eò quod ignoscit significat. Immutabilis namque est Deus, & semper in eis, quæ se decent, faciendis perdurat, mutabilitatemque, ad id, quod se non decet, faciendum, nunquam admittit.

Hactenus Justinus.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De divisionibus divinæ voluntatis.

PUNCTUM I.

Volitionem in Deo unam esse.

IN hac re inprimis præsupponendum est, quod volitio Dei, prout est à parte rei, sic una numero & indivisibilis. Ita relinquitur ex iis, quæ *ad art. 1 in 2. prop.* dicta sunt. Volitio inquam, creaturarum, est eadem, cum illa, quâ Deus vult seipsum. Et hæc est eadem cum essentia divina, ut de singulis patuit *d. l.* At essentia Dei est una. Ergo & volitio est una. 531.

Dices: Cùm volitio rerum creatarum mutetur vel multiplicetur in homine, v.g. juxta multiplicationem objectorum, cur non est idem etiam in volitione qua Deus vult? 532.

Resp. 1. Volitio nostra fit per actuationem potentiæ volentis, quæ fit ab objectis volibilibus: adeò hinc etiam est alia atque alia volitio juxta diversitatem objectorum. Id autem non est, de voluntate divina. Nam voluntas divina non est in Deo, per modum potentiæ, sed per modum actus ultimi, ut supra probatum: Et hæc etiam ratio est, cur intellectio divina, non multiplicetur ab objectis; sed sit una & indivisibilis, cùm tamen intellectio nostra multiplicetur juxta multiplicationem objectorum. Nempe nostra intellectio est similiter sic, ut potentia intellective actuetur ab objecto intelligibili. Divina autem intellectione est primò actualis, & nullam dependentiam habet ad objectum intelligibile. Nulla igitur hinc enasci potest varietas. Sed hac de re ex instituto fuit, *præced. tit. art. 4. in initio.*

2. Resp. Et in creata volitione, aliquando uno actu appeti plura obiecta, veluti cùm quid absolutè habet rationem medii, & non habet propriam bonitatem, vel appetibiliratem, juxta quam terminet potentiam appetentem: Cùm igitur Deus appetit omnia, ut media seu destinata ad suam gloriam, nec habent ea, propriam bonitatem, secundum quam ultimò terminent volitionem divinam. Ergo non appetuntur, nisi volitione una ea scilicet quâ finis eorum, hoc est, Deus amatur. Antecedens patet in amaris Pharmacis vel remediis. Neque enim ustio, v.g. vel sectio corporis, amatur amore alio, quàm eo quo sanitas, cui destinantur ista, amatur. 533.

Etsi igitur prædicto modo voluntas divina eadem sit: solet tamen ea per inadæquatos conceptus distingui. Eas igitur distinctiones propono. Valentianus, *Disput. 1. q. 19 punct. 2.* existimat, istas distinctiones insinuari in Scripturis, quando numero plurali dicuntur voluntates, *Psal. 103. & 111. Et Actor. 13.* Quanquam videri potest & notari ibi, vel multa significata voluntatis, vel multos actus voluntatis, ad quem modum & misericordiam divinam, Scriptura vocat *misericordias.* Ita Lomb. *1. d. 45. F. seqq.* *Quomodo possit distingui voluntas divina? Voluntates Dei, quid sint in Scriptura*

Sunt autem duæ speciales voluntatis distinctiones, quæ vulgò occurrere solent, *Primò:* quòd voluntas distinguitur in voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti. *Deinde:* quod voluntas distinguitur in Antecedentem & Consequentem.

PUNCTUM II.

De divisione voluntatis, in voluntatem signi & beneplaciti.

DIvisio hæc traditur à Lombard. *1. d. 45. & seqq.* Hæc non est divisio rei, sed solùm distinctio vocis, ut recte censet Caietan. *1. p. quæst. 19. a. 12.* Cum quo coincidit 535. *Qualis sit*

hæc voluntatis distinctio?

coincidit, quòd alii Doctores vocant eam distinctionem analogi in analogata. Intelligunt enim eam analogiam, quæ est per extrinsecam habitudinem & denominationem. Voluntas enim signi vocatur voluntas, extrinsecâ denominatione, in quantum scilicet significat beneplacitum divinum, quod absolutè est voluntas Dei, ad eum modum quo multa dicuntur sana, per habitudinem ad sanitatem animalis, quæ primò talis est. Vide Valentiam *Disp. 1. q. 19 punct. 2. in init.*

536. *Explicatur sensus istius.*

D. Hutterus *lib. concord. p. 1063.* Sententiam Scholasticorum in hac distinctione sic explicat, ut voluntatem signi dicat effectum Dei, quando ipse foràs progreditur, ad nos, nobiscum agens, per aliquid involucrum, puta per verbum & Sacramenta: Voluntatem autem beneplaciti esse substantialem Dei voluntatem sive nudam majestatem, quæ est Deus ipse, Abi explicant aliter.

537. *Divisio voluntatis signi.*

Omnium commodissimè tamen poterit explicari distinctio ista, si priùs partiamus voluntatem signi. Igitur voluntas signi Scholasticis quintuplex est, ex Lombard. *1. d. 14.* Præceptum, prohibitio, permissio, consilium & operatio, hoc est, Voluntas signi dicitur, cùm Deus.

Præcipit & prohibet, permittit, consulit, implet

ISti igitur actus significant, quid placeat Deo, seu quæ sit Dei εὐδοκία, sive beneplacitum. Et hinc quia sunt signum beneplaciti vel voluntatis divinæ. Ideò per ambiguitatem vocis, dicuntur voluntas Dei. *Dicitur*, inquam, *unumquodque eorum voluntas* (verba sunt Lombard. *d. l. 1. dist. 45 H.*) *quia ista sunt signa Voluntatis, quemadmodum & signa iræ dicuntur ira, et signa dilectionis dicuntur dilectio.*

538. Estque hinc porrò observandum: cùm *operatio* Dei dicatur voluntas signi, hoc est, significet voluntatem ejus, quod tum aliquando, in modo significandi, sit diversitas aliqua, inter voluntatem signi & voluntatem beneplaciti. Veluti cùm exteriùs operatur, atque adeò signat voluntatem austeram (jubendo, v. g. ut mulier Cananæa recedat, aut ut Abraham immolet filium) interiùs tamen intimum & maximè paternum habet affectum. Neque enim hoc quicquam est, quod viri boni officio repugnet. Optimus enim pater, potest exteriùs præ se ferre austeritatem & severitatem in filios, interiùs potest esse in eosdem affectuosissimus. Sicque est in istis exemplis, ubi sub voluntate signi, (quæ ibi est Dei operatio) latuit absconditum Dei paternum beneplacitum, ut Hutterus loquitur, *in lib. Concord. Art. 11. p. 1068.*

539. *Duplex abusus hujus distinctionis apud Calvinianos. Non differunt in ratione revelati & auscultati.*

Ex his quæ hactenus dicta sunt apparet: Calvinianos illâ distinctione dupliciter abuti. 1. Distinguunt voluntatem signi à voluntate beneplaciti, in eo, quòd voluntas signi sit revelata, voluntas autem beneplaciti sit occulta, ablcondita & arcana. Vt obscurè, ut sola ratio signi docet. Voluntas enim signi dicitur, quia est signum beneplaciti divini, seu quia significat, atque adeò *manifestat* beneplacitum divinum, ut antea ex verbis Lombardi recitavi, & ipsa vox insinuat. Signum enim est, quod aliud tacit *in cognitionem* venire, vel quod animo aliquod *manifestat* & repræsentat, ut august. definit, *l. b. 2. de doctr. Christ. c. 1. et lib. 1. De princ. Dial. c. 5.* & Confer supra, *lib. 1. c. 25. n. 9. 11 seqq.* Cùm igitur voluntas signi, sit signum, interrogo cujus rei sit signum? *R. β.* est signum beneplaciti divini: seu voluntatis beneplaciti, seu, ut specialiùs loquar, per id quod præcipit Deus, vel prohibet, vel, consulit, vel permittit (ubi tamen de permissione cautè loquendum est, ut postea indicabo) vel operatur; indicat vel signat (ista enim dicuntur voluntates per modum signi) tibi aliquid placere. Differunt igitur Voluntas signi & beneplaciti, sicut signum et signatum: vel sicut revelans et revelatum, manifestum et manifestatum. Hæc diligenter observanda sunt.

540. *Dices:* Sæpe latet beneplacitum divinum: *Resp.* tum etiam signum illius beneplaciti, sive voluntas signi, latet; servatâ eadem proportione. Veluti, convertit

Deus.

Deus Saulum furentem, in medio furore. Hæc est operatio. At operatio Dei est voluntas signi. Eâquè nota est. Ergo etiam voluntas beneplaciti nota est, quod scilicet Deo placeat, conversio Saulis furentis. Cur autem Deus Saulum furentem convertat & non alium? Sicut in ipso beneplacito nobis ignotum est, ita etiam nobis ignotum est in signo, hoc est ipsa operatio Dei, (quæ voluntas signi est, ut dixi) non indicat, cur hoc & non aliud velit Deus.

Deinde: abutuntur eadem distinctione Calviniani, quoniam non solùm generatim dicunt: Id quod in voluntate Dei latet, aliquando convenire, aliquando differre à voluntate signi. (id, quod aliquo modo admitti potest, juxta ea quæ prius dix., *Num.* 513.) sed etiam speciatim ajunt: Deum aliquando in voluntate signi, præ se ferre animum benevolum: In beneplacito autem suo habere animum inimicum. Veluti cùm Deus ait, Venite ad me omnes, *Matth.* 11. Et cum lachrymis etiam conatus congregare Judæos, *Matth.* 23. tùm voluntatem signi quidem esse, quòd homines debeant venire, beneplacitum autem ejus esse, quòd debeant illi homines excæcati, indurati, &c. Vide Bez. *resp.* 2. *ad Colloq. Mompelg. pag.* 137. 174. Quæ res indignissima est, quæ de Deo dicatur: Et ne quidem ferat ipsam appellationem, voluntatis signi. Ex hoc enim dicitur voluntas signi, quia debet significare, quid placeat Deo. Specialem, tamen ejus refutationem Theologis relinquo. Interim notari potest illud Homeri, Il. ad. 1. 541. *Alter abiurdus Calviniscus.*

Ἐχθρὸς γὰρ μοί ἐστιν ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃσι νόῳ, ἄλλο δὲ βάζει.

Hoc est: *Infensus ille mihi est, ut porta inferorum, qui aliud quidem in corde sentit, & aliud ore loquitur*, seu, qui *amica* loquitur, *inimica* sentit.

Hactenus generatim de voluntate signi satis dictum est. Speciatim autem voluntas signi, seu (quod eodem redit) signum voluntatis erat quintuplex. *Præceptum prohibitio, permissio, consilium & operatio.* Igitur quæ voluntas vel beneplacitum Dei sit, signatur, si quid Deus præcipiat, vel prohibeat, vel consulat, vel operetur. Et hoc per se planum est. De permissione autem nonnihil dubii est. De ea igitur seorsim videndum est. 542. *De voluntate signi speciatim.*

An permissio recte dicatur voluntas signi?
Seu signum divinæ voluntatis?

Ratio dubitandi est, quòd permissio est ad peccatum. Peccatum autem non vult Deus, seu non est Deo beneplacitum de peccato. 543.

Scal. *Exerc.* 307. *sect.* 23. *p.* 967. ait: permissionem esse signum remissæ voluntatis, sicut & si quis dissuadeat, cùm possit cogere, id quoque remissi animi nota est.

Durand. 1. *d.* 45. *q.* 3. *n.* 7. ait: permissionem, cùm inter voluntates signi refertur, significare etiam divinam voluntatem erga peccatum, ut rectè animadvertit Valent. *Disp.* 1. *q.* 19. *punct.* 2. 544.

Quam igitur volitionem respectu peccati, signat permissio? *Resp.* Signat volitionem non impediendi, sicut Aug. ait, *in Enchirid. cap.* 69. Nihil sit, quod omnipotens non velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo. Vide Lombard. 1. *d.* 45. *L. Et c.* 100. Ibid. Augustinus inquit, inellabili modo non sit, præter ejus voluntatem, quod etiam sit contra voluntatem, quia non fieret, nisi sineret, nec utique nolens sinit, sed volens, hoc sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens & de malis posset facere bene.

Quanquam Permissio etiam non semper est respectu peccati. Nam & bona permittuntur & pœnæ, in quibus malitia moralis non est. Unde hoc saltem respectu permissio recte dicitur signum beneplaciti divini, ut connumerari possit, aliis voluntatibus signi.

PVNCTVM III.

De divisione voluntatis Dei, in voluntatem antecedentem & consequentem.

545. HÆc distinctio loquitur de beneplaciti voluntate. Hæc enim absolutè est voluntas. Bonavent. *in compend. c.* 30. Vocat voluntatem primam & secundam. Traditur autem illa distinctio à Damasc. *l.* 2. *de orth. fid. c.* 29. ubi & commentatores ejus eam declarant.

Quid sit voluntas antecedens & consequens. Est igitur voluntas *antecedens* & prima, ea, quâ Deus absolutè, hoc est, citra intuitum conditionum vel dispositionum in homine quid vult. Voluntas autem *consequens* est, quâ Deus vult, eas dispositiones attendendo. Sic in parabola Evangelica, antecedente voluntate vult Deus omnes homines convenire ad cœnam suam. Sed, voluntate consequente, aliquos non vult esse convivas, eos nempe qui prætextus emansionis suæ sibi quæsiverunt. Sic etiam, voluntate antecedente Deus vult omnes homines salvos fieri, 1. *Tim.* 2. Sed, voluntate consequente, aliquos solùm vult salvos fieri, non infideles sed fideles solùm. Sicut præceptor, voluntate antecedente, omnibus discipulis vult præmia conferre, voluntate autem consequente, vult punire aliquos.

546. *Calvinistæ* frequenter hanc distinctionem oppugnare solent, & operosè istud instituitur à Perkins, *de prædest. pag.* 80. *& seqq.* Witackero, in peculiari oratione, quæ addita est lib. de Concil. *contra Bellarm. p.* 327. aliisque, à quibus tamen recessit Vorstius, *in Not. ad Disp.* 6. *de Deo p.* 256 Sed illorum argumenta attingunt materias Theologicas, inprimis verò argumentum de Prædestinatione. Hæc igitur Theologis relinquo.

547. Gregor. Valent. *Disput.* 1. *quæst.* 19. *punct.* 2. triplicem ponit sensum illius distinctionis. Sed istos apud ipsum vide. Agitúrque hac de re, frequenter, à Sententiariis, *ad* 1. *d.* 45, 46, 47.

ARTICULUS V.

De virtutibus & affectibus divinæ voluntatis.

VOluntati nostræ attribuuntur aliquæ virtutes & affectus, unde frequenter etiam ista Deo attribui solent, humana ad Deum transumendo.

PVNCTVM I.

De virtutibus voluntatis.

VIrtutes morales (quæ ad voluntatem pertinent) ab Aristotele nominantur undecim, *l.* 3. *Eth.* Súntque, fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, modestia, magnanimitas, mansuetudo, veracitas, Vrbanitas, Affabilitas & justitia quibus annexa est amicitia.

548. Hac in re dico 1. *Non esse in Deo ullam virtutem ad eum modum quo est in nobis*, hoc est, ut sit ejus habitus & qualitas. Nullum enim accidens est in Deo, ut probatum est suprà, *n.* 245 *seqq.*

549. II. *Et proinde non sunt virtutes in Deo secundùm istas imperfectiones quas in nobis habent.* De imperfectione, quæ est ex natura accidentis jam visum est. Sic neque hoc Deo convenit, quòd sint in eo ἀλογοι affectus, qui coërcendi sint per istas virtutes, prout isti aliàs in nobis reperiuntur. Rursus, cùm in nobis *magnificentia* sit per ordinem ad objectum arduum & difficile, in Deo tamen ista difficilis & ardua ratio cessat. Neque enim Deo metuendum est, quòd indigens futurus sit, si liberaliùs eroget bona sua. Idem est in aliis similibus.

550. III. Virtutes, quæ simpliciter imperfectionem involvunt, prorsus removendæ sunt à Deo Tales sunt, quæ involvunt ordinem ad superiorem, veluti sunt *obsequentia, religio, cultus adorationis*, & quæ his similes sunt.

Idem

Idem etiam censet Suarez, *Disp.30.s.15.num.67.de fortitudine & patientia*, quia istæ virtutes inferunt passiones, unde subjicit eas non nisi Metaphoricè posse Deo convenire.

Quæri hic solet, an in eo ordine etiam ponenda sit *Justitia* hoc est, ut ea à Deo prorsus removeatur? Hac in re distinguendum est. Alia nimirum est Justitia distributiva, alia commutativa. Hic igitur Deo convenire justitiam distributivam certum est. Est enim is judex justissimus. Idem etiam de justitia commutativa asserunt aliqui. Huc pertinet vox illa celebris, Monachi cujusdam Argentinensis, Deo in Agone dicentis: *Redde mihi quod debes.* Cui modo loquendi vicinissimus est Gregorius de Valent. *Disp.1.q.21.punct.1.* Disputans, in Deum cadere justitiam commutativam, in contributione vitæ æternæ. *Si*, inquit, *consideretur justitia commutativa secundum illud, quod est in ea æqualitas dati & accepti, sic potest propriè & formaliter esse justitiam commutativam in Deo respectu hominis justi, quatenus mercede vitæ æternæ remunerat eius merita.* 551 *An Deo conveniat justitia & quatenus?*

Rectiùs tamen alii sentiunt: negantes, commutativam justitiam Deo convenire, quod & Aristoteles docet, *l.10.Eth.c.8. Ridiculi*, inquit, *videbuntur Dii, si commutant & deposita reddunt & agunt huiusmodi cætera.* Patet autem manifestè. Nam summatim in justitia commutativa continentur duo. *Unum* est, ut ultro citroque detur & accipiatur intra commutantes seu intra agentes. *Alterum* est, ut in isto contractu vel actu personæ istæ exæquentur, in dato & accepto. Neutrum autem procedit de Deo. Nos enim nihil Deo damus, sed sumus egeni mendici, nec habemus nisi quod ab eo accipiamus in vita naturæ gratiæ & gloriæ. *Quid prodest Deo si justus fueris, aut quid ei conferes, si fuerit immaculata vita tua?* ait Eliphaz. *Job.* 22. Et rursus *Job* 35. *Si iustè egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* quod primò in justitia commutativa requirebatur. Multo verò minus intervenit æqualitas, inter ea; quæ à Deo gratiosè glorificantur, quæq; per justitiam commutativam Deus compenset, & ipsum Dei donum. *Non sunt condignæ passiones huius temporis*, ait Apostolus *ad Rom.8.* Sed hanc rem plenius persequuntur Theologi. 552. *Deum non exercere justitiam commutativam.*

IV. *Quæ ex virtutibus moralibus Deo conveniunt, tribuuntur Deo, quatenus in eo volumus significare perfectionem actuum, quos exercet Deus.* Ita tribuitur Deo veracitas, quatenus ejus sermo verissimus est à fraude, mendacio, hypocrisi, jactantiâ alienus. Tribuitur et liberalitas, quatenus intenditur hoc, quòd Deus in actibus suis, nullam habeat avaritiam, vel prodigalitatem & idem est in aliis. 553.

PUNCTUM II.

De affectibus voluntatis divinæ.

NObis varii conveniunt affectus, veluti spes, amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, dolor, spes, desperatio, audacia, timor, zelus, pœnitentia & similes. Ex his igitur aliqui Deo tribuuntur, aliqui non. 554.

Dico I. *Nulli affectus conveniunt Deo per modum qualitatum.* In Deum enim nullum cadit accidens, ut visum est suprà. *Num.* 245. *seqq.*

II. *Affectus qui non nisi imperfectionem significant, non conveniunt Deo.* Tales sunt, desperatio timor, fuga, & his similes. Hi enim affectus immediatè insinuant perturbationem & impotentiam.

III. *Affectus qui tribuuntur Deo, sunt cum moderatione & secundùm intelligendi.* Sic Aug. *l.cont.adv.leg & Porph.* Non pœnitet, inquit Deum sicut hominem, sicut homo misereatur, irascitur, zelat. *Pœnitentia* Dei non est post errorem. *Ira* Dei non habet perturbati animi dolorem. *Misericordia* non habet compatientis miserum cor. unde in latina lingua nomen accepit. *Zelus* Dei non habet mentis horrorem. *Sed pœnitentia Dei*, dicitur rerum in ejus potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio. *Ira* Dei, vindicta peccati. *Misericordia Dei*, bonitas opitulantis. 555 *Differentia inaffectibus divinis & humanis.*

zelus Dei, providentia, quâ non finit eos, quos subditos habet, impunè amare, quod prohibet. *Sic & l. 1. de Trinit. 16.* Cùm Deus iratus dicitur malis, & placidus bonis, illi mutantur non ipse, sicut lux infirmis oculis aspera est, firmis lenis, ipsorum scilicet mutatione, non suâ. Similia sunt *lib. 22. de Civitat. Dei, cap. 1.* Sic & Tertull. *l. 2. adversus Marcionem* vententia, *inquit*, Dei neque ex providentia, neque ex levitate, neque ex ulla bene aut male operis Dei nominatione reputatur, sicut humana. Neque enim ea ad humanas conditiones referenda est. Anshel. generatim ait *in lib. de expos. nominum & actuum Dei.* Ubicunque Scriptura in Deo motus animæ describit, ut iram, furorem, oblivionem, recordationem, pœnitentiam, & alia his similia; non communiter juxta historiam, à rectè intelligentibus sentenda sunt. Si quis enim Deo humana membra, aut motus animæ, more humano, inesse credit, procul dubio in corde suo idolum fecit. His adde quæ dicta sunt, sub hoc tit. *art. 3. q. 2. ad finem.*

TITULUS XVI.
De potentia Dei.

556. QUia in proximè sequentibus titulis agendum est de actionibus Dei externis priùs videndum est, de potentia Dei, quam isti actus præsupponunt. Sunt autem tractanda quatuor. 1. An in Deo sit potentia & quid sit ea? 2. Qualis sit potentia Dei. 3. Quod sit objectum potentiæ Dei? Et denique de distinctione potentiæ divinæ agendum est.

ARTICULUS I.
An in Deo sit potentia, & quid ea sit?

557 *Deo non convenire potentiam passivam.* HAc in re dico I. *Non convenire Deo potentiam passivam.* Ita patet. Nam Deus vocatur actus purissimus. Igitur caret omni potentia passiva. Hanc enim removet actus puritas, ut suprà visum est, *l. 1. cap. 13. art. 4. distinct. 5.* Et patet porro, quia unumquodque patitur (loquendo de reali & intrinseca passione) cum vel destruitur, vel perficitur. Unde ut oque in casu passio insinuat imperfectionem, ibi, quia conveniret patienti perfectio amissibiliter; Hic qui augmentum perfectionis, in termino à quo, supponit perfectionem minorem. Dixi *de reali & intrinseca passione.* Nam passiones, quæ per extrinsecam denominationem Deo conveniunt, frequenter Deo tribuuntur, quales sunt, cognosci, coli, adorari, blasphemari & his similes.

558 *Deo convenire potentiam activam.* II. Dimissâ igitur potentiâ passivâ, in præsenti sermo est, de potentia activa. Hæc igitur, quod Deo conveniat, inde primùm patet, quod actiones de facto Deo conveniunt, ut sunt creare & conservare. Non ageret autem Deus nisi posset agere. Actio igitur ipsa præsupponit in agente potentiam ad agendum. Et patet porro, quia agere & posse agere est perfectio simpliciter. Neque ex ullo indicio apparet, unde actio imperfectionem significet. At ea, quæ simpliciter sunt perfectionis, à Deo removeri non debent. Sic & Scriptura passim Deo tribuit potentiam, *Psal. 89. 106. Luc. 1 Rom. 9.* & multis locis alibi. Et hæc de prima parte propositi tituli satis sunto. Venio ad partem alteram.

559 *Quid sit divina potentia.* Ut igitur declaretur, *quid sit potentia divina:* Inprimis supponendum est quòd potentia illa realiter idem sit, cum essentia divina, & consequenter, cum attributis cæteris divinis. Ita enim patuit suprà, in communi, de attributis divinis. Unde specialim etiam sequitur: quòd potentia divina realiter idem sit cum intellectu & voluntate Dei.

560 *An simpliciter idem sit, quod in-* Id autem quæritur: An ne quidé per rationem distinguatur potentia Dei ab ejus intellectu & voluntate? Ita enim videtur. Nã potentia Dei à nobis apprehenditur, ut significemus essentiam Dei, cum ordine ad operationes exercendas. At hæc referuntur

runtur ad voluntatem & scientiam Dei. Facit enim Deus res per velle suum. Atq; hoc videtur velle illud, *Psal.* 148. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Dicere autem & mandare sunt actus intellectus & voluntatis. Et distinctiùs Sic Aug. *in meditationibus c.* 29. Cujus *voluntas est omnia, cujus velle esse est. Qui omnia de nihilo creasti, quæ sola tua voluntate fecisti.* Tuetur q; hanc sententiam Valent. *in Thom. d. sp. 1. q. 25. puncto* 1. Potentia Dei, activa, *inquit*, secundùm propriam, & quasi specificam suæ rationem, est ipse Dei intellectus & voluntas. Sic & Cajet. *ibidem.* *tellectus vel voluntas Dei.*

In oppositum tamen rectiùs existimatur: Potentiam Dei ratione distingui ab intellectu & voluntate Dei, prout & Suarez existimat *disp.* 30. *s.* 17. *n.* 38. *et seqq. et inprimis num.* 47 *& seqq.* Patet autem veritas multiplicitèr. Nam 1. ostendunt hoc plerique Theologi & Philosophi, qui sub diversis titulis agunt de Dei voluntate, ac intellectu et potentia. Unde certè significant alium conceptum se habere de istis, et alium de hac. At diversitas conceptuum satis est ad distinctionem rationis. Deinde distinctio rationis inter attributa divina habetur sumptâ occasione vel fundamento ex similibus attributis, quæ sunt in nobis. Ea nempe quæ in nobis distinguuntur realiter, cùm referuntur ad Deum, juxta analogiam ad hæc distinguuntur intellectione nostra. Ad hunc modum, v.g. nos distinguimus misericordiam et justitiam in Deo. At voluntas, scientia, et potentia in nobis distinguuntur realiter. E. in Deo saltem distinguuntur ratione. Sicut aliud est in nobis potentia locomotiva, exequens motum; et aliud appetitus seu voluntas imperans motum, et aliud cognitio, dirigens motum. Et hoc clarè docet Thomas 1. *p. q.* 25. *a.* 1. *ad quartum.* Potentia, *inquit*, non ponitur in Deo, ut aliquid differens à scientia et voluntate secundùm rem; sed solùm secundùm rationem in quantum scilicet importat rationem principii exequentis, id quod voluntas imperat, et id quod scientia dirigit. 561 *Probatur eorum diversitas.*

Et ex his etiam patet summatim: quid sit potentia Dei? Nempe est nihil aliud quàm ipsa essentia Dei, secundùm quod ipsa apprehenditur, ut exequens id, quod cognovit et voluit faciendum esse. 562.

Neque objectiones de identitate potentiæ ad intellectum et voluntatem efficaces sunt. Solâ enim voluntate dicitur Deus agere, excludendo per particulam *solâ*, non potentiam, vel etiam intellectum, sed operosum conatum et laborem. Dictum Psalmi autem refert quidem actiones Dei ad intellectum et voluntatem, sed id non est exclusivè dictum. Et similiter ibi intendit dicere Propheta, quòd actiones Deo sint facillimæ, neque exposcant laboriosum conatum, sed ad nutum et voluntatem et mandatum Dei præstò sunt omnia. 563.

ARTICVLVS II.

Qualis sit Dei potentia?

AD hanc rem duo solent dici à Doctoribus. 1. Dei *potentiam esse infinitam.* De hoc patuit suprà satis, *hoc cap. tit.* 10. *punct.* 1. *in assert.* 4. 564 Dei *potentiam esse omnipotentiam.*

II. Dico: Dei *potentiam esse omnipotentiam.* Ita patet, præsuppositâ vocis significatione. Inprimis omnipotentiam dicimus eam potentiam, quæ potest omnia, atque adeò, quæ extenditur ad omne possibile. Nunc igitur probo Deum omnipotentem esse. Quicquid est possibile, id per denominationem ad aliquam potentiam est possibile, ut suprà patuit *lib.* 1. *c.* 14. Dicitur nempe possibile illud, quod tale est, ut ab aliqua potentia actuari, atque adeò de potentia extrahi possit: At non est ulla potentia, ad quam omnia quæ possibilia sunt, dicantur possibilia. (ut patet de illuminatione cæcorum, resuscitatione mortuorum, et similibus.) Ergo omnia illa dicuntur possibilia per ordinem ad divinam potentiam. Ergo divina potentia est omnipotentia.

Dices: Omnia quidem quæ possibilia sunt, dicuntur talia per ordinem ad potentiam 565 *Objectio!*

tiam agentis, sed id non est necessariò ad potentiam unius agentis, sed id esse divisim ad plura agentia. Ergo nondum inde extrui potest Dei omnipotentia.

566 Solvitur. *Resp.* 1. Dicuntur aliqua possibilia, per ordinem ad potentiam creatam, quia scilicet potentia creata posset ea actuare. Ergo à fortiori hæc dicuntur possibilia Deo. Ita ex duobus patet. Nam *primum* Deus est causa æquivoca rerum creatarum. Ergo in ea eminens perfectio est, ad omnes actus rerum creatarum. Id enim est de ratione causæ æquivocæ. *Deinde*: Deus immediatè etiam concurrit ad producendas actiones & effectus causarum secundarum. Est enim causa universalis. Indèq; præbet universalem influxum ad causas secundas, in actiones & effectus. Ergo in eodem concursu, quod est possibile per ordinem ad potentiam creatam, similiter possibile est respectu Dei ibidem concurrentis. Ergo, summatim, quicquid possibile est ad potentiam creatam, possibile etiam est ad potentiam divinam. Jam præterea sunt aliqua, quæ dicuntur possibilia, non tamen ad potentiam creatam, veluti erant, quæ prius referebantur. Dicentur igitur ista possibilia per ordinem ad potentiam divinam. Ergo, utrumque possibilium genus complectendo, omnia quæ possibilia sunt in universum, dicuntur possibilia per ordinem ad divinam potentiam. Ergo sic iterum divina potentia erit omnipotentia.

567 *Deinde*: si aliquid est possibile, non tamen est possibile divinâ potentiâ (ut ex hoc capite dici non possit omnipotentia) tum potentia divina non erit infinita. At consequens est absurdum, ut priori assertione visum est. Ergo & antecedens. Connexio patet, quia per defectum istius potentiæ haberet ea potentia limites & fines. Et cogitari non potest, quomodo non fiat major, si extendi possit ad illud aliud possibile. At hæc omnia pugnant cum infinitate virtutis.

Objectiones, quæ detrahere videntur omnipotentiæ divinæ, attingunt objectum divinæ potentiæ. De iis igitur commodius agetur sequenti articulo.

ARTICVLVS III.

Quodnam sit objectum divinæ potentiæ?

568. VT hæc res rectiùs explicari possit, prius referam objectiones, quæ aliquis eximunt à potentia Dei, quæque adeò adstruere videntur, quòd non sit omnipotens, hoc est, quòd non possit omnia.

Proponuntur objectiones.

569. Objectiones contra omnipotentiam Dei. NAm I. Deus non potest facere quid infinitum, hoc est, alium Deum. At illa est valdè magna perfectio, facere posse rem sibi similem in specie. Per illius igitur defectum, Deus non erit omnipotens.

II. Deus non potest facere, ut præteritum non sit præteritum. Sic Aug. ait *l. 6. conf. Faust. c. 5.* Quisquis dicit, si omnipotens est Deus, faciat, ut quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt, hoc se dicere, faciat, ut quæ non sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint. Et Hieron. *Epist. ad Eustach.* Audenter loquar, *inquit*, cùm omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam, hoc est, ut lapsa non sit è virginitate, quæ lapsa est.

III. Non potest Deus peccare, mori, destrui, annihilari. Addo & actus positivos. Non potest Deus informare materiam, sustentare formam, atque adeò intrinsecè constituere compositum, crescere, alimentum concoquere, generare, sentire, ambulare, discurrere. E non est omnipotens. Nam hæc omnia sunt possibilia, ergo vel dicendum est, Deum non esse omnipotentem, vel ad omnipotentiam non pertinere, posse omne possibile, quorum posterius absurdum esse, ex ipsa vi vocis patet. Atque ex his exemplis Timplerus *lib. 5. Met. c. 7. q. 19.* dixit non omnia possibilia, cadere sub omnipotentiam Dei.

570. IV. Omnipotentia Dei non extenditur ad impossibilia. Et illa potentia non est infinita potentia absolutè, sed respectu nostri solùm. Ita argumentatur. Vorstius

Disp. 3.

Disp.3.de Deo in Not.p.238. Sin autem potentia Dei infinita non est, tùm ne quidem omnipotentia est.

V. Videri potest, solum in objecto divinæ potentiæ contineri res eas, quæ factæ sunt. Nihil enim potest Deus facere, nisi quod præordinavit & præscivit se facturum. At illud nondum satis est, pro objecto omnipotentiæ. Ergo Deo non convenit omnipotentia, aut potent Deus facere, quæ non fecit. Et hinc etiam sequitur, quòd Deus non possit, nisi quod vult. Utique enim non vult, nisi quæ facit.

VI. Denique: non potest Deus facere res meliores ac nunc sunt. Alias enim non fecisset optimum. Objectum igitur potentiæ divinæ solum sunt res, secundum istam perfectionem, quam nunc habent. At hoc nondum satis est, ad ponendam omnipotentiam. Aut igitur Deus omnipotens non est, aut aliter id objectum constituendum est, ut scilicet etiam Deus possit rem meliorem facere, secus, quàm fieri posse probatum est.

Constituitur objectum divinæ potentiæ atque adeo omnipotentiæ.

OBjectum divinæ potentiæ aliqui dicunt esse omne id, quod est possibile. 571.
Sed quid est esse possibile? Possibile denominatur à potentia, id sumitur vel in ordine ad potentiam creatam, vel in ordine ad potentiam increatam. Si prius dicatur; Poterit Deus facere omne id quod creatura potest. Sed hæc revera est potentia finita. Sic igitur objectum potentiæ divinæ non rectè constituetur, quippe quæ infinita est. Si autem illud possibile dicatur per ordinem ad divinam potentiam, tum revera committitur circulus. Potentiam enim Dei extendi ad omne possibile, est idem, quod eam extendi ad omne, quod potest facere. Et proinde si quis negaret, Deum posse creare aliquid præter mundum, posset nihilominus dicere, Deum esse omnipotentem, quia possit omne possibile, eò quòd nihil, præter hoc universum, ab ejus potentia possibile denominetur, ut rectè infert Suarez, *Disp.30. sect.17. num.10.*

Ad hanc rem igitur tenenda est alia possibilis distinctio, quam tradit Thomas 572. *Possibile quid sit?*
1.p.q.25.a.3 ex Aristotele 5. *Metaph. tex.17.* Aliquando igitur possibile sumitur per denominationem ad aliquam potentiam. Et hæc significatio non est pro hoc instituto, ut visum est. Aliquando autem possibile sumitur absolutè & negativè, citra respectum ad potentiam. Estque tùm possibile ex habitudine terminorum, id, quod non involvit repugnantiam. Atque, dimissâ voce possibilis, objectum divinæ potentiæ solet dici illud, quod non involvit contradictionem seu repugnantiam.

Cæterum illa repugnantia intelligenda est, tum respectu rei factibilis, tum respectu ipsius facientis. Atque ita extra objectum divinæ potentiæ *primum* sunt ea, quæ in se involvunt repugnantiam. Veluti, sic Deus non potest facere hominem irrationalem. Faceret enim hominem & non hominem. *Deinde* extra objectum divinæ potentiæ sunt, quoad modum agendi, ea, quæ cum ex genere suo sint possibilia, implicant tamen imperfectionem, per quam repugnant quo minus à Deo sint. Huc pertinent pleraque quæ in tertio argumento dicta sunt. Deus enim non potest generare, vel concoquere, vel crescere, vel videre, vel audire quia hi actus materiales sunt, & proinde poscunt dependentiam ad materiam. Unde consequenter Deo tribui intrinsecè non possunt, quia ipse est prorsus spiritualis & immaterialis. 573. *Quænam sint extra objectum divinæ potentiæ?*

Dixi: *quoad modum agendi*, hoc est, ut isti actus ipsi Deo conveniant, in eo agendi modo, quo sunt à causis secundis. Nam alias isti actus præcisè sumpti sunt in sphæra possibilium, & habent ordinem ad divinam potentiam, in quantum Deus per universalem suum influxum, cum causis secundis concurrit, ad 574.

ipsa

istas naturales & materiales motus. Deus, inquam, non generat quidem, vel concoquit cibum vel ambulat. Nihilominus efficit generationem, vel concoctionem vel ambulationem. Et proinde, quia Dei istos actus efficit, utique ad eas etiam efficiendas potentiam habet, ut simpliciter Deo isti actus sint possibiles. Atque hoc diligenter observandum est, ne, per exempla istorum actuum, rebus creatis possibilium, detrahamus aliquid de divina omnipotentia, quod Tamerus facit. Sed hac de re etiam postea erit, ad objectionem tertiam.

575. *Unde sumatur repugnantia ut posse esse?*

Soto ait: illam repugnantiam, cujus defectus requiritur ad objectum potentiæ divinæ, sumendam esse per ordinem ad naturale lumen intellectus. Vide ipsum 3. *Phys.* q. 4. Hoc, inquam, dicit, quod divina potentia non extendatur ad id, quod tale est, ut quàm primum reluceat intellectui, si illi proponatur. Sed hac in re justissimè deseritur Soto ab omnibus aliis, qui repugnantiam illam non sumunt ex parte intellectus, sed ex parte rei. Et patet veritas. Nam si illa omnia dicerentur esse Deo impossibilia, quæ non à parte rei repugnantiam involvunt, sed solum repugnant lumini intellectus nostri, tum multa essent impossibilia, quæ de facto novimus esse in mundo, per miraculosas Dei actiones & in mysteriis. Vide Valent. *Disp.* 1. q. 25. *punct.* 5. Suarez. *disp.* 30. *s.* 17. *n.* 11. 12.

576. Summatim igitur quicquid non involvit repugnantiam, id tale est, ut per Dei potentiam possit accipere illam essentiam, quæ ei non repugnat: Atque sic est Deo possibile. Ita docet Thom. 1. q. 25. *a.* 3. & 4. & *l.* 2. *cont. Gent.* c. 25. & Lombardus 1. *d.* 42. ubi videantur utriusque Interpretes.

577. *Difficultas in inveniendâ repugnantiâ.*

Est autem hic tandem diligenter observandum: quod etsi divinâ potentiâ fieri non possit, quod repugnantiam involvit; tamen in particulari non sit facilè semper invenire illam repugnantiam. Et proinde, si maximè quandoque intellectus noster putet esse in terminis contradictionem, cavenda tamen diligenter est temeritas, ne præcipitanter dicamus: *Deum hoc vel illud non posse.* Nam disertè Scriptura elevat potentiam Dei ultra nostrum intellectum. *Potest Deus abundantius facere, quàm intelligimus*, ait Apostolus *Eph.* 3.

Calvinismi taxatur.

Unde per se clarum est facilius & gravius peccari in defectu, quam in excessu. Ibi enim detrahitur potentiæ Dei: Hic autem detrahitur intellectui nostro solum, qui videri non possit repugnantiam in terminis, quam Deus videt. Proinde maximè temerariæ sunt voces Calvinianorum: *Deus omni suâ potentiâ facere non potest, ut unum corpus sit in pluribus locis.* Posito, sed non concesso, quod ostendi non possit, quod hæc repugnantiam non habeant, mirum certè est, cur non (antequam tam audacter metiantur divinam potentiam) cogitetur ab istis, quod Deus facere possit aliqua, quæ nos non intelligimus, cum facere posse, ut jam ex *Eph.* 3. dictum est. Sic & 1 *Cor.* 1. dicitur: Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, ubi glossa ex Ambrosio in h. l. ait: *Sapientiam hujus mundi fecit Deus stultitiam, ostendendo possibile esse, quod ille impossibile judicabat.*

Ergo pro vitanda istâ temeritate, ob istâ, quæ sunt dicta, cum quæritur: *An Deus hoc vel illud possit*, libentius aio, quàm nego, &, si pure affirmare non possim, libentius suspendo negationem, quàm ut temerè negem, subitoque semper cogitatio: fortasse hoc aut illud esse ex istis reservatis, quæ è possibilium numero quidem sunt, superant tamen intellectum nostrum, quo minus pœcinus ea possibilia esse.

Solvuntur objectiones & quæstiones discutiuntur.

578. In *prima objectione* quæritur:

An Deus possit facere infinitum, atque adeo alium Deum?

REspondeo id involvere repugnantiam clarissime. Non igitur continetur in genere possibilium. Ita patet. Nam per Deum omnes intelligimus primum Ens,

Ens,& independens. Quod autem est factum, id non est primum Ens independens, sed est participatum & dependens. Et proinde Deus factus, est Deus, non Deus: Quo sensu in symb. Nicæno etiam dicitur Filium à Patre *genitum non factum* esse,quia scilicet esse factum repugnat Deitati.

Facere autem rem sibi similem, est perfectionis, in rebus creatis, Deo autem id tribui non potest,propter eminentiam essentiæ & infinitatem,quæ in Deo postulant unitatem numeralem,ut suprà patuit, disputando de unitate Dei.

In *secunda objectione* quæritur.

An possit Deus facere, ut præteritum non sit præteritum?

577. AFfirmant id Greg. Ariminen 1.d.44. & Altisiodorensis l.1. *summ c.12. de potentia Dei,q.6.* Alii tamen communiter negant,cum August.& Hieron.quorum sententias antea allegavi. Consentit eis Thom.2.*cont.Gent.c.25.& 1.p.q.25. a.4.& 2.2.q 152. a.3.*

Et omninò ea in re est clarè repugnantia: Fuisse & non fuisse. Proinde, quia Dei potentia non extenditur ad ea, quæ repugnantiam involvunt, absolutè dicendum est,impossibile esse,ut factum sit infectum. *Negatur quæstio.*

578. Est tamen hac in re notanda distinctio, per quam etiam conciliari possunt jam relatæ discrepantes opiniones. Possumus autem de re præterita loqui in sensu composito vel in sensu diviso: *in sensu composito* loquimur de re præterita, cùm simpliciter dicimus, eam factam esse, seu in tempore præterito extitisse. In *sensu* autem diviso loquimur de præteritis, cùm solùm & præcisè est sermo de re præterita, veluti Adamo, vel Davide, non addendo circumstantiam temporis. *Distinctio quæstionis.*

Atque hic in sensu composito, (de quo etiam,nisi quid addatur, absolutè supponit termo de præterito) Deus non potest facere,ut quod factum est,sit infectum, ut antea probatum est. In sensu autem diviso,secus est. Loquendo enim de re quæ fuit in tempore præterito, utique talis est, ut Deus,qui liberrimum agens est, potuerit ei conferre essentiam,in tempore præterito,& potuerit non conferre essentiam. Ergo, hoc sensu, etiam Adam potuit non fuisse.

581. Idémque judicandum est de præsentibus. Nam præsentia etiam habent hypotheticam necessitatem. Unde, in sensu composito, ad ea non est potentia divina, ut faciat rem quæ est,non esse. In sensu tamen diviso secus est,ut de præteritis dictum est. Vide Valentiam, *Disp.1.q.25.punct 3.n.2.* *An quid est.possit non esse?*

In *tertia objectione* quæritur: 582.

An potentia Dei extendatur ad peccandum,moriendum,aliósque naturales actus?

HAc in re distinctè respondendum est. Igitur I. dico: *Deum non posse peccare: h. e. potentia Dei non extenditur ad peccandum.* Ita patet. Nam peccatum formaliter loquendo, est positum in defectu. Potentia autem, ut de ea Metaphysici in rigore loquuntur,non est ad defectus(ad quos est impotentia) sed ad actus, qui utique aliquid positivum & bonum sunt. Eleganter hanc ad rem ait *Aug. l. 15.de Trin.c.15. Magna Dei potentia est,non posse mentiri. Sunt enim quædam, quæ in aliis rebus potentiæ deputandæ sunt, in aliis verò minimè. Non ergo ideo Deus minùs potens est, quia peccare non potest, cùm omnipotens nullatenus esse possit, qui hoc potest.* Et lib.1.de symbolo ad Catechumenos,c.1. *Non ideo omnipotentiæ Dei in aliquo detrahitur vel derogatur, si peccare non posse dicatur, quia non esset hoc potentiæ sed infirmitatis. Si enim hoc posset,omnipotens non esset. Non ergo impotentiæ,sed potentiæ imputandum est,quod non potest peccare.* *Deum non posse peccare.*

II. *Dei potentia non est ad moriendum,vel destrui & annihilari.* Ita patet,quia quia hi actus sunt actus potentiæ passivæ.Potentia autem passiva non est in Deo & omnipotentia, ut suprà constitutum est, puriſſimè significat potentiam activam, 583. *Deum non posse mo-*

Isti igitur actus sicut & ipsa potentia passiva, manifeste insinuant imperfectionem, A Deo itaque alienissimi sunt. Hæc iterum eleganter expressit *Augustin.* lib. 1. de symb. ad catechum. c. 1. *Deus omnipotens*, inquit, *non potest mori, non potest falli, non potest mori vel vinci. Hæc utique, & hujusmodi, absit ut possit omnipotens. Si enim hujusmodi passionibus & defectibus subjici posset, omnipotens minimè foret. Et ideo monstratur omnipotens, quia hæc ei propinquare non valent. Potest tamen hæc in alios operari.*

584. *Dei potentia quatenus sit ad naturales actus?*

III. *Dei potentia non est ad actus naturales, ut eos in se exerceat: Non sunt tamen illi exempti à divina potentia.* Utrumque prius patuit, *num.* 573. constituendo objectum divinæ potentiæ: Et nunc iterum manifestum est. Nam quòd Deus non possit istos actus *in se* exercere, vel eos *sibi* connaturales habere, id inde est, quia omnes l. 2. imperfectionem insinuant. Plerique enim sunt actus materiales, & postulant, ut fiant in materia, Indèque non sunt connaturales nisi rebus corporeis. Deus autem spiritus est. Discurrere autem, etsi sit actio immaterialis, tamen aliunde habet imperfectionem, ut Deo convenire non possit. Nempe implicat multitudinem intellectionum, ac processum notitiæ à noto ad ignotum prout suprà visum est *hoc cap. tit. 14. art. 3. punct. 6.*

585. Quod tamen isti actus non sint excepti à Dei potentia, inde manifestum est, quod Deus ad istos actus concurrit effective, seu per modum causæ universalis. Non dicendus autem est efficere Deus, nisi quod possit efficere. Sic & Lomb. *1. d. 42. B.* *Quomodo* inquit, *omnia posse, dicitur Deus, cum nos quædam possimus, quæ ipse non potest? Non potest enim ambulare, loqui, & hujusmodi, &c. Quibus id respondendum arbitror: quod hujusmodi actiones ambulatio scilicet & locutio & hujusmodi à Dei potentia aliena non sint, sed ad ipsam pertineant. Licet enim hujusmodi actiones in se Deus habere non possit, eas tamen in creaturis potest operari. Facit enim ut homo ambulet, & loquatur, & hujusmodi.* Non igitur per istas actiones divinæ potentiæ detrahitur aliquid, quia & hæc facere potest omnipotens.

586. *Quatenus sub Dei potentia continetur, sustentare formam, vel informare materiam?*

Atque hæc etiam dici possunt, de actu informandi materiam (qui formæ convenit) & actu sustentandi formam (qui materiæ convenit) atque adeò de actu constituendi compositum, qui convenit utrique. Nam *principio* quidem isti actus à præsenti negotio alieni sunt. Nam potentiam divinam apprehendimus ut potentiam activam vel effectivam, hoc est, talem, quæ debeatur causæ efficienti: Isti autem actus non sunt effectivi, sed formales & materiales, hoc est, è genere aliarum causarum. *Deinde* admitti potest, quòd Deus istos actus non præstet per se. Actus enim isti postulant fieri à forma & materia, hoc est, ab Entibus incompletis, partialibus & perfectibilibus, unde manifestam imperfectionem involvunt. Proindeque quia Deus non potest esse Ens incompletum & partiale, & proinde nec materia vel forma: hinc etiam ipse non potest aliam rem informare: aut materialiter constituere. Egi hac de re suprà plenius hoc cap, *tit. 7. art. 2. punct. 7.* Nihilominus *Tertio* Respondeo: Istos actus non esse prorsus exceptos à divina potentia. Nam Deus ad eos concurrit efficienter, quatenus formam & materiam in esse suo sustentat, & eas per influxum effectivum juvat, atque hinc extrinsecè & efficienter (quod istæ causæ intrinsecè faciunt) compositum constituit & componit, quod quidem nobilius est, quàm si per intrinsecam unionem convenirent ad rerum structuram.

587. *Quarta objectio* inquirit:

An Dei potentia extendatur ad impossibilia?

NEgandum id est. Et patet ex terminis. Dei enim potentia extenditur ad id quod per eam actuari potest. Potentia enim ad actum dicitur relative. Ac quod impossibile est, non potest actuari. Ex hoc enim dicitur impossibile, quia ei repugnat omninò omnis actualitas.

Neque exinde potentia Dei finita est, ut inquit Vorstius. Nam uniuscujusque agentis

agentis potentia æstimatur ex proprio objecto. Proprium autem objectum divinæ potentiæ id est, quod repugnantiam non involvit. Sed hæc de re dictum est suprà. Tenendúmque est summatim, quòd cùm Deus dicatur esse omnipotens & proinde possit omnia: quòd particula illa *omnia* non distribuat, nisi in Entia, sub quibus impossibilia non continentur. 588

Quinta objectio de duobus inquirit: primò,

An Deus possit aliquid quod non facit?

HAc in re negativa sententia fuit Wiclephi, ut vulgò referri solet, ex Waldens. *l. 1. de doctr. fid. c. 10.* Eandémque sententiam habuit alias, Bernh. *Epist.* 190. Et Calvino, Gregor. de Valent. *disp. 1. q. 25. punct. 3.*

Nihilominus certum est: posse Deum facere, quæ tamen non facit, indéque ejus potentiam non esse restrictam ad res factas, aut deinceps faciendas. Ita docet Scriptura *Matth. 26. An putas*, inquit Christus, *quia non possum rogare patrem, ut exhibeat mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum.* Hic Filius poterat rogare & non rogavit, & Pater poterat mittere Angelos, & non misit. Ex factis igitur non habet limites divina potentia. Eodémque de exemplo, eleganter ait August. *l. 1. de Symb. & lib. cap. 1.* Omnipotentis voluntas multa potest facere, quæ non vult, nec fecit. Potuit enim facere, ut Angelorum Legiones duodecim pugnarent contra illos, qui Christum cœperunt. Vide & eundem, *in Enchirid. c. 95. & lib. de nat. & grat. c. 7.* 589. *Posse Deum facere, quæ non fecit.*

Et patet veritas illa, etiam per rationem. Igitur si Deus non posset facere, nisi quæ facit, tolleretur infinitas potentiæ divinæ, & ejusdem libertas, quorum utrumque absurdum est, per ea, quæ de utroque attributo dicta sunt in prioribus. Consequentia autem propositionis manifesta est. Quia omnia, quæ facit Deus, finita sunt omni modo. Si ergo ad ea solùm extenditur divina potentia, tum ea absolutè finita est. Libertas autem Dei tollitur juxta eandem sententiam, quia definitione agentis liberi est, posse agere & non agere. Ergo etiam, quod non agit agens liberum, agere tamen potest; quodque de facto hoc vel illud non facit; non est ex defectu potestatis, sed ex defectu voluntatis, quæ ad hoc vel illud agendum determinatè in agente libero prærequiritur. 590.

Objicitur, prout & suprà relatum est: id solùm potest Deus facere, quod ab æterno præscivit & decrevit se facturum. Sed illa solùm, quæ aliquando facit, præscivit & decrevit Deus se facturum, ut ostendit immutabilitas voluntatis divinæ. Ergo illa solùm & non aliud potest facere Deus. 591. *Objectio.*

Resp. Negando propositionem. Nam quòd possit Deus facere, quæ nunquam præordinavit facienda, patuit ex dictis. Sed tamen respondeo: Propositionem ambiguam esse, propter verbum *potest*. Hoc enim verbum aliquando significat potentiam, ut præcisam ab actu. Quomodo dicimus hominem posse loqui v.g. cùm tamen non loquitur, imò nec, ob impedimentum aliquod, actualem locutionem habiturus est. Potest itaque loqui hoc sensu qui potentiam habet distinctam ad actum loquendi. Aliquando verò verbum *potest* connotat actum potentiæ. Veluti sic etiam dicimus hominem posse loqui, qui actu loquitur: & posse disputare, qui actu disputat. Vide Arist. *in fine l. de Interp.* Themist. *l. 2. de anim. t. 8.* Zabarell. *in 2. de anim. ad t. 6. fol. 123. col. 1. de primus. c. 9. & lib. 1. de mir. grav. & lev. c. 11.* 592. *Solvitur. Vocula* potest *est ambigua.*

Proinde si τὸ *posse* sumamus primo modo, utique in Deo potentia est ad ea, quæ non ordinavit se facturum. Si autem τὸ *posse* sumatur ex posteriori modo loquendi, verum est id non posse Deum, quod non prævidit se facturum. Hoc enim posse loquitur de exercitio vel executione potentiæ. Potentiam autem suam non exequitur Deus, nisi incognito objecto. Aliam responsionem Thomas habet 4. p. q. 2. a. 5. *ad primum*, ubi vide. Et adde alia, ex Lombard. *1. d. 43.* & Sententiarios *ibidem.* 593

594 Altera quæstio, quæ in ista *quinta objectione* tangitur, est.

An Deus solùm possit facere quæ vult.

595 ITa videri potest, quòd sentiat Augustinus. Sic enim ait, *in lib. de spirit. & liber.* *Omnipotens, ait, est Deus, non quòd possit omnia facere, sed quia quicquid vult, potest efficere, ita ut ipsius voluntati nihil possit resistere.* Sic & in Enchirid. c. 96. *Non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam, quicquid vult, potest efficere, nec voluntate cujusquam creaturæ, voluntatis spiritualis impeditur effectus.* Ad eundem modum & Chrysom. ait, *in Hom. de Symbol.* Ipse est omnipotens, quia totum quod vult potest.

Posse Deum, quæ non vult.

Nihilominus, in oppositum dicendum: potentiam divinam non definiri per ejus volitionem, quódque adeò possit Deus multa, quæ non vult. Et apparet ex prioribus. Nam si facere Dei non terminat ejus essentiam. Ergo nec velle Dei: quia non facit Deus nisi volitum. Et confirmatur, quòd voluntas Dei non terminatur nisi ad actuale esse rerum, ut suprà habitum est, distinguendo voluntatem ab intellectu. At potentia Dei non dat esse actuale omnibus possibilibus, hoc ipso, quia Deus multa potest & non facit. Ergo voluntas & potentia Dei non sunt æqualiter coextensa ad obiecta.

596 Ad testimonia ex *Patribus* n. 594. objecta. *Resp.* 1. August. sub *omnibus*, ad quæ Dei omnipotentiam declarat, comprehendere etiam mala. Et in hac generalitate, Dei omnipotentia non consistit in eo, quòd possit omnia promiscuè, sed quòd possit ea, quæ voluntati suæ sunt consentanea. Postea, cùm idem Augustinus & Chrysost. declarant Dei omnipotentiam, per ejus voluntatem, loquuntur de ea inadæquatè & intendunt à Deo removere eam nostram imperfectionem, quòd nos multa volumus quæ tamen non possumus. Sicut milites volunt vincere hostes suos, quos tamen perfectè non possunt vincere. Hæc igitur est perfectio divinæ potentiæ, adeóque indicium omnipotentiæ, quòd Deus in posse suo non est ita diminutus quo minus possit illa omnia quæ vult. Confer Lombard. 1. *d.* 42. *G.*

597 *In sexta objectione* attingitur illa frequenter disputata quæstio.

An Deus possit melius facere quod fecit, ac quomodo fecit?

ODiosa est hæc quæstio, inquit de ea Scal. *Exerc.* 249 *f.* 3. novo huic vulgo, qui in superficie atque supinitate, quam ipsi simplicitatem vocant, intellectionem contemplationis nostræ posuerunt. Itaque curiosos nos vocant & Scholasticos tum ipsi hoc, quod bene dicunt, amant se nescire, quare aut quomodo dicant. Asinis similes sunt, qui triticum ad molas ferunt: Recti tamen officii sui ignorant finem, &c. Igitur negat *d. Exerc.* 249 *fell.* 5. ut & *l.* 1 *de Plant. p.* 141. Scaliger, quòd possit Deus facere quid melius. Idemq; tenuit Durandus 1 *d.* 44. *q.* 2. 3. & Aureol. *ibidem.* Oppositum tamen hujus opinionis plurimi alii tenent. Vide Lombardum 1. *d.* 44. Thom. 1. 4. 25. *a.* 6. & utrobique eorum Interpp. Et adde Suarez *disp.* 30. *f.* 20. *num.* 10.

598 *Potest Deus aliquid melius, non melius.*

Expediam rem hanc per distinctiones. *Primò.* Vox illa *Melius* in hac quæstione sumi potest bifariam. 1. ut notet modum ex parte facientis, quod est si adverbialiter sumatur. 2. ut notet ipsum objectum vel rem meliorem.

Proinde, quia modus agendi, qui Deo tribuitur, necessariò est optimus & perfectissimus, hactenus non potest Deus facere, quid melius. Melius enim dicit excessum supra minus bonum. Ergo actiones Dei priores minus bene vel bonæ essent, si aliud diceretur melius ab eo fieri. Et juxta hæc ait Scal. *Exercitat.* 249 *fell.* 3. *In unaquaque actione unum tantùm rectum est, idque à recto, hoc est, summo recto, Deo ipso constitutum. Quare, quodcunq; præter illud rectum est, non est Dei,*

sed

sed non Dei, propterea quòd minus benefacere expessit privationem summi boni & summæ potestatis. Dimisso igitur hoc sensu, dico: posse Deum melius aliquod, hoc est, rem meliorem facere, quod in sequentibus plenius dicetur & probabitur.

Secundò: Loquendo igitur de melioritate ex parte objecti, possumus eam bifariam intelligere, vel sistendo intra rem eandem, vel comparando ad aliam: Et intra rem eandem sistendo, potest intelligi vel melioritas ejus in essentialibus, vel in accidentalibus. 599

Quibus præmissis ad hæc dico primùm: *Non potest Deus facere rem unamquamque meliorem in essentialibus* Essentia enim posita est in indivisibili. Melioratio igitur in essentia cujuscunque, non esset nisi per rationem essentiæ essentialiter nobilioris prioris; qualis esset, si lapis v. g. acciperet essentiam intellegentem. Illa autem revera non est melioratio, sed distinctio essentiæ. Proinde, non potest Deus, rem ita manentem, meliorare in essentialibus. Et quoad hanc partem, rectè loquitur Scalig. *de Plant. lib.* 1 *p.* 142. Classes, inquit, & gradus, constituit (Deus) & attribuit suum cuique. Quòd verò præter hæc est monstrum est. Quid enim esset arbor, si loqueretur? Haud profectò esset perfectione. Est enim id præter illius genus. Non est autem id quod esset. Itaque actio, tametsi perfectionem arguit animalis, lapidi tamen nulla est perfectio. *Hactenus.* *Res non potest meliorari in essentialibus.*

Deinde: *Potest Deus rem unamquamque facere meliorem in accidentalibus.* Veluti, hominem potuisset Deus creare vel facere in justitia confirmatum; potuisset etiam perspicaciorem dare intellectum, & potuisset ei dare acutiorem visum, vel majorem sagacitatem, melius ingenium vel judicium. In his omnibus enim nulla est repugnantia. Nec aliunde apparet indicium ullum, cur ista potestas Deo non conveniat. Atque hactenus locutus sum de re meliori, quam Deus producere possit, sistendo intra eam, quam produxit. Nunc loquor de comparatione rei productæ ad aliam et diversam. 600. *Res potest meliorari in accidentalibus.*

Igitur tertiò dico: *Potest Deus res alias facere meliores his, quas fecit in essentialibus & in accidentalibus.* Nam 1. Cùm Deus fecerit species plures sub genere plantarum, et specialiùs, sub genere herbarum vel arborum; species etiam plurimas sub genere bestiarum, et specialiùs sub genere avium vel piscium, v. g. cur non possit etiam species multiplicare sub genere naturæ intellectualis, ubi nunc de facto duæ solùm dantur, Angeli scilicet et homines, supponendo, quòd Angeli non specie sed numero differunt. 601

Deinde: si Deus non potest producere plures et meliores res, tum illud non posse, vel est propter repugnantiam, quæ sit à parte rerum, vel est propter defectum potentiæ. Alterutrum enim horum dicendum est impossibile, si quid sit impossibile. At primum non est. Nam singulæ res, quæ jam sunt in mundo, sunt finitæ. At finitum est extra quod semper est aliud accipere, ut Aristot. definit. Ergo quod est finitum, in perfectione et essendi modo, extra illud potest accipi aliud melius in perfectione et modo essendi. Ergo à parte rerum productarum, non est repugnantia, cur extra eas non possint meliores res produci. Oportet igitur, ut illa repugnantia sit ex defectu potentiæ. At defectus potentiæ, significat utique impotentiam et tollit omnipotentiam.

Potissima *objectio* contra hanc assertionem est, quòd eâ positâ, detur processus in infinitum. Nam qualibet creaturâ meliori data semper poterit melior dari, quia et ista sit finita. Extra finitum autem semper sit accipere aliud. Iste autem processus in infinitum videtur esse absurdus. 602. *Objectio.*

Sed *Respondeo*: hac in re, processum in infinitum, non esse absurdum. Nam in hoc consistit etiam infinitas potentiæ divinæ, quòd illa non habet fines, ultra quos progredi non possit. Si quæ istos haberet, jam non infinita esset, sed finita. Et, in ea cùm finitus non sit processus: relinquitur, quòd in ea esse possit processus in infinitum. Loquor de illa infinitate, quæ non sit in esse ullius, quòd ultimò *In executione potentiæ*

tia Dei, est processus in infinitum.

sit producibile, quasi Deus tandem producere posset rem infinitam (hoc enim repugnat, ut in prima objectione visum est) sed quod, in numero producibilium, non sit aliquid ultimum, ultra quod non possit Deus producere aliud quod melius quidem sit priori, sed tamen è sphæra Entium sit totum. Adeò nempe inexhaustam dicimus infinitam Dei potentiam, ut qualibet re productâ possit aliam ea meliorem producere. Et patet in simili, de processu in multitudine et magnitudine. Nullus enim numerus dari potest, quo Deus non possit majorem dare, nullum corpus datur, quo Deus non possit facere majus. Vide etiam Suarez *disp.* 30. *Met. sect.* 17. *num.* 20. et prolixius Valentiam, *disp.* 1. *qu.* 25. *punct.* 3.

ARTICVLVS IV.

De distinctione potentiæ divinæ.

603. *Una Dei potentia.*

INprimis hic certum est: Potentiam Dei à parte rei unam esse. Est enim realiter eadem cum clementia divina. Hæc autem una est. Distinctio igitur potentiæ illius, est solùm juxta inadæquatos conceptus. In quibus fundatur distinctio rationis.

Distinctio potentiæ Dei per ordinem ad actus.

Igitur *primo* distinguitur potentia Dei, per ordinem ad actus. Atque sic, quia actus potentiæ divinæ est creare, res creatas conservare, et cum eisdem concurrere, ad exercendos actus: idcirco hinc potentia divina dicitur creativa, conservativa, et quæ sunt nomina alia.

De distinctione potentiæ divinæ in absolutam & ordinatam.

604. SEcundò: distinguitur potentia divina in absolutam et ordinatam. Ad quem modum et alterius liberi agentis potentia solet absoluta dici vel ordinata. Nam et in his invenitur ratio absolutæ et ordinatæ potentiæ, ut Scotus docet, 1. *d.* 44. *q. unic.* Veluti, ut ipse inquit, si Legislator vel imperator agat secundùm leges à se positas, agit secundùm potentiam ordinatam. Si autem agat ex reservatis, aut ex jure majestatis suæ, vel etiam de facto, supra vel præter vel contra leges, agit secundùm potentiam absolutam.

605. *Ordinata potestas quæ?*

Proinde *ordinata* vocatur Dei *potestas*, quam exercet, agendo conformiter ordini & legibus, à se statutis, veluti, cùm conservat hominem, sed assumentem alimentum: cùm hominem convertit, sed utentem mediis, à se destinatis ad conversionem, veluti si verbum suum audiat. Sic & Scotus, ubi supra: *Potentia ordinata dicitur*, inquit, *in quantum est, principium exequendi alia, conformiter legi recta, secundum ordinem præfixum ab illa lege.*

606. *Absoluta potentia quæ?*

Absoluta autem potentia dicitur, (quæque simpliciter est omnipotentia) quæ absolutè & simpliciter respicit omne, non includens contradictionem. Unde Voluntas divina dicitur agere secundùm potentiam absolutam, quando, non habitâ ratione ordinis, quem Deus constituit in mundo, facit simpliciter, quod non involvit contradictionem, veluti ea quæ sunt contra aut supra naturam. Ut, cùm hominem sustentat sine cibo & potu per dies quadraginta vel amplius, cùm hominem, in medio furore adversus ipsum, atque in medio contemptu & proculcatione meritorum salutis, prosternit & convertit, & quæ sunt his similia, quæ crebrò facit Deus, in ostensionem absolutæ suæ potestatis.

607. *Unde dicatur absoluta & ordinata potestas.*

Atque ex his apparet 1. Ratio appellationis, de utraque potentia. Illa enim dicitur ordinata, quia continet executionem potentiæ divinæ secundùm ordinem à Deo, in mundo, institutum. Hæc autem vocatur *absoluta*, absoluta inquam ab ordine. ita enim evincit oppositio, vel potius distinctio contra potentiam ordinatam. Sed à quo ordine: Respondeo ab ordine, qui in mundo cernitur. Nam

alias

aliàs nullus actus divinus est inordinatus sive ἄτακτος. Ad istum igitur ordinem, qui de facto est in mundo, quæ divina potentia adstricta non est, vocatur absoluta. *Neque enim* (ut ad hanc distinctionem *Scalig.* ait *Exercit.* 365. *sect.* 8.) *ordine distinguitur aut disponitur ejus potentia, sed ipse ordinis Auctor est, cujus gratiis necessitas omnis ab eo pendet. Ipse namque rebus ordinem præfixit, per sapientiam & bonitatem.*

608. *Quomodo comparetur ad invisibilem?*

2. Ex his apparet: & ordinatam & absolutam Dei potentiam non significare duas potentias, sed istam hujus quasi partem esse: vel etiam, significari per eam distinctionem solùm duplicem agendi modum. Patet ita. Nam absolutæ potentiæ objectum est omne possibile, seu omne, quod pugnantiam non involvit. At talia sunt omnia illa, quæ juxta ordinem & legem naturæ fiunt. Ergo hæc etiam sub objecto absolutæ potestatis continentur, ut ad hæc etiam ipsa Dei potentia absoluta extendatur. Nisi forte præcisè sumere velimus absolutam Dei potentiam, in ordine ad actus, solùm supra aut contra Naturales. Sed prior modus loquendi usitatior est, ut potentia absoluta æstimetur simpliciter ad omne possibile. Atque hinc & *Scalig.* ait, *Exercitat.* 365 *sect.* 8. Mortales duplicem Deo potentiam tribuerunt, alteram quam vocant ordinariam, alteram quam vocant absolutam (vide & eundem, *Exercit.* 244 *s.* 3.) Una tamen in ipso est. *Namque ordinaria est absolutæ pars*, &c. Sic & Lychet. 1. *d.* 44. *q. unic.* Potentia, inquit, absoluta & ordinata in Deo non sunt duæ potentiæ, distinctæ ex natura rei vel formaliter. Imò propriè cùm dicitur potentia vel absoluta vel ordinata, non dicitur aliqua potentia, sed magis quidam modus agendi, absolutè scilicet vel ordinatè. *Hæc ille.* Et haccenus fuit De Attributis Divinis &; internis actibus sequitur, ut deinceps agamus De externis Dei actionibus quas vocant.

TITULUS S. XVII.
De Creatione.

609. *Actus externi qui?*

SUmma capita Doctrinæ de Deo in initio hujus commentarii, constituta sunt quatuor, è quibus ultimum erat de actionibus Dei externis. De istis igitur ad concludendam hanc de Deo tractationem, tandem agendum est. Dicunturque illi actus externi, per quos Deus aliquid operatur extra se. Solet autem de tribus potissimum à Philosophis disputari, nempè de *creatione, conservatione & concursu Dei*, quem præbet causis secundis ad operationes earum.

Distinctio creationis, conservationis & concursus Dei.

Agam autem de iis hoc ordine, quo eos recensui. Fundatúrque iste ordo in natura ipsa. Nam oportet, ut res prius accipiat esse, antequam ejus esse continuationem habeat. Et utrumque necessarium est, antequam res operetur. Atque ex his etiam aliquod istorum actuum discrimen apparet, quòd optimè sumitur, ex triplici, quam res creatæ habent, imperfectione vel indigentia.

610.

Igitur 1. res creatæ non sunt Entia purè actualia, sed possunt esse sub esse possibili, ad hanc igitur actualitatem, quam habent, extrahuntur primùm de potentia, vel esse potestativo, *per creationem*, quæ reducit eas à non esse ad esse. Secundò res creatæ essentialiter includunt dependentiam ad Deum, tanquam primum Ens, per cujus continuum influxum retinent esse, quod acceperunt, esse, inquam, illud, quòd amitterent illicò, ni sic aliunde sustentarentur. Huic igitur indigentiæ rerum creatarum subvenit Deus, eâ operatione, quæ dicitur *conservatio*. Tandem etiam res creatæ sunt sicut in essendo, ita in operando aliunde dependentes, neque possunt per se sufficere, ad suos actus. Postulant igitur aliunde sufficientiam ad actus suos. Atque hinc indigentiæ medetur Deus *per concursum suum*, qui proximè destinatur, ad juvanda Entia in ordine ad actus quos exercent.

611.

Est igitur de creatione primùm dicendum, idque sub his articulis. *Primò* agendum est de voce creationis. *Deinde* de definitione & quidditate creationis. *Tertiò* cujus

cujus sit creare? & *Quarto* cujus sit creari? Et *Denique*: An demonstrari possit, aliquid creatum esse?

ARTICULUS I.

De voce creationis.

612. *Unde dicitur creatio?*

ETymologia vocis hujus *creatio*, juxta Festum, est hæc, ut creare sit quasi *cernere*. Quando enim aliquid creatum est, tunc tandem cernitur. Vide Chemn. *part. 1. loc. Theologicorum*, p. 278.

613. *Vox creationis tripliciter sumitur.*

Quoad vocis ambiguitatem sciendum est, vocem creandi imprimis bifariam sumi. Aliquando enim creatio significat generationem omnem, effectionem vel productionem, ut *Ps.* 51. Crea in me cor novum: Sic August. *l. 1. contra adversf. legis & Prophetarum. c.* 23. Si, inquit verbum *creare* ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, creari non solum filii, sed etiam magistratus dicuntur & urbes. Et juxta hunc sensum etiam filii Dei æternam generationem, posse vocari creationem Bellarminus, ex Hilario docet, *lib. 1. de Christ. c.* 18. *versus finem*. Sed hanc rem Theologis relinquo. Aliter igitur creatio sumitur pro ea productione, quæ constituit è nihilo rem, ut sit, quæ antea prorsus non erat, nisi in potentia (non materiæ, sed) efficientis. Et juxta hanc acceptionem nunc sermo est de creatione, ut postea ex ejus definitione clarius erit.

614. *Vox creationis tripliciter sumitur.*

Ex alia ambiguitate iterum tripliciter sumitur vox creationis: quod, ut intelligatur, prænotandum est: quòd particularia nomina actionum soleant etiam significare passionem, veluti calefactio significat & calefacere & calefieri. Atque eo, ut existimatur, consilio, Arist. *l. categ. cap.* 9. non nomina sed verba adhibuit, ad significandam actionem & passionem; Sic igitur creatio sumitur vel *activè* & notat actum creantis: vel sumitur *passivè*, & notat actum creari. Id vulgò solet exprimi sub nomine creationis activæ vel passivæ. Tandem verò creatio notat *relationem* inde resultantem. Creator enim & creatura dicuntur secundum aliquam relationem. Hæc igitur relatio etiam exprimitur voce creationis. Quodque hæc significatio diversa sit à prioribus, patet, quia relatio creantis & creari fundatur in activa & passiva creatione. Sicut igitur relatio à fundamento differt, ita differt creatio, activè accepta, ab illius relationis fundamento, hoc est, actione, quâ quis creat, & passione, quâ quid creatur, quæ tamen singula idem nomen habent & dicuntur creatio. Et hæc diligenter notanda sunt. Loquimur enim non de creatione in quantum relationem, sed in quantum actionem significat.

615. *Distinctio creationis in mediatam & immediatam.*

Denique: distingui solet creatio in mediatam & immediatam, sub qua divisione non continetur nisi vocis distinctio: estque sensus illius, quòd vox creationis aliter atque aliter sumatur, ut istas denominationes accipiat. Potest autem *mediata creatio* ex duobus dici. *Primo*, creatio mediata est, cùm primum agens per veram ac propriè dictam creationem, unum producit, & illi imprimit connaturalem vel supernaturalem virtutem producendi aliud. In hoc igitur casu hoc ultimum dicitur creari creatione mediatâ. Veluti creavit Deus immediatâ creatione cœlum, non autem animalcula quædam, aut herbas quasdam. Indidit tamen cœlo sufficientem vim, res istas producendi. Res istæ igitur dicuntur produci productione vel creatione mediatâ, quia ab initio solùm fuerunt potentialiter & materialiter. Vide Augustin. *lib. 3. de Genes. ad liter. in princip.* & adde Lombard. *2. dist.* 15. *D.* Aliter mediata creatio vocatur, cùm Deus rem aliquam producit ex materia, sed non habili, veluti cùm Deus ex lapide panem vel hominem facit, ex costa mulierem, ex aqua vinum. In istis igitur casibus materia, quæ præsupponitur, mediat quasi ad istam actionem, undè ista actio vocatur *mediata*. Dicitur autem idem actus *creatio*: quia materia, quæ illi actioni præsupponitur, est inhabilis, & ex consequentia non est verè materia. Nam in materia præsupponitur habilitas seu potentia ad accipiendam formam,

Creatio mediata est dupliciter.

formam. E ubi illa potentia non est, nec verè materia est. Ergo ex nihilo materia producere, perinde est, ac ex nulla materia, adeoque ex nihilo producere. Et sic iste actus vocatur creatio. Vox enim creationis propriè tribuitur illi actioni, in qua substantia ex nihilo, hoc est, ex nulla præjacente materia constituitur, ut videbimus.

Atque ex his apparet, quid sit creatio immediata. Nempe immediata creatio est, per quam Deus extra interventum alterius, immediate agit, quasi in nihilum, evocando ex eo, ea, quæ realem & positivam essentiam habent. 616. *Quid creatio immediata?*

ARTICULUS II.

De definitione & quidditate creationis.

IN hoc articulo constituenda nobis est *primo* definitio creationis. *Deinde* inquirendum est: quomodo creatio se habeat respectu Dei? seu, quid sit respectu Dei creantis? *Tertio*, quid sit ea respectu rei creatæ? *Quarto*, an possit ea dici mutatio? *Quinto*, an creatio possit dici actio & quidem transiens? Et *denique* an de ratione ipsius sit novitas essendi, quam vocant? hoc est: An quod creatur, necessariò præsupponat aliquod tempus (imaginarium) quo non fuerit, seu, quod idem est, an aliquid creari possit ab æterno? 617.

PUNCTUM I.

In quo constituitur definitio creationis.

CHemnit. *part. 1. Loc. Theol. p. 281.* Definit creationem sic: *Creatio est actio unius & solius Dei, ac tertium trium personarum divinitatis opus, quo pater una cum filio coæterno & Spiritu sancto coæterno condiuit omnia visibilia & invisibilia, extra suam divinitatis essentiam, non ex materia ab æterno existente, sed ex nihilo.* Hæc tamen definitio συλλογιστικῶς est, ut quantum implicat distinctam mentionem personarum divinitatis. Unde cùm istud Triadis mysterium, non constet, nisi ex revelatione, atque inde Philosophi non soleant loqui de Deo, ut Trinus est, sed ut est unus: hinc agitur ipsi, extra distinctam mentionem divinarum personarum, creationem definire solent. 618. *Chemnitii definitio.*

Ex Thoma solet creatio ita definiri: *Creatio est emanatio Entis universalis ex nihilo*; Quæ definitio sumitur ex *1. p. q. 45. a. 1.* ubi *Emanationem*, inquit, *totius Entis à causa universali, quæ Deus est, designamus nomine creationis.* Sed obscurior est ista definitio. 619. *Thomæ definitio.*

Pererius *l. 5. Phys. c. 5.* Creatio, inquit, est productio rei immaterialis & incorruptibilis, ex nihilo, quæ immediatè fit à Deo. Sed hic non apparet causa, cur creatio restringatur ad solum Ens immateriale, & incorruptibile. Creatio enim ex se præscindit ab istis differentiis Entis, ut creari possint & materialia & immaterialia, & corruptibilia & incorruptibilia. 620. *Pererii definitio.*

Scaliger omnium optimè dicit, *Exerc. 6. s. 13.* creationem esse constitutionem substantiæ ex nihilo. Solentque ad eundem modum creationem definire Patres. Vide Ambros. *l. 1. Hexaem. c. 4.* Aug. *l. 1. de Genes. contra Manich. aut c. 2. & lib. de Nat. Boni contra Manichæos c. 1. & l. 1. contra adversar. legis & Prophet. c. 23.* 621. *Scaligeri.*

Usurpat autem 1. Scaliger vocem *constitutionis*, quia vocabula imperfectiones quasdam insinuare videntur, unde & ab aliquibus à quidditate creationis removentur. Talia sunt nomina mutationis, actionis, & quæ his correspondent. Sed de his specialiter inferiùs ago, an & quatenus creationi tribui possint? 622. *Explicatur definitio Scaligeri.*

Deinde dicit Constitutio *substantiæ.* Accidentia enim non dicuntur creari, sed concreari: indeque specialiter restringitur vox creationis ad substantias. Distinguuntque adeò ex productionibus rerum, creatio, contra generationem, quæ & ipsa solùm dicit productionem substantiarum, ut ex Physicis notum est.

Denique dicitur: Creationem esse constitutionem substantiæ *ex nihilo.* Ex nihilo autem dicuntur res creari, non quasi nihilum sit materia, unde Deus creet: sed isto modo loquendi removetur omnis materia. E nihilo creat Deus, non ut est materia, sed ut est terminus. Vide & Lychet. *in Scotum. 2. d. 1. q. 2. in initio.* Anthel. *in Theolog. c. 7. 8.* & Taurell. *de ver. ætern. q. 211.* Desumitúrque illa particula è Scripturis, quæ ajunt creationem è nihilo factam. *Esa. 41.* & *2. Machab. 7.*

623. *Creatio quomodo fiat ex esse intelligibili.*

Gregor. de Valent. *disp. 3. in Thom. q. 2. punct. 1.* refert ex Thomæ Waldendis, *tom. 1. c. 17.* de Wiclepho, quod ajat ille: creationem non fieri ex nihilo, sed ex esse intelligibili procedere creationem, ad esse essentiale, extra Deum.

Sed est in iis Elenchus oppositorum. Res igitur creabiles procedunt ex esse intelligibili, ad esse essentiale: Per esse intelligibile, intelligendo ideam vel exemplar, quod rebus creandis præsupponitur in mente divina, ad quem modum Aristoteles ait *l. 7. Met. c. 7. text. 23.* sanitatem fieri ex sanitate, & domum materialem ex domo immateriali, quatum locutionum sensus est, quod res producantur conformiter illi idex, quæ illi præexistit in mente divina. Dum verò res dicuntur fieri ex nihilo: Ex nihilo, non removet exemplar rerum creandarum, sed removet materiam, ut dictum est. Producuntúrque adeò summatim res creandæ ex aliquo, ut exemplari: ex nihilo verò ut materia.

PUNCTUM II.

Quid sit creatio respectu Dei creantis vel in Deo?

624 EXistimant aliqui creationem respectu Dei nihil aliud esse, quàm ejus volitionem vel imperium, quo res producit. Hanc sententiam Thomæ tribuit Cajetanus, *ad 1. p. q 45. a. 3.* & sequitur Greg. de Valent. *Disp. 3. q. 2 punct. 1. §. Si autem.*

625. *Argumenta, quod creatio sit volitio Dei.*

Solet autem hæc sententia probari variè. 1. Inprimis certum est, voce creationis significari actum vel actionem Dei. Ille autem non est actus transiens. Nam in quod subjectum transiret, cùm omne subjectum fiat demum per creationem? Ergo est actus immanens respectu Dei: At non sunt alii actus immanentes Dei, nisi intellectio & volitio. Ergo cum his identificatur creatio. Idque procedet inprimis, si actus ille (formaliter immanens) dicatur virtualiter & effectivè, vel eminenter transiens, quatenus scilicet per illam Dei volitionem ponitur aliquid extra Deum.

626. *Deinde:* si creatio non est idem cum volitione Dei, & consequenter cum essentia Dei, tùm est aliquid creatum. Nam quicquid Ens est præter Deum, id est ens creatum. At ipsa creatio non est Ens creatum. Nam res creatæ demum sunt terminus creationis, unde sicut ædificatio non est domus, ita creatio non est res creata. Ergo in oppositum sequitur creationem aut nihil esse, aut esse Ens increatum. Inter hæc enim non datur medium. Et confirmatur, quia, si creatio sit aliquid creatum, ergo & ipsa creatio fiet per creationem. Nam quicquid creatum est, fit per creationem. Ergo sic dabitur processus in infinitum.

627. *Creationem non esse volitionem Dei.*

Nihilominus hæc sententia non procedit, quòd creatio sumpta respectu Dei, sive ipsa activa creatio vel creativa actio, sit idem cum essentia, aut volitione Dei. Hanc sententiam plurimi Metaphysici elegerunt. Vide Occam *1. d. 43. qu. 1.* Thom. de Argent. *2. d. 29. qu. 1. art. 1.* Æg. *d. 2. d. 1. qu. 3. art. 2.* Suarez. *Disp. 20. s. 5. num. 11. seqq* Clariss. Martini *Disp. 11. Metaph. q. 2.*

628. Et hæc vera est sententia. Nam si illi actus externi essent idem cum volitione Dei, nulla esset causa cur inter attributa divina, distinguerentur potentia & voluntas. Illud enim discimen non sumitur, nisi ex distinctione actuum. Possumus igitur in actione divina duo discernere: *Primum* est, volitio, alicujus rei. Hæc est actus immanens Dei. *Alterum* est, executio istius volitionis: atque hæc jam refertur ad potentiam Dei. Proinde: sicut in nobis aliud est ipsum velle, sive volitio

licio: & aliud voluntatis executio. Ita etiam in Deo. Neque enim apparet hac in parte discrimen. Nam connexio executionis cum volitione non satis est ad ponendam istam identitatem cum Deo. Nam hi actus in nobis etiam frequenter sunt connexi sive conjuncti, quoties scilicet id exequimur, quod volumus. Neque tamen idem est volitio & executio nostra.

In *prima obiectione* petitur difficultas, de creatione: unde possit actio transiens dici. Id enim incommodum putatur in objectione. Sed hanc rem persequor postea in puncto quinto. Unde hujus solutio ad præsens peti potest. 629 *Objectiones solvuntur.*

Ad secundum respondeo: Esse ambiguitatem in voce *creati Entis*. Creatum enim Ens quandoque dicitur, id solum quod per actionem creat vam incipit esse, quodq; est quasi creationis terminus. Et sic creatio non est aliquid creatum. Quandoque verò creatum Ens dicitur omne illud, quod dependenter est ab Ente increato, sive id sit per modum actionis, sive per modum rei factæ per actionem. Et hoc modo creatio est quid creatum. Simile quid est in voce effecti, vel effectus. Dicitur enim quandoque effectum pro eo quod est quasi actionis terminus, quomodo domus, v.g. est effectum. Aliquando verò sumitur communiùs, ut dicatur effectum, quicquid à causa est, sive id sit per modum actionis seu motus, sive per modum rei per motum factæ. Et sic etiam ipsæ actiones dicuntur effecta, ut ædificatio, generatio (et non solùm domus, &c.) sunt effecta. Atque ita sicut nostræ actiones sunt effecta, ipsæ tamen non postulant, ut per alias actiones fiant, ad evitandum processum in infinitum. Ita etiam creatio est aliquid creatum, ipsa tamen non postulat fieri per aliam creationem. Et patet: quia actio, et sic etiam creatio, non mediant quasi ad omnem effectum, sed ad eum, qui ad creationem et actionem consequitur, ubi tamen prima emanatio, et prima ratio effecti, est in ipsa actione. Vide Suarez *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 31. *& disp.* 18. *s.* 10. *num.* 2. *&* 8. 630 *Creatum Ens ambiguè dicitur.* *Effectum ambiguè dicitur.*

Patétq; adeò summatim: quòd creatio sit aliquid realiter distinctum à Deo. Non tamen tanquam aliquid in Deo existens, sed tanquam aliquid à Deo emanans. In Deo enim nihil est, quod non sit ipse Deus, requirente id ejus simplicitate. A Deo tamen quæ sunt, illam identitatem ad essentiam Dei non postulant. Neque etiam illa tollunt simplicitatem Dei. Simplicitatem enim non tollit nisi compositio. Compositio enim non est nisi ex talibus terminis, qui intra rem sint, quale quid non sunt actiones, quæ non sunt in agente, sed ab agente. 631 *Creatio realiter differt à Deo.*

PVNCTUM III.

Quid sit creatio ex parte rei creatæ?

HAc in re principaliter duæ sunt sententiæ. *Prima* est quòd creatio sit realiter idem cum re creata, nullo modo ab eo differens. Ergo aiunt creationem esse nihil aliud quàm ipsam creaturam, in quantum ea apprehenditur juxta fieri suum. *Aliqui* tamen existimant creationem non esse idem quod creaturam, sed aliquid addere. Vbi tamen rursus discrepant sententiæ. Secundùm aliquos enim creatio addit essentialem modum dependentiæ, secundùm alios autem significat additam relationem creandi, ut Pererius autumat *lib.* 5. *Phys. c.* 5. 632 *Variæ sententiæ.*

Hîc dico I. *Creatio ex parte rei creatæ non potest formaliter significare relationem.* Ita patet, quia relatio ista creati ad creatorem resultat vel exurgit ex actione et passione, qua aliud creat, aliud creatur. Creatio igitur, in quantum relationem significat, est aliquid consequens ad creationem, in quantum ea significat actionem creativam vel etiam passionem, qua quid creatur. 633 *Creatio non potest significare relationem.*

II. *Creatio significat ipsam rem creatam cum modo dependentiæ.* Ita patet. Nam *inprimis* certum est, per creationem significari dependentiam rei creatæ à creatore. Ibi enim intervenit vera causalitas. At ea proximè significatur per dependentiam. *Deinde:* sufficienter, etiam explicatur creatio per istiusmodi dependentiam. Sicut enim actio in communi significat dependentiam effecti à causa; Ita etiam 634.

hæc actio, significabit hanc dependentiam, veluti creatio à re creante. *Tertio*: quod autem dependentia illa non sit res diversa à re creata, patet, quia in alijs dependentia etiam non significat rem diversam à dependente. *Denique*: quod dependentia significet modum in re creata, inde evidens est, quia illa dependentia est variabilis, si universaliter loquamur. Potest enim aliqua res creata, dependere à suo Deo, in sua creatione, & potest etiam dependere à Deo & instrumento quod Deus adhibere potest ad creandum, ut infrà d. Spiritu. At illæ dependentiæ variant. Vide plenius Suarez *disp.* 20. *s.* 5. *num.* 10. *seqq.*

PUNCTUM IV.

An creatio possit dici mutatio?

635. VIdeo hac in re variare Philosophos. Pererius *lib.* 5. *Phys. cap.* 5. Suarez *Disp.* 20. *s.* 5 *n.* 17. Negant esse veram mutationem. Aug. tamen *lib. de Trin. cap. ult.* Eam mutationem vocat, ubi docet, cùm creatura aliqua creatur, tum eam novâ relatione referri ad Deum, non per *mutationem* Dei, sed *creaturæ*. Sic & Scalig. *Exer.* 6 *s.* 13. ait, creationem esse mutationem, & addit: eam esse mutationem contradictoriam, quatenus est inter *esse simpliciter & non esse simpliciter*.

636. *Vox mutationis ambiguè dicitur.*

Hæc res conpeni potest per distinctionem vocis. Igitur vox mutationis bifariam sumitur: *Aliquando* dicitur per ordinem ad subjectum, ubi mutari dicitur res, quæ aliter se habet nunc ac prius. Dicitúrque adeò mutatio per ordinem (non ad terminum, sed) ad subjectum κατ' ἐξοχήν. Ita calefactio est mutatio, mutatio, inquam, non caloris, sed rei calefactibilis. Sicut etiam generatio dicitur mutatio, non quia res genita mutetur, sed quia in generatione materia mutetur, quæ aliter atque aliter se habeat, sub diversis formis existens, quanquam & hoc est secundariò. Nam vox mutationis primò pertinet ad mutationes accidentales, hoc est, eas quæ ad accidentia terminantur. Et sic creatio non est mutatio.

Creatio quatenus mutatio sit contradictoria.

Aliter autem sumitur vox mutationis, & generaliter significat omnem novitatem in essendo. Omnis igitur acceptio essentiæ, sic est mutatio. Mutatio, inquam, à non esse ad esse. Et hoc modo creatio significat mutationem, quia per eam creatura educitur ad esse à non esse. Et hoc intuens Scal. *d. loc.* ait, creationem esse mutationem contradictoriam, quatenus scilicet termini inter quos est creatio, sunt esse & non esse, qui termini contradictorii sunt. Confer & Suarez. *d. disp.* 20 *s.* 5. *n.* 18. & Thom. 1. *part. q.* 45. *art.* 2. *ad secundum*.

PUNCTUM V.

An creatio possit dici actio, & quidem actio transiens?

637. AD priorem partem hujus quæstionis; an scilicet creatio sit actio, negant id aliqui. Ita expressè facit Perer. *l.* 5. *Phy. c.* 5. Et sumitur ex Aristotelica definitione actionis. Aristoteli enim *lib. Categ. cap.* 9. actio est id, secundùm quod res in id, quod subjicitur, agere dicuntur. Unde actio exposcit aliquod subjectum (non in quo sit ipsa. Actio enim per se & pro se non exposcit subjectum: Sed dicit solùm modum essendi AB, sed solum) in quod terminetur. Tale autem subjectum non habet creatio, quia id non est aliud quàm materia. Creatio autem est ex nihilo et in nihilum, non autem ex materia.

638. Duo igitur hac in re sunt probabiles dicendi modi, quos Suarez attingit, *disp.* 20. *Metaph. s.* 5. *n.* 28. & 3. *tom. in* 3. *part. disp.* 50. *s.* 5. Primò dici potest illam dependentiam creativam, ut habet rationem actionis, non esse actionem accidentalem, cujusmodi est illa, quæ indiget subjecto, sed esse actionem substantialem: ideoq; non collocari in prædicamento actionis, sed reduci ad prædicamentum substantiæ. *Alter* dicunt aliqui: quod in prædicamentis accidentium non tantùm locentur ea

tur ea, quæ sunt vera & propria accidentia, habentia veram inhæsionem in subjecto: sed etiam multa, quæ solùm imitantur qualitercunque modum subsistendi, illum, qui accidentibus convenit. Atque ita, quia dependentia creativa (etsi alias sit substantialis) tamen in ordine ad agens, induit rationem actionis, indeque creantem denominat, ita, sicut actiones solent agentia denominare: Hinc ergo & creatio, sive dependentia creaturæ, in ordine ad creatorem, ex parte Dei creantis, ejus potest vocari actio.

Quantum ad alteram partem quæstionis attinet: an scil. creatio dici possit actio transiens: similiter displicet aliquibus: eam vocare actionem transeuntem.

639 *Creatio non est actio immanens.*

Iterum videtur res solùm componi posse per distinctionem vocis. Si enim actionem transeuntem placeat dicere, quæ in externum subjectum transit, verum est, creationem non esse transeuntem. Actio enim creantis, antevertit omne subjectum, quia illa est ex nihilo.

An creatio sit actio transiens?

Sed tamen nec sic actio illa creativa potest immanens dici. Nam actiones immanentes, quales vulgò nobis notæ sunt, non ponunt effectum aliquem extra agens, & revera non sunt illæ in alia intellectuali natura, quàm intellectio & volitio. Non admittimus autem creationem esse idem cum intellectione & volitione divina, quia ista proximè refertur ad potentiam Dei.

640

Quòd si igitur adæquatè actio immanens & transiens debeant dividere actionem, supposito, quòd creatio sit actio, dicenda ea est actio transiens: indeq; actio transiens communiùs concipienda est, quàm ut ea solùm transiens dicatur, quæ in externum subjectum transit.

Creatio quomodo sit actio transiens?

Igitur Arist. *l. Metaph. 9 text. 16.* illas actiones transeuntes dicit, quæ referuntur ad terminum, vel eum producunt, qui sit extra causam agentem. Attendendo igitur, quod creatio sit talis actio Dei, per quam non producat ipse aliquid in se, sed extra se: creatio potest dici actio transiens. Et cùm res est plana, facilè convenire oportebat in vocibus.

Actio transiens potest Deo attribui.

Estq; generaliter recordandum; quòd verba debeant expurgari ab imperfectionibus, cùm ea à nostratibus ad divina transferuntur, omnino sicut crines & ungues præcidendi erant, ex lege veteris Testamenti, iis, qui ad Ecclesiam accedebant. Vide & hac de re Suarez *disp. 20. s. 5. num. 20. seqq. & num. 29. seqq.* Ubi disputat adeò non inconveniens esse, ut Deo actio transiens tribuatur, ut potiùs, omnis actio transiens sit actio Dei. Nam si illa actio sit a creatura, est à Deo per generalem concursum. Proinde sicut causa secunda ad actionem suam transeuntem concurrit, ita Deus etiam per istum generalem concursum suum ad eandem actionem concurrit. Ergo sicut ista sumpta ad causam secundam, transiens est, ita etiam respectu Dei transiens est, quia ilia fluit extra utrumq; agens. Rursus & ad actiones immanentes concurrit Deus, ex vi generalis concursus sui, quia igitur istæ dicuntur immanentes, respectu causæ secundæ, in qua istæ ponuntur. E. & hæ respectu Dei, à quo, ut causa prima & universali, fluunt, sunt transeuntes. Nulla itaque imperfectio metuenda est, si Deo actio transiens tribuatur.

PUNCTUM VI.

An ad rationem creationis sit necessaria Novitas essendi?

641 *Explicatur sensus quæstionis.*

NOvum & vetus dicuntur per ordinem ad tempus: Novitas igitur dicit inchoationem in tempore, & excludit aliquod tempus ante actum. Sensus igitur propositæ quæstionis est, an aliquid possit creari ab æterno, an verò omnis creatio ponat aliquid novum in tempore: quod scilicet præcedens tempore non fuerit. Loquimur autem hac in re, non de facto, (sic enim certum est: mundum non fuisse ab æterno, nec quicquid quod in mundo est) sed de posse. An scilicet *possit* quicquid ab æterno fieri? ubi rursus, ut verba ipsa insinuant, non est sermo de tali simpliciter:

an scilicet quicquam, præter Deum, possit ab æterno esse, veluti per essentiam inproductam, sed suppositò, quòd essentiam productam vel creatam habeat, quæritur, an ab æterno talem productam essentiam accipere potuerit per creationem.

642 *Variæ sententiæ*

Hac igitur in re duas principaliter invenio sententias. Prima est eorum, qui aiunt simpliciter repugnare creaturæ, ut ab æterno crectur. Ita tenent Gandavens. *quodl.* 1. q. 7. et *Quodlib.* 9. q. 17. Philoponus *l. contra argumenta Procli, de mundi æternitate, c.* 3. Alb. Magnus 1. *d.* 1. *a.* 6. *et* 10. *et* 8. *Phys. c.* 1. Bonav. 2. *d.* 1. *a* 6. *q.* 2. Toletus 8. *Phys. c.* 2. *q.* 2. Hi ergo autores dicunt: de ratione creationis esse, quòd quicquid creatur, ponatur in mundo, per temporaneam inceptionem.

Alii autem autores in oppositum aiunt: creationem posse ab æterno esse. Ita docet Thomas 1. p. q. 46. *a.* 2, quem ibi sequuntur interpp. Ferrar. 8. *Phys. q.* 3. & plurimi sententiarii *ad.* 1. *d.* 1. Abeunt tamen & hi autores in diversas opiniones. Aiunt enim aliqui verum id esse, de solis Entibus incorruptibilibus, quale quid est Angelus. Unde in oppositum negant, res corruptibiles posse incipere per æternam creationem. Ita opinatur Durand. 2. *d.* 1. *qu.* 2. Alii autem latius extendunt, ad res corruptibiles & incorruptibiles, modò permanentes sint. Unde aiunt, motui, qui Ens successivum est, repugnare, ut habeat esse ab æterno. Ita novissimè sentit Peter. *l.* 25. *Phys. de mund. æternit. cap. ult. Prop.* 4. Idémq; tribui solet Arim. 2. *d.* 1. *et alii.*

643

Ego hac in re non descendam ad particularia, ut disputem, cuinam Enti conveniat illud, ab æterno posse creari. Id enim prolixum foret & oporteret multa attingere, quæ ad rationem motus alioquin pertinent. Manens igitur in generalioribus ostendam, solùm in communi saltem, non repugnare Enti, ut ab æterno accipiat esse per creationem.

644

Igitur ad hanc rem, (quod Suarez monet, *Disp.* 20. *Met. s.* 6. *n.* 5.) præsupponendum est, quòd duobus modis intelligi possit rei alicujus productio ab æterno: *uno* modo, ut sit æterna, per intrinsecam necessitatem, sic, ut repugnet eam fieri in tempore (quomodo generatio filii est æterna) *alio* modo, ut sit æterna, solùm ex libero placito primæ causæ, utq: adeò simpliciter & extra illud divinum placitum, possit non esse ab æterno.

645. *Nulla creatura per intrinsecam necessitatem est ab æterno.*

Nunc dico 1. *Nulla res potest creari ab æterno per intrinsecam necessitatem.* Ita patet. Nam Deus ad extra agit liberè, & non ex necessitate naturæ. Proinde quod Deus creat, potest & non creare. Ergo quod nunc creat potest nunc non creare. Ergo quod ab æterno crearet, posset ab æterno non creare. At quod potest esse et non esse, non est necessarium.

II. Dico: *Potest Deus rem aliquam ab æterno creare; Et proinde ad creationem non requiritur novitas essendi,* id quod nunc disputare intendimus. Ita patet: quia nec in hoc repugnantia est ex parte creantis, nec ex parte creati, nec ex parte ipsius creationis. At quæ talia sunt, ut non involvant repugnantiam, Deo possibilia sunt. Antecedens patebit, solvendo varias repugnantias, quas oppositæ sententiæ defensores ad hanc rem conquirunt, & comminiscuntur.

De objectionibus.

646

OBjicitur 1. Quicquid fit, est posterius faciente, sive causâ suâ. At quod ab æterno creatur, non potest esse alio posterius. Est igitur in eo repugnantia, si quid sit ab æterno creatum. Si enim sit creatum recognoscit aliquid prius. Si autem sit ab æterno, non recognoscit aliquid prius. Æterno non potest aliquid esse prius.

Resp. 1. Effectus necessariò posterior est sua causa, attendendo ordinem naturæ, non autem ordinem temporis. Ordine enim temporis effectus & causa sunt simul, sive συγχρονα. Ita ignis & combustio, sol & lumen, anima & dimanatio risibilitatis ab ea sunt simul. 2. Æternitati autem repugnat prioritas, sed illa, quæ est secundùm successionem temporis. Hoc, inquam, non dico potest ab æterno esse, quod

aliquo

aliquo tempore non fuit. Prioritas autem illa, quæ est in ordine naturæ, non tollit simultaneum durationem. Hinc enim effectus aliqui dicuntur coævi ad suas causas. Coævitas enim notat simultaneam durationem. Et simul durant, quæ etiam differunt, ut prius & posterius naturâ, qualia sunt causa & effectus. Atque ita ista repugnantia nulla fuit.

Objicitur 2. Ex definitione creationis. Quod creatur id prius est sub nihilo. Est enim creatio substantiæ constitutio ex nihilo. Intrerogo igitur, id quod ab æterno creatur, quando fit sub nihilo? Aliud nihil dici potest, quàm quod ab æterno fuerit sub nihilo. Ergo ab æterno fuit sub nihilo, & etiam ab æterno fuit sub esse. Accepit autem esse ab æterno. Hæc autem sunt pugnantia, esse sub nihilo & esse sub propriâ essentia, hoc est, esse & non esse. 647.

Respondeo: cùm res creatæ dicuntur constitui ex nihilo, tùm non est sensus ille, quasi *aliquo tempore* latuerit in non esse quod creatur, sed illud ex nihilo præcisè notat carentiam materiæ. Indéque creari ex nihilo, nihil aliud est, quàm non creari, ex aliqua præiacente & præexistente materia. Quod si aliqua prioritas ipsius nihili ante esse rei creatæ per acceptionem creationis importatur, ea solum est prioritas naturæ, ut bene notavit Suarez, *Disp.* 20. *s. 6. num.* 11. Prioritate inquam naturæ ea, quam ibi Scotus 2. *distinct.* 1. *q.* 1. vocat prioritatem naturæ privativam. Ergo creatura erit ab æterno sub esse, loquendo de momentis temporis, quia nullum momentum temporis designari potest, in quo non fuerit. Fuit autem aliquando sub nihilo, partiendo momenta naturæ. Quódque ea in re, sic expositâ, non sit repugnantia, patet, quia idem argumentum fieri potest de omnibus effectis, quæ causis suis συγχρονα sunt. Nam & illa, in primo instanti, quo est causa illius, non sunt loquendo de instanti naturæ, quia effecta sunt. Et sunt tamen in eodem instanti, quo est causa, loquendo de instanti temporis. Sunt enim συγχρονα. 648. *Res creata quod modo fuerit sub nihilo.*

III. *Objicitur*: si quid sit ab æterno erit æternum. At si est æternum, est interminabile & indefectibile. Æternitas enim est interminabilis & simultanea vitæ possessio, ut Boëtius definit, *lib.* 5 *de consol. Phil. Prof.* 6. Repugnat autem ut aliquid creatum sit indefectibile. Quia, quod creatur, subordinatur ad potentiam agentis creantis. Unde sicut per eam potuit in esse constitui, ita per eandem potest de Entitate sua deponi. Esse igitur creatum & tamen esse indefectibile, vel æternum, repugnantia sunt. 649.

Respondeo negando primam propositionem, quòd scilicet res creata *æterna* sit, si fit *ab æterno* creata. Nam ad æternitatem non satis est carentia initii, (in ordine temporis saltem imaginarii) sed ad eam requiritur, ut, quod æternum dicitur, quódque adeò per æternitatem durat, non *possit* habere initium, nec possit habere finem, ut supra disputatum est *l.* 1. *c.* 16. de Durationibus. Hoc autem longè abest à rebus creatis. Quia, ut maximè ponantur facta aliqua ab æterno, nihilominus potuerunt in tempore incipere. At hoc tollit æternitatem. Ad æternitatem enim pertinet *non posse* incipere, ut dictum est. Sic August. *l.* 12. *de Civit. Dei, cap.* 15. docet, si vel maximè Angeli ab æterno creati essent, non tamen eos æternos fore, sicut Deus, quia ille æternus sit æternitate immutabili, isti autem facti sint.

IV. *Objicitur*: Si Deus crearet mundum ab æterno, non ageret ex libertate, sed ex naturæ necessitate, quod implicat. 650.

Respondeo 1. Verum est, quod clarius pateat libertas Dei, exinde, si prout & factum est, in tempore creet mundum, prout & alibi dictum est. 2. Nihilominus per istam æternam alicujus productionem si ea daretur, non tollitur ejus libertas, quia antequam Deus id faceret, intelligitur Deus ut indifferens ad agendum & non agendum, quod libertatem satis indicat. Quódque ista determinatio voluntatis divinæ ab æterno facta non tollit ejus libertatem, inde est evidentissimum, quòd ipsa divina volitio rerum, quas in tempore Deus esse vult, sit etiam æternæ. Executio solùm istius volitionis est in tempore.

Denique

651. *De dictis Patrum.*

Denique objiciuntur varia Patrum dicta: Ambros. *l. 1. Hexaem. cap. 3.* Quid tam absurdum est, *inquit*, quàm ut æternitas operis jungatur æternitati creatoris? Et Aug. *l. contra Felicianum*: Creatura est ex eo quod nondum est, vel aliquando non fuit, convertibilis sci, quantum in se est, Omnipotentis Dei voluntate facta substantia. Et Damasc. *l. 1. de Orthodox. fid. c. 8.* Quoniam creatio, *inquit*, divinæ voluntatis opus est, non est coæterna Deo. Neque enim, quod à non esse ad esse traducitur, capax est, ut coæternum sit suo principio. Sic & Hugo, *l. 1. de Sacram. c. 10.* Fuga, *inquit*, divinam voluntatem, ut aliquid sibi coæternum faciat.

Explicantur.

Ad hæc & similia Patrum testimonia, quæ frequenter occurrunt, duplex est responsio. *Primo* loquuntur Patres illi, de creatione, ut de facto ea contingit. Ea autem facta est cum novitate essendi, De tali igitur creatione loquendo, non potest ea ab æterno esse. Nam novitas, ut initio hujus puncti dictum est, excludit tempus, quo quid non fuerit.

Deinde, loquuntur illi patres de æternitate, prout durationem interminabilem significat, juxta quem sensum & à nobis admissum est, si quæ creatura ab æterno facta esset, eam tamen non esse dicendam æternam. Vide *Num. 648.* & adde Durand. *2. d. 1. q. 1.* & Thom. *de potentia Dei, q. 8. art. 14.*

ARTICULUS III.

Cujus est creare?

652. *Deum posse creare.*

HAc in re tria dico. 1. *Deus potest creare.* Ita patet, quia Deus si non posset creare, virtus ejus dependeret ab aliquo præsupposito, nempe à materia. Absurdum autem est, Ens illud, quod simpliciter independens est, non posse operari, nisi dependenter ad materiam.

Deinde: Si Deus non posset creare. Ergo daretur aliquid improductum præter Deum. At hoc est absurdum, quia, per esse increatum apprehendimus nos Deum. Unde hæc adæquantur & reciprocantur, habere esse increatum, & esse Deum. Non possunt autem plures Dii esse. Et si maximè plures Dii darentur, non posset tamen alter alterius actioni præsupponi, per modum materiæ. Consequentia autem est evidens. Nam omnis mutatio, diversa à creatione, fit in materia. Ista autem materia, quæ actioni Dei præsupponitur, vel est producta vel non. Primum dici non potest, dimissâ creatione, quia sic materia haberet materiam, & sic daretur processus in infinitum. Materia igitur ista haberet esse improductum, quod absurdum esse ostendimus. Et patet porrò, quia sic enti imperfectissimo, quale est materia, conveniret & summa imperfectio & summa perfectio. Summa imperfectio, quia materia est Ens potentialissimum. Summa perfectio autem, quia esset increatum, adeoque esset Ens independens: idque maxima est perfectio, ut inter attributa divina merentur recenseri.

Atque hæc assertio etiam certa est de fide. Passim enim Scriptura Deo tribuit opus creationis.

An creatura possit esse creationis causa principalis?

653. *Explicatur sensus quæstionis.*

DIco II. *Nulla res, præter Deum, potest creare, ut causa principalis. Atque ita solius Dei est creare.* Loquor autem nunc de causa principali. Nam variant hac in re sententiæ. Aliqui enim existimant, posse creaturam aliquam esse instrumentum Dei, ad creandum, ut posteà attingam.

Potest autem id, quod nunc de causa principali dico, duplicem habere sensum. An scilicet creatura, ut causa principalis, creare possit? *Primo*, ut id tribuatur illi tanquam prorsus independenti, ab alia superiori causa: *Secundo*, ut intelligatur aliqua creatura creare posse, ut causa principalis, supposito generali Dei concursu

cursu, quem & aliàs præsupponunt creaturæ cùm sint causæ principales, in ordine ad suos effectus.

In utroque igitur casu, creatura non potest aliquid creare, per modum causæ principalis. De priori patet, quia dimisso Dei influxu & concursu, res quælibet cadit in nihilum. In hoc enim consistit rerum creatarum conservatio, quòd Deus perpetuò influat ad eorum conservationem. Ergo à priori vel fortiori, etiam concurrit Deus ad rerum productionem. Proindè, dimisso illo Dei concursu, nec persistere posset ullum agens: nec ulla actio vel effectus ab eo dimanare. Atque in hoc facilis est consensus. 654.

Quod autem nec conveniat ulli creaturæ, aliquid creare per modum causæ principalis, supposito Dei concursu generali communiter ferè asserunt Doctores. Ita Lombard 4 d. 5. & Thom. 1. p. quæst. 45. a. 5 & ubi utriusque interpp. Vide & Occam quodlib. 2. quæst. 9. & Henric. quodlib. 4. quæst. 37. Ægid. quodlib. 5. quæst. 1. Suarez Disput. 20. sect. 2. num 12. Pereir. l. 5. Phys. 6. & l. 15. cap 7. ad secundum. 655. *Variæ sententiæ.*

Contrariani opinionem tribuunt Gabrieli, 2. d. 1. q. 4. a. 3. sed revera illius mens ea non est. Nam & ipse docet, creaturam non posse creare. Sensit autem ita Avicenna, qui, ut Thom. refert 1. part. 1. 45. a. 5. docet, quod prima substantia separata, creatur à Deo, & hæc deinceps creet aliam post se, & substantiam orbis & animam ejus. & rursus deinceps illa substantia orbis creet materiam inferiorum corporum.

Rationes ad hanc assertionem demonstrandam, difficulter erui posse, contendunt omnes, ut apparet ex dissensu Suarezii *d. loco*. Nostri instituti ratio non fert omnes illas rationes diversorum Autorum excutere. Ea autem videtur satis probabilis hujus rei ratio esse, quòd per creationem id actuatur quod simpliciter nihil sive non est. Hinc sic argumentor: Quò major est distantia potentiæ ab actu, eò major virtus in agente requiritur. At inter Ens & non Ens, inter quos terminos versatur creatio, est maxima distantia imò infinita. Nam adesse ibi nulla prorsus potentia, ad formam rei creandæ, recipiendam, supponitur. Ergo ad creandum infinita virtus requiritur. At nulli creaturæ convenit infinita virtus. Ergo nulla creatura creare potest. Atque hoc etiam docet August. *lib. 3. de Trinit cap. 8.* Ubi docet, quod neque boni neque mali Angeli possint esse creatores. Unde à fortiori id sequitur de creaturis aliis, utpote quæ sint minoris perfectionis. 656. *Sententiæ Autoris probatur.*

Dices: Supposito concursu Dei, est in causa rei ipsius infinita virtus. Nam creatura non est adæquata causa sui effectus, unde per respectum ad ipsam non est æstimanda solum conditio causæ, in ordine ad producendum hunc vel alium effectum. 657.

Respondeo, concursus Dei, quem supponimus, est generalis solùm: adeóque pertinet ad potentiam Dei non absolutam, sed ordinatam. Hic autem Deus non agit nisi congruentes naturis rerum, juvando quasi actus ipsius, ad quos causæ sunt proportionatæ. Non igitur, per ordinem, ad istum Dei concursum, sumendum est, quid creatura possit vel non sed ex virtute vel viribus istius creaturæ. In hac igitur si non sit infinita virtus, creare non potest, ut dictum est.

An aliqua creatura possit esse causa instrumentalis creationis?

III. Potest aliqua creatura creare instrumentaliter, non juxta dispositiones naturales, sed elevata à virtute superioris agentis, ita docet Lombard. *l. 4. distinct. 5.* Et probabile existimat Suarez. *Disp. 20. sect. 5.* Quanquam non desunt alias, qui negant creaturam creationis instrumentum esse posse. Thom. 1. p. q. 45. art. 5. & 3. p. q. 13. a. 2. & lib. 2. cont. Gent. cap. 21. Sic & faciunt multi Sententiarii *ad 2. d. 1. & lib. 4. dist. 5.* quibus adde Pereirum *lib. 5. Phys. c. 6.* 658.

659. Nihilominus patet veritas assertionis propositæ. Inprimis ejusdem virtutis est κτίζειν & ἀναπλάζειν, hoc est, creare & regenerare, sive creare ex nihilo, & creare ex inhabili materia, veluti ex lapide panem facere, vel ex pulvere hominem. Si igitur hoc (regenerare, aut aliquid ex inhabili materia facere) potest convenire rebus creatis, ut instrumentis primæ causæ: Ergo idem potest esse in creatione. Præsertim, quia istis actibus nihil videtur deesse, ad rationem creationis. Quod autem ista conveniunt rebus creatis, passim historiæ Sacræ testantur, ubi Sancti leguntur ex baculis fecisse serpentes, ex petra aquam elicuisse, resuscitasse mortuos, & in operibus ἀναπλάσεως manifestè dicuntur θεοῦ συνεργοὶ & cooperarii, Ministri dispensatores. Et confirmatur de Humanitate Christi, quæ utique est sine naturæ quæ ad istas miraculosas actiones (quæ creationi æquiparantur) dicatur instrumentum verbi Dei, sibi personaliter uniti, ab ipso Thoma 3 *parte q.* 13. *art.* 2. *in corpor.*

660. Cæterùm: quod ista virtus instrumentalis sit, quæ in istis actibus cernitur est evidens.

Nam inprimis: quòd aliqua causalitas effectiva significetur, clarum est, ex voce συνεργίας, quam Scriptura usurpat. Quòd autem ea non major sit quàm instrumentalis, hoc est, quòd non sit virtus causæ principalis, inde patet, quia in illis actibus elevatur res creata, ultra agendi modum, sibi proportionatum; nempe ad effectum, qui per se est infinitæ virtutis. At ex hoc dignoscitur aliquid esse instrumentum, siquid elevetur ad effectum naturâ & causalitate suâ superiorem. Tum enim indicium est, istum effectum, ab aliquo diligente, & superiori causa, pendere, qui dare possit id, quod istud dare non poterat.

Atque inde etiam patet: quod nihil instrumentum possit esse ad istos actus, nisi (quod in assertione dicebamus) elevetur à Deo, ad supernaturalem quendam statum, non autem ut tale instrumentum, secundùm pure naturalia.

661. *Objectio Thomæ.* Objicit Thomas, 1 *part. quæst.* 45. *art.* 5. causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositivè operatur, ad istum principalis causæ effectum. Illud autem, quod est proprium effectus Dei creantis, est illud, quod præsupponit in omnibus aliis, quòd est, esse absolutè. Non potest igitur aliquid operari dispositivè, & instrumentaliter ad hunc effectum: cùm creatio non fit ex aliquo præsupposito, quod possit disponere per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est, quod alicui creaturæ conveniat creare, neque virtute propriâ, neque instrumentaliter, vel per Ministerium. *Hæc ille.*

662. *Solvitur.* Sed in hac objectione aliqua dicuntur gratis, quæ non admittuntur.

Nam *primo* non necessarium est, ut causa instrumentalis agat per aliquid sibi proprium. Supponimus enim nunc, cùm quòd est instrumentum creationis, tùm id habere rationem instrumenti, non per aliquid sibi naturale & proprium, sed elevari.

Deinde etiam, non necessariò instrumentum debet agere dispositivè. Si enim effectus produceatur in instanti, prædispositionibus opus non est. Confer Suarez *D. Th. to. 2. lect. 5. num. 5.* Si quis tamen meliora docuerit, non refragabor. Neque enim adhuc hâc in re satis mihi fido.

ARTICVLVS IV.

Cujus sit creare?

663. *Non est solius Entis.* PEreirius *l. Phys. c. 5.* Creationem dicit solum esse productionem rei immaterialis & incorruptibilis. *Sed* hæc sententia non procedit, & sine dubio per incogitantiam excidit Pereiro, Scriptura enim universalis de creatione loquitur

quitur, quàm ut eam restringat ad sola Entia immaterialia & incorruptibilia. *immaterialia & incorruptibilia.*

Dices: Id quod creatur, caret materia. Creatur enim ex nihilo, hoc est, non ex aliqua materia. At Entia materialia non possunt carere materia. Esset enim in hoc repugnantia, ut ipsæ voces indicant. Ergo sola Entia immaterialia creantur. 664 *Objectio.*

Respondeo: Entia materialia non possunt carere materiâ in facto esse. Ab intrinseco enim materia pertinet ad essentiam materiati. Indeque adeò non potest res materiata esse sine materia ac animatum non potest esse sine anima. At multum nus Entia materialia possunt carere materiâ, in fieri. Et hoc satis est, ad eorum creationem. Non creantur igitur res materiales, ex materia, sed tamen per creationem accipiunt materiam, ex qua intrinsecè componuntur & constituuntur. Unde materia rebus materialibus accidentalis est in fieri, essentialis in facto esse. *Materialia, quomodo carere materiâ possint.*

Dandâ igitur illâ Petavii sententiâ. Tria dico: Primò, *Si creari significat omnem dependentiam, per quam aliquid constituatur dependens à Deo, tum, omne quod non est Deus, dicetur creari, modo habeat aliquam essentiam.* Nam sanè hîc, facilè patet, tum id non creari. Creatio enim est modus, per quem creatur aliquod esse. Et juxta hæc & substantia & accidentia & Entia completa & incompleta, imò ipsa creatio, sic potest dici creatum quid. 665

II. *Si creari significet mutationem, relatum quasi ad aliquem terminum, ad quem quasi mediat creatio, sicut generatio ad rem genitam tum creari, sive res ejecta in esse dicitur, quod cum antea non esset, incipit per creationem, sive quod post actionem creationis remanet.* Atque adeò tum omnia prius enumerata dicentur creari, solâ ipsâ actione creativâ exceptâ, prout & suprà dictum est, *art. 2. punct. 2. ad secundum.* 666.

III. *Si creari strictè sumatur, prout oportet ei, quod concreatur, sicut & generari aliquando opponitur ei, quod congeneratur vel ingeneratur, tum solis Entibus completis, utique subsistentibus & singularibus, hoc est, solis suppositis convenit creari.* Atque exinde, quia actiones & passiones, in isto rigore, sunt suppositorum. 667

ARTICULUS V.

An probari possit: quod aliquid de facto sit creatum?

HActenus ferè actum est, de quidditate creationis, & potentia creativa: Nunc inquiro: An ea de facto data sit, sive an quicquam sit creatum? Ubi non divagabor ad considerationem mundi, ut inquiram: an mundus inceperit per creationem, an non: sed in generalioribus manebo. Unde nec inquiro, an aliqua creatio facta sit ab æterno, an in tempore. Quanquam id demonstrari non posse opinor, supposità libertate primæ causæ. Ex nullo enim indicio patere potest unum, an libuerit divina eligere rem aliquam creare ab æterno, an verò in tempore. Nihil enim horum novit repugnantiam, ut visum est. 668. *Sensus quæstionum.*

Igitur evitimant aliqui: hunc naturæ non posse offendi, quod creatio aliqua facta sit. Ita docet Gregor. *in dist.* 1. *q.* 2. Ballesteros 1 *dimach* 1 *q* 1. *art.* 3. alique. Oppositum tamen plerique tenent. Vide Suarez *disp.* 20. *Metaph. sect.* 1. *n.* 14. & Auctores, quos allegat, *n.* 15. *and.* 669. *Opinio aliorum.*

Igitur hanc in re pro suppono, quòd nulla res præter Deum possit habere essentiam non productam. Ita variis argumentis confirmat Thom. 1 *part. quæst.* 44. *artic.* 1. & Greg. de Valent. *disput* 3. *quæst. punct.* 1. & 2. alique. Et patet brevitèr: quia si darentur plura impoducta, unum ordo mundi non esset aliquid unum, & sic revera non esset ordo. Omnis enim ordo est ad aliquid primum, idemque unum: 670. *Nulla res potest habere esse improductum.*

Deinde à posteriori id patet. Omnia Entia præter Deum, subjacent divinæ potentiæ, ut per eam annihilari possint: Ergo omnes res in essentia sua pendent à Deo, & ab eo sunt productæ. Antecedens patet ex infinitate potentiæ divinæ. Consequentia autem est evidens. Deus enim non annihilat, nisi in suspendendo influxum suum conservativum. Ergo quicquid annihilatur, antea ab eo conservatum est. Conservat autem Dominus per continuum influxum ipsius esse, unde & conservatio dicitur continuata productio. Ergo & idipsum produxit Deus
671. quod conservat. Ergo sic nihil est præter Deum improductum. Nunc pergo.

Aut produxit igitur Deus res per generationem, aut creationem (loquor de substantiis. Illæ enim si inceperint per creationem, satis est. Nam accidentia, tanquam Entia accessoria, sequuntur suum principale.) Non per generationem. Ergo per creationem. Propositio patet, quia isti duo modi solùm sunt producendarum substantiarum. Assumptio autem similiter manifesta est. Nam omnis generatio est ex præsupposito. Ergo tandem standum est in aliquo ingenerabili, quod est materia, quæ per nullam generationem fieri potest. Ergo si præter generationem non est alius modus producendæ substantias, sistendum est in aliquo improducto. Ostendimus autem, non posse quicquam præter Deum esse quid improductum. Oportet igitur ut id sit per creationem, per quam ipsa materia inceperit, cui ex novo indicio repugnat, ut sit improducta. Nam ita conveniret illi, & perfectio summa, & imperfectio summa, ut antea argumentabar *in art. 3. ad diffic. 1.* unde relinquitur quòd esse habeat per creationem, cùm illud habere non possit per generationem, ut dictum est. Speciales probationes de talibus Entibus prolixè inducit Suarez *disp. 20. sect. 1. num. 15 & seqq.* & adde Thom. cum Interpp 1 *part. quæst. 44. 45.* Videturque hæc sententia satis conformis sacris Literis, in quantum docent, quòd tantùm non creaturæ, Deum esse Autorem & factorem suum, de quibus suprà fuit, ut in quæstionibus proximalibus.

De objectionibus.

672 OBjicitur contra hanc sententiam. 1. Si lumine naturæ cognosci posset, quòd aliqua creatio facta sit, sine dubio cognovisse id Aristotelem, Platonem, aliósque graves Philosophos, qui diligentissimè servati sunt naturam. *Deinde* notitiam factæ creationis Scriptura clarè refert ad fidem. *Heb. 11. Fide intelligimus aptata esse secula.* Quæ autem μὴ φαινόμενα sunt, non sunt ἐναργῆ, hoc est, quæ sunt objecta, per fidem cognita, non cognoscuntur per rationem seu scientiam, vel lumen naturæ.

673 *Ad primum* respondeo: Graves Autores dicere, Platoni & Aristoteli cognitum fuisse Deum, conditorem mundi. Ita Scalig. *exerc. 91. sect. 13.* Suarez *disp. 20. sect. 1. num. 23.* Et ex vetustioribus Thomas 1. *p. quæst. 44. & 1 2. contra Gent. c. 15.* Scotus *in quolib. q. 7. & 2. d. 1. quæst. 3.* alique. Sed fateor rem incertam esse. Et multi negant, præsertim de Aristot. creationem cognitam fuisse. Peter. *l. 5. Phys. c. 7.* audacter ait: *Nihil reperiri aut fingi posse, quod sit magis contrarium doctrinæ Aristotelis, & quod omnes ejus artus & nervos sic dissentientias elidat, quàm creationem in eo admittere.* Postea & ponit quid Plato senserit. Ego istas criticas contentiones, de sensibus vel sententiis Autorum, non magnipendo curo
Solvuntur objectiones.

674. Directè igitur respondeo: 1. Quæ lumine naturæ cognita sunt, non illico requirere assensum apud omnes, ut superiùs confirmatum est, & patet, tum de Deo, quòd sit Deus, tum quod unus sit, quæ naturaliter cognosci possunt. Neque tamen omnes eis conclusionibus assentiuntur, & ne quidem est illud, loquendo de sapientioribus Ethnicis, nam & quandoque *magus* (quæ multiplex imperfectio nostra est) *dormitat Homerus.*

675 *Ad secundum* respondeo: 1. Non esse absolutè pugnantiam in eo, ut sit quid cognitum fide & ratione. Ea enim cognoscuntur per fidem, quibus assentimur
Solutio ad
ob au-

eb autoritatem testis. Cur igitur ea, quæ Deus dicit, quæque adeò credimus, assentiendo testimonio Dei, non petimus etiam nosse, per propriam demonstrationem? *Proinde*, sicut dependentia assentiendi ad testimonium humanum, non impedit, quò minus aliquid demonstrari possit: ita etiam dependentia assentiendi ad testimonium divinum, in quantum tale est, non impedit, quò minus id scientificè cognoscamus, assentiendo divino testimonio. Dixi *in quantum tale est*, quia aliunde fieri potest, nempe ex rerum vel sublimitate, vel obscuritate, vel intellectus habitudine, ut quæ certâ fide tenemus, ob revelationem nobis factam, demonstrare non possimus. Et patet id ipsum. Nam fide tenemus; Deum esse, Deum esse unum, Deum esse Ens primum, & immortale, corpus habere carnem et ossa; regnum contra se divisum non posse consistere; et quæ sunt infinita alia, de quibus tamen potest esse scientia, ut constat.

secundum.

Esse aliquid cognosci tam fidem et rationem.

Deinde, Est tamen circa creationem rerum, aliquid peculiariter tribuendum fidei, quòd nullâ ratione constat, veluti, quòd *omnes* res creatæ sint in tempore; quodque illa creatio facta sit intra sex dies, quod hoc die hoc, alio die aliud sit factum, et quæ sunt alia. Ad hæc enim nulla ratio pertingere potest, quòd ita facta sint omnia. Et de hoc sequitur Auctor Epist. ad Hebræos. Initiamus certè in his actibus dominatum Dei libertas. Non potest autem, nisi ex sola revelatione, nobis constare, quodnam ex oppositis illis, ad quæ Deus, juxta libertatem Voluntatis, indifferens est, de facto et in particulari elegerit.

Quid sit, quòd de creatione ex tota Scriptura habeatur?

Sed de creatione satis esto: pergimus ad conservationem.

TITVLVS XVIII.

DE CONSERVATIONE.

676

CUm res, postquam esse cœperunt, perseverent deinceps in suo esse, ideò visò de creatione, de hinc deinceps videndum est, de conservatione. Per illam enim res apprehenduntur primum accipere esse; per conservationem retinere esse acceptum. Est autem de duobus videndum. 1. quid sit conservatio? 2. An et quomodo Deo conveniat res conservare?

ARTICVLVS I.

Quid sit conservatio? & quotuplex? & quomodo se habeat ad creationem?

677. *Quid conservatio?*

IN primis conservatio significat, in communi actum agentis, secundùm quem res detenditur in esse accepto. Dico autem *agentis*. Nam conservatio pertinet ad causam efficientem, indeque conservans est efficiens. Efficientis autem causalitas est actio. Timpl. *Metaph. c. 2. qu. 47.* negat causam conservantem esse efficientem; sed contra id fusè dixi supra *lib. 1. cap. 22.* Additur autem, *quòd per conservationem res detineatur in esse accepto.* In quo continetur distinctio creationis à conservatione. Est creatione enim res primò accipere esse. Per conservationem igitur notatur continuitas illius esse, quod prius acceptum est. Unde etiam infertur conatio alia illius rei, quæ conservatur, quòd scilicet illa non possit esse Ens primum, sed Ens dependens et per participationem; quodque adeò rebus conveniat conservari, ab imperfectione aliqua.

678 *Distinctio conservationis in eam, quæ est per se, & quæ per accidens.*

Cæterùm conservatio variè distinguitur; primò conservatio alia est per se, simpliciter & directe: alia per accidens, & secundùm quid, apud Thom. 1. *part. q. 104. art. 1. & 2.*

Directè conservari dicitur illud, quod dependet à conservante, ita ut sine eo esse non possit. Vel, directè conservat aliud, quod influit esse in aliud: quo modo Sol conservat lumen, continuè spargendo radios, & quasi aggenerando lumen.

est per accidens. lumen. Indirectè autem dicitur illud conservare, quod removet prohibens, ita deque non influit in ipsum esse, quod conservatur: sed in aliquid extrinsecum: Puta; quod rei contrarium est. Idemque est, si influat in dispositiones rei connaturales, an illæ maneant proportionatæ naturæ illi, quæ conservanda est. Dicitumque ista conservatio *indirecta*, quia directè influxus est in aliquid extrinsecum, exinde tamen resultat permansio alterius rei in esse suo. Et ex hoc est *conservatio*, ex illo autem *indirecta est*. Sic Magistratus conservat Rempubl. componendo seditiones & factiones, arcendo hostes, prohibendo usuras, censendo otiosos, atque Reipubl. nocumenta removendo. Sic Sol conservat carnes, arcendo putredinem. Idemque est in aliis.

679 Deinde conservatio duplex est, alia *positiva*, alia *negativa*, quam alio nomine *permissionem* nominat Suarez *disp. 21. sect. 1. num. 14.*

Conservatio privativa et positiva quid? *Positiva est*; quando conservans conservat per positivum & realem influxum ut erat in præsis relatis exemplis. *Privativa est*, cùm id dicitur conservare, quod non destruit; veluti, hoc posteriore genere Deus dicitur conservare mundum, quatenus mundum non destruit, vel juvat illo esse, quod ipse habet. Quanquam non diffiteor, satis catachrestice istam dici conservationem, quæ citra influxum est. Estque adeò ista solùm conservatio nomine tenus. Alias distinctiones mitto, neque enim sunt ad propositum. Harum autem usus erit in sequentibus.

Ex dictis igitur dico: *Cum Deus dicitur conservare res creatas, intelligi conservationem illam, quæ directa nominatur & positiva.* Deum igitur rem conservare, nihil aliud est, quàm cum, per positivum influxum, in ipsum esse rei ejus (non autem, in ea quæ extranearentur rebus) quæ conservanda est, influere. Quòd autem *Deo* conveniat, postea disputo. Nunc enim solùm terminum *conservationis* declaro, quid per eum intelligatur; quando *Deus* conservare dicitur.

Atque ex his facilis est dijudicatio istius quæstionis.

An & quomodo differant creatio & conservatio?

680 *Diversæ sententiæ recensentur.* HAnc igitur ad rem Henric. *Quodlib. 1. q. 7.* disputat Creationem & conservationem esse duas actiones, quod ut admitti posset, dualitatem illam intelligendo, juxta inadæquatos conceptus, unam actionem apprehendendo, per modum duarum, ita loquendo de iis, prout sunt à parte rei, verè est una actio. Idque docent Thom. *1. p. q. 104. a. 1.* Et de potentia, *q. 3.* Suarez *disp. 21. Sect. 1. 2. num. 4. & seqq.* alique: Estque ferè recepta sententia. Ex qua & Scaliger. *ar. exerc. 31*, conservationem esse nihil aliud, quàm essendi continuationem, & esse quandam veluti perpetuam generationem. Vide & *exerc. 250. fol. 768. & exerc. 307. sect. 27. p. 978.* Et Zabarella, *de calore cœlest. c. 3. fol. 561. a. t.* generari calorem dum continuè conservatur.

Hæc igitur sententia, quæ vera est, hunc ad modum probatur; Conservatio nihil addit creationi, nisi permansionem in influxu semel inchoato. Supponimus enim nunc; Deum per influxum positivum conservare, quod postea probatur. Permansio autem non addit novam Entitatem. Ita patet; Nam aliàs oporteret fingere tot conservationes, quot sunt momenta, si permansio agentes in aliqua actione poneretur secum realem distinctionem. Et sit hoc evidentius exemplis aliis. Sol illuminat in primo instanti, & permanet in illuminando, sive continuat actionem illam illuminandi. Hic utique una est actio. Eadem enim actio, citra interruptionem continuatur. Continuitas autem unitatem notat. Sic incipimus videre vel intelligere, & permanemus in videndo vel intelligendo. Hic una est visio, intellectio una, quæ postquam cœpit, aliquandiu durat. In his omnibus gratis finguntur duæ actiones, visio, in primo instanti, & permansionem videntur. Ergo idem est etiam de creatione & conservatione. Ubi creatio significat inchoationem divini influxus: conservatio autem notat ejusdem realis influxus

681.

fluxus continuationem. Et iterum patet exemplo durationis, quæ non realiter distinguitur ab existentia ut supra visum est, quia existentia non addit, nisi permanentionem. Summatim igitur concludo: creationem & conservationem non differre realiter.

682. Atque hoc ipsum etiam procedit de generatione & conservatione, loquendo de ea conservatione, qua id, quod genuit, conservat per continuum influxum in ipsum esse rei. Ratio enim & hic militat, quæ allata est. Sicut Sol gignit lumen spargendo radios, & continuando illam suam sparsionem radiorum, conservat lumen. Hîc igitur non est alia actio, qua Sol gignit lumen, & alia, qua conservat, sed est una & eadem. Dixi: *qui id, quod genuit, conservat.* Nam si aliud sit gignens, & aliud conservans, utique differunt generatio & conservatio. Ita enim alia ratio est parentis & nutricis. Rursus dixi: *qui quid conservat per continuum influxum*, hoc est, qua quid conservat conservatione directa, quam prius dixi. Nam conservatio, quæ talis dicitur per accidens, non habet identitatem ad generationem.

613. *Quomodo ratione distinguantur creatio & conservatio?*

Posito autem: quòd creatio & conservatio sint realiter idem, ut hactenus concludum est: nihilominus illi actus differunt ratione, idque per & propter inadæquatos conceptus unius & ejusdem rei, juxta aliam atque aliam connotationem. Est, *inquam*, una actio Dei. Hæc in quantum confert rei primum esse, vocatur *creatio*: In quantum autem ea confert rei productæ continuationem in essendo, dicitur *conservatio*.

684. *Objectiones Henrici.*

Duo autem solent potissimùm ex Henrico *objici*, contra istam realem creationis & conservationis identitatem. *Primum est*: Si conservatio est idem, quod creatio, ergo res creata semper erit in fieri. Nam creatio ipsum fieri significat. At hoc est absurdum, ergo & antecedens. *Deinde*. Creatio est instantanea & indivisibilis. Conservatio autem est successiva & divisibilis. Sicut Scalig. *exer.* 307. *sect.* 17. inquit, Conservatio atque perpetuatio nihil est aliud, quam conjunctio multorum præsentium, & affluxio futurorum.

685. Adversùs *primo generaliter* respondeo: Diversitas attributorum, non illicò facit realem distinctionem. Potest enim ea provenire ex inadæquatis conceptibus unius rei. In ista enim conceptuum diversitate sufficienter fundari potest ista diversitas.

686. *Deinde specialiter ad primum* dico: assumptionem ambiguam esse, qua dicitur, *creatum non potest semper fieri*. Fieri enim aliquando significat primam inceptionem in essendo, sive novitatem essendi. Et sic verum est, creaturam non semper fieri, hoc est, de novo incipere. Aliter autem *To* fieri potest significare dependentiam actualem in esse. Ergo hoc in sensu creatura semper fit, hoc est, actualiter à Deo pendet, & recipit esse per istum actualem influxum, quo semel producta est à Deo. Confer Suarez. *disp* 21. *sect.* 2. *n.* 13.

687. Ad *alterum* respondeo illam objectionem confirmare solum distinctionem rationis, inter creationem & conservationem. Ista enim satis est ad eam distinctionem, quæ ab. tradatur. Ita patet, sic loquendo, Una est Dei actio, quæ, quoad primum instans, à nobis dicitur creatio, & proinde est indivisibilis & instantanea; Et eadem dicitur conservatio & proinde suo modo successiva & divisibilis, in quantum continuatur. Simile est in existentia & duratione, in illuminatione & conservatione luminis, & sic in aliis.

ARTICULUS II.

An & quomodo Deo conveniat res conservare?

688. *Sententia Scripturæ & Patrum.*

Quod Deus conservet res naturales, ex Scripturis certum est, *Hebr.* 1. *Portat omnia verbo virtutis suæ*. Alia mitto. Idem & Patres docent. Augustinus *l. de immortal. anim. cap.* 8. Hæc vis, *inquit*, & natura incorporea effecit, corporis

corporis universi, præsente potentiâ cernit universum. Non enim fecit, & discessit ut postea quid fiat ignoret. Et postea: *Illa efficacia non potest, quia id, quod ab eo factum est, tueatur.* Et lib. 4 super Genes. ad lit. c. 12. *Neque enim, inquit, sicut fabrica ædium, cum fabricatores quos discedit, atque ita cessante, atque desidente fit opus eius: ita mundus regitur ab eo, a quo factus est. Proinde & quod Dominus, ait.* Johan 5. *Pater meus usque modo operatur, continuationem quandam operis ejus, quo universam creaturam continet, atque administrat, ostendit.* Et Gregor. lib. 16. moral. c. 18. *Res, inquit, in semetipsis nullatenus subsistunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta namque in illa sunt substantia quo creata sunt.* Et postea: *Nam ex nihilo facta sunt: Eo namque essentia versus ad nihilum tenderet, nisi eam Autor omnium regiminis manu teneret.* Vide Damasc. *l. 1. de Orth. fid. cap. 3.* Gregor. Nazianz. *orat. 2. de Theol. p. 36.* Anselm. *in monolog. c. 12.* Idémque docere Philosophos Gentiles inducit Justinus Martyr, *in orat. parænet. ad Gent.* Eugubinus *l. 1. de perenn. Phil. c. 6.* Et adde alios Philosophos, quorum sententias recenset Suarez *disp. 1. sect. 1. num. 15.*

689. *Idem probatur rationibus. De permissiva conservatione.*

Atque hæc etiam sententia probari potest per rationem. Inprimis certum est: Deum res conservare permissivè, hoc est, res permanere, quia permittit eas vivere & esse. Cum enim Deus sit summus Dominus suarum creaturarum potest eas destruere. Ergo, quod ex non intereunt vel destruuntur, est ex placito divino, & ejus permissione. Hactenus igitur Deo convenit primus modus conservandi, juxta distinctionem superiùs propositam.

De positiva.

Quod tamen & conveniat Deo conservatio, per positivum influxum, eúmque directum, in ipsum esse rei creatæ, patet: quia secus non posset Deus res annihilare. Annihilatio enim non potest consistere in positivo, quia tendit in non esse simpliciter. At omnis actio positiva tendit ad esse. Unde & corruptio Physica non est motus positivus, nisi in quantum exclusâ formâ unâ concomitanter introducitur alia. Consistit igitur annihilatio in aliquo privativo, quod non est aliud, quàm suspensio influxus divini, quo rem conservabat. Præexistebat igitur annihilationi ille positivus influxus, ad rei conservationem: Et quòd in ista suspensione influxus divini, consistat rerum annihilatio, etiam Scriptura docet. Job. 6. *Solvat manum suam*, inquit Job, *& desecet vel succidat me.* Ubi indicatur: quòd rerum succesio, vel interitus sit per solutionem, vel retractionem manus tenentis vel sustentantis, ut eum locum explicat Valentia, *disput. 8. q. 2 a. 1.* Alias rationes vide apud Thom. *1. p. q. 104. a. 1. 2.* ubi & Interpp. Suarez *disput. 21. sect. 1. num 6 seqq.*

690.

Atque ex his apparet etiam: quis modus sit divinæ conservationis. Conservat nempe Deus non solum permittendo, ut res sint, sed etiam positivè influendo, & continuando illud esse, quod semel dedit, omninò sicut Sol conservat lumen suum. Id primùm præstat spargendo radios, & continuatâ istâ radiorum sparsione idem etiam lumen conservat. Hoc enim exemplo in hac materia Doctores frequentèr utuntur.

Diluuntur Objectiones.

691. *Videri aliquis imperfectionem artificis, si faciat opus cui perpetuò assistere debeat.*

Objicitur: ad perfectionem artificis pertinere, si possit effectum adeò stabilè facere, ut non opus sit illi effecto perpetuâ artificis assistentia, qui servet ædificium ne corruat. Ergo ad imperfectionem Dei & divinæ actionis veniet, si non possit nisi tale ædificium facere, quod collaberetur illicò, si Deus manum sustentem tantùm retraheret.

692. *Solvitur.*

Respondeo 1. retorquendo. Imò ad maximam amplitudinem divinæ potentiæ, & eminentiam ejus facit, si quæcunque sunt, ipsius manu sustententur, vel verbo virtutis ejus portentur. Ad istam enim potentiæ amplitudinem pertinet, quod, ut & Suarez *disp. 21. s. 1. num. 17.* meminit, habet plenum dominium

nium omnium creaturarum, & intrinsecam potestatem annihilandi eas per solam suspensionem influxus sui. Et rursus ad eminentiam essentiæ divinæ pertinet, quòd Deus est Ens αὐτοτελὲς, hoc est, in seipso stans vel subsistens, & prorsus Ens ἀνενδεὲς, à quibus perfectionibus recedunt à Deo res creatæ.

Unde 2. respondetur, Stabilitatem propriam commendare perfectionem artificis, si illud, remotâ artificis actione, persistat: sed id est, supposita alia ejus imperfectione, quòd scilicet artifex non potest facere rem secundùm proprium esse, sed solùm secundùm accidentalem coordinationem rerum naturalium, veluti lignorum vel lapidum, &c. Hæc igitur imperfectione præsupposita ad perfectionem artificis pertinet, si illas partes aptissimè & validissimè conjungere & unire possit. Idem etiam est in multis aliis attributis aliis. Immutabilitas vel immobilitas est perfectio simpliciter in Deo. Et tamen, supposita aliqua imperfectione in rebus creatis, pertinet ad perfectionem rerum creatarum, si sint inobiliores, Nobiliores enim sunt res mobiles, quàm quiescentes, veluti animalia, quàm stirpes, & sic etiam est in aliis, ut aliquoties dictum est.

693. II. *Objicitur.* Si Deus per continuum influxum conservat res naturales, vel omnes creaturas suas, tùm omnes res creatæ habent esse per fluxum quendam, & proinde sunt Entia successiva, non permanentia.

Resp. Non qualiscunque fluxus vel successio, facit Ens successivum sed illa solùm, in qua res acquirit partem post partem, ad essentialem suam integritatem: atque inde essentiam suam non potest habere totam simul, sicut, id est, in hora, verbi gratia, quæ in nullo momento habet totum esse horæ simul. At tale quid non est in isto influxu conservativo. Nam per illum in uno momento totum, illud, quod ad essentiam rei pertinet per continuationem influxus divini accipitur; Sicut & id est in illuminatione vel lumine. Sicut igitur lumen, per continuatam aggenerationem luminis conservatum, non est Ens successivum, sed permanens: ita etiam id est in rebus cæteris, loquendo de iis in ordine ad divinam conservationem, sed ea de re etiam dictum est, *l. 1. c. 18. num. 97. seqq. & c. 19 ferè toto.*

694. III. *Objicitur:* Sunt aliquæ res natura incorruptibiles, veluti, cœlum, Angeli & anima nostra, prout de his quidem particulatim disputatur, *seq. cap. 4. num 67. & cap. 5. num. 20. seqq.* Ergo ista Entia non egent positivo influxu Dei.

Respondeo ad antecedens; Angelos esse natura incorruptibiles, quia supposito Dei concursu generali, nulla res est, quæ eos destruere possit. Idemque est de anima, ut cretis locis disputatum est. Ea tamen naturali incorruptibilitate præsupposita, nihilominus Angeli & anima ita subsunt divino dominio & potestati, ut per eandem annullari vel annihilari possint. Non autem annihilat Deus, nisi per suspensionem conservativi influxus, ut antea probatum est. Proinde in singulis istis conservativus influxus præsupponitur.

TITULUS. XIX.

DE COOPERATIONE SIVE concursu Dei cum causis secundis.

695. ACtum est de actu divinæ conservationis, per quem influit Deus in esse rerum creatarum, continuando illud ne intereat. Nunc igitur agitur de divina cooperatione sive concursu, per quem Deus explet insufficientiam rerum creatarum, quam habent in ordine ad exercendas operationes suas. Ubi & apparet, hanc cooperationem Dei posteriorem esse conservatione, sicut in quibuslibet rebus operatio posterior est essentia rei. Egi autem de tota hac re, prolixè usque in *Tolet. c. 3. num. 57. & seqq. in Comment.* Et inde hic ea de re nunc compendiosè ago.

Proponuntur dicenda. Igitur *principio* ad hanc rem quæritur: An causæ secundæ sive res creatæ aliquid agant. Ita enim, (quod scilicet agant,) præsupponendum est, quia nisi ita esset, Deus non concurreret vel cooperaretur, sed simpliciter operaretur. Concursus enim vel cooperatio notat societatem ad aliud. (Quo posito *secundo* inquirendum est: an Deus concurrat ad causas particulares, sive ad actiones causarum secundarum? *Tertio*: Quomodo Deus concurrat? Seu: In quo consistat iste concursus Dei?

ARTICULUS II.
An res creatæ aliquid verè agant?

696. *Variæ sententiæ.* Necessitas hujus quæstionis sub hoc titulo patet ex prioribus.

Igitur fuerunt aliqui Philosophi, qui negarunt causas secundas, sive res creatas aliquid agere, sed actionem omnem Deo transscripserunt: Indéque ad actiones, quæ istis tribuuntur, dixerunt eas habere se prorsus per accidens, & non magis esse causas earum, ac ingrediens in hypocaustum est causa ruinæ, si eo ingrediente paries vel pavimentum ruat. Ita quod senserit Aliacensis *lib. 4 sent. dist. 1. q. 1.* & Gabriel *4 dist. 2. quæst. 23.* referunt plerique Autores. Et Mahometis sectatoribus idem asscribitur à Thom. *quæst. 3. de potentia art. 7.* Alii admittunt res spirituales solum aliquid operari, non autem res corporeas & materiales, quas solum videri agere, cùm in iis agit Deus, asseruit Avicembron. *in libr. fontis*, ut Thom. recenset *2. part. quæst. 115 a. 1.*

Nihilominus oppositum plerique Autores tenent, & rectè. Vide Albert. *2. Phys. tract. 2. cap. 3.* Averroëm *9. Phys. Comment. 5. & l. 2. Comment. 18.* Thom. *dict. loco*, Suarez *disput. 18. sect. 2.* Colleg. Conimbr. *2. Phys. c. 7. quæst. 13. art. 3.* Fonsecam *lib. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 5. alibique.*

697. *Creaturas verè aliquid efficere.* Igitur: quòd creaturæ verè aliquid efficiant, multis rationibus probari potest. Nam *primo*, secus frustrà darentur potentiæ activæ in rebus creatis. Potentiæ enim sunt propter actus. *Deinde:* Non possent distingui viventia à non viventibus. Horum enim discrimen sumitur inde, quia illa intra se habent principium suorum actuum, hæc non. *Tertio:* sensus judicat, ignem calefacere verbi gratia, & alias res alios actus exercere. Sensum autem dimittere in iis, quæ per eum manifesta sunt, ἀφροσύνης δαιμονίας est, ut ait Aristot. *8. Phys. t. 22.* *Rursus* sic homo, verb. gratia, non peccaret, sed Deus, quoties peccatum consistit in commissione. Et *denique* sic periret libertas hominis. Ea enim in illo consistit, quod homo ex se potest suam operationem elicere, vel non elicere.

698. *Etiam corpora agere.* Atque ista argumenta etiam confirmant, quòd corporeis rebus conveniant operationes, quas ipsæ per se efficiant. Plerique enim, quæ inducta fuerunt, de corporibus loquuntur, aut saltem communiter attingunt omne Ens creatum, veluti quod ex natura potentiarum activarum sumitur.

Solvuntur Objectiones.

699. *Objicitur* I. Quod Scripturæ ajunt: Deum operari omnia in omnibus.

Resp. Operatur Deus omnia in omnibus, sed ille non est adæquatum vel solitarium principium illorum actuum. Operatur, *inquam*, sed non solus operatur. Positio unius, non est exclusio alterius.

700. *Objicitur*: Deus non potest omnes actus rerum creatarum se solo efficere, ergo frustrà adhibentur causæ secundæ, vel creaturæ ad istos actus.

Respondeo, negando consequentiam. Frustra enim id esse dicitur cujus nullus est finis. Quod autem res creatæ suas aliquas operationes habent, non caret fine. Nam *primo*, istæ operationes ad hoc adsunt, ut indicent rerum creatarum perfectionem. Perfectio enim rei est, operari posse. *Deinde*: illæ operationes rerum creatarum illustrant gloriam & bonitatem Dei, ex hoc, quòd Deus se communicav.

municavit, non solùm, ut alia haberent esse, sicut ipse Ens, sed etiam, ut alia sint activa, sicut ipse activus est.

III. *Objicitur*: Saltem corpora non posse agere. Nam corporibus convenit quantitas. Quantitas autem est admodum iners ens, & vulgò ea dicitur nullius esse efficaciæ. Impedit ergo actionem rerum corporearum. *Deinde*: eadem quantitate in rebus materialibus suppositâ non possunt ea habere sufficientem immeationem, & propinquitatem ad patiens. Quantitas enim non admittit penetrationem. Atqui ad agendum omnino necessaria est approximatio agentis ad patiens. 701 *Objectiones de corporibus.*

Resp. ad *primam* partem hujus objectionis, quantitatem quidem nullius esse efficaciæ. In quanto tamen non est sola quantitas, sed præterea forma substantialis, qualitates, veluti habitus, potentiæ, aliâque quæ satis sunt actuosa. Gratis autem dicitur, si quantitas nullius sit efficaciæ, quod idcircò impediat actionem. 701 *Solvuntur.*

Ad *alteram* partem illius objectionis respondeo. Agentis ad patiens debere esse aliquem contactum, ut Aristoteles requirit 2. *lib. de gen. & corr.* & aliàs. Ille tamen contactus non necessariò requirit immeationem vel penetrationem agentis in patiens (quam solùm prohibet quantitas) sed potest esse vel in diffusione virtutis ad patiens, quali contactu Sol calefacit terram; vel etiam si contactus corporalis sit, consistit in approximatione agentis ad patiens, quam corpora facilè habere possunt, non obstante quantitate. Manus mea percutit mensam, atque adeò unitur ad mensam, non immeando, vel penetrando ipsam, sed attingendo superficiem solùm.

ARTICULUS II.

An Deus concurrat ad quosvis actus rerum creatarum?

SUpposito, quòd res creatæ aliquid agant: nunc inquirendum est, an per se solas sufficientes sint ad istas actiones suas, atque adeò, an etiam Deus ad actiones illas concurrat, quas ex se eliciunt causæ naturales. 703

Igitur hac in re Pelagiani dicebant: posse se, sine auxilio Dei, movere manum, curvare digitum, sedere, stare, ambulare, ut refert Hieronym. *lib.* 1 *contra Pelag.* & Augustl. *lib.* 5. *de Genes. ad lit. c.* 20. *& lib. de Grat. Christ. cap.* 4. hoc est, dicebant illi; Res creatas peragere motus suos naturales (de iis enim nunc loquimur) citra concursum Dei. Idem docuit Durandus 2. *sent. dist.* 1. *quæst.* 5. *& dist.* 37. *quæst.* 1. & Taurell. *de ver. ætern. part.* 2. *q.* 451. & alii. *Pelagianorum sententia.*

Oppositam autem sententiam communius tenent Doctores Theologi & Philosophi. Vide Augustin. & Hieron. *d. l.* & add. Augustl. *Epist.* 146. *ad Consentium.* Lombard. 2. *d.* 37. & Thom. 1. *p. q.* 105. *&* 1. 2. *q.* 109 *&* 3. *contra Gent. c.* 70. Ubi & utriusque Interpp. vide. Et adde Suarez *disp.* 22. *totam.* Peter. *lib.* 8. *Phys. c.* 7. Bellarm. *l.* 4. *de lib. arbitr. c.* 4. Alios mitto. *Aliorum sententia.*

Et principiò quidem patet de ipsum, per dicta Scripturæ, *Esa.* 26. *v.* 12. *Job.* 10. *v.* 8. *Matth.* 5. *v.* 45. *Psal.* 146. 8 *Jerem.* 10. *v.* 13. *Act.* 17. *v.* 20. Quæ dicta brevitatis causa non adscribo. Tribuitur autem in iis Deo, quòd omnia nostra opera operetur, quod plasmet hominem, pluat, producat fœnum, congregat nubes, fulguret, tonet, in esse & motu. Isti igitur actus, qui aliàs à causis secundis proveniunt, cùm ipsi Deo attignentur, indicant, quod immè Deus ad ipsos influat. At iste influxus non est solitarius, quasi ad æquatè isti actus à Deo provenirent. Ergo id est per concursum cum causis secundis. 704 *Probatur affirmans sententia.*

Deinde probatur per rationem. Res creatæ postulant Dei influxum ad sui conservationem. Ergo à fortiori ad suum fieri, atque adeò ad operationes rerum creatarum. Antecedens patuit in præcedenti titulo. Prima consequentia confirmatur. Nam, si non majoris, certè æqualis saltem virtutis est, rem fieri & sustentari, 705.

vel conservari. Nam antecedente conservatione, res jamdum habet esse. Per suum fieri autem accipit esse, post non esse; quod etiam in generationibus verum est, quæ ex non esse privativo procedunt ad esse. Si autem concurrit Deus, (quæ secunda erat consequentia) ad res in fieri, utique etiam concurrit ad rerum operationes. Nam per operationes rerum creatarum, sive causarum secundarum res fiunt, veluti per operationem gignentis res genita. Illa igitur res genita in fieri, dependebat à Deo, ut priùs eo firmabatur. Et eadem etiam dependet ab actione agentis proximi, sive gignentis. Ergo actio gignentis sumpta per se, & solo, non sufficeret ad producendum effectum. Ergo ea indiget concursu Dei, ad eundem effectum suum producendum. Et eodem discursu etiam sequitur, quod concursus Dei requiratur ad producendam illam actionem. Nam & ad illius conservationem opus est Dei concursu, ut priùs confirmatum est.

706. *Denique* sequitur idem, ex subordinatione rerum creatarum ad Deum. Res creatæ in esse subordinantur Deo, atque hinc in essendo dependent à Deo. Ergo & dependent ab eodem in operationibus. Operari enim sequitur esse, & modus operandi, sequitur modum essendi. At ista rerum creatarum à Deo dependentia in operando, insinuat concursum Dei, ad producendas istas actiones.

707. *Solvuntur objectiones.*

Objicitur primò: *Quievit Deus ab omni opere suo, Gen. 2. v. 2.* Ergo non amplius operatur.

Resp. Quievit Deus ab omni opere suo, *Genes.* & tamen Deus etiam usque modò operatur, *Job* 5. Quievit igitur Deus à creando, operatur adhuc administrando res creatas, fovendo naturas, explendo insufficientias in agendo. Nulla hic contrarietas Vide Augustin. *Epist. 28. ad Hieron. Cessavit*, inquit, *Deus novas naturæ instituendo, non institutas administrando*, & Justin. qq. Christ. q. 49. *Cessavit, sed ab iis, quæ nova sunt, creandis.*

708 *De libertate hominis.* II. *Objicitur*: Si Deus concurrit ad actus causarum secundarum. Ergo & ad actus hominis, atque adeò voluntatis humanæ. Ergo voluntas humana non est libera, quia per istum concursum movet Deus voluntatem. Mota autem non potest resistere Deo. Ergo denecessitatur ad suos actus. Deinde libertas est in eo, quod agens liberum potest agere, & non agere. At, supposito concursu Dei, non potest res agere, & non agere. Concursus enim Dei est per modum actualis influxus in effectum, qui procedit à causa secunda. Ergo & effectus, posito isto concursu, dimanat à causa secunda. Ergo tùm illa causa secunda etiam est actualis. At contradictio est: Causam actualem posse non agere.

709 *De concordantia istius cum cooperatione Dei.* *Resp.* Inprimis multa disputant Dd. de concordantia libertatis humanæ cum cooperatione divina. Vide Thom. *1. 2. cont. Gent. c. 67. & 1 p. q. 105. a. 5.* Peret. *lib. 8. Phys. cap. 8.* Colleg. Conimbr. *l. 1. Phys. cap. 7. q. 10. 12.* Suarez. *disput. 22. Metaph.* & alios. Sed ea res attingit modum, quo Deus concurrit cum causis secundis, veluti, quòd Deus concurrat cum talibus creatis eas movendo ad agendum, ut & in objectione proposita insinuatur. Proinde, quoad hoc, solutio patebit, *ex seq. quæst.*

Secundò: Libertas autem voluntatis non tollitur, inde, quod supposito Dei concursu, res creata non possit non agere. Nam indifferentia ad agendum, quæ ad libertatem requiritur, non est in ordine ad concomitantia actionem, sed ad prærequisita. Nempe liberum agens, positis omnibus ad agendum *prærequisitis*, potest non agere. Concursus autem Dei est aliquid concomitans actionem non aliquid prærequisitum. Proinde iste concursus non magis tollit libertatem, quam quod unumquodque agens, cùm de præsenti agit, non potest non agere, & cùm egit, non potest non egisse.

710. III. *Objicitur*: Aut non potuit Deus creare res sufficientes ad actus suos, aut non voluit. Neutrum dici potest. *Non primum*: quia id manifestè esset impotentiæ.

potentiæ.

six. Non secundum; cur enim non voluisset Deus illud, quo facto sublevasset se Deus tanto onere cooperandi cum rebus, & explendi indigentiam earum, quam ad operandum habent? Ita Tauzellus *de ver. ætern. part. 2. quæst. 45. Magna, præsertim*, inquit, *est indignitas, Deum, qui naturam fecerat, naturæ socium esse, ad absolutas etiam operas, perpetuumque laborem, Magna etiam Dei conditoris fuit imperitia & imprudentia, qui naturam ita condere non potuit, ut, sola, quod suum esset facere non posset officium. Si voluit Deus, semper operari, cur naturam fecit? An putas Deum si quid facere velit concausâ indigere naturâ?* Hæc ille.

711. *Resp.* I. Non potuit Deus facere rem creatam independentem à Deo, in operatione sua, non per defectum suæ potentiæ, sed per impossibilitatem objecti. Unde non tam debet dici, Deum eam non posse facere, quàm eam non posse fieri. Sicut et impossibile est, ut Deus faciat vel creet Deum. Et patet, quia illud manifestam involvit repugnantiam. Illa enim entia, atque adeò etiam actiones, dependentia essent entia, et non essent dependentia. Dependentia sunt, quia creata sunt. Et tamen independentia sunt, quia excluso Deo operantur, et suos motus habere possunt.

Atque hunc sequitur II. quòd Deus etiam non voluerit talem rem facere. Voluntas enim Dei ordinatissima est. Voluntas autem ordinata, non est ad impossibile.

Neque III. quicquam hac in re indignum Deo est, vel imprudens, ut Tauzellus satis profanè dicit. Quæ enim indignitas est major in eo, si Deus cooperetur ad abjectas operas, quàm quòd res abjectissimas, (quæ solùm per ordinem ad voluntatem nostram sic dicuntur) fecit et adhuc conservat in esse suo?

712. Nec IV. laboriosus est iste concursus. Nam in actionibus immaterialibus non est defatigatio vel lassatio, ut acutè disputat Scalig. *exerc. 76. sect. 4.* Quod etiam de mentis nostræ actionibus, præcisè loquendo de iis, prout à mente proveniunt, verum est. At actiones Dei sunt immateriales, et per se independentes ab omni materia.

V. Cur autem ita Deus naturam facere voluerit? Si maximè sciri non possit, non propterea negandum est, quod factum sit. Ratio enim divinorum consiliorum, non semper est nobis cognita. Dici tamen potest Deum ita egisse ad illustrandam gloriam suam, quæ certè ex rerum creatarum dependentia satis apparet. Nam inde relinquitur Deo summa, eáque absolutissima independentia ad actiones suas. Unde relinquitur gloria eminentiæ divinæ. Alia mutto.

VI. Neque propterea semper Deus eget natura et concursu, si juxta ordinem mundi, à se institutum, nunc agat cum causis secundis. Potest enim dimissâ natura, et absolutâ suâ potestate agere, quando et quoties vult.

ARTICULUS III.

Quomodo Deus concurrat ad actus rerum creatarum.

713. HActenus ostensum est concursum Dei esse necessarium, nunc videndum est, quomodo istum concursum suum præbeat Deus. Vel: in quo iste influxus consistat? Qua in re admodum variè loquuntur Philosophi, ut videre est ex Suar. *tom. disput. 21. Metaph. sect. 1. 2.* prol. 2 et Clariss. Martin. *disp. 11. Metaph. quæst. 5. 7.* Lombard. 2 *dist. 37* Thom. 1, *p. q. 105.* et utriusque Interpretes. Solentque eam rem etiam Theologi tractare, in doctrina de libero arbitrio.

714. Igitur *primo* aliqui ponunt istum concursum Dei, in ejus volitione. Proinde hi, concurrere Deum cum causis secundis, nihil aliud est, quàm eum velle actus causarum. *Concursus Dei an sit.*

volitio ejus?

Sed hæc sententia proba non est, & à fortiori, vel saltem à pari relinquitur ex istis, quæ de creatione dicta sunt, *tit.17.art.2.punct.* 1. Sicut igitur Deum creare non est idem, quod cum velle ut res sit. Ita etiam cum cooperari, non est idem, quòd cum velle rerum actum, vel quod res operetur. Et patet, quia volitio est actus immanens. Concursus autem iste vel cooperatio est actus ad extra, unde volitio Dei, modo intellligendi nostro, cum concursum præcedit. *Primò* igitur est volitio actualis: *Deinde* istius volitionis executio. Et hæc executio per ordinem ad alium atque alium terminum, dicitur vel creatio, vel conservatio, vel cooperatio seu concursus. Concursus igitur hactenus æquiparatur creationi & conservationi. Unde sicut isti actus non sunt formaliter volitio, sed volitionis executio ita & concursus, sive cooperatio ejus non est formaliter volitio, sed volitionis executio.

715 *Concursus Dei non est in virtute aliqua addita.*

Deinde: aliqui ponunt istum concursum Dei in virtute aliqua superaddita, quâ virtute additâ, aiunt, creaturam sufficientem esse ad actum suum.

Sed neque hæc sententia bona est. Nam inprimis actio Dei ad extra est libera. Ergo istam virtutem (quæ sine dubio esset per modum qualitatis in agente) poterat dare statim in primo instanti, in quo rei dedit esse. Ergo in particularibus actionibus suis tum non egeret concursu Dei. Ergo sic de facto daretur aliqua creatura independens à Deo in operationibus. At id antea ex ratione creati induximus repugnantiam involvere. *Deinde* dependentia illa in agendo convenit rebus creatis ex eo, quia creatæ sunt. Ergo convenit omni Enti creato. Ergo etiam illa virtus superaddita, est ad exercendum actum suum, isto modo dependens à Deo. Ergo ante concursum Dei est insufficiens ad actum suum. Egebit ergo & ista aliâ superaddita virtute. Et sic dabitur progressus in infinitum. Patet igitur, quod in additione talis virtutis non possit consistere Dei concursus sive cooperatio.

Tertiò: ponunt aliqui istum concursum in motione rerum creatarum. Concurrit igitur Deus, juxta hanc opinionem, cum rebus creatis, hoc est, movet res creatas ad istos actus suos.

716

Sed nec hæc sententia vera est, si motionem propriè accipiamus, pro impulsu vel incitatione vel excitatione agentis. Nam inprimis iste concursus sic solùm terminaretur ad causam, & non ad actionem, vel effectum illius causæ. Actio igitur ista vel effectus causæ, nondum dependeret per ipsum concursum à Deo, sed causa solùm. Vel saltem Deus attingeret effectum solùm remotè, & non per modum causæ physicæ, sed moralis, indéque effectus non referretur ad Deum per influxum proprium, sed solùm per imputationem, sicut, qui applicat vel movet ignem, ad accendendam domum, physicè non est causa combustionis, sed solùm moraliter & remotè. Et ex hoc exemplo etiam apparet, si ponatur concursus ipse solùm in applicatione seu motione causæ secundæ, quòd tum nondum satisfiat dictis Scripturæ, quæ de Dei concursu loquuntur. Ibi enim effecta creaturarum minimè tribuuntur Deo, ut homine generante, ipse dicatur generare, vel plasmare hominem. Et sic in aliis. Ille autem qui applicat, vel movet aliud ad agendum, non dicitur hoc, si propriè loquamur, agere, quod post istam motionem fit. Veluti movens ignem ad urendum, aut hominem occidendum, non dicitur urere vel occidere.

717

Dixi: *Si motionem propriè accipimus.* Potest enim motio illa per improprietatem aliquam significare causæ secundæ dependentiam à prima. Ita aliqui dicunt. Non movet causa secunda, nisi mota à prima, hoc est, dependenter à prima causa, ut exponit Fonseca *l.5.Metaph.c.2.q.9 sect.*2. Suarez *disp* 22 *s.2.n.*47. Pellizm. *l.4 de Sab.arbitr.c.*15.*p* 967. Atque hoc verum est, & coincidit cum iis, quæ mox dicam.

718. *Propria sententia.*

Dimissis igitur istis variis modis, explicandi concursum Dei, restat, ut Dei concursus sit nihil aliud, quàm positivus influxus, quem præbet immediatè ad effectum,

effectum, vel actionem causæ secundæ. Concurrit igitur Deus, non efficiendo aliquid in causa secunda, quicquid id sit, sed efficiendo aliquid cum causa secunda. Ita enim insinuat ipsa vox *concursus*. Differtque hæc sententia à prioribus, quod concursum istum ponit, non in actu immanente divinæ volitionis, sed in actu transeunte, seu quæ exercetur ad extra, quod in prima fiebat opinione: Et rursus differt ab ultimis recensitis sententiis, in quibus ille concursus explicabatur per aliquid, quod faciat Deus in causa, veluti virtutem aliquam ulteriorem vel motionem ejus. Patet bonitas hujus sententiæ, quòd non totùm, sic loquendo, indicatur insufficientia creatæ rei ad actum suum: sed etiam intrinseca dependentia (prout ea ad rationem creati Entis pertinet) actionis & effecti (quippe quod & ipsa sit entia creata) à Deo. Nihil igitur nunc necesse est addere. *sententia de præ concursu.*

Quia aliquoties facta est mentio Orationis, de Deo, proinde hic eam interferere placuit, quia aliqua prolixius in ea continentur, ac nunc recitata sunt.

ORATIO.

IN promotione Magistrali habita Anno 1614. 9. Jun. in qua solvuntur Metaphysica Photinianorum argumenta contra Trinitatem. 719

Non conscendi nunc solennem hanc cathedram, Magnif. Domine Rector, Viri Reverendi, Consultiss. Experientiss. Excellentiss. Studiosi Nobilissimi, Præstantiss. Doctiss. Humaniss. non, *inquam*, nunc cathedam conscendi, quod ipse prolixâ aliqua Oratione tempus insumere, vósque detinere constituerim, sed quòd præsentibus his xvi. Philosophiæ Candidatis debita ipsis studiorum & diligentiæ suæ præmia, honorum scilicet gradus, Volente ita venerando Collegio Philosophorum conferre decreverim. Hoc opus hic labor est. Ne tamen ab eo, quod diuturna consuetudine introductum est, nunc consultò decisseere videar, idcircò brevem sermonem præmittam huic solennitati, & eum quidem nec nostro tempori incongruum, nec à mea professione alienum, nec vobis, ut spero, ingratum injucundúmve.

Est hodie novum quoddam hæreticorum genus, quos à Veteri autore hæreseos *Photinianos*, ab interpolatore ejusdem *Socinianos*, à similitudine dogmatum *Neo-Arrianos*, à dogmatis qualitate *Antitrinitarios* dicimus. Hi igitur existimant unam numero personam esse in essentia divina, indéque filium non fuisse ante sui ex utero matris nativitatem. Spiritum sanctum autem dicunt significare, vel operationem divinam, vel etiam ipsum Patrem, prout determinatur ad aliquam operationem vel officium: indéque spiritum Dei dicunt, tale quid esse, quale quid est dextra Dei, vel virtus Dei, & quæ sunt his similia.

Depravant ad obtinendam hanc causam suam, aliquot Scripturæ dicta. Horum considerationem Theologis relinquo, & merito. Depravant eodem scopo, etiam Philosophiam nostram, inprimísque in Metaphysicis existimant se invenire non quod pueri in faba. Admodum gloriantur Philosophiam causæ suæ favere, indeque dictitant à communi ratione dejectos notitiis naturalibus spoliatos, atque adeo in cœcitate mentis suæ obduratos esse eos, qui Trinitatem porro defendere cupiant. Indigna res hæc, indigna Oratio, indignum facinus.

Non permittendum est ullo modo: Philosophiam, atque adeo naturales notitias hæresium velamen fieri: non dandum est fanaticis, Deum per notitias naturales docentem, sibi ipsi, aperto verbo docenti, contrarium esse. Horum alterutrum eligendum est, ut vel dicamus, nequaquam Philosophicam veritatem esse, quam obtendunt, sed errores Philosophorum: vel ostendamus, quomodo amicè consentiant, Deus docens per notitias insitas, adcóque lumen rationis, 720

Eve

sive Philosophiam & idem docens, per vocem suam, in Scriptura nobis revelatam. *Hoc indubitanter tenendum est*, inquit gravissimè Augustin. *lib. 1 de Gen. ad lit. cap. 21. ut quicquid sapientes hujus mundi de natura rerum, veraciter demonstrare potuerunt, ostendamus, nostris literis non esse contrarium. Quicquid autem illi in suis voluminibus contrarium sacris literis docent, sine ulla dubitatione credamus, id falsissimum esse, & quoquo modo etiam ostendamus. Quo ita tenemus fidem Domini nostri, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ ut neque falsa Philosophiæ loquacitate seducamur, neque simulatâ religionis superstitione terreamur*, & sic alibi (lib. 4. de Trin. cap. 6.) ait, *neminem sobrium, contra rationem aliquid dicere aut sentire.*

Proinde operæ pretium facturum me confido, si breviculum sermonem habeam de argumentis memoratorum Hæreticorum, quæ ab ipsis contra Sanctissimam Trinitatis mysterium, ex Metaphysicis afferri solent, ostensurus, (suppositâ veritate Trinitatis, tanquam satis per Scripturas demonstratâ) Philosophiam contrarium isti mysterio nihil habere, esto alias illud sit ὑπὲρ νοῦν καὶ κατάληψιν nostram. Disputaturus autem sum, non declamaturus, stylo simplici & Philosophico, non grandiloquo & Oratorio, verbisque non tàm Ciceronianis, quàm ad hanc rem exprimendam idoneis. Quòd ipsum dum facio, à vobis AUDITORES, omnium ordinum honoratissimi, benevolentiam & attentionem peto.

Pia.

Principiò autem necessariò mihi prostrandum est: quòd nolim nunc, hâc oratione meâ, singulis Christianæ religionis defensoribus, necessitatem imponere respondendi argutiis & tricis istis hæreticorum, quas mirâ arte texunt, ex subtilioribus Philosophorum placitis. Non hæc quivis capit, nec quivis apeus est, ad concertandum cum astuto hæretico, neque efficacia convertendi pertinacem, consistit in refutatione talium sophismatum.

Historia de Philosopho in concilio Nicæno.

Nota est memorabilis historia, quæ in tomis conciliorum ex Russino recitatur de Philosopho & Dialectico astutissimo, qui ad Concilium cum aliis venerat Nicænum. Is singulis diebus conflictus summi certaminis movebat, cum Episcopis Christianæ religionis, contra mysterium fidei nostræ. At nullo dicendi genere à nostris Philosophis concludi & constringi poterat. Ubi maximè hærere videbatur, ea tamen dicendi arte instructus erat velut lubricus anguis elaberetur.

Hoc viso, surgit simplex quidam confessor nostrorum, qui cum initiali verecundia & pudore alloquitur Philosophum. *In nomine Jesu Christi*, inquit, *audi Philosophe, quæ vera sunt, Deus unus est, qui fecit cœlum & terram; quique homini, quem de limo terræ formaverat, spiritum dedit, universa, quæ videntur, & non videntur, virtute verbi sui creavit, & Spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc verbum & sapientia, quem nos filium vocamus, ex virgine natus est, & per passionem mortis à perpetua morte liberavit, ac resurrectione sui æternam nobis vitam contulit; quem & expectamus judicem omnium, quæ gerimus, esse venturum. Credis hoc ita esse Philosophe?* Ille verò hoc efficaci, etsi simplici sermone prostratus, & quasi mutus factus ad omne contradicendi studium. Ita sibi videri respondit, & continuò cum confessore isto abit, & baptizari se voluit, inquiens: *Donec verbis mecum gesta res est, verbis verba cessit, & quæ dicebantur dicendi arte subvertit. Ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis non potuerunt verba virtuti resistere, nec homo adversari Deo.* Hoc scilicet memorabili exemplo ostendere voluit Deus, neque simplices & sublimis scientiæ ignaros homines ineptos esse, ut contra hæreticos loquantur, neque ejusdem quaros, semper fluctuantibus loqui quàm istos. Aliis adeò dictum est: *Stulto responde secundum stultitiam suam, &c.* Et aliis: *Quod solutre non potest humana ratio, illudat fides.* Nunc rem ipsam persequor.

Multo

Multa igitur sunt, quæ in Mysterio Trinitatis aiunt non consistere posse cum Metaphysicis principiis.

Primò ajunt: Rem singularem non posse esse aliquid communicabile. Veluti: *hic homo*, non potest communicari pluribus suppositis humanis. Nam si communicaretur, inde prædicaretur etiam de istis suppositis. At si prædicaretur: hoc ipso, cognosceretur aliquid esse prædicabile vel universale. Universalium enim est prædicari, non singularium. *Atqui* (subsumunt) divina essentia est singularis. Ergo & ipsa est incommunicabilis. At hoc absurdum est ex hypothesibus nostris. Nam nos personæ & essentiæ discrimen in eo ponimus, quòd essentia est communicabilis, persona non. Aut igitur inferunt, portò divina natura communicabilis est, aut non. Si illud. Jam est aliquid universale: Et proindè, Deus non est unus numero, sed specie aut genere. Unde portò non absurdum est: plures numero esse Deos. Si autem essentia divina non est communicabilis, tùm in una essentia divina non possunt esse plures personæ. Nam pluralitas personarum, non sumitur aliunde, nisi ex communicabilitate divinæ essentiæ. *Hactenus isti.* Videatur imprimis de hoc & sequentibus objectionibus Gosavius *in part. 3. refutat. Keckerm, cap. 4. seqq.* 722. 1 *De singularitate Dei.*

Hæc res satis intricata est: sed facilè tamen, ut confido, dissoluetur. 723.

Explicandum autem solùm est: quomodo individuum sive singulare sit incommunicabile. Universale autem sit communicabile.

Igitur præsciendum est: non omnem communicabilitatem rei singulari repugnare. Nam forma hæc, hoc est, singularis communicatur materiæ huic, hoc est, singulari, adeóque composito huic. Vide sic apparet: individuum posse se communicare alii, ut supposito. Atque hoc jam satis est. Nam divina etiam natura non est communicabilis ad plures personas, alitet, ac ut forma esto multæ interveniant distinctiones (ad suppositum). *Singulare potest esse communicabile.*

Deinde: quod communicabilitas illa, quâ divina essentia est communicabilis divinis suppositis, non faciat divinam essentiam, esse aliquid universale, apparet: quia quod communicat se aliis ut universale, necessariò est suorum inferiorum vel genus, ut specierum, vel species, ut individuorum. Unde istius inferiora distinguuntur vel numero vel specie. Aliam universalitatem ignorat universa Philosophia. 724. *Divinam essentiam non esse aliquid universale.*

At Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt species vel individua Dei. Ut Augustinus docet eleganter *lib. 7. de Trin. c. 6. Essentia*, inquit, *prædicatur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, non ut genus de speciebus, nec ut species de individuis, nec ut totum de partibus; sed alio quodam ineffabili & incomprehensibili modo.*

Neque hoc dicunt nostri solùm; sed probari potest ex nostris hypothesibus, ex Scriptura extrinsecis manifestissimè. Si enim Pater & Filius, & Spiritus Sanctus essent vel individua, vel species essentiæ divinæ. Hoc ipso distinguerentur consequenter, vel specie, vel numero. At absurdum hoc: Nam differentia numeralis & specifica, sunt essentiales differentiæ. At personæ Trinitatis non distinguuntur, secundùm nostras hypotheses essentialiter. Atque sic apparet: Neque communicabilitatem divinæ essentiæ repugnare naturæ singulari: neque eandem stare cum natura universali, qualem quidem Philosophi norunt, adeóque objicere possunt. Ad alia venio.

Igitur II. objiciunt. Ex Trinitate sequi, quòd tria sint infinita. Id sic conficiunt. Inprimis immediatè opponuntur in Metaphysicis, ens finitum & infinitum. Ergo qui quid est Ens, hoc vel finitum est, vel infinitum. Igitur tres relationes personales (vel quicquid sit per quod ab invicem distinguuntur personæ S. S. *quocunque modo*) erunt entia infinita vel finitæ. Non sunt finitæ, tùm quia nihil in Deo potest esse finitum; tùm quia personalitates in singulis personis identificantur ad divinam essentiam, quæ sine dubio infinita est. Si autem dicantur Entia infinita; tùm, quia tres relationes sunt, ideircò erunt tria Entia, & consequenter tria Entia infinita. 725. 2. *Argumentum ex unitate infiniti.*

infinita. Dici enim non potest, quod illæ relationes non sint Entia. At si illæ notiones characteristicæ faciunt reale discrimen personarum, certè si istæ non Ens vel nihil sunt, personæ etiam nihil different, quod Noëtianum est.

716. *Non posse esse plura infinita.*

Hæc in re inprimis certum est: non posse dari plura infinita. Nam infinitum Ens habet etiam infinitam perfectionem, seu est ens perfectissimum. At plura Entia tale quid esse non possunt: Ponamus, v.g. duo infinita, *A* & *B*. Hic igitur si *A* est infinitum, tùm habebit omnem summam perfectionem, ideóque includet etiam perfectionem illam omnem, quam *B* habet. Si enim non habet omnem perfectionem, jam statim per defectum istius perfectionis, relinquitur imperfectum, adeóque finitum. At si includit omnem perfectionem ∓ *B*, quomodo adhuc *B* distinguitur ab *A*? Nam nihil relinquitur in eo, quod propter infinitatem ∓ *A*, non includatur in *A*. Si autem *B* nihil habet præ *A*, tum jam non est distinctum ab *A*, & sic tandem relinquitur unum infinitum.

727. *Relationes divinæ, sintne finitæ, an infinitæ?*

Deinde animadvertendum est: Etsi in intellectu nostro, præcisè apprehendi possint divinæ relationes, per inadæquatum conceptum, ut istis apprehensis non apprehendatur totum, quod significant (significant enim etiam ipsam essentiam, in singulis inclusam, ut sic loquamur) tamen ut sic relationes istæ non sunt in re, sed ut re ipsa sunt, sic semper sunt, ut sic loquamur, conjunctæ cum essentia divina. Atque sic, prout sunt, convenit eis infinitas. Nam tunc includunt essentiam divinam, quæ infinita est. Quid aliud est paternitas, quàm ipsa essentia subsistens, sub hoc Charactere? & quid aliud est filialitas, quàm ipsa essentia divina, subsistens sub hoc Charactere? Ex quibus nunc relinquitur, nondum per exemplum divinarum relationum, dari aliquod medium inter Ens finitum & infinitum. Fuerunt enim infinitæ. 2. Neque tamen tria sunt infinita. Nam singulæ relationes habent infinitatem, quia identificantur ad essentiam divinam, quæ una eadémque est numero in singulis.

728. *Præcisè loquendo de ipsis quid sint.*

Sed *inquies*: Quando intellectus noster præcisè apprehendit relationes divinas, an in isto statu finitæ, an infinitæ?

Resp. 1. Magnis Metaphysicis placuit, sic istas relationes esse finitas. Finitas, *isquam*, non positivè quasi habeant talem Entitatem, cui repugnet infinitas, sed infinitas negativè, quia ut sic conceptæ, eam infinitatem non includant, aut eam significent, etsi aliàs eam in re ipsa verè habeant. Hæc sententia non usque adeo incommoda est.

Sed tamen II. resp. Divisionem Entis, in infinitum & finitum, non debere Entia complecti, secundum omnes status, quos habent vel in re, vel post varias abstractiones, in mente nostra: sed satis esse, si in re ipsa, vel secundùm objectivum conceptum; non dentur Entia, quæ non sint finita vel infinita. Et ita esse apparet. Nam ipsum ens universalissimè sumptum, apprehendi utique potest à mente nostra. Tùm quæro: An illud in isto statu sit infinitum, vel finitum? Rectè dico: quod neutrum horum sit. Nam si in ista generalitate esset finitum, jam non posset non diceres infinitum est Ens Rursus: si illud ens isto in statu esset infinitum: tùm finitum non posset dici ens; ac proinde summatim quia in isto statu Ens significat talem naturam, quæ reperiri possit in finito & infinito, idcircò signum est Ens, ut sic, nec finitatem includere, nec infinitatem. Satis de hoc.

729. *3. Argumentum ex simplicitate Dei.*

III. Ajunt: Trinitatem tollere Dei simplicitatem, quæ tamen naturâ cognita sit. Sunt enim, inquiunt, in Deo tres realiter distinctæ personalitates. At conjunctio realiter distinctorum est compositio.

730. *Opinio Gregorii. Rejicitur.*

Hanc objectionem, quomodo soluant alii, priùs referam. Postea quid mihi videatur exponam: 1. Igitur Gregorius *l.* 1. *d.* 26. *concl.* 3. negat, personas divinitatis distingui per relationes, & quidvis aliud incomplexum: Atque sic nullum relinqui compositum in Trinitate. Ait autem has personas distingui his complexis: *Filius natus est à Patre. Pater genuit Filium.*

N.hilominus sic nondum effugit Gregorius, incidítque revera in sententiam,

quam

quam declinat. Nam in istis complexis insinuat relationes personales per *nasci à patre, & gignere filium.* Quod si igitur in hoc exemplo, (*filius natus est à patre*) filio assignatur τὸ nasci à patre, quod patri non convenit, utque convenit filio aliquid, nempe ista relatio, quæ non convenit patri. Atque sic relinquitur fundamentum compositionis, unde Antitrinitarii argumentantur, nempe multiplicitas relationum.

731 *Responsio Keckermanni expenditur.*

II. Keckerman. *in Syst. Theolog. l.* 1. respondet ad illud argumentum, quod compositio non fiat ex re & modo, sed solùm ex re & re. Veluti calor ad gradus tres, non nisi est simplex forma, ac calor simpliciter. In Trinitate autem ait esse solùm rem, hoc est, divinam essentiam, & modum subsistendi. Sic igitur ait, ibi non esse inde compositionem. Addit etiam relationes non bene dici Entia, sed melius dici ordines Entium.

Atq; hoc posterius refutatur à Gollavio Keckermanni adversario. Quod autem dicit compositionem non esse ex re & modo, similiter fientium non esse existimo. Suarez *disp.* 34. *s.* 5 *nu.* 3. disertè docet, compositionem ex re & modo esse compositionem, quia datur compositio ex natura & supposito, quæ non aliunde est, quàm ex re & modo. Et aliàs probat hoc ipsum, *disp.* 30. *s.* 5. *nu.* 11. quia compositio, nihil sit, quàm distinctorum, quicquid illa sint, unio per realem conjunctionem, & quia non possit cogitari, quomodo res non fiat simplicior, per separationem vel abjunctionem modi, inde signum est, modum dedisse compositionem. Ut nunc non dicam, magnis Theologis improbari, hoc Keckermanni placitum, quod personalitates divinas *modos* vocavit.

732 *Vorstii responsio.*

III. Aliam prorsus viam ingreditur Vorstius. Is non laborat, quomodo positis pluribus relationibus adhuc defendat simplicitatem Dei, sed (*in Not. ad disp.* 3 *de Deo, p.* 207.) ait: Deo non repugnare compositionem. Audetq; pro hac sententia allegare Justinum, quasi idem senserit.

733 *Justinus non dicit Deum esse compositum.*

Hac in re non possum non primùm vindicare innocentiam Justini. Fuit enim is Philosophus insignis, ut ex principio sermonis cum Triphone apparet. Unde ejus autoritas, hac in re, aliàs non plurimùm gravaret. Is igitur *t.* 1. *in consol. Græc. respondendum, ad Christianas qq. quæst.* 3. disputat quidem, distingui in Deo essentiam & voluntatem; at noluit ea distingui realiter, nec proinde his ipsis insinuat ullam in Deo compositionem, *Tom.* 3. *in qq. Ch ist. qu.* 144. Quærit: *Si Deus habet subsistentiam existentem, & voluntatem existentem, & filium existentem. Quomodo tot modis compositus, simplex dicatur?* Respondet his verbis: *Sicuti Deus ubique est totus in seipso, atque id fide nostra probamus. Ita etiam simplicitas eius tota filius est, & tota voluntatem habens est. Non enim ad infima creata natura Deus est, ut id quod sit, & id quod habeat per compositionem intelligatur: Verùm pro eo atque naturam obtinet, ita etiam intelligendus est, & quod sit, & id quod habeat, obtinere supra compositionem.*

Quid quod Justinus idem *qu.* 129. docet, quomodo multitudo personarum non tollat Dei simplicitatem, sic ibi quærit: *quomodo Deus incompositus dicatur è duabus personis, quæ intelligentia conjunctas esse possiciuntur, Patris dico & Filii, & unius personæ, quæ facilè peculiaris subsistentiæ rationem præbet, sancti, inquam, Spiritus, obtinentis compositionem, unus & incircumscriptus vocatur, cùm tanta eius & meæ sit substantiarum sive personarum distinctio & discrimen.*

Respondet inter alia his verbis: *Quæ communionem non habet, neque compositus est. Quæritur in Deo quidem esse dicimus ἀσύνθετον, hoc est, ὃ οὐκ ἔστιν σύνθεσις, non autem compositionem. Ideoq; unus est Deus, Trinitas ipsa, essentia unitatem, citra omnem quantumvis ad hoc pertinet, discretionem & distinctionem. Sicut unum est* π. (Nam cùm 1. Græcorum confert ellipsim, & cum π, eo quòd duobus: 1. pendulis, & uno, suprà in transversum posito, simbolizat, comparat Trinitatem personarum) *unitate hæc, citra omnem, quemadmodum ad hoc pertinet, distinctionem & discretionem.* Hæc Justinus. Ex quibus liquidum esse confido, S. Justinum nequa-

734. *Deus non est aliquid compositum*

nequaquam istius in Deo compositionis patronum esse.

Alias hæc, de Dei compositione, absurdissima, adeoq; Vorstio digna est sententia, quia compositio est nomen multiplicis imperfectionis.

Compositio quam imperfectionem importet.

Dicit enim 1. dependentem perfectionem, idq; triplicitèr, uno modo à partibus intrinsecè componentibus. Hæ partes non possunt non esse essentiales compositi. Ergo sic dabunt compositio illi esse, adeóque illud compositum ab istis suis partibus dependebit. Sic & Scaliger *exerc.* 359. *sect.* 12. *Omnia*, inquit, *quæcunque sub Deo sunt composita, etiam materia prima. Solus Deus, purus actus ac verè simplex, si esset compositus, non esset primum Ens. Nam partes priores sunt.* Altero modo, id est, per dependentiam ab aliquo, quod effectivè componat, hoc est, quod unat & conjungat partes, sicut ait Justinus *qq. Christ. qu.* 129. *Qui componentem non habet quomodo compositus est?* Repugnat enim ut aliquod compositum jungat sib. suas essentiales partes. Ita enim esset antequam esset. Nam esset, quia operaretur, jungendo suas partes: Et tamen non esset, quia compositum non est, nisi partibus suis coalitis vel conjunctis. Hæc igitur sic manifestè est repugnantia, inprimis, quia compositio, quam Vorstius ponit in Deo, est essentialis, sive per terminos personis essentiales. Rursus *tertiò* in composito (quod non est unum per accidens) est dependentia partis unius ab alia. Porro clarum est, quod dependenter esse, imperfectius sit ne esse independenter.

735 Ex his sequitur *alia* imperfectio, quam dicit compositio, nempe, quòd compositum est, non posse esse primum. Nam omne compositum est naturâ posterius suis partibus componentibus, & à priori eo, quod ipsum effectivè componit.

Tertio imperfectio est, quod quicquid per compositionem unum est, id necessariò habet aliquid potentiæ. Nam si utrumq; componentium esset actus, tum inde non consurgeret Ens per se, sed per aggregationem, hoc autem aliunde imperfectum est, quia deficit ab unitate. Unde sic ab absurdum est, Deum esse Ens per aggregationem, atq; adeò ex duobus actibus esse compositum. At potentia etiam nomen imperfectionis est. ideoq; vulgò dicitur Deum esse actum purissimum. Confer Thom. 1. *part. q.* 3 *a.* 7. & Suarez *in Met. disp.* 30. *s.* 3. *n.* 4.

736 *Quomodo constet Trinitas cum simplicitate Dei.*

Quomodo igitur tandem salvamus Dei simplicitatem positâ Trinitate; *Resp.* per verba Doctissimi Lychetti *in comment in Schot. ad* 1. *p. d.* 2. *q.* 4. *Persona, divina* inquit, *est summè simplex, & nudo modo composita, tum, quia ei proprietas transit in perfectam identitatem realem essentiæ divinæ: tum, quia essentia divina ex se est simpliciter in ultima actualitate.*

Possum hanc rem illustrare. Ens dicitur unum & verum & bonum. Et tamen istæ affectiones, repertæ in Ente, non faciunt in eo compositionem. Quare? quia unitas & veritas & bonitas per talem identitatem conveniunt cum Ente. Vulgatius est, quod ex potentiis animæ sumitur, supposito, quod illæ realiter non distinguantur ab anima, ut Scotus voluit, & hodie multi alii. Illæ igitur (veluti intellectus & voluntas) nullam realem compositionem in anima faciunt, neque anima, cùm aut sine illis, est magis minúsve compositi, qui per realem identitatem conjunguntur cum anima. Quanquam facilè largior esse aliquam in istis exemplis diversitatem. Sed satis diu immoratus sum huic de Dei simplicitate materiæ. Ad alia propero.

737 *4. Argumentum, ex ratione causæ.*

Igitur IV. Antitrinitarii nostri assumunt distinctionem Entis, in causam & causatum. Aiuntque, quia Deus genuit filium, et utraque persona spiravit Spiritum S. Igitur Pater Filii, et utraque persona Sp. sancti causa est. Ergo filius est causatum, itidemq, Sp. S. At repugnantia est, Deum dicere causatum. Nam causatum est aliquid naturâ posterius causa, & est Ens dependens à causa. At Deus non est Ens dependens, nec ei aliud prius est.

738. *Patres aliqui quomodo patrem dicant causam filii.*

Hæc inire brevis ero. Patres aliqui patrem dicunt causam filii in divinis. Ita facit Damascenus *lib.* 1. *de Orthod. fid c.* 8. 9. 11. 13. Athanas. *in Act. Nicæn. Synod.* et Nazianzenus *Orat.* 29. *de dogmat. & constit. Episcop.* Id ego sic accipio: quòd voce

causæ

causæ usi sint suo modo latè, & ἀκυρολόγως.

739 Aliàs existimo: Patrem non posse dici causam filii, eo modo loquendi, quo vo- *Non est id pri-*
ce causæ in Philosophia utimur. Nam *primò* causatum dependet à causa. At filius *mè.*
non potest dici Ens dependens, tum, quia Deum & Ens dependens esse, implicant contradictionem; tum, quia dependere infert distinctionem entitatum, ut bene Suarez. definiv. 1, *disp.* 12 *s.* 2. *n.* 6. *Deinde* causa, saltem ordine naturæ, est prior effecto, ut ex terminis patet. At absurdum est, Deo (filio puta) esse aliquid naturâ prius, tum, quia est simpliciter Ens, tum, quia si pater sit prior filio, erit id, vel secundùm essentiam, vel secundùm hoc, quod pater est. Non secundùm essentiam, quia hæc una numero est in patre & filio. Nec secundùm, quod pater est, quia in tantum dicitur relativè ad filium. Relativa autem simul sunt natura. Deficit igitur utrinq; prioritas & posterioritas. *Denique:* secundùm quod effecta causa assimilantur, habemus solùm causam univocam vel æquivocam. At pater causa filii æquivoca non est. Nam hujus effectus non dicitur nomine causæ, Scrinium non dicitur Arcularius: nec rana, Sol. Filius autem habet nomen essentiale patris, nempe hoc ipso, quòd Deus est. Neq; tamen est etiam pater univoca causa, etsi ibi Deus Deum generet, sicut in Symbolo Nicæno dicitur: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, &c.* Nam univoca causa est, quæ assimilat sibi effectum in specie, aliàs differentem à se numero. At Deus pater gignendo filium, non gignit alium numero Deum: sed generat, eandem numero essentiam communicando. Et sic per hoc ipsum transcenditur ratio causæ. Intra cujus latitudinem non continetur quicquam, quod assimilet ibi effectum in eadem numero essentia; sed quod vel eam assimilet in specie, ut est causa univoca, vel in genere, & est causa æquivoca; in cæteris, ut dixi, ratio causæ transcenditur. *Pater nec univoca, nec æquivoca causa filii est.*

740 Sed, *inquis*, quid est pater gignens filium, si causa non est?

Resp. Melius generationi voce dicitur *principium*. Hæc enim vox, hoc ipso, quia latior est causâ, à multis specialibus conditionibus & imperfectionibus causatum præscindit. Quanquam autem etiam principium prius sit principiato, tamen hæc prioritas non necessariò est prioritas naturæ, sed sufficit, si qualiscunq; sit, sicut in divinis personis prioritas est, quam alii originis, alii enumerationis vocant. Estque hic accuratè observandum. Aliquid principium apud Philosophos dici etiam eorum, quæ tamen ab ipso essentialiter non differunt, quomodo essentiam dicimus principium affectionum Entis, quæ tamen ab essentia realiter non differunt, ut notum est tyronibus Metaphysicæ. Imò inter ipsa attributa divina (quæ nec inter sè, nec ab essentia realiter differunt) invenitur ratio principii. Nam independentia Dei est principium, ex quo sequitur, quòd Deus sit immortalis. Sic Scotus bonitatem Dei facit principium communicabilitatis. Atque inde communicabilitas per bonitatem, & immortalitas per independentiam demonstratur. Ex quibus apparet prioritatem, quam dicit principium, superioris ordinis esse quam ut sit prioritas naturæ, & consequenter intervenire posse talem prioritatem, inter ea etiam, quæ non essentialiter, imò quæ nec realiter differunt, ut sic sine incommodo pater principium filii dici possit.

Solent & alia quædam ex Metaphysicis disputari ab Antitrinitariis, sed quò minùs ea percenseam singula, facit & actus, cujus gratiâ hic conventus est institutus, & quod currente calamo, profluxior factus sum, superiorum commemoratione, quam initio putaram. Spero autem ex iis, quæ circa arduas has res balbutire licuit manifestum esse: nec communicabilitatem essentiæ divinæ, facere ut ea desinat esse singularis, neque Trinitatem divinarum relationum facere tria infinita: neque multitudinem earundem relationum, facere in Deo compositionem: nec denique generationem filii efficere, ut filius Ens dependens, adeóque non Deus sit. 741 *Epilogus.*

Deus confirmet nos in veritate, faciátque, ut quæ ab ipsius benignitate concessa sunt, vicissim erogemus in ejus gloriam, conservet nos ab omni errore, & quæ nondum scimus, doceat nos, AMEN.

CAPUT IV.

DE ANGELIS.

1. SEcundò: inter ſpirituales ſubſtantias in Metaphyſicis agendum eſt de Angelis.

2. Angelus eſt ſpiritus finitus independens à corpore.

COMMENTARIVS.

IN hoc capite agendum eſt principiò, de aliquibus, quaſi procemii loco, quibus poſitis, progrediendum eſt, ad explicandam definitionem Angeli. *Deinceps* ſpecialiùs excutienda ſunt attributa Angelorum. Et *denique* eorum actus ſive operationes ſunt tractandæ.

TITULUS I.

De Proximalibus.

IN hoc procemio tria tractantur. Nempe 1. de voce *Angeli*. 2. An Angeli dentur? Et denique, in quâ diſciplina de iis tractari debeat.

ARTICULUS I.

De Voce Angeli.

Unde dicatur nomen Angeli?

3. ANgelus vox Græca eſt, dicta ἀπὸ τῆς ἀγγελίας, à nunciando. Eſtque adeò vox hæc ſumpta, non à natura Angeli, ſed ab officio ejus.

Eſtque ex hac notatione ſumpta ambiguitas, quæ eſt in voce *Angeli*, ut ſignificet quemvis internuncium. Hinc in Scriptura Angelus aliquando ſignificat ipſum filium Dei. Veluti *Exod. 3. v. 2.* Ubi qui Angelus apparet Moſi, mox vocatur, Deus Abraham, Iſaac & Jacob, *v. 6.* Quæ eſt periphraſis Jehovæ, ut notat etiam Theodoretus, *quæſt. 91. in Genes.* Idem filius Dei, vocatur Angelus fœderis, *Malach. 3.*

II. Angelus ſignificat miniſtrum Eccleſiæ. Ita Johannes Baptiſta vocatur Angelus, præparans viam Meſſiæ, *Malach. 3.* Et paſtores in Apocalypſi vocantur Angeli, *c. 1 v. 10. & c. 2.* paſſim.

III. Significat in genere, quemvis nuncium vel legatum. Sic exploratores vocantur ἄγγελοι, *Jacob. 2. 25.* Item nuncii, quos Jacob miſit ad Eſau, *Geneſ. 32.*

Alia tamen ab his eſt ſignificatio, ſecundùm quam Angelus ſpeciatim ſignificat ſpiritum creatum, qui à Deo mittitur ad nunciandum aliquid. Cui periphraſi & præſcindunt aliæ ſignificationes, (quæ enim prioribus ſignificationibus Angeli dicuntur, non ſunt ſpiritus: Dei filius autem non eſt ſpiritus creatus) & ſimul etiam redditur ratio appellationis, cur hæ creaturæ *Angeli* dicantur.

Gentiles, & inde Philoſophi, vocant eos frequenter *intelligentias & mentes*, ab intelligendo. Græcè dicuntur δαίμονες, quaſi δαήμονες, ſcientes vel ſapientes, ut ex Tertull. Lactant. & Platone tradit Martyr. *Claſſ. 1. cap. 9. num. 15.* Et hinc pro diverſitate Angelorum facta ſunt ſpeciala nomina. Alii enim ſunt εὐδαίμονες, alii κακοδαίμονες. Occurrit tamen apud eos etiam nomen *Angeli*. Trismegiſtus enim Dæmones vocavit malos Angelos, ut refert Langius *In Annotat. ad Juſtin. Martyr. num. 3. in lib. qq. & reſp. q. 2.*

ARTI

ARTICULUS II.

Angeli an dentur.

SAdducæi negarunt esse Angelos. Dari tamen eos certum est. Inprimis ex Scripturis, quæ meminerunt, & quod creati sint, & quod aliqui steterint aliquibus lapsis: item: quod administrent Deo in abeundis legationibus variis, quæ passim occurrunt. 4

Deinde etiam Gentibus notum fuit dari Angelos, sive, ut ipsi vocant, intelligentias & dæmones, ut patet ex Platone & Aristotele passim.

Possuntque ad hanc rem aliquæ probationes ex natura sumi. 1. Essentia Angelica, prout definiri solet, non involvit repugnantiam. Ergo saltem divinâ potentia est possibilis. Id enim omne Deo est possibile, quod nullam contradictionem involuit. Antecedens autem patet: quia quæ in essentia Angelica ponuntur, ferè omnia reperiuntur de facto in anima rationali. Hæc enim etiam est spiritus intelligens, unde clarum est, quod non repugnet in creatura hæc conjungi. Iterum anima de facto subsistit extra corpus. Unde rursus clarum est, quod spiritus servare possit suum esse, si maximè non sit in materia, quódque adeo ad naturam spiritualem, ut talis est, per accidens sit, an sit in materia, sive non? Vnde & hoc relinquitur, si de facto careat tale Ens naturali aptitudine, secundùm quam destinetur ad complementum alterius, quod nihilominus tamen id subsistere possit. Et sic apparet in tota Angelica essentia nullam esse repugnantiam. 5. *Probatur Angelos dari.*

Posito autem quod natura Angelica sit possibilis, satis bene elicitur, quod etiam de facto sit in mundo. Duabus de causis: Nam *primo*, ad perfectionem mundi, requiruntur omnes species possibiles. Unde si ei deessent Angeli, mundus perfectus non esset, inprimis, quia isti supponuntur esse res nobilissimæ. II. In essentia Angelica significatur maxima Angelorum assimilatio ad Deum. Et nulla creatura est, quæ plus participet de attributis divinis. At non est credibile ullo modo, Deum cùm alias res viles intulerit mundo, eidem non addidisse Angelos tanquam nobilissimum sui speculum, in quo scilicet tot divinæ perfectiones reluceant. 6

Aliud indicium potest sumi ex hominibus arreptitiis & obsessis. Hi sæpè sunt idiotæ, & tamen loquuntur variis linguis, de rebus alias incognitis, blasphemando, quandoque etiam mentiendo. Illorum igitur actuum necessario est danda aliqua causa. Non autem sufficiunt ad eam idiotæ ipsi, quos supponimus esse ignaros talium rerum, & imperitos in linguis. Neque ii actus referendi sunt ad Deum, quia, ut supponimus, sunt illi cum blasphemiis & cum mendaciis. Ergo est alia quædam natura intelligens præter hominem & Deum, quæ istos actus creat. At hæc non est alia, quàm Angelus. 7

Unicum videtur responderi posse: tales actus fieri à mentibus separatis & egressis è corpore. At 1. tale quid gratis dicitur, & sine causa & indicio ullo. *Deinde*: assumpta Scriptura, apparet id esse falsum. Quia tale quid factum est, ex corpore serpentis in Paradiso, cùm nulla anima separata adhuc esset. Neque enim tum quisquam hominum mortuus erat. Potest ad idem proferri robur, quod sæpè apparet in obsessis: id certè extrinsecum est: Et non est aliunde, nisi à Dæmone. Vide Just. *qq. Cirisf. q. 41. tom. 1.* Plura omitto. 8

ARTICULUS III.

Cujus disciplinæ sit agere de Angelis?

HActenus duo præcognita sunt exposita, nempe quid vox Angeli significet, & an Angelus detur? Unde statim digrediendum erat, ad definitionem eorum. Sed quia supposito, quod Angeli sint, adhuc dubium est, quænam disciplina hoc Entis genus tractare debeat. Ideo id prius constituendum est, 9

Sunt

Sunt autem hæc in quæstione tres sententiæ; *Aliqui* Angelorum doctrinam referunt ad Physicam, quod, si rectè meminî, fecit etiam Goclenius *in Phys. completa*: *Alii* faciunt peculiarem disciplinam de Angelis, quam illi vocant ἀγγελοχωρίαν: *Alii denique* referunt eam ad Metaph. junctim, ad doctrinam transcendentium, Dei, & cæterorum. De singulis videndum.

PVNCTVM I.

An & quatenus Physici sit agere de intelligentiis?

11. *Quatenus Physicæ possit agere de Angelis.*

PHysici est, non solùm cognoscere corpora naturalia, sed etiam principia eorum, & passionum eisdem competentium. Unde etiam supposito, quòd Physicæ subjectum sit corpus naturale, si Angeli impertiuntur cœlo motum, hactenus de eis in Physicis agendum est, ut & Aristoteles fecit 7. & 8. *Phys.* Eodem modo, si Angeli sunt datores formarum substantialium, ut Avicenna putavit, in Physicis agendum est de Angelis.

Uterque autem modus esset indirectus. Venirent enim Angeli sic ad Physicam, non ut species, sed ut principia subjecti vel passionum. Unde, cùm præter istos respectus, aliquid etiam haberent Angeli, quod sit scibile, in quantum scilicet tractantur quidditativè & juxta propria & absoluta attributa: Ideò ista tractatio Angelis adæquata non est, relinquendáque adeò disciplina alia, quæ de Angelis quidditativè agat, ut in simili patet de Deo, de quo ut motore agit Physicus, interim tamen alibi cognoscitur juxta attributa absoluta. Vide Zabarell. *lib. de invent. æternos motus, cap.* 5. Quanquam suprà dicti respectus reverâ spurii sunt. Unde ne quidem prædicto modo Physicus agere potest de Angelis. Particulatim tamen in Physicis potest incidere mentio Dæmonum in doctrina Meteorologica, ubi agitur de exteriornis causis tempestatum.

12. *An directè possit de iis in Physica agi?*

Dimissâ autem istâ respectivâ consideratione, inquirendum est; *An Physicus possit agere directè de Angelis?* Id quod juxta duplicem sensum intelligi potest. *Prior* est; si supponatur, Angelos esse corporeos, quo posito, directè continebuntur sub objecto Physicæ, & proinde directè pertinebunt ad Physicam. *Posterior* est, si subjectum Physicæ amplietur, dicatúrque id esse substantia naturalis, non autem corpus naturale, ut Scotistæ fecerunt.

13. Prior modus subsistere non potest. Nam infrà demonstrabo; Angelos esse spiritus, ac proinde incorporeos. Quòd si Angeli aliquo sensu possunt dici corpora, tamen id est æquivocè, comparando eos ad corpora alia naturalia, quæ juxta eam significationem non dicuntur corpora, quâ significatione Angeli corpora dicuntur. Unde si corpus in ea amplitudine sumeretur, ut comprehenderet Angelos, & ea, quæ vulgò corpora dicuntur, revera Physica non haberet unum subjectum, & sic non esset una scientia. Æquivocum enim non significat quid unum.

14. Posterior autem modus iterum supponit erroneam opinionem, quòd scilicet corpus naturale non sit subjectum Physicæ, sed substantia naturalis, de quo Physici prolixiùs disputant. Nobis satis est hoc loco, quod juxta communem constitutionem Physicæ, Angeli ad eam non pertineant directè. Unde nec dici possunt substantiæ naturales, si ternarium naturalis rigorosè intelligamus, hoc est ad eum modum, quo jungitur corpori. Ita enim Scotus non obscurè eam vocem intelligi vult, quòd vocem *naturalis* ex vulgari subjecto retinet, mutat autem solùm nomen *corporis*, in nomen substantiæ. Indéque probo, quod alii dicunt *corpus naturale*, ipse dicit substantiam naturalem.

Angeli propriè an dicantur naturales?

Nunc patet antecedens. Nam naturale dicitur, quod naturam habet (Non quatenus natura generatim idem est, quod essentia. Sic enim omne Ens est naturale. Et proinde hoc sensu omne Ens pertineret ad Physicam, sed) quatenus natura Physicè sumitur. Ibi autem natura est principium motus passivum, passivum inquam & activum, ut Aristoteles minuat, 2. *Phys.* c. 1. Unde natura nihil aliud est, quàm materia

quæ

(quæ passivum)& forma(quæ activum principium est,)in quantum ea referuntur ad motum producendum. Ergo quod naturale est,hoc sensu,est materiatum & formatum. Unde relinquitur, quòd naturale non dicatur, nisi corpus. Indèque, quia Angeli non sunt corpora naturalia, relinquitur, quòd nec sint substantiæ naturales, sicut, quod non est animal rationale, etiam communiori nomine non potest vocari substantia rationalis, quia rationalitas infert animalitatem. 15.

Relinquitur itaque summatim, quòd Physici non sit agere de Angelis directè, hoc est,tanquam de speciebus subjecti sui.

PVNCTVM II.

An ἀγγελοχωρία sit peculiaris scientia?

ITa faciunt aliqui propter varietatem abstractionis, quæ alia sit in transcendentibus, alia in Deo, alia in Angelis, sed contra hanc sententiam satis dixi superiori *libr. capit.* 1. & plenius *ad introduct. Logic. in tractat de Philosophia, num.* 97. 98. 99. 16.

Conclusio Articuli.

ATque ex his relinquitur:quod ἀγγελοχωρία rectè conjungatur cum doctrina transcendentium Dei & aliorum. Inprimis enim in genere abstractionis hæc omnia conveniunt, hoc est,sunt abstracta à materia secundùm rem & rationem. Esto specialis aliqua diversitas hìc interveniat,ut alia sint abstracta secundùm essentiam,indèque implicent repugnantiam, ut sint materialia; Alia autem sint abstracta, secundùm indifferentiam, indèque ad esse materiale, & immateriale se indifferenter habeant. Ut ibi plenius dictum est. His igitur præmissis tractemus de Angelo. 17.

TITULUS. II.

De definitione Angeli.

SOlet ab aliquibus Angelus definiri per collectionem plurimorum attributorum. Quia tamen maximè in definitione commendatur brevitas, ideò ea solùm selegi attributa,quæ satis essent ad aperiendum,quid sit Angelus. 18.

Definitio hæc est apud *Damascen.* lib. 2 de Orthod fid. c 3. *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, sua potestatis, arbitriique liberi, incorporea, Dei ministra,per gratiam non naturam, immortalitatem adepta, cujus substantiæ speciem, terminumque soms novit Creator.* 19.

Brevior est hæc nostra: *Angelus est spiritus finitus independens à corpore.* Ubi per hoc,quod Angelus dicatur *spiritus*,significatur ejus convenientia cum Deo,& anima separata,* Distinguitur autem eodem attributo Angelus à quovis corpore, cui immediatè opponitur spiritus: item à quovis accidente, quia spiritus est nomen substantiæ. Per vocem *finiti*, distinguitur Angelus à Deo: cui aliàs convenit & esse spiritum,& esse independentem à corpore. Per *independentiam autem à corpore* distinguitur Angelus ab anima, quæ cùm sit forma hominis,implicat dependentiam illam ad corpus, quod informare debet.

Nunc autem & ista & alia attributa Angelorum speciatim explico.

TITULUS III.

De attributis Angelorum quidditativis iisque generalibus.

HActria attributa considerada sunt, quòd scilicet Angeli sint Entia & substantiæ & spiritus, juxta ea, quæ etiam de Deo, sub simili titulo, sunt tra- 20.

ARTICULUS I.

Angeli sunt Entia.

21. PAtet: quia Angelica natura, quæ eis tribui solet, nullam involvit repugnantiam. Et aliàs etiam tribuuntur Angelis reales operationes, quæ indicant reale esse.

Potrò antea etiam *num.*3. probatum est:quòd conveniat iisdem Entitas actualis,seu, quòd de facto sint in mundo, unde id hic repetendum non est.

ARTICVLVS II.

Angelos esse substantias.

22. PAtet, quia Angeli sunt nobiliores quovis corpore, & apprehenduntur, tanquam Entia intellectualia,sive intelligentia. *At* hæc non conveniunt,nisi substantiis. *Deinde*: si Angeli essent accidentia. Ergo inhærerent alicui substantiæ: At non inhærent substantiæ materiali,quia ad hanc hactenus sunt improportionati, cùm sint ordinis superioris, quàm sunt substantiæ materiales. Neque etiam possunt esse in substantia immateriali. Nam Deus,qui immaterialis est,est incapax accidentium. *Anima* autem,quantum ad hoc, ejusdem rationis est,quæ non magis habet esse substantiale ac *Angelus*; ut proinde fundare possit accidentia. Si ergo sunt aliæ immateriales substantiæ, in quas sint angeli, tùm hæ ipsæ sunt,quas nos *Angelos* dicimus. Accedit,quod prius probatur,dari substantias immateriales, *num.*5.*seqq*. Has enim possibiles esse,& sic esse de facto in mundo, ibi concludebatur.

ARTICVLVS III.

Angeli an sint spiritus, an corpora?

23. PRius hic vocabula declaranda sunt.

Spiritus vox quot modis dicatur.

Itur *spiritus* vox bifariam,quod ad hanc rem pertiner,sumitur. *Primò*, Spiritus est idem,quod corpus tenue & subtile, quo sensu ventus vocatur spiritus. Pertinétque huc ista significatio, secundum quam spiritus à Physico distinguitur, in vitalem & animalem spiritum. Hæc significatio non est hujus loci. Nam spiritus,juxta hanc significationem,est corpus,scilicet tenue & subtile. *At* nunc loquimur de spiritu,prout corpori opponitur.

Igitur *secundo*, spiritus significat id, quod est expers materiæ, quo sensu Deus vocatur spiritus, *Joh.*4. Vnde sic spiritus est idem, quod substantia immaterialis, vel incorporea,vel res non habens carnem & ossa,ut Christus ait *Luc.*24. Et juxta hunc sensum nunc loquimur,cum interrogamus, sintne *Angeli* spiritus?

24. *Corporis vox multipliciter sumitur.*

Deinde; Vox corporis etiam ambiguè sumitur, unde potest aliquod corpus dici tripliciter: 1. Corpus opponitur umbræ vel σκιᾶ sive *carnique am*. Hoc sensu etiam Deus corpus vocatur à Tertulliano. Vnde sic *Angeli* etiam corpora vocari possunt. *Deinde* corpus & corporeum sumitur pro omni eo,quod est compositum & mutabile. Et sic omnis substantia creata iterum est corpus, etiam anima & *Angeli*: ita *Augustin.tom.*1.*in l.de spir. & an c.*8. *Anima*, *inquit*, respectu incorporei Dei, corporea est. Nihil enim invisibile & incorporeum natura credendum est,præter solum Deum, qui ex eo incorporeus & invisibilis dicitur, quia infinitus & incircumscriptus est, & simplex, & sibi omnibus modis sufficiens se ipso & per se ipsum. Omnis vero rationalis creatura corporea est: *Angeli* & omnes virtutes corporeæ sunt,licet non subsistant in carne. *Denique*: corpus sumitur pro ea substantia,quæ materiam & formam habet. Et in hac significatione opponitur spiritui. Vnde corporea substantia est idem,quod materialis substantia. Et hoc sensu nunc disputatur; *An Angelus sit corpus?*

25. *Augustin.l.*1.*de orig.an.ad Hieron.c.*3. singulas has significationes posuit,quærens an anima (idem enim est de Angelo) sit corporea. *Si corpus est,omnis sub.*[illegible] *anima vel*

sia vel (essentia, quæ prima est significatio corporis) *corpus est anima.* Item: *Si eam solum placet incorpoream naturam dicere, quæ summè incommutabilis & ubique tota est, corpus est anima.* Hæc secunda est significatio corporis. *Porro* (quæ certia est significatio magis propria.) *Si corpus non est, nisi quod per locs spatium, aliqua longitudine latitudine, altitudine, ita sistitur & movetur, ut majore sui parte majorem loci obtineat, & breviore minorem, minusque sit in parte, quàm in toto, anima corpus non est.*

Hæc ideo prolixiùs recitare volui, ut intelligatur, quo sensu Angeli corpora vocari possint: Id quod frequenter apud patres occurrit. Patuit enim ex prioribus posse id duobus modis fieri, ut corpora dicantur.

26. *Angeli quomodo possint dici corpora.*

Dico igitur: *Accuratè loquendo Angelos non esse corpora, sed spiritus.* Ita affero contra Vorstium, *qui in Apologet. Exeg. contra Beccanum*, ait sibi *plus quàm verisimile videri, Angelos esse corporeos.* Tenuit idem Niphus *de Dæmonibus, lib. 3. c. 3.* Et Eugub. *lib. 8 de perenni Philosophia, c. 27. & 41.*

27

28 *Angelos propriè non esse corporeos.*

Hæc sententia non potest subsistere. Nam 1. Scriptura Angelos disertè vocat *spiritus.* Δαίμονια πνεύματα; *Spiritus mendax* in ore, &c. *Spiritus immundus* pererrans, &c. Septem alii *spiritus:* Deinde: si Angeli essent corpora, & proinde materiales, tum haberent etiam quantitatem, & proinde essent impenetrabiles, nec possent naturaliter esse plures, in eodem ubi, nec etiam cum alio corpore esse simul. Quantitas enim istam impenetrabilitatem ponit. At antecedens absurdum est. Nam Angeli in carcere undiquaque clauso possunt comparare, ibique sui præsentiam exhibere. Apparet igitur, quòd quantitas januæ aut murorum, Angelis non obsistat. Legimus etiam legionem Dæmonum fuisse in uno obsesso. Legio autem solet æstimari 6500. personis. Unde incredibile est: Si quisque Dæmonum sibi suum ubi vendicet, ex quo excludat Angelum alium, & corpus aliud; addo & ipsam animam, quæ non est majori jure spiritus ac Angelus, quomodo tanta multitudo potuerit esse in uno homine?

29

Denique, si Angeli essent corporei, tum sine dubio haberent corpora homogenea sive dissimilaria. Nam similaria corpora non sunt apta ad tam varias operationes, quæ Angelis tribuuntur. Oportet enim, ut sit varietas organorum, per quæ operationes istæ exerantur. Nam concurrit etiam corpus ad operationes rei naturales, quod organorum dispositione fieri non potest. *At* repugnat esse aliquid organum, & tamen similaris naturæ. At absurdum est, Angelis tribuere dissimulare corpus. Sic enim Angelus esset coagmentatus ex rebus diversis & contrariis, & proinde esset naturâ corruptibilis, quod absurdum est, quia sic Angelus dignitate superaretur ab anima rationali, quæ est incorruptibilis. Alia mitto.

30 *Angelos malos non esse corporeos.*

Docent idem Patres. Vide Chrysost. *Hom. 22. in Gen.* Ignat. *in Epist. ad Trall.* Nazianz. *Orat. 2. de Theol.* Fulgent. *de fide ad Petr. c. 3.* Damasc. *l. 2. de orth. fide, c. 34.*

Relinquitur autem ex isto generali discursu, quòd nec Dæmones mali sint corporei, quod aliquibus in mentem venit. Et præterea, quòd lapsus Angeli non mutaverit eum in essentialibus. Aliàs enim alius punitus fuisset, & alius peccâsset. Unde Damasc. ait, *l. 2. de orth. fid. c. 3.* Angelos moribus non naturâ differre. At si Angeli boni essent spiritus: Mali autem si essent corporei, distantia esset in quidditativis prædicatis, & proinde Dæmon, antea spiritualis, per lapsum factus corporeus, non esset amplius id, quod fuerat.

31

Objectiones contra hanc sententiam variæ fiunt. Tres earum proposui & solvi *in Top. c. 4. n. 21. seqq.* quas idcirco tantò brevius hic repeto.

Patres, Angelos corporeos vocant.

Igitur primò *objicitur:* Auctoritas Patrum qui frequenter Angelos corporeos dicunt. Vide Orig. *lib. 2. de princ. c. 23.* Tertull. *l. de carne Christi.* August. *Epist. 125. & lib. 2. de Genes. ad lit. c. 17. & lib. 11. de Civ. Dei. c. 28.*

Respondeo primò per instantiam. Et plurimi Patres Angelos incorporeos vocant, ut priùs patuit *n. 29.* Deinde Angeli possunt corpora dici, duobus modis: 1. Si corpus idem sit quod Ens. 2. Si corpus idem sit quod compositum, per priùs dicta *n. 24.*

II. *Objicitur*: quòd Angeli frequenter apparent hominibus, ab illisque tangantur & videantur, quæ sunt proprietates corporum.

De apparitione Angelorum.

Respondeo: Angeli apparent, atque adeò tanguntur etiam, verùm non in corpore suo, sed in corpore assumpto, sicut Diabolus, *Gen. 3.* legitur apparuisse in corpore naturalis serpentis. Et confirmatur, quia si Angelorum illa corpora essent propria, tum illi haberent corpora organica & dissimilaria, & proinde ex varia elementorum concretione creata. Aliunde enim non potest partium dissimilaritas provenire. Et sic etiam Angeli essent per se & naturâ sua corruptibiles. Absurdè. Relinquitur igitur: quòd illa corpora non sint propria, sed assumpta, unde consequens est, quòd apparitio & tactio Angelis per accidens solùm conveniat.

De generatione Angelorum.

III. *Objicitur*: Angeli generant. Ergo sunt corporei. Antecedens patet de Angelis bonis quidem, *ex Gen. 6. vers. 2 4* ubi per Filios Dei Angeli boni intelliguntur, apud Justin. *Apol. 2 pro Christ. tom. 1 fol. 87. & 88. & 109. edit. Lang.* Lactant. *lib. 2. divin. Instit. cap. 15.* Clement. *l. 3. Stromat.* & alios. Et de Angelis malis idem confirmant Dæmones succubi & incubi.

Resp. 1. Dubium est an Angeli generare possint, & certum est, quòd in puritate essentiæ ab iis fieri id non possit, ut infrà disputabitur *num. 239.* Quòd si igitur generant Angeli, fit id solùm in assumpto corpore, ex quo non magis sequitur, eos esse corporeos: ac ex eorum contrectatione. Locum *Gen. 6.* alii aliter interpretantur: plerique per filios Dei Sanctos intelligunt de posteritate Sethi. Vide Chrysost. *Homil. 22. in Genes.* Theodor. *quæst. 47 in Genes.* Cyrill. *l. 9. contra Julian.* Peter. *in Genes. l. 8. de causis diluvii, ad c. 6. § n. 14. ad 84.*

32. *De usulatione Dæmonum in inferno.*

IV. *Objicitur*: Quòd Angeli usulentur in inferno, ab igne corporali. Spirituale autem non potest pati à corporeo.

Respondeo 1. ad antecedens: Non admodum certum esse: Sitne ignis corporeus, qui dicitur ignis infernalis, nec ne. *2.* Si tamen est ibi ignis corporeus, tum inde non magis erit angelus corporeus, ac animæ sunt corporeæ. Nam animæ patiuntur ab eodem igne. Absurdum tamen est, animam esse corpoream, quia est naturaliter in eodem spatio cum corpore, penetrando illud totum. Id autem corpori naturaliter non convenit. *3.* De utrisque igitur, hoc est, de anima & Angelis dicendum est, supposito, quòd sit corporalis ibi ignis, fieri actionem illam ab igne in spiritus, modo prorsus incognito, ut & Augustin. respondet *l. 21. de Civ. Dei, c. 10.* utitur tamen similitudine, qua id declarare vult: *Quis capiat*, inquit, *quomodo spiritus sit forma corporis, cùm inter corpus & spiritum nulla sit proportio? Sicut ergò potuit spiritus unus carni, ut illi vitam communicaret: ita potest unus spiritus igni, ut ab illa pœnam trahat, licèt modus utriusque unionis sit prorsus incognitus.* Confer Durand. *4. d. 44. quæst. ultim.* & Bellarm. *l. 2. de Purgator. cap. 11. 12.*

33. *De eorum loco et motu locali.*

V. *Objicitur*: Angeli sunt in loco. Sunt enim hic & non alibi. Et proinde moventur localiter. At quod est in loco, & localiter movetur, id est corporeum.

Resp. Angeli sunt in loco, latè sumendo phrasin istam, prout subdividitur per esse in loco definitivè et circumscriptivè. Modus autem quo aliqua definitive sunt in loco, convenit Entibus incorporeis. Ex quo apparet, cùm esse in loco sumitur juxta prædictam generalitatem, quòd sit indifferens ad esse materiale et immateriale, sive spirituale.

34 Motus autem localis non convenit Angelis realiter, nisi in quantum omnis is motus localis dicitur, in quo, dimisso ubi uno, acquiritur ubi aliud. Id autem sic non necessariò involvit, ut solùm sit in esse corporeo. Nam si quod sit in ubi finito, ergo potest illud relinquere, et esse in ubi alio. At ubi finitum non convenit solis corporibus. Hæc postea clariora erunt.

35 VI. Angeli sunt extensi et figurati. Ergo sunt materiales. Consequentia patet, quia

quia extensio et figura solùm conveniunt quantitati. Quantitas autem est indicium materiæ. Probatur etiam antecedens. Nam Angelus non necessariò exhibet sui præsentiam puncto indivisibili, sed potest esse præsens toti alicui conclavi, et omnibus partibus ejus. At id fingi non potest, quomodo sit sine quantitate. Eosdem autem esse figuratos, exinde sequitur. Figura enim est dispositio extremitatis. At angelus in spatio extenso existens, habet partes, ut sic loquar, extremas. Ergo sic habet figuram. Tribuitque eam nominatim angelis, Scalig. exer. 359. s. 4.

De extensione & figura Angelorum.

36.

Quatenus extensio eis conveniat?

Respondeo 1. De extensione. 2. Non omnis extensio indicat quantitatem. Est enim quædam extensio Entitativa, quæ juxta partium multitudinem est in corpore, remotâ quantitate. 2. Inprimis autem quantitativa extensio non probatur per existentiam in spatio extenso. Quantitativa enim extensio ponit partem extra partem, et proinde quod eam habet, est totum in toto, & pars ejus in parte spatii. Unde si quid sit totum in toto spatio, et totum in qualibet parte spatii, hoc ipso quantum non est. Aliàs enim Deus quantus esset, qui cùm sit ubique, utique est in spatio extenso. Atque hinc dico: Angelos, cùm exhibent præsentiam suam toti alicui conclavi, esse totos in qualibet parte spatii; quod ipsum est naturæ non corporeæ, sed spiritualis. Sicut et anima nostra corporea non est, quia est in corpore extenso, ipsa tamen tota, et non per partes est in qualibet parte spatii sui sive corporis.

37.

Quatenus eis figura conveniat?

Deinde de figura respondeo: Esse aliquos, quibus non placet, angelis tribuere figuram. Aiunt; in angelis esse solùm terminos essentiæ. Sed revera sententia Scaligeri satis commodè explicatur. Nam termini essendi, non sunt alii, quàm qui significantur per inceptionem, sive dependentiam ab alio, item desitionem. Præterea autem finitatem, est in Ente creato finitas, (ut sic dicam) adessendi, quæ quam aliquid non est immensum, sed determinatum ad finitum spatium. Unde, si illud spatium sit extensum (potest enim alioquin Ens spirituale subsistere in ubi indivisibili) tum juxta hanc spatii apprehenduntur etiam fines in ipso spiritu, quos fines in corporibus vocamus figuram. Unde isto sensu quatenus scilicet angeli determinatam præsentiam habent in extenso spatio, figurati dici possunt. Atque tum respondeo, figuratum esse, non consequi simpliciter ad quantitatem, sed ad essentiæ finitudinem. Quicquid enim essentiam finitam habet, consequenter etiam finitam, sive non immensam præsentiam habet.

38

De delectationibus corporeis.

VII. Angeli delectantur rebus corporeis. Ergo Angeli sunt corporei. Consequentia est evidens. Solet autem antecedens bifariam probari: 1. Quòd Angeli delectentur rebus veneteis. Hac de re satis responsum est ad tertiam objectionem, superiùs citato loco. 2. Quòd Angeli delectentur odoribus sensibilibus, ut August. refert ex Gentilibus, l. 8. *de Civ. Dei.* c. 16. et alii.

39

Quatenus delectentur odoribus.

Ad hoc respondeo: Quod Dæmones odoribus delectentur, non sensibiliter, sed intelligibiliter. Non, inquam, quia odoratu percipiant tales odores, sed quia intelligunt odores aliquos. Veluti, qui in sacrificiis adhibentur apud Gentiles institutis ad dæmonolatriam, spirituali effectu istis complacent. Quòd autem timus rei odor Diabolo magis placet, quàm aliis, id simpliciter est ex placito Diaboli, qui, ut Cornelius Agrippa de eo scribit, est veluti simia Dei. Sicut enim Deus peculiares et delectus res elegit, veluti aquam in Sacramento Baptismi et panem et vinum ad Cœnam, antiquitùs præputii in signum fœderis; non quasi absolutè hæc magis, quàm alia placeant. Ita etiam facit Diabolus, qui res aliquas delimitas eligit, in quibus colatur, simpliciter ex placito, et non quia hæc res vel illa magis alliciat eum, quàm alia. Adde Suarez. *disp.* 35. *sect.* 3. *num.* 12.

TITVLVS IV.

ANGELOS ESSE INTELLECTVALES.

ITa patet 1. ex ipso nomine *Angeli*, secundùm quod *intelligentiæ* dicuntur. Deinde idem probatur ex actibus Angelorum, qui sunt deprehensi, quia scilicet homines tentant, habent linguarum variarum peritiam, ut suprà inductum est, mittuntur à Deo ad obeundas quasi legationes apud homines, quæ omnia sine intellectu Angelis convenire non possunt. 40.

Cur dicantur intellectuales, non autem rationales.

Dicuntur autem Angeli intellectuales non *rationales*. Intelligere enim, ut Thomas tradit 1. p. q. 79. art. 8. est simpliciter intelligibilem veritatem apprehendere: Ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud (à noto scilicet ad ignotum) ad veritatem intelligibilem cognoscendam. Unde sic Angeli dicuntur intelligentes & intellectuales. Homo autem dicitur rationalis. Sed de hoc infrà plenius. 41

Juxta quod Angelis convenit intellectualitas, consequenter iisdem convenit actus intelligendi sive intellectio, de qua multæ quæstiones sunt, tum quoad objectum istius intellectionis, tum quoad ejusdem modum. Sed hæ commodiùs explicantur inferiùs, ubi de actibus Angelicis disseremus.

TITULUS V.

ANGELOS FINITOS ESSE.

FInitas & infinitas à Metaphysico intelliguntur secundùm essentiam: Angeli ergo finiti sunt, quia finitam habent essentiam. Id autem patet, quia essentia Angelica est dependens à primo Ente, & proinde ad nutum primi Entis mutabilis. Non enim datur, nisi unum infinitum, ut ex priori capite relinquitur. 42

Angeli multipliciter finiti.

Scalig. *exerc.* 359. *s.* 3. Angelos multipliciter esse finitos ait. Nempe ait eos esse finitos potestate: Finitos essentia, finitos quantitate, hoc est, non esse immensos, finitos denique numero. De quibus seorsim dicendum postea. Finitas autem potestatis apparebit ex dicendis, de potentia Angelorum, quam considerabimus inter actus Angelicos. 43

TITULUS VI.

DE SIMPLICITATE ANGELORUM.

EX superioris libri *cap.* 5. patuit, esse varias genera simplicitatis & compositionis. Principaliores sunt: Compositio ex esse & essentia, ex natura et supposito: ex genere et differentia; ex materia et forma; ex partibus quantitativis; item ex subjecto et accidente. De singulis videndum. 44

ARTICULUS I.

Angeli non sunt compositi ex esse & essentia.

SUnt. Nam quia Angeli non sunt Entia per essentiam, sed per participationem. Ergo essentia illorum, ut sic et præcisè sumpta abstrahit ab actuali et possibili; sicut et de facto, aliquando Angelica essentia fuit, in potestate objectivæ Dei, producturi eam. Ergo cùm Angelus de facto et actu est, comparatur ad essentiam Angelicam illa existentia per modum advenientis actus. At in hoc consistit ratio compositionis ex esse et essentia. Omne enim id, quod habet essentiam actualem, cui aliàs non repugnat, ut sit possibile, compositum est ex esse et essentia. 45

ARTI-

ARTICULUS II.

An Angeli sint compositi ex natura & supposito?

SVnt. Et probo. In homine est compositio ex natura & supposito. Ergo & ea est etiam in Angelo. Antecedens vulgò admittitur, & patet id, quia de facto humana natura in Christo non subsistit propriâ subsistentia, sed ϓ λόγῳ. Ergo hæc solùm habet naturam humanam, & non habet subsistentiam humanam. Ergo alii homines utrumque habent: hoc est, humanam naturam & subsistentiam sive suppositalitatem aut personalitatem humanam. Atque ita hi sunt compositi ex natura & supposito, sive subsistentia. 46.

Ex his etiam patet consequentia in argumento proposito. Imprimis enim pertinet ad perfectionem rei creatæ posse subsistere (dimissa subsistentia sua) subsistentia divina. Ergo si id fieri potest in homine, à fortiori sequitur, quod id fieri possit in Angelo. Angelus enim majoris perfectionis est, quàm homo. Nec apparet aliunde, cur repugnet Angelo supposítari per divinam subsistentiam, cùm humanæ naturæ ista assumptio in personam ϓ λόγῳ evenerit. At si Angelica natura potest subsistere sine propria subsistentia. Ergo subsistentia Angelica & ejus natura aliquo modo distinguuntur. Quia, quæ simpliciter eadem sunt, non possunt à se invicem abesse. Quæ autem distincta sunt, ea faciunt compositionem, cùm in eodem concurrunt, ut est per se clarum. 47. *Angelos suppositari posse per divinam subsistentiam.*

ARTICVLVS III.

Angeli an sint compositi ex genere & differentia?

RESP. Esse eos sic compositos ex genere & differentia: Nam imprimis patet, quòd in Angelis & corporibus sint aliquæ communes proprietates & operationes. Veluti in Angelis & hominibus est potentia intelligendi & volendi, & proinde actus intelligendi & volendi. Ergo convenit eis communis essentia. Proprietates enim & operationes indicant essentiam. Ergo communes operationes & proprietates indicant communem essentiam. At nullum est indicium, cur illa communis essentia non sit communis per modum genericæ naturæ, quod alias fateor esse posse, ut sæpiùs docui. Ergo revera Angelis convenit genus. Et consequenter etiam differentia. Paucis etiam ea de, re dictum est supra, hoc *lib. cap. 1. num. 12.* 48.

Solet *objici*; Angelis non convenire genus: I. quia sunt actus puri apud *Arist. 3. Metaph. 16.* II. quia habentia genus & differentiam habeant etiam materiam & formam. III. quia corpus sit summum genus, quódque inde non habeat se ut genus, quod de eo & spiritu dicitur per modum generis. IV. quia quod commune est Angelo & corporibus, nec possit esse corporeum nec incorporeum. Unde inferunt: nihil esse substantiale. Et proinde nihil relinqui, quod sit genus istarum substantiarum. 49. *Objectiones.*

Sed hæc argumenta satis dilucidavi & refutavi *in Introd. Log. 2. in Comm. nu. 57. seqq.* unde ad ea pauca hìc respondeo.

Ad primum respondeo: admittendo quod genus inferat aliquid potentiæ. Est enim aliquid actuabile per differentiam. Unde quod genus includit, non potest absolutissimè esse purus actus. Hoc igitur supposito, duplex est responsio. *Una* est, quod Angeli non sint actus puri, ita Fonseca docet *l. 5. Met. c. 8. q. 4. sect. 5.* Juxta hæc igitur negatur absurditas consequentis. *Altera* responsio est: quod Angeli sint actus puri, quomodolibet solùm & secundum quid, & hoc sensu: quod non reperiatur in iis omnis generis potentialitas, veluti quam materia infert. Hoc igitur modo Angeli possunt dici actus puri, & tamen ei genus convenire poterit. *Solvuntur.* *An & quatenus Angeli sint actus puri?*

Ad secundum respondeo: negando, quod habentia genus & differentiam, illico habeant

habeant materiam & formam. Nisi forte ἀναλόγως, & similitudinem intelligatur. Multiplex enim est inter genus & materiam, item inter formam & differentiam convenientia, ut genus materia dici possit, sed sicut homo bulla est. Vide de istis convenientiis Zabarell. *l. 1 de prim. mat. c. 18.* Gerhard. de Monte *in l. Hom. de Ente & essentia, sol. 10. sec. 2.* & Pererium *l. 5. Phys. c. 17.*

Ad *tertium* respondeo: negando, quòd corpus sit summum genus. * Secus enim substantia non esset prædicamentum, sed corpus. Sicut accidens, cùm non sit genus ad quantitatem & qualitatem, non est prædicamentum, sed, quæ infrà ipsum sunt quantitas & qualitas, *&c.* At hujus contrarium communissimè tenetur. Genus igitur corporis substantia est, quæ consequenter etiam rationem generis habet ad id, quod corpori est ἀντιδιηρημένον, nempe ad Angelum, quia is sub substantia spirituali sumitur.

Quarta argumentatio Plotini est *ad 6. l. 1. c. 2.* Sed facilè respondetur, id quod genus est, ad corporeum & incorporeum, nec esse corporem nec incorporeum, quia de ratione generis est, esse denudatum à differentiis contrahentibus, eásque solùm in potestate sua includere. Nec verò hinc sequitur, quòd id consequenter non sit aliquid substantiale. Nam omnis substantia est corporea vel incorporea, loquendo de ea, ut est à parte rei, cùm interim facilè ab istis differentiis præscindi possit, quod ad rationem generis satis est.

ARTICULUS. IIII.

Angeli an sint compositi ex materia & forma.

50. Quia materia & forma sunt adæquata principia corporis, ideò argumenta, quibus probatur, Angelos corpora non esse, sed spiritus, iisdem probatur, Angelos non esse compositos ex materia & forma. Vnde rursus, quæ objectiones sunt contra spiritualitatem Angelorum, eædem sunt pro ista compositione ex materia & forma. Repetenda igitur hic sunt, quæ antea dicta sunt, *num. 23. seqq.*

51. *Respondent* aliqui: Angelis non convenire materiam crassam, sed valde subtilem.

Respondeo primo: Etiam subtilis materia prohibet penetrationem, ut appatet exemplo actus, item spiritum subtilissimorum in corpore nostro, qui neque penetrari possunt ab aliis crassioribus, neque ipsi penetrare possunt alia crassiora corpora: sed simpliciter omne corpus, non habitâ ratione subtilitatis vel crassitiei, cedit alii subeunti. At istam cessionem probavimus non esse in natura Angelorum, *num. 28. 29.*

Vnde 2. respondeo, si aliqua materia tam subtilis sit, ut non prohibeat penetrationem, tùm ne quidem materiam esse, nisi æquivocè. Id enim juxta Aristotelem materia, vocari non solet, nec vulgo ita dici receptum est.

52. *Angeli duobus modis habent materiam.* Si quis tamen generaliter loqui velit, existimo, dici posse duobus modis Angelos habere materiam, & proinde esse compositos ex materia & forma istis modis. Igitur 1. genus frequenter solet vocari materia: sicut & differentia vocatur forma, propter similitudinem, quam habet genus ad materiam, & differentia ad formam. Vnde quia in Angelis datur compositio ex genere & differentia: ideo consequenter etiam dici potest dari in iisdem compositionem ex materia & forma. Nam propter æquipollentiam terminorum, hæc compositio cum illa, juxta ea, quæ dicta sunt, coincidit.

Aliter: quia potissimum materia est quid passivum, & forma actus. Hinc, cui convenit potentia passiva, convenit materia per analogiam sive similitudinem & juxta eandem analogiam, ejusdem actus vocari potest forma. At in Angelis datur

dantur actus, ut liquidum est, & præterea potentia passiva, juxta quam potest recipere ulteriores perfectiones, vel incrementum connatarum qualitatum. Non incommodè igitur dici potest; Angelum esse compositum ex materia & forma, hoc est, ex potestate & actu.

ARTICULUS V.

An Angeli sint compositi ex partibus quantitativis?

54. NOn sunt si rigorosè loquamur. Nam compositio ex partibus quantitativis insequitur compositionem ex materia & forma, quia sic esse compositum est nihil aliud, quàm esse compositum ex pluribus partibus ejusdem materiæ, qualis compositio in homine est ex capite, pedibus, brachiis, &c. & in aqua ex pluribus guttis, quæ omnes sunt partes materiæ. At ex prioribus relinquitur; Angelos non habere materiam. Nec igitur habent partes quantitativas.

55. Si quis tamen ampliare velit terminum quantitativæ partis, sano sensu, bene id fieri potest. Inprimis potest Angelus existere, ut antea etiam dicebamus, in spatio divisibili & quanto; veluti si præsens sit toti alicui conclavi, cujus intuitu Scaliger. exerc. 359. s. 3. Angelis tribuit quantitatem intelligibilem. Estque simile quid in anima, quæ non existit in solo vel corde vel cerebro, sed est in qualibet parte animalis, unde simili sensu ei quantitatem tribuit Zabarell. *de anim. part. c. 1, & 10.* Igitur intuendo istam quantitatem & Angeli & animæ, utique possunt partes quantitativæ pro isto statu eis tribui: dixi *pro isto statu*, quia non repugnat, Angelum & animam esse præsentem uni puncto indivisibili: unde sic nullam retinet quantitatem, etiam intelligibilem.

56. *Inquies:* Hæc confirmant: quòd Angeli (idem autem est de anima) revera sint, juxta dicta, compositi ex partibus quantitativis. Quid enim deest iis ad rationem quantitativæ partis, propriè dictæ?

57. *Respondeo:* partem quantitativam 1. ponere partem extra partem, & proinde non posse totum integrale esse in parte spatii, sed totum esse in toto spatio, & partem ejus in parte spatii. Unde sequitur 2. quòd totum quantitativum non possit contrahere partes suas ad idem spatium. Utraque conditio declaratur exemplo hominis. Is totus est in suo toto spatio. At totus homo non est in qualibet parte spatii. Neque enim illud, quod existit in spatio pedis humani, potest dici homo, vel totus homo. Deinde idem homo non potest contrahere partes suas, ut nunc sint in spatio minori, quàm antea: multòque minùs, ut sint in indivisibili puncto omnes, propter impenetrabilitatem quantitatis, quæ facit, ut quâ parte spatii est pes eâ non sit pes alter & manus & caput simul.

Neutrum autem horum est de Angelo. Si maximè enim Angelus existat in spatio divisibili tamen totus est in parte spatii, non minùs ac est in toto spatio. Ubi antea, exemplo Dei per immensitatem suam existentis, in spatio divisibili ostensum est, *num. 36.* spatii divisibilitatem non repugnare isti modo existendi, quo quid existat totum in parte spatii. Deinde etiam Angelus potest contrahere præsentiam ad indivisibile, ut postea dicetur.

Atque ita per defectum utriusque conditionis patet: rigorosè loquendo: Angelum non habere partes quantitativas, & proinde ex iis compositum non esse.

ARTICULUS VI.

An Angeli sint compositi ex subjecto & accidente?

58. ITa aio: Et patet quia dantur in Angelis accidentia realiter distincta, à substantia Angeli. Idque dupliciter patet: ex Habitibus, 2. de Potentiis naturalibus, ut alia mittam.

59. De *Habitibus* patet. Nam salvâ essentiâ Angelicâ abjicit Angelus bonitatem & integritatem suam, ut patet ex lapsu Dæmonum. Neque enim Dæmon per lapsum transiit in essentiam, substantialiter diversam à priori, ut clarum est. Integritatem tamen non retinuit. Ergo integritas antea habita fuit illius accidens. Non loquor nunc de bonitate transcendentali, quam Diabolus etiam retinuit, quæque accidens non est, sed de morali bonitate, quam confirmavi, accidens est.

60. Per *potentias* autem *naturales* intelligo potentiam intelligendi & volendi. Quòd igitur istæ sint accidentia, & non substantiæ, patet, quia nullum indicium est, cur potentiæ naturales in Angelo requirant identitatem ad essentiam Angelicam cùm eam non habeant potentiæ naturales in anima rationali ad ipsam. Sunt enim hæ vera qualitates atque adeò accidentia animæ, ut nunc maxima pars Philosophorum censet. Confer de potentiâ intellectivâ diversitate ab essentia Angelica, Thom. 1. p. quæst. 54. art. 3.

TITULUS VII.

De duratione Angelorum.

61. TRia hic consideranda sunt: 1. An Angeli sint æterni? 2. Si non sint æterni, an saltem sint incorruptibiles, postquam cœperunt esse? 3. Quænam sit duratio esse Angelici?

ARTICULUS I.

An Angeli sint æterni?

62. AEternitas in rigore, significat durationem undiquaque indefectibilem, ut suprà conclusionis, *l.* 1. *c.* 16. *n.* 38. Inde que æternum dicitur, id solùm, quod nec initium, nec finem habere potest. Unde sic nulli rei finitæ sive creatæ potest convenire æternitas, quia πᾶν κτίσμα γρεπτὸν, *quicquid creatum est, est mutabile*, & potuit propter libertatem causæ primæ non fieri, & potest desinere ad placitum ejusdem.

63. Et hinc sequitur, si maximè de facto Angelus fuisset ab æterno, quòd tamen ei non conveniat duratio illa, quæ dicitur æternitas, ut clariùs esse potest, collaris ex iis, quæ suprà dicta sunt de durationibus, *d. l.*

64. Si autem quæstio intelligatur hoc sensu: An Angeli sint, vel extiterint ab æterno, vel facti sint ab æterno (quod non est idem, ac si Angeli æterni dicantur) tùm duo dico:

65. I. *Lumine naturæ non constat, quòd facti sint in tempore, & non fuerint ab æterno.* Nam inprimis per lumen naturæ cognoscimus, exemplo Solis & luminis effectum posse esse cœvum suæ causæ, unde nulla repugnantia est, vel ex parte Dei vel ex parte creaturæ, ut hæc sit Deo cœva. Atque ita, etsi de Angelo cognoscere possimus: quòd non habeant esse improductum: nihilominus fieri potest, ut acceperint illud esse, vel ab æterno, vel etiam in tempore. Neutrum enim involvit repugnantiam. Unde naturali lumine non possumus devenire ad hoc, ut dicatur Angelos vel sic vel aliter accepisse esse. Ita docet etiam Durand. 1 *dist.* 1. Greg. Arim. 2 *dist.* 1. Thom. 1 p. q. 46. *ad corpus*, Perer. *l.* 15 *in Phys. c.* 12. n. 13. Suarez *disp.* 35. *Metaph. s.* 3 n. 51. 56.

Lumine naturæ non constat, An Angeli facti sint in tempore.

66. II. *De fide autem certum est: Angelos non esse ab æterno, sed factos in tempore, & quidem non ante creationem mundi.* Ita patet, quia per ex sententiam ante mundum, simpliciter Scriptura circumloquitur æternitatem, soli Deo competentem. *Antequam jacerentur fundamenta mundi, &c.* Item: *an quam montes fierent, &c.* quam habui apud te *antequam mundus fieret*, hoc est, ab æterno. At Scripturæ passim negant de Angelis, quòd ab æterno sint. Et nominatim *Prov.* 1. dicitur, quòd sapientia, hoc est, Filius Dei fuerit antequam Deus *quicquid* faceret. Ergo

Quando Scriptura doceat Angelos factos?

Ergo perstitit Deus aliquandiu, antequam inciperet res facere & creare. Angelos autem factos esse, clarè docet Scriptura, *Coloss.* 1. & alibi. De quâ re prolixiùs agunt Theologi.

ARTICULUS II.

An Angeli sint incorruptibiles?

67

PRo determinandâ durationè Angelorum, hujus quæstionis decisio est necessaria. Nam specificatio durationum sumitur juxta diversitatem in incorruptibilitate & corruptibilitate entium, ut constat ex dictis suprà *cap.* 16.

68 *Incorruptibile dicitur bifariam*

Prænotandum autem est: quòd incorruptibile dicatur bifariam: 1. Incorruptibile vocatur, quod nullo prorsùs modo desinere potest, quicunque is sit, quod etiam dicitur incorruptibile simpliciter. Ita soli Deo convenit esse incorruptibilem, 1. *Timoth.* 6. *v.* 16. Deinde incorruptibile dicitur secundùm quid, quod pro certo aliquo statu, vel juxta peculiarem modum corruptionis ejus est incapax. Et sic quærimus, de incorruptibilitate Angelorum: Neminem enim in mentem venire potest, quòd Angelus sit incorruptibilis, ut Deus.

69. *Incorruptibile per naturam & gratiam quid sit?*

Aliter: dicitur aliquid incorruptibile per naturam, vel per gratiam, qui termini tamen ambigui sunt. Igitur aliquando incorruptibile *per naturam* vocatur, cujus natura non potest admittere corruptionem, vel juxta naturalem, vel juxta obedientialem potentiam, ideóque per comparationem etiam ad quodvis extrinsecum. Talis igitur incorruptibilitas secundùm naturam coincidit cum incorruptibilitate illa, à qua Ens dicebamus incorruptibile simpliciter. Unde ista soli Deo convenit, & in hac oppositione, si aliquod Ens creatum persistet, & non desinat, dicitur incorruptibile vel immortale per *gratiam*. Ita Damascen. *lib.* 2. *de Orth. fid. c.* 3. & 12. Cyrill. 8. *Thesaur. cap.* 2. Hieron. *lib.* 2. *cont. Pelag. Synod.* 6. *Sess.* 11. Justin. *quæst.* 13. 14. Scalig. *ex.* 307. *s.* 20. Et plures alii.

70

Patet autem, Angelos juxta hunc sensum non esse incorruptibiles secundùm naturam, quia habent naturam à Deo dependentem. Ait is est liberum agens in creatione & conservatione. Unde potuit & Angelos non creare, & potest etiam eosdem creatos non conservare, quo utroque casu non erunt. Et hoc ipso argumento utitur Damascen. *d. loc. Immortalis*, inquit, *est Angelus, non naturâ, sed gratiâ. Nam omne quod coepit, & desinere suapte naturâ potest. Solus enim Deus semper est.* Et Scalig. exerc. 307. *s.* 20. *Unum est primum*, inquit eleganter, *alia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia præter unum corruptibilia. Tametsi enim sint: Extra absoluta à principio & à termino: Tamen non sunt absoluta à causa. Sunt igitur per aliud & ab alio. At omne dependens ab eo à quo dependet, si ejus voluntatem præcipuam, mutari potest. Ergo ipsæ quoque mentes immateriales, etsi parantur à Patre luminum cæterna Deo, tamen ut à primo pendent, à primi nutu deponi possunt, ab ea entitate, in qua sunt ab illo constitutæ.*

71

Ad eundem modum Petavius interpretatur, *lib.* 4. *in Genesim. n.* 19. Dixerunt, inquit, Angelos & animas non esse naturâ suâ immortales, sed gratiâ; sic, quod habent ex se & à se immortalitatem, & possint esse vel non esse extrinsecus, hoc est, respectu habito ad omnipotentiam Dei, qui potuit ea creare, & non creare, & nunc potest sustentare, & potest non sustentare.

72. *Angeli quando dicantur naturâ corruptibiles.*

Dices: Justa dicta Angeli solùm sint corruptibiles, per respectum extrinsecum, referendo scilicet eos ad omnipotentiam Dei. Ergo in Angelis non est, nisi obedientialis potentia ad corruptionem. Ergo non possunt dici naturâ corruptibiles. Obedientialis enim potentia opponitur naturali.

Resp. Verum esse, quòd potentia, quam Angeli habent ad corruptionem non sit nisi obedientialis potentia. Obedientialis enim potentia, etsi opponatur naturali, quia ista non consistit in addito ad essentiam, politivâ proprietate, sed solùm in non repugnantia; Nihilominus obedientialis potentia potest dici *Obedientia-*

lis potentia potest dici naturalis.

naturalis, quatenus ea vel est naturæ consentanea, vel in ea fundatur. Confer Suarez *disp.* 43. *Met. s.* 4. *n.* 2. Angeli igitur dicuntur naturâ corruptibiles & mortales, quia in natura illorum, quippe quæ à libero agente dependens est, fundatur definere posse.

73 Hactenus prima significatio, secundùm quam dicimus aliquid incorruptibile per naturam vel gratiam.

74. *Alia significatio incorruptibilis per naturam & per gratiam.*

Igitur nunc aliter etiam sumitur incorruptibile per naturam & per gratiam. Incorruptibile per naturam dicitur, quod per naturam, sive à natura, prout Deo contradistinguitur, (ita enim sit sæpe, veluti, cùm dicimus, Deum & naturam nihil frustrà facere) non corrumpitur. Tale quid est omne illud, quod non corrumpitur, nisi per retractionem manus, vel, ut Philosophi loqui solent, per suspensionem generalis influxus divini. Atque ita in oppositum corruptibile per naturam vocatur, quod intra naturam habet aliquid sui corruptivum, quodque tandem definit, si maximè speciali voluntate, Deus generalem suum influxum non subtrahat. Tale quid est animal, quod non solùm ab extrinseco corrumpi potest, sed etiam quod ex contemperatione naturæ suæ tale est, ut tandem desinat, si maximè Deus non suspendat influxum suum. Est enim in eo calor, & in quidem consumptivus humidi, cujus depastu concidit animal, non secus ac candela extinguitur non solùm per ventum, vel extrinsecam deletionem, sed) quando omne humidum, sive oleum vi caloris consumptum est. Unde istam mortem animalis, Aristoteles naturalem vocat, *l. de vita & morte* 4. & 5. Tale quid igitur, si perpetuò maneat incorruptum, necessariò id habet per gratiam, & specialem Dei voluntatem.

75 Unde rursus liquidum est, quid dicatur incorruptibile per gratiam. Id nempe est incorruptibile per gratiam, quòd cùm ex vi naturæ suæ tandem collaberetur, vel etiam intra naturam ab aliquo agente deperdi posset, tamen speciali procuratione alterius, ab interitu defenditur, ut Macrobius loquitur *lib.* 2. *in somn Scip. cap.* 13. Veluti, si persisteret equus, aut aliud animal in æternum, id esset incorruptibile per gratiam, non autem per naturam.

76. *Angeli quomodo incorruptibiles per naturam?*

Juxta hunc igitur sensum: *Angeli dicuntur incorruptibiles per naturam.* Ita dicunt & loquuntur Dionys. *de divin. nom. c* 4. Augustin. *de Eccles. dogmat. c.* 12. Gregor. *l.* 5. *mor. c.* 29. Eugub. *l.* 8. *de perenn.* Thom. 1. *p. q.* 50. *a.* 5. Vasqu *disp.* 182. *c.* 2. Suarez *disp.* 35. *n.* 52. Estque sensus illius propositionis, tradendo eam per comparationem, hic scilicet, quòd Angelus non sit incorruptibilis, sicut equus esset incorruptibilis, si in æternum persisteret: Aut, simpliciter loquendo, quòd natura Angeli talis sit, ut, supposito generali concursu, citra additionem specialis gratiæ, nec ipse per se collabi, nec etiam aliunde vi creatâ corrumpi vel interimi possit.

77. *Angelus non posse aliunde corrumpi.*

Nunc patet veritas istius propositionis. Igitur *Primò*, Angelos non posse aliunde corrumpi, patet 1. à minori. Anima humana occidi non potest, *Matth.* 7. Ergo multò minus angelus. Est enim angelus majoris perfectionis, quàm anima. At indefectibilitas simpliciter pertinet ad perfectionem rei.

78 *Deinde*: si angeli possunt aliunde, virtute creatâ, corrumpi, tum id est, vel per annihilationem, per quam fiat, ut destruatur & angelus, & quicquid in eo Ens est, ut nihil prorsus remaneat: vel id est, citra annihilationem, sed per Physicam corruptionem. Primum dici non potest, quia annihilare non est, nisi virtutis infinitæ. Neque postremum dici potest, quia talis corruptio non est, nisi illius, quod est compositum ex partibus Physicis; hoc est, materia & forma, quorum dissolutio facit speciei interitum. At istæ partes non sunt in angelo.

79 *Angeli non possunt definere per collabentiam.*

Atque hinc sequitur *secundò*: quòd angeli non possint definere, per spontaneam collabentiam, ut sic dicam. Talis enim interitus non est, nisi ex intemperie partium & humorum, unde fiat, ut ipsæ non possint cohærere, & forma non habeat, pro ulteriore permansione, commodas dispositiones in materia. At

Hæc

hæc longissimè absunt à natura spirituali.

Relinquitur igitur summatim: 1. Angelos non esse incorruptibiles simpliciter, considerando etiam eos in ordine ad divinam potentiam. 2. Et proinde, posse dici corruptibiles per naturam, incorruptibiles per gratiam, quatenus scilicet naturam habent, quæ aliunde sit defectibilis. 3. Alio tamen sensu, angelos posse dici incorruptibiles per naturam, quatenus per *gratiam* divinam (ita etiam placet loqui, ut quoad hanc quæstionem intelligatur subordinatio gratiæ & naturæ) ipsis *naturæ* talis data est, quæ nec per seipsam collabi possit, nec ab ullo agente creato depeti. *labentiam naturæ.* 80.

ARTICULUS III.

Qua duratione duret Angelus?

RErum natura indefectibilium sive incorruptibilium duratio vocatur ævum, ut patuit suprà *l.* 1. *c.* 16. At Angeli sunt naturâ sua indefectibiles, ex priori quæstione. Erg iis convenit durare ævo? 81

TITULUS VIII.

DE LOCO SIVE UBI ET *præsentia Angeli.*

SUb hoc titulo plures iridem quæstiones continentur: 1. *An* angeli sint immensi, & proinde in omnibus locis? 2. An angeli sint in loco Physico? 3. An angeli sint alicubi, & quomodo? 82

ARTICULUS I.

An Angeli sint immensi, & proinde in omnibus locis?

VUlgò meminerunt Metaphysici, quod Durand. 1. *d.* 37. & Hervæus *ibid. q.* 2. *a.* 2. statuerint intelligentias esse ubique. *Alii* tamen ad regendam istam ubiquitatem angelorum, eosdem circumscriptos vocant. Ita Ambrosius apud Lombard. 1. *d.* 37. *lit. A.* Et Damascen. *l.* 2. *de O. f. c.* 3. qui etiam disertè dicit: angelos, dum sunt in cœlo, non esse in terra. 83

Probatur autem; angelos non esse in omni loco, quia moventur localiter, ut postea videbimus. At quod movetur localiter amittit unum spatium, & acquirit aliud, cui antè non aderat. At quod tale est, non est immensum. Ergo quod est loco mutabile, non est immensum. 84. *Angelos non esse in omni loco.*

ARTICULUS II.

An Angelus sit in loco physicè?

NOn est. Namaltis modus essendi in loco, sequitur quantitatem. Et proinde non convenit, nisi substantiis materialibus sive corporeis, quibus solis convenit quantitas. Cùmque vox *loci* soleat per excellentiam, & κατ' ἐξοχὴν sumi, pro loco physico, hinc absolutè melius est dicere; angelum non esse in loco, sed in ubi, quæ vox generalior est, & de se non implicat aliquam imperfectionem, quæ debeat abesse à rebus spiritualibus, quod facit nomen loci, dum quantitatem locati implicat. Indéque ad præsentiam angeli describendam rectiùs nominatur *ubi*, quàm *locus*. 85. *Non sunt in loco physicè.*

ARTICULUS III.
Quomodo Angeli sint alicubi?

86. Supra *lib. 1. c. 17. n. 7. seqq.* probatum est, quòd esse alicubi non consistat formaliter in extrinseca denominatione, vel in operatione transeunte, &c.

87. Ex quibus sine ulteriore probatione concidit opinio dicentium, quòd Angelus sit alicubi in loco, per operationem transeuntem. Vide inprimis *ibi n. 9.*

88. *Adest Angelus definitivè.* Dicendum autem est: Angelum esse alicubi definitivè. Estque is modus alicubitatis, sive præsentiæ, *ead. c. 17. n. 37. seqq.* expositus. Ex quibus intelligi potest, quid sit, Angelum esse alicubi definitivè?

89. Porro: quia is modus adessendi distinctus est ab omnipræsentia, ideò sequitur: Angelum definitivè adesse spatio determinato, non cui perpetuò sit affixus, sed quod sibi pro tempore vendicet.

90. *Præsentia Angeli fines habet.* Atque hinc, versus maximum, præsentia Angeli fines habet, quanquam innominatos. Primis patet: quia si Angelus posset esse in magno spatio, & quovis majori, atque adeò tandem in maximo, tum verè esset tandem in omnibus locis. Id autem absolutè est maximum spatium, quod omnia loca complectitur. At conclusum est antea, Angelum non esse in omnibus locis. Id tamen fortasse absurdum non est, si putetur divinâ potentiâ fieri posse, ut Angelus sistat sui præsentiam ad quodvis spatium, cujus rei & suprà meminimus.

91. Posterius patet: Quia non oportet, ut magis limitatus sit Angelus in præsentia sua, quàm anima. At anima habet innominatos, & formaliter, *ut* sic dicam, illimitatos fines præsentiæ: Potest enim ipsa adesse corpori pueri, Et potest esse in majori corpore, virilis staturæ vulgatioris. Et potest esse tota etiam in corpore Cyclopico. Unde liquidum est, determinatos fines præsentiæ suæ eam sibi non vendicare.

92. *Angelum posse esse in spatio indivisibili.* Descendendo autem & loquendo, de q. contractione Angeli, ipse potest existere in spatio indivisibili. Ita patet. Nam quod est alicubi definitivè, illud est totum in qualibet parte. Ergo totus Angelus est in qualibet parte spatii. Ergo & in indivisibilibus punctis totus est. Ergo ex parte Angeli nulla est repugnantia, si dari sibi diffusione (ut in hac materia liceat nobis vocabulis quantitativis uti) ponatur in indivisibili: Imo per propriam vim id posse fieri ab Angelo patet, quia dilatio & contractio in præsentia, est res meri arbitrii Angelici. Eodem argumento utitur Beccanus, *part. 1 Theol. Schol. tr. 3. c. 1. q. 5.* Cum, *inquit*, Angelus sit totus in toto, & totus in singulis partibus minimis, neque ullam habeat ab iis dependentiam, potest manere in quacunque parte minimâ & non in alia.

93. *Inquis*: Anima humana non potest existere in spatio indivisibili. Ergo nec Angelus. Consequentia est evidens, quia is modus existendi convenit Angelo, ex hoc, quia spiritualis est. Ergo si spiritualitas non præstet istum effectum in anima, consequens est, quod idem effectus sit spurius in Angelo. Antecedens patet, quia ne quidem essentia humana persistere potest in quantitate pulicis, multóque minus in puncto indivisibili.

94. Respondeo ad antecedens, per distinctionem. Anima humana potest considerari bifariam: 1. in se & juxta propriam essentiam. Et sic ex hoc, quia spiritualis est, convenit ei non minùs ac Angelo, posse esse in ubi indivisibili. *Deinde*: anima humana consideratur in quantum est forma, & de facto concurrit ad constituendam speciem. Hoc autem facere non potest, nisi cum materia. In utraque enim juncta consistit essentia compositi. Materia autem propter quantitatem, adeóque impenetrabilitatem partium non potest subsistere in puncto indivisibili. Hinc ergo pro isto statu, anima non est vel esse potest in spatio indivisibili, quia ad constitutionem speciei requiritur, ut forma sit diffusa per totam materiam. Indéque repugnantia ad ubi indivisibile, non convenit animæ ex se, sed

aliunde, nempe, quia essentia hominis simul implicans materiam, nequit esse in individuali.

Denique de modo præsentiæ Angelicæ dico: quod Angeli plures possint esse in eodem σῶ. Quódque adeo Angelus non sit alicubi, per occupationem spatii, & proinde nec à loco, in quo est, excludat corpus quodvis. Sic & Bernhard *Homil.3. in fest. annunt.* *Angelis spiritibus, inquit, parietes non obstant, sed cunctis locis assistunt, cuncta aquè corpora, quantumvis solida vel ipsa penetrabilia eis sunt ac pervia.* 95. *Plures Angelos esse in uno spatio.*

Hæc omnia sequuntur ex eo, quia Angelus spiritualis est. Nam repugnantia, juxta quam plura nequeant esse in eodem σῶ præcisè sumitur ex utriusque quantitate, quæ causat impenetrabilitatem. At quantitas non convenit, nisi corporibus. Quæ antea nn. 28. 36. 55. 56. 57. dicta sunt de præsentia Angelica, hic ad meliorem intelligentiam repeti possunt. 96.

Thomas 1 *p.q.52. art.3.* disputat plures Angelos non posse esse in eodem loco. Sed ejus opinio nititur falsâ hypothesi, quod scilicet Angelus sit in loco, non nisi per operationem transeuntem. Sed hoc lubricum est fundamentum, quod suprà refutavi, *l.1.c.17.n.9.* unde nunc nihil hic addendum est. 97.

TITVLVS IX.

De numero Angelorum.

DE numero Angelorum, id est certum: *quod non sint infiniti numero.* Repugnat enim tale infinitum actu dari, cùm non sit nullus numerus, quantuscunque sit, quo non possit dari major. Per Aristot. 3. *Phys. c.6. t.98. seqq.* 98. *Angeli non sunt infiniti numero.*

Deinde id etiam certum est: *Numerum Angelorum esse valdè magnum.* Ita per Scripturam patet, *Dan.7. v.10.* Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant illi. Et hinc Thomas 1. *p.q.50. a.3.* rectè rejicit sententiam Aristotelis, qui ad numerum primorum motuum conatus est invenire numerum substantiarum separatarum *l.12, Metaph. text.43.* 99.

Alia ferè omnia sunt incerta: veluti quantus eorum numerus sit exactè. Item, an plures eorum sint quàm hominum an viceversa. Aliqui existimant tot homines salvandos, quot sunt Angeli in cœlo, ut Gregor. *Homil.34. in Evang.* Parisiensis *l.2. de universo.* Alii existimant, tot homines esse salvandos, quot Angeli ceciderunt, ad restaurandam istam ruinam, à qua sententia alienus non est Augustin. *in Enchirid. cap.9. & l.22. de Civ. Dei, c.2.* Juxta has sententias numerus hominum major esset, quàm Angelorum. Alii autem autumant, majorem esse numerum Angelorum, quia singulis hominibus deputatus sit Angelus bonus, & præterea sit Angelus malus, qui tentet & exerceat. Sed hæ opiniones nihil probabilitatis habent, unde istis non immoramur. Inprimis, quia tota hæc res magis decidenda est ex Scripturis, quàm ex Philosophia. 100. *Dubia de numero Angelorum.*

TITVLVS X.

De Distinctione Angelorum.

TRia hîc dicenda sunt: 1. de distinctione eorum numerorum. 2. de distinctione specifica. 3. de distinctione per bonum & malum. 101.

ARTICVLVS II.

An Angeli possint solo numero differre?

NEgat id Thomas 2. *d.3. quæst.1. art.4. & l.2. contra Gent. cap 91. 93. & p.1. q.50. art.4.* Ejus fundamentum est, quia quæ differunt numero, ea conveniunt specie, 102. *Thomæ sententia.*

specie, conveniunt in forma, distinguuntur materialiter. Si igitur Angeli non sunt compositi ex materia & forma, sequitur, quòd impossibile sit, esse duos Angelos unius speciei. Atque ita vult Thomas: Omnes Angelos inter se specie differre, quemadmodum in genere avium differt hic passer ab hac hirundine, & haec aquila ab hoc psittaco, quæ omnia individua sunt diversæ speciei.

103. *Posse Angelos solo numero differre.*

Nihilominus in oppositum certum est: Angelos posse solo numero differre. Neque enim ullum indicium est, cur id implicet repugnantiam. Nam individuationis principium, ut malè opinatur Thomas, non est materia, sed in rebus simplicibus est propria cujusque Entitas, ut suprà disputavi *l. 1. cap. 7. membr. 4. comment. q. 2.* Quòdque ex materia non possit sumi individuatio in Angelis, inde clarissimum est, quod sive Angeli solo numero differant, sive non, nihilominus differunt numero, et revera sunt singulares. Ergo sunt per aliquod principium singulares. Aliud non potest esse materia, cujus expertes sunt, fatente Thomâ. Ergo aliud principium habent, per quod singulares sint. Indèque singularitatis adæquatum principium non potest esse materia.

104. Dixi autem: Angelos solo numero *posse* differre. Quia non videtur certum esse, neque per Scripturas constat, an sint aliqui Angeli ejusdem speciei, et proinde solo numero differentes, quia non repugnat, omnes esse diversæ speciei, hoc est, distingui angelos, sicut dicebam, distingui hunc psittacum ab hac aquila: sicut neque fortasse repugnare videtur, quod sequenti quæstione disputo, quod sint omnes ejusdem speciei, indèque differant, ut hic psittacus (non ab hac aquila, sed) ab alio psittaco.

ARTICULUS II.

An Angeli possint differre specie?

105. ANgelos omnes esse diversæ speciei, dixit Thomas, quod priori quæstione rejecimus. In oppositum aliis visum est omnes Angelos esse unius speciei, indèque Angelum comparari ad individua Angelica, sicut homo comparatur ad individua sua, vel eos differre ab invicem, sicut (quo exemplo antecà utebar) psittacus ad hunc vel illum psittacum. Ita Damasc. *de placit. prim. inst. c. 1. & 7.* ai inter Angelos non esse essentialem, hoc est, specificam, sed personalem, hoc est, numericam differentiam. Sic & Basil. *l. 2. contra Eunomium.* Pro eadem sententia allegatus Athanasius *q. 3 & 4. ad Antioch.* Albert. *in sum. 2. p. tract. 2. q. 8.* Bonav. *2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 1.* apud Suarez *disp. 35. sect. 3. n. 42.*

106. *Angelos posse esse diversæ speciei.*

Hac in re dico duo: 1. *Angeli possunt esse diversæ speciei.* Ita patet: Cùm enim Angeli conveniant in natura intellectuali completa, non repugnat, eos eam naturam communem habere, juxta varios modos essentiales, cum in intelligendo, possint intelligi varii modi intelligendi, unde ista specificatio & diversitas nat: Sicut in genere avium, natura avis participatur ad diversas species, veluti speciem aquilæ, cygni, anseris: Et in genere piscium, natura piscis participatur ad diversas species piscium, veluti sunt carpio, lupus, balæna, *&c.* Neque enim ullum indicium apparet: cur illa ad diversas species multiplicatio Angelicæ naturæ repugnet.

107. II. *Incertum est: an Angeli de facto sint specie diversi.* Ita dub. tas etiam Aug: *in Enchirid. c. 58. & lib. contra Priscil. ad Orest. c. 11.* & Bernhard. *l. 5. de consid. ad Eugen.* Ita patet: Nam imprimis certum est: Deum esse agens liberum. Unde fieri potest, ut quod potest producere non produxerit. Neque ulla necessitas est ad hoc, ut produxerit, quod producere potest. Aliunde etiam nobis non constat, an ista productio actu facta sit, præsertim, quia per revelationem in Scriptura ea de re nihil est.

108. *Objicitur* 1. quod possibile est, oportere etiam de facto esse in mundo, præsertim loquendo de speciebus, quia per earum defectum mundus est imperfectus.

Respon.

Respondeo verisimile quidem esse & probabile, per hanc rationem, esse in mundo omnes species possibiles, in Angelica natura, ut suprà etiam argumentabamur, ex hoc principio, quod Angeli dentur. Nihilominus tamen absolutè id certum non est, supposita libertate primi agentis, & quod aliunde non constet eas mundo illatas esse.

11. *Objicit* Thomas 1. *p. q.* 50. *a* 4. Quæ sunt unius speciei, in iis non est invenire prius & posterius, ut dicitur 3 *Metaph. t.* 11. Sed in Angelis etiam unius ordinis, sunt primi medii & ultimi, ut dicit Dionys. *c.* 4. & 10. *Angelicæ Hierarch.* Ergo Angeli etiam sunt ejusdem speciei. 109.

Resp. 1. Quod Angeli distinguuntur in ordines, ut fit *Colass.* 1. *vers.* 16. ubi nominantur *throni, dominationes, principatus & potestates.* Item: quod Angeli distinguuntur in *Archangelos*, & *Angelos* simpliciter, id non fit necessariò, secundùm diversitatem specificam, sed potest id esse juxta distinctionem officiorum, quomodo in Ecclesia alii homines dicuntur Pastores, alii Prophetæ, alii Evangelistæ, *Eph.* 4. *v.* 11. Item; quomodo homines alii dicuntur Episcopi, alii Archiepiscopi. Ex quibus etiam intelligitur, quod non omnis ordo, in quo sit primum medium & ultimum, inducat diversitatem essentialem, sed contentus sit diversitate accidentali. Unde nec Aristoteles censendus est omnem modum prioritatis intellegere voluisse. 110.

ARTICVLVS III.

De Angelorum distinctione in bonos & malos.

ANgelorum hæc distinctio ex Scripturis certa est. Eandem tamen etiam gentiles tradiderunt, ut Cyprianus *in lib. de idol. vanit.* meminit ex Socrate & Poëtis gentilibus & ex Platone *lib.* 10. *de legib.* recitat Eusebius *lib.* 11. *de præpar. Evang. cap.* 13. & *lib.* 13. *cap.* 7 & 9. Unde apparet aliquid lumine naturæ posse de istis cognosci, inprimisque ex diversitate effectuum. Inprimis enim compertum fuit Ethnicis, aliquos Dæmones, (ita ipsi generatim vocant *Angelos*) homines decepisse, item improbos fuisse mulieribus (saltem excitando varia phantasmata) instigasse ad facinora varia, & quæ sunt mille alia. In oppositum viderunt alios Dæmones succurrere miseris, tutari in periculis, & quæ sunt alia. Et sic, quia actus alii Dæmonum sunt boni, alii mali, ad eundem modum Angelos ipsos vocabant malos [redacted]. 111.

Quamquam id nondum est evidens ex lumine naturæ, an prorsus distincti sint boni à malis. Inprimis enim existimari potest, unum eundémque Angelum nunc bene, nunc malè agere; aut etiam, si quis solùm agat bene, posse tamen agere malè, & contra quomodo homines boni sunt, vel mali. Istam igitur differentiam statuum solùm habemus, ex revelatione cognitam, unde nihil de his addo.

Si solùm notetur, Angelos malos à bonis distingui, non natura vel essentia, sed moribus solum, ut suprà, ex Damasceno, loquebamur.

TITULUS XI.

De actibus Angelorum, ubi primo est de cognitione Angelorum.

TItulus hic potissimum comprehendit; 1. Cognitionem sive intellectionem, qua Angeli intelligunt. 2. Actum volendi. 3. Eorum locutionem. 4. Eorum motum. 5. Actiones transeuntes. 6. Et tandem assumptionem corporum. 112.

De cognitione sive intellectione Angelorum.

213. POtissimùm de tribus hic agendum est: 1. De principio cognitionis Angelicæ. 2. De objecto ab ipsis cognoscibili. 3. De modo cognitionis Angelicæ.

Primo igitur expediam priores quæstiones, postea dicturus de reliquis. Antéque omnia sciendum est: omninò Angelis convenire, quòd intelligant, quod suprà confirmavi n. 20 *seqq.*

ARTICULUS. I.

De principio cognitionis Angelicæ.

214. QVod ad principia cognitionis attinet, sunt ea, in humana cognitione ista; Homo, anima humana, potentia cognoscitiva, species & habitus, de quibus singulis videndum est, an ista eâdem ratione sint in Angelis.

PVNCTVM I.

An Angeli intelligant per animam?

215. NOn sic intelligunt. Anima enim non convenit rei, nisi per modum formæ. Vnde ubi est anima, ibi exigit aliam compartem. Forma enim non sola constituit speciem, Sed exigit materiam, cum qua id faciat. Vnde si Angeli haberent animam, haberent & corpus sive materiam, & proinde essent compositi ex materia & forma, id quod suprà sæpè refutatum est.

PVNCTVM II.

An intellectio Angeli sit ejus esse?

216. NEgandum id est: quia intellectio est actio. Actio autem est quasi actualis virtus: Ergo virtus, antequam actio superveniat, est possibilis in ordine ad eliciendam actionem. Ergo à fortiori etiam ipsa essentia vel substantia Angeli. Ergo virtus agendi; adeóque ipsa essentia, sunt ab actione, hoc est, intellectione distincta. Impossibile est, inquit Thomas 1. p. q. 54. a. 1. ut aliquid, quod non est [illegible] actus, sed aliquid habet de potentia admixtum sit sua actualitas, quia actualitati repugnat. Et inde solus Deus est actus purus. Inque eo solo substantia est suum esse & suum intelligere. Confer Suarez. *disp.* 35. *Metaph. s.* 4. *num.* 20. Scot. 4. *d.* 1. *q.* 1. & Lychett. 1. *d* 8 *q.* 1. *p.* 2. *fol* 109. *q.* 1. inde probat, quia si intelligentiæ volitio & intellectio essent formaliter ipsarum substantia. Ergo intelligentiæ essent formaliter beatæ, & per se ipsas, seu ex vi quidditatis ipsarum: Quia in intellectione earum constitat beatitudo earum. At id est absurdum.

217. *Objicitur*: Vivere viventibus est esse, apud Aristot. 2. *de anim.* At intelligere est quoddam vivere, l. 2. *de anim. text.* 13. Ergo intelligere viventi, sive intelligenti est esse.

Respondeo: Esse ambiguitatem in voce *vivere.* Vivere igitur aliquando sumitur per modum actus primi, quem possis dicere *vitalitatem.* Et hoc sensu vivere, hoc est, vitalitas, est esse viventis, & specialiùs, sensualitas est esse sentientis, & intellectualitas est esse intelligentis. Deinde autem vivere sumitur per modum actus secundi, sive pro actione vitali, qualis est, crescere, sentire, *&c.* Et hoc sensu ipsum intelligere est quoddam vivere. Sicut Arist. l. 2. *de an. c.* 1. *tex* 5. etiam ipsam accretionem & mutationem vocat vitam & vivere. Et sic apparet, propter istam ambiguitatem, argumentum factum esse ἀ τὸ μέχρι τοῦ. Plura vide apud Thomam 1. *part. quæst.* 35. *art.* 2.

PVNCTVM

PUNCTUM III.

An in Angelo sit potentia cognoscitiva, distincta ab ejus essentia?

118. Ita alo, & probavi suprà *num.* 60. quia etiam in anima potentia intellectiva sit ejus qualitas, & proinde accidens. Nulla autem ratio est, cur Angelo simplicitas major debeatur, quàm animæ, aut cur in anima vis intelligendi sit accidens, id vero non sit in angelo. *Deinde* in aliis rebus creatis, virtutes seu potentiæ activæ sunt realiter distinctæ ab essentiis earum. Ergo & id est in angelis. In primis enim ferè omnia, quæ nobis nota sunt de angelis, ea hactenus cognita sunt ex proportione à rebus nostris. Confer Suarez. *in Met. disp.* 18. *s.* 3. *n.* 13. *& seqq.* Et *disp.* 35. *s.* 4. *n.* 16. Zabarell. *de facult. anim. c.* 2. Colleg. Conimbr. *lib.* 2. *de anim. c.* 3. *q.* 4. *art.* 2. Thom. 1. *p. q.* 45. *a.* & *q* 77. *a.* 1. *Probatur pars affirmativa.*

119. *Objicitur* I. Angeli sunt res simplices. Ergo eis non conveniunt accidentia. Accidentia enim addita subjecto faciunt in eo compositionem. Unde Boethius *in lib. de Trin.* ait: Forma simplex subjectum esse nequit.

Respondeo ad antecedens: Angeli sunt simplices, non removendo ab iis omnem compositionem, ut suprà patuit, sed removendo ab iis compositionem ex materia & forma. Est enim aliquid simplex, solùm secundùm quid. Id autem quod absolutè simplex est, ut est Deus solus est accidentium incapax.

120. II. *Objicitur:* Quòd angeli precisè vocantur mentes & intellectus. Unde significatur omnimoda identitas essentiæ angelicæ, ad vim intelligendi.

Resp. 1. Denominationes rerum, sive compositiones nominum sunt liberæ. Non igitur exinde sumitur ratio essentiæ illico II. Ideò autem dicitur angelus intellectus & mens, quia tota ejus cognitio est intellectualis. Animæ autem cognitio est partim intellectualis, partim sentitiva. Vide Thom. 1. *p. q.* 45. *art.* 3. *ad primam, & quæst.* 59. *art.* 2.

PUNCTUM IV.

An Angelus ad intelligendum requirat species?

121. Omnino. Nam si angelus intelligeret omnia per substantiam suam, tum omnia contineret substantia angeli. At id absurdum est. Nam etsi substantia angelica sit nobilior aliis rebus creatis; tamen simpliciter est finita, determinata ad finitas perfectiones. At quod eminenter omnium aliorum perfectiones continet, infinitum debet esse, quod è quorumvis generum perfectionibus habeat eminentiorem. Unde soli Deo reservatum est, dimissis speciebus omnia intelligere per propriam suam substantiam. *Angelum intelligere per species*

122. *Deinde:* si Angelus non uteretur specie ad intelligendum, tum non posset intelligere aliquid distans ab ea. At consequens est absurdum. Ergo & antecedens, Connexio patet. Quia ut fiat intellectio objecti cognoscibilis requiritur, ut objectum cognoscibile uniatur cum potentia cognoscente. Indéque quotiescunq; illud secundùm substantiam absens est, requiritur species, illud repræsentans, in potentia cognoscente. Hæc enim de causa, & anima nostra, ad intelligendum, requirit species, ut ex physicis constat. Assumptio autem probatur: Quia Angelo non debet minor perfectio in intelligendo tribui, quàm animæ humanæ, quæ illud etiam intelligere potest, quod absens est. Maximè autem pertinet ad perfectionem naturæ intellectualis, multitudo intelligendorum, in qua consistit perfectio illa, quam vulgò perfectionem extensivam vocant. Vide Thom. 1. *p. q.* 55. *art.* 1. *et* 2. *d.* 11. *art.* 3. Aug. *d. l.* 3. *de an. c.* 8. *quæst.* 3. *art.* 1. Suarez *disp.* 35. *sect.* 4 *num.* 17. *& seqq.* Sic & Dionys. ait *de divin. nom. cap.* 4. Angelos illuminari rationibus, hoc est, speciebus rerum.

123 *Angelum aliquando non uti specie.*

Cæterùm ex istâ proportione ad species, quibus anima in intelligendo utitur, rectè sequitur, quòd in quibus casibus anima non eget specie intelligibili, in iisdem casibus nec angelus ea indigeat. Ita sequitur, quia intelligere per speciem simpliciter est imperfectionis, quia divina intellectio eam non exigit. Ergo & intelligere sine specie simpliciter est perfectionis. At absurdum est, Angelo tanquam superiori naturæ intellectuali, denegare id, quod animæ convenit.

124.

Porrò: anima nostra non utitur specie in seipsa cognoscenda. Est enim anima sibi satis propinqua. Deinde etiam cùm anima speciem cognoscit, per quam alia intelligit. Neq; enim datur processus in infinitum, qui non evitaretur, si ad cognoscendam speciem requireretur species alia, utrumque docet Scalig. *exerc.* 298. *s.* 14. & 307. *sect.* 13. *in fine ferè.* Idem etiam est de Deo, qui non potest cognosci per speciem ab homine, cujus rationem ponit Scalig. *hac exerc.* 310. *s.* 8. quia cùm ipse sit immensus, non potest à seipso quasi egredi, ut sui speciem offerat intellectui.

125.

Ergo sic etiam angelus non egebit specie, in cognoscendo vel seipso vel specie, quâ intelligit, vel etiam in cognoscendo Deo. Confer Soncin. 12. *Metaph. q.* 59. Suarez *disp.* 35. *s.* 4. *n.* 18. & autores ibi citatos.

126 *Intellectus & res intellecta quomodo sint idem.*

Objicitur: quòd secundùm Aristot. 12. *Metaph. t.* 51. & 3. *de anim. t.* 15. In illis, quæ immaterialia sunt, idem est intellectus, & res intellecta, quod si ita est, intellectus angeli non intelligit, nisi substantiam suam & in ea essentias rerum aliarum, & proinde sive species. Nam substantiam suam non intelligit per speciem, ut dictum est.

Respondeo ad antecedens. Intellectum & rem intellectam esse unum, quando est actualis intellectio, non per identitatem essentialem, sed per identitatem accidentalem, quia scilicet species intelligibilis de re intellecta actualem intellectionem faciens, est intimè & propinquissimè unita intellectui. Ita etiam Thomas exponit 1. *p. q.* 55. *art.* 1. *ad secundum, & locis alijs.*

PUNCTUM V.

An cognitio sive intellectio Angelica fiat ex habitu?

127. *Dari in Angelis habitus.*

NOstra cognitio fit juxta habitus intellectuales, de quibus quærimus, an in angelis dentur. Inprimis valdè mihi probabile videtur, dari habitus cognoscitivos in angelis. Nam 1. dantur in angelis habitus morales, veluti ut sint misericordes, veraces, justi, &c. Ergo probabile est, esse etiam in iis habitus intellectuales. Antecedens patet. Nam inprimis certum est, istas denominationes Angelis competere, nempe esse misericordes, veraces, &c. Aut igitur misericordes sunt per realem identitatem misericordiæ ad essentiam illorum, ut misericordia in adæquato conceptu significet essentiam angeli, quomodo Deus dicitur misericors: aut dicuntur misericordes, tanquam essentialis eorum proprietas sit misericordia, &c. Aut quia isti sint habitus angelicj: aliud excogitari non videtur posse. At priora duo absurda sunt, quia misericordia, veritas, &c. habent se ad essentiam angelicam mutabiliter, ut apparet, quia de facto absunt istæ à Dæmonibus: at quod est essentiale est immutabile. Relinquitur igitur, ut per ista significentur habitus in angelis. Confer Thom. 1. 2. *q.* 50. *a.* 6. Et Autores ibi.

128

Jam verò consequentia est evidens inde, quod habitus morales ordinentur ad perficiendos actus voluntatis. Ergo si voluntas angelica in appetendo juvatur habitibus, cur intellectus in intelligendo iisdem destrueretur?

129

Deinde de facto contingit error in intellectu angelico. Ergo intellectus angelicus est capax habituum Ergo & eosdem habet si non amplius in intelligendo erret.

130

Quoad antecedens valde tenuiter loquitur Suarez *disp.* 35 *s.* 4 *n.* 24. Habitus, *inquit*, sunt necessarii, quia potentia vel propter inclinationem oppositam non est satis propensa in actum suum, vel propter aliquam imperfectionem non est sufficiens

ciens & prompta, ad benè & facilè operandum. Nulla autem ex dictis causis reperitur in intelligentiis, quoad prædictos virtutum intellectualium, quia earum intellectuale lumen omnino est propensum in actum, & alioquin est satis expeditum ad operandum. Unde subjicit: dari in angelis solùm habitus, quoad ea, quæ ab eis cognoscuntur per conjecturam.

Nihilominus veritas antecedentis apparet, ex lapsu Dæmonis. Cùm enim is factus sit, ex apparentia sublimioris gloriæ, necessarium est, præcessisse errorem in judicio. Voluntas enim non fertur, nisi ad cognitum, & quidem quod cognitum sit tanquam quod bonum sit & congruum. Ergo si voluntas feratur ad id, quod bonum non est revera, oportet, ut intellectus judicaverit id esse bonum, quod tamen non fuerat bonum revera. 131

Jam verò consequentia istius Enthymematis etiam evidens est, quia, ut Suaretz jam fatebatur, necessitas habituandi potentias, infertur ex eo, si potentia ante additionem habitus, non satis bene et prompte operetur. Quod verò infertur, eos habitus de facto in angelis esse, id satis sequitur, quia immunitas ab errando aliunde sumi non potest, quàm ex obfirmatione potentiæ ad bene agendum. At hoc ipsum est habituatum esse, si quid sit in bene agendo obfirmatum. 132

Quòd enim de facto angeli non acquisiverunt eos habitus, sed Deus cadentibus aliis angelis, iisdem infudit: Nihil impedit. Inprimis enim potuisse eos habitus acquirere, inde sequitur, quod alias minoris perfectionis essent in intelligendo, quàm homines. Hi enim quadantenus se ab erroribus intelligendi liberare potuerunt, acquirendo habitus intelligendi, quod juxta oppositam hypothesin angelis negatur. 133

Et hactenus quidem actum est, de principio angelicæ cognitionis: Pergimus ad ejusdem cognitionis objectum. 134

ARTICULUS II.

De objecto cognitionis Angelicæ.

135

THomas 1. p. q 56. *in initio*, partitus est disputationem de objecto angelicæ cognitionis juxta diversitatem rerum materialium scilicet et immaterialium, de quibus singulis videndum est. Totam hanc rem complectar sequentibus quæstionibus.

PUNCTUM I.

An Angelus seipsum cognoscat?

136

TRactatur et affirmatur hæc quæstio à Thoma *d. loc. art.* 1. et alibi, et à Thomistis *ibid.* Becan. *tract.* 2. *Scholast. Theol. c.* 1. q. 7.

137

Est autem illius quæstionis decisio, et probatio facilis. Inprimis non docet, ut Angelus sit minoris perfectionis in intelligendo, quàm est anima humana, ut est per se liquidum. At id esset, si Angelus non cognosceret seipsum. Ita patet. Nam reflexè cognoscere, simpliciter est perfectio. Unde in hoc superat homo bruta. At eâ sic careret Angelus. Sequitur igitur, si anima nostra possit seipsam cognoscere, quòd in nobis de facto experimur, quòd etiam Angelus possit seipsum cognoscere. *Deinde*: ex nullo indicio apparet, cur ista cognitio Angelis neganda sit. Inprimis enim id objectum Angelo satis proportionatum est, & satis propinquum est, & non desunt ibi conditiones aliæ, ad cognoscendum requisitæ.

138

Objectiones quasdam contra hanc assertionem objicit sibi Thomas, ubi suprà: quæ si conficerent: Angelum seipsum non cognoscere; tum etiam humana anima seipsam non cognosceret, cujus falsitatem in nobis experimur.

PUNCTUM II.

An Angelus unus cognoscat alium?

139 Dubitari solet inprimis in particulari hac de re. Veluti, an Angeli superiores cognoscant inferiores, & vicissim? Negârunt id veteres Peripatetici, ut meminit Scaliger *exerc.*359.*s.*9.

140. *Quòd unus Angelus alium cognoscit.*

Dico 1. *Angelus unus cognoscit alium.* Ita infertur iterum, comparando intellectionem Angelorum cum humana. Ista enim cùm superet hanc, utique quicquid in humana intellectione perfectionis est, à fortiori oportet, ut id sit in intellectione Angelica. At unus homo cognoscit alium. Ergo à fortiori, Angelus unus cognoscit alium.

141. *Deinde:* Angeli sunt cives unius Reipublicæ. Ergo oportet ut se invicem cognoscant. Ista enim unitas & communio conjungit Angelos ad communia officia; ad quæ si agerentur solùm & moverentur, non verò seipsos etiam disponerent, essent instar brutî pecoris, quod absurdum est. Confer Thom. 1.*p.q.*56.*a.*2.*&* *L.*2.*contra gentes,c.*96.

142. *Non habito respectu ordinis.*

2. *Et Angelus inferior potest cognosci à superiori, & superior ab inferiori.* Et primùm: quòd inferior Angelus possit cognoscere superiorem, patet: quia si secus esset, cum id eveniret propter excellentiam perfectionis, quæ sit in perfectiori Angelo, unde fiat ut Angelus superior sit improportionatus ad potentiam cognoscitivam Angeli inferioris. At id nihil est. Nam inprimis incertum est, an quæ major perfectio est in Angelo alio, sit solùm accidentalis, & in diversitate donorum: an verò essentialis sit & specifica? Si primum sit, tum cessat statim proportionis diversitas. Quia sic essentia inferioris & superioris Angeli sunt in eadem specie. Sin verò posterius dicatur: tum, si maximè Angeli sint diversæ speciei, conveniunt tamen in genere. At hæc ipsa convenientia in genere indicat, quòd etiam superior intelligentia sit proportionata cognitioni inferioris intelligentiæ, ut inde sequitur, quia cognitio hominis potest transcendere ad ea etiam, quæ supra suum genus sunt, veluti est, cùm cognoscit angelos. Quòd si igitur homo angelum, hoc est, rem diversi generis potest intelligere, à fortiori sequitur, quòd angelus alium angelum generis ejusdem possit intellegere.

143 *Quòd superior cognoscat inferiorem.*

Quòd verò etiam angelus superior possit cognoscere inferiorem, inde apparet: quia si id non esset, tum esset id inde, quia alias vilesceret intellectus superioris angeli, & fieret imperfectior, diminuendo se ad res viliores. Ita enim argumentabantur veteres Peripatetici, ut refert Scalig. *Exerc.*359 *sect.*9. 10. At id nihil est. Nam inprimis angelus iste superior cognoscit rem materialem. At res quælibet materialis ignobilior est quovis angelo. Antecedens apparet, quia intelligentia, quæ movet orbem Saturni (ut ad mentem Peripateticorum loquamur) cognoscit orbem Saturni. Neque enim putandum est: Angelos alligari orbibus, sicut boves sunt ad molas trusatiles, sine cognitione actus sui. At non potest angelus, movens cœlum, cognoscere actum suum, nisi cognoscat objectum illius, quia ad illud actus respectum implicat, hoc est, cœlum ipsum, quod movet. Orbis autem Saturni sine dubio ignobilior est, quàm intelligentia, quæ movere dicitur orbem Lunæ. Quòd si igitur intelligentia superior (movens orbem Saturni) potest cognoscere orbem Saturni, à fortiori potest cognoscere intelligentiam inferiorem, veluti motricem orbis Lunæ. Atque ita summatim relinquitur: quòd, ex intellectione rerum vilium, non vilescat nobilitas intellectus, ut etiam ex intellectu humano conspicitur, quia nullatenus vilescit, sed magis perficitur, si in rerum vilium, veluti insectorum, aliarumve rerum similium, contemplatione exerceatur.

PUN-

PVNCTVM III.

An Angeli cognoscant animas separatas?

QVòd eas cognoscere *possint*, lumine naturæ cognosci potest. Inprimis enim non datur repugnantia inter intellectum Angelicum & perceptionem istius objecti. 144.

Quòd etiam ea *de facto* detur, de fide certum est. Scriptura enim docet, Animas portari ab Angelis & eas ad eandem quasi Rempublicam assumi, in consortium Angelorum, quæ omnia nequeunt esse, sine animarum cognitione.

PVNCTVM IV.

An Angeli naturaliter possint cognoscere Deum?

LOquor de Angelo, juxta pura naturalia; seu secundùm perfectionem sumptam, quæ ei per naturam convenit, extra considerationem additorum donorum gratiosorum. 145.

Quòd igitur Angeli in puris naturalibus possint aliquid de Deo cognoscere, iterum concludi potest, ex proportione ad intellectionem humanam ex qua semper ferè Philosophandum est, de cognitione intelligentiarum. Igitur intellectus humanus, juxta purè naturalia, potest aliquid cognoscere de Deo. Ergo multò magis oportet, ut id sit in angelo; quia ut sæpè dictum, non oportet, ut minor sit perfectio, naturalis & essentialis, in intellectu Angelico, quàm est in intellectu humano. Antecedens autem evidens est, ex *Rom.* 1. *c.* Vbi Ethnicis dicitur *cognitus* fuisse invisibilis Deus, ex cognitione rerum visibilium. Et confirmatur; quòd ferè quæcunque traduntur à Philosophis de Deo, talia sunt, ut iis, juxta factas demonstrationes assentiri possit intellectus hominis gentilis. Imò, de facto, talia multa admissa sunt ab Ethnicis, ut superiori capite visum est. 146.

Solet *objici*; quòd Deus est infinitum Ens. Intellectus autem Angelorum est finitus. Ergo inter ista non datur proportio. Ergo hic istum naturaliter intelligere nequit. 147.

Resp. I. Si maximè intellectus Angelicus illuminatur per gratiam spiritualem, nihilominus manet finitus, & semper est Deus aliquid infinitum. Ergo si ista proportionis negatio obstat, quo minus Angelus Deum naturaliter cognosceret, tum neque Angelus illuminatus posset Deum cognoscere. Absurdè, Tum II. *Resp.* eâdem de causâ intellectum humanum non posse cognoscere Deum, quia hic eadem causa. Id autem antea monstravi esse falsum. Igitur *tertiò* respondeo disproportionem istam Entis finiti & infiniti facere solùm, ne Deus cognoscatur comprehensivè, (ut loquuntur) ab intellectu creato, hoc est per intellectionem quæ adæquetur essentiæ & perfectionibus divinis. Hanc autem nos Angelo non tribuimus, sed solùm qualemcunque quam ista disproportio non impedit. Confer Thomam 2. *d.* 25. *q.* 2. *a.* 1. & 1. *p. q.* 56. *art.* 3. & *l.* 2. *cont. gent. cap.* 49. & 52. Becanum in *Theol. Schol. part.* 1. *tract.* 3. *c.* 2. *q.* 4.

PVNCTVM V.

An Angeli possint cognoscere res materiales?

SI intelligentiæ movent cœlos, tùm necessarium est, easdem cognoscere cœlos, & proinde rem materialem proportionatam esse intellectui Angelico, ut deduxi antea *Num.* 143. Nunc autem id probo generaliter dimissâ ista hypothesi. 148.

Intelligentiæ cognoscunt res immateriales, ut antè ostensum est. Ergo à fortiori cognoscere 149. *Affirmati-*

ea probatur. cognoscere possunt res materiales, tanquam minoris perfectionis Entia, ad quæ minor virtus cognoscitiva est necessaria, quàm ad cognoscendas res spirituales. Unde de facto, ut experimur, intellectus humanus ad illas percipiendas satis est.

150. *Deinde*: non apparet indicium, cur intellectus Angelorum non possit cognoscere res materiales. Nam, si quicquam esset, in primis id esset, inde, quod res materiales sint diversi generis ab Angelis. At id nihil efficit. Nam illa exacta homogeneitas inter intellectum & rem intelligibilem, non requiritur. Intellectus enim humanus, cùm sit immaterialis, intelligit tamen res materiales, & cùm sit substantialis, intelligit tamen accidentia, & cùm sit humanus, intelligit tamen Angelicum intellectum. Et sic in aliis.

151. Solet *objici*: Res materiales non posse cognosci, nisi sensu & imaginatione. Sensus autem & imaginatio in Angelis non sunt.

Respondeo: negando antecedens, quod in seipso continet sui refutationem. Nam si sensus & imaginatio possunt cognoscere res materiales, ut ibi dicitur. A fortiori sequitur, quòd virtus cognoscitiva, quæ est superior sensu, possit cognoscere res materiales. Quod enim potest virtus inferior, id omne potest virtus superior, ut indicatur per locum à minori, apud *Aristot. 2. Topic. cap.* 10. §. 3. 4.

152. *Intelligunt & universalia & singularia.* Cæterùm, quòd dixi de rebus materialibus indifferenter intelligo, de rebus materialibus, tàm universalibus quàm singularibus, hoc est, Angelus, & intelligere potest naturam hominis in communi, & naturam hujus hominis, veluti Petri. Atque ita non probamus eorum opinionem qui, ut refert Thomas 1. *p. q. 57. a. 2. in Corp.* senserunt, Angelos singularia non cognoscere. Constatque adeo hujus opinionis falsitas, ex rationibus prius factis. Thom. *d. l.* hâc etiam utitur ratione Angeli sunt administratorii spiritus, in rebus his inferioribus. Ergo cognoscunt singularia. Administratio enim & motus & providentia sunt circa singularia, hoc est, res prout hîc & nunc sunt.

PUNCTUM VI.

An Angeli futura cognoscant?

153. *Futurorum discrimen.* AD quæstionem hanc respondendum est, præmissis aliquot distinctionibus. 1. Futura sunt in triplici discrimine. *Alia* sunt necessaria, quia pendent ex causis necessariis, qualis est Eclipsis, quæ futura est adhuc, vel hoc, vel alio, sequentium annorum. Item: quòd Sol intra decursum 24. horarum iterum occupaturus sit eum locum quem jam habet. *Alia* futura sunt contingentia, sed ita tamen, ut fiant ut plurimùm. Ita futurum est, ut cras quis dolorem capitis habeat, si hodie inebrietur. Et futurum est ut quis moriatur, si hoc vel alio modo dispositus sit in ægritudine. *Tertio* alia futura sunt prorsus casuali & fortuita, veluti collapsuras esse ædes aliquas ex tempestate, & quæ sunt alia. Et his, quoad fieri & non fieri se quiparantur actus liberi, agentium liberorum, qui non magis præsciri possunt ab alio, quàm casuali & fortuita.

154. *Notitiæ diversitas.* *Deinde*: alia notitia est conjecturalis: & quasi per modum opinionis: *Alia* verò est certa, evidens & infallibilis & quasi per modum scientiæ.

Tertio alia est Notitia revelata aliunde; *alia* sumitur ex proprio lumine cujusq; intellectus, ejusdémque perspicacitate.

155. 156. *Quarto*: Actus liberi, qui præsciuntur, alii sunt actus proprii, alii sunt actus alieni.

157. *Denique*: alia præsciuntur, quæ *revera* futura sunt & nondum sunt de facto. Alia verò solùm *quasi* præsciuntur, quæ scilicet verè sunt actualia, putantur autem à nobis esse solùm futura.

158. His positis dico 1. *Solius Dei proprium esse*, 1. *cujuscunque generis futura*. 2. *notitiâ*

titiâ *infallibili & certa: 3. ex propria sua perspicacitate. 4. tum quoad actus proprios tum quoad actus alienos præscire.*

Soli Deo quomodo proprium sit præscire futura.

Ita patet: quia quæcunque futura sunt (de Entibus loquor) & quæ quid positivum sunt, fiunt per Dei concursum, saltem generalem: qui cum sit independens ab alio, consequenter utique omnes actus suos præscit & sic etiam ea cum quibus conjungendi sunt. Nam & nos ipsi possumus præscire infallibiliter actus nostros, si alioquin independentes essemus, & proinde non possemus, ex defectu aliarum conditionum, ad actus nostros requisitarum, vel etiam concursus divini suspensione impediri.

Cur nullus intellectus habeat infallibilem futurorum scientiam.

Atque hinc in oppositum sequitur: quod nulli creato intellectui possit præscientia infallibilis quorumvis futurorum tribui, quia, quæcunque futura sunt dependent ex Dei concursu. Is autem cum liber sit, pro arbitrio divino suspendi potest, ut ea quæ maximè naturalia sunt non eveniant, veluti igni naturalissimum est, comburere viscosum corpus, illudque in cineres redigere. Hinc ergo naturalis scientia concludit, si quid in ignem projiciatur, id combustum iri. Nihilominus Deus, suspendendo concursum suum, facit, ut injecta aliquando non comburantur, exemplo trium virorum apud Danielem. Idem est de præscientia propriorum actuum: qui ipsi, vel maximè intenti & cupiti, aliquando tamen non succedunt, ut exempla docent. Indèque clarum est: nihil horum infallibiliter fieri. Ergo nec infallibiliter præsciri potest. Expressè etiam Scriptura talem præscientiam soli Deo vendicat, *Esa. 41. v. 22. 23. Venite*, ait Dominus, ad idola Gentium *& annunciate nobis quæ ventura sunt, & scimus quia Dii estis vos.* Quod quidem dictum non intelligitur de qualicunque prædictione, sed infallibili & quidem quorumvis futurorum prædictione.

159. II. *Angeli possunt ex proprio lumine præcognoscere futura illa, quæ pendent ex causis necessarius, vel saltem fiunt ut plurimum.* Ita patet: quia ad talem prædictionem, etiam intellectus humani lumen sufficit, quod tamen minus est, quàm lumen intellectus Angelici. Mathematici enim habent sua prognostica de Eclipsibus, de tempestatibus, de futuris dispositionibus aëris, indeque orientibus febribus, peste, morbisque aliis, & quæ sunt alia. Sic & Medici, Prognostica & conjecturales prædictiones suas habent de infirmis, vel sanitate, vel ægritudine, ubi quò quis peritior est Medicus, eò exactiùs & certiùs prædicit, unde rectè infert Thomas 1. p. q. 57. art. 3. Quia Angeli peritissimi sunt rerum naturalium, & earum vires ac dispositiones, nunc ultra aliquot annorum millia, intuiti sunt, præterea que longè majori intellectus lumine valeant quàm homines, quod longè exactiùs de istiusmodi futuris judicare possunt, quàm quilque mortalium.

160. Tert. ò. *Actus liberi Angelo cuique proprii, possunt ab eo præsciri notitia conjecturali.* Conjecturaliter inquam, quia actus cujusque agentis creati impediri possunt divinitus, unde: quia hoc intuitu possunt non fieri. Ergo nec infallibiliter possunt præsciri. Diabolus, insidens in tibia alicujus & impediens usum illius membri, hoc est, claudum faciens (ut Tertull. *in Apologet. c. 22.* de miraculo Vespasiani scribit) potest prædicere, quod post octiduum, plus minus, claudus iste sit ambulaturus, quo scilicet Diabolus proposuit sibi, desistere ab occupatione tibiæ. Huc etiam referri solet, quòd Diabolus, in persona excitati Samuelis, prædixit Sauli & filiis ejus interitum, 1. *Sam.* 28 quia scilicet demandata fuerit ei executio à Domino adversus Saulem. Et quæ sunt similia hujus generis.

Diabolus, quando dicat futura.

161. Quartò: *Actus liberi alterius, ad quos præsidentur dispositiones in agentibus, præsciri possunt ab Angelis, notitia conjecturali. Cæteri autem nullo modo.* Prioris Veritas patet, quia supposita dispositione ad agendum, actus ille qualitercunque videtur in causa sua. Dispositiones enim sunt causæ instrumentales actionum. At rem prædicere per intuitum causarum, cadit in intellectum creatum. Quod autem ista præscientia adhuc solùm sit conjecturalis, inde patet: quia suppositis dispositionibus in agente creato libero, adhuc fieri potest, ut actus non sequatur.

vel quia is divinitùs impeditur, vel quia ipsum agens mutat consilium. Agens enim liberum, positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere vel non agere. Alterum patet etiam: Quia actus, ad quos non prævidentur dispositiones, simpliciter non prævidentur, n. si in ipsa voluntate Omnis enim prævisio futurorum sit ab intellectu creato, per intuitum causæ, ex qua quod futurum est, egreditur. At remotis istis dispositionibus, nulla relinquitur actuum causa nisi voluntas. Voluntas autem per se non magis propendet ad agere hoc, quàm aliud: Hoc ipso, quia est potestas libera. Unde non magis prævideri potest, quòd voluntas sit electura hoc, quàm quòd non sit electura.

162. *De Casualibus.* Quintò: *Quæ sunt purè casualia & fortuita, ne quidem conjecturali notitiâ possunt præsciri ab Angelis, ex proprio intellectus lumine.* Ita patet: quia intellectus creatus non potest prædicere futura, nisi intuendo causas rerum futurarum, ex quibus alia consequuntur. Alius enim modus nobis naturali lumine notus non est. At quæ sunt purè casualia & fortuita, illa causas definitas non habent. E. nec intellectus creatus quicquam, tanquam causam effecti fortuiti intueri potest. Confer de hoc Suarez *Disput. 34. sect. 4. n. 9.*

163. *Diaboli fraus in prædictione casuatium.* Fitque hinc etiam, ut Martyr monet, *1. Classe Locor. c. 9. num. 17.* Ut Diabolus, tentans prædicere ea, quæ vires ejus superant, id est, casualia & fortuita, utatur fucis & insidiis, veluti in his:

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

Et:

Cræsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

164. Sextò: *Ea quæ revera actualia sunt, & solum occulta, vel futura, quoad opinionem nostram, ea satis præsciri vel potiùs sciri possunt ab Angelo.* Nam hoc ipso, quia actualia sunt, ideò satis habent, ut intellectum Angelicum actuare possint, utque proinde eorum, hac de re, aliqua sit notitia. Pertinet huc historia, cujus Aug. meminit *in l. de Gen. ad lit. D.* Et inde Martyr *loco mihi citato, n. 16.* Arreptitius quidam, *Historia arreptitii.* à nemine voluit cibum capere, nisi à quodam Sacerdote. Is igitur Sacerdos procul habitavit ad quinque milliaria. & de hoc Sacerdote pronunciavit is Arreptitius, quando vellet egredi, quando futurus sit in itinere, in taberna, in fundo, præ foribus. Diabolus ibi, ex illo Arreptitio loquens, partim celeritate motus, partim, tanquam princeps aëris, ex aëre, tanquam altâ speculâ potuit, illius pastoris motum actualem intueri & sic, non, quæ à parte rei futura erant, prædicere, sed quæ putabantur futura, opinione hominum. Simile est, si speculator ex turri à longè videret adventem turbam militum, & postea diceret: eam circa definitum tempus affuturam civitati.

165. *De Revelata notitia Angelorum.* Et hactenus quidem locuti sumus, de eo, quid possit Angelus ex lumine proprio intellectus sui: Nunc dicam de notitia revelata.

Ubi interveniente revelatione, certum est: *Angelos multa præscire quæ solus Dei propria sunt.* Nam id etiam multis hominibus datum, veluti qui Prophetæ celebrantur in Scriptura, sicut & qui fideles sunt, certò norunt futurum esse aliquod extremum judicium & mortuorum vivificationem, quæ aliàs præsciri non nisi intellectu divino possunt. Et ex hoc capite explicari debent Prophetiæ Sibyllinæ & aliorum Oraculorum, de nativitate Christi & aliis. Quia enim Diabolo cognita est Scriptura, & prædictiones in ea contentæ, ideò, ad conciliandam sibi autoritatem, ex eventu responsorum, versutè attemperavit suas prædictiones prædictionibus Scripturarum. Quanquam aliis videtur: cùm Dæmones, vel Oracula Ethnicorum tale quid prædixerunt, peculiari sive speciali id factum esse ad Diabolos revelatione, sicut & per vatem Balaam Deus vaticinatus est, & benedixit populo suo etsi ipse alias vir nequam esset. Vide Justin. Martyr. *tom. 3. in qq. & resp. q. 2.* & Augustin. *serm. 103. de tempore.*

PUNCTUM

PVNCTVM VII.

An Angeli cognoscant cogitationes humanas?

DE quæstione hac, quæ magis Theologica esse videtur, respondeo breviter per distinctionem traditam à Thoma, 1.*p.q.*57.*a.*4. & 2.*contra Gent. c.* 68. & *l.*3.*c.*158. 166.

Igitur cogitatio cordis potest cognosci dupliciter; *uno modo* in suo effectu. Et sic non solùm ab Angelo, sed etiam ab homine cognosci potest, et tantò quidem manifestiùs, quantò magis manifestus erit effectus, et rursus tantò subtiliùs, quantò effectus fuerit occultior. 167 *Cogitatio cordis potest bifariam cognosci.*

Cognoscitur autem cogitatio interdum: non solùm per actum exteriorem, sed etiam per immutationem vultus vel aliunde. Vnde Medici aliquas affectiones animi per pulsum cognoscere possunt. Indéque multò magis Angeli vel etiam Dæmones, quantò subtiliùs hujusmodi immutationes corporales perpendunt. Sic et Augustin. *l.de divin. Dæmon. cap.* 5. docet, quòd aliquando hominum dispositiones, non solùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo in corpore exprimuntur, tota facilitate perdiscunt. 168

Alio modo cognoscuntur cogitationes, prout sunt in intellectu, et affectiones, prout sunt in voluntate: nec se exteriùs produnt. Et hoc modo solus Dei est cognoscere cogitationes cordis, et inclinationes voluntatis, ut passim in Scriptura docetur. *vide* 2.*paral.cap.*6.*v.*19. *Jerem.*17.*v.*9. *Rom.*8.*v.*26. cujus rationem hanc reddit Thom. *d.l.* quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, et ipse solus in eam potest operari, quia est principale ejus objectum et ultimus finis: Et ideò, quæ ex voluntate sola dependent, vel in ea sola sunt, soli Deo sunt nota. Ex sola autem voluntate dependent, si quis actu aliqua consideret. *Cur Deus solus καρδιογνώστης.*

Objicitur: Si Angelus potest acquirere speciem hominis vel parietis, indéque cognoscere hominem et parietem. Ergo etiam potest acquirere speciem cogitationum humanarum. Non enim hic est diversitas, in ratione intelligibilis, præsertim quia cogitatio tanquam Ens spirituale magis est proportionata intellectui angelico, ut cum moveat, quàm homo vel paries, quæ sunt aliquid materiale. 169 170.

*Resp.*1. Dubitant aliquitan de re immateriali sive spirituali possit sumi species, sicut sumitur à re materiali. Vnde juxta hanc sententiam satis commodè dari posse ratio diversitatis. 2. ponendo tamen, ab utroque sumi posse speciem, nihilominus requiritur, ut utrinque objectum concurrat ad eliciendam vel producendam speciem. Effectivè enim dependet species ab objecto. Ergo et cogitatio cordis, si intelligi debeat per sui speciem, debet concurrere ad impressionem illius speciei. At actus intellectus, propter concursum cum voluntate, sunt liberi non naturales. Non igitur fiet ista impressio nisi ex consensu mentis. At mens ordinariè et naturaliter non consentit aperire alii sua cogitata, nisi per externa signa vel vocem, etc. Ergo nec species intelligibilis cogitatorum istorum fieri potest nisi per signa. Confer Becan. *part.*1.*Theol. Scholast. tract.*3.*c.*1.*q.* 10. Et adde Colleg Conimbr. *de anim. separ. Disp.*5.*a.*2. *in ratio.* Denique: In distantia ad intellectionem satis non est, sed præterea requiritur, ut sit proportio inter intellectum et intelligibile. Intelligibile autem non est proportionatum intellectui (quod aliàs per speciem cognoscitur) nisi sub ratione speciei intelligibilis, quæ, cur non detur ibi, antè dixi.

Durand. 2 *d.*3 *q.*5. Existimat Angelos cognoscere cogitationes, quæ de præsenti sunt in intellectu; non autem cognoscere eas, quæ de futuro sunt in intellectu, & harum cogitationum cognitionem reservatam esse soli Deo. 171 *Durandi sententia.*

Sed hæc sententia consistere non potest, cum quia generaliter ostensum est, Angelum non posse præsentes cogitationes cognoscere, tum etiam, quia sit ne la causa 172 *Reiicitur.*

causa esset, cur Deus specialiter dicatur *καρδιογνώστης*, cognitor vel scrutator cordis, quæ præcellentia scientiæ divinæ non sumitur juxta Durandi sententiam, ex ordine ad cogitationes præsentes, sed ad cogitationes ut futuræ sunt, unde in tantum ista præcellentia non consistit in *καρδίας γινώσει*, sed in præscientia.

ARTICULUS III.

De modo cognitionis Angelicæ.

173. HActenus, quoad angelicam cognitionem, de duobus actum est, nimirum, de ejus principio et de ejus objectis: restat ut aggrediar membrum tertium, suprà propositum, quod est de modo cognitionis Angelicæ, ad quem intelligendum, dico sequentia.

PUNCTUM I.

De modo cognitionis Angelicæ.

174. HOc reliquitur ex suprà dictis, ubi probatum est: speciem requiri, ut principium cognitionis Angelicæ. Vide suprà, *num.* 121. *seqq.*

PUNCTUM II.

Angeli cognoscunt sic, ut modò sint actu intelligentes modò potestate.

175. *Intellectus bifariam potest esse in potestate.*

THomas 1.p.q.58.a. 1. notat bifariam intellectum posse esse in potestate, quoad intellectionem. *Uno* modo: sicut, qui habitum scientiæ habet, non tamen actu contemplatur. *Altero* modo, sicut, qui potest acquirere notitiam, quam nondum habet. Ubi prior potestas est solùm & præcisè ad intelligendum: posterior est ad intelligendum & ad habitum sive notitiam.

176. *Probatur falsa propositio.*

Utroque modo dico: intellectum angelicum posse esse in potestate. Nam primò intellectum angelicum non omnia actu considerare quæ sunt, inde apparet, quia aliàs omnia naturalia simul, juxta distinctus conceptus, apprehenderet, & proinde de facto intelligeret multa, quod absurdum est. Non *contingit*, inquit Arist. 2. Top. c. 4. *multa simul scire, sed unum tantum intelligimus.* Apparebitque ejus absurditas postea specialiter.

177. *Deinde:* Intellectum angelicum posse acquirere notitiam ejus rei, quam antea non habuit ex rationibus certum est. Nam 1. Intellectus angelicus potest divinitus illuminari, notitia alicujus rei, quæ excedit naturalem capacitatem intellectus sui, veluti ut revelet ei Deus, quo die aut horâ aut anno mori debeat, qui nunc nascitur, aliudve futurum, quod soli scientiæ divinæ reservatum est. *Deinde:* potest id fieri etiam in naturali intellectione Angelus, ut prius conclusum est, novit cogitationem cordis, sed non antequam ea reveletur Angelo, per vocem aut aliud signum. Unde si homo revelet aliquam cogitationem quàm antè habuit occultam, Angelus incipiet naturaliter intelligere id, quod antea non intellexit, & proinde antea fuit intelligens potestate solùm.

PUNCTUM III.

An Angeli simul possint multa intelligere?

178. TRactat hanc quæstionem Thomas, ubi suprà, *q.* 2. & de intellectu humano 1.p.q.85.a.4. Et adde 2.d.3.q.3.a.4.& 3.d.14.a.2.q.4.

179. Est autem respondendum per distinctionem. Igitur quæ multa sunt considerantur

tur vel ut multa sunt, vel ut uniuntur ad aliquod totum, sive id sit unum per se sive unum per accidens. *Quæstio distinguitur.*

Igitur multa, ut multa sunt, una intellectione, nec humanâ nec angelicâ apprehendi possunt, quia quæ multa sunt habent etiam multas essentias, adeoque multos conceptus objectivos. At conceptibus objectivis conformantur conceptus formales sive conceptus mentis. Unde si isti sint multi, necessum est etiam conceptus mentis esse multos. At conceptuum multitudo infert multitudinem intellectionis. Neque apparet ulla ratione, cur id non sit in Angelo, cùm sit in homine. In Deo autem id non est, quia is non intelligit per speciem, sed per intuitum substantiæ suæ quæ una est, in quo omnium rerum sunt exemplaria.

Quando autem multa uniuntur ad aliquod totum, tum quia hoc ipso sortiuntur aliquam unitatem, atque ita habent unum conceptum objectivum: ideo sic etiam unâ intellectione percipi possunt ab Angelo. Nam tale quid etiam fieri potest ab intellectu humano, quia non oportet ut magis multiplex intellectio sit in Angelo, ac est in homine, cùm multiplicitas intelligendi sit ab imperfectione, ut inde apparet, quia in Deo est intellectio una, à parte rei loquendo, etiamsi nos apprehendamus plures intellectiones in Deo, juxta diversitatem particularium objectorum sive intelligibilium diversitatem. 180.

PUNCTUM IV.

An intellectus Angelicus omnia intelligat verè.

ANgeli boni, ut jam confirmati sunt in bono, satis consequenter muniti sunt ab errore, ne scilicet errent in intelligendo, quia si quis posset in iis esse error, in intelligendo, consequenter posset etiam esse error in volendo sive appetendo. Appetitus enim sequitur judicium intellectus. Unde si intellectus judicaverit aliquid esse bonum, sive sit revera sive non sit, voluntas ad illud fertur, sine ulteriori discretione, aut disquisitione, quæ præcisè ad intellectum pertinet. At si potest esse error in appetitu angelico, illicò pravi & mali essent. Id autem non esset sine inordinatione voluntatis angelicæ. Ab inordinatione autem voluntatis ad objectum incongruum sumitur denominatio malitiæ. 181.

Intellectus tamen Angelicus, ex natura sua, & citra additamentum ulterioris gratiæ, non est incapax falsitatis, sive falsæ intellectionis, ut apparuit, quia de facto lapsus est Angelus, non immutatâ essentialiter naturâ angelicâ. Ille autem lapsus non potuit esse nisi ex prævia falsa intellectione, ut supra argumentabar *num.* 131. Unde & quia ista confirmatio ad bene & rectè intelligendum non est facta in Dæmonibus, ideò præsertim eis non repugnat, adhuc dum habere falsas intellectiones. Ita & Dionys. c. 7. *de divin. nominibus* ait, Angelos cecidisse à veritate, & habere depravatam rationem. 182.

PUNCTUM V.

An Angelus intelligat componendo & dividendo?

HAc in re inprimis certum est. 1. *Angelos cognoscere propositiones.* Propositiones enim continentur in genere Entium, latè loquendo. At quicquid tale est, est intelligibile, præsertim ab Angelo, qui habet quandam in intelligendo præcellentiam. 183. *Angeli intelligunt propositiones.*

2. *Certum est: Intelligere componendo & dividendo, absolutè esse imperfectionis.* Ita apparet, quia is modus intelligendi, Deo non convenit. Dei enim cognitio est simplex & intuitiva. Componendo autem & dividendo intelligere, est intellectio composita. Unde porro cautè definiendum est, quid sit intelligere componendo & dividendo, ne id Deo attribuatur. Atque inde dico: quòd non sit intellectio per compositionem & divisionem, quando intelliguntur extrema propositionum 184. *Quid sit intelligere componendo & dividendo*

sitionum, earumque vel convenientia vel disconvenientia. Nam Deus etiam cognoscit naturam hominis & naturam risibilitatis, quódque ea consentiant, hoc est, quòd homo sit risibilis, vel quòd risibilitas insit homini. At Deo non convenit compositio & divisio in intelligendo, ut probatum est. Ait Thom. 1. *p.q.*58.*a.*4. Si intellectus statim in apprehensione quidditatis subjecti, haberet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subjecto, vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo & dividendo, sed solùm intelligendo quod quid est. Hinc ergo componendo & dividendo intelligit intellectus, cum distinctâ vel diversâ notitiâ apprehendit subjectum, & illius prædicatum.

185 *Deus sic non intelligit.* Atque hinc infero: *Deum non cognoscere componendo & dividendo*, quia res creatas ipse non apprehendit distinctè, hoc est, aliâ atque aliâ cognitione, quia omnia intelligit per substantiam suam, quatenus est speculum vel exemplar omnium rerum creatarum. Unde quia substantia Dei una est, ideo una etiam est intellectio divina, & proinde nec distinctâ intellectione subjectum & prædicatum apprehenduntur à Deo, quod erat intelligere componendo & dividendo.

186 Unde porro infero: *probabile esse, quòd Angeli intelligant componendo & dividendo.* Quia enim Angeli non intelligunt per substantiam, ut suprà probavi, sed per species intelligibiles, quas multas habet intellectus angelicus, ideo non apparet quomodo idem intellectus non feratur distinctâ sive diversâ intellectione ad cognoscendum subjectum & prædicatum. At hoc nobis est intelligere componendo & dividendo.

187. *Objicit* Thomas 1.*p.q.*58.*a.*4. In Angelo esse lumen intellectuale perfectum. Ergo non intelligere componendo & dividendo.

Resp. Negando consequentiam, quia perfectio, quæ convenit intellectui angelico, non est nisi finita. Unde hoc ipso in essentia angelica non possunt resplendere imagines omnium rerum, quia hoc non potest esse, nisi eo, quod eminenter continet perfectiones omnium rerum, quod non convenit nisi Enti infinito. Ergo etiam intellectus angelicus non potest intelligere omnia, intuendo substantiam suam. Ergo intelligit per multitudinem specierum. Et proinde intelligit componendo & dividendo, quia intelligi non potest, quomodo intellectis multis speciebus, non fiat compositio & divisio in intellectu, ut dictum est.

PUNCTUM VI.

An Angeli cognitio sit discursiva & Dianoëtica?

183 DE διανοίᾳ & discursus nomine & natura pluscula trado in Logicis ad doctrinam syllogisticam *c.*1.*in Comment.n.*17.*& seqq.* unde paucula ad intelligentiam terminorum pro præsenti quæstione repeto.

189 *Vox διανοίας sive discursus ambigua.* *Primò* igitur διάνοια generaliter (quamquam per κατάχρησιν) significat omnem intellectionem, etiam simplicem. Magis tamen propriè significat intellectionem compositam. Διάβασις enim significat quandam transmissionem notitiarum, ut & præpositio *Dis* in voce discursus, ut & vocem istam interpretatur Scal. *Exer.* 307.§.3. & Zabar. 1 *post.ad t.*1 *fol.*62 1.*& de mente humana c.*7. Vnde sic ad omnem discursum sive διάνοιαν requiruntur plures cognitiones, ut rectè disputat contra Scotum Cajetanus 1.*p.q.*58.*a.*3. & Colleg.Conimbr. 1.*prior.c.*1.*q.*2.*a.* 1.

190. *Discursus duplex genus.* Porro, ut ibidem traditi, discursus posteriori modo sumptus, duplex est. *Alius* habet successionem notitiarum discretam, quando scilicet uno cognito progreditur ad cognoscendum aliud, sine dependentia hujus ab alio. *Alius* autem discursus habet successionem notitiarum continuam, quòd est cùm posterior notitia dependet ex priori, sicut clara & illustris ex priori, cùm antea ignota esset. Et hoc modo fieret syllogismum est discurrere.

191. His positis extra controversiam & certum est. 1. *Angelos διανοεῖσθαι, quatenus διάνοια significat omnem intellectionem.* Sunt enim Angeli intellectuales naturæ.

2. An-

2. *Angelos discurrere discursu discreto* Possunt enim Angeli omnia naturalia cognoscere, & tamen non possunt omnia simul cognoscere, ut distinctim patuit in primis. Ergo necessario cognoscunt illa omnia successivè. At is est discursus discretus.

De discursu autem continuo, quem dixi, nunc quæstio est. Hic igitur Thom. 1. p. q. 58. a. 3. & alibi, aliique multi existimant: Angelis non competere discursum Rationes Thomæ, *in prima parte* sunt; Angeli illum gradum tenent in substantiis spiritualibus, quem corpora cœlestia habent in substantiis corporeis. Est autem hæc differentia inter cœlestia & terrena corpora, quòd corpora terrena per mutationem & motum ad perfectionem suam ultimam perficiuntur. Corpora vero cœlestia, statim ex ipsa sua natura suam ultimam perfectionem habent. Sic igitur & inferiores intellectus, scilicet hominum, per quendam motum & discursum intellectualis operationis accipiunt perfectionem, in veritatis cognitione, dum ex uno cognito in aliud cognitum, vel potius cognoscendum, procedunt. Angeli autem in iis quæ primo naturaliter cognoscunt, statim inspiciunt omnia quæcunque in eis cognosci possunt. 192. *De discursu continuo. Sententia Thomæ cum argumentis.*

Alteram rationem sumit Thomas, ex nomine, quod scilicet Angeli *intellectuales* item *intelligentiæ* dicuntur. Animæ vero humanæ dicuntur *rationales*. Intelligere autem est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere. Ratio vero est vis qua procedimus ab uno ad aliud. Confer eundem 1. p. q. 79. a. 8. 193. *Solvuntur Argumenta Thomæ.*

Neutra tamen rationum istarum firma est satis. Nam *prima* fundatur in similitudine vel comparatione, quæ per se inefficax est ad probandum, habéteque solùm, vim illustrandi veritatem, aliunde probatam, ut alia taceam.

Quod ad *alteram* attinet, hoc ipso quia ex nomine sumpta est non est satis efficax. A nomine enim non ducuntur argumenta necessaria, præsertim quia satis commodè alia ratio nominis dari potest. Dicuntur igitur Angeli *intellectuales*, non quia non utuntur ratione, sed quia solùm cognoscunt per rationem & non per sensum. Homines autem particulariter dicuntur rationales, sumendo rationalitatem pro differentia animalis, unde quod sit rationale est, hoc ipso est animal. Angeli autem non sunt animalia rationalia, quia animalitas implicat corpus, quod Angelis non convenit, ut suprà patuit. Augustino *l. 3. de Gen. ad lit. c. 20.* æquipollentia sunt mens, ratio & intelligentia. *Quomodo Angeli non sint rationales.*

Magis igitur placet sententia quòd Angeli utantur discursu. Nam 1. nihil in ratione discursus videtur implicari quod repugnet Angelis. Nam discursus ratione generis significat multitudinem intellectionum, & earum successionem. Utrumque convenit Angelo, ut probatum est, *num.* 180. & 191. In formali autem sua, discursus significat dependentiam unius intellectionis, tanquam ignotioris, ab alia tanquam notioti. Hæc omnia Angelo conveniunt. Nam signa externa indicant Angelo cogitationem cordis. E cogitatio cordis ignota erat Angelo, antequam cognosceretur signum, saltem secundum ordinem naturæ. Non esse autem in istis intellectionibus, unius ab altera dependentiam pugnat contra naturas rerum, in quantum ejusmodi necessariam connexionem habent, ut operationes indicent, essentiam, & essentia per resultantiam producat naturales proprietates. Vnde cùm distinctis intellectionibus mens Angelica apprehendat ista extrema fieri non potest, requirente id naturâ rerum, ut non sit dependentia in intellectionibus. Modus enim cognoscendi sequitur modum essendi. 194. *Angelos discurrere probatur.*

Deinde: Angelis convenit cognitio experimentalis, ut suprà indicabamus, *num.* 159. & frequenter docent Autores, Isidor. *l. 1 de sum. bon. c. 2.* Et Thomas ipse insinuat, 1. *p. quæst. 57. a. 2.* & aliàs. Experientia autem fit per discursum, colligendo scilicet ex multis singularibus notitiam universalem, ut Aristoteles docet 1. *post. text. 104. & 1. Metaph. cap. 1.* Et patet. Experientia enim non fit, nisi inducendo. Inductio autem est species discursus. Alia mitto. 195.

TITULUS

TITVLVS XII.

De volitione Angelica.

196. HAc de re non adeò multa dicenda sunt, quia, servatâ proportione, hîc fere omnia, quæ de potentia intellectiva dicta sunt, recurrunt.

ARTICULUS I.

Angelos habere voluntatem & proinde velle.

197. *Angelos habere voluntatem.* IGitur primò certum est: *Angelis competere voluntatem.* Intellectus enim non datur sine voluntate, sed pertinet ad eandem Entis speciem. Repugnat enim ut à quoquam intelligatur bonum, & tamen non ametur ab eodem. Est enim de ratione boni κνλόν, vel κρλητόν, (unde & κρλὸν dicitur) appetitum rei intelligentis. At in Angelis datur intellectus, ut suprà patuit, indéque & cognitio boni. Ergo & in eis datur voluntas.

198. Atque hinc sequitur: etiam Angelis convenire volitionem, sive actum volendi. Non solùm, quia tales potentiæ proximè dantur propter actum, unde eo ablato frustrà sunt: sed etiam, quia in Angelis datur actualis intellectio. Vide fieri non potest, ut Angelus non velit saltem intellectionem ipsam. Idem autem est de actuali intellectione rei bonæ, ad quam fieri non potest, ut non consequatur actualis amor (rei amabili proportionatus) ipsius rei cognitæ. Actualis autem amor pertinet ad actus voluntatis.

ARTICULUS II.

De principio volitionis Angelicæ.

199. SIcut in intellectione Angelica, distinguebam principium, actum & modum, & objectum ejus: ita oportet etiam id fieri, in volitione Angelica.

200. De principio igitur Angelicæ volitionis dico: *Eam fieri ab essentia Angelica, mediante potentia volendi, & aliquibus etiam habitibus.*

201. De *essentia* res est liquida. Omnes enim actus referendi sunt ad essentiam agentis, ut ab ea prodeant.

202. De *potentia* autem volendi patet iis argumentis, quibus probatum est Angelum ad intellectionem exigere potentiam intelligendi, à substantia sua distinctam. De quo vide *num.* 118.

203. *An differat voluntas Angeli ab ejus intellectu.* An autem ea potentia volendi sit distincta, à potentia intelligendi: an verò sit unum idémque accidens, sive potentia Angeli, quæ juxta habitudinem ad diversos actus modò dicatur voluntas, modò intellectus sicut una eadémque virtus Solis, modò illuminativa, modò calefactiva dicitur, peculiaris quæstio est.

204. De qua omnino existimo: diversas potentias esse, intellectum & voluntatem in Angelo, quia actus sint ferè generum oppositorum. Intellectus enim agit, attrahendo sibi objectum, sibíque illud uniendo, quod fit per speciem intelligibilem. Voluntas autem agit quasi egrediendo ad objectum, vel per modum tendentiæ ad aliud, unde nulla specie eget per quam voluntati repræsentetur res volita, quæ erat intellectui necessaria, ut priùs patuit, unde hactenus etiam inter voluntatem & intellectum diversitas est.

205. *Porrò*: habitus esse in voluntate Angelica, vel saltem eam haud incapacem esse habituum, liquet iis argumentis, quibus probatum est, eos dari in intellectu Angeli. Vide suprà, *Num.* 127 *seqq.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

De actu & modo voluntatis Angelicæ.

206. *Volitio Angeli non est ejus substantia.*

INprimis volitio Angelica non est ejus substantia vel esse, ut relinquitur in proportione ex dictis, de intellectu Angeli, *per num.* 115. Est igitur iste actus superveniens naturæ ipsius Angeli.

207. *Eam esse liberam.*

Porrò volitioni Angelicæ conjungitur libertas. Ita patet 1. quia Angelus habet radicem libertatis, hoc est, judicium intellectus. Deinde liberè agere est perfectio simpliciter, ut inde apparet, quod Deus est agens liberrimum. Incongruum autem est, ut ulla creatura magis approximet Deo in perfectionibus suis, quàm Angelus, qui est creatura nobilissima. At id esset, si Angeli non essent agentia libera, quia experimur in nobis ipsis, actus nostros esse liberos. Sed hæc de re prolixius dixi, in *Topic. c. 3. in comment. n 45. seq.* in materia, de causis liberis, quò vitandæ prolixitatis causâ Lectorem remitto.

ARTICVLVS IV.

De objecto volitionis Angelicæ.

208.

INprimis eo usque patet objectum voluntatis, quousque patet objectum intellectus: sed tamen, in quantum in eo invenitur ratio boni. Voluntas enim non refertur ad aliquid, nisi sub ratione boni. In genere enim repugnat contra rationem appetitus, ferri ad malum, quâ malum, unde à fortiori procedit id de appetitu Angelico, qui perfectior debet esse quovis appetitu alio. At sine dubio imperfectionis est, si quis appetitus feratur ad malum. Si quid huic assistat objici possit, id solutum est in Topic. *cap. 6. de fine, in comment. num. 25. seqq.* ubi vide.

TITULUS XIII.

De Angelorum loquutione.

209.

SUb hoc titulo de duobus videndum est. *Primò:* An Angeli loquantur. *Secundò,* quomodo loquantur.

ARTICVLVS I.

An Angeli loquantur.

210.

PEr Angelum nunc intelligimus Angelum, juxta naturam suam præcisè & citra assumptionem corporis: In quo cùm habeat membra organica, utique sicut illud inanimum corpus movere potest, ita potest etiam partes sive organa illius corporis movere & sic excitare vocem, & proinde loqui.

211.

Deinde 2. loqui nunc intelligimus indifferenter, ad quemcunque ista locutio fiat, sive sit ad Deum sive Angelum alium, vel superiorem vel inferiorem, vel hominem, in qua re aliàs speciales controversiæ sunt, ut patet ex Thom. 1. *part. quæst.* 107.

212.

Hac in re dico I. *Angelis non convenire loquelam per vocis efformationem, ut nos loquimur.* Est per se clarum, quia ad vocis efformationem requiruntur distinctæ partes corporeæ veluti sunt pulmo, larynx fauces, lingua, dentes, labra. Unde hæc omnia in sermone humano requiruntur. Est enim sermo vocum articulatarum dispositio, ut Scal. definit, 1. *de caus. ling. lat. c. 4.* Partes autem corporeæ in Angelo non sunt, ut satis suprà patuit.

213.

II. *Nihilominus Angelo convenit loquela, purificando nomen loquela vel sermonis, ab imperfectionibus.* Nam cùm Angelis locutionem tribuimus, *dignum est,* ut Greg. inquit, l. 2. Moral. cap. 3. *ut modus nostræ qualitatem corporeæ locutionis, excedens ad*

sublimes & incognitos modos locutionis intimæ suspendatur. Et ipsa Scriptura, Angelis loquelam tribuit, 1 *Corinth.* 13. Si loquar linguis Angelorum, &c. & *Zach.* 1. respondit Angelus Deo & dixit, &c. Et passim alibi.

214. *Locutio, in genere, quid sit.*

Id igitur ut explicemus, oportet ut denudemus à nostra locutione, id quod qualitatis corporeæ, adjunctum organa corporea, aëris verberationem, & quæ sunt alia. His remotis, sermo noster habet manifestationem conceptuum. Loqui igitur in genere, & præscindendo à speciali sermone, veluti Angelico vel humano, est nihil aliud quàm manifestare conceptus. Intelligimus igitur Angelum loqui, cùm apprehendimus eum conceptus suos manifestare. Sic & Thomas 1. p. q. 107. a. 1. ad 1: *Ex hoc quod conceptus mentis Angelicæ ordinantur ad manifestandum alteri, per voluntatem ipsius Angeli conceptus mentis unius Angeli innotescit alteri. Et sic loquitur unus Angelus alteri. Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quàm conceptum mentis alteri manifestare.*

215. Atque hoc modo declarato termino *loquendi*, videns est: Angelos loqui. Nam homines loquuntur. Ergo à fortiori id convenit Angelis. Consequentia est evidens, quia, loqui posse, est perfectio simpliciter. Nam Deo convenit loqui posse, hoc est, manifestare conceptum suum sive voluntatem suam. Unde si id Angelis negaretur, homines magis approximarent Deo in perfectionibus, quam Angeli. Ergo cùm Deus sit mensura perfectionum creatarum, Angeli simpliciter essent imperfectiores hominibus, quod absurdum est.

ARTICULUS II.

Quomodo Angeli loquantur.

216. ANgelos loqui nihil aliud erit, quam eos manifestare conceptus suos. Hoc igitur nunc quæro: quomodo Angeli loquantur, hoc est, quomodo conceptus suos manifestent.

217. *Varia opiniones.*

Igitur de modo locutionis Angelicæ variant Doctores. *Thom. d.* Lexistimat: Angelos loqui, si per voluntatem suam ordinent conceptus suos, ut sint aperti alii Angelo, qui velit eos intueri. Et hoc satis est ad rationem loquelæ.

Scotus 2. *d.* 9. *q.* 2. opinatur: Angelum unum loqui alii, si de re aliqua effectivè imprimat menti alterius Angeli, conceptum, similem conceptui suo.

Durand. 2 *d.* 11. *q.* 2. Existimat: Angelos colloqui, sicut & nos, & ipsi ad nos loquuntur, hoc est, efformando voces ex aëre, ubi refert Durandus, alios opinari, quòd colloquantur, formando characteres in cœlo: Alii aliter opinati sunt.

218. Ego hac in re nihil temerè decerno. Quod loquantur Angeli ex priori quæstione certum est. Quomodo id fiat, non existimo naturali ratione satis constare. Sic & *August.* ait in Enchirid. cap. 59. *nec sciri nec affirmari posse, qualiter ratione Angeli vel ad aurem forinsecus, vel ad animum hominibus istius loquantur.* Vide eundem, lib. de Civ. Dei. 16. c. 16.

TITULUS. XIII.

De motu Angelorum.

219. QUoad motum Angelorum similiter de duobus videndum est. Nempe an Angeli moveantur, & quomodo moveantur.

ARTICULUS. I.

An Angeli moveantur.

220. IN hujus affirmatione communiter ferè Dd. consentiunt. Vide August. *Epist.* 57. *ad Dard.* Bernh. *serm.* 5. *in Cant.* Ambros. *d.* 1. *de Spir. San. cap.* 10. Lombard. 2. *d.* 6. Et Sententiarios *ibidem.* Thom. 1. p. *q.* 53. ejúsque interpp. Suarez. *Disp.* 35. *Sect.* 3. *n.* 48. & *Disp.* 51. *sect.* 4. *n.* 11. *seqq.* hosque, hujus hæc sententia absolutè vera

& de

& de fide etiam certa. Quanquam eosdem immobiles esse, docuit Aristoteles, ut ex 12. *Metaph. text.* 43. deducunt Suncinas, 12. *Metaph. quæst.* 6. Et Javell. *ibid. q.* 4. Quod tamen ad intelligentias, motrices orbium, restrinxit Suarez, *Disp.* 35. *s.* 3. *num.* 49. *Aristotelis sententia.*

221. Igitur Scriptura satis declarat Angelos moveri, quia sæpe facit mentionem, ascensus & descensus eorum, quæ ad literam sunt specialia nomina motuum localium. Neque aliunde apparet ulla ratio, cur hic literam deserere debeamus, & interpretari ea per ἀνθρωποπάθειαν quâ utimur in explicando motu Dei. Nam aliunde constat, ex multis Scripturis, quòd Deus sit immutabilis & ubique præsens. At quod ubique est, non potest moveri localiter. Motus enim localis semper fit per amissionem termini, & acquisitionem alterius non habiti, quæ simpliciter non repugnant ei, quod immensum est. *Deum esse immotum.*

222 *Deinde*: idem probatur ex motu animæ. Antecedens patet, saltem cùm anima egreditur corpus & id deserit. Tum enim amittit realem præsentiam ad corpus, quod informavit. At mutatio præsentiæ, est nihil aliud, quàm motus localis. Indéque cogitari non potest, quòd quidquam mutet præsentiam, citra motum localem, nisi fortasse id sit, per extrinsecam denominationem, veluti, ut quid mutet præsentiam ad aliquid si illud aliud retrocedat, quomodo arbor in flumine existens mutat præsentiam ad aquam præterlabentem. Talis autem mutatio præsentiæ in anima locum non habet. Corpus enim non fugit & deserit animam alibi relictam. Illud ipsum enim fugere, non convenit corpori nisi per influxum animæ. *Animam moveri.*

223 Consequentia autem istius argumenti patet, quia, recedendo ab immensitate, simpliciter est perfectionis, posse mutare locum. At non oportet, ut major sit perfectio, in anima, quàm in Angelo. *Etiam Angelos moveri.*

Ut, quod dixi, intelligatur, notandum est: Esse aliquid immobile dupliciter, *uno* modo si sit immensum, & sic ubique; quod localiter moveri non potest, ut antea probavi, n. 221. *Alio* modo, si sit affixum alicui finito & determinato spatio, unde non egredi possit, quomodo animalia quædam, & res cæteræ immobiles sunt. Jam primus modus immobilitatis Angelis non convenit, quia hi ubiq; non sunt. Posteriorem autem modum immobilitatis dico esse maximæ imperfectionis. Ita patet comparando animalia. Nam sine dubio perfectiora sunt animalia mobilia *ἀκινήτων*, quia habent omnes immobilium perfectiones, & præterea motum. Et hinc homini, qui perfectissimus est in genere animalium, & proinde mensura perfectionis in cæteris animalibus, etiam motus convenit. *Immobile aliquid est dupliciter.*

224. Et hinc nunc peculiaris ratio sumi potest. Angelus exhibet præsentiam spatio finito, ut patet ex remota ab eo immensitate. Et non est affixus spatio, ut proximè patuit, *num præced.* Ergo potest moveri localiter. Consequentia patet, quia dimissio spatii habiti non potest esse citra motum localem.

225 *Objectiones*, quæ contra hanc doctrinam speciosè fieri possint, non sunt, nisi quæ sumuntur ex conditionibus Aristotelicis motus Physici, quem ultrò fateor Angelis non convenire. Patebitque id mox plenius sequente quæstione.

ARTICULUS II.

Quomodo Angeli moveantur.

226. IN hoc titulo multæ particulares quæstiones continentur, quæ distinctim excutiendæ sunt, ut intelligatur, qualis sit motus Angeli. Antè quæ dico: Angelum moveri, simpliciter mutando ubi suum, & sic exhibendo præsentiam suam spatio uni, dimisso spatio alio. Nunc quæritur.

PUNCTUM I.

An motus Angelis sit motus Physicus?

227. SCotistæ Angelis tribuunt motum Physicum, ut refert Pererius *lib. 2. de Philos. Nat. cap. 2.* Unde iidem Physicæ subjectum constituebant non corpus naturale, sed substantiam naturalem.

Ab hac tamen opinione alii communiter recesserunt. Et nominatim Angelis non convenire Physicum motum, docent Thomas *1. p. q. 53. ad primum.* Perer. *d. l.* & Scalig. *Exer. 359. s. 12.* aliique plurimi.

Requisita motus Physici, quæ absunt.

Igitur multa desunt angelis, quæ requiruntur ad motum Physicum, hoc est, quæ sis est in rebus Physicis. Primò motus Physicus requirit subjectum partibile & divisibile, per Arist. *6. Phys. t. 32. & 86. seqq.* At Angeli non sunt divisibiles, hoc ipso, quia sunt immateriales.

Deinde: quod Physicè est mobile, etiam physicè est in loco. Loquimur enim de motu locali, unde proportio inter motum & locum Physicum necessaria est. At angelis non convenit locus Physicus. Locus enim Physicus continet & circumscribit locatum, & quæ aliæ sunt conditiones *4. Phys. cap. 4.* Hæc autem longè absunt à natura angelica.

Tertiò: principium motus Physici est materia & forma, ut Aristoteles clarè docet, unde in mobili Physico, quod in se movetur, requirit Aristoteles, partem motam et partem moventem, hoc est, materiam, et formam. At hæc propriè non conveniunt angelo, quia is non est corporeus. Alia mitto.

PUNCTUM II.

An Angelis motus conveniat per extrinsecam denominationem.

228 ITa censuit Cajetanus, *ad 1. part. q. 53. a. 1.* Et Hervæus *1. d. 17. qu. 1. a. 2.* Et alii quos enumerat Suaretz *Disp. 51. Met. s. 4. nu. 13.* Illi igitur existimarunt: Angelum non esse proprium motus subjectum, sed intelligi eum moveri cùm movetur alia.

229. *Rejicitur affirmans sententia.*

Hæc sententia subsistere non potest. Nam I. fieri potest, ut angelus moveatur non moto alio, cui propinquus est. Veluti quiescente & manente materia in eodem loco: angelus tamen potest recedere ab illa. II. Si angelus non moveret, nisi per denominationem extrinsecam, tum revera ipse, præcisè & juxta naturam suam, remotóque omni extrinseco, esset spatio affixus, quod probamus amea esse imperfectionis. III. Et rursus non moveretur nisi impropriè et per magnam κατάχρησιν, ad eum modum, si quis diceret arborem in flumine moveri, quia semper aqua recedit ab illa; aut sicut arbor movetur in ripa, prætereuntre navi.

230 *Ne quidem in assumpto corpore movetur per accidens.*

Denique: si vel maximè Angelus moveatur in assumpto corpore, tum tamen in illo non movetur per extrinsecam denominationem et per accidens, vel ad motum corporis, sed potius corpus movetur ad motum ipsius, indéque, à priori, Angelo convenit motus ipse, ut benè disputat Suaretz, *Disp. 51. sect. 4. n. 18.* Nam licèt quoad nos, seu in externa specie, videatur angelus moveri, per accidens: quia totum illud apparet per modum unius corporis viventis: tamen revera id, quod movetur, non est unum per se, sed duo, quæ non habent inter se unionem, nisi motoris et moti: Et ideò Angelus non propriè movetur ad motum corporis, sed seipsum dum movet, secum defert tale corpus quod vocatur assumptum accidentaliter, propter motionem, in eo, ab angelo exercitam.

Simile est, cùm corpus portatur ab angelo, per aërem; veluti, cùm Angelus portabat Philippum aut Habacuc, ubi Angelus non fertur ab homine, sed homo fertur ab angelo: Et proinde primò motus convenit Angelo, consequenter autem homini.

PUN-

PVNCTVM III.

An Angeli motus sit instantaneus.

Dico I. *Angelum posse mutare præsentiam suam in instanti.* Veluti si præsens sit angelus toti conclavi, facere potest, ut in momento præsens sit uni parti illius conclavis. Ita patet, quia non apparet repugnantia ulla in isto modo subitaneo contrahendi præsentiam. Revera enim ibi non est motus localis, sed solùm ut loquebar, contractio præsentiæ. 231.

II. *Probabile est, Angelum in spatium distans non moveri in instanti,* veluti ut ejus motus Gissâ Venetias sit instantaneus. Ita apparet, quia secus videntur eidem rei convenire contradictoria. Nam Venetiæ, quæ sunt terminus ad quem illius motus, sunt in potentia ad terminandum illum motum. Ergo de facto tum non terminant. Et tamen si motus est instantaneus, eodem momento, quo angelus est Gissæ, est etiam Venetiis. Et sic Venetiæ eodem momento quo in potentia erant ad terminandum motum, adeóque non terminabant; de facto tamen terminant. 232. *Indistans non moveri in instanti.*

Solet *objici* exemplum de illuminatione, quæ fit in instanti, ubi non est repugnantia. 233

Resp. Exemplum est dissimile, ut Thom. probat 1. p. q. 53. a. 3. quia lumen in aëre est terminus motus localis solaris. Non repugnat autem terminum motus incipere in instanti, quod etiam est in generatione substantiali, cujus terminus incipit in instanti. Eodemque sensu illuminatio dicitur in instanti. At motus localis angeli non est terminus alterius motus, sed est motus præcisè. Confer & Colleg. Conimbr. l. 6. Phys. c. 6. q. 1. a. ult.

III. *Celerrimus est motus Angeli, atque inde videtur esse quasi instantaneus.* Ita patet, quia tarditas motus provenit in corporibus, vel ex resistentia medii, unde tardior est motus per aquam quàm per aërem: vel ex impenetrabilitate partium mobilis, unde si quid in vacuo moveretur, moveretur tamen successivè & non in instanti, quia quo tempore hoc spatium occupat, v. g. pes hominis cadentis, in uno & eodem tempore non potest illud spatium occupari à capite hominis. At neutra causa datur in Angelo. Nam nec ipsi ullum corpus resistit, nec etiam habet quantitatem, unde ei conveniat partium impenetrabilitas. 234 *Tarditas motus in corporibus unde sit.*

Et propter istam motus celeritatem, aliqui dicunt: Angeli motum esse instantaneum: Imò angelum (non moveri, sed) esse ubique. *Origenes* in cap. Jobi; *Dæmon ubique est, totum mundum subitò pervolans.* Ubi quod non vera ubiquitas intelligitur indicatur per vocem *subito pervolare.* Quòd tamen indicetur celerrimus motus, indicatur inde, quòd vel hinc ubique putetur esse Angelus. *Celeritas in motu angelico est tanta, ut putetur ob id ubiq; esse.*

PVNCTVM IV.

An Angelus transiens ab extremo ad extremum, necessario transeat per medium.

THom. 1. p. q. 53 a. 2. respondet per distinctionem. Ait igitur Angelum aliquando moveri motu continuo, aliquando motu non continuo. Et primo modo non posse angelum moveri, ab extremo ad extremum, nisi per medium. Estq; id per se evidens. Nam continuitas motus angelici, ferè non aliunde desumitur, quàm ex continuitate spatii. *Ferè* dixi, quia potest illa continuitas etiam sumi ex continuitate durationis. Motum autem non continuum ait fieri posse, ab uno extremo ad aliud, non pertransito medio. 235. *Thomæ sententia*

Unde apparet: quòd de sententia Thomæ, motus Angeli non necessariò fiat per medium, quodque adeo secus fieri possit. Veluti angelus potest Gissâ moveri Francofurtum, vel Spiram, non transeundo per media loca, veluti Fridbergam, vel alia interjacentia. Non solùm autem loquitur de continuitate, quæ sit secundùm lineam rectam; sed de omni continuitate, quæ excludat transitum per medium quacunque. Ita docent etiam alii Thomistæ.

236. *Rejicitur.* Hæc tamen sententia ab aliis non admittitur, quia nititur falsa hypothesi, quòd scilicet Angelus sit in loco non aliter, quàm per operationem. Unde juxta illam hypothesin congruè dicitur, si aliquis Angelus hic operetur, & postea operetur Francofurti, nec tamen operetur in illo spatio interjecto, quod moverare de loco Gissenæ ad locum Francofurtensem, non transeundo per medium. Contra istam autem hypothesin satis fuit, *suprà, lib. 2. c. 19. n. 9.* Illâ autem hypothesi dimissâ, nulla remanet verisimilitudo, juxta quam talis motus Angelis tribuendus sit.

TITULUS XV.

De actionibus transeuntibus Angelorum.

237. Sub hoc titulo de tribus videndum est controversiis, nempe, an possint Angeli producere substantias. An possint qualitates materiales producere. Et quomodo alia corpora moveant.

ARTICULUS I.

An Angeli possint producere substantias?

238 *Præcognita.* Loquor nunc de Angelo, juxta naturam illius, & qualis est citra assumptionem corporis. Postea enim videbitur sequenti titulo: An Angelus generare possit in assumpto corpore.

239. Deinde loquor de tali productione, in qua ipse Angelus influat producendo aliud, non verò sit solùm causa applicans activa passivis, ut hoc modo det occasionem progenerandis substantiis, à propriis suis causis. Nam hoc modo posse Angelos producere substantias certum est. In tali enim actu nihil facit Angelus, nisi quòd movet corpus unum ad aliud, velut si moveat ustile ad ignem, gignetur ignis. Et sic in aliis, Angelos autem habere vim movendi corpora per se planum est, & postea etiam magis dilucidabitur. Cæterùm: sic angelus non est Physica (ut loqui solent Metaphysici) causa productionis substantiarum, sed moralis solùm, ut ei effectus imputetur. Ipse enim non attingit productionem formæ, misi dispositivè & remotè. Ignis enim (ut proposito exemplo utar) in se sufficiens est, ad producendum ignem, unde per accidens est, ut ei ab angelo extrinsecus jungatur aliquid ustile, quod æquè bene posset fieri à vento, vel homine, &c.

240 *Angelum non posse creare.* Loquendo igitur de Physico influxu ad productiones rerum. Dico I. *Angelum non posse producere ullam substantiam per creationem.* Duo enim sunt modi producendi substantias, alter est per creationem, alter per generationem. E quibus priorem nunc removeo, de quo patet. Nam inprimis, ut priori capite patuit, ad creandum requiritur infinita virtus, propter modum agendi, qui est in creatione: quippe cùm agens per creationem agat in non Ens. At virtus infinita non convenit Angelo.

241 *Nec generare.* II. *Angelus non potest generare corpora.* Ita frequenter Doctores docent. Vide Thom. 1. *p. q.* 110. *a.* 2. *& l. 6. contra gent. c.* 103. *Quodlib. 9. art.* 10. Durand. 2 *sent. d.* 7 *q.* 4. Suarez *disp.* 38 *s.* 6. *n.* 2 *seqq.* Difficulter tamen datur adæquata ejus rei ratio.

242 *Rationes aliorum examinantur.* Durandi ratio hæc est: quia in natura nihil est supervacaneum & frustrà. At esset, si Angeli possent producere corpora, cùm aliquin etiam sufficiens virtus ea producendi sit jamdum in natura. Sed hæc ratio sufficiens non est. Nam frequenter in natura fit, ut plures causæ sint sufficientes ad unum effectum. Ignis ab alio igne produci potest, & potest etiam produci, ex percussione ferramenti ad silicem. Ranæ ranas gignunt, & eædem etiam generantur per influxum Solis. Et sic etiam in aliis. Pertinetq; hoc ipsum, non ad superfluitatem naturæ, sed ad naturæ divitias & fœcunditatem, (ut Suarez loquitur) in eum finem, ut si quod agens non sit satis applicatum, aliud sit, ut sufficienter res ista conservari possit in specie sua.

243. Thom. *in prima parte* probat id inde, quia si Angelus posset producere aliquod corpus

corpus naturale, etsi in vel ei in specie esset simile, vel contineret naturam corporis eminenter & in virtute sua. Non primum, quia Angelus est incorporeus. Non postremum, quia id soli Deo convenit. Sed tamen nec hanc rationem Durandus, ubi suprà, existimat sufficientem est. Et certè cœlo non est in specie similis rana, nec etiam cœlum Deus est, & tamen potest producere ranam.

244. *Ratio Suarez.*

Suarez igitur, quasi explicans Thomam, hanc ponit rationem: Inprimis Angelus non continet effentias rerum naturalium eminenter. Ad hoc enim requiritur infinitas, ut & suprà indicabamus, concludentes ideò non convenire Angelis, quòd intelligant per substantiam, quia ex defectu infinitatis non continent essentias omnium rerum eminenter. Atque hinc Angelus non est sufficiens ad producenda corpora, sicut Deus sufficiens est propter eminentiam virtutis infinitæ. Ex alia autem parte Angelus est valde dissimilis & disproportionatus, quia materiam & formam non habet, quæ sunt generalissima principia corporum. Vnde cum istis generalibus non convenit Angelo cum aliqua re naturali, quomodo proportionatus potest esse, ad producendum, v. g. leonem, vel muscam vel aliud? In omne enim agente requiritur similitudo, & ea quidem non adeò remota cum re genita. Unde hactenus cœlum magis est proportionatum ad producenda corpora, quàm Angelus, qui est res merè spiritualis.

245. *Obiectio.*

Solet *obijci*: Quicquid potest virtus inferior, id etiam potest virtus superior. At inferior virtus, hoc est, corporalis producere potest corpus, velut ignis ignem. Ergo multò magis id potest virtus superior, hoc est, spiritualis in Angelis.

Resp. Quod potest virtus inferior id potest etiam virtus superior, servando tamen objectum hujus virtutis, & non egrediendo totam latitudinem ejus. Aliàs enim rana ranam producere potest, homo tamen, etsi sit virtutis superioris, ranam producere nequit. Et sic etiam in aliis. Producere autem corpus aliquod ostendimus esse extra latitudinem objectorum possibilium ab Angelo, propter disproportionem ejus ad corpora.

246. *Angelos non generare animas.*

III. *Angeli non generant animas.* Ita patet, quia animæ cùm sint formæ non producuntur sed comproducuntur & ingenerantur. Vnde si Angeli generarent animas, etiam generarent animata, adeóque homines. Patet autem id esse falsum, ex priori propositione.

247. *Vel Angelos.*

IV. *Angeli non generant Angelos.* Ita primò certum est ex Scripturis, *Matth. 22. vers. 30.* Unde & ἄγαμοι dicuntur à Damasceno *lib. 2. de orthod. fid. cap. 3.* Et demonstratur id à fine. Generatio est propter conservandam speciem, ne scilicet ipsa intereat, deficientibus individuis. At Angeli sunt naturâ incorruptibiles, ut suprà vidimus. Unde & nos, cùm in futura vita habituri simus ἀφθαρσίαν, non generabimus vel generabimur in ea, per *d. c. 22. Matthæi.*

ARTICULUS II.

An Angeli possint producere qualitates materiales.

248. PEr qualitates materiales intelligo, calorem, frigus, ægritudinem, sanitatem, humiditatem, siccitatem, &c. De qualitatibus enim spiritualibus indubium est: has posse produci ab Angelis. Angelus enim potest docere hominem de suis conceptibus & de divina voluntate, unde sic rhetoricè humanæ potest inferre notitiam, quæ est qualitas spiritualis.

249. Loquor autem & hîc de productione immediata Angeli, non cà, quæ fit applicando activa passivis, hoc est, urens ustili, & humectans humectabili, & herbam sanantem morbo. Ideo hoc sensu potest producere calorem, humiditatem, sanitatem, extra hunc sensum.

250. Dicor *Angelum non posse producere qualitates materiales.* Hæ enim qualitates habent

habent naturam cohærentem cum rebus corporeis sive materialibus. Unde si quid prorsus improportionatum sit, ad productionem corporis, erit etiam prorsus improportionatum, ad productionem qualitatis materialis. Antecedens verò probatum est de Angelis antea.

251. *Objici* solet. Animam posse qualitates materiales producere. Ergo à fortiori posse id Angelum. Anima enim attentè considerando res, infert calorem capiti. Item fortis imaginatio quæ est actus animæ, mutat animal in calore & frigore, rubedine & nigredine, sanitate & morbo. Notum est, quod cura, (quæ est actus mentis) canos faciat, idémque est in innumeris aliis.

252. *Respondeo*: esse hac in re disparem rationem animæ & Angeli. Ista enim omnia non conveniunt animæ ut præcisè spiritualis est, quo in casu, à fortiori conveniret Angelis, quod animæ convenit: Sed convenit ei inde, quia est forma corporis. Unde consequitur: ut intimam habeat cum corpore conjunctionem, & eadem etiam tanquam organo utatur, in multis operationibus suis. Clarum id inprimis est de operationibus sensitivis & appetitivis, quæ omnes fiunt ab anima, per commercium cum corpore. In istis autem frequentissimè obveniunt istæ transmutationes. Intellectio autem, etsi sit quoad judicationem specierum immaterialis: tamen intellectus quoad specierum receptionem, utitur organis corporeis. Unde ex attenta speculatione κεφαλαλγία oriri solet, propter elevationem caloris ad cerebrum, ut ibi specierum receptio juvetur, unde & calor sequitur. Ita & Thom. 1. p. q. 110. a. 2. *ad primum.*

ARTICVLVS III.

De Angelorum vi motiva.

253. HAc de re duo tractanda sunt. 1. An Angeli moveant aut movere possint alia qua corpora. 2. Per quid moveant.

PVNCTVM I.

An Angeli moveant aliqua corpora.

254. HVjus quæstionis non adeò difficilis est decisio. Inprimis enim Scripturæ clarè id docent, quando meminerunt Angelos transportare homines, veluti Philippum & Habacuc, & alios. Ex hypothesi etiam Peripateticorum id certum est, quia dicunt Angelos movere cœlum & orbes cœlestes. Quanquam hac de re valdè ambigo. Inprimis enim videtur natura cœli ad hoc sufficiens esse: neque apparetur non potuerit Deus facere rem aliquam inanimatam, quæ seipsam ex natura sua moveat, in loco suo, ut portò opus non sit externo motore. Sed hæc res pertinet ad Physicam.

Cœlum non indiget motrice intelligentia.

255. D. missâ igitur ista hypothesi, aliter ex Philosophia probari potest: quod Angeli possint corpora movere. Id sic confirmo. Angeli possunt se movere, ut prius patuit *num.* 221. Ergo etiam possunt movere corpora. Consequentia apparet, quia ex hoc, quod Angeli seipsos movent, apparet, quòd efficientia motus, sit proportionata naturæ & perfectioni Angelicæ. Unde clarè sequitur: quòd movere non excedat virtutem Angeli. Inter omnes autem motus, nobilissimus est iste, quo Angeli se movent. Ergo à fortiori sunt proportionati ad motus imperfectiores, ut sunt motus corporum. *Si inest id quod majus est, etiam inesse id* (intra eidem genus loquendo) *quod minus est*, ait Aristoteles 2. *Top. c.* 10. Alii alias rationes afferunt, de quibus vide Thom. 1. p. q. 110. a. 3. Suar. etc. *disp. 53. s. 6. n. 15. & seqq.*

256. *Objicitur*: Angeli non possunt producere qualitates materiales, ut priori quæstione patuit. Ergo nec possunt producere motum localem in corporibus: Neque enim videtur inter ista diversa ratio inveniri posse. Cum hic non minus sit connexus cum materia, ac [illegible]

Re-

Resp. Ratio diversitatis est in isto, quòd motus localis ex genere suo præscindit à motu corporis, unde motus corporis non est tam materialitas ac est calor: cùm nullus calor possit esse in re immateriali. Est autem idem etiam de qualitatibus materialibus aliis. Atque hinc fit ut motus localis magis proportionatus sit virtuti Angelicæ, quàm est ulla materialis qualitas. Alias differentias afferunt alii. Ego hanc probo maximè.

Cur Angelus possit motum producere & non etiam qualitates materiales.

PVNCTVM II.

Per quid Angeli moveant corpora.

257. INterrogo de principio motus Angelici, qua de re quæstio est, tùm ex parte ipsius Angeli, per quam scilicet ipsi potentiam moveant: tùm ex parte mobilis, an scilicet illi necessariò imprimant impetum aliquem per quem moveatur corpus, sicut projiciens projecto solet impetum imprimere.

QVÆSTIO I.

An in Angelo sit peculiaris potentia motiva.

258. IGitur quantum ad primum, existimant aliqui, Angelos movere corpora per voluntatem suam, nec esse in iis peculiarem potentiam, secundum quam conveniat eis movere. Et probatur, quia in Angelis datur solùm intellectus & voluntas. Jam intellectus opera non est movere. Ipsius enim actus non est, per modum tendentiæ ad aliud: quod oportet ut sit in facultate motiva, sed quâ aterahendo objectum ad se, ut & suprà constituimus. Relinquitur igitur ut motio illa fiat ab Angelo per voluntatem. Ita docet Soncinas, 12. *Metaph. q.* 35. & Durand. 1. *d.* 45 *q.* 2. Capreol. 2. *d.* 7. *q.* 2. *art.* 1. Argent. *d.* 8. *q.* 1. *art.* 1. aliique.

259. *Angelum movere per potentiam.*

Alii tamen, præter intellectum & voluntatem, ponunt in Angelo (quod proportionaliter etiam de anima concedunt) facultatem motivam, qua Angelus & se & aliud movere possit. Ita tenet Colleg. Conimb. 2. *de cal cap.* 5. *q.* 7. & *de anim. separ. disput.* 6. *art.* 3. *ad finem.* Suarez in *Metaph. disp.* 35 *sect* 6 *n.* 22. 23. *art.* 7. *ad.* 12.

Ejus rationes hæ sunt. I. quia etiam divinum velle, ut sic & præcisè conceptum non operatur ad extra, sed modo intelligendi nostro operatur ad extra, cùm Deus per voluntatem suam applicat potentiam, quam habet ad sic agendum. II. Voluntatis actus, ut sic, est actus immanens nec est operativus extra se: Nec apparet ratio, cur id debeat tribui voluntati Angelicæ, cùm non conveniat voluntati nostræ. III. Anima nostra proprium suum corpus non potest movere per simplicem volitionem, sed facit id juxta voluntatem suam, amplificando vim motricem. B. multò magis ista vis sequitur ad movendum corpus alienum.

IV. Si voluntas Angelica esset sufficiens ad movenda corpora, tùm id esset inde quia movet Angelus per voluntatem suam. At hoc inprimis est insufficiens. Nam etiam per voluntatem intellectus Angelicus vult intelligere. Et tamen ibi non est identitas intellectus & voluntatis, ut admittitur. Vnde sicut intellectus intelligit per voluntatem, quatenus scilicet voluntas movet potentiam intelligendi (à se distinctam) ad opus vel actum suum, hoc est, intellectionem. Ita etiam movet Angelus per voluntatem suam quatenus scilicet voluntas excitat vel applicat virtutem motivam (à se distinctam) ad actum suum, hoc est, motionem.

Quomodo Angelus moveat per voluntatem.

260. *Sententia Autoris.*

Vtramque potentiam esse probabilem video. Priorem tamen simpliciter probabiliorem existimo, propter communem modum loquendi, & sententiam receptam de numero facultatum animæ, & proinde Angelorum, quæ vulgò duæ solùm ponuntur. Juxta Suarezii sententiam autem numerus iste multiplicatur, addita tertia facultate, quæ sit facultas motiva. Existimo tamen rationes Suarezii satis difficiles esse, unde nec hanc sententiam improbo, ejúsque rationes insolutas relinquo.

QVÆSTIO II.

An Angelus movendo imprimat impetum mobili?

261. *Resp.* PEr distinctionem 1. *Cùm Angelus movet corpus, cui continuè adest; nullo opus est impetu.* Ita patet, quia impetus requiritur ad explendum defectum præsentiæ motoris, hoc est, cum motor non adest mobili, & tamen motus in mobili continuatur, oportet ut sit aliqua causa continuans istum motum in mobili. Hæc igitur causa est impetus. Vnde nullo opus est impetu, cùm homo movet lapidem per aërem portans illum manu sua. Ibi enim motor (homo) proximè adest mobili. Vnde nullo opus est impetu, qui solùm requiritur in continuationem motus, causâ non contingente vel tangente ipsum mobile. Vnde à fortiori id procedit, cùm Angelus movet aliquod corpus sibi proximum, veluti quod portat Angelus, non imprimi scilicet tunc aliquem impetum ab eo.

262. *Quomodo imprimat impetum.* 2. *Cùm autem Angelus movet aliquod corpus distans, veluti projiciendo quid sursum, tùm necessariò imprimit aliquem impetum.* Nulla enim aliâs causa dari potest perpetuati motus, si hic impetus negetur.

263. Solet *objici*: Impetum esse qualitatem materialem. Suprà autem dictum est, Angelum non posse producere qualitatem materialem. *Respondeo.* Impetus ex se ordinatur ad motum localem. Vnde sicut motus localis, ut sic, præscindebat à motu materiali, ita etiam est in impetu. Sic enim Angelus, præsertim minoris virtutis movetur ab Angelo, potentiæ superioris (quod fieri posse docet Suarez *in Met. Disp. 35. s. 6. n. 28.*) tùm si motus iste continuatur, absente Angelo movente, necessariò etiam impetus imprimetur Angelo mobili. Atque sic impetus ex genere suo non est qualitas materialis; indéque proportionatus est virtuti Angelicæ, sicut & ipse motus localis. Vide suprà *citato n. 257.*

TITVLVS XVI.

De assumptione Corporum.

264. LOquor nunc de corporibus, in quibus apparere solent Angeli, sub quo titulo de his quatuor videndum est. 1. An assumant corpora. 2. Qualia sint ea corpora. 3. Quomodo eis uniantur, & 4. quos actus in illis possint exercere.

ARTICULUS I.

An Angeli assumant corpora.

265. DE Scripturæ sententia facilis est responsio. Nam ea tradit, Angelos esse spiritus, & proinde expertes materiæ. Vnde consequenter ex proprietate naturæ suæ sunt invisibiles. Nihilominus de facto aliquando sunt visi & tacti. *At*

Tangere vel tangi nisi corpus nulla potest res.

Vt Lucretius ait. Relinquitur igitur, quòd saltem pro tempore se velârint corporibus. Atque hoc etiam in notitiam Gentilium venire potuit, quibus etiam multi ejusmodi apparitiones factæ sunt. Ea tamen Angelis non potest, ex principiis Philosophiæ, natura corporea attribui.

266. Sunt aliqui, qui apparitiones Angelorum in corporibus interpretantur ad modum visionum Propheticarum, quæ sunt secundùm imaginationem. Sed si ita esset, non facta esset illa apparitio promiscuè ad homines. Vide Thom. 1. p. q. 51. a. 2.

ARTI-

ARTICULUS II.

Qualia sint ea corpora.

267 *Cadavera defunctorum.*

Resp. 1. CUm Angeli possint movere corpora. E. & movere possunt cadavera hominum defunctorum, & sic consequenter in iis apparere.

268 *Quomodo dicantur aërea.*

2. Nihilominus alio etiam modo possunt assumere sibi corpora, aliunde ea fabricando, & conjungendo corpora. Ut plurimum autem dici solet, quod illa corpora sint *aërea*, idque propter subitaneam evanescentiam, & quia ista etiam corpora visa sunt solvi & iterum coire. Et quæ sunt id genus indicia alia. Sicut enim aqua aliquando concrescit in glaciem, & aliquando durescit in Crystallum: ita aër, quo se vestiunt angeli, densari potest in corpus aspectabile. Ubi etiam non displicet aliquibus: si aër solus non videatur satis esse, ad varietatem colorum, quòd possit angelus admiscere aliquid aquæ vel vaporis, unde existat, sicut id fit in Iride. Namque Iris

269 *Mille trahit varios adverso Sole colores.*

Vide Petrum Martyrem *Class. Loc. c. 9 num.* 13. 25. & 26.

Objicis: Ita angelum facere corpus, quod supra negabamus, *num.* 243.

Respondeo: fabricatio illa corporis, non fit per veram generationem, sed solùm, aërem dispersum congregando, ejusque partes uniendo, vel etiam cum vaporibus aqueis conjungendo, quæ potest omnia exequi angelus, non generando: sed movendo corpora. Vnde etiam specie non differt tale corpus angelicum, à reliquo aëre, sed solùm accidentaliter, hoc est, secundùm varietatem & densitatem, quæ essentiale discrimen non faciunt, ut patet de aëre subtili sive tenui, & aëre obscuro & nebuloso. At conclusum est suprà: angelum habere vim movendi corpora

ARTICULUS III.

Quomodo Angelus uniatur corpori.

270

IN primis intelligi potest angelum uniri corpori tripliciter. 1. *Hypostaticè*, sicut ὁ λόγος assumpsit corpus. 2. *essentialiter*, sicut anima unitur corpori. 3. *per unionem accidentalem*, ut uniatur corpori, sicut motor unitur mobili.

271 *Variæ sententiæ*

Igitur Tertull. *l. de carne Christ.* ait, angelum unire sibi corpus hypostaticè. Aureolus verò apud Capreol. 2. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 2. censet angelum uniri corpori, per modum formæ, ut refert Pelarg. *in Damasc. lib.* 2. *c.* 3. *p.* 29.

Vtraque sententia improbabilis est, unde frequenter contemni solet à Philosophis, nec eget refutatione. Inprimis quia suprà patuit: angelum non debere esse quid incompletum, unde nequit esse forma. Nullum etiam indicium est, veniendi ad unionem hypostaticam cùm satis sit unio per modum motoris & mobilis

272 *Unio Angeli ad corpus tris requisitis.*

Atque hæc sententia de tali unione, posteriùs memoratâ, acceptanda est, quæ requirit tres conditiones, ut colligit Becanus *p.* 1. *tract.* 2. *Theol. Schol. c.* 1. *q.* 46. Nempe requirit illa unio, ut 1. Angeli substantialiter existant in corporibus. 2. ut existant per modum talem, quali modo motor est in mobili. 3. ut utantur iis corporibus, tanquam instrumentis, ad se manifestandos. Vnde alterius generis unio est, cùm angelus unit se corpori, solùm ob operationem quandam, & non ad sui manifestationem, qualis fuit, cùm angelus assumpsit linguam asinæ ad loquendum.

ARTICULUS IV.

Quos actus possit Angelus exercere in assumpto corpore.

273

RESP. 1. *Angelus in assumpto corpore potest exercere omnes actus, quos potest exequi vis locomotiva, quatenus talis est.* Ita patet: quia movere corpus, est

actus, Angelo satis proportionatus, ut suprà patuit: tum etiam, quia Angelus unit se corpori, ut motor se unit mobili. Ita ergo Angelus in corpore assumpto potest progredi, movere manum ad os, ori ingerere cibum, aperire labia, move-
274. re linguam, & sic comedere, & loqui, & quæ sunt hujusmodi.

Dixi: *quatenus talis est*, hoc est, in quantum tales actus proficisci possunt à vi
275. motiva. Nam quicquid in istis aliàs est vitalitatis, Angelis non potest convenire in assumptis corporibus, ut mox dicam.

III. *Actus vitales non possunt exerceri ab Angelis in corporibus assumptis.* Veluti Angelus in corpore assumpto, non potest cibum concoquere, cum vertere in substantiam corporis, ut inde augescat, &c. Ita patet: quia corpus illud assumptum, suppositâ unione accidentali Angeli ad ipsum, nihil cooperatur ad actus Angeli, ne quidem per modum instrumenti, sed est merè πάθημα. Ergo in corpore non potest Angelus actum exercere, ad quem aliàs secundùm naturam suam est impropportionatus. Tota enim operatio Angeli, exercita in tali corpore adæquatè vendicatur Angelo. At idem est Angelus, unitus corpori & recedens à corpore. At Angelus extra corpus non potest exercere actus vitales, suprà dictos, qui simpliciter requirunt commercium cum corpore. Ergo nec eos exercere potest intra corpus.

276. III. Atque hinc simpliciter sequitur: Angelos in corpore assumpto non posse generare. Generationis enim eadem est ratio quæ & cæterarum vitalium actionum. Sed hac de re satis dixi superiùs *ad n.* 31. cum quibus confer Thomam 1. *p. q.* 51. *a.* 3. 2. *d.* 8. *a.* 4. Et de potentia *quæst.* 6. *art.* 8. & alios.

CAPUT V.

DE ANIMA SEPARATA.

1. TErtiò inter spirituales substantias in Metaphysica agitur de anima separata.

2. Anima separata est nihil aliud quàm anima hominis, postquam è corpore est egressa.

3. Anima igitur est spiritus finitus intelligens, includens naturalem propensionem ad corpus.

COMMENTARIUS.

1. PRincipio hîc antequam progrediar, constituendum est, proœmii loco: animæ rationalis aliquam considerationem Metaphysicam esse.

TITULUS I.

An Metaphysici sit agere de anima rationali.

Rationes dubitandi.

RAtio dubitandi duplex est. Nam 1. videtur nihil sciri posse, lumine naturæ de anima separata, quia nec novimus inde: esse vitam æternam vel æternam damnationem, vel æternum judicium, vel resurrectionem mortuorum, quæ omnia pertinent ad considerationem animæ separatæ. Indéque sequitur si quid de anima, taliter existente, sciamus, id solùm esse per revelationem. At quæ talia sunt, transcendunt Philosophiam, & tractantur in Theologia.

2. Ex alio capite videtur: quicquid de anima scibile est, pertinere ad Physicam: Nam anima est forma hominis, atque ideo principium corporis naturalis. At principia tractantur in eadem disciplina cum principiato. De principiato autem

tem

tem, hoc est, de homine, non tractatur nisi in Physicis.

Ergo hac in re existimo opus esse distinctione. Potest igitur anima rationalis quadrifariam considerari. 1. quoad attributa quædam, quæ ex sola revelatione constant, veluti quòd anima separata iterum aliquando sit unienda corpori: quod de singulis futurum sit judicium, ad vitam vel damnationem: & quæ sunt alia. Hæc autem pertinent ad Philosophiam nullo modo, sed ad Theologiam: cujus proprium est, considerare ea, quæ solâ divina revelatione constant. 3 *Anima quadrifariam potest considerari.*

II. Potest anima considerari, ut forma corporis, & ut principium operationum humanarum, & functionum naturalium. Hactenus animæ rationalis consideratio pertinet ad Physicam. Sicut & de ea in Physicis ab Aristotele actum est, *l. 3. de anima.* Et patet. Nam nulla scientia agit scientificè de homine, declarando ejus naturam & proprietates & actiones naturales, præter Physicam. At scientifica tractatio non est sine cognitione causarum & præsertim formæ. Scire enim unumquodque tum arbitramur, cùm ejus causas novimus: ut Arist: ait, 1. *post.* 7. 2. *Phys.* 3. & aliàs sæpe. Sic & Plato in Thæteto; οὐ γὰρ ἔστιν ἐπιστήμη ἄνευ τοῦ αἰτίου, *veritatem non novimus sine causa.* 4 *Anima consideratio Physica, quæ,*

III. Potest anima considerari, quoad attributa quidditativa, veluti, quòd sit substantia, intelligens, volens, &c. Hæc enim consideratio pertinet ad Physicam. Nam ad Physicam sine dubio pertinet agere de homine, quia est corpus naturale. Ergo Physicus debet considerare naturam & proprietates & actiones naturales hominis. At hominis natura nihil aliud est, à parte rei loquendo, quàm natura animæ & corporis. Ergo summatim considerare essentiam, actiones & proprietates hominis est considerare essentiam, proprietates & actus animæ & corporis. 5.

IV. Potest anima considerari secundùm attributa quæ conveniunt à materia separata, & sunt naturaliter cognita. Veluti erunt ea, quæ deinceps tractabimus. Et horum consideratio necessariò pertinet ad Metaphysicam. Nam anima sic est prorsus alienata & separata à materia: Et in se etiam nihil materialitatis implicat; E. sic à materia est abstracta secundùm essentiam. At quæ talia sunt, sunt considerationis Metaphysicæ. Sicut igitur Dei consideratio pertinet ad Physicam, in quantum efficit vel concurrit ad actus corporum naturalium; vel in quantum est primus motor; cæteroquin autem tractatur in Metaphysicis; ita etiam anima ad Physicam pertinet, quoad est causa corporis, proprietatum & actionum corporis alicujus naturalis; cæteroquin autem ad Metaphysicam pertinet. 6. *Metaphysicæ consideratio.*

Relinquitur autem ex superioribus, quod Metaphysicam non pertineat, agere absolutè, de essentia animæ, vel de ejus potentiis, & numero earum, vel earum distinctione inter se & ab essentia, & quæ sunt alia. Hæc omnia enim remissimus ad Physicam. 7.

Constituuntur deinceps tractanda.

INprimis autem, cùm tota ratio considerandi animam in Metaphysicis, sumatur ex ejus immortalitate et separatione; Ideò *primò* tractabo de animæ immortalitate; Deinceps obtento, quòd ea sit immortalis, inquiram: quomodo servet istam immortalitatem, an scilicet in statu quodam separato, an verò transeundo, in morte Petri v.g. ad corpus aliud, et sic deinceps; quod vulgò μετεμψύχωσιν vocant. *Tertiò* obtento, quòd anima separatim à corpore subsistat, inquirendum est; Qualis sit is status separationis, et an nihilominus propensionem ad corpus habeat. *Tum* 4. an sic separata sit ejusdem speciei et dignitatis cum Angelis. Et *denique* 5. considerabo; quas potentias vel habitus vel actus habeat separata à corpore. 8.

TITULUS II.
DE ANIMÆ IMMORTALITATE.

ARTICULUS I.
In quo referuntur variæ opiniones.

9 *Variæ sententiæ*

DE animæ immortalitate, variæ fuerint olim sententiæ. Epicuræi eam negârunt, quod Plinius sequitur, *lib. 7. natural. histor. cap. 55.* & Galenus *l. quòd mores sequantur temperamentum corporis*, reprehendit Platonem, quòd defenderit immortalitatem animæ, quanquam is aliter loquatur aliis locis. Idem etiam docuisse Aristotelem, referunt, Plutarch. *de placit. Philos. c. 11.* Simonius Portius *in lib. de ment. humana*, Cajetanus *lib. 3. de anima, c. 2.* aliique plurimi. Plures tamen sunt, qui negent Aristotelem ita sensisse. Qua de re disquirere meâ non admodum refert.

10

In Ecclesia etiam aliqui immortalitatem animæ negarunt. Et de Sadducæis quidem id probari solet, ex *Matthæi 22. v. 23. Act. 22 a. 8.* Sed ibi solùm dicitur, eos negare mortuorum resurrectionem, de qua loqui aliud est, quam de immortalitate animæ. Diserte tamen Josephus *l. 18. de antiquit. Jud. c. 2.* eos animæ immortalitatem negare docet. Eosdémque alii hæretici sequuti sunt, ut meminerunt August. *l. de hæres. hæres. 85.* & Euseb. *l. 6. Histor. Eccles. c. 27.* aliique.

11 *Sitne immortalis naturâ vel gratiâ.*

Deinceps: supposito, quòd anima quidem de facto non moriatur, quæsitum est: an illam immortalitatem habeat ex natura, an verò ex speciali gratia? ubi docuerunt aliqui, animam ex natura sua mortalem esse, non mori tamen ex peculiari beneplacito & voluntate Dei. Unde cùm potuisset Deus non ita velle, & per lumen naturæ non pateat, elegerítne Deus interitum animæ rationalis: an non: ideo per lumen naturæ non posse probari animam esse immortalem, sed solùm ex verbo revelato, in quo patefactum nobis sit Deum nolle, eam interire, ita tribuitur Scoto *4. d. 43. q. 2.* & Cajetano *ad Epist. ad Rom. c. 9.*

ARTICULUS II.
Ponuntur quædam præcognita.

12 *Immortale bifariam dicitur.*

IN primis hîc notandum est: Immortale bifariam dici. Aliud dicitur immortale per naturam, aliud per gratiam. quam distinctionem, explicans incorruptibilitatem Angelorum, suprà latiùs tradidi *cap. 4. hujus libri, n. 68. 69. seqq. & 74 seqq.* ubi vide.

13

Aliter immortale dicitur bifariam. Aliud dicitur immortale, *à parte antè*, quod scilicet ita est, ut ne quidem cœperit esse. Aliud autem dicitur immortale *à parte post*, hoc sensu, ut non intereat, postquam semel cœpit esse. Et hoc modo nunc quæritur de immortalitate animæ.

ARTICULUS III.
In quo ponuntur assertiones.

14 *Non est simpliciter immortalis.*

HAc in re dico I. *Anima humana non est omnimodo immortalis, ut nullo prorsus modo possit desinere.* Ita patet. Nam anima est aliquid creatum. Ergo ad sui conservationem requirit influxum divinum. At influxus divinus est liber, & proinde potest Deus non influere. At cessante influxu divino non potest persistere creatura. Deinde si anima prorsus immortalis esset, tum haberet tantam vim, ut cuivis corrumpenti possit resistere sufficienter. At absurdum est: esse in quoque agente creato tantam vim, ut Deo resistere possit. Docétque idem Scriptura, *1. Tim. 6.* ubi dicitur, quòd solus Deus habeat immortalitatem.

Potéstque hujus intuitu dici, animam naturâ esse mortalem, per gratiam verò solùm

solùm immortalem juncta ea, quæ in simili de Angelis dicta sunt *cap.4. nu.69.70. & 74.75.76.*

Dico 11. *Anima non est immortalis à parte Ante.* Ita patet, quia anima rationalis est forma hominis. Ergo homini comproducitur & propter eum. At homines non sunt immortales à parte Ante, sed incipiunt per generationes. Ergo est anima. Unde nec existimo aliquo tempore animas extitisse ante productionem hominis, quasi scilicet simul creatæ sint omnes, & deinceps immittantur corporibus, ut tenuit, Plato & eum sequutus Origenes *l.1.περὶ ἀρχῶν, cap.7.* Damnata & refutata est hæc opinio, in Concilio Brac. 1. *c.6.* & à Leone *ad Turbium c.10. & Epist.11. ad Julianum*, Aug. *Epist.28 ad Hieron.* & prolixè à Cyrillo Alex. *l.1 in Job.c.9.* 15 *Non est immortalis à parte ante.*

Dico 111. *Anima rationalis est naturâ immortalis, indeq; naturali lumine & ex principiis naturæ potest doceri probabiliter, eam non interire. Idem autem de fide certum est.* Hæc assertio continet principalem decisionem propositæ controversiæ: quam priùs explico. Dico igitur; *animam naturâ immortalem*, in oppositione ad ea, quæ possent quidem manere incorrupta, sed non nisi per specialem Dei actionem, quæ hinc dicuntur immortalia gratiâ. Qualis esset equus, si per divinam voluntatem maneret incorruptus & immortalis. Animam autem humanam ita intelligo esse immortalem, quòd solùm præsuppositio generali influxu Dei, ipsa non desinat, nec sit desitura, atque adeò quod non desinat, nisi Deus specialiter & quasi miraculosè suspendat influxum suum generalem, quomodo superiori capite disputabam de immortalitate Angelorum. Postea autem id ipsum probabo. Nunc pergo declarare factam propositionem. 16

Dico igitur portrò: *Naturali lumine posse probari immortalitatem animæ.* Ita sequitur ex priori. Nam quia nos naturaliter cognoscimus naturam & essentiam animæ, ut patet: isti naturæ autem, ut supponimus, est indita immortalitas. Ideò apparet sistendo in puris naturalibus, posse nos aliquid scire de immortalitate animæ. Sicut & hinc plurimi Gentiles in istius notitiam devenerunt, Plato & alii. 17

Addidi autem, posse id doceri *solùm probabiliter*, eam non interire. Nam quia supponimus ex prima propositione, Deum, qui agens liberum est, posse animam corrumpere, nobis autem ex naturâ non prorsus certum est, quid Deus ex consilio voluntatis suæ velit vel non, ideò infallibiliter ex principiis Philosophicis sciri non potest, intercreatné anima (de actu loquor) abiens è corpore, an non. Et hoc indicat etiam Antonius, apud Cicer. *lib.1. Tusc.qq. Evolve*, inquit Cicero, ad Antonium, *diligenter librum Platonis, qui est de anima, amplius quod desideres nihil est.* At Antonius *feci* inquit, *me hercle, & quidem sæpius, sed nescio, quomodo dum lego assentior, cùm posui librum & mecum ipse de immortalitate animarum cogito, nescio quo pacto assensio labitur.* Sic & Theombrotus, cùm legisset eundem librum Platonis, probabat quidem, dum legebat, statim tamen vacillabat iterum: & tandem, ut videret, verané essent, quæ Plato disputarat, de muro se præcipitavit, ut hinc moreretur, Vide Aug. *l.1. de Civ. Dei, c.22.* 18

Addo denique: *Certum esse de fide, animam non interire.* Scriptura enim testatur, animam humanam, homine moriente, aliò portari, & vivere vel in gaudio vel in damnatione. Imò *Matth.10.* dicitur: Animam occidi *non posse* ex quibus verbis plurimi inferunt: animam naturâ immortalem esse, nec id immeritò. Significant enim ista verba: nullam virtutem esse, quæ sufficiat ad procurandum interitum animæ. Nunc afferemus ad hanc rem probationes Philosophicas. 19

ARTICULUS IV.

Probatur animæ rationalis immortalitas ex Natura.

PLato in Phædro, Phædone, Thimæo, Philebo, in Menone & libris aliis rationes multas proposuit, quarum decem repetitæ sunt inde, à Perrio *l. Phys.* 20

cap. 18. & *cap.* 20. adjecit plurimas suas. Sic & Colleg. Conimbr. *disput.* 1. *de anim. separ. a.* 3. Ruvio *de anim. separ. q.* 4. Thom. 1. *p. quæst.* 76. *a.* 6. Fortunius Licet. *l.* 2. *de anim. cap.* 3. 4. Patritius. *in nova Philos. lib.* 12. *cap.* 1. Vallesius *de sacra Phil. c.* 4. aliique. Pauciores, quæque solidiores videntur, ego seligam, quarum duæ sunt potissimum.

Ratio ex providentia Dei.

Prima desumitur ex Providentia Dei. Inprimis naturaliter nobis notum est, quòd omnia generantur ex Dei providentia, unde in omnium hominum animis nascitur aliqua erga Deum religio & reverentia, & aliquando concutitur conscientia, & cùm calamitas singularis imminet, nemo est, qui non oret & imploret Dei auxilium. Experimur etiam aliquando causas naturales dimittere actus suos, veluti non urere ignem, & ferrum natare, & quæ sunt his similia. At hæc omnia arguunt, alicujus supremi numinis directione, ista omnia gubernari. Pugnat autem contra Dei, sapientissimi providoris, dispositionem, non reddere bene merentibus præmia, sceleratis autem & facinorosis, pœnas. At experimur viris facinorosis in hoc mundo evenire bene: fideles autem perpeti varias calamitates, persecutiones, *&c.* Relinquitur igitur quòd anima post mortem superstes maneat, ubi tùm fiat compensatio virtutum & vitiorum. Huc pertinet quod *Clemens* ait l. 3. Recog. *Si Deus justus est. Ergo anima immortalis est.*

22. *Ratio ex operationibus animæ.*

Secunda ratio desumitur ex operationibus animæ. Operationes aliquæ animæ rationalis sunt independentes à materia. Ergo & essentia animæ rationalis est independens à materia. Ergo ea est natura sua immortalis. Prima consequentia patet: quia operationes indicant essentiam, & modus operandi sequitur modum essendi. Altera verò consequentia probatur: quia animam naturâ suâ esse immortalem, est nihil aliud, quàm eam habere naturam talem, quæ sit à materia independens, quæque non necessariò desinat, materia facta indisposità, sicut sunt formæ accidentales, ut calor & frigus, item formæ brutorum, ut equi, asini, *&c.* quæ corrumpuntur desinente subjecto, & materia facta indisposita, in qua tales formæ existunt.

23. *Operationes animæ rationalis esse independentes à materia.*

Jam verò operationes animæ esse independentes à materia (quod antecedens erat propositi argumenti) probatur inde, quòd illæ principaliter sunt intellectio & volitio. At hos actus immateriales esse, apparet ex genere illorum, quo tales sunt, ut etiam Deo & Angelis conveniant, quibus nihil materiæ inest. Tùm etiam pro istis actibus non potest nominari ullum organum, per quod magis iis exerceantur quàm per aliud, sicut ad visionem & auditionem (qui sunt actus materiales) natura deputavit oculum & aures.

24. Elucet autem ista immaterialitas horum actuum in nobis multipliciter. Etenim humana cognitio adeò est subtilis, ut ad intimas etiam rerum spiritualium & aliarum quidditates penetret vel penetrare contendat: Adeo est sagax, ut quæcunque sunt reipsa conjuncta, discernat, dijudicetque, quidnam ad earum pertineat essentiam, aut quid ex ea profluat, quid contingenter insit. Est etiam adeo potens, ut quæ neque sunt neque esse possunt, & apud se fingat & varios modos atque habitudines inter ea excogitet, ut à minimis effectis ad summas causas discurrendo progrediatur, ut in se quoque animadvertat, quam certo vel evidenter objectum attigerit seipsum, à quacunque re alia, atque adeo ab objecto distinguat, & quæ sunt alia, quæ eruditè attinguntur à Colleg. Conimbr. *disp. de anim. separ. art.* 3.

25. Referunt huc etiam aliqui id, quod in raptu experimur, ubi anima nostra, dimisso omni sensu, omnes vires suas applicat ad actum intelligendi & volendi ea quæ objiciuntur. Unde pro isto statu anima prorsus intelligit independenter à sensu: plura mitto.

ARTI-

ARTICULUS V.

Solvuntur objectiones.

SVpereſt ut explicemus objectiones, quæ huic doctrinæ contrariari videntur. 26.

I. *Objicitur:* quòd paſſim anima dicitur immortalis non per naturam ſed per gratiam. Sic ex Seraphin dicitur, Synod. 6. act. 11. *Intell. ſtualia & inviſibilia nullatenus quidem moriuntur & corrumpuntur: non tamen ſunt immortalia per naturam ſed gratiam eis largitus eſt Deus.* Sic & alii loquuntur.

Sed eſt ambiguitas ſolum in phraſi, *eſſe naturâ vel gratiâ immortale:* de qua dixi præcedente. *c. nu.* 68. *ſeq.* Unde repetatur. Liquétque ex iſtis animam eſſe & naturâ & gratiâ immortalem, ſano ſenſu.

II. *Objicitur* dictum *Eccleſiaſtæ 3. v. 19. Unus eſt interitus hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur.* Et poſteà v. 21. *Quis novit an Spiritus filiorum hominum aſcendat ſurſum & Spiritus jumentorum deſcendat?* 27.

Reſp. I. Certum eſt: per Scripturas animam eſſe immortalem, ut prius patuit *Num. 19.* At non contrariatur ſibi Scriptura. II. Ad hoc igitur dictum duplex eſt reſponſio, aliqui interpretantur ea, tanquam per proſopopœiam dicta à Salomone, quaſi ſcilicet Deus loquatur ſub perſona impii. Ita cenſet Greg. *l. 4. c. 4.* Probátque id Thom. 1 *p. q. 76. a. 6. ad primum* ea propoſitione facta, *in c. 2.* Ubi ſit orditur Salomon: *Dixi in corde meo videam & affluam deliciis, &c.* Alii autem explicant dictum illud de externis eventibus, ut fecit Oſiand. *in Gloſſa*, & Nartyr *Claſſ. 3. Loc. cap. 15. art. 13.* Nempe extrinſecus non apparet differentia inter mortem hominis & bruti. Et præcisè loquitur Salomon, non de conditione animæ in homine & bruto, ſed de ipſo homine & bruto, eorundémque morte. Nempe ſicut beſtia (non comparando ſecundum qualitatem moriendi, ſed comparando in ipſo genere, hoc eſt, morte) moritur, ita & homo, vel ſicut beſtia non eſt libera à moriendo, ita nec homo. 28.

III. Objicitur dictum Sap. 2. v. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* 29.

Reſp. Dici id ex perſona inſipientium, & id quidem ibi culpatur. Sic enim ait Sapiens: *Dixerunt impii cogitantes apud ſe non rectè*, & quæ ſequuntur.

TITULUS III.

An anima perſiſtat in ſtatu quodam à corpore ſeparato.

HOc ſecundum eſt, quod propoſui. Poſtquam enim viſum eſt animam immortalem eſſe: nunc videndum eſt, an ſervet immortalitatem ſuam, ſeparatim ſubſiſtendo, an verò ſubeundo in morte hominis hujus, ad corpus alterius. 30.

Hac in re vetus opinio eſt, quod ſit quædam μετεμψύχωσις ſive tranſanimatio, hoc eſt, tranſitus animæ hujus, in corpus aliud. Hujus opinionis aſſertores conſequenter immortalitatem animæ ponunt in iſta tranſitione ad corpora alia. Ita docuiſſe legitur Empedocles, Plato, Apollonius, Tyanæus & Pythagoras. Idem ſe ante converſionem tenuiſſe. Juſtinus Martyr meminit. *Dialcum Tryphone, pag.* (*mihi*) 322. Et Manichæis eandem tranſanimationis defenſionem tribuit Auguſtin. *l. de hæreſ. cap. 46. & lib. 5. contra Fauſtum. c. 10.* Pertinet & huc quod Æneas ad Anchiſen ait, in inferno, *lib. 1. Æneid apud Virg.* 31. *De μετεμψυχώσει.*

O Pater, anne aliquos ad cœlum hinc ire putandum eſt.
Sublimes animas, iterúmque ad tarda reverti.
Corpora, &c.

Ut refert Auguſt. *ſerm.* 143. *de tempore.*

Quanquam variant Autores harum opinionum. Aliqui enim dixerunt id ſolùm eſſe, de anima impiorum & facinoroſorum hominum, unde & Æneas interrogat ſolùm de ſublimibus animis, redeantne ad corpora. Animos enim magnorum virorum ponebant in ſtellis. Rurſus variant Autores. Aliqui enim ajunt tranſitum ſolùm eſſe animæ humanæ ad hominem alium. Alii verò tranſire eas ajebant, ad corpora beluina, ut inſinuat Aug. *d. loc.* Et id quidem, juxta conditionem vitæ anteactæ, veluti porcos fieri, qui indulſiſſent libidinibus: leones & lupos fieri, qui fuiſſent crudeles: Luſcinias atque cantatrices fieri aves, qui fuiſſent Muſici; in vulpes degenerare, qui fuiſſent aſtuti.

32. Μετεμψύχωσις *Allegorica.*

Atque hinc Auguſt. *l. 7. de Geneſ. ad lit. cap.* 10. & Philoponus *l. 1. de anim. ad text.* 53. autumant: hæc à Philoſophis iſtis dicta ſolùm μυσταγωγῶς ἢ ἀλληγορικῶς: quòd ſcil. Philoſophi illi voluerint ſignificare, homines juxta vitæ conditionem per vitia & virtutes aſſimilari brutis, ſic vel vituperari vel celebrari ſolitis, quódque per vitia quaſi deponant naturam humanam, & naturam porcorum & luporum induant: quomodo à parte rei non ſignificatur tranſitus animæ, ad membra beluina, ſed ad affectus beluinos.

33. Et eo quidem modo intellecta iſta μετεμψύχωσις, facilè admitti poteſt, nec aliquid mali habet: ſi tamen intelligatur de Phyſico & non morali tranſitu, accipi non debet. Inprimis enim Scriptura clarè teſtatur animas à corpore diſcedentes, ſeorſim ab omni corpore ſubſiſtere, & non niſi corpori proprio, uniendas, tùm, cum hominum futura eſt παλιγγενεσία.

34. *Improbatur Phyſica* μετεμψύχωσις.

Ex ratione etiam patet: non poſſe *primò* animam humanam tranſire in corpora brutorum; quia cum ſic eadem numero eſſet anima hominis & anima bruti, ideò abſolutè & præcisè dicendum eſſet, etiam animam bruti eſſe immortalem. *Deinde*: ſi bruto conveniret anima rationalis, quæ ſcilicet hominis alicujus fuit, tum etiam in bruto intelligeretur. Conſequentia eſt evidens, quia intellectio eſt naturalis operatio iſtius animæ.

35. *Dices*: Eſſe ibi impedimentum, cur cauſa iſta naturalis non habeat ibi effectum ſuum naturalem, hoc nempe, quòd ibi iſta anima ſit in corpore porci, quod non eſt habile ad intellectionem.

At hoc nihil eſt. Nam determinationem & ſpecificationem ad operandum non habet forma à materia: ſed contra, omnis determinatio iſta provenit à forma ad materiam, quia materia eſt propter formam. Veluti, quòd ex hoc corpore eſt latratus, ex alio hinnitus, id non eſt inde, quia diſpoſitiones corporis neceſſitent animam ad hos actus, ſed contrà in materia ſcilicet ſunt diſpoſitiones talibus actibus congruæ quia anima hos actus vult exercere.

36. *Animam humanam non poſſe tranſire in aliud humanum corpus.*

Deinde: etiam anima humana non poteſt tranſire in aliud numero diſtinctum individuum. Nam individuatio, (ut ſuperius de ſingularitate concludebamus) ſubſtantiæ corporeæ ſumitur ex individuitate formæ, quæ eſt principalis pars eſſentiæ. Ergo idem individuum eſt, quod eandem numero formam habet. Ergo repugnantia eſt in terminis: eſſe individua alia numero, & tamen eſſe, formam (non aliam, ſed) eandem numero. At nihilominus abſurdum eſt, individuum utrobique idem eſſe, veluti ſi anima hæc eat in corpus aliud. Nam id individuum, quod hactenus informavit anima, jam corruptum eſt, & eoipſo momento, quo anima ab hoc corpore exiit, debet ſubire aliud corpus, ut ſic perpetuetur. At hæc ipſa res erit viva per ingreſſum animæ. Ergo eadem numero erit res genita & corrupta, quod abſurdius eſt, quàm ſi idem numero, quod ſemel deletum eſt, dicatur redire in vitam, quod tamen Ariſtoteli non placet, & humanæ rationi primò ſatis difficile eſt.

Summatim ſic concludo: Si anima eſt immortalis, non ſeparatim ſubſiſtendo, ſed tranſeundo ad corpus aliud: Tum vel tranſit & perpetuatur in corpore alicujus bruti, vel in alio corpore humano. Non primum, ut patuit *num.* 34. nec ſecundum,

dum, per *num.* 36. Nullo modo igitur perpetuatur; per μετεμψύχωσιν, sed per separatam subsistentiam, quam tam diu retinet, donec summus Monarcha corpus ex pulvere terræ resuscitet, quod antea informaverat anima. Sed hac de re prolixiùs agunt Theologi, in materia de resurrectione.

TITVLVS III.

An Animæ sit separationis status naturalis, nec ne.

ARTICULUS I.

Declarans terminos hujus quæstionis.

38. *Separatio realis et mentalis quid.*

INprimis termini rectè sunt in principio intelligendi. Separatio igitur alia est realis, alia mentalis. *Mentalis* est, cùm abstractione mentis unum ab alio separamus, quod est inter res maximè unitas, imò aliquando id fit, in re prorsus eadem, si juxta varios ejusdem rei inadæquatos conceptus rem apprehendamus, secundùm hunc conceptum, dimisso alio. Sicut apprehendimus essentiam corvi, dimissa nigredine, et æternitatem Dei dimissa potentia. Et de hac mentali separatione nunc sermo non est. Loquimur enim de reali separatione.

39 *Separatio positiva vel privativa*

Realis autem separatio alia est positiva, alia privativa. *Privativa* separatio est, cum alteruter, quod separatur, interitu. Sic calor separatur ab aqua, non per positionem ad aliud ubi, in quo servet esse suum, sed, quia manente igni ipse desinit. *Positiva* autem separatio est, cùm utrumq; separatorum post separationem subsistit, quomodo separantur materiales partes antè unitæ: Veluti caput à trunco, manus à brachio, et sic in aliis. Et hanc separationem tribuimus peculiariter animæ rationali.

40 *Mors quomodo sit separatio animæ.*

Ex quibus obiter colligitur: cùm Philosophi aiunt, *Mortem esse separationem animæ à corpore*, quòd separationem intelligant generatim, et cum indifferentia ad privativam et positivam separationem. Animarum enim plantalium et Bestialium separatio fit, cum eorum interitu. Unde privativa separatione separantur. At anima humana, ut relinquitur ex defensa ejus immortalitate, est post illam separationem superstes, unde separatur separatione positiva.

41. *Separatio animæ non fit necessariò per distantiam localem.*

Id verò diligenter notandum est: quòd separatio illa non necessariò fiat per distantiam localem, quod sic intelliges. Separatio illa opponitur unioni. Unio autem quam habet forma ad materiam, non est nuda præsentia ad locum materiæ: sed (ista præsupposita) est nihil aliud, quàm substantialis συνέχωσις vel immissio, quæ à parte rei nihil aliud est, quam informatio. Informat autem anima, cùm ipsa, in legitimè disposita materia, dat esse composito. Ergo separatur, à materia, cùm desinit habere istam unionem, hoc est, cùm desinit informare: quod fit, si materia reddatur inidonea, in qua porro persistat, veluti, si in ea non sit amplius proportio debita calidi et humidi. Atque adeò hinc animal mori dicitur, si ista unio auferatur, si vel maximè anima pro tempore velit in eodem ubi manere aliquandiu, ad quod ex parte animæ non est repugnantia, ut apparet inde, quia anima, supposita ejus immortalitate potest esse in corpore (per localem præsentiam) prorsus inorganico, ut de facto contingit cùm per aerem transit à corpore in cœlum. Ex qua hypothesi id quod dixi clarius evadit. Nam si divina potentia cadaver emortuum elevaretur ad illud spatium aëris, per quod transitura est anima, tum anima transiret, etiam naturaliter (neque enim est cur anima in isto motu suo non possit aut debeat rectà transire) per ubi illud ad quod esset elevatum proprium corpus. Indèque locali præsentia uniretur suo corpori, et tamen propter defectum debitarum dispositionum in corpore, non posset illud vivificare.

Unde clarissimè apparet: quòd separatio animæ à corpore non consistat formaliter in absentia locali animæ à corpore, sed solùm in desistentia illius substantialis unionis, de qua dixi. Etsi credamus et de fide certum sit, de facto eam semper conjungi cum hac, animásque illico in morte hominis aliò abscedere vel portari.

Declaratur vox Naturalis.

43. VOcem hanc alibi prolixiùs declaravi. In hac tamen materia solet poni ejus triplex significatio. Igitur 1. naturale dicitur omne illud, quod non est hyperphysicum sive supernaturale seu *supra naturam*. 2. Naturale opponitur violento, estque id violentum, quod est ab extrinseco, & est contra inclinationem naturæ, eámque destruit, unde & *contra naturam* dicitur. 3. Naturale dicitur id omne, quod est naturæ congruum & consentaneum cui contra distinguitur id quod est *præter naturam*. Quibus ita propositis, nunc sunt variæ opiniones ad hanc rem tractandæ.

ARTICULUS II.

In quo proponuntur variæ opiniones, cum fundamentis earum.

44 *Animæ separatæ statum esse violentum:*

IGitur quoad hanc quæstionem tres principaliter sunt opiniones. *Primò* existimant aliqui: statum separationis animæ esse violentum, & contra naturam animæ. Ita frequenter tribuitur Ferrariensi *l.2.contra gentes cap.*83. Ita & Thomas loquitur *1.p.quæst.*118 *a.*3. *& l.*4.*contra gent.c.*89. Quanquam alii Thomam interpretantur aliter. Aliquibus enim in verbis istius Thomæ, idem est contra Naturam, quod præter naturam, quomodo Aristoteles etiam hac voce usus est, 1. *de cæl.c.*2. *text.*15 *& l.*2.*cap.*3.*text.*8. Aliis autem contra naturam ibi idem est, quod, non ex prima intentione naturæ Ita nempe anima contra naturam suam est separata, quia ex prima intentione naturæ suæ est forma, atqs adeò unita materiæ. Hanc conciliationem ego non valdè curo neque ad veritatem refert quid Thomas senserit.

45. *Fundamenta hujus opinionis.*

Nititur autem hæc opinio principaliter hoc fundamento, quòd anima, cùm separatur, privatur aliquibus perfectionibus, naturaliter sibi debitis. Quia enim anima ex prima intentione naturæ, ut omnes admittunt, est forma corporis: ideò sine dubio, ad illius perfectionem pertinet, se corpori communicare & illud animare & per illud actus naturales exercere, unde & adhuc anima naturalem inclinationem habet. At hæc omnia amittit anima cùm separatur. Est igitur tum in statu violento. Hæc ratio solvetur, *num.*54.

46 *Secunda sententia.*

Secunda sententia est eorum: qui aiunt, animæ statum separatum esse quidem naturalem, quatenus naturale opponitur violento: absolutè tamen non esse naturalem, quatenus (juxta tertiam significationem) naturale opponitur ei, quod est præter naturam. Dicunt igitur animam separatam esse in statu non naturali, sed præter naturam Ita docent Col.Conimbr.*l.*3.*de gener. & corrupt. c.*11.*quæst.*1.*art.*4.*De anim separ.Disp.*2 *art.*2 & (quos Conimbr. allegant) Henricus *quodlib.*7.*q.*13.Cajetan.1.*p.q.*89. Estqs à fortiori etiam Ferrariensis hæc opinio, in quantum is docuit, animæ non esse istum statum naturalem. Quanquam is in eo differt ab hac opinione, quòd ille adeò dixit istum statum non esse naturalem, ut etiam violentum dixerit, quod non faciunt Autores prædicti. Sequutus sum eandem opinionem, *part.*3.*de anim.Disp.*3.*n.*20.

47 *Ejus fundamenta.*

Hujus opinionis fundamenta, à Conimbr. enumerata sunt hæc. 1. Affectiones privativè oppositæ non possunt eidem rei connaturales esse. At tales sunt, uniri corpori, & separatum esse à corpore. 2. Id quod in totius perniciem cedit, non debet esse naturale formæ, à qua non est nisi compositi perfectio. At certè ista separatio cedit in perniciem compositi, quod decedente anima, moritur. 3. Separatio ad naturam formæ nihil interest. Sicut ergo cæteræ formæ non habeant propensionem ad statum alium, qui iis sit naturalis, ita nec anima humana 4 Quia omnia, quæ sunt in separatione animæ, ei adversantur, velut noxiæ dispositiones & mortiferæ. Non possunt igitur eam ad statum Naturalem impellere. Hæ rationes solvuntur, *Num.*57.

Tertia

Tertia opinio est eorum, qui aiunt: animæ statum separatum esse prorsus naturalem, & nec contra naturam nec præter eam. Ita docet Seneca *Epist. 102. ad Lucilium*, Rubeus *in tract. de anim. separ. q. 6.* & alii. Juxta quorum hypothesis, anima & in corpore subsistens, & extra illud, naturales status habet. Id quod variis exemplis declarari potest. Naturale est homini pro tempore esse pilosum in capite, eidem tamen non minus naturale est in senectute, habere calvitium. Arboribus naturale est in æstate, habere frondes & folia; in hyeme, iisdem carere, iterum ei naturale est. Aëri naturale est, interdiu esse illuminatum; noctu, esse caliginosum. Animali utrumque naturale est, vigilare & dormire. Inprimis verò elegans est simile, quod Seneca habet, *d. l.* ubi docet sic: *Sicut nobis primum naturale est, latitare aliquandiu in utero matris & ibi præparari. Deinceps verò non minus naturale est, extra uterum: Sic etiam per hoc spatium, quod ab infantia patet ad senectutem, ipa alium naturæ partum sumimur, aliaque nos origo expectat, alius rerum status. Nondum cælum, nisi ex intervallo*, inquit, *pati possumus, proinde horum illum decretorium prospice, non est animo suprema, sed corpori. Transeundum est, excutit natura redeuntem, sicut intrantem.* 48 *Exempla ad hanc opinionem.*

Atque hanc sententiam nunc video satis etiam probabilem, etsi nec mediam prorsus sperno. Probabo omni modo animam ibi esse in statu naturali, idque juxta tres significationes, τῶ *naturalis*, suprà propositas. 49

ARTICULUS III.
Ponuntur assertiones & defenduntur.

Dico I. *Anima separata est in statu Naturali, non supernaturali.* Sumo nunc naturale, juxta primam significationem superiùs propositam, ut ostendit oppositio ad supernaturale. Atque tum hæc propositio certa est et communiter admittitur, et probatur. Nam supernaturale id esse dicitur, quod non convenit nisi ex superveniente actione Dei speciali, quam vocant, quomodo supernaturale est, si ferrum natet; aut virgo pariat, aut si forma bruti in morte bruti persistat separata, tunc illi is status separatus esset supernaturalis. Cùm enim tales formæ exigant (indicio sumpto ex earum operationibus) dependentiam et connexionem ad materiam, utique eâ (materiâ) remotâ interirent, nisi aliunde eæ per specialem Dei actionem confirmarentur et quasi fulcirentur. At id non est de anima rationali, quia, ut superiùs visum est, anima est naturâ immortalis. Unde, ex vi terminorum relinquitur, eam in persistendo non egere aliquo extrinseco præter generalem Dei actionem, qua naturas, ut sunt, sustentat. Et patet porro, quia nisi id esset, animæ rationali non magis conveniret, posse esse in statu separato, ac animæ alii. Nam aliæ animæ supernaturaliter etiam possunt seorsim subsistere: solùm esset differentia, quòd anima humana separetur de facto, aliæ non. At id discrimen esset prorsus ab extrinseco, et non esset ex natura animæ, sed speciali Dei gratia. 50 *Animæ separatæ statum non esse supra naturam.*

Secunda assertio.

II. Dico: *Anima separata est in statu sibi naturali & non violento.* Hîc loquor de secunda significatione τῶ naturalis, contra primam opinionem. Estque ad eam assertionem intelligendam, advertendum, quòd sermo sit de separatione in facto esse, non fieri. Nam loquendo de separatione in fieri, verum est indubiè, separationem illam aliquando fieri violentè, veluti cùm gladio, laqueo, suffocatione, etc. cogitur quasi anima egredi domicilium, in quo aliàs diutius habitare poterat et habitâsset, intuendo præexistentes corporis dispositiones. Quo sensu et Philosophi mortem istam viventis, quæ sic obtingit, violentam vocant. 51 *Nec est contra naturam.*

Loquendo igitur de separatione animæ, in facto esse, nunc probatur: eam animæ violentam non esse. Nam inprimis, quicquid violentum dicitur, id tale est. 52

per respectum ad agens extrinsecum, quod prohibet à tendendo ad actum naturalem. Unde quicquid violentum est, remoto isto agente extrinseco, tendit ad naturalem actum. Veluti lapidi violenta est persistentia in aëre, quæ non obvenit ei nisi aliunde, veluti à manu eum tenente: unde &, remotâ manu; illico cadit deorsum, non procurante alteriori agente, sed præcisè per impetum naturæ. At tale quid non est in anima rationali. Nam si ibi iste status ei violentus esset. Ergo aliunde detineretur in isto statu, & remoto isto impediente, naturaliter rediret ad corpus & illud vivificaret. Unde naturaliter daretur resurrectio mortuorum, esset-que adeò non tam illud opus divinum, resuscitare mortuos, quàm detinere aliquandiu animam, ne ad corpus redeat & illud vivificet: sicut id non est opus (specialiter loquendo) divinum, si ignis urat, sed si detineatur aliquando vis ustiva, ne urat. At hæc maximè impingunt in principia fidei.

53. *Deinde:* etiam juxta hanc sententiam non posset persistere naturalis animæ immortalitas. Anima enim dicitur immortalis naturâ, quia naturam talem habet, quæ absolutè est independens in essendo ab alio, supposito generali Dei concursu. At quod est in statu violento, id non est sic independens ab alio. Est enim de ratione violenti, esse ab extrinseco; unde naturalis rei impetus impediatur. Ponamus igitur: Deum, violentè detinentem animam, suspendere istum specialem actum violentæ detentionis. Tum igitur anima interiret vel non. Si non interiret. Ergo animæ naturale esset (remoto quippe omni externo violentè detinente) sic subsistere. Si interiret: revera non esset naturâ immortalis, sed ita solùm, sicut equus, si quem Deus præservaret ab omni interitu.

54 Ad objectionem contra hanc sententiam, suprà *num.* 45. propositum. *Respondeo:* Nihil absurdi esse: animam deperdere aliquas perfectiones, quæ ei convenirebant pro tempore, cùm acquirit alias, non minus ei naturales, & quidem majores, veluti intelligere purissimè, cùm antea fuerit in intelligibilium apprehensione annexa sensibus & phantasmatis. Ita cùm naturalis sit perfectio vigilare aliquandiu, & sic exercere Spiritus animales, in sensu & motu. Nihilominus postea itidem naturale est animali, aliquandiu dormire, & interea restaurare & regignere Spiritus tales. Ex quo apparet, quod dimissio perfectionum, aliquo tempore habitarum, non illicò indicet statum rei isti innaturalem.

Naturalis inclinatio duplex. Quod de inclinatione ibi tactum est, ad id sciendum, quod inclinatio naturalis sit duplex, ut Lychetus notat *lib. 3. d. 13. q. 4. fol. 35.* Alia igitur est naturalis inclinatio ad determinatam formam vel statum, unde si quid sit sub opposito ejus, est ibi violentè. Sicut grave naturaliter inclinatur ad ubi deorsum, unde si ubi habeat sursum, erit ibi violentè. *Alia* autem inclinatio naturalis est, quæ est absolutè ad formam sive perfectionem, et non est sic determinata ad istam, ut si sit sub opposito, ibi sit violentè. Sic materia naturaliter inclinatur ad formam etiam ignis, et tamen si fiat sub forma aquæ, non erit ibi violentè. Sic enim naturaliter propendet ad dormiendum, et tamen si vigilet æquè est in statu naturali. Et hoc est de animæ propensione ad informandum corpus.

Tertia assertio.

Animæ separatæ statum non esse præter naturam. 55. III: Dico: *Anima separata non est in statu præter naturam.* Hic loquor juxta tertiam significationem ☞ naturalis, contra secundam opinionem. Et patet præsentis assertionis veritas, supposito, quòd anima sit naturâ immortalis, quod suprà conclusum est. (Quicquid enim præter naturam tale est, id tale est per respectum ad aliquid extrinsecum, ut ipsa phrasis evincit. Id enim præter naturam dicitur esse quod est non à natura, sed aliunde. Convenitque in hoc cum isto, quod est contra naturam. At supposità immortalitate animæ, anima non habet esse suum per dependentiam ab ullo extrinseco, solùm supposito generali Dei concursu, qui semper implicatur et intelligitur necessariò ad esse cujusvis Entis creati.) Aliud

esset

esset maximè si anima separata esset in statu præter naturam, hoc est, si in ista permansione sua aliunde dependeret.

Eadem ratione etiam *Rubeus* utitur dict. l. *Anima rationalis*, inquit, *suâ naturâ immortalis est & perpetua. Ergo debetur ei naturaliter perpetua conservatio in proprio esse. Sed conservatio perpetua includit utrumque statum. Ergo utrique est ei naturalis. Minor probatur. Nam anima rationalis non potest naturaliter habere conservationem in corpore, utpote quod modo amissibili ab ea informatur, & ad illud habet talem unionem, quæ de facto sit solvenda aliquandiu propter corpus, quod tales dispositiones habet, quæ facilè possunt fieri improportionatæ, ut cum eis porro non possit esse anima. Naturale igitur etiam est animæ conservari sine corpore. Aliàs enim continuata sive perpetua ipsius animæ permansio, ex semisse esset ei naturalis, ex semisse noa, quod revera non est esse naturâ immortale.* 56.

Ad objectiones autem primò n. 47. propositas nunc respondeo. 57.

In *prima* ratione negatur propositio, cujus falsitas primò patuit, per exempla proposita, *num.* 48. & ex parte *parium.* 54. 58.

Ad *secundum* similiter negatur propositio, quæ idonea ratione non probatur. Nec habet compositum, præcisè loquendo, majorem perniciem, ex eo, si anima naturaliter persistat, quàm si vel intereat, vel persistat, præter aut contra naturam. Anima autem intra corpus existens, satis exequitur officium formæ, & munit ab omni pernicie compositum, dum alimenta idoneè præparat, ea, quæ excrementitia sunt, ejicit, si quæ vulnera infliguntur corpori, sanat, & sic deinceps: ut quæcunque sunt perniciosa, & tandem mortifera, proveniant ex conditione corporis. 59.

Ad *tertium* dico: Ad rationem formæ quidem nihil interesse, an aliqua forma separetur, an non; cùm separabilis forma æquè officia sua & actus exerceat in composito, ac forma inseparabilis: Sed tamen valdè differunt Entia illa, quæ hos respectus suscipiunt, ut formæ sint. Aliqua enim eorum sunt, natura sua immortalia, alia vero sunt natura sua mortalia. Et ex hac diversitate, ut visum est, sequitur, quod animæ rationali naturaliter conveniat aliquis status separatus, cæteris autem formis non ita. 60.

Quartum argumentum si quicquam evincit, id solum evincit, quod animæ separatio quoad fieri non sit naturalis, de quo casu nunc non loquimur. Isto tamen non obstante potest anima habere statum separatum sibi naturalem in facto esse. De quo prius erat, *Num.* 51. 52. 61.

Quarta assertio.

RElinquitur ita IV. *Quod animæ status utique & in corpore & extra corpus sit status connaturalis:* id quod aliis argumentis, præter facta, non necesse est, ut concludatur, cùm eadem hanc assertionem infetant. Anima igitur quia forma corporis est, naturaliter est in corpore (qui est primus ejus status.) Et tamen quia corpus illud est corruptibile neque in perpetuum potest habere dispositiones congruas, ad animæ actus: ideo consequenter nec anima potest perpetuò ibi manere, & sic, suppositâ naturali immortalitate animæ, perpetuatur in esse suo extra corpus. Et hic est alter ejus status. 62.

Patetque ex eodem ordine, & hactenus dictis, quod magis naturaliter conveniant animæ status in corpore, ac extra corpus. Principaliter enim anima ista est facta ad esse compositi, hoc est, homini tribuendum.

TITULUS IV.

An anima separata retineat propensionem ad corpus.

HAc de quæstione controversia est inter Thomam & Scotum, & utriusque asseclas, Thom. ait: 1. *p. qu.* 75. *a.* 1. *ad sextum.* Anima humana, inquit, manet *Variæ sententiæ.* 63.

in

in suo esse, cùm fuerit à corpore separata, *habeus aptitudinem & inclinationem naturalem* ad corporis unionem. Hanc sententiam sequuntur & argumentis probant Conimbr. *de anim. separ. disp. 2. a 3.* Rubeus *de eadem materia, quæst. 7.* alíque: Et loquuntur eodem modo Abulens. *in 22. cap. Matth. q. 122. ad 4.* Et Aug. *l. 12. super Gen. ad lit. c. 35.* ubi disertè scribit, animæ separatæ inesse naturalem quendam appetitum corporis administrandi, Argumenta postea afferam, *num. 69.*

64. Scotus autem istum appetitum negat *4. d. q. 2. a. 3.* Ferrar. *2. cont. gent. c. 6.* Bannes *1. p. q. 26. a. 1. dub. 5.* Major *4. sent. qu. 3. a. 4.* Argumenta postea proponam, statim ea solvendo.

Explicatur quæstio proposita.

65. *Appetitus naturalis vel elicitus.* AD hujus quæstionis intelligentiam & decisionem, necessariò præcognoscenda est distinctio appetitus in naturalem & elicitum, quam frequenter Dd. tradunt & explicant *1. Met. c. 1. & l. 1. Eth. c. 4.*

66. *Appetitus naturalis.* Dicitur igitur sic *appetitus naturalis* is, qui nihil aliud est, quàm inclinatio naturæ, secundùm quam res in aliquod bonum sunt propensæ, absque prævia cognitione. Sic materia appetit formam, unaquæque res suum bonum, intellectus intellectionem, voluntas volitionem, & summatim quævis potentia sic appetit exercere suum actum, & uniri cum suo actu. E quibus exemplis patet: quòd defectus præviæ cognitionis non intelligatur sic, quasi res quæ talem appetitum habet, debeat esse expers omnis cognitionis, sed quod etiam dimissâ cognitione, si quæ res eam aliàs habet, nihilominus adhuc res aliqua est propensa ad tale objectum, veluti est in prioribus exemplis. Nam si maximè homo non intueatur sive cognoscat actu, quod bonum sit suæ intellectivæ potentiæ, ipsum intelligere, nihilominus tamen ipsius intellectiva potentia propendet ad intelligendum. Et hoc vocamus appetitum & naturalem & innatum.

67. Et hinc rectè infert Fonseca *li. 1. Metaph. c. 1. q. 1. s. 8.* quòd appetitus innatus non sit res distincta à re appetente. Ita gravitas est propensa ac tendendum ad suum locum, non per aliquid additum, in quo formaliter consistat ratio propensionis, sed per seipsam. Et potentia intellectiva ad intelligendum, ac sensitiva ad sentiendum propensæ sunt, similiter sine ullo addito, per seipsas. Unde removendo omne extraneum ab istis, & purissimè considerando essentias earum, nihilominus implicant istam habitudinem sive propensionem ad actus istos.

68. *Appetitus elicitus.* *Appetitus* autem *elicitus*, est actus appetendi, quo res prævià cognitione feruntur in bonum cognitum, quales sunt in hominibus, cùm homo appetit deambulare, vel edere, vel bibere. Istis enim exàmplis appetitus eliciti placet uti, quia in istis appetitus maximè liber est, & quoad specificationem & quoad exercitum, inde maximè sunt evidentia. Dicitúrque ipse appetitus *elicitus*, quia elicitur ex cognitione. Est enim hic ordo. Intellectus nempe, intelligit & cognoscit rem aliquam; cognoscit etiam in ea aliquam bonitatem, secundùm quam ista res homini sit consentanea, Istâ cognitione præsuppositâ, voluntas desiderat bonum præcognitum. Et sic elicitur aliquis appetitus boni. Unde statim apparet: eum appetitum non habere realem identitatem ad essentiam appetentis, quia de facto is potest abesse. Estque nunc inprimis sermo de priori appetitu.

Decidituir proposita quæstio.

69. QVibus positis dico: *In anima separata esse appetitum innatum ad informandum corpus.* Ita patet, quia anima est forma. Ergo habet essentiam propendentem ad informandum. At illa propensio non est in forma ulla aliquid additum, sed à parte rei loquendo, est ipsa essentia formæ. Ergo anima separata, quia animæ essentiam retinet, retinet etiam istam propensionem, tanquam realiter eandem cum essentia.

70. Nihil in toto hoc discursu ferè est, quod porrò probandum sit. Ut tamen illustrius

strius sit, quod dixi, inprimis notandum est: Propensionem, quam formæ (in communi loquendo) habent ad informandum, importari per hoc ipsum, quod Entitatem habent naturâ suâ partialem & incompletam, quæque actuare possit compartem. Idam propensionem exercent formæ, quando actu informant, id autem non faciunt mediante aliquo accidente, sed faciunt id immediatè per seipsas, ac propriam suam Entitatem exhibendo & uniendo materiæ. Alias enim fieret unio per accidens, quod absurdum. Isto supposito, relinquitur, quod inter actum informandi, & inter essentiam formæ, non interjaceat accidens, per quod apta disponatur & apta sit ad informandum. Et patet porro, quia quicquid dicitur, fusè à pentur. & revera fingitur, quia non potest præscind. essentia ejus, quod forma dicitur, ab ista propensione ad materiam, unde purissimè apprehendendo essentiam, adhuc ea essentia talis est, ut quia scilicet natura sua partialis est Entitatis, (quæ denominatio non advenit ab accidente ullo) sit apta quæ materiam informet.

Quòd si ipsa tua propensio ad materiam minimè includatur in essentia ejus rei, quæ forma dicitur. Ergo quamdiu manet essentia rei illius, tamdiu manet etiam propensio. Quæ enim realiter eadem sunt, illorum unum non corrumpitur, manente alio, per Arist. 7. *Top. cap.* 1. § 3. Utque enim anima separata adhuc habet essentiam animæ. Relinquumque ista omnia ex superiori etiam discursu *ad nu.* 66. Ubi probatum est, propensionem quam habeant potentiæ ad actus suos (qualis est animæ, tam quam potentiæ activæ, ad animationem, & in genere, formæ ad informationem) esse appetitum innatum: Hunc autem realiter identificari ad essentiam appetentis, & proinde ab essentia esse prorsus inseparabilem. 71.

Objectiones proponuntur & solvuntur.

OBjicitur à Scoto & Scotistis. 1. Si anima separata haberet propensionem ad corpus informandum, tùm tamdiu pateretur violentiam, quamdiu est in isto statu. 72.

Respondeo I. negando consequentiam, ut per exempla ostenditur. Nam potentia auctrix & generatrix habent propensiones ad suos actus, hoc est, accretionem & generationem. Et tamen postquam operam suam expleverunt, non patiuntur violentiam, si porrò non exerceant actus ad quos propendent, quod de potentia auctrice solet in homine contingere circa 30. annum, in generatrice circa 50. aut 60. II. Estque ratio utriusque eadem, quia scilicet violentum non dicitur omne illud, quod est contra inclinationem naturalem (cœcitas enim à nemine dicitur violenta in oculo animalis, & sic in aliis) sed quod est contra inclinationem effectivam. Hoc est, violentum illud solùm dicitur, quod est ab externo principio, & cui res activè & effectivè resistit & obluctatur. Vide Coleg. Conimbr. *l. 2. de cæl. cap. 5 q. 5. a. 2. ad secundum, & lib. 2. de Gen. & Int. cap. 11. q. 1. a. 4 ad secundum, & de an. separ. Disp. 2 a. 3. fere ad fin. & adde super lib. cap.* 18. *nu* 92. Anima autem ista statui non obluctatur & resistit, ut priori quæstione visum. 73.

II. *Objicitur.* Si anima haberet appetitum corporis innatum & naturalem, tum naturaliter posset fieri resurrectio si nempe anima expleret appetitum suum, hoc est, rediret ad corpus. At id fieri non posse inde patet, quod omnes Ethnici Philosoph. negarunt resurrectionem mortuorum, ut refert Tertull. *lib. de præscr. hæret. c. 7.* & latè Conimb *lib. 2. de Gen. & Int. c. 1. q. 1. art. 1.* 74.

Resp. Negando consequentiam, quia ad vivificationem corporis non requiritur solùm aptitudo in anima ad vivificandum, sed requiruntur etiam dispositiones corporis, quæ necessariò exiguntur ab anima ad exercendos actus vitales. Neque enim isti in quolibet corpore exerceri possunt. Istas autem dispositiones nemo potest dare corpori demortuo, nisi solus Deus, idque liberè. Tales enim sunt 75.

Cur resurrectio corporum non sit naturaliter nota.

actus divini. Atque inde vi istius libertatis divinæ in agendo, sequitur nec necessariò animam unicendam esse corpori, atque adeò debere esse mortuorum resurrectionem: neque etiam lumine rationis ad id certò probandum deveniri posse: præsertim cum anima separetur ad habendam beatitudinem. Beatitudo autem illa consistit in visione Dei: quam anima sine consortio corporis habere potest indeque perfectè, (de esse beatitudinis loquendo) beata est etiam sine isto, ut frequenter Doctores disputant. Vide Thomam 1 2.q.4.a.5. *& locis ibi citatis.*

76. III. *Objicitur*: Si anima habet naturalem potentiam & propensionem ad corpus. Ergo datur etiam naturalis aliqua potentia activa, quæ actuet illam animæ propensionem, seu, quæ animam uniat corpori, quod iterum absurdum est, & pugnat contra id quod resurrectio non potest procurari, nisi virtute increatâ & divinâ. Consequentia tamen probatur; quia omni potentiæ activæ correspondet potentia passiva, & vicissim, ut sumi solet ex Aristotele *l.2.de anim.c.5.* & frequenter admittitur.

77. *Resp.* Negando consequentiam in connexione. Nam potentia visiva, quæ etiam in cæco nato est, naturalem habet propensionem ad videndum, & tamen à nullo agente naturali potest actuari, ut constat. Sic & materia quia habet universalem potentiam ad omnes formas. E. & dimissâ forma aliqua, habet potentiam ut intermetur iterum ab eadem, neque ex parte ipsius est pugnantia, ut & formam & dispositiones priùs habitas recipiat. Et tamen nullum est agens naturale quod actuare possit talem propensionem materiæ.

78. *Omni potentiæ activæ & quatenus respondeat passivæ.*

Ad rationem autem in contrarium (factam ex illo principio: *quòd potentiæ passivæ respondere debeat potentia activa*) respondeo, istam propositionem veram esse, loquendo per se: sed tamen quasi per accidens, & aliunde, & ex defectu alicujus circumstantiæ, aliquando fit (ut prius adducta exempla ostendunt, sumtque alia quàm plurima) ut potentiæ naturali passivæ non correspondeat activa & vicissim, præsertim ad particularem aliquem actum, & juxta particularem ac determinatum aliquem statum. Per se enim fatendum est, si potentia aliqua absolutè sumpta, possit ad suum actum duci, quocunque tandem tempore fit. Et maximè non est necesse, ut potentia passiva, quæ adæquatè respicit aliquem gradum, comprehendentem plures actus numero distinctos, ut illa potentia naturaliter actuetur per omnes istiusmodi numericos actus, ut eleganter docet Suarez *Disp.* 23. *Metaph sect.* 2. *n.* 12. Atque ita de anima satis tutè quod ista aliquando per agens naturale unita fuit, ut factum est in generatione hominis.

Animæ separatæ an conveniat appetitus elicitus.

79. Quoad elicitum appetitum, hoc est, actum appetitionis alia quæstio est, de qua Soarius existimat *3. part. q.* 53. *d.* 44. *sect. ad finem*, eum in anima non esse. Aliis tamen hæc displicet sententia, & Conimbr. nominatim illius argumenta refutant *de anima part. Disput.* 2. *art.* 3. Estque hæc ipsa sententia mihi admodum probabilis, quòd scilicet anima actu elicito desideret uniri cum corpore. Cùm enim anima ad hoc habeat innatam propensionem, ut visum est, & præterea habeat voluntatem, cur non actuali appetitu desideret, ad quod naturaliter propensa est. Quanquam naturali lumine id non satis efficaciter concludi potest.

80. *Apoc. 6. Expenditur.*

Solet allegari locus ex Apoc. *c.6. v.9.10.* Vbi animæ Martyrum in cœlo clamant, hoc est, ferventissimè petunt, ut Deus judicet & vindicet sanguinem ipsorum, ubi sine incommodo vox judicandi exponitur de generali judicio extremo, & sub voce vindicandi, *&c.* intelligitur specialiter pœna persecutorum. Imò fortasse necessariò, ita intelligi debet. Deus enim respondens illi clamori indicat causas, cur differat judicium illud universale, nempe ut priùs compleantur consortes illorum. Et ad hunc modum etiam exposuit locum istum Clariss. noster Wynckelmannus *in Apocal. 6,6. part. 3. in parapl.* Proficiscitur inquit, *hac ratio ex de-*

ex desiderio restitutionis omnium & beatæ resurrectionis. Nondum enim animæ beatæ in eo perfectionis statu sunt, in quo post novissimam diem, adjunctæ suis corporibus, collocandæ sunt, quia corpus alterna scilicet hominis pars adhuc in corruptione hæret, quod & ipsum omnino instaurari exoptat. Et postea loco 1. *Clamare*, inquit, *dicuntur, desiderio resurrectionis & restitutionis corporum.*

TITULUS V.

DE COMPARATIONE ANGELORUM & animarum separatarum.

81. Dupliciter inprimis, cum aliqua controversiâ, solent Angeli comparari cum Anima. Nempe: an isti & hæc sint ejusdem speciei. Deinde quæritur de comparata eorum dignitate.

ARTICULUS I.

An Anima & Angeli sint ejusdem speciei.

82. Hæc quæstio, quantum ad priorem partem, quæ est de identitate specifica, ex præcedenti facillimè decidituri. Nam essentia animæ, ex natura sua, est incompleta & partialis, & proinde implicat naturalem propensionem ad materiam, sive informandum, ut prius visum est: At verò tale quid essentiæ Angelicæ non convenit, quæ est totalis & completa, & proinde ei repugnat ut sit cujusque forma informans. Id ergo indicium manifestum est diversitatis specificæ. Et patet porro, quia alias tantùm conveniret cum Angelo, anima separata hæc, quantum cum anima separata alia. Suppositâ enim identitate specificâ, non remaneret discrimen, nisi numerale, quod non minus habet anima hæc ad animam aliam ac ad Angelum. Absurdum autem est, similem utrobique esse identitatem, cùm anima separata hæc, conveniat cum alia anima in Entitate incompleta, quod non est de Angelo Confer Thom 1.*p.q.*75.*art.*7. Scotum & Bonavent. 2.*d.*1. Alens 2.*p.q.*20 *mem.*5. Est autem contraria huic, opinio Origenis *l.*1. *περὶ ἀρχῶν, c.*5. *&* 8. ut ibi Thomas meminit.

Objectiones proponuntur & solvuntur.

83. Objiciuntur duo. I. Anima non distinguitur à corpore, nisi quod illa est unita vel unibilis materiæ, Angelus non. At hæc est denominatio extrinseca, quæ non potest constituere discrimen specificum.

Respondeo: Discrimen illud sumi quidem ab extrinseco, sed tanquam à posteriori & magis nobis noto. Nihilominus illud involvit discrimen inter ipsam essentiam animæ, quòd hæc habeat Entitatem incompletam, illa completam. Et in hac diversitate fundatur discrimen specificum.

84. II. *Objicitur:* Ultimum quod est in Angelo & anima, est intellectualitas. Ergo secundùm intellectualitatem maximè distinguerentur isti spiritus si distinguerentur. At intellectualitas utrobique est ejusdem speciei. Ergo & ipse Angelus & anima sunt ejusdem speciei.

*Resp.*1. Verum est, Angelum & animam esse ejusdem speciei. Si hanc denominationem sumamus ex specie subalterna, idque hoc ipso, quia utrumque eorum est naturæ intellectualis. Nam cùm substantia per intellectualem et non intellectualem dividitur, tum intellectualitas contrahit rationem substantiæ ad hanc speciem. Ergo sic Angelus & anima in specie conveniunt. Sic autem non solet quæri nunc, de identitate specifica. Nam specie nunc eadem dicuntur, quæ conveniunt in specie ultima, et porro non distinguuntur, nisi distinctione numerali, quomodo Paulus et Petrus distinguuntur. Unde hoc sensu II. Respondeo: Intellectualitatẽ non esse ejusdem speciei in Angelo et anima, id quod nec ullo indicio

probatur. Sicut enim Brutalitas vel irrationalitas vel intellectualitas variatur ad diversas species (utique enim diversæ species sunt, equus & canis et alia) ita etiam non repugnat ut intellectualitas multiplicetur ad diversas species, ut proinde diversæ species sit intellectualitas animæ ab intellectualitate Angeli.

Nunc venio ad alteram partem propositæ quæstionis, de collatione dignitatis.

ARTICULUS II.
An Anima separata sit dignior seu nobilior Angelo.

85 AFfirmavit ad Greg. Venetus *de Harm. mundi, Cantic. 3. tom. 3. c. 2.* his rationibus. I. Quia in genere animarum anima Christi, propter unionem hypostaticam ad λόγον, nobilior est, quàm quisquam Angelus. At, cùm duo genera ad invicem comparantur, illud est nobilius, in quo id quod eminet præstantius est eo, quod eminet in genere altero per Arist. 10. *Ethic. c.* 1. II. Quia Angeli sunt ministratorii spiritus in ordine ad humanas mentes. At ratio Ministri vilior est quàm ejus, cui sit talis administratio. III. Quia homo & deinceps
80. anima humana ultimò creata est. At quod est ultimum in executione, solet esse nobilissimum.

Hæc tamen opinio communiter rejicitur, latéque eam impugnant Conimbr. *de an. separ disp. 1. a. 7.* Vide & August. *l. 11. de Civ. Dei, cap. 15.* Hieronym. *ad c. 11. Matth. ad verba: qui minor est in regno, &c.* al. ósque illic citatos.

87 Estque hæc sententia vera, quòd Angeli animâ sint nobiliores. Nam Entitas completa, ut ex sono verborum apparet, est nobilior entitate incompleta, comparando res ejusdem ordinis. Anima autem habet Entitatem incompletam, &
88. Angelus Ens completum est, ut sæpe patuit.

Ad *primam* rationem in contrarium respondeo: Istam eminentiam esse in anima Christi non ex naturalibus conditionibus, sed ex supernaturali gratia. Extra ordinariam autem gratiam & eminentiam, Deus, tanquam liberrimum agens æquè bene potest tribuere rei viliori ac digniori. Præsertim cùm speciales causæ sint, cur hominem Christus assumserit, atque adeò humanitati tributa sit gratia unionis hypostaticæ, non autem naturæ Angelicæ, de quibus latè meminerunt Theologi.

Et ex hoc quod dixi, de Dei libertate, in contribuendis istis donis, concidit etiam quod Venetus excipit, ad hanc responsionem, quòd scilicet Deus suis-
89. modi dona attemperet naturis rerum. Neque enim ad hoc necessitas ulla est, quin secus fieri possit, istâ libertate Dei supposità.

Ad *secundum* respondeo: Angelos esse *ministros Dei* ad homines defendendos, &c. Non ergo Angeli sunt ministri hominum, sed ac homines, ministri inquam Dei. Deus ergo Dominus est istorum ministrorum. E. iste est nobilior Angelis. Neque anima aut homo inde magis est nobilis quàm Angelis: ac rustici cujus vel quivis idiota nobilior est bellicoso ac forti aliquo Capitaneo, qui minister est alicujus Principis, ad defendendum rusticum vel idiotam quemvis, à latroni-
90 bus, vel injuriis aliquibus.

Ad *tertium* dico: ultimum esse nobilius cæteris, si sit sermo de subordinatione mediorum & finium, & finium non ultimorum ad ultimos. Non autem admittitur: Angelos esse creatos propter hominem. Tum etiam non sumitur inde essentialis nobilitas, si quid sit propter alterum. Est præceptor propter discipulum, & tamen non est discipulus supra Magistrum.

TITV-

TITVLVS VI.
QUAS POTENTIAS VEL HABITVS vel actus habeat anima à corpore separata.

Titulus hic comprehendit tria, nempe potentias, habitus & actus: de quibus singulis videndum. 91.

ARTICVLVS I.
De potentiis animæ separatæ.

In primis certum est. Quarum potentiarum actus sunt in anima separata, quod potentiæ ipsæ quoque sint in anima separata. Actus enim non est nisi cujus est potentia, ut Aristoteles ait *l. de somn. & vigil. c. 1.* Cùm igitur anima separata habeat actum intelligendi & volendi et movendi: consequens est, convenire etiam ei potentiam intellectivam et reliquas. De quibus quæ disputari solent, quoad harum distinctionem ab anima et ad invicem, ex Physicis huc repetenda sunt per ea quæ constituta sunt, *Num. 5. hujus capitis.* Id hic quæritur. 92.

An Animam separatam comitentur potentiæ vitales & animales.

IN hac quæstione id inprimis certum est, ex omni parte, actus sive operationes harum potentiarum non esse in anima separata. Actus enim isti non exeruntur nisi in corpore. Per facultates enim vitales intelligimus facultates animæ vegetantis, hoc est, potentiam nutritivam, auctricem et generatricem: per facultates autem animales, potentiam sensitivam, appetitivam et locomotivam (eam, quâ corpus movetur motu animali.) At harum potentiarum actus sunt per commercium corporis. 93

De ipsis igitur potentiis quæstio est, non de actibus illarum.

Igitur istas potentias in anima separata negant Thomas *1. p. q. 77. a. 8.* ubi et Summistas vide. Et adde Durand. *4. d. 44. q. 11. art. 2.* Conimbr. *de an. separ. Disp. 3. a. 1.* Rubeum *de anim. sep. q. 8.* Docentque ferè communiter id recentiores. Estque illorum principale fundamentum. 1. quia, cùm actus earum potentiarum sint materiales, indicium est, quòd et ipsæ sint materiales. At quod tale est, id propter dependentiam ad materiam, interit cùm à materia separatur. Unde porrò II. inferunt, talium potentiarum subjectum proprium esse non animam, sed animal, hoc est, conjunctum ex anima et corpore, et proinde illas potentias intereunte animali, interire. Destructo enim subjecto, destruuntur etiam accidentia. 94. *Qui dicant animam separatam eas non retinere,*

Hanc sententiam etsi temerè rejicere nollim, propter multitudinem Autorum eam defendentium. (Nam non potest non multitudo Doctorum afferre saltem verisimilitudinem alicui conclusioni.) Nihilominus mihi absolutè probatur alia opinio, quòd scilicet cum anima omnes potentiæ vitales, animales et intellectivæ remaneant, hoc est, quòd anima humana separata talis sit, ut possit nutrire, augere, generare, audire, videre, etc. Dico: *possit.* Nunc enim præcisè sermo est *de posse*, sive de potentia. Ita docet Greg. Arimin. *2. d. 17. q. 3.* Tenenturque idem docere omnes illi, qui postquam admittunt unam animam esse in homine, etiam porro docent potentias esse realiter easdem cum anima. 95. *Alia opinio.*

Ratio, cur potissimùm hanc sententiam amplectar, innititur huic hypothesi, quòd anima unica est in homine. Idque patet. Si enim alia anima esset, quæ hominem constitueret in esse hominis, hoc est, in esse specifico, alia in esse animalis, alia in esse viventis, tum vivens à parte rei ab animali, et animal ab homine 96. *Animam unam esse in homine,*

intra idem suppositum essent realiter distincta, hoc est, universale à minus universali, & consequenter à singulari, quod suprà monstratum est esse falsum. Plenius hanc rem consideravi *in Topic. cap. 5. num. 41. seqq.* Et suprà *lib. 1. c. 2.* Ex quo relinquitur, cùm hominem tribuimus animam vegetantem & sentientem & rationalem, quòd sit ipso suo una & eadem anima, quæ secundùm quod diversa (juxta apprehensionem mentis nostræ) prædicata essentialia suscipit, vocatur et nominibus. Nempe una eademque anima quatenus dat denominationem viventis, vocatur vegetans. & rursus eadem res, quatenus dat denominationem Animalis vocatur sentiens, & quatenus dat denominationem hominis vocatur rationalis.

97 *Hominis animam sentientem & vegetantem etiam separari.*

Et, propter hanc realem identitatem ipsarum animarum sequitur, cùm anima rationalis separatur, quod etiam separetur anima hominis sentiens, & anima vegetans. Eorum enim quæ realiter eadem sunt, non potest unum manere altero cessante, per Arist. 7. *Tous. cap.* 1. Neque tamen id habet anima sentiens idémque est de vegetante) ex se, ut separari possit, sed propter identitatem ad animam rationalem. Unde cùm anima sentiens est in specie aliâ, & istam identitatem ad animam rationalem non habeat, sed ad animam bestialem, etiam non separatur, sed te animatâ intuente, interit. Probatúrque ea assertio, etiam ex Scripturis, quæ indiscriminatim & generaliter dicunt, animam hominis occidi non posse. At anima sentiens, quæ in homine est, utique est anima hominis.

98 *Et omnia de potentias earum & animas.*

Sic igitur argumentor: Si anima sentiens & vegetans hominis separantur. Etiam separantur earum potentiæ. Consequentia patet multiplicitèr. Hoc satis sit. Potentiæ animæ rationalis cum anima ista non magis sunt connexæ, ac potentiæ animæ sentientis & vegetantis cum animis his. At vi istius connexionis istæ potentiæ ibi cum anima separantur. Ergo & hic.

99. Dicitur 1. esse diversitatem, quia potentiæ animæ sentientis & vegetantis sunt materiales. Quod non est de potentiis animæ rationalis.

Respondeo ad antecedens: Non minus animas ipsas (vegetantem & sentientem) esse materiales ac sunt earum potentiæ, & nihilominus propter identitatem ad animam rationalem, ut visum est, istæ etiam separantur, non obstante materialitate sua. De quo porro observandum est, quòd anima sentiens, v. g. sit forma hominis, in conceptu inadæquato concipiendo formam hominis, juxta quod scilicet anima apprehenditur, ut conferens homini essentiam animalis, in quo conceptu anima hominis est materialis. Apprehendendo autem eandem in conceptu adæquato, sic absolutè dicitur animam hominis esse immaterialem, quia ad hoc indicium sufficiens sumitur, si illa res quæ anima humana dicitur, exerceat aliquos actus immateriales à materia independentes. Unde hoc ipso indicatur, eam rem extra materiam subsistere, et si aliquos, ut sic dicam, per ordinem ad apprehensionem nostram gradus anima habeat, & proinde aliquas potentias, quæ materiales sunt, quæ omnes tanquam accessoriæ sequuntur suum principale. Et sic etiam soluta est prima objectio, *n* 93. tacta.

Dicitur II. esse diversitatem, quòd potentiæ animæ rationalis sint animæ adjuncta propria: at potentiæ cæterarum animarum sint adjuncta propria viventis & animalis.

100 *Resp.* Non agnosco hic diversitatem hactenus. Nam anima ab Arist. 2. *de anim. tex.* 24. dicitur indiscriminatim principium, unde vivimus, sentimus, movemur, & intelligimus. Ergo non minus ei conveniunt potentiæ vitales, & sensitivæ ac intellectivæ. Anima igitur singularum potentiarum est subjectum *quo*, sive inhærentiæ. Loquendo autem de subjecto denominationis, sive subjecto *Quod*, sic iterum facilè admitto, non animam, sed vivens, animal, hominem, esse tale subjectum. Unde & sub hoc loquendi genere non anima intelligit & sentit (est enim & hic æqualitas) sed animal vel homo intelligit & sentit. Intelligit tamen & sentit per animam, ut Arist. ait, 1. *de anim. tex.* 65. Et sic soluta est secunda objectio.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Habitibus animæ separatæ.

101. LOquar inprimis de anima separata beatorum, unde transferti hæc res potest & ad animas cæteras, servatâ debitâ proportione.

Hac in re id certum est. 1. *Quorum habituum actus sunt in futura vita, quòd etiam habitus ipsi sint futuri in ista vita.* Effectus enim non est sine sua causa. At habitus causæ sunt suorum actuum. Erit ibi in anima habitus charitatis, & dilectionis. Conjungitur enim anima separata Deo & Angelis actuali amore. Et sic de aliis.

102. II. *Certum est: In anima separata non mansuros habitus, qui sunt ex imperfectione naturæ & status hujus mundi.* Tales sunt opiniones, hoc est, debiles assensus conclusionum, habitus intellectus erronei, inclinati qualescunque (habitus enim fortes vitiosi, non erunt in anima beata cùm separatur à corpore) ad vitia, &c. Cùm enim ad perfectionem intellectus pertineat certa notitia veri, & ad perfectionem voluntatis determinata cupiditas boni, utique cùm in futura vita perficiendus sit intellectus & voluntas, nihil tale superesse poterit. Dicuntúrque habitus corrumpi, per introductionem contrariorum.

103. III. *Habitus aliqui poterunt manere quoad Entitatem, deficient tamen quoad usum.* Veluti qui hic cognoverat multas linguas, sine repugnantia potest ibi retinere talem habitum. Non tamen usurpabit locutionem variatum linguarum, sed credibile est sermonem animam separatam non habituram, per expressionem vocum, sed per communicationem conceptuum, ut de Angelis philosophati sumus superiori capite. Cùm autem anima redierit ad corpus (quem reditum ex sola revelatione novimus) verisimile est sermonem alium præter Hebræum non futurum. Sed certi nihil habemus. Videtur autem ipse Apostolus 1 *Cor.* 13. 8. idipsum velle, quòd usus linguarum sit perituras: si tamen absolutè & Categoricè intelligi debet, quod ipse ait hypotheticè, *sive linguæ cessabunt & Prophetia & scientia, charitas non excidet.* Sic cùm, ut Augustinus, *l.* 14. *de Trin. c.* 9. *Justitia sit in subveniendo miseris: Prudentia in præcavendis insidiis: fortitudo in perferendis molestiis: Temperantia in coercendis delectationibus pravis, utique tales eorum actus non erunt in patria.* Ent tas igitur istorum manet, non tamen actus vel usus, iste præsertim. Possunt enim habere usus alios, ut etiam ex Beda docet Lambard. *lib.* 3. *d.* 33. *l. A.* Et adde Thom. 1. *part. quæst.* 89. *art.* 5. & utrobique Commentatores. *Habitus linguarum variarum.*

104. Atque ita ex hactenus dictis patet. 1. Animam separatam habituram esse aliquos habitus. 2. Subituram tamen esse eam, aliquam, quoad habitus, mutationem. Nam quidam, per introductionem contrariorum, tollentur, quidam, hic habiti, ibi perficientur: quidam hic habiti & quoad esse & quoad usum, ibi erunt quoad esse, non quoad usum, saltem in toto. Et sic deinceps.

Objectiones proponuntur & solvuntur.

105. SEd *objicitur* 1. dictum Apostoli 1 Cor. 13. *scientia destruetur.* Inde sic colligitur. Scientia maximè perficit intellectum. Ergo maximè, præ cæteris habitibus, verisimile est, eam manere in anima separata. Unde si illa destruatur, à fortiori sequitur, cæteros habitus destrui. Et confirmatur, quod aliàs etiam intellectus Angelici perfectio est, scientia quantumvis rerum, veluti naturæ lapidum, plantarum, metallorum, hominum, & sic deinceps. Unde apparet: absolutè loquendo, scientiam non esse aliquid repugnans statui gloriæ, & beatitudini. Indeque cum homines futuri sint ἰσάγγελοι, potius videtur talis scientia perficienda esse quàm destruenda.

106. *Respondeo*: Videtur omninò verisimile esse per prædicta, quod talis scientia manear

Scientiam quo. modo dicat Apostolus desti.

maneat in anima separata. Ad dictum autem Pauli duplex solet dari responsio. Aliqui scientiam intelligunt generatim, atque ita illa destituitur non absolute sed secundùm quid, ve uti quoad necessitatem ministerii sensualis, quæ non egebit scientia in cœlis. Ita exponunt Thomas 9.p.quæst 89.art.5. & alii, ut recitat Colleg Conimbr *Disput.3.de Anim.separ.art.3.ad tertium.* Sic & D. Hunnius t. *Cursus.3.part.2.§. Charitas. Abolebitur scientia*, inquit, *hoc est, ille sciendi modus, qui in docendo discendoque consistit, & ab infimo gradu ad ulteriorem subinde per incrementa contendit, nec tamen ad perfectionis fastigium in hac vita pertingit. Hic successivæ scientiæ habitus, hic cognoscendi modus, hæc manca & imperfecta cognitio in illa æternitatis luce locum habebit nullum.* Hæc ille.

107. Alii ajunt, specialiter ibi intelligi per scientiam Theologiam, quam sic habemus, quam dicunt tollendam esse in Patria, quia sit cum discursu, & habeat certitudinem quidem, sed tamen inevidentem, & alia, patriæ non convenientia, cum, ibi Theologia nostra futura sit in visione & intuitu, qui est notitia simplex & evidens. Unde per introductionem sive infusionem, eminentioris habitus cognoscendi res divinas prior abolebitur. Ita idem Conimbr. docent, & multi alii.

Mihi tamen non videtur Paulum, vel generatim de scientia, vel speciatim de nostra Theologia dicere, quòd ea sit abolenda. Verba enim sunt hæc: *Charitas nunquam excidet sive Prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientiæ destruentur:* qui modus loquendi non categoricus est sed hypotheticus. Vult scilicet Paulus commendare charitatem præ omnibus aliis habitibus. Id inter alia etiam facit à duratione & perpetuitate, quod sit ad hunc modum. Charitas istiusmodi virtus est ut nunquam sit delitura, si vel maximè omnia cætera pereant, ut Prophetiæ & linguæ & scientiæ. Hypothetica autem propositio nihil ponit in esse.

108. II. *Objicitur* dictum *ex Ecclesiaste, cap.9.v.15. Mortui nihil noverunt amplius nec habent ultra mercedem.* Et v.10. *Quodcunque potest facere manus tua, viriliter operare, quia nec ratio nec industria nec sapientia erunt apud inferos vel in sepulchro.*

Respondeo: Cùm alibi dicat Scriptura, animam debere recordari, &c. *Luc.16.* Utique animæ separatæ non convenit nulla notitia sive scientia. Dicta ergo illa sic intelligenda sunt, quòd post hanc vitam non sit locus ubi pœnitentia & tale quid fieri possit. Sic *Hieronym.* in h.l. *Donec vivunt*, inquit, *homines, possunt fieri justi, post mortem verò nulla datur boni operis occasio.* Et postea: *Vivente metu mortis possunt bona opera perpetrare. Mortui vero nihil valent ad id adjicere, quod secum tulêre de vita.* Hoc sensu etiam dicitur, Joh.9. *Operamini dum dies est, venit nox, in qua nemo potest operari.* Alii Salomonem ajunt loqui, per prosopopœam, sub persona impiorum, ut Hieronymus *ibid* attingit.

109. Cæterùm quia sub habitibus etiam comprehenduntur species, ut alibi docui, idcircò de iis peculiariter sub hoc titulo quærendum est,

An Anima asportet secum species intelligibiles.

110. *Ratio dubitandi.* RAtio dubitandi est, quia species intelligibiles, quas hic anima habet, dependent in fieri à phantasmatibus, atque ideò à sensibus, cùmque habeat Entitatem valdè debilem, consequenter infertur, quod etiam conservati dependeant inde. Cùmque anima separata nullam habeat connexionem cum istis, cònsequenter nec videtur habere species.

111. *Alia sententia.* Oppositum tamen plerique Doctores tenent. Vide Thom.1 p.q.89.a.5.6.12.q. 53.art.1.2. Colleg Conimb *disput.3.de anim.separ.art.3.* & Rubeus *de anim.separ. quæst.8.* & alios. Et hæc vera est sententia. Nam inprimis, in anima separata, datur recordatio, ut ex Scriptura certum est. At recordatio non est nisi per cogitationem specierum, in mente præexistentium, sed quas intelligendas cum actu

appli-

applicatur mens, propriè dicitur recordari; unde recordatio non posset dici, si Deus immitteret alicui animæ cognitionem alicujus rei antea cognitæ, sed simpliciter esset cognitio. Alia mitto.

Ratio in contrarium proposita, nititur falso fundamento, quòd scil. species intelligibiles dependeant etiam in conservari a phantasmatibus & sensibus. Nam ne quidem species sensibiles, quas inferiores sensus apprehendunt in conservari dependent à sensibus externis, etsi ab iis dependeant in fieri. Ita apparet, quia ligatis externis sensibus, sensus interni possunt in apprehensis speciebus negotiari et apparet in somnis. Undè manifestissimum est, quòd Entitas specierum non sit tam debilis, ut egeat perpetuo influxu causæ efficientis. Quo destructo, nulla necessitas est, cur in conservari à sensibus species intelligibiles dependere debeant. 112.

ARTICVLVS III.

De actibus Animæ separatæ.

Hic primò generaliter animadvertendum est: Non illicò convenire animæ separatæ actum, cujus vel potentiæ vel habitus in ea est. Est enim in anima separata etiam potentia, quâ possit, in se sufficiens sit ad nutriendum, ad sentiendum, &c. ut prius visum est. Et tamen ea separata non exercet actum nutriendi vel sentiendi. Et in anima separata similiter est habitus temperantiæ, qua posset coercere ebullientes voluptates corporis, & tamen eum actum ibi non exercebit, ut similiter visum est antea. Explodituque Aristoteles *l. 9. Metaph. cap. 7.* generatim sententiam Megaricorum, qui potentias negabant, ubi non essent actus. Vide & Scalig. *Exercit. 6. sect. 1* & de potentia auctrice manente, cùm cessat ab opere, *Exer. 101. §. 17.* Ad eundem modum etiam habitus non cessant, cùm cessatur ab opere, ut nominatim docet Thom. *1. 2. q. 53. a. 3.* 113.

Tres autem potissimum actus sunt, de quibus peculiariter sub hoc titulo dispici solet: nempe actus intelligendi, actus volendi, & actus movendi; in quibus tribus punctis præsens articulus consistit.

PVNCTVM I.

De cognitione Animæ separatæ.

IN cognitione Angelica supra, *cap. præced. n. 113.* Tria proponebam consideranda nempè ejus principium, modum & objectum. 114.

Et de principio quidem cognitionis in anima separata nunc nihil necesse est hic aliquid addere, quia in priori hujus tituli articulo satis constitit, dari in anima separata habitus & species, qui consequenter sunt principia illius cognitionis, quæ sit ab anima separata. Alia, quæ ibi dicta sunt, de Angelis, hic proportionaliter recurrunt. Quod enim negatur de intellectione Angelica, tanquam excedens naturam ejus, à fortiori etiam negatur de intellectione animæ. Veluti sic intellectio animæ non est ejus esse, & ejus potentia cognoscitiva est ab ipsa realiter distincta, & quæ sunt alia ibi disputata. 115.

Tria autem peculiariter hic videnda sunt. 1. An anima separata actualiter cognoscat. 2. De illius cognitionis subjecto. 3. De ejus modo. 116.

QVÆSTIO I.

An anima separata actualiter cognoscat.

FQuidem non existimo esse, qui, admissa animæ immortalitate, negent, animam separatam actualiter cognoscere, & eam in æternum instar glires immobilem torpentemque esse, ut Hieron. *ad Pammach.* ait. Nihilominus aliquæ 117.

difficultates sunt, quæ contra affirmativam partem afferri solent, atque has ipsas, dimissâ rei certæ probatione, expediam.

118. I. *Objicitur.* Actiones sunt suppositorum. At anima, etiam separata, non est suppositum, quia ex natura sua, & primâ intentione naturæ, est forma corporis, & proinde habet Entitatem partialem & incompletam: Id quod supposito repugnat. Et ex hoc etiam fundamento Arist. ait. 1. *de anim. tex.* 67. Animam non intelligere, sed hominem: & dicere animam intelligere, perinde esse, ac si dicatur, animam ædificare vel texere.

119. *Resp.* Animam in corpore esse principium quidem operationis, sed non principium *Quod*, sed principium *Quo*. Unde, etsi ipsa agat (dicitur enim principium operationis) tamen in rigore juxta talem statum, non denominatur operans, sed id, quod est principium *Quod*. Et hoc voluit Aristoteles *d. l.* Eodemq; sensu actiones sunt solùm suppositorum, loquendo de principio *Quod*. sive de subjecto denominationis. Cùm alias etiam partibus suppositi conveniat operatio, ut alibi in corpore existentis. Atque ita à fortiori non repugnat, animæ separatæ tribui actionem, In eo enim statu quàm maximè assimilatur suppositis; unde & tum dici potest principium *Quod*, harum operationum.

120. II. *Objicitur*: Anima impeditur in intelligendo sensibus perturbatis, Ergo iis destructis prorsus prorsus etiam videtur perire intellectio. Consequentia probatur, quia antecedens indicat intellectionis dependentiam ad sensus. At non potest actus aliquis manere, remotis iis à quibus necessariò dependet.

121. *Resp.* Ad antecedens: Intellectionem dependere à sensibus, de ea loquendo quæ est per intuitum phantasmatum, de qua admittitur etiam consequens, quod ille modus intelligendi pereat, qui est per conversionem ad phantasmata. At cùm intellectus retineat species, cessantibus phantasmatibus, & extra corpus possit acquirere species, citra ministerium sensuum: hactenus igitur anima rationalis retinere potest actum intellectus extra corpus: Ita Thomas 1. *p. q.* 89. *a.* 1. *ad primum.* Cui adde Coll. Conimbr. *de anim. separ. disp.* 4. *a.* 1. *ad tertium.*

122. Alia argumenta attingunt modum intelligendi, veluti quod non possit intelligere per species; item de discurrendo: quæ commodè satis intelligentur, ex dicendis, de modo intellectionis.

QVÆSTIO II.

De Objecto cognitionis animæ.

123. HAc in re dico I. *Quæcunque non sunt intelligibilia per intellectum Angelicum ea etiam non sunt intelligibilia per intellectum animæ separatæ.* Ita patet, quia perfectior intellectus covenit Angelis quàm animæ. Atque ita non possunt animæ præcognoscere objecta casualia & fortuita, nec possunt cognoscere cogitationes alterius animæ, & quæ præcedente capite memorata sunt de Angelis.

124. II. *Anima separata potest ea cognoscere, quæ hic in terra cognovit, adeò, res materiales & singulares.* Cùm enim earum species asportet secum & proinde, rerum hic actarum, possit recordari, & amare corpus, quod anteà sibi unitum fuit, ad illudque actuali & elicito appetitu propendere, quæ singula in prioribus probata sunt, utique intellectus illius animæ separatæ ad hæc omnia improportionatus non est.

125. *Animas non acquirere notitiam eorum, quæ hic geruntur.* III. *Particularem tamen notitiam earum rerum, quæ hîc geruntur post animarum discessum animæ separatæ non acquirunt per sensus.* Veluti, quod his annis erecta sit Academia Giessena, quod eadem hoc anno 1615. dotata sit ab illustrissimo nostro Principe, quod hic vel ille homo eat ad forum, vel Templum, &c. Id probat Thom. 1. *p. quæst.* 89. *art.* 8. inde, quia animæ mortuorum ex ordinatione divina & secundùm modum essendi, segregatæ sunt à conversatione viventium, &

con-

conjunctæ conversationi spiritualium substantiarum, quæ à corpore sunt segregatæ. Sæ & Gregor. *lib. 12. Moral. cap. 13* ait mortuos vitam in carne viventium & post eos qualiter disponatur, nescire, quia vita Spiritus longè est à vita carnis, &c. Conter etiam Colleg. Conimbr. *Disp. 3. a. 1. ad Tert.* Procedítque id ipsum, non solùm de anima damnatorum, sed etiam de anima sanctorum, ut rectè docet Augustin. *l. de cura pro mort. c. 13. 16.* Et probatur ex *Isaiæ c. 63* ubi dicitur etiam *Abraham nescivit nos.* Item ex *4. Reg. 12.* Ubi Josiæ promittitur mors, ne videat mala superventura populo. Et addit: Si animæ sciant status hominum, matrem suam Monicam, utique se visitaturam & in tristitiis consolaturam. Sed plenùs hæc tractanda, Theologis relinquo, ad materiam de invocatione sanctorum.

127 *Pontificii pugnantiam docent in Invocatione sanctorum.*

Dixi autem *per ipsas*: Neque enim repugnat: animas posse cognoscere aliquid nostrarum, per Angelos hinc & inde venientes, item per Dei revelationem. Neque enim ad hoc ulla est per se ex parte animæ vel ex parte Angeli & Dei repugnantia. An tamen actu fiat talis manifestatio, & de quibus rebus, similiter incertum est. Unde, quoad hoc, nihil definio. Imò valdè verisimile est, actu istam manifestationem non fieri, quia ut ex Thoma loquuntur Conimbr. *d. l.* singularium materialium cognitio ad perfectionem intellectus non spectat, sed ad operandum potius conducit. Operatio autem circa eas res aliena est à separatis animis. Quomodo autem hæc cohæreant cum invocatione mortuorum, Pontificii dispiciant.

128

IV. *Anima separata cognoscit animas alias & Angelos.* Ad horum enim societatem assumuntur, & cum iis constituit quasi unam Rempubl. quod sine notitia fieri non potest. Vide suprà, *c. 4. n. 139. seqq. & 144.*

129

V. Denique: *anima separata cognoscit Deum.* Est enim ibi in statu beato. At beatitudo illa consistit in Dei cognitione.

QUÆSTIO III.

De modo cognitionis animæ separatæ.

130

AD hanc quæstionem Dico I. *Certum est: Animam non intelligere per phantasmata.* Phantasmata enim non pertinent ad exercitium sensuum, & à sensibus intellectui offeruntur. Anima autem separata nullum commercium cum sensibus habet.

131

II. *Modus intelligendi, qui non pugnat contra perfectionem cognitionis Angelicæ, multò minus pugnat contra perfectionem cognitionis animæ.* Angelus enim superioris ordinis est, e genere rerum intellectualium. Et proinde cùm non repugnet, Angelum modò intelligentem esse actu, modò potestate, item cum intelligere componendo & dividendo & discurrendo, quæ singula *præced. c. n. 174. seqq.* disputata sunt: ideo nec animæ nostræ is modus intelligendi disconvenit. Sequuntúrque ex eodem fundamento, quòd anima intelligat per species.

132

III. *Modum intelligendi (dimisso ministerio sensuum) quem anima habet hic, habebit etiam in statu separato:* servata tamen proportione, juxta differentiam statuum, qui efficiunt, ut accuratior & rectior nec ita laboriosus modus intelligendi sit ibi, ac hic est: Et ut ibi cognoscamus per evidentem visionem, dum hic multa cognoscimus per fidem sæpe inevidenter quidem, sed tamen certò & infallibiliter, ut sunt plerique mysteria. Patet autem veritas istius propositionis: Quia intellectio & modus intelligendi præcisè insequuntur naturam et essentiam animæ, unde cùm una & eadem sit essentia hic & ibi, etiam intellectio erit una & eadem, hic et ibi.

PUNCTUM II.

De volitione animæ separatæ.

133

HIC certum est: *anima separata conservat voluntatem, hoc est, potentiam volendi.* Cùm enim anima separata et unita corpori sit ejusdem essentiæ

Esse in ani-

ma separata potentiam volendi.

Ergo quæ semel proprietates sunt animæ, in quocunque statu ex primùm apprehenduntur, eæ ab anima non deponuntur in ullo statu. At voluntas est proprietas sive potentia naturalis animæ, ut ex Physicis suppono.

134 *Et actualem volitionem.*

II. Neque verò solùm anima separata habet voluntatem, hoc est, potentiam volendi: Sed *convenit etiam illi pro isto statu actualis volitio.* Cùm enim anima separata actu cognoscat, ut prius visum est, *nu.* 117. utique etiam cognoscet bonitates rerum. At bonum cognitum non potest non amari. Amare autem est actus voluntatis, ut liquidum est.

135 *Quodnam principium eius.*

III. Atque hujus volitionis principium esse, ipsam *animam* mediante *potentiâ*, per quam ejus indifferentia restringatur ad volendum, satis intelligitur ex Physicis. Juvatúrque in multis actibus voluntionis anima per *habitus* infusos, vel hic acquisitos, ut ex prioribus potest liquere, præsertim *ex Num.* 100. *seqq. in quæ capita.*

136 *Eam esse liberam.*

IV. Porro volitio animæ separatæ est *libera.* Est enim homo agens liberum: at libertas radicatur in voluntate, supposito judicio intellectivo. Unde cùm anima separata retineat et judicium intellectivum et actus voluntatis, fieri non potest quin actus ejus sint liberi.

137

Objicitur: Animam separatam (justorum) non posse peccare: confirmatur enim per hunc statum in bono. Libertas autem ponit indifferentiam in agendo.

Respondeo I. Indifferentiam, quæ requiritur ad libertatem, non consistere inter agere bene et agere malè, ut inde est evidens, quia Deus est agens liberrimum et tamen is nullo modo potest agere malè et peccare. Estq. adeò in ista alternatione, inter bene et malè agere, non tam libertas quàm servitus. II. Est autem volitio animæ nostræ libera, quia exercendo actus bonos, nunc hunc, nunc alium actum potest velle anima. Vide Augustin. *l.* 22. *de civ. Dei, c.* 30. et Lombard. 2. *d.* 25. C.

PUNCTUM III.

De actu movendi animæ separatæ.

138

INprimis animæ separatæ convenit potentia motiva, quia, ut mox videbimus, convenit illi motus. Quod si aliqua sunt argumenta, ex quibus negari potest illa potentia, illa inprimis inde sumuntur, quod animæ non debeatur aliquis motus, unde talis potentia sit frustranea. Ista autem in seq. quæst. videbantur. An tamen illa potentia motiva sit distincta ab intellectu et voluntate, judicari potest ex dictis, *ad n.* 259. *in prior. c.* Similis enim in Angelis et anima est ratio, quoad hoc.

139

Suppositâ autem vi motivâ in Angelis, loquendo de actu motionis, de tribus quæritur est. 1. An anima separata moveatur, et quomodo. 2. An per se, an per accidens. 3. An possit movere etiam alia corpora.

QUÆSTIO I.

An Anima separata moveatur?

140

NEgatio propositæ quæstionis tribui solet Durando 3. *d.* 22. *q.* 3. et Pico Mirandulano *q.* 1. *Apolog.* qui aiunt: animam Christi non descendisse ad inferos, secundùm substantiam: sed secundùm effectum, idque propterea, quia immateriales substantiæ sint loci propriis incapaces, proindeque etiam motus locatis, quia et motus et locus non competant, nisi rei divisibili. Ita refert Suarez *in Thom.* 3. *part. Disp.* 43. *s.* 2.

141

Hæc tamen sententia admitti non debet. Nam inprimis anima in morte hominis amittit realem præsentiam ad corpus, nec manet in eo ubi in quo erat prius. Abiit enim in cœlum. At amissio ubi et acquisitio alterius ubi non possunt cognitari fieri, nisi per motum localem.

Deinde

Deinde: Anima ex se postulat sibi definitum aliquod ubi, ideoq; præsentiam ei- 142
sdem etiam ad aliquod ubi particulare, inde, quia non est omnipræsens & immensa. At recedendo à tali modo adessendi, qui est per immensitatem, (quæ ἀσυγχυσίαν facit) simpliciter perfectionis est, posse rem aliquam mutare ubi. Veluti sic animata sunt nobiliora inanimatis, & animalia mobilia, nobiliora sunt iis, quæ sunt immobilia, qualia sunt Ostreæ. Unde nisi ad intimæ perfectionis Entia relegare velimus animam nostram, oportet ut concedamus ei motum aliquem. Confer, quæ ad hanc rem dicta sunt de motu Angeli, *superiori capite, num.* 221. *seqq.*

Ad *obiectionem* priùs insinuatam *sum.* 140. *Respondeo*, negando, quòd motus lo- 143
calis absolutè requirat suum etiam divisibile seu partibile. Est enim id solùm verum de motu Physico, ut visum est *eodem cap. n.* 229.

II. *Objicitur:* Nullam posse assignari causam, cur anima debeat moveri. Ergo 144.
hoc ipso esse frustraneum, assignare illi motum. Antecedens confirmatur, varias causas removendo, quæ afferri possunt. Veluti animæ non moventur propterea, ut fugiant res noxias. Cùm enim sint immortales, nihil ipsis esse noxium potest. Rursus, non moventur animæ, ut acquirant indistantiam ad objecta intelligibilia, quia probabile est eas non accipere species ab objectis, sed à Deo per influxionem. Et quæ sunt istiusmodi causæ aliæ.

Resp. 1Mus motus causam sufficientem dari posse, Et primò quidem efficiens illius satis prænonstrata est, ex debita animæ perfectione, per *n.* 142. Finalis autem causa hæc est, ut scilicet animæ in Republ. vel societate tam ampla possint hinc inde cum Angelis & aliis animabus congredi, ne tanquam saxa in medio mari immota sint istæ perpetim, aut sint instar regis ex antro aulæ intuentis omnia, quæ in ea geruntur, sine ulla digressione. Non tam satis est mihi evidens, quod animæ separatæ non intelligant per species receptas ab objectis. Hoc autem supposito similiter necessarius est eis motus, quia indistantia ad hanc rem necessaria est objecti & intellectus. 145

QUÆSTIO II.

An animæ separatæ moveantur per se an per accidens.

IN primis videntur Animæ moveri per accidens & non per se, quia Scriptura 146
motum animæ describit per portationem, ut patet de anima Lazari, *Luc.* 16. *Aliorum opinio.*
Portatio autem sive vectio est motus per accidens, sicut tractio: ut patet per Arist. 7. *Phys. c.* 2. *tex.* 10.

Deinde: Si anima esset mobilis per se & non ad motum corporis, vel alterius rei, 147.
tum sine repugnantia posset abire aliquandiu sive expatiari extra corpus suum, & deinceps ad illud redire. Consequentia patet: quia supposito, quod anima per se mobilis sit, jam ex se satis est ad perficiendum motum sui, quoties velit. Est autem agens liberi arbitrii. Nunquam tamen compertum est, tale quid obtigisse.

Atque hæc hactenus probata sententia probabilis visa est Eudoxo, qui inde ad 148
August. scribit, *in Epist.* 10. *apud. Aug.* & quærit, An fortasse ex anima corpore egrediatur cum corpore aliquo, in quo feratur ad summum locum.

Nihilominus hæc sententia bona non est, *& ibid.* etiam ab Aug. rejicitur. Et pa- 149
tet, quia ad perfectionem animæ, divisâ immensitate, pertinet, seipsam movere posse. At illi perfectioni plurimum decederet, si motum non haberet, nisi ab extrinseco. Esset enim, veluti claudus aliquis, qui non promovetur, nisi in lecto vel curru portetur, vehaturve. *Contraria sententia probatur.*

Ad *primum*: respondeo: quòd Angeli portent animas non, quasi seipsas movere non possint: sed ad significandam dignitatem earum. Nam & homines aliquam, *Psalm.* 91. *ver. ult.* 12. portantur manibus Angelorum, qui tamen non dicuntur mobiles per accidens. Aut etiam Angeli jungantur animabus, ut hodegetici, ut quò eundum sit, animæ monstretur, per Chrysostomum *hom.* 29. *in Matth.* 150

Ad *secundam* respondeo: Negando consequentiam propositionis, et ad ejus probationem dico: quòd animæ motus sit quidem liber: libertas tamen illa non attenditur in actibus contra-naturalibus. Homo est agens liberum, et tamen non appetit malum quâ malum est. Est enim contra naturam appetitus, ferri ad malum, quâ malum est. Sic igitur, cùm anima tanquam forma, et naturaliter incompletum Ens, habeat naturalem unionem ad materiam, utique non appetit exire à corpore. multòque minus de facto exit, dimisso corpore. Non, inquam, exit nisi expulsa anima à corpore. Deinceps autem liberum habet motum. Sicut fœtus ex utero non exit, spontaneo motu, sed genetricis nisu: Deinceps tamen ambulat, quò vult, huc et illuc, juxta simile Conimbricensium *de anim. separ. Disp. 6. a. 3.*

QVÆSTIO III.

An Anima separata posset movere alia corpora.

AFfirmat Colleg. Conimbr. *de An. sep. Disp. 6. a. 2. §. Est nihilominus*, aliique. Videturque id probari posse. *Primò*, quia Angeli possunt movere corpora, ut superiùs visum. Ergo eodem modo et animæ corpora possunt movere. Neque enim apparet ratio diversitatis, cùm utrumque eorum sit naturæ incorporeæ et spiritualis.

152 *Sententia Conimbricensium.*

153. *Deinde*: ad motum localem faciendum satis est, si, quod se movere potest, conjungitur locali præsentiâ ad aliud, ut Conimbricenses ibi argumentantur. At istam localem præsentiam facilè habere potest anima, supposito ejus motu.

154. *Denique*: argumentantur ab apparitionibus animarum, quas aiunt fieri in corporibus assumptis. Ad hoc autem prorsus necessarium est, ut animæ habeant vim movendi, ista saltem corpora.

155. *Alia sententia.* Hanc tamen sententiam rejiciunt alii Autores: aientes animam quidem seipsam movere posse, non verò corpora alia. Ita sentiunt Thomas 1. *p. q. 117. artic. 4. & de malo. q. 16. art. 10.* Suarez. *in Metaph. Disp. 36. sect. 7. num. 23. aliique.*

156 Thomæ argumenta hæc sunt. 1. quia secundùm Aristot. *l. 2. de an. tex. 26* anima non potest movere quodcunque corpus, sed solum proprium. 2. Quia anima corpori unita non movet nisi corpus vivificatum. Unde si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animæ ad motum localem. At ab anima separata nullum corpus vivificatur.

157 Hæc tamen argumenta satis ponderosa et efficacia non sunt. Id enim solum conficiunt, quod anima nulli rei possit dare motum vitalem vel animalem, nisi quod ab eo vivificetur vel informetur, id quod facilè admittitur. Nunc autem sermo est, de externo motu, quem tribuere potest anima ei rei, quæ per ipsam animata non est, ut apparet in projectione lapidis, et aliis motibus ab anima transeuntibus.

158 Ego hac de re certè ferè nihil habeo quod asseram. Videtur tamen prior sententia probabilior esse, præsertim propter primum argumentum. Et conferendo paritatem rationis in motu Angelico et animæ ex *nu. 156 prior. capitis.*

159 *Apparitio animarum rejicitur etiam à Thoma.* Ultima autem Conimbricensium ratio prorsus inefficax est. Nam juxta veriorem sententiam non animæ sunt, quæ apparent, sed Dæmones, fingentes personas animarum, ut confirment Gentilium. (Sic enim Thomas refert *1. p. q. 117. a. 3.*) addo ego et Papistarum errorem, eorum reditum credentium. Vide et eleganter Chrys. hom. 29. in Matth. *Nunquam audivisti*, inquit Chrysostomus, *animam talis ego fam. Utrum hæc oratio à fraude & deceptione Diabolica est. Non enim anima defuncti est, quæ ista dicit, sed Dæmon, &c.* Et posteà: *Mortuorum hæc verba sunt et deceptantium, imò puerorum ludibria. Nec enim potest anima à corpore separata in his regionibus errare*, et quæ sequuntur.

Epilo-

Epilogus doctrinæ de Substantia.

ET hactenus quidem fuit de substantiis spiritualibus: nunc dicendum erit etiam de substantiis corporeis: sed quia hæ descendunt infra abstractionem Metaphysicam, ideò nihil de iis in Metaphysicis dicendum est, præter ea, quæ suprà ad divisionem substantiæ, in incorpoream & corpoream sunt propolita. Exquisita enim & scientifica doctrina de corpore, ad Physicam pertinet. Atque ita etiam summatim absoluta est Metaphysica doctrina de substantiis generatim & speciatim. Sequitur de accidentibus. 160. *De corpore cur non agat Metaphysica.*

CAPUT VI.

De Accidentibus in Genere.

1. FUit hactenus de Substantiis: sequitur ut deinceps agatur de Accidentibus.

2. Accidens est Ens extra-essentialiter afficiens substantiam.

3. Ejus genera sunt novem: Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs & Habitus.

COMMENTARIUS.

TOtam Accidentium doctrinam generatim & speciatim tradidi in introductione Logicæ, *cap.* 6, 7, 8, 9, 10, 11, 14, 15. Unde ne hic mancus sim, aliqua repetenda sunt inde, additis iis, quæ ad pleniorem eorum considerationem pertinent. H

In hoc capite agendum *primo* est, de nomine accidentis. *Posteà* considerandæ est definitio accidentis. *Tertio* plenius inquirendum est de essentia accidentis. *Quartò* agendum est, de quibusdam attributis accidentium. *Quinto*: de divisione accidentium. Et *denique*: quis ordo sit inter illa servandus.

TITULUS I.

De voce Accidentis.

NEcessitas hujus considerationis, de voce accidentis, vel ex eo sufficienter sumi posset, quòd error ille, quod peccatum originis substantia sit, provenit, ex non observatis variis acceptionibus, in voce accidentis. Cùm enim Placius non videret, quomodo peccatum originale abesse & adesse posset citra subjecti corruptionem (quæ accidentis definitio est) hinc intulit: peccatum originis non esse accidens, & proinde esse substantiam: cùm tamen accidens, juxta eam definitionem, non opponatur substantiæ, sed proprio. Ideóque rectiùs illatum fuisset: peccatum originis esse proprium, quàm id esse substantiam. Sed ad rem. 2. *Necessitas doctrinæ de accidente.*

Notatio Accidentis.

IGitur Accidens, ex vi nominis, & juxta vocis impositionem dicitur quasi *ad cadens*, quòd scil. cadat ad substantiam. Unde existimari potest, quod in Philosophiæ primordiis, quæ (sicut omnium rerum) tenuia & rudia fuerunt, accidentia cognita primum sint inde, quòd aliqua fuerunt, quæ adhæserunt substantiæ, ea consequenter fuerunt à substantiis distincta. Hinc consequenter vox accidentis, propter rationis identitatem, (hoc est, quia in aliis inventa est extra essentialis habitudo ad substantiam) tracta est ad omnia ista, in quibus tale quid repertum est. 3. *Accidens unde dicatur.*

Ut

Ut nunc vice versâ usus obtineat, ut famosius dicatur accidens de iis, quæ inhærent, quàm quæ adhærent, ut mox attingam.

Æquipollentia Accidentis.

4. *Dicitur etiam πάθος.*

GRæci Accidens πάθος vocant in communi. Castigat hanc vocem Scaliger, *lib. 5 de Caus. ling. lat. cap. 119. pag. 283.* quia nimis specialis sit. *Neque enim, inquit, Accidens significat solum πάθος, sed etiam ἕξιν, commodiùs autem nomen διαθέσεως dicitur. Afficimur enim & ad agendum & ad patiendum.*

Sed tamen neque censura probata est, neque nomen, quod substituitur, melius est. Nam satis frequens est, ut in nominibus sit synecdoche. Unde à determinata specie frequenter sumuntur nomina generalia. *Deinde διαθέσεως* sive dispositionis vox, ex speciali usu, appropriata est solis qualitatibus. Nec apparet, quemodo Quantitas, Relatio, Passio, Actio, Quando, &c. possint dici dispositiones ad agendum & patiendum. Unde vox *διαθέσεως* æquè specialis est ac vox *πάθος*.

Et συμβεβηκὸς.

Frequentius Aristoteles accidens nominat *συμβεβηκὸς* Quanquam & *συμβεβηκὸς* Aristoteli sæpè sit idem quod contingens, ut cùm ait 6. *Metaph. 2. 5. ὕλη ἐστὶ τοῦ συμβεβηκότος ὅτι τὸ ἀεὶ ἢ ἐπὶ τὸ πολὺ ἄλλως ἢ συμβεβηκὸς*, hoc est, *materia est causa illius, quod potest aliter contingere.*

5. *Attributum & adjunctum.*

Dicitur & accidens alio nomine *attributum* & *adjunctum*. Quanquam hæc potiùs dicuntur æquipollenter ad accidens, quatenus subjecto, quàm quatenus substantiæ, contradistinguntur. Et alias etiam, solent Dd. voce attributi, tanquam minore uti, ubi accidentis voce non utuntur. Ita Dei attributa, & Entis attributa dicimus frequenter, non item accidentia. Armand. de Bello visu *l. 2. Termin. c. 292.* attributum dictum putat, tanquam *attributum*, seu tanquam *ab alio tributum*. Ut cùm aliquis aliud, quod videtur in aliquo, attribuit alicui, propterea, quod ex illa re visa & cognita cognoscitur tale quid esse in illo, cui illud tribuitur. Sunt etiam aliqua de voce attributi tacta suprà, *c. 3. n. 87.* ubi vide.

Explicatur ambiguitas, quæ est in voce Accidentis.

6. *Ex Aristotele.*

POrrò ambiguitatem, quæ est in voce accidentis varii variè proponunt. Aristoteles 5. *Met. c. 30.* docet: accidens duobus modis dici. *Primò* accidens dicitur id, quod inest quidem alicui & verè dicitur, non tamen vel necessariò vel majori ex parte (sed rarò.) Sic accidens est, effodienti serobem, invenire thesaurum. *Sic etiam accidit si quis*, inquit Aristoteles, *in Agrum veniat, si non ea de causa illuc appareat, ut illuc veniret, sed à tempestate pulsus, aut à prædonibus captus.* Deinde alio modo accidens dicitur. Nempe omnia illa dicuntur accidentia, quæ per se (hoc est non necessarium est, ne forte id inime) cuiquam insunt, nec sunt tamen de substantia sive essentia. Vide & *lib. 6. Met. c. 2. & lib. 11. c. 7.*

7. *Ex Ramo.*

Ramus *lib. 3. Schol. Dial. cap. 10.* tradit, apud Aristotelem accidens tripartiam sumi. *Accidentia*, inquit, *nomine, fatis, adjuncta & verum inter se comparationes comprehenduntur. Deinde accidens significat fortuitum, insitum, inordinatum. Denique Aristotelis judicio accidens est fortuna, seu casus & causa per accidens.*

8. *Ex Zabarella.*

Zabarella *1. post. ad text. 94. & lib. 1 de prim. mat. c. 14. in init.* ait: accidens quandoque sumi, prout significat novem categorias, à Categoria substantiæ distinctas; aliquando pro eo, quod accidentale vocari solet, cui opponitur essentiale.

Ex Scoto.

Scotus *1 sent dist. 2. circa fin.* accidentale ait accipi vel pro extraneo vel pro eo, quod quasi perficit aliquid accidentaliter, quod præexistit in se perfectum.

9. *Distinctio propria.*

Colligam varias ad hanc rem significationes in summam: & primùm quidem eas attingam, quæ à præsenti tractatione sunt alienores.

Igitur principiò observandum est, quòd aliud sit *per accidens* & aliud *accidens*. Per accidens dicimus vel ratione subjecti vel ratione causæ, vel in ratione effectus vel in ratione unitatis. Sed hæc nunc non curo, sed simplicem terminum accidentis declarare propono.

Proinde;

Proindè: Accidens 1. Sumitur pro eo, quod est contingens & fortuitum, sicut & Græcum συμβεβηκός. Est igitur sic accidens quod accidit, hoc est, evenit vel contingit, *aut ex subito natum est.* Exempla antea posita sunt. Ex Aristotele 5. *Metaphys. cap.* 30. Sic accidentis non est scientia, ἐπὶ συμβεβηκὸς δὲ μὴ ἔστιν ἐπιστήμη accidentis, hoc est, fortuiti. Vide Aristotelem 8. *Meta. h.* 2. ubi etiam accidens sic definit: *Hoc autem quod*, inquit, *neque semper neque ut plurimum est, hoc accidens dico.* In hac significatione accidens opponitur illi, quod necesse est. 1a.

Deinde: ad quando, accidens sumitur σχετικῶς & opponitur illi, quod subjectum est. Sicut enim quandoque substantia sumitur pro subjecto, veluti cùm Aristoteles 1. *posteriorum text.* 78. etiam quantitatem (prout in Matheſi consideratur) substantiam vocat, Interprete Zabarella *l.* 4. *de Method. cap.* 13. Ita vicissim quandoque accidens sumitur, pro adjuncto. Sic sumit Aristoteles hanc vocem, cùm ait: Τὸ συμβεβηκὸς ἐν συμβαίνει ὅταν ἅμα συμβαίνῃ τινί, hoc est, *accidentis esse accidentis esse accidens*, hoc est, aliud accidens, esse alterius adjunctum) *cum ambo eidem accidunt.*

Atque ex hac significatione sumitur *tertiò* significatio illa, qua omne attributum, sive sit ex categoriis accidentium sive non, vocatur accidens. Ad quem sensum & divina attributa *accidentia* dicuntur, ut elegantèr expressit *Cyrillus* lib. 12. Thesauri. *Sapienter*, inquit, *dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipso perfecta est: sed tamen cogimur nonnunquam quasi accidentia, etiamsi non omnino ea accidant Deo, dicere & mente accidentium modo concipere.* Pertinet huc quod Aristoteles 1. *post. t.* 57. Omne illud, quod de alio demonstratur, vocat affectionem vel accidens.

Quartò: Accidens opponitur proprio. Ita est in divisione prædicabilium. Ibi enim contradistinguuntur genus, species, differentia, *proprium* & *accidens*. Estque ibi accidens id quod abesse & adesse potest citra subjecti interitum apud Porphyr. *in Isagog. c.* 5. §. 1. Et Aristoteles 1. *Topic. c.* 4. §. 8. inquit: *Accidens est, quod nec est definitio, nec proprium, nec genus. Inest tamen rei. Vel, quod cuivis uni & eidem potest inesse & non inesse. ut sedere potest eidem inesse & non inesse, similitérque album. Nihil enim prohibet, quo minus idem modo sit album, modo non.* Atque hoc accidens hac significatione sumptum, dicitur *accidens prædicabile*, sicut accidens juxta sequentem significationem dicitur *accidens prædicamentale*. Cùm enim accidens in prædicamentale & prædicabile distinguitur, non est distributio rei, sed distinctio vocis, ad hunc sensum, quod accidentis vox aliter sumatur in doctrina prædicamentorum, aliter in doctrina prædicabilium. Discrimen autem evidens est. In prædicamentis accidens opponitur substantiæ: in prædicabilibus accidens opponitur proprio. *Accidens prædicamentale & prædicabile quid?*

Igitur nunc *Quinto* accidens opponitur substantiæ, hoc est constituit genus Entis, oppositum substantiæ, in divisione Entis, cùm scilicet dicimus, Ens esse substantiam vel accidens. Dicturque tùm accidens in communi illud, quod ad nullam substantiam habet essentialem habitudinem, ut eam intrinsecè constituat: sed quicquid substantiam extra essentialiter afficit id accidens nunc dicitur. Ad istum modum & Arist. *initio d. l.* 5. *Metaph. cap. ult.* circumloquebatur naturam accidentis. Accidens enim ibi dicebat, *quod inest, nec tamen est de substantia, sive essentia*, intelligè substantiæ.

Sextò: cùm frequens sit, ut generalia vocabula, quæ de rebus nobilitate differentibus prædicantur, sumantur quandoque, simpliciter posita, pro suis speciebus (propriè vel quasi sic dictis,) hinc fit, ut idem etiam sit in voce accidentis. Ens principaliora genera sunt, quæ substantiam informant per inhærentiam: qualia sunt quantitas & qualitas, *&c.* Sic igitur accidens aliquando sumitur, ad significanda illa principalia genera, veluti cùm dicitur; *Accidentis esse est inesse.* Hìc accidens non potest generaliter sumi, quia non omnia accidentia insunt, sed aliqua denominant substantiam, per modum essendi *ad*, vel *circa*

vel *ab*, ut specialiùs attingetur *in seqq.* Nisi fortasse ampliare velimus terminum *in essendi*, quod non incommodè fieri potest, ut iterum *in seqq.* parebit. Vnde de vocabulo accidentis quoad hanc significationem non admodum contendo. Propositum autem mihi nunc est agere de accidente, juxta quintam significationem, juxta quam adæquatè, junctim substantiæ, exhaurit rationem entis.

TITULUS II.
De definitione accidentis.

11. Post nomen statim res ipsa æque adeò rei definitio investiganda est. De ea igitur statim ago constitutis illis, quæ ad vocem accidentis scienda erant.

Igitur principiò spuria hic est illa definitio, quâ accidens definitur, *quod abesse vel adesse potest circa subjecti corruptionem.* Nam ea concepta est de accidente prædicabili, hoc est, quod proprio opponitur, non autem de accidente prædicamentali, hoc est, eo, quod substantiæ opponitur, ut & priùs visum est. Nunc autem loquimur de accidente hoc posteriore.

12. *Accidens quomodo dicatur Ens in alio.*

Communiter definitur accidens quod sit *Ens in alio.* Ita Commentator *l. 12. Met. Comment. 3.* Scalig. *exerc.* 10. Et nemo non ita loqui solet.

Hîc primò observandum est: non esse hunc illius definitionis sensum, quasi scilicet accidens sit, quod quâcunque ratione est in alio. Nam inprimis dantur varii modi essendi in alio, quorum multi sunt, secundùm quos etiam substantiæ possunt & dicuntur esse in alio. Sic apud Aristot. *lib. 5. Physic. cap. 3.* & Damasc. *in Dial. c. 38.* dicitur aliquid esse in alio, etiam ut pars in toto, quomodo digitus est in manu, folium in libro. *Deinde* & totum est in partibus, veluti cùm hominem in anima & corpore substistere dicimus. *Tertiò* & species est in genere, & substantia prima in secunda, ab Arist. *lib. Categ. c. 5. §. 2.* dicitur esse, ut suprà declaravimus. Veluti sic Socrates est in homine vel in humano genere. *Quartò* etiam genus est in specie, per identitatem essentiæ ad ipsum. Sic animal est in homine. *Quintò* etiam forma substantialis est in materia, ut anima in corpore. Iterum effectus est in causa, locatum in loco. Atque ita non soli accidenti, juxta omnem modum loquendi, convenit, ut sit in alio.

Varii modi essendi in alio, qui substantiis competunt.

Esse in alio quomodo appropriatur accidenti.

Proinde hic sciendum est: cùm accidentibus appropriatur *esse in alio*, quod tùm phrasis illa sumatur simosè, & juxta sensum quem habere potest in appositione ad substantiam, quatenus ea de cietur per se subsistere. Atque tùm esse in alio supponit pro informatione prorsus accidentali.

13. *Deinde* observandum est: quòd, si rigorosè loquamur, non omnibus accidentibus conveniat esse in alio. Neque enim omnia accidentia inhærent substantiæ. Sed aliquod est ab illa, ut *Actio* aliud dicit adjacentiam, ut *Habitus*, & sic in aliis. Unde, ut generaliter teneatur illa definitio, dicendum est, esse in alio: hic latè sumi, sic, ut significet omnem accidentalem informationem, in ordine ad substantiam, sive ea sit per modum inhærentiæ, sive per modum adjacentiæ, sive per modum essendi ab, & sic deinceps.

Et hæc amplitudo, in phrasi illa satis usitata est, apud Aristotelem, *1. Topic. c. 4. §. 8.* qui locus & anteà relatus est, *sedere* ibi dicit inelle sedenti.

Esse in alio bifariam sumitur.

Ut res hæc planior fit, non incommodè distingui potest, quòd esse in alio sive inhærere bifariam sumatur. Aliquando inhærere opponitur τῷ ἀνθυπαρξίᾳ, sive τῷ per se subsistere. Et hoc posteriori modo dicuntur inhærere substantiæ, quæcunque eam afficiunt, extra essentiam illius existentia, sive id sit per inhærentiam (rigorosè loquendo) sive per adhæsionem, sive per circumsistentiam.

14. *Propria definitio traditur.*

Quia tamen difficile est cavere obscuritatem phraseos illius *in alio esse*; ideò melius formari potest definitio accidentis sic: *Accidens est Ens, extra essentialiter afficiens substantiam.*

Primo

Primò hîc accidens dicitur *Ens*, quia ei convenit positiva Entitas. Deinde dicitur *afficere substantiam*. Cùm enim accidens sit posterius analogatum Entis, & proinde sit Ens per dependentiam ad substantiam: Hinc etiam necessariò definiendum est, per ordinem ad substantiam, ut Aristot. docet 7. *Meta. h. cap.* 1. & 4. *t.* 12. & *c.* 5 *t.* 19. Denique dicitur eam *extra essentialiter* (licet enim mihi vocem hanc ad augendam rem literariam, & evitandam ambiguitatem fingere) *afficere*: Quia quæ essentialiter & quidditativè afficiunt substantiam, hæc substantiæ sunt. Est igitur de ratione accidentis substantiam extra essentialiter afficere: Atque adeò, quicquid afficit substantiam, nunquam tamen potest de ulla substantia quidditativè dici, id accidens est. Sed de his etiam plenius erit sequenti titulo.

Cæterùm ex hactenus dictis apparet, non posse accidens ex genere suo ad substantiam idem esse, ut aliquos Thomistas fuisse refert Suarez *disp.* 16. *s.* 1. *n.* 12. Et imputatur Aureolo *ibid. n.* 2. Et apparet posse, saltem in quasitatibus, quarum pluritas à substantia separantur. Separatio autem est indicium diversitatis.

TITULUS III.
DE ESSENTIA ACCIDENTIS.

Quæ ad definitionem accidentis disputata sunt, ea utique declarant essentiam accidentis. Nunc tamen plenius ea de re inquirendum. 15.

ARTICULUS I.
Quod accidens conveniat essentiæ.

Quinam dicant accidens esse non Ens.

Dicitur 1. Dico: *Accidens habere essentiam, & proinde esse Ens.* Ita patet. Nam quantitas verè extendit substantiam: qualitas continet naturalem vel habitualem aptitudinem ad actum. Et sic in aliis. Atqui illa certissima sunt essendi indicia.

Scalig. *Exerc.* 75 *s.* 1. Controversum esse ait: An accidentia habeant essentiams Et *exerc.* 307 *s.* 24 ait: accidens esse non Ens. Diminutius tamen loquitur *exercit.* 10. Cùm ait: accidens esse *vix unum* non Enti. Sic enim vix unum demum est non Enti. Ergo non est simpliciter non Ens. Scoto *in Antepradic. c.* 4. *q.* 1. censet, absolutè accidens esse non Ens, dicendumq; potius esse *Entia*, quàm *Ens*: Et probat, quia Ens est analogum ad substantiam & accidens. Analogum autem per se positum stat, pro suo significato famosiori.

16

Nihilominus inprimis, quod absolutè loquendo accidens Ens sit, clarum est, partim ex indiciis essentiæ, quæ paulò antè tacta sunt, partim ex iis quæ *c.* 1. *hujus libri* 2. disputata sunt, de unitate conceptus, quem habet Ens ad substantiam & accidens.

17.

Quomodo id sit.

Pro inde, cùm accidens dicitur *non Ens*, sciendum est: Non Ens bifariam dici. Aliquando dicitur pro eo, quod simpliciter nihil est. Et ad hunc modum accidens non potest dici non Ens. Aliter sumitur non-Ens comparatè, significatq; tum esse diminutum, indeterminatum, imperfectum, in comparatione ad Entia perfectiora. Sic igitur accidens est non Ens, quia est diminutius & imperfectius Ens quàm substantia. Atq; tum non Ens non opponitur Enti simpliciter, sed Enti *κατ' ἀναλογίαν* dicto. Vide Scalig *exerc.* 307. *s.* 24 & Peter *l.* 4 *de antiq. Phil. c.* 15. Et simili modo, omnia Entia creata dicuntur non-Entia, per defectum Entitatis, tam excellentis, ac est in Deo. Sic August. *lib.* 7. *Confess. c.* 11. Id, inquit, *verè est, quod incommutabiliter manet.* Et lib 8. de Civ. Dei, c. 11. *Quæ creata sunt*, inquit, *etsi videntur esse, non sunt tamen.* Et postea: *Deus solus qui est unus est, verè essentiæ nomen habet.* Et tamen res creatæ non sunt absolutè & simpliciter nihil. Sic etiam frequenter materia solet vocari non-Ens. Id similiter non potest in sensu absoluto intelligi, sed verum est solùm in sensu comparato. Nam aliàs fieri ex materia, esset ex nihilo fieri, & Physicè corrumpi, hoc est, resolvi in partes materiales, quæ

Entia creata quomodo dicantur non Entia.

Quomodo materia.

priùs integrabant aliquam speciem, esset annihilari, & quod sustentaret formam esset nihilum, quæ omnia implicant. Et hinc August. l. 12. *Confess. cap.* 7. ait materiam (non esse nihil, sed) esse *propè* nihil, & *penè* nullam rem. Et Aristot. 1. *Phys. t.* 66. 69. ait materiam non esse Ens *sicut hoc aliquid*. Ubi clarè indicatur sensus comparatus. Et aliàs omnino Aristoteles materiam substantiam, & à fortiori Ens vocat *lib.* 8. *Met. tex.* 3. *& l.* 12. *Met. tex.* 14. *&* 2. *de anim. tex.* 2. 1. *Phys. t.* 79. Idémque docent Philosophi alii in communi. Sicut igitur res creatæ, & materia vocantur non Entia, non quia nihil sint, sed quia non sunt tam nobilis Entis ac sunt Entia alia, ut visum est; Ita etiam accidens dicitur non Ens, non quia nihil sit, sed quia non habeat tam excellentem gradum essendi, ac habet substantia.

Explicatur regula; Analogum per se positum stat pro suo significato famosiori.

Ad argumentum Scoti autem respondeo; Illam propositionem. *Analogum per se positum*, hoc est, sine aliquo addito, *stat pro significato famosiori*, valere solùm de analogo proportionis, hoc est, quod de uno prædicatur propriè, de alio impropriè per similitudinem vel Metaphoram, id positum sine addito significat suum principale analogatum. veluti cùm de risu loquor, intelligo enim de risu hominis non de prati. Tale autem analogum Ens non est, ut superiùs visum est.

ARTICULUS II.

Quod Accidens dicat unam essentiam.

18. *Assertio aliorum.*

COnstituto, quòd accidens habeat aliquam essentiam, nunc deinceps.

II. Dico, *Accidens significare unam essentiam, in qua conveniant omnia accidentis genera.* Hæc assertio est partim contra eos, qui cùm accidens analogum dicant ad sua novem genera, consequenter aiunt, accidens non significare unum conceptum; Supponentes, quòd analogia pugnet cum unitate conceptus; Partim etiam contra eos est, qui cùm admittant, quòd analogum significet enim quid, nihilominus aiunt, accidens non significare quid unum, sed esse æquivocum. Ita Suarez. *Disput.* 37. *Metaphys. sect.* 1. *num.* 5. distinguit inter accidens prædicamentale & Physicum, hoc est, ut ipse interpretatur, quod dicit veram Entitatem aut modum accidentalem. Et subjungit, Accidens prædicamentale, seu, quod in novem prædicamenta dividitur, non posse habere unum conceptum objectivum, quia multa complectitur, quæ vera ac propria accidentia non sunt. Accidens autem Physicum ait habere unum conceptum objectivum.

19 *Impugnatur.*

Sed neuter modus, negandi propositam assertionem, procedit, quod antequam eam directè probem, priùs declaro. Nam *inprimis* analogiæ genus triplex est, aliud est in analogia, hoc est, similitudine & proportione, quomodo ea per analogiam prædicatur de ore animalis & de radice plantæ. Hoc analogum non potest fundare unum conceptum, & revera coincidit cum æquivoco. *Deinde* aliud genus analogiæ est in attributione extrinseca, cùm scilicet aliqua participant unum nomen, non nisi per habitudinem ad aliud, in quo tale attributum reperitur. Quomodo sanum dicimus aërem, & cibum, & potum, & medicinam & urinam, per extrinsecam denominationem et ordinem ad animal, cui soli inhæreret et formaliter convenit sanitas. Hoc igitur analogum, in quantum tale est, similiter non potest fundare unum conceptum, et est etiam æquivocum. *Denique* est analogum, quod tale dicitur per intrinsecam attributionem, hoc est, cùm unum participat entitatem per dependentiam ad aliud. Atque hæc analogia non tollit unitatem conceptus, ut suprà apparuit de Ente. Id enim unum conceptum habet, in ordine ad substantiam et accidens, et tamen de iis dicitur analogicè, quorum utrumque suprà demonstratum est, partim *l.* 1. *c.* 2. partim *l.* 2. *c.* 1.

20 Suarezii autem sententia similiter stare non potest. Nam 1. si Physica accidentia sunt illa, quæ veram entitatem non habent, adeóq; sub prædicamentalibus accidentibus sunt aliqua, quæ eam non habent, cum ne quidem in Metaph. ea docceri

ceri debent, quia non continentur sub objecto illius. Deinde ipse Suaretz declarat, dictâ *disp.* 37 *s.* 2. Communem rationem accidentis, in qua omnia accidentia conveniunt, nempe ponit eam in hoc, quòd accidentia afficiunt substantiam, extra rationem ejus existentiæ. Id certè omnibus accidentium generibus ex hoc convenit, quia accidentia sunt. Ergo accidentis hactenus est unus conceptus ad omnia ista.

Atque hoc argumentum etiam directè probat assertionem propositam. Quam porro 2. probo ab experientia, quam quisque habet in mente sua. Quilibet enim experitur, sive dicamus: Quantitas est accidens, sive Qualitas est accidens; sive situs est accidens; sive habitus est accidens, quod tum in mente nostra formetur unus conceptus, quem sub voce accidentis apprehendimus, in singulis istis propositionibus. Deinde: si accidens non habet unum communem conceptum: quæro quot igitur implicet conceptus. An novem? Quot scilicet sunt genera accidentis. An hos duos? Absolutum & respectivum. An hos duos? Simplex & aliud connotans? An hos conceptus? Inhærere, adhærere, circumsistere, esse ab alio, esse ad aliud? At neutrum horum dici potest. Quis enim unquam concipiens significatum hujus propositionis: *Relatio est accidens*: apprehendit illud sic: *Relatio est aliquid ordinans vel ad aliud vel ab alio*. Et quæ erant alia. Potiùs dicentes relationem esse accidens, apprehendimus simpliciter voce accidentis, quod & aliàs sub ea voce apprehendimus, nempe relationem esse Ens substantiam extra essentialiter afficiens. Maximè autem nugatoriæ essent tales propositiones, si accidens statim supponeret pro suis novem generibus: Tum enim dicendo relationem esse accidens, nihil aliud diceremus, quàm relationem esse quantitatem vel relationem, &c. aut Relationem esse relationem. 21

Objicitur contra hanc assertionem: Si accidens diceret unum conceptum, in 22
déque quantitas & qualitas, &c. in eo convenirent: tum accidens esset genus accidentis. Ergo ista non essent summa genera, sed potiùs accidens esset summum genus. Ergo sic etiam non essent decem prædicamenta sed duo solùm, hoc est, substantia & accidens. Ubi porro continerentur sub accidente, quantitas, qualitas, &c. sicut corpus & spiritus sub substantia.

Respondeo: Negando connexionem primæ propositionis: Non enim sequitur, si accidens unum conceptum significet, quòd is conceptus debeat illicò esse genericus, ut aliquoties concluſi. Exemplum clarum est in Ente, quod unum conceptum significat ad substantiam & accidens, finitum & infinitum. Et tamen horum genus non est. Sic etiam quantitas de bicubita & tricubita; Et animal de mare & femina prædicatur, & tamen nihil istorum ad ista genus est. Et ratio est, quia ista, de quibus ista communia prædicata enunciantur, non differunt specie (quod ad rationem generis requiritur) sed sunt vel primò diversa; vel differentia accidentaliter. Atque hoc est jam de accidente, cùm ad sua inferiora refertur. Prædicatur enim de iis, ut primò diversis. Et proinde sic accidens non est genus eorum, sed ista sunt summa genera. Atque sic etiam remanent decem prædicamenta hactenus, ut accidens non possit stare pro suis inferioribus, ut unum prædicamentum faciat. 23

Dices: Non possunt esse primò diversa, quæ in aliquo conveniunt. Nam primò diversa Aristoteles dicit ea, quæ in nullo conveniunt. Vide 5. *Met. t.* 12. & *l.* 10. *t.* 14 & alibi. Ergo aut novem accidentium genera non erunt primò diversa; aut non convenient in communi ratione accidentis. Sic enim utique in aliquo convenient. 24 *Obiectio de primò diversis.*

Respondeo: Per instantiam, Deus & res creatæ sunt primò diversa. Et tamen conveniunt in communi ratione Entis, ut alibi ostendi. Sic & substantia et accidens conveniunt eodem modo in communi nomine Entis, et tamen ista non sunt differentia sed primò diversa. Rationale et irrationale, et omnes aliæ differentiæ, dicuntur primò diversæ. Et tamen illæ conveniunt in communi ratione differentiæ. 25

rentiæ. Proinde ut aliqua dicantur primò diversa, non necessariò requiritur, ut in nullo prorsus, quocunque id modo sit, conveniant.

Deus & creatura quomodo sint primò diversa.

Possumus autem *secundo* ejus rei solutionem sumere ex iis, quæ disputat Scotus 1. *d.*8. *q.* 2. Vbi & Lychetus *fol.*110. & idem *ad* 1 *d.q.*2.1.1. Ibi dicit: *Deum & creaturas non esse primo diversa in conceptu. Conveniunt enim in aliquo abstracto conceptu. Sed solum sunt primò diversa in realitate, quia in nulla re conveniunt.* Sic igitur & genera accidentium sunt primò diversa, non à parte alicujus abstracti conceptus (sic enim conveniunt in communi ratione accidentis, ut nunc ex probatis suppono) sed à parte rei, quia in nulla realitate conveniunt.

Aliter vim instantiæ illius declinat Soncinas. Dicit igitur primò diversa non debere convenire in aliquo, quod scilicet habeat rationem generis univoci. Id autem non est in accidente. Nam id nec genus est, nec univocum est, ad sua inferiora. Vide ipsum 4. *Met. q.* 1. *ad primum. & lib.* 12 *q* 47. *ad primum.*

ARTICULUS III.

In quo disputatur qualis sit essentia accidentis in ordine ad sua inferiora, an sit univoca vel analoga.

26 POstquam *præcedent. articul.* constitutum est: Accidens significare unum conceptum in ordine ad sua inferiora, exinde clarè relinquitur, quòd accidens non sit æquivocum ad sua inferiora. Æquivocum enim dicit solùm ad res essentiâ & definitione diversas communitatem nominis. Communitas autem nominis non satis est ad unitatem conceptus: Præsertim, cùm ostensum sit in eadem essentia, sub voce accidentis, convenire omnia accidentia, in quantum ea subjectum extra-essentialiter afficere intelliguntur.

27 Porro igitur hinc sequitur: quòd nunc quæstio solùm sit de analogia illa, quæ consistit in intrinseca attributione, ut paulò antè declarabam. Nam omnis alia analogia continetur sub æquivocatione, & proinde pugnat cum unitate conceptus, ut itidem in prioribus tactum est, *num.* 19.

28 Dico igitur: *Accidens, simul sumendo omnia quæ sub illo continentur, non esse univocum ad ea, sed analogum.* Dico: *simul sumendo omnia.* Nam si particulatim sermo sit de hoc vel isto accidente, facilè admittitur, quod accidens de talibus univocè dici possit. Sic accidens univocè prædicatur de calore & frigore, de scientia & temperantia. De mollitie & justitia. Neque ista particularis univocatio tollit analogiam. Nam Ens etiam est analogum ad sua inferiora, & tamen particulatim dantur aliqua sub Ente, de quibus ipsum non analogicè sed univocè prædicatur. Univocè, inquam, dicitur de homine & bestia; de igne & aqua; de auro & argento; & sic in aliis. Atque ita ex hoc clarum est, quod ad analogiam satis sit, si aliqua contineantur sub eo, quod analogum dicitur, in quibus servet talem analogiam.

Accidens de aliquibus prædicatur univocè.

29. Hoc igitur nunc probo de accidente. Inprimis certum est, quòd accidens sub se comprehendat talia etiam accidentia, quæ sunt aliorum modi. Ita clarum est de figura & quantitate. Ex his figura est modus quantitatis. Prædicatur autem de iis communiter accidens. Porro modus non est efficiendo rem modificatam, ut & communiter existimetur, ne quidem per divinam potentiam fieri, ut à tali modo tollatur dependentia ad rem modificatam, utque ita modus seorsim subsistat, extra rem modificatam. Ergo modus omnino est dependenter à re modificata. Ergo & præsupponit rem, quam modificat. At hæc sufficiunt ad talem analogiam. Id enim vocamus analogum, quod cùm unum conceptum habeat, tribuit tamen cum inferioribus cum dependentia unius ab alio. In hoc enim etiam consistebat analogia Entis ad subsistentiam ad accidens, similiterque ad Deum et creaturas. E. etiam accidens, est analogum ad illud quod res est, & id quod ejus rei modus est, veluti ad quantitatem et figuram. Atque hanc sententiam etiam

Prædicatur de aliquibus analogicè.

tuetur

tuetur Cajetanus *de Ente & essent. c. 7. q. 15. ad 4.* Et insinuat Soncinas *4. Metaph. q. 1.* Suarez *Disp. 29. Metaph. s. 3. n. 12.*

In oppositum autem existimant aliqui, accidens esse univocum. Ita Soto *cap. 4. Antepradicamentorum q. 2. ad 1.* Et tribuitur Javello, *ad 7. Metaph. q. 1.* Et tuetur Timpletus *lib. 5. Metaph. cap. 1. q. 13.* Fundamentum illorum hoc est, quia accidens dicat communem rationem, ita quidem, ut ea æquè primò à singulis suis generibus participetur, sine ulla unius ab alio dependentia. Et confirmatur, quòd accidentia dicuntur entis entia, quo significatur quidem eorum dependentia, sed non, quam habeant ad invicem, sed quam habeant ad substantiam. Unde solùm ex eo sequitur: Substantiam & accidens convenire in analogo. Non autem quod accidentis genera conveniant in præcisa ratione accidentis, tanquam analogâ ad ipsa. Ita ipsi.

30. *Sententia eorum qui accidens univocum dicunt.*

Sed falsum est quod assumitur: quòd communis ratio accidentis æquè primò participetur singulis generibus accidentium. Nam, ut patuit, modi accidentales non sunt accidentia: nisi præsuppositâ entitate rerum modificandarum. Ergo illi per posterius habent esse. Porrò ex eo, quod accidentia dicuntur entia entis, non infertur accidens esse analogum ad sua inferiora. Nam ut rectè illarum est: Accidentia dicuntur *entia entis*, entis, inquam, hoc est, substantiæ. Unde solùm is modus loquendi indicat, accidentia esse posteriora substantiâ. Et per hoc ens de substantia & accidente ἀναλόγως dici.

ARTICULUS IV.

In quo constituitur, quæ sit essentia accidentis.

HActenus confusè & indistinctè actum est, de essentia accidentis. Et *principiò* quidem conclusum est, accidens omnino habere aliquam entitatem. *Deinde* quæcunque tandem illa sit, debere eam esse unam, & ad inferiora sua analogam. *Nunc* igitur distinctè videndum est: quænam sit essentia generalis accidentis, ubi *prius* removebo aliorum opinionem: *Deindè* juxta propriam sententiam dicam, quæ sit accidentis essentia. Esto igitur

31.

Prima propositio. *Generalis essentia accidentis prædicamentalis non consistit in inhærentia, vel actuali vel aptitudinali, vel prout ab utraque præscindit.* Dico *accidentis prædicamentalis.* Loquor enim hic non de accidente κατ' ἐξοχὴν sic dicto, cujus essentia poni posset in inhærentia: sed de accidente, prout generatim respicit sua novem genera. Et in ista latitudine sumendo accidens, dico ejus essentiam non posse consistere in inhærentia.

32. *Essentia accidentis non est inhærentia.*

Porro distinctio inhærentiæ, (quæ in proposita propositione insinuatur) in inhærentiam actualem & aptitudinalem, est intellectu facilis ex terminis. Inhærentia igitur actualis est, quâ accidens actu inhæret in substantia. Inhærentia autem aptitudinalis est, quâ accidens potest, vel qua aptum est inhærere in substantia. Et in ista istarum dico positam essentiam accidentis. Id nunc probo, præmissa terminorum declaratione.

Inhærentia actualis & aptitudinalis quæ?

Igitur primo: *Essentia accidentis non potest poni esse in inhærentia actuali.* Nam actualitas connotat existentiam, ut constat ex dictis superiori libro, de ente actu & existentia. Essentia autem, ut sic, præscindit ab existentia. Unde definitiones, quæ essentias declarant, veræ sunt, sive res, quæ definiuntur, sint sub statu actuali sive possibili. Nam & antequam homo in mundo esset, nihilominus vera erat hominis definitio: *Homo est animal rationale.* Inhærentia igitur actualis non potest esse essentia accidentis.

33. *De inhærentia actuali.*

Deinde: *Nec inhærentia aptitudinalis potest esse essentia generalis accidentis.* Primo quidem (quod & contra inhærentiam actualem procedit) quia sunt aliqua accidentia, quibus prorsus non convenit inhærentia, ut postea patebit. At essentia generis (idem autem est in iis, quæ sunt quasi genera) debet esse diffusa ad quaslibet

34. *De aptitudinali.*

quaslibet suas species. *Deinde:* specialiter idem patet inde: quod aliqua accidentia statim poscunt inhærentiam actualem, illa nempe, quæ sunt modi accidentales: quale quid erat figura respectu quantitatis. Non ergo isti modi ad rationem accidentis satis habent, habere inhærentiam potentialem sive aptitudinalem, & utrumque quidem à fortiori docebitur ex seqq. ubi ostendendum est, inhærentiam simpliciter non posse esse essentiam accidentis, si maximè præcisè & indifferenter intelligatur.

35. *De inhærentia præcisè.* Igitur: quod essentia accidentis nec possit consistere in inhærentia, abstractè & præcisè, sive indifferenter de ea loquendo, nec determinando: an inhærentia actualis an aptitudinalis intelligatur, id inde apparet quod sunt aliqua accidentia, quibus prorsus non convenit inhærere, si propriè utamur voce inhærendi. Nam de abusiva ejus vocis significatione jam dum in præcedentibus dictum est, *num.* 13.

36. Patet autem veritas assumptionis, ex iis primùm accidentibus, quæ connotant aliquid extrinsecum. Quale inprimis est prædicamentum habitus, qui connotat adjacens corpus. Dicit igitur habitus adjacentiam non inhærentiam, ut species non debet habere conditionem vel differentiam repugnantem generi. Idémque est de iis quæ sunt quasi talia.

37. *Deinde:* idem apparet de actione. Illa est subaccidente. Et tamen, in quantum talis est, non est in subjecto. Quamprimum enim in subjecto recipitur, jam mutat nomen ut, quod ab agente egrediebatur & dicebatur actio: statim fit & dicatur passio, per receptionem in subjecto. Unde ad rationem actionis, præcisè loquendo, satis est, esse à substantia. Non autem necessariò requiritur, ut sit *in* substantia. Illustrant hoc aliqui per exempla creationis, sive actionis creativæ. Illa suo modo potest dici actio prædicamentalis, ut in superioribus disputavi. Illa tamen non potest habere subjectum ullum. Nam actio creativa non est in Deo, Deus enim solùm inde denominatur creans, unde ad Deum significatur non habitudo adjuncti ad subjectum, sed effecti ad causam. Res autem creata etiam non potest esse subjectum illius actionis. Res enim creata est posterior creatione, quippe quæ per creationem demum producitur. Ergo actio creativa nullum habet subjectum inhærentiæ. E. actio simpliciter, quâ talis est, non postulat illam inhærentiam. E. nec accidens, quâ tale est, postulat illam inhærentiam. Nam à quatenus ad de omni valet consequentia. Ergo si accidens quâ accidens, postulat inhærentiam, omne accidens eam postularet, & proinde etiam actio. Et si actio, quâ talis est, eam postularet, postularet eandem etiam omnis actio. At hæc falsa esse ostensum est.

38. Atque ita ex dictis relinquitur: Essentiam accidentis generalem non posse poni in inhærentia, quomodocunque ea intelligitur.

Quæ sit propria essentia Accidentis.

39. *Explicatur sensus propositionis.* II. PROPOSITIO: *Tota essentia accidentis, generatim loquendo, consistit in hoc, quod est ens extrinsecè, hoc est, extra essentialiter afficiens substantiam.* Ita patet. Nam inprimis accidentia sunt Entia, per dependentiam ad substantiam: E. illa dependentia in exprimenda eorum essentia connotari debet. Rursus quia dependent à substantia, sustentante ac fulciente accidentia, ideò ea sunt posteriora substantiâ. Non possunt igitur substantiam afficere, nisi à posteriori, hoc est, extrinsecè. Non quatenus illud *extrinsecè* sumitur per ordinem ad subjectum, quasi accidentia debeant esse extra subjectum, & non ei inhærere. (Dantur enim utique aliqua accidentia, quæ substantiis inhærent, atque adeò hactenus substantiis intrinseca sunt) sed sumendo eam vocem per ordinem ad essentiam, hoc sensu, quod accidentia debeant substantiam afficere, ejus tamen essentiam vel essentialem constitutionem non debeant ingredi. Atque hoc indicavi alio, non ita æquivoco vocabulo *extra essentialiter*. Quanquam idem etiam colligi & inferri

inferri potest ex voce *afficere*. Nam *afficere* & *affectio*, & quæ his conjugata sunt, notant ea, quæ essentiam consequuntur. Igitur tandem in exprimenda ista essentia accidentis dico: quod *affici* substantiam. Neque enim occurrit vox commodior, quæque extendi possit ad omnes particulares modos, quibus varia accidentium genera ad substantiam dependent. Ea autem facilè comprehenduntur sub voce afficiendi. Igitur hactenus accidentia sunt quæ afficiunt substantiam, sive eam afficiant inhærendo in ipsa sive ei adjacendo: sive ab ea fluendo, vel quicunque esse possunt alii particulares modi, habitudinis istius extra essentialis ad substantiam. Atque adeò nunc summatim id accidens dico: quod, cum Ens sit, afficit substantiam, nec tamen ullius substantiæ essentiam sive essentialem constitutionem ingreditur.

Id unum solet hic *objici*. Sic etiam privationes fieri accidentia, quia & ipsæ afficiunt substantias, veluti cæcitas oculum, tenebræ aërem, & sic in aliis. 40.

Respondeo ad antecedens: esse in eo Elenchum compositionis & divisionis. Accidentis enim essentia tota hæc est: *Esse Ens afficiens substantiam*, &c. Privationes autem non sunt Entia, sed sunt defectus Entium. Deinde privationes cùm iis Entitas tribuitur, habent Entitatem rationis. Entia autem rationis, per modum similarum, imitantur Entia realia. Unde quod Entibus realibus (de accidentibus loquor) per se convenit, ut afficiant substantias, id Entibus rationis, quæ per modum accidentium apprehenduntur, convenit umbratiliter & secundatiò. Id autem propositæ definitioni nihil obest. Nam & Entia rationis, quæ concipiuntur ad modum substantiarum, concipiuntur ut per se subsistentia; & nihilominus per se subsistere manet proprium substantiarum. 41.

ARTICULUS. V.

An essentia Accidentium requirat etiam materiam.

SUarez *Disp.* 14. *Metaphys sect.* 1. ponit hanc ad rem tres conclusiones. 1. *Certum est in genere dari causam materialem accidentium.* 2. *Entitas accidentalis in abstracto sumpta non habet causam ex qua intrinsecè componatur, sed hoc modo datur causa materialis accidentis in concreto seu compositi accidentis.* 3. *Accidens, quoad suam Entitatem accidentalem præcisè & abstractè sumptam habet materialem causam, non ex qua componatur, sed à qua sustentetur in suo esse. Unde illa non est tantùm materialis causa accidentis quoad unionem, sed etiam quoad Entitatem ejus, quam in suo genere causat mediante unione. Neque etiam est causa solùm in facto esse, sed etiam in fieri.* Hæc ille. 42. Suarez sententia.

Dicit igitur in his Suarez: omnibus accidentibus convenire materialem causam, istam tamen causalitatem explicat, solum, per hoc quod ipsa egeant aliquo sustentante, idque propter imperfectam & diminutam Entitatem ipsorum. Ea tamen in re satis contradictorie disputat, ut apparebit. 43.

Igitur observandum est *primo*, Materiam esse in qua, vel ex qua, vel circa quam. Ex his materia *in qua* & *circa quam* sunt subjecta. Sola autem materia *ex qua* est causa materialis. Cùmque materiæ vox in tanta, quam indicavi, ambiguitate sumatur, ad eam ambiguitatem evitandam dicimus, causam materialem: ut sensus sit, quòd materiam nunc sumere velimus, pro ea, quæ causa est. Simile est in nomine *causæ formalis* & *causæ finalis*. Cum enim forma & finis dicantur, etiam de non causis, ista periphrasi utimur, ut definitè intelligantur loqui de forma & fine, ut causas significant. 44. *Præcognita.*

Cæterum, quòd materia *in qua* non sit materialis causa evidens est primum ex nomine illius materiæ. Materia enim illa vocatur materia *in qua*, quia nihil aliud recipiat. In aliquo enim quid recipi, notat extrinsecam & non essentialem habitudinem. At materiæ habitudo ad suum materiatum (aliò enim referri non potest) intrinseca est & essentialis. Deinde con- *Materiam in qua non esse causam.*

firmatur idem ex forma substantiali & motu. Illa etiam recipiuntur in materia. Neque tamen materia istorum respectu est causa materialis, sed est subjectum formæ & motus. Unde & ab Aristot. 1. *Metaph.* t. 24 materia hactenus vocatur *fundamentum* formatum. Et à Platone, in respectu ad formas, materia vocatur χώρα, ὑποδοχὴ & πανδεχὲς. Confer Scalig. *Exercit.* 17. & *lib.* 1. *de plant. pag* 38. Ista autem omnia non notant habitudinem causalem, & in specie, causæ materialis: sed solùm significant habitudinem subjecti.

45. *Deinde:* observandum est de accidente posse nos bifariam loqui, vel enim loquimur de eo in abstracto, quale quid est *albedo:* vel in concreto, quale quid est *album.* His positis nunc dico:

46. *Accidentia in concreto habent causam materialem.*

I. *Accidentia in concreto sumpta habent causam materialem, sive materiam ex qua.* Ita apparet, quia accidens, in concreto sumptum, est aliquid compositum, & quidem ex aliquo tanquam actu, & ex aliquo tanquam potentia, isque realiter distinctis. Ergo sine incommodo dici potest hîc compositio ex materia & forma, exempli gratia, Album est concretum accidentale. Forma, unde quid album dicitur, est *albedo.* Ergo albedo implicatur in albo, tanquam forma illius. Jam porrò (ex generali natura concretorum) album connotat etiam subjectum illius albedinis. Album enim, adæquatè loquendo, est res habens albedinem. Id autem quod est subjectum formæ, est materia, respectu compositi, quòd istâ forma informatur. Sicut apparet in composito substantiali. Ibi enim quod sustentat formam, materia est (non quidem sustentatæ formæ sed) compositi substantialis. Ergo idem etiam est in composito accidentali. Ergo compositi accidentalis, seu quod idem est, accidentis in concreto sumpti, materia est subjectum formæ accidentalis.

47. II. *Non omnia accidentia habent materiam in qua: Et quæ eam habent, ibi tamen materia in qua non est pro causa materiali.* Prior pars hujus conclusionis apparet, quia materia in qua est nihil aliud quàm subjectum. Non postulant autem omnia accidentia subjecta, ut saltem de actione patet, quæ in quantum actio est, non est nisi ab agente, & nullum habet modum inèssendi.

Unde non video quomodo sibi Suaretz constet, qui *Disput.* 14. *Metaphy. sect.* 1. n. 7. ait: Accidentibus præcisè & abstractè loquendo convenire materiam in qua. Et tamen *Disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 8. negat actionibus inhærentiam.

48. Porrò altera etiam pars illius conclusionis facilè patet ex iis, quæ antèà dicta sunt, inde scilicet: quòd materia in qua non est causa, & proinde nec materialis causa, sed solùm est subjectum. Unde clara est repugnantia: Substantiam solùm sustentare accidentia, & sic esse materiam in qua. Et tamen eam esse materialem causam. Prout de iis prius satis dixi, *num.* 44.

49. III. *Accidens, qua tale est, non postulat materiam ex qua, sive causam materialem. In particulari tamen dantur accidentia, quæ eam habent.* Prior pars hujus conclusionis patet. Nam qualitates, v. g. sunt formæ simplices. Unde, sicut formæ substantiales non postulant compositionem ex materia & forma. Ita nec istæ qualitates postulant materiam & formam. Altera autem pars patet de quantitate inprimis. Ibi enim in triangulo, v. g. dantur tres lineæ. In parallelogrammo dantur tres lineæ parallelæ. Ex istis istæ quantitates componuntur. Et proinde ib. vera ratio causæ materialis intervenit. Materia enim vocatur illa causa, ex qua aliud fit vel constituitur.

TITVLVS IV.

De attributis accidentium.

50. INter attributa accidentium potissimùm de tribus agendum est. *Primò*, de posterioritate eorum in ordine ad substantiam. *Deinde* de modo productionis quo accidentia producuntur. Et *denique* de vi eorum causativa.

ARTI-

ARTICULUS I.
An & quomodo accidens sit posterius substantiâ.

51 ARistot. *lib. 7. Metaph. cap. 1.* ait: *Substantiam esse priorem accidente & ratione & cognitione, & tempore & naturâ.* Proinde juxta istos diversos modos prioritatis ista res consideranda est.

52 Igitur 1. *Substantia prior est accidente, ratione, hoc est, definitione.* Ita patet, quia cùm accidentia sint Entia dependenter à materia, ideo etiam definiuntur mentione subjecti, sive ὑστέρως per Aristot. *2. post. c. 10. t. 45. & multis aliis locis.* Substantiæ autem, quia in modo essendi sibi proprio, non habent dependentiam ad accidentia: Ideo nec per accidentia definiuntur: Et proinde vi istius ὑστέρως quam accidentia ad suam definitionem exquirunt, utique definitione posteriora sub substantiis.

De prioritate rationis.

53 Deinde quoad *prioritatem cognitionis:* observandum est, dici aliquid alio notius bifariam, secundùm se & quoad nos, ut Aristoteles distinguit *6. Topic. c. 3. & 1. post. t. 5* Et latè exponit Perer. *lib. 3. de via & ord. doctr. Phys. c. 6.* Ex his notitia illa quæ est secundùm nos, est per accidens ad res. Nulla enim diversitas æstimari potest in re, ex varietate vel diversitate nostræ intellectionis, quæ quandoque ad arbitrium potest variari.

De prioritate cognitionis.

54 Atque ita verum quidem est, quòd in ordine cognitionis nostræ, vel notitiæ secundùm nos accidentia soleant priùs cognita esse quàm substantia, imò sæpe illa cognitâ sive ignotâ substantiâ (cognovimus enim ex motu naturam, & ex operationibus vitalibus animam; & ex intuitu ordinis & gubernationis in mundo, hoc est, ex visibilibus Gentiles cognoverunt Deum invisibilem: Et circa naturam elementorum, ignotâ propriâ illorum formâ, balbutimus circa qualitates eorum, & sic in aliis.) nihilominus illa prioritas in notitia secundùm nos, propter dicta, hic locum non habet. Proinde substantia accidentibus est prior in notitia, eâ intelligo, quæ est secundùm naturam. De qua patet. Nam sicut se res habet in essendo ita in cognoscendo At substantia in essendo prior est. Ergo & in cognoscendo. Utrumque confirmatur ex analogia Entis ad substantiam & accidens. Nam sub isto analogo substantia est prius analogatum. In analogis autem posterioris analogati declaratio dependet ex declaratione & cognitione prioris analogati, indéque Aristotelem aiunt plurima scripsisse de substantiis, de accidente autem non item. Ita Perer. *lib. 2. de Philos. natur. c. 2. ad fin.*

55 Tertiò: *prioritatem naturæ*, quod attinet, patet de ea satis, quòd secundùm ordinem naturæ loquendo, substantia prior sit accidente. Idque ex prius dictis de prioritate in cognitione relinquitur. Prioritas enim cognitionis, quæ est secundum naturam, fundatur in prioritate naturæ. Unde una aliam infert.

De prioritate naturæ.

56 Quartò: quoad *prioritatem temporis*, quomodo substantia prior sit accidente admodum anxiè disquirunt Philosophi: Inprimis juxta mentem Philosophi. Nam suppositâ mundi æternitate, quam Aristoteles tuetur, æqualis durationis sunt substantiæ et accidentia. Nullum enim tempus fuit, in quo substantiæ aliquæ fuerint, quin etiam fuerint accidentia. Quòd si sermo sit eo fine, de unaquaque substantia ad sua accidentia; tum similiter falsum est, substantiam sic esse priorem accidentibus. Nam inter accidentia continentur etiam proprietates sive adjuncta propria. Illa autem sunt ordine temporis simul, cum suis subjectis & solùm sunt posteriora illis, ordine naturæ, ut facilè admittunt omnes.

De prioritate temporis.

57 Hæc igitur in re dico. 1. *dimissâ mente Aristotelis, loquendo juxta veritatem. Substantiam prio em esse tempore accidente.* Utrobque: si universum genus intelligamus, hoc est, in genere substantiarum datur substantia, quæ antecellerit sive tempore prior sit omni accidente. Ita patet de Deo, (qui substantia est) antegredience omnia accidentia.

Mens autoris.

II. *Comparando unamquamque substantiam ad sua accidentia, sic istis prior est tempore in sensu diviso.* Sic, substantia est prior accidente tempore, vel saltem naturâ, definitione et cognitione. Ita exponit Pererius *l. 5. Phys. c 10. ad secundum.*

III. *Comparando substantiam hanc ad alterius accidentia, sic per accidens est, & extra præsentem considerationem, an substantia sit prior accidente.* Utique enim accidentia cœli, sunt priora substantiis illis, quæ hodie nascuntur. Et accidentia hominis, qui nunc quinquagenarius est, priora sunt substantiis ejus, qui nunc adolescens est.

Plurimas alias expositiones Aristot. refert et ex parte refutat Suraretz, *Disp. 30. s. 1.* Eas ibi vide. Et adde Interpp, *ad 7. Metaph. c. 1.*

ARTICULUS II.

De modo productionis quo accidentia producuntur.

58. GItur *Respondeo*: ad hanc rem esse inprimis duplicem modum quo accidentia producuntur.

PUNCTUM I.

Explicatur productio accidentium per resultantiam à substantia.

59. PRimus modus, quo accidentia producuntur est per resultantiam è natura subjecti. Sequunturq; adeò isto modo accidentia substantiam, non secus ac umbra corpus. Unde et παρεπόμενα ἢ φύσεως et ἀκολουθία dicuntur ista accidentia.

Resultantia accidentium probatur.

Istius autem resultantiæ evidentissimum signum est, in aquæ calefactæ reductione, ad pristinum frigus. Ubi frigus paulatim, dimisso calore, iterum incipit esse in aqua. E. per aliquam efficientem causam. At causa alia ibi nominari non potest, præter ipsam formam. vel essentiam aquæ. Ergo ab ea est per istiusmodi naturalem resultantiam. Assumptio patet discurrendo per varias causas, quæ excogitari possunt, pro causis reducti illius frigoris.

Unde reducatur frigus in aquam calefactam.

60 Nam inprimis pro causa istius reductionis nominari non potest aër *ambiens.* Is enim potest esse æquè calidus, ultra naturale debitum, ac aqua: veluti contingit in vaporariis, unde et ipse eget reductione. Quis ergo ipsum reducit? Deinde aer ex naturâ suâ est calidior aquâ. Ergo ex se insufficiens est ad dandum frigus, aquæ naturæ congruum.

Deinde nec nominari potest *cælum.* Nam cœlum, cùm sit causa universalis, ex se indeterminatum est, ad istos particulares actus exercendos.

Neque *tertiò* dici potest: intensum frigus, *in aliquibus aquæ partibus remanere*, à quo postea in societatem quasi retrahantur reliquæ partes aquæ calefactæ, ut Cajetano visum est, *1. p. q. 54. a. 3.* Et Averroi *l. 2. de an. commen. 1.* Nam aqua est simplex corpus et homogneum. Unde nulla causa est, cur alias partibus inhæreat frigus nativum; aliis autem addatur adventitius calor. Pugnátque ista assertio, contra sensum, qui testatur, omnes partes aquæ esse æquali intensione calidas. Denique absurdissimum est in eodem simplici subjecto ponere contraria in excedente gradu, quod juxta istam hypothesin contingeret.

Neque tandem dici posset, quod *numquam de aqua expellatur frigus totum*, sed quòd in ea semper remaneant aliqui gradus frigoris, qui se recolligant ad revocandum debitum frigus abscedente externo calefaciente. Nam, admissâ hypothesi, isti superstites gradus frigoris ob imbecillitatem suam insufficientes erunt ad istum effectum. Agerent enim ultra vires, supponendo, quòd gradus frigoris remanserint, ut *duo*, amissi autem sint gradus frigoris ut *sex*. Relinquiturque adeò

evidén-

evidenter: quod accidentia possint produci per naturalem resultantiam à subjectis.

61 *Resultantia accidentium duplex.*

Porrò ista naturalis resultantia contingit bifariam. Alia est immediata, alia mediata. Illa igitur accidentia immediatè resultant à substantiis, quæ proximè connexa sunt cum essentiis rerum, sicut in elementis sunt qualitates primæ. Illa autem mediatè & interventu aliorum accidentium à substantiis resultant, quæ mediantibus aliis accidentibus conveniunt substantiis, ut in elementis sunt qualitates secundæ.

PUNCTUM II.

In quo propponuntur & solvuntur objectiones.

62 *An proprietates emanent ab essentia subjecti; An ab agente?*

PEreirius *lib. 8. de causis, c. 13. ad quartam,* oppugnat hunc modum productionis accidentium: dicens, proprietates non dimanare ab essentia subjecti, sed ab agente, vel generante subjectum, ipsa pendere. Ubi obiter notandum est, quòd vis veritatis eum coegerit, ut cùm maximè nolit, approbaret istam naturalem resultantiam à subjecto. Ait enim ibi, *eandem esse causam efficientem, subjecti & passionis. Eâdem enim actione;* inquit, *utrumque producitur, sed illud per se primò, hæc autem per modum naturalis & necessaria consequentiæ.* Hæc enim naturalis & necessaria consequentia non potest definiri, nisi per ordinem ad essentiam subjecti.

Prima Pereirii objectio.

Porro argumenta Pereirii duo sunt: *Primò* si subjectum esset causa efficiens proprix passionis, tum vel eam produceret per eandem actionem, quâ ipsum (subjectum) producitur, vel actionem diversam. *Primum* facilè admittitur, quia actio quâ subjectum producitur non est actio subjecti, sed actio generantis. *Alterum* probat, quia si subjectum produceret passionem, sive proprietatem, actione diversâ, tum propria passio esset tempore posterior subjecto, & non flueret ex quidditate subjecti simpliciter: sed ex quidditate subjecti *existentis*, quod falsum.

63. *Respondeo* I. Affectiones fluunt ab essentia subjecti, præscindendo ab ejus statu producto vel producibili. Proinde disjunctum non est bonum. Aut passio producitur actione qua subjectum producitur, aut per actionem diversam, idque à repostquam producta est. II. Etsi passio simpliciter non pendet ab essentia subjecti, ut existentis: tamen passio actualis pendet à subjecto existente. III. Mala est consequentia: si passio à subjecto producitur per actionem diversam (eam, inquam, quam dicimus naturalem dimanationem vel resultantiam,) quòd tum passio debeat esse tempore posterior subjecto. Nam inprimis certum est, quòd motus sive actus transeuntes non producantur à generante, ut Pererius fatetur & disputat de motu elementorum, *l. 7. Phys. c. 5. 6.* Et nihilominus isti non necessariò sunt tempore posteriores agente: sed sufficit ibi, posterioritas naturæ. Illuminatio, inquam, Sole, & calefactio igne, non tempore sed naturâ solùm posteriores sunt. A fortiori igitur id est in proprietatibus, ut ad illarum à subjecto dimanationem satis sit, posterioritas naturæ. Nam proprietates intimiùs connexæ sunt cum essentia subjecti, ac actus sive actus naturales.

64 *Secundum Pereirii argumentum.*

Secundò argumentatur Pererius, ex natura potentiæ passivæ. *Subjectum,* inquit, *non est in potentia passiva physica ad propriam passionem.* Nam id dicitur Physicè esse in potentia passiva respectu alicujus, quod nondum actu habet, aptum tamen est ab agente naturali transmutari ad illud. Aristot. enim *in 5. et 9. Metaph.* Principium rei, quod est transmutabilis ab alio, ut aliud est, potentiam passivam definit. Sic igitur subjectum est in potentia passiva, ad suam propriam passionem, necesse est cogitare subjectum, prius esse, & tum ab aliquo agente transmutari, ad suam passionem, quod falsum est, cùm subjectum & propria passio simul sint, &c.

65 *Solvitur.*

Respondeo. 1, per deductionem ad absurdum. Inprimis enim sequitur juxta illud argumentum, quòd subjectum non solùm non habeat potentiam passivam, ad

accipiendum à se passionem: sed etiam, quod potentiam passivam non habeat respectu generantis, ut ab eo accipiat propriam passionem. Nam nec illius respectu, datur tempus, in quo subjectum à passione nudum sit: ut deinceps eam successu temporis, per sui transmutationem accipiat. Et tamen absurdum est: subjectum aliquid accipere, (undique sit) nec tamen ad id recipiendum habere potentiam passivam, cùm receptio utique sit passio. Et confirmatur, quod suppositâ dependentia accidentis ad gignens, accidens dicetur ingenerari. Ingenerari autem passionem significat. At sicut actio activam potentiam; ita necessariò passio passivam potentiam præsupponit. *Deinde* respondeo: definitionem potentiæ passivæ Aristotelicam, videri satis angustam, quòd si omnino ea retinenda sit, juxta aliquem latum sensum, etiam agentibus per emanationem, convenit ut habeant potentiam passivam, et quod se transmutent, cùm sibi ipsis dent aliquas proprietates, quod cum prolixè deduxerim suprà, *lib. 1. c. 14. num. 19. & seqq.* hic illud repetere nolo.

PUNCTUM III.

In quo explicatur alius modus quo producuntur accidentia.

66. *De productione accidentium per transmutationem*

Sicut immediatè ab essentia cujusque rei ostensum est, dimanare accidentia illa, quæ proprietates sunt. Ita nunc alius modus est, quo producuntur accidentia mediis aliis accidentibus.

67. Hinc igitur Dico: *Quando accidens fit, per propriam actionem à naturali resultantia distinctam, principium proximum efficiendi illud semper est aliquod accidens.* Hanc propositionem latè explicat et probat Suarez. *Disp. 18. Met. s. 3. num. 13.* Et sensus istius propositionis facilè intelligitur. Esto ignis. Ab illius essentia per naturalem resultantiam est calor. Quotiescunque autem deinceps ignis est causa calefactionis (actionis) vel caloris (qualitatis) in aliquo subjecto calefactibili, tum illa accidentia (actio scilicet ista et qualitas) non producuntur immediatè, ab essentia ignis, sed ab ipso calore ignis, qui primùm ab istius essentia dimanavit. Idémque consequenter est in actibus immanentibus. Hic igitur primùm potentiæ naturales emanant ab essentiis subjectorum. Deinceps actus fiunt non immediatè à forma vel essentia subjecti, sed ab istis potentiis. Sumitúrque hinc consequenter etiam ab essentiis subjectorum, quòd v. g. potentiæ sensitivæ vel Vegetativæ sint realiter distinctæ ab anima. Difficile autem est, à priori, ista omnia demonstrari, et ferè non superest ad hanc rem probatio, nisi ex particularibus indiciis in his vel istis substantiis, unde conjectura sumitur, idem etiam esse in cæteris substantiis. Quia autem pleraque, quæ ad hanc rem faciunt, sumuntur ex materia de potentiis animæ, ideo hic ea dimitto. Videri potest Thom. *1. p. q. 54. a. 3 & q. 77. a. 1. & q. 79. a. 1.* ubi et interpp. et Zabarell. *de facult. an. cap. 2 seqq* Colleg. Conimbr. *l. 2. de an. c. 3. q. 4. a. 2.* Scalig. *Exerc. 346.* Disputant et ea de re frequenter inter pp. Lombard. *ad l. 2. dist. 16.*

68. *Accidentia an sint à generante?*

Sunt et alii qui, qui tertium modum productionis accidentium ponunt. Admisso enim quod ab qua sint ab essentia subjecti per resultantiam, nihilominus aiunt aliqua fieri in subjecto per generans. Ita inprimis aiunt esse quantitatem in materia. *Sed* nulla ratio est, cur quantitatem non possimus dicere resultare ab essentia materiæ, atque adeo, eam habere modum conformem, ad productionem aliarum proprietatum. Nullum igitur ulteriorem modum, ad accidentium productionem, agnosco, præter eos, qui tacti sunt.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De vi causativa accidentium.

HAnc ad rem de quatuor videndum est, de influxu, quem possunt præstare, & ut efficientia, & ut formæ, atque adeò summatim quæritur: *Primum*, an omnibus accidentibus conveniat actio. *Deinde*; quantæ virtutis sit actio eorum, quibus convenit, an scilicet & per eam possint principali virtute vel instrumentali producere substantiam, aut *Tertio*; An & quomodo producant accidentia, & *denique* an & quomodo possint esse formæ. 69.

PVNCTVM I.

An omnibus accidentibus conveniat actio.

ARist. *l. Categ.* frequenter subjungit in proprietatibus accidentium, quænam activa sint, quæ non, proinde ea de re etiam aliquid dicendum est. 70. *Quantitati an & quomodo actio conveniat?*

Intelligi autem solet hæc quæstio, de actione, per excellentiam sic dicta, quæ scilicet contra naturalem resultantiam & spiritualem actionem contradistinguitur. Sic *quantitatis* vulgò dicitur nullam esse actionem: & tamen si in omni latitudine loquamur, quantitati multiplex convenit actio. Nam apud Arist. *lib. 2. de anim. & lib. de sens. & sensili*, quantitas refertur inter objecta sensilia. De ratione autem sensilis est, agere in sensorium, atque ita sensorii potentiam excitare. Hæc actio est spiritualis. Præterea à quantitate est figura, item relatio æqualitatis & inæqualitatis. Hæc actio est per resultantiam. Proinde, ut dixi, nunc sermo est de actione κατ' ἐξοχὴν dicta.

Igitur inprimis certum est: non omnibus accidentibus competere vim activam, seu, non omnia accidentia posse agere. Nam inprimis quantitatis nulla est actio, ut modò dixi. Estque illius ratio, quia resultat à materia, unde naturam illius imitatur. Materiæ autem nulla convenit actio. 71.

Deinde *relationis* etiam nulla est actio. Ita patet. Nam inprimis Entia absoluta excedunt virtutem relationum, quia relationes sunt debilissimæ entitatis. Non igitur relatio potest efficere quid absolutum. Hinc verò consequitur: quòd neque relativum quid, sive relationem producere possit. Relatio enim non producitur nisi producto fundamento. Fundamentum autem relationis est aliquid absolutum, quod à relatione produci non posse probatum est. 72. *Relationum non esse actionem.*

Præterea nec *actionis* est actio. Et patet, quia sic non esset actio, sed agens. Id enim cui actio competit agens dicitur. Et ex hoc principio Scalig. *Exerc. 102. sect. 2. im-* pugnat Lud. v. Vivem, qui vitam dixit actionem, quia vitæ sint actiones, veluti generare, nutrire, &c. Porrò hic observandum est: quia agentia per actus attingunt terminos suos, hinc fieri, ut, si isti termini activi sint, actionibus quandoque tribuatur mediantibus istis terminis actio aliqua. Sic v. g. in Ethicis dicitur: *actiones antecedentes quemque habitum, eundem producere.* Rursus: cùm ad calefactionem sequatur attenuatio & rarefactio, ista horum causa dici solet. Sic etiam contemplatio dicitur efficere delectationem, cognitio desiderium, appetitus finis, volitionem eorum, quæ ad finem sunt. In his igitur, potius qualitatibus, ex istis actionibus resultantibus, tribuimus actionem, quàm ipsis actionibus, secus ac facit Colleg. Conimbr. 2. *Phys. c. 7. q. 19. art. 19.* Contra vide Suarez. *Disp. 18. s. 4. & 44. s. 8. n. 23. & vide infra cap. 8.* 73. *Nec actionis. Actionis non esse actionem.*

Atque ex his etiam sequitur: quòd nec *passionis* sit actio. Passio enim non fit, nisi per illationem actionis. Actio autem quæ passioni conjungitur, ab ea realiter non differt. Si igitur actionis non est actio. Ergo nec Passionis. De iisdem enim idem est judicium. 74. *Passionis non esse actionem.*

Solet objici; quod moveri localiter (quæ passio est) varios actus habeat. Motus enim 75. Motus

enim res viventes calefacit, alias res etiam solet refrigerare, attritio lapidum similiter generat calorem, & sic deinceps. *Respondet* Suarez *Disp. 18. sect. 4. n. 6.* motum localem per se nihil efficere, sed esse tantùm viam ad ubi, deservire tamen ad actiones per modum necessariæ vel utilis conditionis ad applicandum principium agendi, aut ad removenda impedimenta: Et sic tribui motui locali per accidens, causare calorem vel frigus.

76. *Quando, ubi, Situs & Habitus non sunt activa.*

Tandem de *Quando, Ubi, Situ & Habitu* patet, quòd non sint activa. Vel enim dicunt solùm modum aliquem, vel extrinsecam denominationem. Neutri autem convenit vera activa.

77. *Sola qualitas est activa.*

Dum sis igitur aliis accidentibus reliquum est: quòd *soli qualitati* conveniat posse agere. Solétque ejus rei communiter hæc ratio reddi, quia ipsa quàm maximè conjuncta est cum forma, eámque consequitur, & ejus naturam imitatur. Unde sicut ista, quæ est substantialis forma, sola actuosa est, non autem materia: ita ex accidentibus qualitas, cùm sit quasi forma accidentalis, actuosa est, præ cæteris accidentibus.

Possunt tamen specialia impedimenta in particulari esse, cur aliquæ qualitates activæ non sint. Ita ex habitibus sanitas (supposito quòd ea sit habitus) nihil efficit. Inter potentias naturales continentur etiam potentiæ passivè, quæ ordinantur non ad agendum sed ad patiendum. Qualitates patibiles plurimæ sunt, quæ nihil agunt, veluti mollities, durities, densitas, raritas & similes. Denique figura etiam actuosa non est propter dependentiam quam habet ad quantitatem, cujus modus est. Quantitatis enim, ut priùs patuit, nulla est efficacia.

PUNCTUM II.

An Accidens possit producere substantiam & quomodo.

Primò: *Referuntur opiniones.*

AD hanc quæstionem tres sunt opiniones.

78. *Prima* est Scoti *4. sent. d. 12. q. 3.* & Occami *l. 2. q. 23.* Dur. *1. d. 2. q. 2.* Et aliorum Scotistarum. Illi ajunt: Substantiam immediatè produci à substantia, nec ad illius productionem ullum influxum præstare accidentia.

79. *Argumenta Scotistarum.*

Rationes illorum sunt, quia: *Primò*, nullum agens agit ultra vires suas. Substantia autem utique est aliquid excellentius quàm sit accidens. Confirmatur discursus. Si enim effectus posset esse nobilior causâ suâ, tum dividatur effectus, in id, in quo causæ æquatur, & in quo excedit causam. Primum dare possit causa. At postremum hoc, unde habet effectus? Non à se. Nihil enim producit seipsum: Loquor enim de essentiali perfectione, quæ non accipitur nisi per primam productionem. Nec etiam à causa, hoc est, accidente. Nam accidentis virtutem, hoc, de quo sermo est, excedit. Oportet igitur ut substantia non dependeat ab accidente, sed à sola substantia. *Deinde:* ajunt sic tolli omnem univocam generationem, quia in univoca generatione gignens debet esse simile genito. Porrò terminus generationis non est nisi substantia, non autem substantia & accidens. Hæc enim duo juncta, sunt Ens per accidens. Unde unum motum terminare non possunt. Gignens autem juxta oppositam hypothesin, est & substantia & accidens, quia in re dissimilitudo manifesta est. *Tertiò:* Si substantia non potest producere substantiam, nisi interventu accidentis, tùm id vel est ob perfectionem substantiæ, quasi eam non deceat operari sine ministris: vel est ob ejus imperfectionem. Neutrum tamen dici potest. Nam Deus, qui perfectissimus est, agit citra interventum accidentium, & accidentia cùm sint sufficienter perfecta ad producenda sui generis accidentia, veluti calor ad calorem, cur desit substantiæ sufficiens perfectio ad producendam immediatè substantiam?

In

In oppositum est *alia* prorsus extrema sententia Pereiii, *in l.8. Phys. cap.* 13. 14. quòd accidentia suâ virtute producant substantias, quódque ipsæ substantiæ ad hoc non præstent causalem influxum ullum. Non probat autem aliter hanc suam sententiam, quàm removendo opiniones. *Si*, inquit, *substantia producitur ab accidente, ut demonstratum est contra Scotum, & non in virtute substantiæ, ut ostensum est, ita ipse ait, contra Thomistas. Relinquitur igitur ut accidens virtute suâ producat substantiam.* 80. *Pereiii opinio.*

Tertia igitur, quæ modò insinuata est, est Thomæ sententia, qui sentit accidens quidem concurrere ad productionem substantiæ, quod Scotus negabat, ab ea tamen productione non esse removendam substantiam, sed eam per modum causæ principalis influere ad substantiæ productionem. Accidens autem in hoc actu esse instrumentum: indeque accidens dicit producere substantiam in virtute substantiæ. Ita docet Thom. 1. *p. q.* 77. *a.* 1. & 3. *p. q.* 77. *art.* 2. Capreolus & Cajetanus cum sequuntur *ad* 1. *p. q.* 77. *art.* 1. aliique. Hæc verior est sententia. Relinquiturque ex remotis aliis opinionibus. 81. *Opinio Thomæ.*

SECUNDO.

Probatur contra Scotum: substantiam non producere substantiam aliam immediatè: sed interventu accidentis: ejusque rationes solvuntur.

QUod igitur accidentia excludenda non sint à productione substantiæ; patet primùm per manifestam experientiam. Videmus enim, verb. gratia, gallinam ovis incubantem, calefaciendo ea, excludere pullos. Ita calefactio prosximè terminatur ad productionem caloris. Ergo per calorem excludit pullos. Ergo calor saltem est instrumentum gallinæ, ad producendum pullum, ut ipse modus loquendi indicat. Et confirmatur, quod idem est agens disponens materiam & introducens formam, ut celebri axiomate dicitur, ex Averroë 7. *Metaph. com.* 31. & 32. & *l.* 12. *com.* 18. Ergo cùm per accidens disponatur materia ad receptionem formæ, etiam per illud ipsæ formæ introducentur: Similia exempla sunt, quod sol calore suo producit insecta; quod ignis generatur per reflexionem luminis ad speculum, & quod animalia producunt fœtus suos, per calorem vitalem eos fovendo. 82. *Quod accidentia non sint excludenda à productione substantiæ.*

Deinde: eadem sententia impugnatur testimoniis Aristotelis, *lib. de sens. & sen. cap.* 4. dicit, quod ignis agat, ut calidus est. Et *lib.* 1. *de Generat. c.* 7. *t.* 50. ad actionem requirit contrarietatem. Contrarietatem autem ipse docet non esse in substantiis, sed in suis qualitatibus, *lib. Cat. c.* 38. 83.

Rationes Scoti & eorum, qui cum sequuntur, quæ paulo antè relatæ sunt, non adeo difficiles sunt,

Ad primum respondeo: committi in ea ignorantiam Elenchi. Supposito enim quod accidens concurrat ad productionem substantiæ, influxu solùm instrumentario, nihil incommodi est, effectum, hoc est, producendam substantiam excedere illius virtutem: tum, quod in quo effectus excedit virtutem accidentis, referri potest acceptum agenti principali, hoc est, substantiæ producenti, tùm, quia de ratione instrumenti est, elevari à causa principali ad effectum, virtute privata sublimiorem. Pererius autem quomodo se hic extricet (negans dependentiam accidentis à substantia ut à causa principali) non video, ut postea etiam attingam. *Rationes Scotistarum solvuntur.*

Ad secundam rationem respondeo: Denominationem effecti, sumi à causa non instrumentali, sed principali. Instrumentum enim cùm deserviat solum ad actionem principalis agentis; hinc ipsum in tali denominatione non curatur. Proinde cum effectum, hoc est, genitum denominamus simile causæ, hoc est, genitori, 84.

ista similitudo genici non debet æstimari nisi ad causam principalem, quæ est substantia. Ergo Leo genitus, est similis suæ causæ, hoc est, Leoni gignenti; Ursus genitus est similis Ursо gignenti. Atque hoc intellexit Aristot. cum dicit: gignens gignenti in *specie* simile esse debere, *l. 2. de anim. c. 4. t. 49.*

85. Ad *tertiam* objectionem respondeo: quòd substantia creata eget accidentibus, in productione substantiarum, id esse ab imperfectione. Nec officit, quod accidentia possint accidentia se solis producere. Nam admisso hoc, certum est: quòd aliquando accessus ad divinas perfectiones (qualis est immediatè agere) facto recessu ab infinitate, indicium sit imperfectionis, ut de ipsis accidentibus patet. Ea enim cùm sint simpliciora substantiis, non tamen, ob istam simplicitatem, (quâ Deo approximant) sunt substantiis perfectiora. Ad eundem igitur modum, nec accidentia sunt substantiis nobiliora vel perfectiora, si ista immediatè producant accidentia. Substantiæ autem creatæ non producant immediatè substantias.

Bona est responsio Fonsecæ *l. 5. Metaph. c. 2. q. 6. s. 5.* Ait, ibi formam substantialem, propter mediam quandam perfectionem, quam habet inter formam accidentalem & primam formam, quæ purus actus est, duo sibi vendicare. Unum est, ut sit principale principium productivum substantiæ, quâ ratione superat conditionem formæ accidentalis. *Alterum:* ut non sit principium proximum & immediatum, quâ ratione deficit à conditione divinæ naturæ, quæ est principalissimum & proximum principium cujusque actus. Proinde, quòd forma substantialis agit mediante accidente, pertinet ad perfectionem, non simpliciter, sed ad perfectionem mediam.

TERTIO:

Probatur contra Pererium: solum Accidens non posse producere substantiam suâ virtute, hoc est, independenter ad substantiam: ejusdemque exceptiones solvuntur.

86. 1. *Argumentum.* ITa probatur 1. efficaciter illo primo argumento, quod initio pro sententia Scoti proposui. Non debet, inquam, effectus esse dignior & nobilior suâ causâ. Quomodo autem quid dare potest illud, quod quid non habet? At nihil potest effectus habere, quod non accipiat à causa sua.

87. *Exceptio Pererii.* Sed respondet Pererius, *lib. 8. Phys. cap. 13. dupliciter.* 1. Substantiam & accidens posse comparari bifariam, 1. in ratione Entis, & sic substantiam esse nobiliorem accidente: Deinde in ratione productivi & producibilis, & sic esse proportionem inter ea. Probat. *Nam sicut*, inquit, *accidens naturaliter est productivum substantiæ, ita substantia naturaliter est producibilis ab accidente. Nec in hoc est tanquam tas. Et sanè utrumque est ejusdem ordinis, cùm sit quippiam naturale & materiale & corruptibile.* Altera responsio est, quod agens habeat duplicem effectum: unum intrinsecum actui agentis, utpote qui per ejus actionem attingitur, alterum externum actioni agentis, qui quoniam habet naturalem & necessariam connexionem cum primo illo intrinseco effectu: idcirco, cùm hic internus producitur: ille externus quoque per modum naturalis sequelæ, producitur ab agente. Exempli causa: calefactionis intrinsecus & immediatus effectus est calor, mediatus autem & hunc naturaliter consequens est raritas & levitas. Inter hæc igitur duo genera effectuum hoc interest, quod prior non potest esse nobilior agente, posteriorem autem esse nobiliorem vel ignobiliorem nihil prohibet. Et ratio est: quia ille, cùm producatur ab agente per se, necessariò sequitur modum & mensuram virtutis activæ: Hic autem cùm non producatur per se, minimè commensurari & correspondere debet virtuti & perfectioni agentis, siquidem præstantia agentis & actionis æstimari debet ex primo & immediato termino atque effectu,

non

tion autem ex aliis, quæ propter naturalem rerum consequentiam & connexionem producuntur. Hinc subjungit: Quòd substantia sit effectus accidentis non priori sed posteriori modo. Nam cùm in materia est calor ut octo, necessariò erumpit & existit forma ignis. Non enim possunt hæc duo ab invicem separari, ex quo fit, ut calor, producendo in materia calorem, ut octo, consequenter producat substantiam ignis. Et ex hac causa fit, ut quamvis accidens sit ignobilius substantiâ, eam tamen possit producere. *Hactenus.*

88 *Refellitur.*

Sed neutra responsio satisfacit. Non *prima.* Nam 1. admisso, quod substantia, ratione Entitatis, sit nobilior, ut fatetur Pererius, interrogo: unde sit illa quasi pars essentialis perfectionis, qua excedit substantia producta accidens. Accidens enim illam dare non potest, vi istius excessus, ut in argumento confirmatum est. Relinquitur igitur, ut in productione substantiæ, sit aliquid præter accidens, quod perfectioni substantiæ producibilis vel formaliter adæquetur, vel eam eminenter contineat. *Deinde:* proportio quam instituit Pererius, petit principium ut facilè patet. *Tertiò* non satis est proportio, sive proportionalis identitas, ad productionem, quæ potest esse cum excessu & defectu. sed talis requiritur ibi identitas, quæ in effecto non relinquat excessum in essendo, qualis non est inter substantiam & accidens. *Denique* inst tota comparatio inter substantiam & accidens, quoad esse utriusque corruptibile, materiale, &c. impugnat distinctionem Pererii, quia ea loquitur de convenientia in essendo: Non autem in ratione productionis. Neque tamen ista in essendo convenientia ad propositum satis est, quia solùm est per generalia attributa. Specialia autem attributa possunt facere tantam diversitatem, suppositis iisdem generalibus attributis, ut vi istorum specialium attributorum, unum excedat vim productivam alterius. Id quod in substantia esse dicimus, & Pererius istum in essendo excessum, agnoscit.

Altera etiam evasio, per distinctionem effectus interni & externi frivola est: 89.
quòd dicitur, effectum externum posse esse nobiliorem vel ignobiliorem causâ. Et de ignobilitate quidem facilè admittimus. Nam fieri potest, ut causa non communicet totam perfectionem suam effectui. Indéque dici solet (non effectum non posse esse ignobiliorem causâ, sed) effectum *toto genere* non posse esse causa deteriorem. *Secundò*: quod effectus externus possit excedere causam in essentiali perfectione, non admitto, & gratis à Peretio dicitur. Nam effectus externus nihilominus effectus est. Ergo transsumit omnem perfectionem suam à causa. Causa enim quod non habuit ullo modo, quomodo dari potuit? *Tertio:* non apparet diversitas, cùm primus & immediatus effectus accidentis non possit excedere virtutem accidentis: cur externus & remotus possit? Videtur autem à fortiori contrarium sequi. Nam cùm accidens intimiùs & propinquiùs attingat propinquum & internum suum effectum, quàm externum: certè etiam validiùs vim suam extendere deberet in interno quàm in externo effectu. Virtus enim naturalis in remotius solet esse debilior & remissior, quàm in propinquius.

Secundum argumentum: Si accidentia sola producerent substantiam, forma 90
simpliciter nihil ageret, & sic nec esset natura. Utrumque est absurdum: Ergo et antecedens. Connexio patet. Nam inprimis formæ possent tribui triplex actio: nempe. *Primo* per naturalem resultantiam producere accidentia. *Deinde* per veram actionem producere accidentia ad extra. *Tertio* producere substantias. Prima actio ei secundùm Peretium non convenit. Nam ut supra visum est, ipse disputat proprias passiones non esse ab essentia subjecti sed à generante, Deinde accidentia alia dicit fieri ab accidentibus, & ad eundem modum substantias. Ergo nihil relinquitur formæ quod ipsa agat, atque ex hoc sequitur alterum, nempe formam non esse naturam. Nam natura dicitur non nisi per respectum ad motum, ut ex ejus definitione apparet, 2. *Physic.* 1. *tex.* 3. *Secundum argumentum contra Peretium.*

Absurditas autem istorum, (quæ assumptionis est probatio) facilè patet. Nam 91.

frequentissimè formis transcribunt operationes compositi. Sic Aristoteles *l. 1. de anim. tex.* 65. ait, intelligere nos per animam. Et 1. *Eth. Cap.* 5. Felicitatem vocat actionem animi. Alia infinita taceo. Pertinetque huc: quòd vulgò formæ officia tria numerantur: rem constituere, eam ab aliis distinguere, & in composito operari. Quòd autem forma natura sit, Aristot. clarè docet: confirmans eam magis naturam esse, quàm materiam, *l. 2. Phys. c. 1. tex.* 13. Et confirmatur: quia si forma natura non esset, nullum corpus naturale, naturale esset. Nam naturale, definitore ipso Pererio *l. 7. Phys. c.* 1. dicitur, quod habet in se insitum principium & propensionem ad eum motum, quo ipsum monetur. Naturalitas autem motus non sumitur nisi à forma. Nam materia cùm ex se sit indifferens ad omnia ubi, hinc ex ea non magis sumitur propensio ad ubi superum, quàm ad ubi inferum. Ut igitur lapidi v.g. naturale sit descendere, non id est à materia, sed à forma.

92 *Exceptio Pererii.*

Respondet ad hoc argumentum Perer. *l. 8. Phys. c. 14. Forma substantialis*, inquit, *est natura & principium motus, non effectivè, sed illis tribus modis quos in sua tione primæ rationis posuimus.* Ibi autem exposuerat, quomodo accidens agat in virtute substantiæ. Dixerat id esse tribus modis. I. *Denominativè*. Nam licèt, inquit, actio effectivè procedat ab accidente: tamen quia actiones denominativè sunt suppositorum, non denominatur agens, nisi quod est per se subsistens. Hujusmodi autem non est accidens, sed substantia aliquo accidente affecta. II. *Sustentativè*. Nam quia operari sequitur esse. Accidens autem habet esse, in virtute substantiæ, quatenus ab ea sustentatur, ob eam quoque dici potest agere in virtute substantiæ. III. *Determinativè*. Nam substantia iguis non producitur per calorem ut calor est, sed ut tantus calor est. Hæc autem determinatio subjectivè provenit ex substantia in qua accidens inhæret.

93 *Refellitur.*

Sed *respondeo* ad hanc exceptionem. 1. absurdè dicitur. Formam esse principium motus, non tamen effectivè. Arist. enim 2. *Phys. c. ad.* 13. ait: Naturam esse principium & causam motus. Causalitas autem ibi alia non potest intelligi, quàm ea, quæ sit per modum efficientis, præsertim cùm illa particula (*causa*) in definitione naturæ necessariò intelligatur de forma. II. Quod Perer. phrasin illam, quâ accidens dicitur producere substantiam *in virtute substantiæ* in qua inhæret, vult explicare sic, ut nulla effectivitas interveniat superioris substantiæ: id subsistere non potest. Nam inprimis propterea dicitur accidens in virtute substantiæ agere, quia substantia excedit perfectionem accidentis, ideoque ad ejus productionem, accidens exquirit virtutem aliquam superiorem, quæ simul influat ad effectum, ad dandum effecto illud, quod accidens dare non potest. Atque ita III. Relinquitur, quòd per istos tres modos insufficienter explicetur, quod accidens in virtute substantiæ agat. Is enim potissimus modus est, quod accidens in virtute substantiæ agat, tanquam causa principalis, cui subserviat accidens per modum instrumenti. Ita eleganter ad hanc rem *Scaliger* a. 1 lib. 2. de plant. pag. 332. *Qualitate sunt actiones, tanquam ab instrumento, à certâ verò formâ tanquam à principio perficiuntur.* Et rursus p. 409. *Forma est cum mero misto; immixtio tum crearidum sistendi limites accretionum. Ea jussu primi summi unius oppositis normalem dirigit lineam, cujus ad directionem metitur omnia. Et calor & humor pro instrumentis, frigus & siccitas ad instrumentorum temperationem comparata sunt ab artifice cunctisficio, cunctipotente. Iis illa utitur, jura dat, non abinde accipit.*

94 *Tertium argumentum.*

III. Si accidens etiam in productione accidentium, aliquorum saltem, agit dependenter à substantia, tanquam causa principali; à fortiori sequitur, quòd id sit in productione substantiæ. Consequentia clara est. Antecedens autem patet, *sequ. puncto.*

QUARE

QUARTO.

Probatur: *Accidens in virtute substantiæ aliam substantiam producere.*

ET ex hactenus dictis relinquitur veritas tertiæ sententiæ, quam initio referebam. Nempe, quòd accidens producat substantiam, in virtute substantiæ. Nam si substantia, in productione substantiæ, non agit immediatè, ut contra Scotum probatum est: Nec etiam accidens solùm sufficiens est ad producendam substantiam. E. oportet ut illa duo ad productionem substantiæ concurrant: atque adeò, ut accidens, producendo substantiam, in virtute substantiæ agat. Agere autem in virtute substantiæ non dicit solùm denominationem vel sustentationem vel determinationem, ut Perer. quod paulò antè retuli, exponit: sed est idem quòd agere ex præsupposito influxu substantiæ, tanquam causæ principalis, regentis & moventis quasi illud accidens, quo substantia tanquam instrumento suo ad hunc actum utitur. 95

Quid sit agere in virtute substantiæ.

Objectiones contra hanc sententiam non sunt, nisi quæ priores opiniones confirmant. Nihil igitur nunc his addendum superest.

PUNCTUM III.

An & quomodo accidentia producant accidentia.

AD quæstionem *an sit* hîc facilis est responsio. Nam quia accidentibus omnino convenit vis activa, ut superioribus confirmatum est, vel maximè eam vim exercebunt, in productione accidentium, quia nihil eis magis proportionatum est, quàm aliud accidens. Sunt autem præterea duæ quæstiones. I. An cùm accidentia producunt accidentia, veluti calor calorem, an tum etiam id fieri debeat dependenter à substantia vel in virtute substantiæ, sicut de productione substantiæ dictum est: an verò possit id præstare accidens, citra causalem influxum formæ sive substantiæ, cui accidens inhæret? Et II. Quicquid sit in hac re: An accidens in accidentis productione debeat dici instrumentum substantiæ. De utraque quæstione paucis videndum est. 96

QUÆSTIO I.

An Accidens in productione accidentis necessariò exigat influxum formæ.

IN primis hic certum est: Formam esse originale, & radicale principium omnium operationum in composito atque inde etiam operationum accidentalium. Quia si maximè forma actu non influat in actus accidentales: accidens tamen habet esse à forma. Unde remotè forma esset causa etiam talium actuum. Sed id nunc non disputatur, sed potius de influxu actuali, an eum substantia præbeat ad productionem accidentis. 97.

Tum igitur videtur hæc res tollenda esse per distinctionem, qua & Suarez utitur, *Disp.* 18. *sect.* 2. n. 2. Nempe alia est ratio actionum vitalium & actionum non vitalium. De actionibus non vitalibus dico, posse eas ab accidentibus exerceri independentia à forma. Ita apparet in calore, qui non solùm calefacit in igne; sed etiam in aqua. In aqua tamen non potest calefacere per formam aliquam. Nam à forma ignis ibi separatus est. Forma autem aquæ non habet vim calefaciendi, sed frigefaciendi. Idemque est in qualitatibus aliis. 98.

Actiones non vitales non exigunt dependentiam à forma.

Actiones autem vitales exigunt omnino dependentiam à forma. Ejus rei cla-

De actionibus vitalibus.

rum indicium est, quod animâ aliorsum occupatâ, non possit exerceri alia actio vitalis, cujus rei nulla alia ratio est, nisi quia deficit ad talem actionem influxus animæ. Nam esto objectum aliquod visibile, illud objectum uniatur cum sensorio. Ibi igitur conjungitur cum potentia visiva, hoc est, illo accidente, quod de se aptum est exercere visionem. Nec tamen eam semper exercet, veluti si anima, in profunda quadam speculatione hæreat, tum enim quæ oculis sunt obvia, non tamen videntur. Apparet igitur, quòd potentia visiva in se sola insufficiens sit ad suum actum, extra influxum & concursum animæ.

QUÆSTIO II.

An Accidens in Accidentis productione debeat dici instrumentum substantiæ.

100. AD hanc quæstionem ex priori facilis est responsio. Nam accidentia, quæ ex se sufficientia sunt ad actus suos, non erunt instrumenta formarum. Ad rationem enim instrumenti requiruntur, tum ut elevetur ad effectum sua virtute superiorem, tum etiam ut non operetur solùm, sed quasi concausando ad operationem causæ principalis. At neutrum est ex dictis, in illa accidentium actione, quæ producunt alia accidentia independenter à formis.

101 Atque sic in universum non admittitur sententia Thomæ, qui generatim & indiscretè ad quemvis actum accidens formæ instrumentum appellat, 1. *dist.* 3. *q.* 4. *art.* 3. *ad.* 2.

Ex alia parte cùm fuerint aliqua accidentia, quæ non potuerunt actus suos exercere citra concursum formarum, ut erat de actibus vitalibus. Hinc igitur accidentia, sive potentiæ ad istos actus destinatæ, potuerunt formarum instrumenta dici. Ita ex duobus oppositis indiciis patet. Nam istæ potentiæ concurrunt ad actum virtuti suæ inadæquatum, eámq; excedentem. Deinde potentiæ illæ agunt, & etiam forma agit. Nam autem agunt in eodem ordine, ut sint causæ coordinatæ. Ergo sunt causæ subordinatæ. Non apparet autem, quænam alia subordinatio hîc interveniat præter eam, quæ est in instrumentis ad causam principalem.

102 Atque sic non admittatur aliorum opinio, generatim dicentium: Accidens non est instrumentum formæ ad actus accidentales. Ita tenuerunt Scotus 4. *dist.* 12. *q.* 3. Palud. *q.* 4. *concl.* 1. Major. *q.* 21. Ægid. *quodl.* 3. *q.* 1. recensente Suarez. *disp.* 18. *s.* 6. *n.* 2. Consentit iisdem Autoribus etiam Fonseca 5. *Metaph. c.* 2. *q.* 6. *s.* 6.

PUNCTUM IV.

An & quomodo Accidentia sint formæ.

103. FUit hactenus de vi causativa accidentium, quam habent *efficiendo*: sequitur, ut videamus etiam, an aliquam causalitatem exerceant *informando*: sive, an alicujus rei formæ sint. Igitur vulgatissimæ accidentia dicuntur *formæ*, item *formæ accidentales*, sed quo sensu?

104 *Accidentia non esse æquivocè formas.*

Dico 1. *Accidentia non esse formas æquivocè, & per Metaphoram.* Ita apparet, quia non solo nomine sunt formæ, sed etiam juxta definitionem formæ. Forma enim est actus, per quem res habet esse. At album, verbi gratia, per albedinem intrinsicè habet esse. Ergo albedo albi forma est. Deinde substantiæ sunt veræ in potentia passiva ad recipienda accidentia. Ita enim de facto apparet, quòd de facto accidentia in subjecto recipiuntur. Si igitur substantia est in potentia passiva ad accidentia. Ergo accidentia habent rationem actuum, qui scilicet istam potentiam actuent. Actus autem actuans potentiam verè passivam vocatur forma.

105 *Habitus proprie non*

Loquor autem hactenus de accidente confusè & indistinctè. Nam in particulari dantur aliqua accidentia, quæ non propriè possunt dici formæ. Talia sunt, quæ dicunt solum denominationem extrinsecam, ut est *habitus*. Nam esse formam

mam, & tamen esse quid extrinsecum, sive extra rem pugnantia sunt. Et patet amplius, quod vera forma non informet, nisi per internam unionem ad materiam: Ea autem accidentia, quæ solam extrinsecam denominationem dicunt, hoc ipso, quia extrinsecam denominationem dicunt, non habent ejusmodi internam unionem: sed ad summum satis habent in adjacentia, vel adhæsione, unde & habitus definitur per adjacentiam à Porretano & aliis. Atq; hoc ipsum etiam dicendum est de actione. Nam illa non recipitur in agente, sed solum ab illo procedit. Non habet igitur internã unionẽ ad agens. Ergo nec agentis forma esse potest. *potest dici forma.*

Atque ita ad veritatem superioris propositionis mihi sufficit, si, quod intendo, accidenti generatim non repugnet, esse formam, vel si ratio formæ possit etiam salvari in genere accidentium, id quod dimissis aliquibus generibus accidentium in aliis vi superiorum rationum satis constat. 106.

II. Dico: *Accidens non est forma univocè cum substantiali forma.* Ita apparet: quia informatio, quam præstat accidentalis forma, necessario præsupponit informationem, quam præstat substantialis forma. Sequiturque id clarissimè ex analogia Entis ad substantiam & accidens. Nam si ens dicitur ἀναλόγως de substantia & accidente, & sub ista analogia Ens per prius dicitur de substantia, quàm de accidente. Ergo oportet, ut substantia per prius informata sit à forma substantiali, quàm possit forma accidentalis ullum officium exercere. Dependentia autem ista formæ accidentalis ad substantialem æquè tollit univocationem istarum formarum sub ratione formæ, ac dependentia accidentis ad substantiam tollit eorum univocationem sub ratione Entis. 107. *Forma dicitur analogicè de substantia & accidente.*

III. Dico, & ex dictis relinquitur: *quod forma de accidentali & substantiali dicatur per analogiam attributionis.* Nam si accidentia sunt formæ: non tamen univocè, nec æquivocè: aliud nihil superest, quàm ut formæ sint ἀναλόγως, id, inquam, analogã, quæ est per attributionem, ejusdem intelligẽ essentiæ. Nam alia genera analogiæ coincidunt cum æquivocatione. Ostensum autem est, accidens non esse formam æquivocè. 108.

Sed hic solet inquiri: *Quidnam igitur informet accidens?* seu, quod idem est: *quis sit effectus formalis accidentis.* 109. *Quid sit effectus formalis accidentis.*

Resp. Sub nomine informationis est ambiguitas, quæ clarè apparet in diversis modis loquendi. Dicimus enim formam informare materiam, & formam informare compositum vel speciem. Ex his informatio, quæ est ad materiam, nunc non attenditur; quia materia præsupponitur formæ. Forma autem illius propriè forma est, cui dat esse, æque adeo, quo naturâ prior est. Atque ita, ad evitandam ambiguitatem, addidi quærendo: quis sit *formalis effectus* accidentis.

Atque tùm dico primo; *Accidentis formalis effectum, sive formatum non esse subjectum.* Ita patet, quia ad subjectum, accidens non habet, nisi relationem adjuncti, ut reciprocatio in relationibus insinuat. Nunc autem inquirimus tale quid cujus respectu accidens formalis causa sit, quódque adeo sit effectum accidentis. Deinde: subjectum accidentis, quod non est aliud quàm substantia, est natura prius eo. At formatum non prius, sed natura posterius debet esse forma. 110. *Non subjectum.*

Secundò: igitur formalis effectus, sive formatum accidentis, erit ipsum compositum ex subjecto accidentis, & ipso accidente; quod una voce significari solet in appellationibus concretivis accidentium. Ergo formatum albedinis est album; formatum doctrinæ est doctus: formatum caloris est calidum: & sic in aliis. Et confirmatur. Nam quia subjectum sive substantia habet potentiam passivam, ad recipiendum accidens. Ergo ea habet rationem materiæ, in ordine ad illud compositum. Ergo actus illi potentiæ respondens, (qui est accidens) habet rationem formæ ad idem compositum. Et illustratur hoc ipsum, ex informatione substantiali. Ibi enim forma non est, nisi forma illius, cujus etiam est materia. Proinde quod materiatur (ut mihi sic barbarè loqui liceat) per materiam, hoc ipsum etiam informatur per formam. 111. *Sed compositum.*

formam. At quod significatur per concretum accidentale, id materiatur per subjectum, vel in eo subjectum habet rationem materiæ. Ergo in eodem, & non in alio accidens habet rationem formæ.

TITVLVS V.

De divisione accidentium.

112. ACcidentis divisio est in hæc novem: nempe in *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, *actionem*, *passionem*, *quando*, *ubi*, *situm*, & *habitum*, de qua divisione principio id in communi notandum est: quòd ea non sit ut in speciem. Nam accidens non est ad ista, jam enumerata genus, cùm per hanc distinctionem constituantur novem prædicamenta. Prædicamenta autem sunt summa genera, nec se superiora genera habent. Secus enim non decem prædicamenta essent, sed unum, nempe Ens. Et hoc ipsum, quod accidens non sit genus ad hæc inferiora sua prolixè disputatum vide apud Suarez. *disp Met.* 19 *s.* 3. *n.* 7. Et Fonsecam *l.* 5. *Met. c.* 3. *q.* 2 *s.* 4. aliósque. Nunc igitur inquirendum est,

An bona sit distributio Accidentis in novem vulgata genera.

DIvisio ista accidentis in novem genera, sub nomine decem prædicamentorum, (quæ sunt substantiæ prædicamento addito) vetustissima & vulgatissima est. Solet tamen ea ex tribus capitibus culpari.

ARTICVLVS I.

In quo referuntur objectiones.

113. PRimò: quòd inter membra dividentia non sit justa ac debita distinctio. Ita probatur de actione & passione, quæ realiter idem sunt.

114. *Secundo*, quòd illa divisio sit abundans. Ita *primum* relinquitur ex præcedenti. Nam si actio & passio realiter idem sunt, fieri debent octo genera accidentium istis duobus in unum conjunctis, quod sub nomine motus fecit Nicostratus referente Simplicio, & nobilissimè Timplerus *l.* 5. *Met. c.* 1. & 4.

Deinde probatur à Valla *l.* 1. *Dial. cap.* 13 & 17. (ubi duo solùm accidentia constituit, nempe qualitatem & actionem) inde, quòd alia accidentia sub aliis concineantur. Dicit igitur *quantitatem*, & *relationem*, & *habitum* sub prædicamento qualitatis contineri, quia prædicantur in quale est. Deinde ait *situm* esse aut actionem, quia semper ibi aliquid agimus, aut qualitatem, quia ad certum modum formata sint membra. Tertiò: *ubi quid* aliud est, quàm substantia vel qualitas, vel actio? inquit. Quartò: *Quando* sive tempus facit actionem. Denique *passionem* dicit esse actionem, quia pati sit nihil aliud, quàm servire actioni.

Tertiò etiam probatur ista abundantia inde, quòd locus & tempus ab Aristotele referuntur ad quantitatem, *l. Categ. c.* 6. §. 2. Non igitur debebant ex istis fieri peculiaria accidentium genera, sub nominibus *ubi* & *quando*.

Denique corpus est substantia. Ergo & corpus adjacens est substantia. At habitus est nihil aliud, quàm corpus adjacens. Ergo habitus ad substantiam pertinet. Ex hoc igitur capite abundat accidentis divisio.

115. *Tertio*: culpatur illa divisio ex alio capite, quòd illa divisio sit deficiens, & probatur. 1. Nam ponitur peculiare genus Accidentis, pro causalitate efficientis. Ergo etiam peculiare genus poni debet, pro causalitatibus aliarum causarum. Earum enim causalitates sunt diversæ à causalitate efficientis. Neque tamen apparet, sub quo genere accidentis alio contineantur.

Deinde

Deinde, inprimis apparet ex distinctis generibus accidentium, quòd etiam denominationes extrinsecæ sufficiant ad rationem accidentis: quò igitur pertinent hæ denominationes, quibus objecta à potentiis denominantur, veluti visa, audita, cognita, amata, spectata, *&c.*

§ *Tertiò*: ex habitu videtur constituendum esse duplex prædicamentum. Habitus enim est medium quid inter hominem, verbi gratia, qui vestitur, & ipsam vestem, non secus ac motus est medium quid inter agens & patiens, quod Aristoteles dicit *l. 5. Met. cap. 30. t. 25.* At motus constituit hinc duo prædicamenta actionis scilicet & passionis. Ergo idem etiam erit in habitu.

ARTICULUS II.

Defenditur proposita divisio.

Nihilominus in oppositum omninò tenendum est, quòd bona sit ista accidentium divisio. Quod optimè confirmatur: supponendo, quod accidentium numerus sit colligendus per ordinem ad substantiam primam, quæ hypothesis facilè potest probari. Nam inprimis accidentium generalis essentia consistit in afficiendo substantiam. Ergo varietas accidentium, sumitur ex varietate afficiendi substantiam. Porro, omnia prædicata substantiarum secundarum coincidunt in primas, quia istæ in his sunt, & realiter cum eis eædem sunt. Ergo ista varietas afficiendi substantiam, sumetur per ordinem ad substantiam primam.

116. *Numerum prædicamentorum sumi per ordinem ad substantiam primam.*

Hoc igitur posito sic arguuntur: Quot sunt genera accidentaliter afficiendi substantiam primam, tot sunt accidentia, ex data & probata hypothesi. At novem sunt talia Entium genera, non plura, non pauciora. Ergo novem, non plura, non pauciora sunt accidentium genera. Assumptionis veritas consistit in destructione eorum, quæ objiciuntur.

117. *Probatur novem esse genera accidentium.*

Alia valdè celebrata est probatio ad hanc rem, per varias divisiones, quod alia accidentia formam, alia materiam sequantur; alia significant mensuram, alia non, & quæ alia in isto modo probandi includuntur. Autor illius probationis dicitur esse Thom. 5. *Met. lect.* 7. quem sequuntur Coloniens. *in Hispal. 3. fol. 112 fac. 2.* Fonseca 5. *Met. c. 7. q. 2. s. 3* Armand. de bello Visu *tract. 3. term. c. 30.* Sed tamen in ista Thomæ deductione multa falsa immiscentur, unde eam, quæ prolixa est, hic recensere nolui, quod *in introduct. Logic.* feci, *cap. 4. num 34.* Recensuerunt istas inconvenientias Suarez *disp. 36. Met. sect. 2. num. 12. 13.* & Colleg. Conimbr. *1. Cat. cap. 4. q. 2. a. 3.*

ARTICULUS III.

In quo solvuntur objectiones.

118. Varia erant objectionum capita, quæ divisim considerandæ sunt distinctis punctis.

PUNCTUM I.

Quo disquiritur, quanta distinctio requiratur ad distinctionem prædicamentorum.

IN primo capite objectionum attingitur specialis quæstio, quanta distinctio requiratur ad prædicamentorum diversitatem. Supposito enim quod quantitas, qualitas, *&c.* non sint species accidentis, sed summa genera prædicamentalia non est inter ea exigenda distinctio specifica, sed tanta, quanta ad varietatem prædicamentorum requiritur. Porro ad prædicamentorum distinctionem, non est necessaria realis distinctio, ut putavit P. Venetus *in Met. tract. c. 31.* Nam figura & quantitas sunt in diversis prædicamentis, quæ tamen realem distinctionem non habent.

Non est necessaria realis distinctio.

Inter prædicamenta.

habent, sed modalem solum. Et ita docuerunt Thom. 12. *Met. cap. de motu, lect. 9.* Occamus *quodl. 5. quæst. 22.* & alijs locis Capreol. 1. *d. 8. q. 2. ad. 18.* Proinde prædicamenta distinguuntur per varios modos essendi & prædicandi de substantijs primis, ut colligitur ex ratione prius facta ad defensionem propositæ divisionis, & prolixius persequitur Fonseca *l. 5. Metaph. c. 6. q. 3. s. 3.* & Suarez *disp. 39. Met. s. 2. n. 18. seqq.* quibus adde Armand. de Bello visu *tract. 2. term. c. 29.* Porro actio & passio diversimodè afficiunt substantiam primam. Aliud enim est Socratem verberare, & aliud Socratem verberari. Hinc igitur dimissa actionis & passionis identitate, nihilominus ea satis habent ad hoc, ut diversa prædicamenta, atque sic etiam diversa accidentium genera constituant.

PVNCTVM II.

An accidentium divisio sit abundans.

119. *Quantitas, relatio & habitus non vellè dicuntur qualitates.*

SEcundum caput objectionum, quoad distinctionis propositæ abundantiam; quantum ad primum membrum, ex dictis solutum requiritur. Probatur enim ibi ex actione & passione fieri debere unum genus accidentis, quia idem sunt. Sed cur id fieri non possit, jam patuit.

In quale est bifariam sumitur.

Deinde in discursu Vallæ multa falsa sunt & ἀσυλλόγιστα. Nam primum, quod quantitas, relatio, & habitus referuntur ad qualitatem, quia in quale est, prædicentur, ad id respondeo per distinctionem: *Prædicari in quale est*, bifariam sumitur, Al quando *in quale est*, prædicari opponitur *nè* prædicari *id quid est*. Sic omnia accidentia prædicantur in quale est: in quale, *inquam*, & non in quid, quia accidentia non dant esse simpliciter sed solum esse tale. Et hoc modo verum est, quantitatem, &c. prædicariin quale est: Sed inde non magis qualitates dici possunt, quàm actio. Nam & hæc in quale est dicitur, & eam tamen à qualitate distinguit Valla. Deinde *in quale est prædicari* sumitur strictè, prædicantúrque tùm in quale est, quæ sunt habitus vel potentiæ naturales, vel qualitates patibiles vel figuræ: Et huic quali correspondet. Qualitas prout speciale prædicamentum facit, Patétque tùm quantitatem, relationem & habitum qualitates non esse. Quod si latiùs sumendum putet Valla vocabulum *Qualitatis*, cur ludit in vocabulis & terminos mutat ad rerum confusionem?

120. *Situs non potest esse actio vel qualitas.*

Secundò situs non potest esse actio vel qualitas. Nam inprimis possumus stando, sedendo, jacendo, &c. otiosi esse, hoc est, nihil agere. Ergo situs indifferenter se habet ad agendum, & non agendum. Proinde si quis sedens, v. g. agat, tùm act. o est per accidens ad sessionem, & ab ea abesse potest. Consistítque consequenter formalis ratio situs non in agendo, sed in positu partium, in ordine ab ubi. Ad qualitatem autem non potest pertinere situs, ob objectionem à Valla insinuatam, quia figuratio quidem pertinet ad Qualitatem, sed ea, qua designantur lineæ in quantitate. Per situm autem designatur solùm positus partium in ubi. Possúntque adeò in re situata duo observari. Primum est, quod cùm situs soli corpori conveniat, consequenter omne situatum habet quantitatem, & proinde terminos quantitatis. Alterùm est quod habet alium atque alium positum in ordine ad ubi. Atque sic positus potest variari, servatis iisdem quantitatis terminis. Unde apparet non esse ea unum & idem. Prius horum, sub nomine figuræ, pertinet ad qualitatem. In hoc autem formaliter consistit ratio situs.

121. *De ubi.*

Tertiò non probat Valla reductionem *nè ubi*, sed interrogat solùm. Respondeat Ergo sibi ipsi.

122. *De quando.*

Quarto nè Quando, sive tempus, ut ipse loquitur, non est actio. Nam actio est agentis actio. At nullum denominari potest agens, cujus quasi formalis ratio, hoc est, unde agens denominetur sit tempus. Quin & quiescentes & nihil agentes duramus & sumus in tempore.

123.

Denique *passio* non potest referri ad actionem. Neque etiam, si quid actioni deserviat

ſerviat ſtatim actio eſt. Ineus deſervit ad cudendum ferrum. Neque tamen actio eſt. Et multæ ſubſtantiæ ſimiliter deſerviunt actioni agentis, nec tamen actiones ſunt. Quid? Aquam ab igne calefieri, eſtne eam aliquid agere? Ἄλογον.

Paſſio non poteſt referri ad actionem.

Ad *tertium* de motu & loco reſpondeo: ea ab Ariſtotele quantitati annumerari, populari ſermone & inaccurato, prout in libro categoriarum multa dixit. Ita colligitur ex 5. *Metaph. c.* 13. ubi quaſi hanc ſententiam retractavit. Videbimus id ſequenti capite.

124.

Quartum membrum facilè ſolveretur de habitu, ſi habitus non eſſet corpus adjacens, ſed corporis adjacentia, ut aliqui dicunt: ſed tamen quia verior ſententia eſt: Habitum eſſe corpus adjacens, ut ſuo loco videbitur: ideirco nunc dico: Corpus adjacens eſſe quidem ſubſtantiam: ſed tamen in quantum illud afficit ſubſtantiam aliam extra eſſentialiter, hactenus non immeritò vocatur accidens. Vide infrà *cap. ult. ſect.* 2. Habitus ergo hactenus ex numero accidentium ejici non debet.

125

PUNCTUM III.

An diviſio accidentium deficiat?

VEnio nunc ad tertium caput objectionum, in quo putabatur propoſitam diviſionem defectivam eſſe particulatim igitur ad ejus membra reſpondeo.

126

Ad *primum* membrum de cauſalitatibus aliarum cauſarum *reſpon.* 1. Dici poſſe, quod eæ per reductionem pertineant ad actionem, ut inſinuat Suarez *diſp.* 16. *ſ.* 1. *n.* 9. Sed tamen melius erit, ſi partiamur hanc rem. Inprimis igitur de cauſalitate finis dico: quia *finis* imitatur cauſalitatem efficientis, quòd ideirco ejus cauſalitas non poſſit incommodè referri ad actionem. De cauſalitate autem *materiæ* & *formæ* reſpondeo: cùm materia & forma ipſa propter Entitatem ſuam incompletam, non ſint in prædicamento per ſe, multò minus earum cauſalitates facere ſpecialia prædicamenta. Ratio autem quæ ab efficientis cauſalitate, tanquam à pari putatur ſumi, revera non eſt à pari. Nam efficientis cauſalitas, hoc eſt, actio denominat ſubſtantiam primam. Actiones enim potiſſimùm vendicantur ſuppoſitis. At ſuppoſita non poſſunt exercere cauſalitatem materialem vel formalem, quia ad hoc requiritur Entitas incompleta. Suppoſitum autem debet habere Entitatem completam. Porro ex habitudine ad ſubſtantiam primam, ut aliquoties dictum, ſumitur numerus & varietas prædicamentorum.

127

Cauſalitates non efficiva quò pertineant?

Ad *ſecundum* membrum de extrinſecis denominationibus reſpondeo: exempla, quæ afferuntur, eſſe differentia. Igitur illæ denominationes, quæ ſumuntur à potentiis vitalibus, non poſſunt facere ullum genus accidentis, quia nullam Entitatem dicunt in ſubjecto, quod denominant. Veluti, cùm pomum aliquod amatum vel cognitum dicitur: non ſignificatur his denominationibus Entitas circa pomum. Sed ſolùm actus potentiæ appetitivæ vel intellectivè in anima, qui refertur ad iſtud objectum, tanquam terminum ſuum. Hi autem actus animæ ſuum prædicamentum habent. De cætero, quia nihil Entitatis eſt, conſequenter etiam nullum prædicamentum requiritur, vel genus accidentis. Nam omne accidens eſt Ens. Determinationes autem dealbati, deaurati, & ſimiles ad prædicamentum habitus pertinent, ut ſuis locis dicetur.

128.

Extrinſeca denominationes ad pertineant ad prædicamentum?

Ad *tertium* dico: ex habitu non poſſe conſtitui duo prædicamenta, ſicut id fit ex motu: etſi habitus ſit medium quid inter rem veſtitam, verbi gratiâ, & veſtem. Nam motus utrinq; denominat & agens & patiens. Res autem veſtita non denominat veſtem, ut ullam ſpeciem formæ inducat, quod in accidentibus requiritur, niſi hominem formam veſtis dicere velimus, ſicut formam calcei dicimus, quod intra calceum continetur, dum primùm conſuitur, ut Fonſeca loquitur 5. *Met. c.* 7. *q.* 2 *ſ.* 3. *ad ſextum*. Iſta autem locutio eſt impropriſſima, nec à Philoſophis curatur.

129

Habitus non conſtituit duo prædicamenta.

TITVLVS VI.

De ordine quo docenda sint accidentia.

130 *Intrinseca accidentia præferuntur extrinsecis.*

HAnc ad rem, quæ Methodum concernit, pauca repeto *ex introduct. Log. c. 6. num.22.*

Primò: *Accidentia intrinseca rectè præponuntur extrinsecis.* Nam potissimus & nobilissimus modus accidendi, sive afficiendi substantiam, est per inhærentiam. Unde is quasi est mensura aliorum. Hab.tus enim qui extrinsecum accidens significat, in tantum accidens est, in quantum quodammodo induit rationem formæ, in ordine ad rem habituatam. Mensura autem est prior mensurato.

131 *Quantitas cæteris.*

Deinde *inter accidentia, quæ subjectis suis interna sunt, rectè primo loco dicetur de quantitate.* Nam inprimis noster modus cognoscendi, sicut est à temporalibus ad æterna; ita est à materialibus ad immaterialia. In substantiis autem materialibus inter omnia accidentia prima est quantitas. Ipsa enim radicatur in materia. Materia autem omni corpori naturali præsupponitur, & formâ etiam ipsâ prior est, tanquam subjectum ejus. Unde consequens est, ut quæ accidentia materiam consequuntur (qualis est quantitas) priora sint iis, quæ formam consequuntur.

132. *Qualitas an relatio prior sit.*

Sed quis ordo observandus est inter relationem & qualitatem? Aristoteles enim *in Met.lib.5.* qualitatem relationi: At *in lib.Categ.* Relationem qualitati præposuit. *Respondeo;* qualitatem præponendam relationi, quia illa continet fundamentum cujusdam relationis, nempe similitudinis & dissimilitudinis, ut Aristoteles docet *lib.Categ.c.8.* Fundamentum autem prius est relatione.

Cur autem Aristoteles *in Categ.* docuerit de relatione ante qualitatem, ejus rei causam alunt Interpp. esse hanc; quia scilicet ipse mentionem fecerit relationis, *in cap. de quanto,* & proinde ipse voluerit statim explicare naturam relationis.

Hoc igitur summatim ordine deinceps tractanda sunt accidentia; 1. De quantitate. 2. De qualitate. 3. De relatione. 4. de actione. 5. De passione. 6. De quando. 7. De ubi. 8. De situ. & 9. De habitu.

CAPUT VII.

DE QVANTITATE.

1. IN genere accidentium primò est Quantitas.
2. Quantitas est accidens, secundum quod res dicitur extensa.
3. Estque continua vel discreta.
4. Quantitas continua est, secundum quam res est extensa secundum magnitudinem, hoc est, longitudinem, latitudidem, profunditatem.
5. Quantitas discreta est, secundum quam res sunt extensæ secundum multitudinem. Vulgò dicitur *Numerus.*

COMMENTARIUS.

QUr primò de quantitate agatur inter accidentia. Jam dictum est *prædicam. cap.tit. 6.* Nunc autem id principio hîc constituendum est, *ea* [illegible] *quatenus Met.physici sit agere de quantitate.* Inde enim summatim dicendorum de hac materia.

TITVLVS I.

De Proœmialibus.

SUb hoc titulo de duobus ago; 1. *Cujus disciplinæ sit agere de quantitate.* 2. *De vocabulo* quanti & quantitatis.

ARTI-

ARTICVLVS I.
Cujus disciplinæ sit agere de quantitate.

INprimis ad hanc rem certum est: quòd aliæ à Metaphysica disciplinæ agant de quantitate. Veluti *Logicus* agit de ea, prout est tertium comparationis, in quo res dicantur pares vel impares, aut etiam prout est pars objecti Logici, quo sensu Logicus de eo in prædicamentis agit. *Physica* agit de quantitate, in quantum ea est affectio corporis naturalis. *Mathesis* agit de quantitate, in quantum ea est abstracta à materia sensili, atq; adeò in quantum ea consideratur juxta propria attributa, inconfusè concepta materia quapiam intelligibili, qualis putatur esse materia prima. à Zabarell. *in comment. ad 2. Phys. t. 18.* Soncin. *6. Metaph. q. 11.* de qua re differui *in introd. Log. de Philos. num. 84.* Scalig. aitt Mathematicum de quantitate agere *sub ratione æqualitatis, inæqualitatis, similitudinis, proportionis, continentis, contenti, productilis, curatilis, unitatis, pluralitatis, simplicitatis, rationalis, irrationalis, fortuitæ, necessariæ, concessæ, confessæ, sumptæ, datæ, deductæ, conclusæ.* Vide ipsum *lib. 2. de plant. pag. 459. 459.* Et adde Zabarell. *l. de nat. scient. constit. c. 12. p. 37.* 2 *Quomodo de quantitate agat Physica Mathesis.*

Jam præterea dico I. *oportere Metaphysicum etiam agere de Quantitate.* Ita patet, non solùm autoritate Aristotelis, (qui de quanto egit, *lib. 5. Metaph. c. 13.*) aliorumque Metaphysicorum, sed etiam duplici ratione. Nam. 1. Metaphysici officium est præscribere inferioribus disciplinis objecta. Quantitas autem est objectum alicujus particularis disciplinæ, nempe Matheseos. Porro illa subjecti præscriptio fit speculativè. Non est igitur citra omnem subjecti illius inferioris cognitionem. Deinde aliud munus Metaphysicâ est persequi, vel saltem attingere, omnia summa genera Entium. Ita enim sequitur inde, quòd ipsa est universalissima scientia. At quantitas constituit summum genus Entis. 3 *Metaphysicum.*

II. *Metaphysicus non potest per se agere de quantitate, sub cognitione plena & scientifica, nec in genere, nec in specie.* Ita apparet clarissimè ex priori propositione. Nam ex ea suppono, quòd quantitas generatim & in tota sua latitudine sit objectum Matheseos. Nullius autem scientiæ particularis objectum potest distinctè cognoscere Metaphysica. Alias enim & disciplinæ & abstractiones confunderentur. Siquidem uniuscujusque disciplinæ proprium officium est, considerare scientificè subjectum suum. Abstractiones autem necessariò confunderentur: Quia subjectum disciplinæ utique habebit abstractionem illi disciplinæ convenientem. Ergo habeat eam discrepantem ab abstractione alterius. Ergo si Metaphysicus, (ut ad propositum applicemus) ageret de quantitate, ageret de eo, quod sibi deputatæ abstractioni repugnat. 4 *Quomodo & quatenus Metaphysica agat de quantitate.*

Unde porro, ut res clarior fit. *Secundò* argumentor: Quæcunq; in solis rebus materialibus (quæ per Physicam materiam tales sunt) reperiuntur, illa non possunt in Metaphysicis per se considerari. Patet. Nam Metaphysica ea solùm tractat, quæ vel abstracta sunt à materia, secundùm essentiam, vel sunt indifferentia ad res materiales & immateriales, *ut lib. 1. c. 1.* constitutum est. At quantitas solùm reperitur in rebus materialibus. Primò enim sequitur materiam. Ergo de illa etiam non potest per se agi in Metaphysicis.

Objectiones.

SEd *objicitur* ad assumptionem bifariam. *Primò*: Sub quantitate continetur etiam quantitas intelligibilis. Quantitas autem intelligibilis tribuitur rebus immaterialibus, veluti Angelo existenti in spatio divisibili. Ibi enim ob extensionem spatii, in quo est Angelus, apprehendimus quandam extensionem etiam ipsius Angeli. Extensio autem est vel formalis effectus, vel essentia quantitatis. Quantitates igitur, ut sic, dicuntur indifferenter ad res materiales & immateriales. At quæ talia sunt, sunt contemplationis Metaphysicæ. 5

Deinde quantitas, ut sic, præscindit à quantitate continua & discreta. Jam discreta quantitas convenit rebus materialibus & immaterialibus. Dicimus enim, verbi gratia, tres homines, & tres Angelos. Ergo à fortiori, quantitas, ut sic, indifferenter dicitur, ad res materiales, & immateriales. Sola autem quantitas continua maneret in rebus materialibus.

Solutiones.

6 *Quantitas intelligibilis non est verè quantitas.*

AD *primum* respondeo: cùm quantitas intelligibilis dicit τὸ *intelligibile* diminuit de ratione quantitatis, & improprietatem significat, hoc sensu, quòd ex res habeant quantitatem intelligibilem, hoc est, quòd ex res non habeant quidem quantitatem, noster tamen intellectus in iis, ex intelligendi imperfectione, intelligat & apprehendat aliquid per modum quantitatis. Atque hoc satis indicat Scalig. *exerc.* 359. *s.* 3. cùm quantitatem intelligibilem opponit quantitati prædicamentali. *Quantæ*, inquit, *sunt intelligentiæ*, haud quantitate prædicamenti, sed quantitate intelligibili, *ut intellectus intelligat unam partem, quæ non sit alia.* In præsenti autem est sermo de quantitate prædicamentali solùm.

7. *Quantitas discreta non convenit immaterialibus.*

Ad *secundum* respondeo: quantitatem discretam (quicquid sit de potestate & ambiguitate vocis tamen) prout ea in prædicamento quantitatis intelligitur, non convenire rebus immaterialibus, atque ita nec quantitatem discretam, nec quantitatem simpliciter, dici indifferenter ad res materiales & immateriales. Ita docet Javell. *lib.* 8. *Met. q.* 11. Sonc. 10. *Met. q.* 13. Suarez. *disp. Met.* 41. *sect.* 2. aliiq; autores quos ibi vide *n.* 4. Ad hæc igitur observandum est: quòd quantitas discreta, ut ex vi vocis apparet, duo significet & implicet, primò discretionem sive divisionem, vel multitudinem: Deinde quantitatem, hoc est, significat in quantitate multitudinem. Discretum enim additum ad quantitatem, non est vox diminuens de ratione quantitatis, sed quasi specificans eam, unde oportet, ut quantitas discreta simpliciter & sine addito sit quantitas. Ergo quibus ea tribuitur, ea etiam simpliciter, & sine addito sunt quanta. At res immateriales non solemus simpliciter & sine addito & propriè quantas dicere.

Non omnis multitudo est in prædicamentis.

Unde rursus relinquitur, quòd non omnis multitudo sumanur secundùm quantitatem discretam, prouten rigorosè & in prædicamento intelligitur. Talis est omnis ea, quæ attribuitur rebus immaterialibus, veluti cùm *tres* personas divinitatis, *mille* Dei attributa, *mille* Angelos, *mille* animas, &c. dicimus. Nempe ista omnia dicuntur multa per multitudinem transcendentalem, quæ, sicut nec unitas transcendentalis, ad rationem Entis nihil reale addit. Indèque accidens aliquod prædicamentale non constituit. Atque ita apparet, quod quantitas discreta, quæ cum quantitate continua dividit prædicamentum quantitatis, non reperiatur, nisi in rebus materialibus, hoc est, habentibus quantitatem continuam. Proinde si quantitas continua non pertinet per se ad Metaphysicam, quoad scientificam tractationem, ut nunc supponitur, & facilè patet ex ejus adæquatione ad solas res materiales, omnino idem censendum etiam de quantitate discreta, & proinde de quantitate simpliciter. Nam si nulla quasi species quantitatis attribui potest rebus immaterialibus. Ergo quantitas ut sic, statim habet repugnantiam ad res immateriales. Et proinde, quod de quantitate in particulari hactenus conclusum est, sequitur eodem rigore de quantitate in communi.

8 *Mathesis generalis probatur.*

Atque hinc, ut ibidem dicam, probabilem existimo sententiam Clarissi. Mathematici *Dn. Joachimi Jungii*, antehac Professoris & Collegæ nostri dilecti, quâ existimat: dandam esse generalem quandam Mathesin, in qua agatur de quantitate in communi. Geometria enim & Arithmetica statim agunt particulatim de quantitate. Dantur autem aliqua communia prædicata, quæ de quantitate demonstranda sunt Mathematico. Neque tamen id intendo, quasi in ista generali Mathesi omnia de quantitate docenda debeant. Physicus enim eam distinctè cognos-

sent affectiones sui subjecti, persequi eam oportet etiam, quæ non conveniunt quantitati, ut à materia sensili abjunctæ.

Proponuntur tractanda.

EX hactenus dictis facilè apparet: quatenus Metaphysica debeat agere de quantitate. Nempe, quia ipsa est subjectum inferioris disciplinæ, debet solùm de ea agere, præcognoscendo eam. Præcognitio autem in duobus est, nempe in cognitione nominis & an sit. Nihilominus, quia dubium est: an quantitas discreta Ens, atque adeò quantitas sit, ideò, ut constet Arithmeticæ subjectum suum, præter ea, quæ proposita sunt, agendum est breviter de definitione quantitatis, ejúsque in quantitatem continuam & discretam divisione: quæque adeò ad rationem Entitatis in quantitate discreta necessaria erunt. Et tandem de attributis quantitatis. 9.

ARTICULUS II.

De voce quantitatis & quanti.

ARistoteles agens de quantitate, ut & alii veteriores Philosophi, *quantum* dixerunt, non quantitatem: idque duabus, ut ajunt, de causis. *Primo*, quòd quantitas reddat seipsam quantam. Quia enim istius officium est, extendere substantiam: hinc fieri non potest, quin ipsa etiam coextendatur illi. Unde sicut alia accidentia, veluti albedo, nigredo, calor, &c. quanta dicuntur, quia in quanto sive extenso subjecto recipiuntur: Ita etiam eadem de causa quantitas quanta dicitur. Alteram causam, quæ prior est, ajunt esse hanc, quòd concreta solent esse notiora abstractis. Qua de causa & pro nomine qualitatis antiquitus *quale* dicebatur. 10. *Cur Aristoteles quantum dicat & non quantitatem.*

Nihilominus, quia abstracta purius indicant essentiam rerum, quàm concreta: hinc crescente studio Philosophiæ pleraque vocabula concretiva dimissa sunt, assumptis abstractis: quomodo nunc non quantum, nec quale sed quantitatem & qualitatem dicimus, cum de istis accidentibus putè & præcisè loqui volumus. *Præfertur vox abstracta.*

Porrò vox *quantitatis* ambigua est, Pererius *lib.* 12. *de tempore, c.* 5. numerat quinque significata (ipse species vocat) quantitatis: Nempe quantitatem magnitudinis, multitudinis, ponderis perfectionis & durationis. Celebrior est distinctio quantitatis, (quæ itidem nominalis distinctio est) in quantitatem intensivam & extensivam. Ubi quantitas *extensiva* est, quâ subjectum extensum dicitur. *Intensiva* autem est, secundum quam aliquid dicitur majoris vel minoris virtutis. Majus enim & minus ex prima institutione & impositione quantitatem significant. Unde quibus ista applicantur, in iis aliqua ratio quantitatis apprehenditur. Huc pertinet, quod Augustinus ait, *Lib de Trin. c.* 8. *In iis, quæ non sunt magna mole, hoc est majus esse, quod est melius esse.* 11. *Ambiguitas in voce quantitatis.*

Porrò nunc sub nomine quantitatis non agimus in tanta latitudine: sed præscindendo à quantitate intensiva. Quantitas enim intensiva, sive virtutis & perfectionis (prout aliis nominibus significatur) magis qualitatem & gradus in ea, quàm quantitatem significat.

Aliter quantitas sumitur aliquando impropriè, prout accommodatur iis, quæ revera quantitatem non habent, concipiuntur tamen eam habere: Hæc dicitur quantitas intelligibilis. Aliquando vero propriè sumitur pro quantitate prædicamentali, sed de hac distinctione satis dictum est, *art.* 1. *ad* 1. *objecta in præcedenti.* 12.

TITULUS II.

De essentia & definitione quantitatis in genere.

ARist. *in Categ.* nullam generalem tradidit definitionem: sed illicò eam in continuam & discretam distinxit. Id ea de causa factum putatur, quod in 13. *Cur Aristo-*

Logicis

telet in Categ. non definiverit quantitatem.

Logicis non tam natura rerum scrutanda sit, quàm earum dispositio ordo, ut Cajetanus autumat, referente Colleg. Conimbr. *1. Categ. c. 6. qu. 2. in expl. text.* Alii autem putant, ideo id factum esse, quia quantitas æquivocè dicitur de continua & discreta quantitate. Sed nihilominus aliquatenus continuam & discretam quantitatem convenire, propter quam convenientiam aliquam communis definitio assignari possit, mox apparebit.

14. Solet hic frequenter à Dd. disputari: *An quantitatis essentia sit eadem cum essentia substantiæ.* Item: *In qua extensione consistat.* Rursus: *An ea sit posita in ratione mensuræ.* Sed hæc inprimis intelliguntur de quantitate continua. Unde hic ab istis quæstionibus abstineo. Poterunt autem attingi in seqq. qq. per digressionem.

15. *Quanti definitio Aristotelica.* Igitur Aristoteles *l. 5. Met. cap. 15.* ait: *Quantum esse, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque unum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Sed illa definitio non tam quantitatis, quàm quanti est. Et satis est intricata: quanquam ad bonum sensum eam exponi posse non nego: ut ex iis apparet, quæ à Suarez disputantur *disp. 40. s. 1. n. 2. seqq.*

16. *Quantitas perfectè definiri non potest.* Porro id inprimis sciendum est: quod quantitas perfectè definiri non possit. Est enim summum genus, sicut cætera omnia prædicamenta. Unde quantitas rigorosè loquendo, nec genus habet, nec differentiam: sed à parte rei convenit ei conceptus simplex & indivisibilis. Et proinde species non est. At solæ species perfectè definiuntur. Ut Damascenus ait *in Dial. cap. 5.* Et Aristoteles *7. Met. cap. 4. Non erit*, inquit, *ulli eorum, quæ non sunt species generis, quod quid erit esse, sed his solùm.*

17. *Traditur ejus descriptio.* Hoc posito: nihilominus qualiscunque descriptiuncula dari potest quantitatis. Solent autem frequenter istæ definitiones nominaliter fieri, & per nomina concretiva. Ita qualitas dicitur, à qua res denominatur qualis. Actio est secundùm quàm in id, quod subjicitur, agere dicimur: Et sic in aliis. Ad hunc modum igitur *quantitas est accidens, à quo substantia denominatur quanta.* Porro esse quantum, & esse extensum idem sunt. Quantitas igitur eodem sensu dicitur accidens, à quo res denominatur extensa.

TITULUS III.

De divisione quantitatis in continuam & discretam.

18. ΤΟΥ ποσοῦ τὸ μὲν ἐστὶ διακεκριμένον, τὸ δὲ συνεχὲς, ait Aristot. *l. Categ. c. 6. §. 1.* & *lib. 5. Metaph. c. 13.* agens de quantitate, facit mentionem ἀριθμοῦ καὶ μήκους. Atque hæc est illa divisio quantitatis quâ distinguitur in continuam & discretam.

19. *Quantitas continua quid. Continuum & contiguum quo modo differant.* *Continua* igitur quantitas dicitur, cujus extrema copulantur ad terminum Dum *ad unum terminum* dico, distinguo continuum à contiguo. Contigua enim autore Scalig. *lib. 2. de plant. p. 354. 355.* sunt: quorum extrema sunt ἅμα, sive *simul*, (ubi diversitas notatur) continua autem sunt, quorum extrema copulantur ad ἕν non ad ἅμα. Sive quorum punctum, in quo conjunguntur, est *unum*. In contiguis autem punctum non est unum, sed puncta sunt simul. Sic & Aristoteles *5. Metaph.* ait: ἀπτόμενα, ὧν τὰ ἔσχατα ἅμα. Et *6. Phys.* συνεχῆ δὲν τὰ ἔσχατα ἕν. Porro contiguorum quantitas huc non pertinet. Nam quæ contigua sunt, à parte rei non unum, sed multa sunt, & revera constituunt Ens per accidens. Proinde etiam quantitas, verbi gratia, duarum tabularum conglutinatarum non est una, sed duplex. Contiguitas igitur non pertinet ad quantitatem prædicamentalem. Dum autem perto dictum est in definitione quantitatis continuæ, *quod ejus extrema copulentur*: In eo constituitur ejus à quantitate discreta differentia. Nam ad rationem quantitatis discretæ pertinet (non ut habeat partes copulatas vel conjunctas, sed) ut habeat partes diversas, discretas & separatas.

20. Mittendo quantitatem continuam, quantitas discreta nunc est, cujus partes

sunt

extensæ secundùm multitudinem. Porrò multitudo fit ex divisione. Sicut
ur multitudo transcendentalis consistit, vel fit ex divisione vel separatione En-
. Ita multitudo prædicamentalis fit ex divisione quantitatis continuæ. Nunc
ratis terminis,

QUÆRITUR;

An Quantitas bene dividatur in continuam & discretam.

duplici capite hanc distinctionem impugnat Timplerus, *l.* 5. *Metaph. c.* 2. *q* 4.
Primo: quia continuum & discontinuum, sive discretum propriè dicuntur de
oribus quantis. Ideóque quantitati hinc tropo attribui non possunt. *Secundo*: licèt, *inquit*, concedamus, per quantitatem continuam nihil aliud intelligi
ilosophis, quàm magnitudinem; per discretam, multitudinem quemadmo-
Aristoteles utitur his terminis, 5. *Metaph. c.* 13. tamen divisio illa non est
uata suo diviso, sed eo angustior: si quidem non omnes species quantitatis
aliter sumptæ suo ambitu complectitur, verùm duntaxat species quantitatis
itæ (facit enim ipse aliquam quantitatem comparatam, veluti æqualitatem,
ualitatem, paritatem, imparitatem esse magnum vel paruum, longum vel bre-
um vel angustum) eáque non omnes, sed illas tantum, quæ dicuntur magnitu-
tensiva & numerus. Intensivam igitur quantitatem, sicut & comparatam ista
o omittit.

21. *Argumenta Timplerí contra hanc divisionem.*

d alia his gravior difficultas est, quâ *tertio* objicitur, quòd ea divisio mala sit,
quantitas discreta non sit unum quid, sed al quid per aggregationem. Addunt
, quod solum sit Ens rationis. At quæ talia sunt, non possunt in eodem ge-
convenire cum Entibus per se, & Entibus realibus.

hoc quidem posterius argumentum satis arguit non adeò bonam esse istam,
onem, sed quia attingit specialiter aliqua pertinentia ad naturam quantita-
scretæ, proinde ex dicendis de quantitate discreta plenius judicium hac de re
ri potest, quòd scilicet non satis exacta sit ista divisio. Timplerus tamen eo
nento uti non potest. Nam ipse etiam absolutam extensivam quantitatem
t in magnitudinem & numerum, quæ nihil aliud sunt, quàm quantitas con-
& discreta, ut Aristoteles ista *ex lib. Categ.* vocabula interpretatur *lib.* 5. *Me-*
. 13. Argumenta autem Timpleri nihil officiunt.

22. *Non esse bonam illam divisionem vigorosè loquendo.*

primum respondeo: negando consequentiam. Continuum enim & discre-
vel discontinuum, ut loquitur Timplerus, non magis dicuntur de corporibus
esse quantum. Imò hoc est de ratione accidentis, ut concretivè dicatur de
ncia. Unde sicut à calore & frigore corpora dicuntur calida & frigida. Ita à
itate corpus formaliter denominatur quantum, & speciatim continuum, dis-
nuum. Deinde Timplerus, miror, quem sensum sibi imaginetur sub vocibus
ui & discreti. Ait enim per prolixam concessionem, & quasi hypothesin:
cedamus per quantitatem continuam significari magnitudinem, & per discre-
umerum. Quid igitur aliud volunt Philosophi, quoties istis terminis utun-
Aut quid aliud tu sub istis apprehendis?

23. *Solvuntur argumenta Timplerí.*

secundum respondeo: de quantitate comparata, eam non pertinere ad præ-
entum quantitatis. Nam quantitas comparata notat quantitatem & rela-
n, sive relationem in quantitate fundatam. Ideóque quantitas comparata
mine concretiva, veluti æquale, inæquale, magnum, parvum, *&c.* est Ens
cidens, & diversorum prædicamentorum, ut ipsa vox *quantitatis* compa-
ndicat. Quòd si tamen abstractiva nomina adhibeamus, simpliciter signi-
relationes, ut Aristoteles clarè docet *lib. categ. c.* 6. § 19. 20. Si quis inquit ad
ituni axioma, quod relatis nihil sit contrarium) *dicat multum pauco esse*
ium, vel magnum parvo. Respondet: *bonum bulbum esse quantum, sed*

24. *Quantitas comparata non pertinet ad prædicamentum quantitatis.*

potiùs ad aliquid. Nihil enim per se magnum dicitur vel parvum. Sed eo quod ad alterum refertur.

25. *Nec intensiva.* *Deinde*, de quantitate intensiva respondeo: similiter eam non pertinere ad prædicamentum quantitatis, ut initio dictum est, & nunc probatur. Nam inprimis intensio & remissio reperiuntur solùm in qualitate, per Aristot. *l. Categ. c.8. §.* 26. Esto igitur calor. Is est qualitas, cùm est in tanto, vel tanto gradu, significatur ejus intensio & remissio. Jam si intensio & remissio adderent ad qualitatem istam aliquod ens, veluti quantitatem, tùm nulla talis qualitas esset simplex, sed omnis esset ens per accidens, quia nulla qualitas intensibilis datur sine gradibus uno vel pluribus. Tùm etiam non patitur hoc unitas motus. Nam alterationis unitas requirit unitatem termini. Et tamen ea fit ad calorem intensum. Calor igitur intensus non significat duo Entia simul, quantitatem scilicet & qualitatem. Et tandem quam causam hic habet Timplerus, multiplicandi Entia, hoc est, è calore, verbi gratia, intensio faciendi quantitatem & qualitatem, Entia sine necessitate multiplicanda non sunt.

TITVLVS IV.

De quantitate continua.

26. DE quantitate continua præcedente titulo confusè dictum est, nunc perquirendum est distinctè, in quo illius essentia consistat, quod quatuor quæstionibus vel articulis fieri potest. *Primò*: An essentia quantitatis eadem sit cum essentia substantiæ, nempe corporeæ. *Deinde*: An essentia illius consistat in ratione mensuræ. *Tertio*: An consistat in divisibilitate. *Denique*: Quomodo consistat in extensione.

ARTICVLVS I.

An essentia quantitatis eadem sit cum essentia substantiæ.

27. PEr substantiam nunc determinatè intelligitur substantia corporea. In rebus enim incorporeis non reperitur quantitas continua.

PVNCTVM I.

Opinio dicentium: Quantitatem non distingui à substantia.

28. IGitur cum illa substantia eandem essentiam habere quantitatem, multis visum est, quibus ita se habet quantitas ad corpus, sicut attributa transcendentalia ad Ens. Atque ita illis corpus significat essentiam præcisè. Quantitas autem significat eandem essentiam corporis cum connotato, nempe, ut habentem partem extra partem. Tenuerunt hanc sententiam Aureolus apud Capreol. 2. *dist.* 18. *a.* 2. Occamus 4. *q.* 4. & *quodl.* 4. *q.* 29 *seq.* Gabriel. 2. *dist.* 10. Major. *ibid. d.* 2. *q.* 2. aliique, quos Suarez refert *disp.* 40. *Metaph. s.* 2. *n.* 2. Pererius etiam contendit *l.* 10. *Phys. c.* 2. nullâ ratione naturali evidenter ac demonstrativè posse probari oppositam sententiam, quam tamen ipse tenet, argumento sumpto ex Eucharistia, ubi quantitatem panis à substantia separatam esse ait, & sic ibi indicari entitates realiter diversas.

29. *Argumenta negativa sententiæ.* Argumenta pro hac sententia varia afferri solent. *Primum*: non sunt multiplicanda Entia sine manifesta necessitate, quæ hic non apparet. Videntur enim omnia expediri posse, solum si quantitas ad essentiam corporis connoter istam extensionem partis extra partem. *Deinde*: quod realiter distinctum est ab alio, à Deo separari potest ab eo. At quantitas non potest separari à corpore. Ergo quantitas ab ea realiter distincta non est. Assumptio patet. Nam si separet Deus quantitatem,

citatem, quæro an non post illam separationem corpus retineat multas partes: utique. Nam corporis essentia est composita ex multis partibus integrantibus. Essentialia autem supponimus remanere in corpore separatâ quantitate. Tum porrò quæro: An illarum multarum partium una possit esse extra aliam? Potest autem sine dubio. Nam nulla necessitas est, cur omnes illæ partes collabantur in punctum, cùm & spiritus, hoc est, res quantitate expertes possint habere extensam præsentiam. Ergo separatâ quantitate adhuc remanet formalis effectus quantitatis, hoc est, extensio & positio partium extra partem. Ergo non opus est, addere aliquod accidens, quod illam extensionem præstet. 3. Confirmatur autoritate Aristotelis, qui 2. *post. t.* 178. & punctum & unitatem vocat substantias. *Unitas*, inquit, *est substantia sine positione. Punctum verò est substantia cum positione.*

PUNCTUM II.

In quo proponitur & approbatur alia sententia.

30. *Autores affirmativæ sententiæ.*

IN oppositum plurimi Philosophi & Theologi sentiunt: quantitatem esse Entitatem à substantia distinctam. Plurimisque argumentis eam sententiam confirmat Alb. Magn. 1. *Phys. tract.* 2. *c.* 4. Burlæus 1. *Phys. ad t.* 15. Herveus *quodl.* 1. *q.* 15. Thom. 3. *p. q.* 77. *a.* 4. & 4. *d.* 12. *quæst.* 1. *a.* 1. Scotus *ibid. q.* 2. & 2. *d.* 2. *q.* 9. Soncin. 5. *Met. q.* 15. Fonseca 5. *Met. c.* 13. *q.* 2. *s.* 2. Suarez *disp.* 40. *sect.* 2. Perer. *l.* 10. *Phys. qui est de quantitate, c.* 1. *n.* 2. 3. aliique plurimi.

31. *Ejus argumenta.*

Pauca nobis pro hac sententia, quam veram putamus, sufficiunt. *Primò* variatur quantitas corporis, essentialiter ipso nihil mutato. Ergo signum est quantitatem & essentiam corporis non esse idem. Quæ enim eadem sunt, iis eadem accidunt, & si non eadem accidunt, sunt diversa, ait Aristoteles 7. *Top. c.* 1. §. 7. Antecedens autem patet in augmentatione & diminutione. Per istos motus mutatur quantitas corporum. Essentia autem corporum nihil mutatur. Imò de ratione mutationum accidentalium est, ut essentia subjecti sive corporis naturalis nihil mutetur. Idemque est in condensatione & rarefactione ejusdem corporis. Hîc rarefactio disponit ad ampliorem locum & quantitatem: condensatio autem contrahit ad quantitatem minorem. Eadem igitur species sub quantitate majore & minore est.

32. *Deinde*: in rebus materialibus vel est una quantitas, à qua & corpus & omnia, quæ in eo sunt dicuntur extensa; aut tot sunt ibi quantitates, quot extensa, ut verbi gratiâ, Corpus sit extensum per quantitatem suam, quæ sit eadem cum ipso, & rursus calor sit extensus per suam propriam quantitatem, quæ sit eadem cum ipso. Atque hæc posterius necessariò ponendum est adversæ partis defensoribus, quippe Pontificiis. Nam in hostia, quæ vocatur, *consecrata*, dicitur remanere quantitas. Et patet, quia hostiæ sunt impenetrabiles. Impenetrabilitatem autem non præstat, nisi quantitas. Non possunt tamen dicere, quòd remaneat quantitas corporis. Nam essentia corporis, & consequenter omnia quæ cum illa identitatem habent per consecrationem corporis transeunt. Est igitur solùm ibi quantitas propria albedinis, & saporis, & aliorum accidentium. Et tamen nec hoc dici potest: quòd in corpore unâ plures sint quantitates. Quantitates enim ponunt impenetrabilitatem quantorum ad idem ubi. At penetrissimè perreant & penetrant se varia accidentia. Stante ergo istâ hypothesi de transsubstantiatione, quam oppositæ partis defensores tenent, non potest quantitas cum substantiâ eadem esse.

33. *Tertiò* arguit Suarez *d. l. nu.* 18. Si quantitas corporis est eadem cum corpore, tum vel est eadem cum materiâ illius, vel cum materiali forma illius, vel cum utraque. Non cum materia sola, vel forma sola, quia utraque est naturâ suâ ita composita in suâ Entitate, ut apta sit extendi in loco secundùm partes. Ergo hactenus uni id non magis conveniet quàm alii, habere identitatem ad quantitatem.

Neque alterum dici potest: quòd illa habeat realem identitatem cum materia & forma, sive cum composito. Nam ita darentur, sicut duæ partiales essentiæ, ita duæ partiales quantitates in eodem corpore. Ergo forma impediente quantitate suâ, non posset immeare in materiam, hoc est, non posset esse forma. Absurdè: *adeò scilicet divina res est forma, ut cùm sit substantia aliam totam substantiam se impleat*, inquit Scal. *exerc. 307. s. 29.*

34 Accedunt denique clarissima Aristotelis testimonia 7. *Metaph. t. 1. Longitudo*, inquit, *latitudo & profunditas, quantitates quidem sunt, non substantiæ. Quantitas enim non est substantia.* Sic ex instituto contra Platonicos & Pythagoricos aliquando id probat Aristoteles. Vide *l. 3. Metaph. t. 2. & lib. 13 t. 14.* ALa loca prolixè recensentur apud Dd. alios.

PUNCTUM III.

In quo solvuntur argumenta contraria primo articulo proposita.

35 AD *primum* respondeo: Indicia distinguendæ quantitatis à substantia sat multa esse, ut priori articulo constitit. Non igitur temerè hùc Entia multiplicantur.

36 *Quantitatem posse Dei potentiâ abesse à corpore.*

Ad *secundum* respondent aliqui: quantitatem à corpore separari non posse, indéque nec omnia realiter distincta per divinam potentiam separari posse. Placet tamen magis eorum sententia, qui ad istam separationem etiam divinam potentiam extendunt. Nam imprimis quantitas est à corpore per naturalem dimanationem, vel resultantiam. Resultantia illa implicat efficientiam corporis. Porro ad omnem efficientiam concurrit Deus, tanquam causa universalis, et id quidem liberè. Unde ad istam resultantiam, sicut et ad conservationem unionis, quam habet quantitas ad substantiam, suspendere potest Deus concursum et influxum suum. Ergo tum remanebit essentia corporis, non autem erit quantitas. Disputavi ea prolixius *in Topic. cap 8. n. 140.* quibus adde Fonsec. 8. *Metaph. cap. 5. qu. 1. sect. 5.* et Suarez. *disp 7. Metaph. s. 5. n. 22.*

37 Supposito igitur: quòd quantitas à substantia separari possit. Inprimis dico: Post illam separationem, omninò manere in substantia multitudinem partium. Ea enim ex rectè inferebatur, pertinet ad essentiale complementum substantiæ. Essentiam autem substantiæ, remotâ quantitate, manere supponimus. Deinde & hoc certum est, quod substantia in eo statu possit habere partes situ separatas, hoc est, quod in ordine etiam ad locum possit substantia habere partem extra partem. Nam ad extensam præsentiam, etiam spirituales substantiæ se definire et exhibere possunt. Proinde extensio præsentiæ non proficiscitur adæquatè ex quantitate. Atque ita hactenus nondum relinquitur formalis effectus quantitatis in corpore, sic à quantitate denudato. Nam imprimis ille quantitatis formalis effectus est, ponere impenetrabilitatem, hoc est, repugnantiam, propter quam substantiam ne quidem possit habere partem extra partem. Substantia autem denudata à quantitate, etiã habeat actu extensionem partium, tamen in ea non est repugnantia, quò minus esse possit in spatio vel indivisibili, vel etiam minori, ac priùs habita quantitas exegisset. Hæc igitur repugnantia, sublatâ quantitate, sublata est. Atque hanc præstat quantitas quamdiu est in corpore.

38 *Quantitas quomodo dicatur substantia ab Aristotele.*

Ad *tertium* respondeo: Aristotelem satis clarè, et quidem sæpius docuisse, quantitatem non esse substantiam, prout loca, præcedente articulo dicta sunt. Quod igitur *1. post. cap. 23. cont. 178.* quantitatem substantiam vocat, hoc *aliqui* dictum putant, ex opinione Platonicorum & Pythagoricorum, qui res Mathematicas asserebant esse substantias. *Alius* placet substantiam (*ἀόριστον*) hic essentiam significare. Denique *alii* aiunt Aristotelem Mathematicas vocare substantias, quia licèt accidentia sint, tamen in iis scientiis non considerentur, prout alias inhærent,

sent, sed prout subsunt affectionibus suis, atque adeò non prout accidentia, sed prout subjecta sunt. Vide Zabarell. *in expl. ad hunc text. & lib. 4. de Method. cap. 13.*

ARTICULUS II.

An essentia quantitatis consistat in ratione mensuræ?

AD hanc rem tria facienda sunt: *Primò*, ut declaretur sententia affirmans. *Deinde*, ut ea refutetur. Et *tertiò*, ut argumenta opposita dissolvantur. 39

PUNCTUM I.

In quo declaratur sententia affirmans.

QUantitatis essentiam in ratione mensuræ consistere, docet Thom. *Opusc. 52. de natura loci, in fin.* Fonseca etiam meminit *l. 5. Metaph. c. 13. q. 1. s. 1.* idem ab eo doceri *1. p. q. 10. art. 1.* Sed ibi nihil invenio. Et alii autores frequenter insinuant, quòd aliis locis Thomas ab hac sententia desciverit. 40.

Porrò: ut rectè intelligatur illa opinio: inprimis sciendum est, mensuram esse duplicis generis. Alia est mensura perfectionis, alia mensura extensionis. Mensura perfectionis mensurat rerum perfectiones, unde perfectissimum in unoquoque genere dicitur reliquorum mensura, talis mensura in præsenti non intelligitur. 41 *Mensura duplicis generis.*

Rursus mensura extensionis, (hoc est, quæ extensionem mensurat) est duplex: Alia mensurat per repetitionem: alia per accommodationem vel adæquationem. Ex his mensura, per repetitionem metiens, propriè & primò pertinet ad unitatem, quæ suâ reiteratione vel repetitione alios numeros metitur. Dixi *propriè & primò*. Nam ex consequenti, in applicatione unitatis, convenit etiam id genus mensuræ aliis rebus, sic ulna aliquotâ (atque adeò unitatum) repetitione metitur pannum: passus metitur milliare: Gradus æquatoris metitur horam, & sic in aliis.

Dimissis igitur istis mensurarum generibus, essentia quantitatis putatur posita in ratione mensuræ, quatenus mensura adæquationis intelligitur. Sic ulna quantitate suâ metitur pannum, similiter habentem tantam quantitatem, quæ ulnæ extensionem non excedat. De hac ratione mensuræ inprimis certum est: quod soli quantitati continuæ conveniat. Quòd si aliis Entibus conveniat, sic mensurare, non convenit eis, quia talia Entia sunt, sed quia quanta sunt. Atque ita radicaliter & primò convenit quantitati mensurare. Atque de hoc ex omni parte convenit. Sed hoc inquiritur: an igitur illa ratio mensuræ conveniat quantitati per modum passionis aut proprietatis? An verò conveniat ei formaliter, ita ut ipsa quantitatis quidditas, & essentia in ea consistat? 42 *In qua mensura intelligatur posita quantitas.*

PUNCTUM II.

In quo probatur: Quantitatis essentiam non consistere in ratione mensuræ.

IGitur quòd quantitatis essentia in ratione mensuræ non consistat, variè probari potest. Inprimis, vel putatur essentia quantitatis posita esse in ratione mensuræ activè vel passivè, hoc est, vel ut ipsa mensuret; vel in mensurabilitate, secundùm quam intelligatur mensurari. At neutrum potest esse, quanquam de mensura, passivè accepta, non sit nunc contentio. Ergo simpliciter non consistit ejus essentia in ratione mensuræ. 43

Assumptum patet. Nam ratio mensuræ exposcit aliquid extrinsecum. Mensura 44.

enim dicitur ad mensuratum. At remoto omni extrinseco est quantitas, & corpora habent suam quantitatem.

Deinde esse mensuram, dicitur per ordinem ad intellectum, sicut in genere signum (sub quo mensura comprehenditur, ut superiori libro visum est *cap.* 26.) est id, quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat apud August. *de prin. Dial. cap.* 5. *& l.* 2. *de doctr. Christ. cap.* 1. Ergo mensura dicitur aliquid, in quantum assumitur ab intellectu, ad cognoscendam alterius quantitatem. Mensurabile autem dicitur, in quantum beneficio alicujus quantitatis cognoscitur. Porro esse medium, quo intellectus utatur, ad aliam rem cognoscendam, non potest esse cujusquam rei essentia. Neque apparet: cur ad hoc major ratio sit in quantitate, quàm in Entibus aliis. Cur, *inquam*, essentia quantitatis sit in hoc, quod est medium, quo intellectus utitur, ad cognoscendam aliam quantitatem? Et actionis essentia non sit in hoc, quòd ipsa soleat esse medium, per quod intellectus cognoscit formam: Et sic in aliis.

45. *Est aliquid prius in quantitate, quàm ratio mensuræ.*

Deinde in quantitate est aliquid prius, quàm ratio mensuræ. Ergo mensuram esse, non potest esse ejus formalis ratio. Forma enim in unaquaque re, est illud primum, unde cætera omnia fluunt & pendent. Antecedens patet. Nam inprimis esse mensuram, præsupponit in quantitate, quod secundùm eam possit esse æqualitas vel inæqualitas. Nisi, inquam, quantitas adæquari posset alii, non posset mensurare. Ergo æqualitas & inæqualitas priùs conveniunt quantitati continuæ, quàm esse mensuram. Sic & Scotus 5. *Metaph. q.* 9. ordinem inter attributa quantitatis facit hunc, ut *primò* sit divisibilitas in partes ejusdem rationis. *Deinde* finitas & infinitas. *Tertiò* æqualitas & inæqualitas, & *denique* esse mensuram. At hæc ipsa æqualitas & inæqualitas nondum constituunt essentiam quantitatis, sed ejus sunt proprietates, per Aristot. *l. Categ. cap.* 6. Ergo & istæ præsupponunt aliud, quod in quantitate sit per modum essentiæ. Ergo à fortiori tale quid præsupponet ratio mensuræ. Nempe utrumque hoc attributum præsuppon t in quantitate, quod ipsa dat extensionem. Plura argumenta qui volet, videat Capreol. 2. *d.* 18. *q.* 1. *&* 2. *d.* 3. *q.* 1. Jandun. 5. *Met. q.* 20 Fonsec. 5. *Met. c.* 13. *q.* 1. *s.* 1. Suarez *in Met. disp.* 40. *s.* 3 aliosq;. Frequenter enim Metaphys. oppositam sententiam refutant.

Ordo inter attributa quantitatis.

Argumenta contraria speciosa nulla ferè sunt. Potissimum est, quod ex Aristotelis autoritate sumitur. Is igitur in prædicamento quantitatis probat, orationem esse quantitatem, ex ratione mensuræ, quia, *inquit*, mensuratur syllabâ longâ & brevi. *Deinde* & locum & superficiem distinguit ibi Aristoteles, ut diversas species quantitatis, cujus rationem ait Thomas aliam non esse, nisi ex ratione mensuræ, nempe, quia superficies est mensura intrinseca; Locus autem extrinseca.

46.

47 Sed hoc argumentum infirmum est. Nam non necessariò sumuntur probationes solùm ex forma rei: sed possunt etiam illæ, sicut & rerum distinctiones, aliunde sumi, velut ex rerum proprietatibus. Mensuram autem esse, etsi non sit formalis ratio quantitatis, tamen est proprietas, vel (si ita malis) attributum quantitatis. Soli autem quantitati convenit, ut secundùm eam res per adæquationem mensurentur.

ARTICULUS III.

An essentia Quantitatis consistat in divisibilitate.

48.

ALii de essentia quantitatis aliter philosophantur: aiuntque ejus formalem rationem consistere, ut reddat rem quamtam divisibilem in partes ejusdem rationis. Ita tenent Capreol. 2. *dist.* 3. *q.* 1. *ad* 1. Scotus *in prædic. quæst.* 17. Alb. *l.* 1. *Phys. tract.* 2. *cap.* 4. Javel. 5. *Met. q.* 20. Soncin. 5. *Met. q.* 21. alique. Probant autem hanc suam sententiam, inde, quia omnia alia sunt divisibilia propter quantitatem, ut ipsa substantia, calor, albedo, dulcedo, aliæque accidentia. Ergo

quan-

quantitati primo convenit, dare divisibilitatem. Ergo in illa divisibilitate est essentia quantitatis. *Deinde* etiam Aristoteles species quantitatis ex varietate divisibilitatis sumpsit. Imò ex divisibilitate Aristoteles quantitatem definivit. Quantum, inquit *lib. 5. Metaphys. cap. 13.* dicitur, *quod divisibile est in ea, quæ insunt, &c.*

Nihilominus nec hæc sententia procedit. Quia aliqua prior ratio reddi potest, cur quantitas sit divisibilis, vel habeat divisibilitatem. At hoc est contra rationem formæ rei, ut vidimus *præced. art. 2. punct. 2.* Antecedens patet, quia cur res secundùm quantitatem sit divisibilis, id inde est, quia per quantitatem habet extensionem, quæ extensio consequenter infert, ut subjectum quantum, hoc est, talem partium extensionem habens, sit divisibile in partes ejusdem rationis. Alii aliis rationibus utuntur, quæ multiplicibus impugnationibus occasionem præbent, ut inprimis videre est apud Fonsecam *lib. 5. Metaphys. 13. quæst. 1. sect. 2.* Unde eas consultò omitto. 49.

Ad argumenta in oppositum respondeo: divisibilitatem convenire quidem primo quantitati, sed ad hoc satis est, si sit illud per modum proprietatis. Idémque est de distinctione specierum quantitatis, & generali definitione quantitatis. Illa enim singula frequenter sumuntur, non ex rationibus formalibus, sed ex rerum proprietatibus. At divisibilitas illa utique proprietas est rerum quantarum, ipsam quantitatem consequens. 50.

ARTICULS IV.

Quomodo essentia Quantitatis consistat in extensione.

REfutatis prioribus opinionibus, restat, ut veram & propriam essentiam quantitatis declarem. Dico igitur: *Essentiam quantitatis consistere in extensione.* Atque hæc sententia satis relinquitur ex superioribus, in quibus patuit, alias omnes quantitatis proprietates supponere extensionem, & per eam de quantitate probari. Id autem signum clarum est, quòd in extensione consistat essentia quantitatis. 51.

Sed quomodo, & in qua extensione consistit essentia quantitatis? *Respondeo:* Extensionis genera tria esse: Alia sunt extrema, aliud medium. Igitur *unum* genus extensionis est, quo quid dicitur extensum actualiter in loco, per talem vel talem situationem aut positionem partium. Hæc extensio non pertinet ad prædicamentum quantitatis, sed ad prædicamentum situs. Indéque de eo nunc nullus uberior sermo est. *Alterum* extremum genus extensionis est, quod significat solùm multitudinem partium in corpore, si etiam ab eo divinâ potentiâ auferretur quantitas. Quanquam aliqui hanc partium multitudinem, nolunt *Extensionem* dicere, sed simpliciter *multitudinem partium:* item, quòd corpus habeat essentialiter partem & partem, non autem partem *extra* partem, ut docet Paulus Venetus *in Met. c. 12.* & Fonseca insinuat *lib. 5. Metaph. c. 13. quæst. 2. s. 3.* quanquam in vocabulis curiosi esse non debeamus. Ad evitandam æquivocationem, potest statim cum addito dici, extensio *quidditativa.* 52. *Tria genera extensionis.*

Inter hæc igitur genera extensionis mediat ea, quam ad formalem rationem quantitatis requirimus. Ergo quantitatis formalis effectus est, dare aptitudinalem extensionem in ordine ad locum. Hoc est, Quantitas dat ad illam extensionem, quæ ordinariè in sicujusque corporis esse solet, aptitudinem, habéque adeò ac situalis vel localis extensio ad quantitatem, tanquam actus ejus, seu sicut se habet calefacere ad calidum esse. Atque ita hanc quantitatis naturam declarat Fonseca *d. l.* & Suarez *lib. 40. Met. s. 4. an. 5. & seqq.* imprimisque *num. 15. seqq.* aliique plurimi Metaphysici. 53. *In qua extensione posita sit quantitatis essentia.*

Solent *objicere:* Extensio remanet in corpore separatâ quantitate. Ergo formalis effectus quantitatis non est, extendere substantiam. 54. *Objectio.*

Respondeo

Respondeo ad antecedens (missâ ἀκυρολογίᾳ in voce extensionis, de qua antea dixi) negando illud: Extensio quæ in isto casu remanet, non est, nisi Entitativa vel quidditativa extensio. Nam quòd defierit quantitativa extensio apparet, quia illam sequitur impenetrabilitas partium. At cùm per divinam potentiam ablata est de corpore quantitas, tùm illa impenetrabilitas cessat, & proinde potest esse in minori loco, ac ejus ordinarius & naturalis situs exposcit.

55. Alia, quæ de quantitate continua, ejúsque divisionibus tractari solent ab aliis Metaphysicis, ego hic libens omitto: Quia per prooemialem discursum patuit: ea quæ de quantitate continua hic dicuntur, dici propter quantitatem, discretam, ut de ea intelligatur an & quomodo quantitas sit. Non oportet igitur de quantitate continua omnes minutias distinctè persequi.

TITULUS V.

De Quantitate discreta.

56. *Multitudo prædicamentalis est solùm in rebus materialibus.*

QVid quantitas discreta sit, confusè superiùs indicatum est *tit. 3.* Nempe quantitas discreta nihil aliud est, quàm numerus. Numerum tamen accipiendo specialiter, pro multitudine prædicamentali, quam vocant, quæ solùm æstimatur in rebus corporeis, sive habentibus quantitatem continuam, quemadmodum & Aristoteles docet 3 *Phys. c. 6. & 7. t. 64.* inquiens, *numerum effici divisione quantitatis continuæ.* Et confirmatur porrò ex Aristotele, inde, quod ubicunque loquitur de abstractione rerum Mathematicarum ait, eas non esse re ipsâ separatas à rebus materialibus, sed consideratione solâ. Vide Aristot. *lib. 13. Metaph. cap. 2. t. 78 & 3. Phys. t. 41.* & aliis locis. Res igitur Mathematicæ à parte rei non sunt, nisi in corporibus naturalibus. Ergo & multitudo prædicamentalis non est, nisi in rebus materialibus. Unde quantitatis discretæ diversitas à numero sive multitudine transcendentali diligenter observanda est.

Ejus diversitas à multitudine transcendente.

57. Porrò id nunc speciatim inquirendum est: *An quantitas discreta rectè collocetur sub genere quantitatis?* Quam ad rem ex duobus capitibus disputari solet: *Primò:* quòd quantitas discreta non sit aliquid reale: *Deinde:* quòd non sit aliquid unum. De utroque horum videndum est, fluétque ex illis decisio propositæ quæstionis.

ARTICULUS I.

An Quantitas discreta sit verè Ens reale.

58. *Rationes: quòd numerus sit Ens rationis.*

VIsum est aliquibus: numerum esse aliquid rationis, non autem Ens reale. Ita probant, quia ad rationem numeri pertinet congregatio vel collectio unitatum. At colligere unitates est actus mentis. Numero ergo Entitatem habet dependenter à mente. At hoc est Entium rationis. *Deinde:* Numerus implicat ordinem, ut Aristoteles docet *lib. Categ. c. 6.* Et facilè apparet. Debet enim in eo secerni peculiaris unitas, quæ sit ultima. Hæc enim debet numero dare speciem & ejus formam esse, per Aristot. *l. 8. Met. c. 3. t. 10. & c. 6. t. 15.* Ultimum autem non dicitur sine ordine ad primum. At ordo inter unitates non datur, seclusâ mentis operatione. Ergo Entitas in numero est per dependentiam ad operationem mentis. Ergo est Ens rationis. *Denique* ajunt: numerum nihil aliud esse, quàm collectionem unitatum. Porrò unitas includit indivisionem, quæ cùm sit negatio, est Ens rationis. Ergo numerus fit ex collectione Entium rationis. Ergo etiam ipse non est, nisi Ens rationis. Numerus enim, ut sequenti articulo patebit, est aliquid unum per aggregationem. Tale autem Ens simpliciter non habet naturam diversam à partibus suis.

59. *Contraria*

Nihilominus in oppositum rectiùs dicitur: Numerum esse Ens reale. Idque patet *primo* inde, quòd aliqua scientia speculativa, nempe Arithmetica, agit de numero.

numeros? At illæ scientiæ sunt reales. Ergo debent habere reale objectum. Ex realitate enim objecti sumitur realitas disciplinæ. *Sententia probatur.*

Excipit Fonseca 5. *Metaph.* c. 3 q 4 *s.* 5. quod scientiæ reales dicantur, per oppositionem ad *sermocinales*. Et sic disciplinas sermocinales esse de sermone. Reales autem de rebus, hoc est, de iis, quæ sermonis nomine comprehenduntur, etsi non sint verè Entia realia. 60. *Exceptio.*

Sed hæc exceptio levicula est. Nam sic Logica esset disciplina realis, quia non agit de sermone. Id autem inauditum est. *Deinde*, si aliqua scientia speculativa posset habere subjectum non reale, opponendo illud Enti rationis: falsum tum esset, quod alia conditione dicitur, subjectum scientiæ debere esse quid necessarium: Entia enim rationis non sunt necessaria, sed ad arbitrium mentis nostræ possunt esse, & non esse. Oportet igitur ut realis scientia dicatur à realitate subjecti. 61. *Unde dicantur reales disciplinæ.*

Secundò probatur, quod numerus sit Ens reale, inde, quia numerus est aliquid sensile, & quidem per se. Nam sensilia communia sunt sensilia per se. At quæ sentiuntur per se, non possunt esse Entia rationis. Sensus enim non apprehendit Entia rationis. Antecedens autem est apud Aristot. *1. de an. cap.* 6. *t.* 64 & *l.* 3. *c.* 1. *t.* 2. 132. 133. 62. *Secundum argumentum.*

Dices: Antecedens falsum esse: quia si numerus sit *aliquid sensile*. Ergo etiam brutis conveniet numerare. At id soli homini convenit, per Aristotel. *in problem. sect.* 30. 63. *Exceptio.*

Resp. Aliud esse numerare, & aliud numerum percipere sive sentire. Numeramus, numerum replicando supra numerum alium, vel subtrahendo, vel numeros multiplicando, vel dividendo, *&c.* Hoc modo bruta numerum non cognoscunt, proindeque nec numerare dicuntur. At percipere numerum, est nihil aliud quàm percipere plura discreta, veluti cognoscere tres lineas vel superficies. Et hoc brutis convenit. Estque id ad realitatem numeri satis. *Bruta quamvis non numerent.*

Solvuntur argumenta contraria.

NUnc respondeo ad argumenta prius in partem contrariam objecta.

Ad *primum* dico: rationem numeri non consistere in actuali numeratione, sed in numerabilitate. Unde est utique aliquis numerus arenæ maris, etsi eam nemo hominum numerâsit. Pono etsi actualis numeratio sit dependenter ab intellectu, non est tamen id de numerabilitate. Confer & Suarez. *Disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 19. ut nunc non dicam; Non omnem actum mentis statim facere Ens rationis. Id quod supra constitit, tractando de ente rationis. 64.

Ad *secundum* dico l. κατ' ἀναλογίαν & æquivoce, ultimam unitatem dici formam numeri. Singulæ enim unitates comparantur ad numerum, ut cum integrantes, & proinde per modum partium numeralium. Solet autem sic id explicari, quod forma numeri sit ultima, per similitudinem. Sicut enim forma ultimo determinat rem, & eâ posità species est absoluta. Ita etiam per accessum unius unitatis ad binarium fit hæc species numeri, nempe ternarius. Hæc, *inquam*, similitudo, ultimæ unitati tribuit nomen formæ. Exequitur tamen unitas id officium, absolute loquendo, non sicut forma in formato, sed sicut domus est absoluta, cùm ei tectum est impositum. Confer hac de re Suarez. *disp.* 41. *s.* 4. *n.* 13. 65. *Numeri forma quomodo dicatur ultima, &c.*

11. Sicut dictum est, ad rationem numeri non requiri actualem numerationem: ita nec ad eum requiritur actualis ordinatio, sed sufficit ordinabilitas, ut scilicet aliquid possit apprehendi ut primum, aliud ut secundum, *&c.* Hanc autem ordinabilitatem non affert rebus intellectus, sed immediatè consequitur ex multitudine & discretione rerum.

Ad *tertium* respondeo; Admittendo, quod unitas in suo adæquato conceptu complicet indivisionem, & proinde Ens rationis. Nihilominus tamen numerus 66.

Sequuntur objectiones.

NUnc ad objectiones initio hujus articuli propositas respondeo. 71

Ad *primam* respondeo: falsum esse, quòd de eo, quod est unum per accidens, non possit ulla scientia (atque sic nec quidem Arithmetica de numero, si sit Ens per accidens) tractare. Neque id docet Aristoteles citat. 6. *Met.* c. 2. Prius patet, in omnibus scientiis subalternatis, quæ utique sunt scientiæ. Et tamen non habent subjectum, nisi quod sit Ens per accidens, veluti est in Musica *numerus sonorus*; in Optica *linea visibilis*. Vide Coll. Conimbr. *ad l. 1. post.* c. 10. q. 2. a. 1. Quod autem nec mens ea sit Aristotelis, nunc facilè probo, & ait: Arist. ib. loqui de eo, quod est ens per accidens: non quatenus Ens per accidens significat id, quod est unum per accidens: sed quatenus Ens per accidens dicitur id, quod est rarum, aut quod rarò ad causam sequitur, ad quam aliquando sequitur. *Scientia potest agere de Ente per accidens.*

Patet autem id variè. Nam Aristoteles *ibi* valde generaliter loquitur: non solùm de speculativis scientiis, sed etiam de disciplinis aliis. *Nulli*, inquit Aristoteles, *scientiæ cura est id, quod est per accidens, nec activæ, nec factivæ, nec speculativæ.* At sine dubio aliquæ istarum sunt de Ente sive uno per accidens. Veluti de *subalternantibus speculativis* dictum est. Et patet etiam de Republ. de qua est *Politica*, & de corpore sanabili agit *Medicina*, & sic in aliis. Deinde patet ex exemplis Aristotelis. Sic in Architectonica, quæ de domo, (quæ & ipsa est unum per accidens) agit, ait, non curari, si sit quibusdam delectabilis, quibusdam noxia, quibusdam utilis. Sic per accidens esse ait, si sub canicula frigus, aut tempestas fiat, item, si faber sanet, & quæ sunt exempla alia. Quinimò: Aristoteles expressè satis docet, quod dico, nempe per τὸ per accidens hîc non intelligi illud, quod dicitur per accidens in ratione *unius*. *Quodcunque*, inquit ibi, *non semper, neque ut plurimum est, hoc dicimus accidens.* Et postea: *eorum, quæ secundum accidens aut sunt aut fiunt, causa quoque secundum accidens est.* Et paulò interiùs: *Quod*, inquit, *accidentis non sit scientia, patet, quia omnis scientia ejus est, quod est aut semper, aut ut plurimum.* Atque ita apparet, neque verè, nec ad mentem Aristotelis id, quod est unum per accidens, arceri à scientia. *Quodnam per accidens arceat Aristoteles à scientia.*

Ad *secundam objectionem* resp. 1. Ultimam unitatem dici formam numeri, solùm impropriè & per Metaphoram, ut exposui *hoc tit. art.* 1. *ad secundum*. Non potest igitur illa unitatem dare numero, ut una species sit. Hoc enim est officium formæ propriè dictæ. *Deinde* ordo unitatum, qui est in numero, non potest ea co facere unum per se. Nam etiam ordo est in exercitu, in mundo, in Republ. &c. Et tamen ista sunt Entia per accidens. *Accedit*: quòd actualis ordo non est in numeris per se. Si enim sumas denarium, nulla unitas potest præ alia dici prima vel ultima: veluti apparet etiam si numerus rebus applicetur. In congregatis mille, (qui numerus est) granis siliginis vel arenulis, ubi primum est, ubi ultimum? Proinde priorias & posterioritas in numero abstracto sive numerante, quem vocant, nulla est à parte rei. In numero autem numerato, sive rebus concreto, si quis ordo est, est in eo vel ab extrinseco, veluti à loco, vel dignitate, vel aliunde, vel est à ratione concipiente & numerante hoc ante aliud. At in neutro casu ordo iste aptus est, ut dare possit unitatem per se. 72 *Ultima unitas an & quomodo dicatur forma numeri.*

Tertia objectio attingit quæstionem: *An & quomodo numerus Ens vel quantitas sit.* Eam autem rem jam satis declaro, unde etiam hîc potest istius solutio peti. 73

ARTICULUS III.

An numerus vellit ponatur sub quantitate tanquam species ejus.

QUæ hactenus de quantitate disserta disputavi, eo fine disputata sunt, ut præsens quæstio eò rectius decideretur. Proinde primò dico: *Numerum non* 74

vellè negari, quòd sit *species quantitatis, quia sit ens rationis*: ut multi opinantur. Ostensum enim est *art.1.huius tit.* quòd numerus omninò realem Entitatem habeat: quod etiam confirmatur ex secundo articulo inde: quia ibi confirmatum est, quòd numerus nullam Entitatem dicat, præter eam, quæ est quantitatis continuæ. At certè quantitas continua est Ens reale.

75. *Quantitas discreta non est proprie species quantitatis.*

Secundò dico; *Rigorosè loquendo, numerum sive quantitatem discretam non esse speciem quantitatis.* Hoc evidenter colligitur ex præcedente articulo. Ibi enim confirmatum est; quòd numerus sit Ens per accidens, non autem unum per se. Ergo numerus non est quantitas, sed quantitates. At quantitas prædicamentalis est Ens per se. Sicut ea generalis conditio est omnium Entium prædicamentalium. Unde nihil directè, & ad modum speciei sub se, rigorosè loquendo, continet, nisi quod sit Ens per se.

76

Tertiò dico; *Etsi numerus, rigorosè loquendo, non sit species quantitatis*, (ut visum est) *tamen ob communem modum loquendi, retineri potest quantitas discreta sub quantitate.* Loquor de modo loquendi. In modo autem loquendi faciles esse debemus. Et peritile est loqui cum multis, sentire tamen cum paucis. Neque is communis modus loquendi est citra fundamentum. Nos enim concipimus numerum, ut aliquid unum, hoc ipso, quia ipse constituitur objectum Arithmeticæ. Subjectum enim scientiæ solet apprehendi, ut quid unum, ut de eo passiones demonstrentur. Præterea loquendo de numeris speciatim, assignamus eis peculiares proprietates, veluti numero pari, quòd sit divisibilis in partes æquales. At id non potest esse, nisi apprehensâ aliquâ unitate in numero, unde consequenter quantitas dici possit. Confer Fons 5. *Met.c.13.q.4.s.4.* Suar. *in Met.disp.41.s.ult.n.17.*

77 *Objectiones.*

Sed *objicitur*; Numerum sive quantitatem discretam exactè esse quantitatem. Primùm, quia Aristoteles frequenter quantitatem discretam, sive numerum simpliciter vocat quantitatem. Et priori articulo relatum est, quod Plato *in Sophista* ait; *Si quid in ordine eorum, quæ sunt, ponendum est, id certè est universum numerorum genus.*

Deinde; convenit numero generalis definitio quantitatis. Ergo & verè est quantitas. Ita patet, quia cui convenit definitio, eidem & definitum. Antecedens autem clarum est. Nam quantitas definitur, quòd sit accidens, à quo Ens vel substantia dicitur extensa. At quantitas discreta certè extensionem dicit, eam nempe, quæ est secundùm multitudinem.

Denique etiam proprietates quantitatis simpliciter conveniunt quantitati discretæ. Sumitur enim secundùm eam etiam divisibilitas, æqualitas, inæqualitas, finitas, mensurare & mensurabile esse. Imò ratio mensuræ & mensurati priùs convenit quantitati discretæ, quàm continuæ, ut constitutum est *lib. 1. cap.26 nu. 29.* & confirmat Soncin 10. *Met.quæst.2.* Quæ omnia videntur ostendere, quantitatem discretam accuratè loquendo, quantitatem vel speciem quantitatis esse.

78. *Solvuntur.*

Ad horum *primum* bifariam respondere solent. *Primum*; Aristotelem non ausum esse quantitatem discretam ejicere è prædicamentis, aut speciebus quantitatis, quia tum Mathematici communissimè de ea locuti sint, ut quantitatis specie, atque ita in modo loquendi, solùm cum iis concordâsse. Quoad rem ipsam verò satis eum exposuisse sententiam suam, locis aliis. Ait enim 8. *Metaph.c.3.t.10.* Aut numerus unum non est, sed velut cumulus, aut si sic dicendum est, quidnam illud sit, quod ipsum efficit unum ex multis. Et 3. *Phys.c.7.t.68.* Numerus est una plura quantáve quædam. Et rursus 10. *Met.c.9.t.20.* Numerus est multa una. Ita Fonseca 5. *Met.c.13.q.4.s.5.*

Alter respondet Suarez *disp.41.s.1.num* 20. ubi existimat; ad coordinationem prædicamentalem non requiri in omnibus Entibus exactissimam unitatem, quam à parte rei, & per se habeant. Et proinde, cùm qualemcunque unitatem numerus habeat (binarius enim, v.g. non est binarius) ideo Aristotelem sub quantitate, discretam quantitatem retinuisse.

Plato

Platonem autem Fonseca, *ubi suprà*, ait: per numerum intellexisse rerum sensibilium essentias, quas ponebat à sensilibus separatas: Et addit: frequenter eum solere per numeros intelligere res numeratas, seu numerum numeratum, qui est rebus applicatus. 79

Ad *secundum* respondeo: si rigorosè loquamur definitionem quantitatis non convenire numero, idque ob multas causas. Nam *primò* in illa definitione dicitur, quòd quantitas sit accidens. Accidens autem est Ens. At numerus non est Ens, sed Entia, per ea, quæ dicta sunt, quòd numerus non sit aliquid per se unum. *Deinde*: Numerus quodnam Ens extendit? Ita enim definitur quantitas, à *qua Ens sit extensum*. Certè numerus quam extensionem dicit, non ea reperitur in Ente, sed Entibus. Quantitas numeralis non convenit homini aut lapidi, sed hominibus & lapidibus. Est enim numerus plurium unorum collectio, ut Aristoteles ait *l.* 10. *Met. c.* 3. *Denique*, propriè loquendo, numero non convenit extendere rem, sed multiplicare. Multiplicatio autem illa solùm per κατέχησιν est extensio, & vulgò ita nominari solet: quâ de causa etiam quantitas discreta imitatur rationem quantitatis ut sub ea contineri possit quodammodo. 80 *An definitio quantitatis conveniat numero?*

Ad *tertium* de proprietatibus quantitatis: *Resp.* eas ad quantitatem discretam suo modo applicari posse. Nam & hoc intendo, quòd quantitas illa discreta suo modo sub quantitate contineri possit & debeat. Nihilominus est aliqua diversitas in applicatione istarum proprietatum, ad quantitatem continuam, & ad quantitatem discretam. 81. *Numero an conveniant proprietates quantitatis?*

Nam primò, quantitas continua est divisibilis, per realem separationem partis à parte. Divisibilitas autem quæ secundùm numerum sumitur, est per separationem mentis, quatenus scilicet mens non vult unam unitatem aliis connumerare.

Deinde æqualitas & inæqualitas inter numeros, non est vera relatio, sed prout collectio vel multitudo unitatum est major vel minor, vel tanta, quanta in collectione alia, censetur etiam æqualitas vel inæqualitas. In quantitate autem per intrinsecam terminorum designationem, est illa æqualitas & inæqualitas.

Idémque tertio est de finitate & infinitate. Quantitati continuæ conveniunt ista attributa per intrinsecam terminorum designationem, & quia in re ipsa suis extremis clauditur finita quantitas, servátque in omni statu suam unitatem. Numerus autem, ut finitus dicatur, non requirit unitatem realem, sed solùm definitam unitatum multitudinem.

Denique ratio mensuræ, verè quidem & primò convenit in numero: sed mensura quid dicitur, in quantum ab intellectu assumitur, ut medium, cognoscendi alterius quantitatem. Hinc igitur non potest absolutè sumi indicium, quòd quantitas discreta rigorosè sit quantitas, vel quantitatis species.

TITULUS VI.

De attributis quantitatis.

82. ATributa quantitatis varia sunt; veluti, quòd secundùm eam dentur rerum divisibilitas, finitas infinitas, æqualitas inæqualitas, quod ea est mensura alterius quantitatis, &c. sed ea nunc solùm persequar attributa, quæ Aristoteles ei attribuit *l. Categ. c.* 6. Sunt autem ibi tria, quæ ordine considero.

ARTICULUS I.

Quantitati nihil est contrarium.

83. ITa docet Aristoteles *l. Categ. c.* 6. §. 18. Solénque id frequenter Interpp. confirmare inde, quia quantitatis nulla sit actio. Contrarietas autem consistit in adversaria actione & passione. Deinde aiunt, contraria dici, quæ ab eodem

subjecto se expellant: Unde inferunt, quod quæcunque contraria sunt, ea vim excellendi habere debeant, & esse in subjecto. At quantitati non convenit vis expulsiva, & potius ipsa subjectum est contrariorum, quàm ut alii contrarietur. Ramus tamen oppugnat hac in parte Aristotelem dicens, quantitati posse aliquid esse contrarium, *l. 4. Schol. Dial. c. 7.*

84 *Quatenus quantitati detur aliquid contrarium.*

Ut igitur veritas utrinque constet, sciendum est: contrarium multipliciter dici. *Primò* vox contrariorum sumitur Logicè. Dicuntúrque tum contraria, quæ sub eodem genere absolutè & maximè distant. Τὰ ἐν τῷ αὐτῷ γένει, πλεῖστον ἀλλήλων ἀφεστῶτα, ut Galenus definit, *lib. 1. de ort. puls.* & consonat Aristoteles 10. *Metaph. c. 4.* Cicero & Ramus ea *adversa* vocant. Hoc modo certum est, quantitati esse aliquid contrarium, Logicè, *inquam*, sumendo vocem contrari.. Nam in Geometria hæ quantitatis species, curvilineum & rectilineum, rectangulum & obliquangulum non opponuntur, nisi hac specie oppositionis. Sed de his in Logicis egi, *cap. 17. Topic. num. 29.*

85 Deinde apud Physicos contraria dicuntur quandoque, quæ inter se aliquam distantiam habent, ut inter ea possit esse aliqua mutatio, transeundo ab hoc ad illud. Hoc modo Aristoteles *lib. 5. Phys.* sæpè ait: motum omnem esse inter contraria. Ergo & augmentatio est inter contraria. At augmentatio, pro utroque termino, habet quantitatem. Ergo quantitas ad quantitatem est contraria. Est, *inquam*, quantitas quantitati contraria, quatenus contrarietas, ut dictum est, quamvis contrariantium distantiam significat. Utique enim quantitas parva & magna distant. Confer Perer. *l. 14. de variet. & divis. motus, c. 1. 2. p. 731. 733. 735.*

86 Denique (quod ad præsens attinet, nam aliàs plures sunt significationes) contraria apud Physicos dicuntur, quæ ad invicem agunt & patiuntur, & sic sunt corruptiva ad invicem, ut Aristoteles definit 10, *Metaph. cap. 4.* Et Suaretz de Physica contrarietate interpretatur *disp. 45. Met.* Ubi cùm proposuisset istam contrariorum definitionem, de mutuo expulsu, *sect. 2. num. 2.* tamen subjicit *sect. 3. n. 8.* se de Physica contrarietate loqui. Estque juxta hanc significationem quantitati nihil contrarium. Nam quantitatis nulla est Physica actio, ut suprà probatum est hoc *lib. c. 6. tit. 4. a. 1. punct. 1.* Estque ad hunc sensum Aristot. *loco superius citato* explicandus.

ARTICULUS II.

Quantum non recipit intensionem & remissionem. Seu: *Quantitas non suscipit magis & minus.*

87 SEcundum attributum quantitatis apud Aristotelem *lib. Categ. cap. 6. §. 25.* est, quòd quantitas non suscipiat intensionem & remissionem. Ramus *li. 4. Schol. Dial. cap. 7.* hanc sententiam oppugnat, sed facilè ejus veritas obtinetur, si termini rectè intelligantur. Igitur intensio est ejusdem formæ, vel attributi fortior & firmior radicatio in eodem subjecto, vel est plurium graduum ejusdem attributi unitio ad idem subjectum, vel eandem subjecti partem. Solétque illa intensio significari per *magis* convenire, vel *magis suscipere*. Ita colligi solet ex Aristotele 8. *Metaph & l. 1. de generat.* Inde in oppositum, quid remissio sit, facilè apparet.

88 Atque si in hac proprietate, & rigore verborum, loquamur de intensione & remissione: tum quantitati ea non possunt convenire. Nam si quantitas posset intendi, tum id maximè esset in denso, ubi videtur quantitas unitior esse, quàm in tenui. At id non est. Ergo simpliciter non potest intendi quantitas. Consequentia firma est. Nam si quidei non inest, cui magis videtur inesse, nec illi inerit, cui minus videtur inesse, per Arist. 2. *Topic. c. 10. §. 4.* Assumptio autè patet. Quia si densum esset magis quantum, quàm tenue: tum etiam esset magis impenetrabile, quàm tenue. Impenetrabilitas enim est proximus effectus quantitatis. Inde necessariò quantitati proportionatur. At impenetrabilitas non magis convenit

denso, quàm tenui. Tenue enim æquè secum non patitur alterius dimensiones ac densum. Quod autem tenue facilius perrumpitur, aut scinditur ab extrinseco corpore, id non est ob quantitatem vel penetrabilitatem secundùm magis & minus dictam, sed ex propria ratione densitatis & tenuitatis, quæ qualitates sunt. Quantitas autem ut sic, æquè in utroque præstat impenetrabilitatem. Et confirmatur: quòd attributum intensius, ad significandam quantitatem perfectionis, solet dici majus remissiori. Ita enim dicimus majorem & minorem calorem. At densum post condensationem rei tenuis simpliciter dicitur non majus tenui, sed eò minus. Densum igitur non constituitur per intensionem quantitatis.

Atque ita apparet: minùs bene philosophari Fonsecam *l. 5. Met. c. 28. q. 19. s. 4. ad secundum*, dum disputans, quòd proprietates aliquæ suscipiant magis & minus, probat id inde: quia extensum etiam sit proprietas substantiæ corporeæ, & tamen dicatur secundùm magis & minus. *Non*, inquit, *illo modo, quo corpora additione novæ materiæ, quantitatisque accrescunt, & detractione decrescunt: verùm illo, quo eadem quantitas sit major vel minor, cùm in rarefactione majorem locum occupat, in condensatione minorem.* 89.

Posito igitur: quod quantitas, rigorosè loquendo, non suscipiat magis & minus, quod Aristoteles dixit: nihilominus tres modi sunt, secundùm quos potest ei convenire intensio & remissio. 90.

Primus modus est: si voces *magis* & *minus* (his enim solet circumscribi intensio & remissio) latè sumuntur. Solent enim istæ voces aliquando adeo late sumi, ut omnis comparata diversitas per eas significetur: ad quem modum Grammatici, omnem comparativum, quem vocant, aut etiam defectum comparativi, solent significare per voces illas, etiam ubi intensio & remissio propriè dicta esse non potest. Et hoc modo quantitate etiam accommodari ex voces pollunt: Dicimus enim magis longum, & maximè longum. Quod tamen ibi vox *magis* impropriè sumatur, apparet: quia *magis* alioquin non est idem quod *majus*, ut ex variis differentiis apparet, quas inter ea ponit Armand, de Bello Visu *lib. 2. term. c. 260.* Magis tamen longum nihil aliud est, dicitúrque non alio sensu, quàm habens majorem longitudinem: & magis latum idem est, ac habens majorem latitudinem, & sic in cæteris. *Tribus modis potest quantitati tribui intensio & remissio.*

Secundus modus, quo quantitas potest dici intendi est, si vox intensionis sumatur per similitudinem. Solent enim res eorum, quibus similes sunt, nomina accipere. Sic igitur rarefactio solet dici intensio quantitatis, ex Thom. *1. 2. q. 24. art. 5. ad primum.* Est, *inquam*, rarefactio intensio, solum secundum similitudinem. Sicut enim intensio fit sine additione novæ rei: ita & rarefactio. Ita Thomam etiam interpretatur Soncinas 8. *Metaph. q. 27. ad primum.* 91.

Tertiò: Suscipere magis & minus aliquando significat qualemcunque status mutationem. Hoc modo terminus, cujusque motus suscipit magis & minus, ut Aristoteles passim docet. Suscipit autem terminus motus magis & minus, seu id sit per intensionem propriè dictam, seu extensionem, seu majorem vel minorem ad locum appropinquationem, ut explicat Peter. *l. 13. de spec. motus, c. 3. ad secundum.* Porro species motus sunt augmentatio & diminutio, terminantúrque illi motus intra quantitatem: Ergo quantitati etiam hactenus convenit suscipere magis & minus.

ARTICULUS III.

Maximè proprium est quantitati: dici æquale & inæquale.

HOc tertium est quantitatis attributum, quod Aristoteles proponit *l. Categ. c. 6.* §. 21. Sunt autem ad illius intelligentiam aliqua notanda. 92.

Primo dicitur: quod hoc sit *maximè proprium quantitati*. Unde sicut in aliis proprietatibus

proprietatibus est, ut quæ sunt maximè propria huic, secundariò, & per communicationem conveniant Entibus aliis. Ita etiam est de æqualitate & inæqualitate. Quantitas, *inquam*, primò est æqualis vel inæqualis, per communicationem tamen ad subjectum suum, etiam substantiæ dicuntur æquales & inæquales, quibus tamen hoc convenit, quia quantæ sunt. Ergo quantitati convenit illa æqualitas & inæqualitas primò. Ergo hoc ipso quantitatis ea maximè propria sunt.

Deinde: Quantitatis vox ambiguè dicitur, & à propriè dicta quantitate solet vox ea transsumi ad quantitatem perfectionis, quæ Metaphoricè & per similitudinem dicitur quantitas. Ad hunc igitur modum etiam æqualitas & inæqualitas primo intelliguntur de adæquatione vel inadæquatione quantitatis (molis) unius ad quantitatem alterius. Deinceps tamen ampliantur & extenduntur illi termini ad æqualitatem & inæqualitatem, quæ est in perfectione & virtute, quomodo diversas substantias dicimus calore, doctrinâ, robore, æquales vel inæquales. Proinde: cùm æqualitas & inæqualitas dicuntur *maximè propriæ quantitati*, intelliguntur illi termini juxta propriam significationem, & primam sui impositionem. Nam secus juxta eas quæ dicta sunt, æqualitas & inæqualitas etiam reperiuntur extra quantitatem.

Denique: æqualitas & inæqualitas hîc non intelliguntur ut actuales sed de posse. Nam si daretur corpus unum, illud revera quantum. Ergo & haberet id, quod est quanto maximè proprium, hoc est, esset æquale vel inæquale. Et tamen juxta factam hypothesin id non posset esse actu, & de facto. Nam æquale & inæquale *alteri* tale est. Sermo autem est de corpore (si ita in mundo daretur) unico. Hic igitur est maxime proprium quantitatis, ut res secundùm eam *possint* esse æquales vel inæquales. Aliorum attributorum considerationem dimitto.

CAPUT VIII.

De Qualitate.

1. HActenus fuit de *quantitate*, tanquam primo accidentis genere, sequitur de *qualitate*.

2. Qualitas est accidens, à quo substantia dicitur qualis.

3. Ejus species sunt quatuor: *Habitus, potentia naturalis, qualitas patibilis & figura.*

4. *Habitus* est qualitas, juvans aliquam naturalem potentiam ad actum suum.

5. Habitus I. dividitur in virtutem & vitium.

6. Virtus est habitus, juvans potentiam naturalem ad actum bonum, ut liberalitas.

7. Vitium est habitus, juvans potentiam naturalem ad actum malum, ut prodigalitas.

8. II. Habitus est infusus vel acquisitus.

9. Habitus infusus est, qui ex natura sua non est producibilis, nisi per actionem extraneam agentis: Tales habitus sunt *fides, spes, charitas, peccatum originale.*

10. Habitus acquisitus est, qui aptus est produci per operationem propriam possidentis eum.

11. III. Habitus est speculativus vel practicus. 12. Ha-

12. Habitus speculativus est, qui ultimò refertur ad subjecti cognitionem.

13. Habitus practicus est, qui ultimò refertur ad operationem, vel opus.

14. IV. Habitus (acquisitus) est vel moralis, vel intellectualis.

15. Habitus moralis est, qui iuvat voluntatem ad actus suos, quò pertinet fortitudo, temperantia, justitia, *&c.*, & vitia iis opposita.

16. Habitus intellectivus est, qui juvat intellectum ad actus suos, quales sunt *intelligentia, scientia, sapientia, prudentia, & ars.*

17. *Potentia naturalis* est qualitas à natura sua primò ordinata ad id, ut sit principium alicujus actus. Huc pertinent potentiæ tùm manifestæ, tùm occultæ, communes vel propriæ, sive peculiares. Excellunt autem inter alias potentiæ animæ.

18. *Qualitas patibilis* est qualitas ab intrà (hoc est, non in ordine ad actus) perficiens substantiam. Huc pertinent tùm affectus animæ: ut *lætitia, tristitia*, & similes: tum qualitates corporis, veluti, quæ diversis sensibus objiciuntur, ut *lux, color, sonus, odor, sapor, calor, frigus, humiditas, siccitas*, quæque ab iis oriuntur.

19. *Figura* est qualitas, modificans terminos quantitatis, ut *rotunditas, oblongitas* &c.

20. Ex his multa sunt, quæ in particulari distinctiùs consideranda remittuntur ad Philosophiam interiorem, partim speculativam, partim practicam.

COMMENTARIUS.

QUia qualitatum doctrina majori merito ad Metaphysicam pertinet, quàm quantitatis, ideò prolixiùs de istis agendum est, præsertim cùm ex se etiam latioris sit amplitudinis, quàm quantitas. 1.

Summatim autem agendum est nunc *primò*, de nomine qualitatis; *Deinde*, de ejus definitione. *Tertiò*, de ejus distributione. *Quarto*, de habitu in genere. *Tùm quinto*, de divisione habitus in virtutem & vitium: In habitum acquisitum & infusum: in speculativum & practicum: in moralem & intellectualem. *Sexto*, de potentiis naturalibus. *Septimo*, de qualitate patibili. *Octavo*, de figura. Et *denique* de aliquibus attributis qualitatum, quorum Aristoteles mentionem fecit *in Categ. c. 8.*

TITULUS I.

De voce qualis & Qualitatis.

ARistoteles ποῖον dicit, & *quale*, sed Interpp. posteriores sequuti Ciceronem, *qualitatem* vocarunt, nomine abstractivo. Cicero enim se primum qualitatem dixisse ait, *lib. 1. qq. Acad. ad Varronem*, ut refert Scalig. *de caus. ling. Lat. cap. 70.* Et id quidem satis commode. Nam abstractiva vocabula aptiora sunt in accidentibus, ad indicandas essentias, quàm concretiva.

3. *Ambiguitas vocis exponitur.*

Porro vox *qualis & qualitatis* ambiguè dicuntur, ut docet Aristoteles 5. *Met.* c.4. Thom.1.2.*quæst.*49.*art.*2. Zabarell.1.*post.*1.249.*pag.*912. Scalig.*exerc.*307.*sect.* 28. Titelman.*lib.*1.*Dial.confid.cap.*18. Scaynus *in lib.prædic.p* 129. Commentatores *in Hisp.tract.*3.*copul.Logic.fol.*135.*fac.* 2. Armand. de Bello Visu *tract.*1.*c.*5.*& tract.*2.*c.*66. comprehendam summatim.

Igitur *quale* 1. sumitur substantialiter sive essentialiter. Sic differentiæ substantiales dicuntur dici *in quale*, apud Porphyr. *in Isagog.cap.*3. §.17. Et rursus Aristoteles *lib.Categ.cap.*5. §.16. ait: Substantias secundas *in quale* prædicari, non autem, ut ibi addit, simpliciter *in quale*, sicut album, sed in quale *quid*, hoc est, in quale quidditativum, vel essentiam significans: Et ad hunc modum formæ etiam qualitates vocantur, apud Aristot. 4. *Metaph.cap.*5. Sicut enim illud, quo determinatur potentia subjecti, vocatur *qualitas* accidentalis: ita illud, quo determinatur potentia materiæ, vocatur qualitas substantialis. Vide Armand. de Bello Visu *tract.*2.*cap.*66.

4.

Deinde *quale* opponitur *quidditative*: Hoc modo prædicationes aliæ dicuntur esse *in quid*, aliæ *in quale*, ubi prædicata in quale, sunt omnia istâ, quæ non sunt essentialia, sed accidentalia. Ita igitur agere aliquid, esse tantum vel quantum, &c. etiam sunt denominationes in quale, & non in quid. Atque ita apparet neutram significationem huc facere. Non primam, quia secundùm essentiam etiam substantiæ dant denominationem *qualis*. At qualitas nunc substantiæ opponitur. Non etiam secundam. Nam nunc qualitas distinguitur contra alia accidentium genera, & non opponitur adæquatè ad substantiam. *Tertia* igitur & à prioribus distincta est significatio: cùm qualitas peculiare genus accidentis significat. Unde quod sic qualitas est, debet non in quid, sed in quale est, prædicari, hoc est, accidentaliter. Deinde debet prædicari in quale est (speciatim sumendo vocem,) hoc est, non ad quantum est, vel quid agit, vel quid patitur, & sic in cæteris.

TITULUS II.

De Definitione & quidditate qualitatis.

ARTICULUS I.

In quo examinantur definitiones aliorum.

5. *Definitio Thomæ:*

Qualitas variè definiri solet: Thom.1.2.*q.* 49. *art.*2. qualitatem sic definit *Qualitas est modus substantiæ determinans illius potentiam accidentalem*: hæc definitio bona non est. Aut igitur vox *modi* accipitur hic specialiter, prout *modus* contra Ens distinguitur, ut aliquid sit Ens, aliud modus Entis: Aut modus significat hic omne id, quod aliud quomodolibet afficit vel modificat, sive id aliâs speciatim loquendo sit modus Entis, sive ens, prout hæc in voce modi ambiguitas explicata est suprà, *lib.* 1.*cap.*8. *num* 65. Si primum: Mala est definitio, quia è qualitatibus sola figura est modus, strictè vocem modi sumendo. Sin postremum dicatur: mala est definitio, quia convenit omnibus accidentibus omnia enim accidentia determinant potentiam accidentalem substantiæ. Atque ita ex primo capite definitio est angustiori, ex posteriori latior.

6. *Suarez & Conimbricenses.*

*Colleg.Conimbr.ad lib.categ cap.*8.*quæst.*1.*art.*1. *Qualitas*, inquit, *est Ens complens & perficiens substantiam creatam in essendo vel operando.* Et Suarez *disp.*42. *Metaph.s.*1. *num.*5. *Qualitas*, inquit, *est accidens absolutum, adjunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus, tàm in existendo, quàm in agendo*: Hæc definitio similiter mala est. Aut enim illæ particulæ *in essendo vel operando*, intelliguntur conjunctim, sive copulativè aut disjunctè. Hoc quidem modo, ut

quod

quod alterutrum illorum præstat, dicatur qualitas. Illo verò modo, ut intelligatur id solùm esse qualitas, quod utrumque facit, hoc est, quod perficit substantiam in esse & operari. Utroque tamen modo vitiosa est definitio. Nam si qualitas sit, divisim loquendo, quod substantiam perficit, *vel* in agendo, *vel* in essendo: sic etiam locus, tempus, &c. erunt qualitates, quæ in existendo substantiam perficiunt: Item actio, quia ipsa forma est, unde substantia agens denominatur. Sin verò qualitas sit demum, quæ utrumque præstet, tum multæ qualitates non erunt qualitates. Multæ enim qualitates nullam actionem exercent: veluti ex habitibus sanitas, si ea sit habitus, ex potentiis natu aliis, potentiæ passivæ: plurimæ ex qualitatibus patibilibus, quæ ipsæ in universum, si quid operentur, est id secundariò solùm, & quasi eventualiter. Ac denique etiam figura, quippe quæ activa non est, non erit qualitas. Fuit autem ea de re plenius suprà *cap. 6. nit. 4. art. 3. punct. 1.*

Albertus docet: alia accidentium genera data esse ad hoc, ut addant peculiarem aliquem modum substantiæ. Alia autem data esse, ad ulteriorem perfectionem. Et sub hoc genere ponit qualitates, aliis accidentibus remissis ad prius genus. Ac, hinc in prædicamentis, *c. 1.* definit qualitatem, *quod sit accidens perficiens substantiam.* Sed hypothesis Alberti lubrica est, inde, quòd maxima substantiarum perfectio est *operari*: dicuntq; adeò minorem perfectionem qualitates, quàm operationes, quia unaquæq: potentia (qualitas) est propter operationem suam tanquam finem. Confer Aristot. *l. 2. de cælo, c. 3. t. 17.* Et aliunde etiam confirmatur falsitas ejusdem hypotheseos: quòd omne Ens est perfectum quid, ut suprà disputatum est *l. 1. c. 11 nu. 51.* Ergo quicquid addit substantiæ Entitatem, addit & perfectionem. Ergo omne accidens perficit substantiam. 7 *Alberti.*

ARTICULUS II.
In quo proponitur & explicatur definitio propria.

Dimissis igitur istis definitionibus accepto vulgarem illam: quâ qualitas definitur, quòd sit *accidens, à quo substantia denominatur qualis.* Sumitur ea ex Aristotele *lib. Categ. c. 8.* Et accidens quidem hic est quasi genus, quia est commune quidditativum prædicatum qualitatis. Revera tamen genus non est, quia prædicamenta sunt primò diversa. Non igitur, conveniunt in ullo aliquo attributo, quod verè habeat rationem generis. 8. *Explicatur propria definitio.*

In differentia autem quam hæc habet definitio, duo insinuantur: *Primò*, quòd qualitas definitur per habitudinem ad substantiam. Rectè quidem: quia omne accidens involvit transcendentalem respectum ad substantiam, ex quo etiam inhærentia & Entia Entis dicuntur. Quanquam autem aliquæ qualitates proximè recipiuntur in accidentibus, veluti figura in quantitate, item habitus in potentiis naturalibus, ut superiùs disputavi *l. 1. cap. 13.* Absolutè tamen substantia est subjectum denominationis, in ordine etiam ad istas qualitates, ut per respectum ad eam accidentia, & in specie qualitates sint definiendæ. Accidentium enim non sunt accidentia, nisi cum subjecto eidem, (scilicet substantiæ) accidant, per Aristot. *l. 4. Metaph. t. 13. 14.* 9

Alterum, quod loco differentiæ insinuatur, est denominatio *qualis.* Nec id incongruè, quia concreta sunt formæ abstractorum. Hactenus igitur dum *qualitas* per *quale* definitur, definitur ea per effectum formalem. Sumenda autem est vox *qualis* in ea specialitate, quæ priori articulo tacta est. 10

Hic autem id est diligenter observandum: cùm dicimus substantiam a qualitate, qualem denominari: non tamen id semper esse uno & eodem modo. Igitur 2. observandum est, quòd aliquæ qualitates simpliciter denominent substantiam qualem: Aliæ autem id faciunt solùm secundùm quid, & cum addito. 11. *Qualitates non denominant eodem modo subjectum quale.*

Igitur, ut qualitas aliqua simpliciter denominet suum objectum quale, vis *illius quale.*

requiri aiunt: *primò*, ut aliqua qualitas insit satis *intensè*, hoc est, ultra medium; Ita igitur non denominamus aliquid calidum, si habeat duos gradus caloris, quatuor autem habeat frigoris gradus: sed tum denominatur frigidum. II. Ut qualitas insit satis *extensè*, hoc est, pro majori parte subjecti. Ita Æthiopem non vocamus album, ex albedine dentium, quia plures partes nigræ sunt in Æthiope. Excipiunt tamen hìc eas qualitates, quæ determinatè postulant peculiarem aliquam totius partem. Ita enim *crispus* vocatur à sola crispitudine, quæ est in capite. Crispitudo enim non postulat, ut sit alibi quàm in crinibus. III. Ea qualitas debet inesse satis *protensè*, hoc est, pro notabili aliqua differentia temporis: unde hominem alioquin pallidum, cùm describimus, non dicimus esse rubicundum, si fortasse aliquando ruborem concipiat per verecundiam, vel si astet igni, aut incalescat vino. Est autem id solùm tunc, si alioquin qualitas talis diutiùs durare possit. Nam sonus, etsi citò transeat, tamen denominat subjectum sonans, quia non habet alium essendi modum, quàm cum, qui sit subitò transiens. Atque ita qualitates, quæ insunt quidem, non tamen satis intensè, vel satis extensè, vel satis protensè, denominant quidem subjectum quale: non tamen nisi secundùm quid, ut ex dictis haberi potest. Vide Comment. *in Hispan. tract. 3. cap. dog. fol.* 140. *fac.* 1. Et post eos Colleg. Conimbr. *ad lib. Categ. cap.* 8.

12 *Duobus in casibus accidentia denominant subjectum nomine communi.*

Deinde observandum est: quòd qualitates *aliquando* substantias, quales denominent à nomine proprio, veluti calidum à calore, frigidum à frigore. *Aliquando* verò denominant subjectum nomine communi aliove. Id quod est in duobus casibus: *Primò* quidem, si non sit nomen concretum correspondens abstracto. Sic virtus qualitas est. Huic nomini non correspondet nomen concretum; Neque enim dicimus virtuosum, nisi barbarè. Virtus igitur denominat subjectum quale, sub nomine alieno, veluti *studiosi*, alitérve. *Deinde*, id est in plerisque qualitatibus spiritualibus sive intentionalibus; quales sunt species sensiles & intelligibiles. Neque enim si oculus recipiat speciem coloris purpurei, ipse dicitur purpureus. Neque manus est aspera, vel dura, vel tenuis, si recipiat speciem rei asperæ, duræ vel tenuis. Nec intellectus est ruber, si intelligat rem rubram, atq; ita in se recipiat speciem rei rubræ. Hæ igitur qualitates dant denominationem sub nomine communi; veluti ut dicatur ab illis intellectus vel sensus aliquis informatus vel actuatus, & quæ sunt his similia. Dixi autem id esse *in plerisque*. Nam lumen in aëre non habet, nisi esse spirituale. Et tamen ab illius receptione aer illuminatus dicitur, docente Scoto *l. 2. Sent. dist.* 13. §. *ad argumenta.*

ARTICULUS III.

In quo proponuntur & solvuntur objectiones contra qualitatis definitionem.

13 *Objectiones Suarezii.*

SUarez *disp.* 42. *Met. sect.* 1. *num.* 1. contra hactenus propositam & explicatam definitionem qualitatis duas objectiones proponit. *Prima* est, quòd hæc definitio æquè obscura sit, ac est ipsum definitum. *Altera* est, quod interdum obscurissimum sit discernere, an per aliquam denominationem res dicatur qualis, necne. Veluti cùm homo dicitur amans vel videns. Cùm verò dicitur res sapiens in creatura constetur denominatio qualis, non tamen in creatore. Item, cùm aliqua res dicitur alba vel dealbata; aut quæ potest hujus rei, *inquit*, differentia assignari. Hæ objectiones breviter expediendæ sunt.

14 Ad *primum* igitur respondeo; Negando, quod æquè obscurum sit, esse qualitatem & esse quale. Nobis enim abstracta sunt notiora concretis. Satis autem est, si summa genera, quæ capacia non sunt perfectarum definitionum, definiantur per ea, quæ sunt notiora nobis. Sic Scalig. *de caus. Lat. ling. cap.* 70. docet, antiquis propterea dictum esse *quale*, & non *qualitatem*, item *pingue*, & non *pinguedinem*; quia ista his sint notiora. Confer Titelm. *l.* 2. *consid. Dial.* 6. 41.

Ad el-

Ad *alteram* particulatim respondeo; Dubium quidem & obscurum est; an 15
simus et videns denominent *quale*. Sed tamen non minus dubium est: an sint qualitates, aliquibus enim placet: actus immanentes pertinere ad prædicamentum actionis: alii autem eos referunt ad qualitates. Hactenus igitur eadem utriusque est ratio. Ea tamen de re videbitur *seq. c.* 10.

Deiade: Sapientia in Deo, etsi quoquomodo Deum qualem denominet, tamen non est qualitas, ut nunc de ea loquimur: neque convenit ei definitio nostræ qualitatis. Neque enim illa sapientia est *accidens*, quòd in definitione accidentis, pro ejus genere accipitur. Sapientia autem creata indubiè est qualitas, & dat denominationem qualis.

Tertiò: etsi albedo sit qualitas, & proinde album denominet in quale est: tamen esse dealbatum non est denominatio qualis. Dealbatum enim non dicimus, ex inhærente aliquo, sed ex adjacente corpore albo, veluti calce, vel creta, vel corpore alio. Denominatio autem quæ sumitur ab adjacente corpore non est ad modum qualis, sed ad modum habitus. Atque sic illæ denominationes dealbati, & similes ab eodem Suaretz referuntur ad prædicamentum habitus, *disput.* 39. *Metaph. sect.* 2. *num.* 3. & Confer Colleg. Conimbr, *lib. Categ. cap.* 9. *quæst.* 3. *art.* 2.

TITULUS III.

DE DIVISIONE QUALITATIS.

ARistoteles *lib. Categ. c.* 8. qualitatem dividit in quatuor species, sub octo nominibus: ubi singula duo unam speciem significant. Nempe sic primò sunt *habitus & dispositio*. Deinde, *naturalis potentia & impotentia*. Tertiò, *qualitas patibilis & passio*: & denique, *forma & figura*. In theorematibus eandem distributionem proposui quatuor nominibus, *habitus, potentiæ naturalis, qualitatis patibilis, & figuræ*. Quæ res, ut postea videbitur, eòdem redit. 16

ARTICULUS I.

In quo proponitur & refutatur aliorum sententia de divisione qualitatum.

TImplerus 5. *Metaph. c.* 3. *q.* 4. ait, non leves subesse rationes, quòd illa distributio non sit amplectenda. Rationes autem ponit has quatuor. I. Quia angustior est divisio, cùm ad quatuor illas species haud quaquam possint omnes qualitates revocari, quemadmodum ipse etiam Aristoteles innuit, dum inquit: *Fortasse quidam alius modus qualitatis esse videtur, sed hi, quos recensui, sunt verè principales.* II. Quia membra distributionis inter se non dissentiunt. Nam primum membrum quandoque coincidit cum secundo, secundum cum tertio, tertium cum quarto. III. Quia secundum membrum, quatenus sub se comprehendit impotentiam naturalem, pugnat cum natura distributi: cùm nulla impotentia propriè sit qualitas, sed vel pura negatio vel privatio potentiæ. IV. Quia nullus est verus ordo inter membra distributionis, sive naturæ, sive doctrinæ: sed qualitates sensiles confunduntur cum insensilibus, innatæ cum adventitiis. Hæc ille. 17 *Timpleri argumenta contra hanc divisionem.*

Piccolomineus etiam *grad.* 2. *Phil. moral c.* 8. Impugnat hanc qualitatum divisionem. *Genseo*, inquit, *dicendum: non quatuor, sed duas tantùm qualitatis species esse. Nam secunda species, quæ est potentia vel impotentia, rejicienda est; quoniam potentia à suo fundamento non distinguitur, propterea, si fundamentum fuerit substantia, quale est fundamentum potentiarum animæ, & primæ materiæ, ea quoque erit substantia: si fuerit qualitas de tertia specie, facilitèr reducetur ad tertiam speciem illa potentia. Non autem constituet distinctam speciem. Habitus autem &* 18 *Argumenta Piccolomini.*

dispositio revera distinctam speciem qualitatis non constituunt, quoniam hæc dupliciter considerantur, vel absolutè, ut habitus & dispositio, & ita ad relationem pertineant, ut in 7. Phys. contex. 27. patefecit Aristoteles, vel, ut talis qualitatis habitus, & ita non ut habitus, sed ut talis qualitas est, ad qualitatem pertinebit, quæ si fuerit qualitas de tertia specie qualitatis, ut calor firmus & constans, similiter sanitas ad tertiam speciem qualitatis pertinebit & redigetur. Nam esse difficile vel facilè mobile qualitas non est, sed modus, vel qualitas, vel aliud aliquid, veluti figura (quibus verbis & figuram ejicit è numero qualitatum, & proinde de facto solùm relinquit unam speciem, & proinde qualitas & qualitas patibilis illi sunt æquipollentia) *& quantitas inest subjecto.* Hactenus Piccolominæus.

19. *Defenditur proposita divisio.*

Nihilominus præsuppositâ qualitatum divisione satis bona est; prout constabit ex dicendis, de ejus divisionis sufficientia, & partium distinctione. Ex quibus etiam constabit solutio eorum, quæ *primâ* & *secundâ* objectione à Tamplero sunt proposita.

20 *Impotentia quid nunc sit.*

Ad *tertiam* respondeo; Impotentiam nunc non esse nudam carentiam potentiæ; sed impotentia, in prædicamentorum vel qualitatum distinctione est nihil aliud, quàm potentia ea, quæ difficulter suum actum exercet. Per potentiam enim illam qualitatem Aristoteles intelligit, quæ actum suum facilè & bene præstat. Atque ita sine incommodo talis impotentia qualitas dicitur, nec habet naturam repugnantem qualitati. Vide suprà *lib. 1. cap. 14. n. 39.*

Ad *quartam* respondeo 1. Ad bonitatem divisionis in species, non est necessarium ut inter eas ordo sit. Quid enim refert, cùm metallum dividitur in aurum, argentum, cuprum, &c. ponatúrne argentum an aurum primo loco. *Deinde*, ordo inter illas species ab Aristotele observatus est ordo dignitatis. Nobilissimæ enim qualitates sunt habitus, & deinceps potentiæ naturales; dehinc qualitates patibiles, & tandem figuræ. Quæ autem de sufficientia & distinctione opponuntur, commodiùs in sequentibus solventur.

21. *An potentiæ naturales rectè ponantur in prædicamento qualitatis;*

Ad opinionem & argumenta Piccolominei, quod attinet, distinctè respondendum est. Igitur 1. quod potentias naturales ejicit è numero qualitatum, nititur falsâ hypothesi, quòd potentiæ non distinguantur à forma, cujus sunt potentiæ, quæ res alibi disputatur, & potissimùm in Physicis, quoad facultates animæ. Et admisso, quòd potentiæ habeant realem identitatem cum formis, possent nihilominus illæ poni in prædicamentis qualitatis, ut opinor, sine incommodo. Nam ad prædicamenta non est necessaria, nec supponitur realis distinctio; sed satis est distinctio in modo prædicandi. Unde, quia potentiæ prædicantur, non quidditativè de substantia; idcirco qualitates non incommodè dicuntur. Et confirmatur; quod actio & passio sunt una res, & tamen diversa prædicamenta faciunt. Et hinc ferè in communi Doctores aiunt; non esse sufficiens indicium, quod quantitas & substantia (corporea) realiter differant, quia diversa prædicamenta constituunt. Unde relinquitur; quòd ex hoc modo loquendi possit esse aliquid in prædicamento accidentis, & tamen habere realem identitatem cum substantia.

22 *Habitus sine qualitas an relatio;*

II. Quod ait; Habitum esse non qualitatem, sed relationem; falsum est, quia habitus sunt activi & effectivi, hoc est, veros & propriè dictos actus exercent. At actiones non conveniunt relationibus. Et confirmatur; quòd quicquid rationem relationis insinuat in habitu, id sufficienter explicatur per transcendentalem relationem. Ergo non opus est devenire ad relationem prædicamentalem.

Ab Aristotele: quomodo dicatur relatio.

Quòd autem Aristoteles aliquando *habitus* vocat relationes, id (cùm diserte Aristoteles *lib. Categ. cap. 8.* Habitum referat inter species qualitatis) vel intelligendum est, dici ab Aristotele ad aliorum opinionem, ut Scotus vult *quodl. 13.* vel dixit qualitatibus advenire aliquas relationes, cùm interim essentia illorum sit per modum Qualitatum; ut Suarez docet *disput. 44. Metaph. sect. 5. num. 11.*

Denique

Denique etiam non potest subsistere reductio habituum, quam Piccolominæus instituit. Nam si habitus, qui adduntur qualitatibus tertiæ speciei qualitatis, sunt in tertia specie qualitatis: Ergo qui adduntur potentiis (quæ ad ipsius opinionem habent realem identitatem cum substantiis) erunt in prædicamento substantiæ. Imò cùm omnes habitus addantur naturalibus potentiis, ut deinceps patebit; revera omnes habitus erunt substantiæ: Absurdè.

ARTICULUS. II.

De distinctione qualitatum, in ista divisione qualitatis, in habitum potentiam naturalem, patibilem qualitatem, & figuram.

23. *Timpleri opinio. Qualis dissensio debeat esse inter partes distributionis.*

TImplerus, ut visum est priori articulo, accusat hanc distinctionem ob nullam partium dissensionem, quia una eadémque qualitas modò hæc, modò alia qualitas sit.

Sed hæc accusatio frivola est. Nam dissensio, quæ inter partes debet esse in legitima distributione, non est semper in re subsstrata, sive in materia distributionis: sed satis est aliquando, ut partes dissentiant formaliter. Unde illæ distributiones dicuntur fieri in diversos modos vel status, non autem in diversas res. Tale quid est, dividendo Ens in idem & diversum; in universale & singulare; causam in procreantem & conservantem; & sic in aliis. Hic igitur ad dissensionem partium satis est, si, cùm una res est susceptura utrosque status, solùm id sit, cum ob aliam atque alia ratione modóve. Hoc, *inquam*, ad partium dissensionem, in distributione requisitam, satis est: Etsi alia de causa existimem, majorem hic debere esse partium distinctionem. Nam ne quidem secundùm alium atque alium statum existimo qualitatem hujus generis, fieri qualitatem alterius generis.

24. *Distributionem hanc esse in species.*

Ergo nunc dico: *Divisionem qualitatis in habitum, potentiam naturalem, qualitatem patibilem, & figuram, non esse distributionem in diversos modos, sed in diversas species.* Ita patet, quia hæc est potissima prædicamentalis distinctio *qualitatis*: Prædicamentales autem distributiones inprimis debent esse in species. Nam prædicamentum est series generum & specierum.

25. *Non potest una qualitas esse sub diversis speciebus.*

Atque hinc infero: *Quòd non possit una eadémque qualitas modò hujus, modò alterius generis esse, solùm sub diverso modo considerandi.* Nam alius atque alius modus non potest variare species. Ita impossibile est, ut quod est piscis, solùm sub alio considerandi modo sit avis, vel bos, vel aliud è genere bestiarum: Et sic est in speciebus aliis. Et patet: quia alietas in modo alio atque alio, est solùm differentia accidentalis. Inter species autem est differentia essentialis. Unde non desinit aliquid esse in hac specie, nisi per desitionem prioris essentiæ. Nec incipit esse in specie alia, nisi per acquisitionem alterius essentiæ. Dulcenit Toletus *ad l. Categ. c. q. 1. fol. 85. col. 1.*

26. *Objectio.*

Id solet *objici*: quod Aristoteles *lib. Categ. c. §. 4.* ad primam speciem qualitatis retulit calorem & frigus: quæ tamen etiam sunt in tertia specie, hoc est, qualitates patibiles.

Respondeo 1. Aristoteles frequenter *in Categ.* loquitur ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Unde aliqua eorum, quæ *in cap. 8.* ab Aristotele relata sunt ad species qualitatis, in Metaphysicis, ubi accuratius rem consideravit, exinde rejeci. *Deinde* videri potest: calorem & frigus ab Aristotele non referri ad primam speciem qualitatis, sed solum dispositiones (quæ sunt in illa specie) esse similes calori & frigori: quæ sunt in aqua, & in eo quidem, quòd dispositiones facilè mutentur in subjectis, sicut & frigus & calor in aqua facile acquiritur, & facile amittitur. Sic enim loquitur *d. l.* Διαθέσεις λέγουσι) ἃ ἔστιν εὐκίνητα καὶ ταχὺ μεταβάλλοντα: οἷον θερμότης καὶ ψυχρότης. *Dispositiones dicuntur, quæ sunt facilè mobiles, ut calor & frigus,*

ubi

ubi particula illa οἷον, non necessariò intelligitur, tanquam proponens exemplum dispositionis: sed potest etiam significare similitudinem, quasi, quæ subjiciuntur, sint similia dispositionibus.

27. *Quomodo qualitatum species distinguantur.*

Porrò: Quomodo illæ qualitates distinguantur, dilucidius quidem erit, postquam singulæ pertractatæ fuerint: tamen nunc etiam earum discrimina breviter patent.

Igitur habitus & potentia naturalis in communi in eo distinguuntur à qualitate patibili & figura, quod illæ qualitates primò destinantur ad actus aliquos, quod non est de relquis. In eo tamen differunt potentia naturalis & habitus, quòd potentia est principium primum alicujus actus, veluti potentia intelligendi vel intellectionis. Habitus autem est principium actus, superadditum naturali potentiæ, qui consequenter potentiam naturalem juvat & facilitat ad actum suum, quale quid est scientia vel ars, quibus potentia naturalis intelligendi perficitur, ut dextrè, expeditè, facilè & sine errore feratur ad actum suum. Discrimen igitur inter istas qualitates hactenus est satis evidens.

Jam porrò qualitates patibiles, & figura in eo primùm conveniunt, quòd neutra illarum primò destinatur ad agendum: sed referuntur ad perfectionem subjecti ab intra, hoc est, extra destinationem ad actum aliquem. Unde si quando actus aliquis istas etiam qualitates consequatur, tamen id est secundariâ destinatione, adeò, ut propterea illæ qualitates frustra non sint, si maximè actibus careant. In hoc igitur utraque illa qualitas à prima & secunda specie qualitatis distinguitur. Ab invicem autem satis clarè distinguuntur. Nam figura significat qualitatem illam, quæ modificat extrema, vel terminos in quantitate. Id autem non faciunt qualitates patibiles. Atque ita apparet satis specifica inter qualitates distinctio & repugnantia.

ARTICVLVS III.

An divisio qualitatis in istas quatuor species sit sufficiens.

28. Sufficientem aio istam divisionem: inprimis à posteriori, quia nulla qualitas nominari potest, quæ non contineatur sub aliqua illarum specierum. Alii tamen speciales modos & rationes sufficientiæ illius designant. Vide Thom 1. 2. q. 49. art. 2. Ammon. Simplicium, Toletum, Conimbr. & alios *ad lib. Categ.* c. 8. Suarez *disp.* 42. *Met. s.* 5. Dn. Jacob. Martin. *in disp. Metaph. disp.* 22. *q.* 2. Et alii plurimi idem docent.

29. *Via Thom.*

Igitur *Thomas* sic procedit: Ait igitur: qualitatem esse modum sive determinationem subjecti secundùm esse accidentale. Jam autem determinationem posse accipi, vel in ordine ad ipsam naturam subjecti: vel in ordine ad actionem & passionem, quæ consequuntur principia naturæ, ut sunt materia & forma: vel secundùm quantitatem. Si igitur accipiatur illa determinatio secundùm quantitatem: sic esse figuram, hoc est, quartam speciem qualitatis. Modus autem & determinatio subjecti, secundùm actionem & passionem attenditur in secunda & tertia specie. Et denique modus, ex quo sumitur ratio boni & mali, sive qui determinat subjectum in ordine ad naturam ejus, facit primam speciem qualitatis.

30. *Via Simplicii.*

Simplicius sic procedit: Qualitates ait esse in duplici differentia: *Quædam* igitur sunt adventitiæ sive acquisitæ & istæ faciunt *primam speciem*. *Quædam* sunt naturales. Quæ autem naturales sunt, significant vel potentiam vel actum. Si potentiam, sic esse *secundam speciem*. Si actum, tunc id esse bifariam, vel enim id esse in profundo subjecti, & sic esse *tertiam speciem*: vel in exteriori superficie, & sic esse *quartam speciem*.

31. *Processus Tolet.*

Toletus sic procedit: Qualitas, *inquit*, est nihil aliud, quàm modus & determinatio

natio ejus, quod est indifferens. Igitur deinceps *primo* res secundùm suum esse, ipsa tantùm consideratа manet indifferens, ut bene vel malè se habeat; & determinatur, quantum ad hoc per qualitates primæ speciei, quæ sunt habitus vel dispositiones, quæ modificant rem, ut bene vel malè se habeat in se. Manet *præterea* res indifferens, ut possit operari, vel non possit operari. *Tertiò* manet indifferens etiam, quantum ad operationes, quæ dicuntur passiones sensus, quia scilicet vel illas efficiunt, vel ex illis procedunt, & quantum ad hoc modificatur à qualitatibus tertiæ speciei. *Tandem* modificatur res in sua quantitate à figura vel forma (quantitas enim tenderet in infinitum, nisi à figura terminaretur & concluderetur. Nec alius modus intrinsecus in ipso subjecto manet. Nam quod sit in loco, in tempore ad aliud illa sunt ab extrinseco.

Alii istas sufficientias aliter tradunt. Quæ singulæ suos nævos habent & non libenter immoror istis, otiosè refellendis. Mihi ratio sufficientiæ ea satis bona est, quæ à posteriori sumitur, quòd scilicet nulla qualitas nominari possit, quæ non contineatur sub aliqua illarum specierum. 32.

Proponuntur objectiones.

SEd sunt aliqua, quæ contra sufficientiam illius distributionis objici possunt. 33.
Primo igitur objiciuntur illa verba Aristotelis *Lib. Categ. c.8. §.6. Fortassis*, inquit, *& quidam alius qualitatis modus esse videbitur: sex in* (loquitur de istis speciebus qualitatis) *sunt, quæ maximè in usu versantur.* Ex quo loco Simplicius etiam, ut antea *art.5.* relatum est, hujus distributionis insufficientiam concludebat.

Deinde ajunt: actus immanentes esse qualitates. At quò pertinent? Idem interrogatur de speciebus intelligibilibus. *Denique* dubitatur: quomodo quatuor tantùm sint species qualitatis cùm Aristoteles de speciebus qualitatis loquatur sub octo nominibus.

Solutiones.

AD *primum* horum respondeo: quòd Aristoteles istis verbis non ponat plures species qualitatis, sed dubitat solùm, ut indicat particula *fortassis*. Dubitatio autem continet indifferentiam ad affirmationem & negationem. Dubitat autem propterea Aristoteles, quia nondum invenerat causam, cur plures esse non possint. Nunc autem ubi tanto tempore non potuit nominari qualitas quæ sit diversæ speciei ab istis, nulla ratio porrò est, cur de insufficientia illius divisionis dubitemus. 34.

Ad *secundum* respondeo: Actus immanentes non esse qualitates, sed actiones ut suo loco videbitur. 35.

De qualitatibus intelligibilibus judicia variant. *Cardanus* ait: eas nec substantiam, nec accidens, adeóque nihil esse. Sed hæc sententia vana est, quia istæ species intelligibiles positivum actum exercent, quod non potest non Entibus convenire. Vide contra eum *Scalig. exerc. 307. §. 16. p. 948.* 36. *Species intelligibiles quid sint.*

Admisso autem, quòd istæ species sint entia, nemo non vocat eas qualitates. Sunt enim quasi formæ inhærentes menti, & modificantes eam ad peculiares actus. Sed sub qua specie, inquis, sunt illæ species intelligibiles?

Aliqui eas referunt ad tertiam speciem qualitatis, ut Goclenius fecit in *Prodrom. Lex. Philosoph. qu.31.* Sed nec hæc opinio bona est. Quia sub illa tertia specie ponuntur istæ qualitates, quæ ordinantur primò, solùm ad subjecti perfectionem: Non autem destinantur primò ad operandum, ut patuit *art.2.* Species autem intelligibiles primò habent officium non aliud, quàm ut destinentur ad agendum, sive ad actuandam potentiam intellectivam ad intelligendum.

Atque ex hoc statim sequitur: quòd illæ species optimè referantur ad primam speciem qualitatis. Id enim, ut ex iisdem patet, nunc in communi vocamus habitum, 37. *Esse habitus.*

bitum, quod cùm sit principium operandi, non est tamen principium, nisi, ut superadditum alicui potentiæ naturali. Utrumque autem convenit speciei intelligibili. Nam *primò* proprium officium illius speciei est, ut sit principium actionis. Hactenus ergo oportet, ut sit vel habitus, vel potentia. *Deinde* illa species est principium alicujus actionis: sed tanquam aliquid superadditum ad naturalem aliquam potentiam. Hactenus ergo non est potentia naturalis, sed habitus. Atque hanc sententiam tenet etiam Ægid. Rom. *l. 5. Met. c. 14. q. 2.* Tartem. *l. 2. consid. log. c. 48.* & Suarez *disp. 42. s. 5. n. 16.* & alii: Et speciatim quidem istas species Suarez refert ad habitus infusos, *ibid. s. 13 n. 5.*

De duplicatis nominibus singularum specierum qualitatis statim seorsim videbo.

ARTICULUS IV.

In quo explicantur duplicata nomina specierum qualitatis ab Aristotele propositæ.

38. ARistoteles, ut suprà referebam: primam speciem qualitatis nominat *habitum & dispositionem.* Secundam: *potentiam & impotentiam.* Tertiam: *qualitatem possibilem & passionem.* Quartam: *figuram & formam.* Sub quibus octo nominibus ait, solùm quatuor species qualitatis comprehendi, inæque duo vocabula sigillatim adhiberi, ad significandam unam speciem: idque propterea, quia vel, quæ Aristoteles distinctè nominat, accidentaliter solùm distinguuntur: vel etiam, si specifica differentia interveniat, quia per commodam abstractionem commune aliquod nomen præscindi potest, ab ipsis specificis differentiis, quod quasi rationem generis ad utrumque istorum habeat, & sic constituat, in ista abstractione, unam quandam qualitatis speciem. Ita censeo ampliandum, propter varietatem opinionum Doctorum, de distinctione inter *habitum & dispositionem.*

39. *De nomine habitus & dispositionis.* In prima igitur specie ponitur *dispositio & habitus.* Ubi sub nomine *dispositionis* non intelligitur nunc, in communi omnis illa qualitas, quæ disponit ad aliam ulteriorem formam, quomodo, quæ in materia prærequiruntur ad introductionem formæ, dicuntur dispositiones ad istam formam; sed speciatim nunc dispositiones dicuntur, quæ disponunt subjectum ad recipiendos habitus. Unde dispositiones nunc dicuntur: quæ sunt imperfecti habitus, veluti sunt obœdientia, tolerantia, continentia, & similes semivirtutes. Sub nomine autem habituum intelliguntur perfecti habitus, quibus subjectum habituatum est omnino promptum, ad actus suos facilè & benè exercendos.

40. Hoc igitur præmisso apparet, unam qualitatis speciem constitui per dispositionem & habitum, sive essentialiter, sive accidentaliter ab invicem distinguantur. Si enim accidentaliter solùm distinguuntur, ut aliqui volunt. Ergo ibi non variatur species. Accidentale enim discrimen minus est, quàm ut species varier. Sin verò distinguuntur essentialiter, tùm nihilominus conveniunt habitus & dispositio aliquo communi quidditativo prædicato, veluti, quod sint qualitates, secundum quas bene vel malè agimus. Et in ea communitate sumi potest habitus, qui, ut sic præcisè sumi potest, ab habitu perfecto & imperfecto.

41. *De nomine potentiæ & impotentiæ.* Secunda species qualitatis significatur per *naturalem potentiam & impotentiam.* Ibi igitur impotentia est nihil aliud, quàm potentia agendi, sed debilis, vel debilitata. Potentia verò naturalis est qualitas ad agendum facilè, ut Aristoteles ipse distinguit *lib. Categ. cap. 8.* Actio ratione facilis & difficilis, per se non fundatur plus quàm accidentale discrimen. Atque sic præscindendo & abstrahendo vocabulum potentiæ, à ratione facilis, sine incommodo apprehendi potest potentia; ut significet omnem illam qualitatem, quæ naturaliter præstat actum aliquem. Atque sic debilis potentia, (quam Aristoteles *impotentiam* vocat) est etiam potentia, in ea generalitate loquendo.

Tertia

Tertia species qualitatis circumscribitur nomine *passibilis qualitatis & passionis*. Passibilis igitur qualitas sic dicitur ea, quæ est diuturna, & permanens, quale quid est rubedo in eo, qui est temperamenti sanguinei. Per passionem autem intelligitur qualitas ea, quæ est citò transiens: quale quid est rubedo, orta ex verecundia vel propinquitate ad ignem, vel ex morbo alquo vel alunde. Passio igitur & passibilis qualitas non differunt, nisi κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον, hoc est, *secundum majorem vel minorem durabilitatem*. Diuturnior autem duratio, vel minus diuturna, nullam specificam distinctionem infert. Communi autem nomine, sine incommodo, potest *illa species* qualitatis dici *passibilis qualitas*: sed tum præsenditur vox ab illa à speciali significatione, vel conditione, quam habet in oppositione ad passionem. Si displicet vocabulum, quære aliud. Vocant aliqui *afficientem qualitatem*. In nominibus tamen hactenus non admodum litigandum est. 42. *De nomine passionis & qualitatis passibilis.*

Inter formam deinceps & figuram, quibus exprimitur quarta qualitatis species, nullum est essentiale discrimen, imò nullum prorsus, nisi fortasse in usu vocis. De quo tamen non convenit inter Autores: 43. *De nomine formæ & figuræ.*

Formam viventis, pictis dic esse figuram.

Inquiunt aliqui. Sed in ratione modificandæ quantitatis nulla hactenus est essentialis differentia, seu in picto, seu in vivente sit.

Alii per formam intelligunt modificationem quantitatis, prout est à parte rei in corpore naturali: per figuram autem intelligunt eandem quantitatis modificationem, si sumatur sub abstractione Mathematica. Sed tamen nec sic est essentialis diversitas: Alias enim etiam quantitas faceret duas species, in quantum ea sumitur, ut hærens in re naturali, & ut abstracta à materia sensili. Simpliciter abstractio, hoc est, peculiaris quidam actus intelligendi, non variat rerum essentias.

Nunc specialiùs videndum est de singulis speciebus qualitatum, inter quas primò erit habitus.

TITULUS IV.

De habitu in genere.

GEneralis habituum doctrina in pluribus partibus consistit. Atque ita *primò* agendum est de nomine habitus & dispositionis. *Secundò*, de essentia & definitione habitus. *Tertiò*, de subjecto habituum. *Quartò*, de eorundem causa. *Quintò*, de actibus, qui ab ipsis fiunt. Et *sextò*, de augmento habituum. Et *demùm*, de eorum corruptione & diminutione. His expositis constabit de generali natura habituum. 44.

ARTICULUS I.

De voce habitus & dispositionis.

VTrumque hoc vocabulum hic declarandum est, quia illis conjunctim explicat Aristoteles primam speciem qualitatis, ut dictum est in præcedentibus. Porrò: vox *habitus* ambigua est, ut ipse Aristoteles docet *lib. Categ. cap.* 15 & *lib.* 5. *Metaphys. cap.* 20. 23. Ubi frequenter idem etiam sit ab interpp. Summatim igitur habitus latiori sensu potest adjectivè. Estque enim habitus id omne, quod à substantia habetur. Sic omne Ens habet essentiam. Ergo essentia est ab omni Ente habita. Et sic in aliis. Congruitque hæc significatio vocis ad ejus impositionem. Habitus 45. *Variæ significationes in voce habitus*

bitus enim ab habendo dicitur, apud August. *lib.* 83. *qq. q.* 73. Confer Thom. 1. *p. q.* 49. *art.* 1.

II. Habitus apud Medicos frequenter significat peculiarem constitutionem corporis, sive structuram aliquam, vel compositionem, ut Hippocrates loquitur, & refert Galenus *in Hippocrat. lib. de morb. acut. controv.* 2. *p.* 47.

III. In oppositorum doctrina, habitus opponitur privationi. Et hoc modo omnis forma subjecto naturaliter debita, dicitur habitus, sicut carentia illius dicitur privatio. Sic videre est habitus in animali: cæcitas autem est privatio.

IV. Habitus constituit peculiare prædicamentum, & significat extranei corporis adjacentiam. Hoc modo esse vestitum vel armatum, vel tunicatum sunt habitus.

V. Significat habitus qualitatem excellenter & perfectè radicatam & intensam in subjecto, quo sensu habitus distinguitur contra dispositionem ab Aristotele *l. Categ. cap.* 8. Denique in communi habitus significat qualitatem, per quam subjectum disponitur ad bene vel malè agendum, sive id sit perfecto, sive imperfecto modo. Unde in ea latitudine habitus præscindit à perfecto & imperfecto. Et consequenter sic habitus comprehendit sub se etiam dispositiones. Facitque sic nomen habitus in eadem latitudine unam eámque primam qualitatis speciem.

46 *Dispositionis vox quot modis sumatur?*

Dispositionis vox similiter ambigua est, docente Aristotele *lib.* 5. *Metaph. c.* 19. Armand. de Bello Visu *tract.* 2. *term. c.* 68. Sumitur autem I. *dispositio* pro affectione in communi. Sicut & Græca vox διάθεσις. In qua latitudine Aristoteles *lib.* 5. *Metaph.* Dispositionem facit genus habitus, ut Armand. *d. l.* annotat. *Deinde:* Dispositio significat distinctarum partium coordinationem. Et sic coordinatio partium in oratione, thesium in disputatione, conclavium in ædificio, vocatur dispositio Orationis, disputationis, ædificii. Et sic in aliis. Atque huc pertinet etiam, cùm situs (qui nonum prædicamentum constituit) dicitur dispositio. Continet enim coordinationem partium corporis in ordine ad locum. *Tertio*, omnis præparatio ad ulteriorem formam vocatur dispositio ad ipsam. Ita pútrescentia ovi, ex calore gallinæ incubantis, est dispositio ad generationem pullis præparatio seminis per calorem, est dispositio ad generationem animalis. Et ad hunc modum distingui solet causa efficiens in eam, quæ est perficiens, & quæ est disponens. Et de tali dispositione intelligitur vulgatum illud; Idem est agens, *disponens* materiam, & introducens formam, ex Averroë, unde Perer. *lib.* 8. *d. cap.* 11. Vide de tali agente disponente Armand. de Bello Visu *tract.* 2. *term. c.* 240. *Denique* dispositio contra distinguitur sub prima specie qualitatis ab habitu. Id quod etiam duobus modis fieri posse docet Armand. *paulo citato loco.* Vel etiam habitus & dispositio possunt intelligi, ut perfectum & imperfectum, *inquit*, in ea ipsa specie, sicut albedo magis intensa, & minus intensa: Et tum dicitur dispositio quando imperfectè & minus intensè inest. Alio modo dispositio intelligi, *inquit*, potest, tanquam species condivisa habitui, ut sic dispositiones dicantur qualitates primæ speciei, illæ quibus secundùm rationem propriæ speciei convenit, ut de facili amittantur, quia habent causas transmutabiles; quales sunt ipsa sanitas & ægritudo. Habitus autem in illa oppositione dicuntur illæ qualitates, quæ genere suo non amittuntur facilè, quales sunt scientiæ & virtutes morales.

ARTICULUS II.

De essentia & definitione habitus.

47 *Dari habitus*

IN primis dari habitus recte ab experientia ex humanis actibus desumpta, probat Suarez *disp.* 44. *Metaph. s.* 1. *n.* 2. Experimur enim usu & consuetudine actuum, acquiescere nos facilitatem in operando, quæ facilitas, cùm realis in nobis effectus sit, ac pertineat transactis actibus, aliquam formam realem permanentem requirit, quæ in nobis sit, cùm antea non esset. Hanc autem formam vo-

casus.

camus habitum. Necessarium igitur est ob istam experientiam esse in nobis habitus. Confer Thom. 1. 2. q. 49. art. 4

48. *Habitus esse qualitates.*

Posito igitur, quòd sint habitus: videndum est, quid ipsi sint. Ergò primò certum est; *Habitus esse qualitates*, prout nunc sumitur vox *habitus*. Nam, qui habitus dicuntur, accidentaliter qualificant subsistentiam, in quo consistit ratio qualitatis.

48. *Piccolominei sententia.*

Piccolomineus tamen disputat *grad. 2. Phil. moral. cap. 6. & 8.* quòd habitus non sint qualitates, sed relationes. Inprimis autem de habitibus intellectivis id asserit, juxta eam habitudinem, quam ad mentem habent. Sed hæc habitudo non facit relationem prædicamentalem, sed transcendentalem, quæ in qualitatibus manet, & in ipsarum genere non repugnat.

49. *Differentia constitutiva habituum.*

Cæterùm, ut superiori titulo visum est, habitus distinguitur à qualitate patibili & figura, inde, quòd hæ qualitates *primo* non ordinantur ad actus. Habituum autem primarium officium consistit in destinatione ad actus. A potentiis autem naturalibus, quæ & ipsæ primò sunt principia actuum distinguuntur ex iisdem, quæ dicta sunt. Nempe: potentiæ sunt primum principium operandi. Habitus autem principium sunt operandi, sed superadditum naturali potentiæ.

Ex his igitur apparet: ad differentiam habituum constituendam duo requiri: *Primo*, quod sint principia operandi: *Secundo*, quòd ad operationem referantur, ut principia naturali facultati superaddita. Rotundè autem significabitur hoc totum, si dicatur: *Habitus esse qualitas naturalem potentiam, ad operandum facilitans.*

Enucleatur definitio habitus, & quæritur: An omnis habitus sit operativus?

51 *Omnis habitus debet esse operativus.*

Dicam clariùs: I. *Omnis habitus debet esse operativus.* Ita apparet ex fine habituum. Finis enim habituum non est aliud, quàm juvare potentiam naturalem, in ordine ad actum suum, vel reddere potentias facitiores & promptiores ad certas quasdam & determinatas operationes, ut Fonseca loquitur *lib. 5. Metaph. c. 5. q. 4 sect. 1*

52. *Objectiones.*

Sed *tria* hic objici possunt; *Primò*, quòd sanitas & ægritudo, & pulchritudo dicantur habitus, ab Aristotele *lib. Categ. c. 8. & lib. 7. Phys. t. 7.* quorum tamen nulla est operatio. *Deinde* sunt aliqui habitus, qui consistere magis videntur in patiendo, quàm in agendo, veluti est fortitudo, tolerantia, patientia. Non igitur videtur rectè dici: quòd omnis habitus sit operativus. *Denique* habitus, ut deinceps etiam videbitur, distinguitur in speculativum & practicum, hoc est, operativum. Si ergo non omnis habitus est practicus, etiam non omni habitui convenit operatio. Et in oppositum: si omnis habitus est operativus, repugnantia erit dicere, habitum speculativum esse habitum.

53 *Sanitas & ægritudo propriè non sunt habitus.*

Sed respondeo ad *primum*: Sanitas & ægritudo accuratè & rigorosè loquendo non sunt habitus, hac ipsa de causa, quia non sunt operativi, ut & Alexander & Simplicius docuerunt, ut refert Thom. 1. 2. q. 50. art. 1. Ubi idem etiam ait, sanitatem, pulchritudinem, & hujusmodi dispositiones non habere perfectè rationes habituum. Unde magis propriè sanitas & ægritudo dicuntur passibiles qualitates, ut insinuat Suarez *disp. 44 Met. sect. 1. n. 17.* & repetit *sect. 13. num. 7.* Ego malim dicere aggregatum quid, ex variis qualitatibus & earum ἀρμονία vel ἀνρμοστία.

Nec pulchritudo

Sicut id ipsum etiam de *pulchritudine* magis placet, ut dicatur aliquid aggregatum. Pertinet enim ad pulchritudinem, in natura diversorum colorum, peculiaris determinatio, vel modus quantitatis, definita quædam partium *commensio* & proportio, ut Aristoteles docet *in Poet. c. 7.* & Augustinus *lib. 22. de civit. Dei, c. 19.* Videturque id ipsum velle Scalig. 307. *sect. 29. part. 979. Pulchritudo*, inquit, *est qualitas conflata ex modo quantitatis, compagine qualitatum, & partium sive convenientia.*

Ad Aristotelem igitur, qui istos habitus dixit, dicendum, vel id impropriè factum, & ob similitudinem, quam istæ corporales dispositiones habent ad habitus: vel etiam nec ipsum habitus vocasse, sed ita eorum mentionem fecisse sub habitibus, sicut caloris & frigoris, de quibus supra vide *h. c. art. 3. art. 2. nu. 10.*

54 Ad *secundum* respondeo: Etsi fortis, tolerans & patiens aliquid patiantur à formidabilibus objectis: tamen animus secundùm istos habitus etiam agit, reluctando perturbationibus, quæ circa perpessionem τῶν φοβερῶν occurrere possent. Atque ita sufficienter isti habitus sunt operativi. Proinde illa mixtura illorum ad patiendum, non tollit hanc eorum activitatem: Sicut neque potentia sensitiva est expers activitatis, etsi quodammodo sensio fiat patiendo.

55 Ad *tertium* respondeo I. Vocem actionis esse ambiguam: Aliquando enim sumitur generaliter, & in communi significat omnem influxum agentis, veluti est, cùm actio peculiare prædicamentum constituit. Unde hoc sensu speculatio & cognitio etiam est actio, & non alterius alicujus prædicamenti. Hoc igitur sensu omni habitui convenit, ut disponat ad actionem vel operationem etiam speculativo. Si enim cognitio hoc sensu est actio, & habitus contemplativi ordinantur ad cognitionem; utique hoc ipso ordinantur ad actionem. Atque ita hinc porrò apparet; Habitum practicum non denominari ab operatione, sumendo operationem in ea communitate, quâ dictum est. Alia igitur significatio est, quâ actio cognitioni opponitur, qualis est, quæ regulariter per usum moralem, vel ex arte aliqua. Et ex tali actione denominatur habitus practicus. Atque hinc consequenter nulla repugnantia relinquitur, aliquem habitum dari, qui non sit practicus, sed speculativus.

Quòd omnis habitus superadditus alicui naturali potentiæ.

56 II. *Omnis habitus additur ad aliquam naturalem potentiam.* Ita ex eodem habituum fine relinquitur, qui est, ut perficiat rudem & imperfectum actum alicujus potentiæ. Sic habitus cytharisandi supraponitur naturali potentiæ motivæ; eodem modo & habitus saltandi, digladiandi, & similes.

57 Et ex hoc sequitur I. *Quòd ubi non subest naturalis potentia, non possit habitus ullus superstrui.* Ita cùm non sit in homine naturalis potentia ad volandum, in lapide ad saltandum, &c. Ergo ibi nullus potest etiam habitus supervenire.

II. Ex eodem sequitur; *Quòd nullus habitus possit esse naturalis potentia.* Ita apparet; quòd omnes sub voce *habitus*, id principium operandi apprehendimus, quod est naturæ superadditum. Sub ratione autem naturalis potentiæ apprehendimus primum & radicale principium operandi.

58 Sed contra hæc *objicitur* vulgò de intelligentia sive habitu principiorum. Is enim videtur esse naturalis potentia. Est enim is hactenus de primis principiis. At ista principia dicuntur naturâ nota.

Objectio de habitu principiorum.

Resp. De intelligentia variant opiniones. Aliqui aiunt; eam eandem esse cum naturali facultate intelligendi. Juxta hanc igitur opinionem, intelligentia non est habitus; & proinde per illam nondum habetur exemplum cujusquam habitus, cui non supponatur naturalis potentia. Alii autem & melius quidem aiunt; intelligentiam esse habitum, præeunte Aristotele *l. 6. Ethic. c. 6. & 2. post c. 1.* Et patet; quia per intelligentiam non intelligimus qualemcunque notitiam primorum principiorum, sed eam qualitatem, secundùm quam promptè & facilè iis principiis assentiamur. Unde hoc ipso intelligentia illa est acquisitum quid, & non naturale. Acquisitum, inquam, non per discursum, sed per simplices actus ex sola terminorum apprehensione ex intelligentia, ut colligitur ex Arist. *dictis locis.* Et Confer Suarez *disp. 1 s. 4 n. 14. 15.*

59 Principia autem prima dicuntur *naturâ nota*; intelligendo illam notitiam, de qua tota solùm inchoata, quæ deinceps per habitum principiorum, quem vocant

Principia

consummatur & perficitur. Unde ad eundem modum habitus principiorum potest naturalis dici, scilicet inchoatione aliquâ. Vide Thom. 1. 2. q. 51. *art.* 1. *quomodo naturâ sint.*

Habitus juvat actus naturalium potentiarum.

HActenus dictum est: Habitus esse principia actuum. Et eosdem addi naturalibus potentiis; Nunc autem dicendum est, quid præstent in naturalibus potentiis?

60. *Quid habitus præstent in naturalibus potentiis?*

Igitur III. dico; *Habitus perficere, juvare & facilitare actiones potentiarum naturalium.* Veluti: naturalis est potentia intelligendi, illa ut actum suum promptè & facilè exerceat, juvatur ab habitibus speculativis. Naturalis potentia est in manu ad motum; Ut autem manus moveat se congruenter ad distinctionem chordarum, pro faciendo æquabili & harmonico sone præstatur ab arte cytharizandi. Sic iterum naturalis potentia in manu est ad secandum, dolandum, *&c.* ut autem manus illos actus promptè & facilè, & artificiosè præstent, faciunt habitus manuarii, veluti ars sculptoria, architectonica, aciularia, & similes.

61. *Quæ potentia sit incapax habitus?*

Et ex hac habituum conditione sequitur; *Si qua potentia naturaliter præstet actum suum, secundum ultimam perfectionem, quod ea habituari non possit.* Habitus enim additur ad actum porrò perficiendum. Sic & Thom. 1. 2. *qu.* 50. *art.* 5. *ad prim.* Ad quæ, *inquit*, sufficienter inclinamur per naturam ipsius potentiæ, non indigemus aliquâ qualitate inclinante. Tales sunt omnes potentiæ, inprimis quæ non sunt rationales, nec per essentiam, nec per participationem. Si igitur habituari non possunt potentiæ vitales; veluti potentia nutrix & generatrix. Ac neque potentia vitiva habituari potest, quia & ipsa ex naturalibus satis habet, ut actum suum exhibeat, quàm potest fieri, modo perfectissimo.

62. *Species intelligibiles, &c. posse dici habitus.*

Atque in his tribus, quæ hactenus tractata sunt, consistit generalis habituum essentia & definitio. Atque ita juxta hæc apparet, species intelligibiles & sensiles posse dici habitus. Loquemur tamen deinceps solùm de habitibus, illis sepositis, ut & alii Metaphysici facere solent. Alii enim sunt principaliores.

ARTICVLVS III.

De subjectis habituum.

63. DE subjecto habituum *primo* in communi quæri solet; quodnam sit primum illorum subjectum? *Secundo*, in particulari inquirendum est; An habitus sint in brutis? *Tertio*, an sint in potentia motiva? *Quarto*, an sint in appetitu sensitivo? *Quinto*, an sint in voluntate? Et *Sexto*, an sint in intellectu? Ex quibus *Septimo* poterimus generalia Theoremata constituere de subjecto habituum. Solet ad hanc rem quæri; An in Angelis dentur habitus? Sed ea de re alibi egi. Vide supra hoc *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 127. *&* 206. De prioribus igitur solùm videndum est in præsenti.

PVNCTVM I.

Quodnam sit primum & proximum subjectum habituum.

64. QUæstio hæc duas implicat quæstiones; Primò; *An habitus proximè recipiantur in supposito, num vero in aliqua parte suppositi.* Deinde; si in aliqua parte suppositi recipiantur; *An recipiantur in ea secundum essentiam ejus an vero secundum potentiam* aliquam activam, ut ita proximè recipiantur habitus in aliqua potentia. Variant enim ad utrumque modum Doctorum opiniones; ut videri potest apud Simplic. *ad lib. prædic. cap.* 8. Thom. 1. 2. *qu.* 50. *art.* 2. *& art.* 4. *ad primum. & quæst.* 56. *art.* 1 Suarez *disp.* 44. *Met. sect.* 1. *num.* 9. *& disp.* 14. *sect.* 4. *num.* 7. *ferè ad finem.*

Hanc

65. *Primum subjectum habituum non esse suppositum.*

Hanc igitur ad rem I. dico: *Subjectum primum habituum non esse suppositum.* Ita apparet, quia habitus significat proximè dispositionem potentiæ ad objectum vel actum. Potentia, inquam, illius, quæ activa est. Potentiæ autem activæ competunt rebus secundum formas.

Objici solet: operationem esse conjuncti sive suppositi, per Arist. 1. *de an.* c. 1. & 66. Sed *respon deo* id solùm verum esse de principio *quod*, vel de principio denominativo. Non autem intelligitur de principio *quo*, & radicali, quod est forma suppositi. Proinde: cum anima sit, verb. gratia, principium *quo* intelligimus & volumus: oportet, si quidem bene debeamus intelligere & velle, ut ex parte animæ sit aliquod principium, illam potiò actuans ad istos actus suos bene exercendos.

Nunc igitur determinandum est, postquam constat, habitus requiri ex parte animæ. An illi immediatè recipiantur in ipsam animam; an vero proximè afficiant ipsas potentias.

66. *Habitus proximè recipiuntur potentiis.*

Hinc igitur II. dico: *Habitus proximè recipi in ipsis potentiis.* Ita patet, quia habitus illi proximè ordinantur ad hoc, ut potentiæ faciant promptiores & faciliores ad operandum. Id autem non faciunt per aliquod tertium, sed per se ipsos. Ergo informant ipsas potentias, & in iis subjectivè recipiuntur. Fuit & hæc de re suprà *l.* 1. *cap.* 23. ubi ostendebam accidentia proximè recipi posse in aliis accidentibus.

67. *Objici* hîc solet: Quod accidentium non sit accidens: Sed in eodem loco id explicatum est. Et falsitas illius pronunciati, si sine addito intelligatur, inde satis apparet, quod accidentia materialia proximè recipiuntur in quantitate, quæ etiam est accidens.

PUNCTUM II.

An habitus sint in brutis?

68. *Objectiones.*

ITa videtur ex duobus: I. Quod distinctis brutis, solent aliquæ virtutes attribui, veluti Ciconiæ gratitudo, turturi castitas, serpenti prudentia, Leoni fortitudo, & sic in aliis. II. Quod bruta assuescunt ad aliquas operationes, quas successu temporis, & per consuetudinem aliquam facilius & promptius exercent, quam antea. At in hoc est ratio habitus, ut scilicet aliquid sit qualitas, secundum quam promptius & facilius exercentur actus alicujus naturalis potentiæ. Et videtur huc facere, quod Aristoteles 1 *Metaph. c.* 1. animalibus aliquibus tribuit experientiam. Experientia autem non potest non terminari ad notitiam perfectiorem. Atque hæc habet rationem habitus. Sic & Augustinus ait *l.* 83. *qq. q.* 36. Animalia fera *consuetudine* fieri *mansueta*. Hic Augustinus non solum illa animalia *mansueta* vocat, quod est nomen virtutis, atque adeò habitus: sed etiam ut intelligitur esse mansuetudo, propriè dicta, ait, eam comparari *consuetudine*, hoc est, per iteratos actus. Iterati enim actus introducunt habitum. Et hæc sententia consequenter non displicebit illis, qui brutis rationem attribuunt, ut fecerunt Valla, Piutarchus, Vallesius, alique.

69. *Confirmatur, quod brutis non conveniat ratio.*

Hæc in re id inprimis certum est: *Brutis non convenire rationem.* Per rationem enim intelligimus eam vim, quâ nos movemur ad cognitionem causarum, verbi gratia, ex effectorum cognitione. Et ad cognitionem effectorum, ex cognitione causarum; ad cognitionem universalium, ex cognitione singularium, ut Scalig. docet *exer.* 307. *s.* 2. Hic autem modus intelligendi non potest formæ materiali, quæ in cognoscendo unicè sit organis corporeis alligata, convenire. Nam universalia & formæ, verb. gratia, quæ ex effectis cognoscuntur per rationem, non possunt secundum se organo corporeo intelligi. Et confirmatur, quod agentia bruta sunt prorsus determinata ad quid unum, & non possunt non appetere, quod phantasia appetendum judicavit, ut apparet in *naturalibus* quidem eande, quod omnes

b. flux

bestiæ ejusdem speciei idem operantur, idque eodem modo: In illis autem quæ *assuetudine* comparantur, similiter id patet, quod ad quæ assueverunt bestiæ, non possint non facere, juxta id quod sibi imaginantur. Atque ita nulla est in bestiis libertas & indifferentia in agendo, & proinde ratio nulla. Specialiùs eam rem persequuntur Physici.

70. *Non etiam habitus.*

Atque hinc sequitur: *Brutis non posse convenire habitus.* Illi enim non possunt esse, nisi suppositâ indifferentiâ & libertate agendi, atque adeò ratione ipsâ, quæ, ut visum est, brutis non conveniunt. Atque ita etiam Suarez *disp. 44 s. 2. n. 3.* generaliem rationem, cur in brutis non sint habitus, ait esse, quod in omnibus actibus suis determinantur ad unum, ex vi objectorum, prout eis repræsentantur. Et hoc quidem evidens, & per se clarum est, *in sensibus externis.* De aliis etiam probatur: *In appetitu* igitur ipsorum non potest esse habitus, quia non possunt aliquid appetere, nisi phantasiâ determinârit priùs, sitne aliquid appetendum vel fugiendum. Ea autem phantasiæ determinatione pro suppositâ non possunt non agere hoc ipsum. Ergo cessat eo in casu in brutis indifferentia in agendo, & per consequens nullo opus est habitu ad appetendum. Quod autem similiter in *imaginatione* sive phantasiâ suâ nullo egeant habitu, similiter apparet: quia ut ex appetitu & cognitione hominum apparet, major est indifferentia in facultate appetitiva, quàm intellectiva: Unde ad eundem modum, si in appetitu bruti non sit indifferentia, ad habitudinem necessaria à fortiori, nec idem erit in bruto.

Nunc solvenda sunt argumenta prius proposita.

71. *Solvuntur objectiones.*

AD *primum* igitur respondeo: quòd aliquæ virtutes tribuantur brutis solùm per similitudinem & metaphoram. Sumitur enim virtutis nomen quandoque pro eo, quod virtutis umbram vel imaginem continet. Ita docet Aristoteles *lib. 8. de hist. anim. c. 1* ubi ait: in jumentis & feris inveniri morales virtutes, & vitia, quatenus in eis insunt *vestigia* morum hominis, & pro exemplo istarum umbratilium virtutum, *ineſt*, inquit, *eis urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, fiducia, ira, malitia, atque etiam prudentiæ imago*, inquit; *ineſt multis.* Et postea: *ut in homine est ars, sapientia, prudentia, sic in nonnullis brutis est vis quædam ejusmodi altera naturalis. Constat hoc ita esse planè argumento pueritiæ ætatis, in qua futurorum habituum quasi semina & vestigia videras: Et tamen nihil per id tempus animam hominis à brutorum anima differre prorsùs dixerim.* Hæc ille; ubi satis clarè indicat Aristoteles, proprièloquendo, in brutis habitus istiusmodi non esse, quòd [illegible]*nem* dicit, item *vim naturalem*, & præterea à pueritiæ ætate adducit exemplum ubi solùm ait esse *vestigia* futurorum habituum. Et patet, quod aliàs Aristoteles disertè negat virtutes brutis, *l. 7. Ethic. Nicom. c. 1. In feris*, inquit, *nec virtus nec vitium est.* Confer Piccolom. *grad. 4. Phil. moral. c. 3.*

Brutis virtutem quomodo tribuat Aristoteles.

72. *Actus assuefactitii in brutis non indicant habitus. Illis tamen assimilantur.*

Ad *secundum* respondeo, actus assuefactitios in brutis, indicare quidem aliquam assimilationem ad habitus; revera tamen non esse inde in iis habitus. Prius apparet, quia actus illi sunt ultra primam illorum naturam, & tribuunt naturis brutorum peculiarem quandam promptitudinem & facilitatem in operando. Atque hinc Thom. *1. 2. q. 50. art. 3. ad secundum*, ait; in brutis animalibus *quodam modo habitus* poni posse.

Quod autem illi non sint veri & proprièdicti habitus, declarari solet bifariam; Nempe ex duobus defectibus eorum, quæ alias ad rationem veri habitus, requiruntur, Thom. igitur *d. l.* ait; in istis brutorum actionibus ad rationem habitus deesse *usum voluntatis*; Eum autem ad rationem habitus pertinere probatur ex Comment. *in lib. 3. de anim. t. 18.* ubi ait; Habitum esse, quo quis agit *cum voluerit.* Volitio autem in bestiis propriènon est. Ergo nec habitus. Suarez autem *disp. 44. Met. s. 3. nu. 5.* hoc ait, deesse ad rationem habitus, quod quæcunque

præstantur à brutis, satis commodè præstantur in brutis per phantasmata. Unde signum est, nihil in iis esse, quod sit ad rationem operandi additum ultra naturam. Nam phantasmata requiruntur, ut principium primum & naturale ad operandum. Patet autem antecedens, quia phantasmata per repetitionem actuum facilius hærent in memoria, & tenacius, & sic etiam promptiora fiunt ad actuandam phantasiam, & determinandam eam ad agendum vel judicandum. Atque ita si species illa sive phantasmata repræsentent objectum cum omnibus circumstantiis, naturaliter determinabitur phantasia, etiam si non habeat habitum. Atque ita nullum est indicium ulterioris habitus. Et sic consuetudo agendi in istis non efficit habitum: sed solùm efficit, ut species repræsentet objectum cum his vel aliis substantiis.

PUNCTUM III.

An habitus sint in potentia motiva.

73. *Rationes dubitandi.* RAtio dubitandi est, quia experientia docet, quòd per iterationem & repetitionem actuum, etiam membris corporis soleat induci aliqua major facilitas, & promptitudo ad actum: veluti est in digitis pulsantis cytharam, testudinem vel organum, & sic in aliis. Eàque de causa membris corporis attribuuntur habitus à Scoto 3. *d.* 33. *quæ.* Gabr. 3. *d.* 23. *q.* 1. *a.* 3 & aliis. Et confirmatur: quòd hinc aliquæ artes dicuntur manuariæ, tanquam residentes in manu.

74. *Aliorum sententia.* Nihilominus aliis secus videtur, qui ajunt nullum habitum in potentia motiva suscipi. Vide Thom. 1. 2. *q.* 50. *a.* 3. ejusdémque Interpp. Et adde Suarez *disp.* 44. *s.* 2. *nu.* 3. Ratio illorum principalis est: quia habitus solùm conveniunt potentiis, quæ eliciunt actus immanentes. Et confirmatur ab iisdem amplius; Quia ille habitus, qui in potentia motiva statuitur, vel recipitur immediatè in ipsa potentia motiva, vel non. *Posterius* dici non potest: quia de ratione habitus est, juvare potentiam per seipsum, quòd non potest fieri, nisi informando ipsas potentias, ut priùs visum est *ad* 1. *oncl.* Neque *prius* dici potest: quia potentia motiva necessitate naturæ est obediens appetitui, unde de se nullam indifferentiam & determinationem habet ad agendum sic, vel aliter. Potentiæ autem quarum actus sunt necessarii, habituari non possunt. Solùm habent quandam indifferentiam passivam, ut sic vel aliter ab appetitu moveantur. Illa autem indifferentia non postulat habitum in ista motiva potentia: sed satis est, si potentia dirigens motum habeat habitum, juxta quem possit variare in motu.

75. *Solvuntur rationes dubitandi.* Atque ex hoc etiam apparet solutio ad rationem dubitandi priùs positam, quia illa facilitas & promptitudo in motibus aliquibus non postulat, ut ipsa potentia motiva habitum acquirat: sed satis ista facilitas in motu præstabitur, si, quod dirigit vel imperat motum, habeat habitum. Et confirmatur: quia secus & actum memoriæ oporteret poni in digitis vel pedibus, quod absurdum est, quia memoriæ instrumenta & conditoria non sunt in digitis. Vide Scal. *Exerc.* 307 *s.* 37.

76. *Quomodo artes aliquæ dicantur manuariæ.* Quod autem artes aliquæ *manuariæ* dicantur, id non est sic, quasi ars sit in manu vel potentia motiva manus: sed quod artes illæ in mente existentes, exerceantur manibus. Nam & urbanitas ex parte exercetur & exprimitur gestibus, & tamen non est in manibus vel pedibus ipse habitus urbanitatis, sed iis membris solùm quadantenus exeritur.

PUNCTUM IV.

An possint dari habitus in appetitu sensitivo.

77. *Ratio dubitandi.* RAtio dubitandi est quòd appetitum sensitivum habemus cum brutis communem. Unde si in eo possent dari habitus, possent etiam esse in brutis, quod falsum esse priùs patuit.

Nihilo-

Nihilominus Aristoteles docet: aliquas virtutes, & proinde habitus aliquos esse irrationabilium partium *lib 3. Ethic. cap. 10.* Sic, verbi gratia, temperantia & fortitudo sunt in appetitu sensitivo, quia per eas componuntur perturbationes sensitivæ, veluti, quæ sunt in gustu & tactu. Confer & Thom. 1. 2. q. 50. a. 3. & q. 56. a. 4. & Piccol. *grad. 3. Phil. moral. c. 7. seqq.* Colleg. Conimbr. *in Ethic. disp. 7. q. 5.* & Autores ibi citatos.

Atque hæc etiam posterior sententia rectè eligitur propter dicta, & latius defendi & confirmari solet ab Ethicis.

Ad rationem autem dubitandi respondeo: Appetitum sensitivum posse bifariam considerari. *Primò* in se & secundùm se. *Deinde* in quantum subest rationi, & sic per obedientiam ad mentem fit λογικὸς, sive rationalis. Ex quibus porro dico: quod appetitus sensitivus solum capax sit habituum, in quantum per rationem dirigitur. Nam, ut rectè Piccolomineus ait, *Grad. 4. Phil. moral. cap. 10.* Cum mens primo & ex se sit rationis compos, virtutes omnes pertinere ad mentem, ut ad ducem & principium, ad quam munere sapientiæ, judicare verum, munere voluntatis, finem optimum, velle, munere consultationis & prudentiæ, congruentia media invenire, medium circumscribere, & aurigæ more, appetitiones sensuum, quasi equos dirigere. Atque hinc fit, quod, tum in brutis non possint esse habitus in appetitu sensitivo, possint tamen esse in hominis appetitu sensitivo, quia hic est rationalis participatione, ille autem nullo modo. 78. *Appetitus sensitivus quatenus sit subjectum habitus.*

PUNCTUM V.

An in voluntate possint esse habitus.

GRavis & prolixa hanc ad rem disputatio est in Ethicis, de virtutibus moralibus, quas aliqui ajunt esse in voluntate: aliqui autem ajunt, voluntatem esse incapacem habituum, & proinde eas aliqui retulerunt ad intellectum, ut fecit Scotus 3. *dist* 33. Alii autem retulerunt eas ad appetitum sensitivum. In ea tamen specialitate non quæro hac de re. Sed solum inquiro: An voluntas habituari possit, sive; An in ea habitus possit poni, quicunque ille sit? 79.

Atque tum dico; *Habitus potest esse in voluntate.* Et ita patet, quia in voluntate inprimis est indifferentia aliqua ad actus suos. Et iterum ad actus illos potest disponi, ut melius aliquid ab ea & facilius fiat, ac per naturalem propensionem fieri potest & solet. Ergo ea habituum non est incapax. Et confirmatur; quòd sunt aliqui habitus, qui moderantur affectus non sensitivos. Hi ergo non possunt esse in appetitu sensitivo. Ergo nec virtus eos moderans potest esse in appetitu sensitivo. Ita videri potest de cupiditate gloriæ, item in actibus justitiæ, sic in aliis. Ratio consequentiæ evidens est: quia sicut perturbationes sensitivæ postulant, ut sint aliqui habitus in appetitu sensitivo, veluti temperantia & fortitudo: Ita perturbationes non sensitivæ postulant, ut sint in appetitu intellectivo, hoc est, in voluntate. 80. *Habitum posse esse in voluntate.*

Quæ hic in contrarium disputari solent, potissimùm inde desumi solent, quod justitia, aut etiam omnes morales virtutes sint in appetitu sensitivo, vel etiam in intellectu. Proinde, cùm illa materia sit ἀπραγματεύτος: Ideò hic ejus generis argumenta considerare & refutare nolo. Videri possunt, pro alterutra opinione, Thom. 1. 2. q. 50. a. 5. & q. 56. *art. ult.* Colleg. Conimbr. *in Eth. disp. 7. q. 5.* Piccol. *grad. 4. Phil. moral. c. 7. seqq.* Dn. Crugerius *in Horto virtutum, q. 29.* 81.

PUNCTUM VI.

An habitus possint esse in intellectu.

IN præsenti quæstione non quæritur de speciebus intelligibilibus, quæ & ipsæ sunt habitus. An illæ dentur in intellectu? sed ut, initio protestatus sum, 82.

Sententia negans.

sum, inprimis loquor de habitibus, istis dimissis. Hoc igitur est, de quo quæritur: *An præter species intelligibiles, detur aliqui habitus in intellectu?* Et ratio dubitandi est, quod ad actus intellectus videntur satis esse istæ species intelligibiles. Nam si illæ satis repræsentant objectum, tùm intellectus satis assentitur. Ergo non opus est ultra eas aliquo habitu. Sin verò illæ species objectum insufficienter repræsentent, tùm vel intellectus non assentitur, vel non nisi cum proportione ad species repræsentantes. Declarari id solet in habitu intelligentiæ. Ibi igitur si extrema, ex quibus principia constant, sufficienter repræsententur, per species intelligibiles; nihil præterea ad rationem habitus illius porrò requiritur. Ergo is satis habet, in speciebus intelligibilibus. Atque ita docet Soncinas *l. 5. Met. q. 9* & alii Thomistæ. Videtur enim & Thomas id sentire *1. 2. q. 50. art. 4. & q. 24. de veritate, art. 4.* & locis aliis.

81.

Ad eundem modum etiam intellectui negant habitus, illi, qui ajunt in omnibus hominibus esse eundem intellectum possibilem. Nam cùm habitus, non recipiantur in intellectu agente, illi consequenter coacti sunt dicere, quod habitus cognoscitivi non sint in ipso intellectu, sed in viribus interioribus sensitivis. Manifestum enim est, quod homines varient ratione habituum. Non possunt igitur habitus in co esse, quod unum numero est in omnibus. Ita colligit Thomas *d. q. 50. a. 4. 1. secundæ*. Cæterùm cùm disputatio illa de unitate intellectus patientis Physica sit, & opinio per se satis absurda sit: proinde juxta illam hypothesin non est necesse ea de re nunc agere vel argumenta referendo vel refutando.

84. Dari habitus in intellectu.

Absolutè autem necessarium est: dari aliquos habitus in intellectu, quod inde clarissimum erit, si ostendatur ad ea, quæ horum habituum indicia sunt, non sufficere species intelligibiles. Ad hanc rem igitur id inprimis certum est, quod intellectus possit fieri promptior & facilior, & perfectior in intelligendo, ac est per naturam. Hæc autem non possunt dari per species intelligibiles. Ergo opus est ad hanc rem habitibus. Consequentia est evidens, quia nullum aliud potest esse principium illius facultatis & promptitudinis in actibus intellectivis. Assumptum autem probatur, quia species intelligibiles referuntur ad actum intelligendi, non nisi ex parte objectorum, supplendo scilicet illum influxum, quem præbet objectum. At experimur ipsas potentias fieri faciliores & promptiores ad operandum, vel intelligendum. Oportet igitur ut ex parte potentiæ intellectivæ sit aliquod principium, unde ipsa disponatur ad melius operandum. Et confirmatur: quod intellectus post acquisitas species & cognitos terminos adhuc potest dubitare de connexione eorum, ut non assentiatur statim, atque adeò perceptis illis speciebus potest adhuc manere difficultas intelligendi. Ideòque quod tollit illam difficultatem, & præbet facilitatem in intelligendo, non potest esse species, sed oportet, ut sit aliquid ultra speciem, hoc est peculiaris habitus.

Atque ita etiam relinquitur solutio objectionis, in ratione dubitandi prius propositæ. Confer Suarez *disp. 44 s. 4.* Capreol. Cajet. Ferrarien. & alios *ibi citatos*.

PUNCTUM VII.

Continens generalia Theoremata de subjectis habituum.

85. Habitus non est in corpore.

EX dictis hactenus patet 1. *Nullum habitum recipi in materia sive corpore.* Habitus enim apprehenditur, tanquam principium agendi. Materia autem quâ talis non est effectiva. Et hinc porrò sequitur: sanitatem, pulchritudinem, & similia, accuratè loquendo non esse habitus, prout & priùs visum est.

86. Nec in naturali potentia,

2. *Habitus non potest recipi in potentia naturali, hoc est, determinata ad unum oppositorum, & nullam indifferentiam habente ad diversos actus.* Nam de ratione habitus est, invare potentiam insitam ad peculiarem speciem actus, qui secundum se aptus

se aptus erat ab illa potentia aliter fieri. Alietas autem illa non convenit illis potentiis, quæ sunt naturales. Naturales autem strictè intelligo: quatenus significant illud principium agendi, quod distinguitur contra agens voluntate & consilio. Aliàs enim omnis habitus recipitur in naturali potentia, prout naturalis potentia, secundùm speciem qualitatis significat, ut est aliquoties dictum.

3. Atque hinc sequitur: *Nullum habitum posse recipi in brutis*, quia, accuratè loquendo, nulla est indifferentia & libertas in actione bruti. 87. *Vel brutis.*

4. Eodémque rigore: *Illæ potentiæ in hominibus nullos habitus accipere possunt, quæ non sunt participes rationis, seu, quæ non sunt, saltem, per obedientiam ad rationem, participatione rationales.* Nam & nullam indifferentiam habent? Secus tamen est in aliis potentiis. Nam illæ, sicut participatione rationales sunt, ita etiam consequenter sunt in agendo indifferentes, & proinde habituum non sunt incapaces. 88. *Vel irrationalibus potentiis bonis.*

5. Denique: *Potentia intellectiva & volendi potest esse subjectum habitus.* Nam & in illis est indifferentia ad agendum: Et secundùm se aptæ sunt, ut quos actus naturaliter sic faciunt, possint per iterationem & repetitionem actuum melius & facilius facere. Hæc singula ex hactenus dictis plenius constant. 89. *Sed in potentia intelligendi & volendi.*

ARTICULS IV.
De causa habituum.

QUoad causam habituum quæri solet, tum de causa efficiente eorum, tum de causa finali eorum. Et quoad causam *efficientem* quæritur *primò*: An aliquis habitus possit esse à natura? *Deinde*, habitus acquisiti, quomodo fiant ex actibus? Et *denique*. An possint fieri ex uno actu? Quoad *finalem* verò *causam* quæritur: an habitus sint propter actus? 90.

PVNCTVM I.
An aliquis habitus possit esse à natura?

HÆc res facilis est, proinde eam paucis expedio. *Primo* dico: *Nullum habitum esse à natura, hoc est, pendere ab intrinseca rei habituatæ essentia.* Ita patet, quia sic tale quid revera non esset habitus, sed naturalis potentia. Nam sub nomine naturalis potentiæ intelligimus, id operandi principium, quod statim à natura, hoc est, per dimanationem & resultantiam naturalem, inest. Atque hoc ipsum etiam docet Aristoteles, inprimis *l. 2. Ethic. cap. 1.* *Perspicuum est, nullam virtutem moralem insitam nobis esse à natura*, inquit. *Nihil enim eorum, quæ naturâ insunt, aliter atque naturâ est, assuefieri potest, ut lapis, qui deorsum fertur naturâ, nullâ ratione assuefieri potest, ut sursum moveatur, ne quidem, si decies millies quis eum sursum jaciens, assuefacere conetur. Neque ignis unquam deorsum feretur, neque quicquam aliud eorum, quæ aliter à natura comparata sunt, aliter assuefieri poterit.* 91. *Habitus non est à natura.*

Deinde: nihilominus duobus modis dici potest, quod habitus aliquis possit esse à natura. *Primum* ut intelligatur inchoatio ejus esse naturalis, quomodo habitus principiorum dicitur esse naturalis, & principia prima dicuntur naturaliter nota. Vide Thom. 1. 2. q. 51. art. 1. *Secundò*, si à natura sit idem, quòd à nativitate, ut à natura habitum dicatur, quod illicò in nativitate adest, & non demum acquiritur. Atque sic habitus infusi, qui dicuntur, possunt statim adesse in prima nativitate, & proinde hoc sensu sunt à natura. Ita peccatum originale etiam est habitus, ut docet Arimin. *l. 2 sent. dist. 30. quæst. 1.* Henric. *quodl. 2. quæst. 11.* Driedo Pontificius *l. 1. de grat. & lib. arb.* & ex Thoma, Bonaventura, & Hugone, Augustana Confessio *in Apolog. art. 2. p. 55. edit. Lipsi. anno 1606.* Et tamen secundum illum habitum dicimus *natura* filii iræ, *Eph. 2. v. 3.* Naturâ, *inquam*, sumus φύσει, non: 92. *Habitus duobus modis potest esse à natura.*

non δὸς, hoc est, non demum per consuetudinem & iterationem actuum, ut Chemnit. interpretatur *part. 3. loc. com. p. 569. 570.*

PUNCTUM II.

An & quomodo actus sint causa habituum.

93 LOquor de istis habitibus, qui per actus acquiruntur, non autem de habitibus in universum. Neque enim omnes habitus pendent ex actibus, ut apparet de speciebus intelligibilibus, aliisque infusis habitibus.

94 *Habitus ab actibus pendere.* Hac igitur in re dico 1. *Habitus istos dependere ex actibus.* Ita clarè docet Aristoteles *l. 2. Eth. c. 1. Ædificando*, inquit, *fiunt ædium ædificandarum artifices, et fidibus canendo fidicines: Itémque justus actionibus exercendis justi, temperantibus temperantes, fortibus fortes efficimur.* Et postea ibidem inquit: *Agendis rebus, quæ ab hominibus inter ipsos contrahi solent, alii justi, alii injusti efficimur. Et cum ea, quæ in rebus horribilibus & periculosis habentur, agimus ac subimus, assuescimúsque ea, aut timere, aut præsenti animo ferre, alias fortes, alias timidi evadimus. Similis est cupiditatum iramumque ratio. Alii enim temperantes & mansueti, alii intemperantes & iracundi efficiuntur, hi quia sic, illi quia aliter in illis versantur. Atque ut uno verbo dicam, ex similibus munerum functionibus atque actionibus similes habitus oriuntur.* Atque hoc ipsum etiam Aristoteles variè probat, nempe ex nomine, quòd virtutes dicuntur *morales*, quia ἠθικὰ acquirantur. Item ex intentione legum & Legumlatorum, cum etiam, quòd nisi res ita se haberet, nec Magistro, qui doceret, opus esset, sed omnes boni & mali Artifices nascerentur.

95 Hoc igitur posito, quòd actus præsupponantur ad habitus inquirendum est, *quomodo ad eos præsupponantur.* An scilicet præsupponantur solùm, per modum dispositionum, an sic, ut ipsi sint causalitas, per quam substantia agens influat in productionem habitus, an verò ipsi actus per se & verè causa sint. His enim modis variant sententiæ. Quidque nunc hanc ad rem porro sentiendum sit, nunc explicandum est.

96. *Actus non prærequiruntur, ut dispositiones.* Igitur 1. dico; *Actus non prærequiri ad habitus, tanquam dispositiones ad eos.* Ita adversus contra Durandum, qui 3. *dist.* 33 *quæst.* 2. ait; Ex parte subjecti habitualis requiri aliquas dispositiones, sicut ad formæ substantialis productionem prærequiruntur aliquæ dispositiones. Istos igitur esse actus. Atque ita, si illi actus ponantur in potentia activa, resultare inde habitum, ut hoc modo actus non causent habitum, sed solùm sint prærequisitæ conditiones & circumstantiæ, quale quid est approximatio agentis ad patiens.

97 *Duo genera dispositionum.* Ut igitur hæc sententia destruatur, & assertio proposita confirmetur, inprimis notandum est; esse duo genera dispositionum. *Aliæ* dispositiones sunt per se & positivè necessariæ. *Aliæ* verò solùm sunt necessariæ eventualiter, et quasi negativè. Prioris generis sunt illæ, quæ et requiruntur ad introductionem formæ, et ad ejusdem in materia conservationem et persistentiam; Qualis est dispositio materiæ per calorem, ad recipiendam formam ignis, et sic in aliis. Quodque hoc requisita ut in istiusmodi dispositionibus acutè probat Suarez *disp.* 44. *s.* 8. *n.* 7. quia non est alia unio, quæ primo instanti sit ab ea, quæ postea perseverat. Ergo si dispositio aliqua est necessaria propter unionem formæ cum subjecto, erit necessaria quandiu durabit unio. Neque major est ratio de primo instanti, quam de cæteris.

98 Alterius generis dispositiones sunt; quæ non requiruntur ad unionem formæ cum subjecto, aut ejusdem in materia persistentiam, sed solùm ad removendum aliquod impedimentum, sive dispositionem formæ introducendæ contrariam, quomodo ad inducendam parti lætæ sanitatem, pro dispositione requiritur, remotio purulentiæ à vulnere; Unde hæ dispositiones solùm eo in casu prærequiruntur,

runtur, si talis contraria forma adsit, unde & *eventualem* dixi. Vulnus enim quod nullam putulentiam habet, tali dispositione non eget ad sui sanationem.

Jam quòd actus, in neutro genere, dispositiones possint dici ad habitus, facilè patet. Nam inprimis illi non sunt dispositiones per se, & positivè necessariæ, quia habitus persistunt, desistentibus actibus. Neque enim si quis dormiat, aut alia de causa non exerceat habitum justitiæ vel mansuetudinis, ex defectu actionis desinet habere habitum justitiæ vel mansuetudinis. Neque posteriorís generis dispositiones possunt esse actus, quia fieri potest, ut subjectum habituabile careat dispositionibus contrariantibus habitui introducendo. Neque enim, qui justus sit, oportet ut priùs fuerit positivè sive habitualiter injustus, & sic in aliis. Tùm igitur potentia activa posset producere habitum, non intervenientibus actibus. At experimur nunquam id fieri. Non igitur actus requiruntur, ut istiusmodi dispositiones ad habitum. 99. *Probatur assertio.*

Objectio Durandi hæc est: Si actus essent causa habituum, tùm per se ad habitus esset alteratio. At ad habitum non esse per se alterationem, docet Aristoteles 7. *Phys. c.* 3. 100. *Objectio Durandi. Solvitur.*

Respondeo I. Aristoteles de alteratione & mutatione Physicè loquitur, quomodo alteratio significat sensilem, & Physicam mutationem. Hactenus igitur ea ad habitus non est. Habitus enim non sunt proprietates sensiles, imò ne quidem sunt affectiones Physicæ. Ahâs igitur si alteratio in communi sit mutatio subjecti, secundùm qualitatem, cujuscunque ea generis sit, sic eam in habitibus dari non repugnat. Et II. confirmatur, quod nec ipse Durandus potest hanc responsionem evitare. Nam cum habitus incipiant esse, cum antea non fuissent, utique oportet eos aliquam causam habere, seu actus sint, seu alia causa sit. Hæc igitur alia causa, cùm referatur ad productionem habitus, fieri non potest, quin (suo modo) alterando subjectum, eum producat.

III. Dico: *Actus non prærequiritur ad habitum, ut causalitas vel via ad eum.* Assertio hæc est contra Burid. *l.* 2. *Ethic. q.* 3. Patet autem, quia, ut maximè actio sit causalitas, tamen id solum est loquendo de ea in respectu ad intrinsecum terminum illius, qui non potest esse habitus, cum singulis actionibus sui intrinseci termini respondeant, distincti ad distinctionem actionum. At plures actus possunt uni habitui præsupponi. Conter Suarez *disp.* 44. *s.* 8. *n.* 12. 101. *Actus non prærequiruntur ad habitus, ut causalitates.*

IV. Dico: *Actus veram & effectivam causalitatem habent ad productionem habituum.* Ita relinquitur ex remotione priorum opinionum. Neque enim apparet, si actus prærequirantur ad habitus, & tamen non sint dispositiones vel causalitates, quomodo aliud quid esse possint, quam causa. 102. *Sed ut causa.*

Sed hic tria objiciuntur: *Primò*: Quòd actus est aliquid consequens habitum. Non igitur actus est causa habitus. *Secundò*: actionis non est actio. Ergo nec actio potest esse causa alterius. Causa enim efficiens talis non est formaliter, nisi per actionem. *Tertiò*: Effectus non est nobilior suâ causâ. At habitus nobilior est actibus præcedentibus ipsum. Quamdiu enim præcedunt habitum, sunt adhuc imperfecti, & deest eis absoluta integritas & perfectio: unde & successu temporis crescunt in perfectionibus. 103. *Objectiones.*

Ad *primum* respondeo: Actiones esse duplices in respectu ad habitum, aliæ sunt antecedentes eum, aliæ consequentes. Istæ igitur sunt causæ habituum, ut nunc dico. Hæ verò sunt effecta habituum. Utrumque eleganter expressit Scalig. *exerc.* 307. *sect.* 4. *pag.* 925. *Affectus*, inquit, *est motus animi nondum exiens in actum. veluti misericordia aut ira. Ex aliis educitur actio, vel ad sublevandum inopem, vel ad opprimendum Autorem offensionis. Ita sanè, si priùs appetiverò, sublevationem vel oppressionem. Is igitur est ordo*: Primò *est* πάθος, *affectus*. Deinde *est* ὄρεξις, *appetitus*. Tertiò *est* ὁρμὴ *incitatio motus illius interni ad actionem*. Deinde πρᾶξις, *actio, quæ est sublevatio, cujus multiplici repetitione quasi fabricentur habitus qui ejusdem nominis cum affectu est, quo vitè dicar, & ero misericors.* Actiones igitur, 104. *Actiones antecedentes vel consequentes habitum.*

igitur, quæ hactenus fuerunt, sunt antecedens, quæ per modum causæ comparantur ad habitus. Jam verò subjicit Scalig. *A quo deinde habitu certa atque impræditæ fluunt actiones, non autem incertæ, quales ante ipsum fiebant, bonæ quidem, sed non bene.* Atque hæ actiones sunt consequentes, & sic effecta habituum.

105. Ad *secundum* respondeo: Actus immanentes, per quos fiunt habitus, posse bifariam æstimari, nempe vel simpliciter in ratione actionis, vel quantum ad intrinsecum terminum suum quantitativum. Actio igitur illis convenit, hoc solum posteriori respectu, ut Suaretz determinat *disput. 18. Metaph. sect. 4. & disput. 44. sect. 8. num. 23.* Actionis autem non est actio immediatè & ex vi sua, seu in quantum talis est, & dimisso respectu ad qualitativum terminum. Vide suprà *cap. 6. tit. 4. art. 5. punct. 1.*

106. Ad *tertium* respondeo: Effectum non posse esse nobiliorem suâ causâ, si adæquatè de ea loquamur, sive conjunctim de omni eo, quod concurrit ad effecti productionem. Nam in particulari potest una aliqua causa esse (si plures concurrant) ignobilior effectu, si effectus cæteroquin etiam à causa nobiliori pendeat. Actus autem sunt causa inadæquata ad habitum, quia aliunde etiam sit, nempe ab ipsa essentia rei agentis. Vide Thom. *1. 2. q. 5. art. 2. ad tertium.* Atque hæc responsio militabit, si supponatur: quod habitus sit nobilior actu, id quod non omnibus probatur. Placet enim aliquibus viceversa actum esse nobiliorem habitu, inter quos est & Suaretz *disp. 44. s. 8. n. 18. 19. 20.*

PUNCTUM III.

An habitus possit fieri ex uno actu?

107. Duplex sensus est præsentis quæstionis: *Primus* est: An possit esse habitus, ad ad quem non prærequirantur plures actus, sed quem unus solum antegrediatur? *Alter* est: An, si maximè plures actus antegrediantur habitum, unus tamen solum sit causa habitus. Cæteri autem præcedentes non attingant habitum effectivè, sed dispositivè solum? Variant enim de utroque sententiæ. Complectar rem summatim.

108. *Posse habitum pendere ex uno actu.* Igitur 1. dico: *Posse habitum aliquem produci per unum actum, ita ut non prærequirantur plures.* Non dico quod id sit in omni genere habituum, sed quod id esse *possit*, non repugnante naturâ habitus. Patet autem id inprimis de scientia, verbi gratia alicujus conclusionis. Illa est habitus, & tamen ex una firma & solida demonstratione potest pendere. Ita & Thom. docet *1. 2. quæst. 51. art. 1.* & Confer Suaretz. *disp. 44. s. 9. num. ul.* Differúntque adeò hactenus habitus intellectivi à moralibus, quòd hi uno actu non acquiruntur, cujus rei hæc causa est, ut Thom. *d. l.* assignat, quia ratio non potest uno actu totam potentiam appetitivam vincere, cùm ea ex vi libertatis suæ, se admodum diversimodè & ad multa habeat.

109. Sed *objicitur*, quod Aristoteles. *l. 2. Ethic. cap. 12.* in communi ait, homines acquirere habitus per plures actus, tam loquendo de moralibus, quàm de intellectivis.

Sed *respondeo*: Verum id esse de habitibus intellectivis, quatenus in tota sua extensione sumuntur. Neque enim habitus Physicus, verbi gratia, acquiritur una demonstratione, sed varias oportet esse demonstrationes, juxta varietatem & diversitatem objectorum, unde pendeat habitus iste. Ergo autem in priori assertione locutus sum de habitu simpliciter, non autem de tota ejus extensione, vel amplitudine extensiva, ut loqui solent.

110. *Omnes habitus præter* II. Dico: *Cum plures actus prærequiruntur ad habitum aliquem, tùm singuli illi concurrunt ad eum effectivè.* Hoc est, quod dico. Cum decem actiones prærequiruntur ad habitum, tum non solum decimus actus efficienter concurrit ad habitum;

habitum, sed singuli priores novem actus præbent efficientiam suam ad illum habitum, sic, ut post singulos illos actus, relinquatur in anima vel subjecto habituabili, aliqua permanens qualitas, quæ per successionem insequentibus augeatur, donec decimus actus ultimam quasi manum apponat, ut absoluat illam qualitatem in esse habitus. *quisitos esse effectivos.*

111. Patet autem consequentia, quia aliàs nulla ratio est, cur plus operetur decimus actus, quàm actus præcedentes, cùm sint ejusdem rationis. Et confirmatur: quod in exemplis, quibus contrarium sentientes utuntur, prorsus idem est. *Gutta*, inquiunt, *cavat lapidem (non vi, sed) sæpè cadendo.* Nam etsi ultima quasi gutta cavitatem introducat: tamen omnes præcedentes etiam relinquunt aliquid positivum, & introducunt aliquid in lapidem, humectando illum & emolliendo: Donec tandem emollita particula lapidis una post aliam excutiatur lapidi, & sic cavitas introducatur in lapidem. Simile est etiam in qualitatum sensilium productione. Ibi enim sensus testatur per actionem calefactivam ignis, successivè produci calorem, ita tamen ut singulis momentis actionum accrescat aliquid de calore, vel alia forma producibili.

112. Atque hinc porrò sequitur: Quòd dispositio ab habitu essentialiter non differat, sed dispositio transit in habitum, si magis intendatur, & ita radicetur in subjecto habituabili, ut in eo tenaciter & immobiliter hæreat. Confer inprimis Suarez. *disp. 44 s. 9. n. 6.*

PUNCTUM. IV.

Quænam sit finalis causa habituum?

113. HAc in re facilis est responsio, quòd scilicet habitus dati sint ad juvandas naturales potentias, in ordine ad actus suos, prout plenius id deductum est suprà *h. tit. 4. art. 2.* Solet autem inquiri ad hanc rem: An istud adjumentum, quod habitus præstant potentiis naturalibus, sit hoc modo, ut potentiæ per eos solùm tanquam per dispositiones sint faciliores ad actus suos? An verò etiam ipsi effectivè concurrant ad actus: sed ea de re melius agitur sequenti titulo.

ARTICVLVS IV.

De actibus, qui ab habitibus fiunt.

114. QUoad hanc rem de tribus videndum est. *Primò*: An habituum sint aliqui actus? *Deinde*: Si habitus concurrant ad actus, an concurrant etiam ad substantiam actus? Et *denique*: An respectu actus sint primum principium?

PUNCTUM. I.

An habitus sint causa efficiens aliquorum actuum?

115. IN hac quæstione variant sententiæ Philosophorum. Ajunt enim aliqui: potentiam esse adæquatum principium cujusvis actus. Habitum autem nullum influxum effectivum præstare ad istum actum, sed solùm esse dispositionem ex parte potentiæ, ut scilicet ipsa cum tali dispositione melius & facilius operetur. Ita disputat Durandus *3. d. 23. q. 2. 3. 4.* Capreol. etiam idem docuisse Aureolum refert *1. d. 17. q. 1. art. 1.* Palud. *3. d. 23. q. 2.* Idem tenet sic & alii. *Reservatur sententiæ.*

Alii verò ajunt: habitum simul cum potentia illum actum præstare, sic ut utrumque eorum effectivè concurrat ad actum, veluti potentia motiva in pede vel manu, cum habitu saltandi, vel cytharisandi efficit conjunctim saltationem & cytharisationem. Atque hoc tenet Aristoteles *5. Met. c. 12. & 5. Eth. c. 1. 6.* & alibi, Tenétque Thom. *1. 2. q. 49. a. 3. & qu. 51. a. 2.* Capreol. *cit. loc.* Occamus *quodl. 3. qu. 30.* & multi alii Scholastici *ad 3. d. 23.* Suarez *disp. 44. Met. s. 5. n. 6.*

116. Atque hæc sententia ab istis Autoribus satis probatur inde: quòd adjumentum

quod habitus præstat potentiis, aliter explicari verè non potest, quàm quòd fit per coëfficientiam cum ipso. Potest enim, ut ferè Suaretz argumentatur *d.l.* quatuor modis intelligi quòd efficiens juvetur ab habitu, nempe, *vel* tollendo impedimentum aliquod in potentia: *vel* disponendo patiens; *vel* augendo virtutem agentis; *vel* aliquid illi coëfficiendo. At nihil istorum locum habet præter ultimum, vel etiam tertium, si augmentum illud explicetur per coëfficientiam. Nam potest habitus introduci, verbi gratia, virtutis, cum positivum vitium non præsint. Quod ergo tandem impedimentum auferetur à potentia per habitum. Deinde fingi non potest: quomodo per habitum disponatur patiens. Nam plerique habitus non sunt ad aliquid extrinsecum. Quod ergo tandem patiens est, quod disponatur per habitus. Si intelligatur id de approximatione objecti ad potentiam, nihil dicitur. Nam objectum, in quo virtus occupatur, propinquum est potentiæ operanti sine habitu. Neque etiam dici potest, quòd habitus augeat vim activam. Quia si vis activa potentiæ intrinsecè augeri, hoc est, intendi posset: non opus esset habitu quia per potentiam sufficienter intensum id omne posset præstari, quod præstat habitus, sine necessitate igitur multiplicarentur hactenus Entia, habitus addendo potentiis. Oportet igitur, ut habitus juvent potentias coëfficiendo, hoc est, ut habitus etiam influant effectivè in ipsum actum, quem elicit potentia.

317. *Objici* hic solet: Si habitus concurrat ad actum potentiæ, quòd tum vel concurrat ad substantiam actus, vel ad aliquid aliud. At nihil horum dici potest. Nam ad substantiam actus, sufficiens virtus est in potentia naturali præcisè sumpta. Quod autem est præter substantiam actus, veluti facilitas actus, vel delectabilitas, non sunt ea res addita. Sed hujus objectionis solutio pendet ex dicendis, *sequenti puncto.*

PUNCTUM II.

An habitus concurrat ad substantiam actus?

318. AD hoc intelligendum. Notandum est; quòd in actione artificiosa possint duo considerari: Veluti in pulsatione cytharæ, *primum* est ipse motus manus, & hic dicitur *substantia actus*, qui aliàs secundùm se posset etiam à potentia sola fieri, câque non habituata. Deinde etiam in particulari est quasi modus aliquis, qui ultra naturalem actum facultatis motivæ, accedit porrò. Hoc ergo est, de quo nunc quæritur: An habitus etiam effectivè concurrant ad substantialem actus, an verò efficiant solum ad ulteriorem modum?

319. Hac in re inprimis certum est: *Quòd neque sola potentia, neque solus habitus possint efficere actum, qui est, e. g. artificiosus.* Nam sola potentia, cum naturalis sit, non operatur, nisi naturaliter, & proindè ruditer & imperfectè. Habitus autem non est principium operandi, nisi superadditum potentiæ.

320. Jam porrò dico: *Quod in actu habituali non possit dici rei aliud quidem, quod ab habitu sit, & aliud, quod sit à naturali potentia. Sed totus iste actus inadæquatè est ab utraque illa causa.* Sicut in essentia hominis à parte rei loquendo, non est aliud, quod sit à forma, & aliud, quod sit à materia; sed tota essentia inadæquatè est ab utraque. Idem est: cùm duo equi currum trahunt, aut cum anima & manus coëfficiunt scriptionem.

321. Patet autem: quia, ut præcedenti puncto visum est. Habitus omninò sunt causa actuum. At non apparet: quidnam efficiant, si non totum actum (quanquam inadæquatè) efficiant, & proindè etiam substantiam ejus. Nam *intensive* quam actus habituales habent præ actibus naturalibus, non est aliquid essentialiter distinctum ad esse rei; sicut in universum id est, in qualitatibus intensibilibus: Fieri igitur non potest, ut habitus producat intensionem actus, & non actum ipsum, sic neque illud additum seorsim potest esse *bonitas*. Nam inprimis bonitas (juxta quam ex habitu dicimur bene agere) non est moralis, cum habitus intellectivi

non

non denominet moraliter bonum. Est ergo transcendens bonitas. At nec hæc est aliquid realiter distinctum ab essentia rei, quæ bona est. Fieri igitur hactenus non potest, ut habitus producat bonitatem, & non habitum, cui illa bonitas identificatur. Nec denique *facilitatem & promptitudinem* habitus possunt producere in illis actibus. Nam facilitas & promptitudo præcisè sunt ex parte potentiæ. Actibus ergo facilitas non convenit, nisi per extrinsecam denominationem. In ipsis ergo ea nihil reale est, quod per realem & positivum influxum habitus fieri debeat. 121

Ad *obiectionem* in fine primæ puncti propositam *Respondeo*; Etsi potentia naturalis sit sufficiens ad actum, quoad substantiam ejus, tamen non est sufficiens ad actum habitualem. Unde cùm *habituale* præcisè effici non possit, quin efficiatur etiam actus, quoad substantiam suam; Hinc cùm in illud consortium potentiæ admittit habitum, oportet etiam ab habitu id effici, quod aliàs efficitur à sola potentia. Sicut cùm unus equus traheret currum, & addito alio equo velocius trahitur currus. Hic à superaddito equo non est solùm celeritas, ut à priori equo solùm sit motus; sed & ipse additus equus concurrit ad illius actus substantiam, nempe ad motum currus simpliciter. 122

PUNCTUM III.

An habitus sit principium primum operationis?

RAtio dubitandi est in utramque partem. Nam primò; Habitus est principium operandi, sed additum naturæ vel naturali potentiæ, ut sæpe dictum & probatum. Naturalis igitur potentia est primum principium actus, non autem habitus. 123

Nihilominus in oppositum Aristoteles disertè aream vocat *primam* causam in architectando. *Oportet semper*, inquit 2. Phys. c. 38. *causam unusquisque primam quærere, ut homo ædificet, quia ædificator est.* Ædificator autem est per artem ædificandi. Hæc igitur prima causa est, & ita in aliis. Et confirmatur, quod cùm causam cognoscimus, semper debemus dare primam causam, ut constat ex 1. *Phys. & 2. post.* At cùm de attributo artificioso quærimus, causa prima non est ars, quàm ars.

Ad hanc rem respondetur per distinctionem. Habitum nempe posse referre, vel ad opus adæquate, & sub tota illa essentia quam ingreditur vel ad opus artificiosum, v. g. in quantum tale est. Priori modo habitus est principium operandi; non primum, sed secundum. Posteriori verò modo habitus est causa prima. Conf. Piccolom. *grad. 2. Phil. moral. c. 7.*

ARTICULUS VI.

De extensivo augmento habituum.

INprimis duplex est augmentum habituum; intensivum & extensivum. Etsi enim aliqui Autores omne habituum augmentum dicant esse per intensionem; Tamen secus esse patebit ex dicendis. *Augmentum* igitur *intensivum* habitus est, si idem habitus fiat in subjecto, vel potentia radicatior & facilior ad exercendum; velut, si ex opinione fiat scientia, vel ex qualicunque temperantia, vel fortitudine fiat quis temperantissimus vel fortissimus. Aliud igitur est habituum *augmentum*, quod *extensivum* vocant, sumitúrque id non à subjecto, sed ab objecto. Cùm enim habitus, de quibus nunc loquimur, non recipiantur, nisi in anima ea q; sit indivisibilis, hinc etiam habitus non recipiunt extensionem in anima, quasi cùm antea fuerint, tanquam in particula animæ, postea sint in plurib us partibus, (ut sic dicam) animæ, ac deinceps in tota anima. Augmentum igitur illud extensivum est ex parte objecti, ut dixi, estque tum, quando habitus extendit sese 124 *Intensivum & extensivum augmentum quid sint?*

ad plura objecta. Veluti ſic in aliquo augetur habitus per extenſionem, ſi ad notitiam de elementis, accedat notitia de cœlo, vel homine. Per intenſionem augebatur ille habitus, ſi qualiſcunque notitia, quæ erat de elementis, de iiſdem fiat ſolidior, certior, & exactior.

125. Porro: cùm intenſivum augmentum, quod in habitibus eſt, ſit ejuſdem rationis cum intenſione, quæ eſt in aliis qualitatibus, idcircò de eo hîc nihil neceſſariò dicendum eſt, cùm infrà dicendum ſit aliquid, de qualitatum intenſione. Solùm igitur nunc dicendum eſt de habituum extenſivo augmento, de quo plurimum diſputari ſolet. Vide Thom. 1. 2. q. 54. Et Interpp. *ib.* Comment. *in Lombard. in prolog.* Fonſec. 5. *Met. c. 7. qu. 5.* Suarez. *in Met diſp. 1. ſ. 5. & diſp. 44. ſ. 11.* aliósq; Autores. Paucis hanc rem, quantum fieri poteſt, contraham.

126. Ad hanc rem igitur I. dico: *Omnino dari aliquem habituum extenſionem.* Neque enim omnia per intenſionem explicari poſſunt. Intenſio enim ſignificat perfectiorem ſtatum rei ſiſtendo in eodem. At habitus perficiuntur non ſolùm cùm radicatiùs & tenaciùs hærent in ſubjecto: ſed etiam per ordinem ad diverſa & plura objecta, ut in præcedentibus jamdum conſtitit.

127 *Habitus poteſt eſſe quid prorſus ſimplex.* II. *Habitus, ut ſic, non poſtulat, ut habeat talem extenſionem, ſed poteſt tota ratio habitus conſiſtere cum unitate ſimplici.* Ita patet: Nam, ut videbimus, dantur habitus, qui ſint unum quid per aggregationem, ſi ergo aggregantur ex pluribus habitibus, hi ipſi habitus non poſſunt, niſi ſimplicis Entitatis eſſe. Ratio ergo habitus poteſt in ſimplici Entitate conſiſtere. Et confirmatur: Nam unius concluſionis, per demonſtrationem cognitæ, notitia poteſt vocari ſine incommodo habitus ſcientificus. Et tamen ibi in ratione habitus nulla eſt compoſitio.

128 *Multitudo objectorum non confert ſemper habitui compoſitionem.* III. *Non quævis multitudo objectorum (ad quæ habitus refertur) confert habitui extenſivum augmentum, de quo loquimur.* Neque enim ſi per fortitudinem bellicam nunc aggredi arur quis Turcam, nunc hoſtem alium: aut ſi quis nunc per liberalitatem elargiatur pecuniam, nunc frumentum vel oleum extenſivè augebitur habitus fortitudinis vel liberalitatis. Et patet, quia abſolutè & ſimpliciter conſiderando objectum, citra peculiarem rationem, quæ continet rationem tendendi ad ipſum, objectum confert ſolùm diſtinctionem materialem, juxta quam non poſſunt diſcerni habitus: tum diverſi habitus poſſint in uno objecto (materialiter, ut factum eſt, de eo loquendo) verſari, veluti prudentia & ſcientia in affectibus; Scientia & ars in ferro vel auro, & ſic in aliis. Et nulla ratio eſt hactenus: cur una ſimplex & indiviſibilis potentia poſſit ad plura (materialiter ſolùm diſtincta) objecta ferri, veluti viſus ad apprehendendam albedinem, nigredinem, rubedinem, &c. Non autem poſſit id eſſe in habitu, ut ipſe per qualemcunque multitudinem objectorum neceſſariò ſtatim dicendus ſit augeri debere.

129 *Simplex habitus poteſt ad plura ferri duobus modis.* Cæterùm unus ille & ſimplex habitus, ſervando ſimplicitatem eſſentiæ, poteſt ad plura ferri duobus modis. *Primò*: Si ratio attingendi illud objectum, (quod quaſi formale eſt) ſit ad ſingula illa objecta eadem. Veluti, cùm eadem ratio ſit, per actionem liberalem attingendi frumentum vel pecuniam; non oportet, ut extenſivè multiplicetur habitus liberalitatis, juxta talem objectorum varietatem; quæ non eſt ſecundùm modi diverſitatem, ſed ſolùm materialiter. Sicut in oppoſitum, etſi ſcientia & ars in eodem, v. g. ferro verſentur, tamen ſunt diverſi habitus, quia ſub illa identitate quaſi materiali objecti, ſubeſt diverſitas in formali. Alio in modo ſcientia ferrum attingit, nempe cognoſcendo illud; & alio modo ars, nempe operando in illo.

Secundò; Poteſt etiam habitus unus, iſque ſimplex & indiviſibilis ad plura objecta ferri, ſub ratione diverſa, ſi ſit connexio & ſubordinatio partium, permiſſivè loquendo. Veluti, ſi quis per habitum aliquem feratur ad amandum medium & finem, vel ad bonum univerſale & particulare, aut primarium & ſecundarium, idque per amorem: & deinceps per deſiderium (quod ſignificat ferviorem amo-

rem,

tem) & tandem per gaudium. Entia enim non sunt multiplicanda sine necessitate, quæ hic nulla est.

Dixi; *permissivè loquendo.* Nam non omnis subordinatio in actibus sufficit ad unitatem & simplicitatem habitus. Frequenter enim contingit, ut una conclusio sequatur ad conclusionem aliam. Et tamen oportet, ut ibi etiam sint distincti habitus. Nam alia conclusio non est, per alietatem terminorum, & connexionis eorum. Oportet igitur, ut assensus ad hanc connexionem alius sit ab assensu eo, qui est ad priorem conclusionem. Atque ita hactenus est diversus habitus. Hic ipse enim assensus est aliquid permanens in anima per modum habitus. Diversus ergo assensus, est diversus habitus. 130

Et hactenus quidem fuit de qualicunque extensione (virtualem aliqui eam vocant & eminentem. Alia autem dicitur formalis) habituum ad plura objecta quæ consistit cum unitate & simplicitate habitus. Et hæc simplicitas consequenter juxta dicta tollitur, cùm habitus extenditur ad plura objecta, nec habentia eandem rationem, secundùm quam objiciuntur potentiæ, nec etiam habentia subordinationem aliquam, veluti est, cùm habitus Physicus augetur, dum ad notitiam metallorum accedit notitia animalium, vel Planetarum, vel meteororum, vel vice versâ. Ad hanc igitur rem porro dico. 131

IV. *Non potest omne extensivum augmentum habituum stare cum simplicitate habitus.* Ita patet; quia illa extensio potest esse cum alio atque alio modo attingendi objectum. At sic ex unitate objecti formaliter sumpti, sumitur unitas habitus; ita ex objecti, formaliter sumpti, diversitate, oportet, ut sumatur habitus diversitas. Atque ita, cùm diversus, isque multiplex sit assensus iste, qui est ad conclusiones aliquas de auro & argento, v. g. ab eis, quæ sunt de planta vel avibus; idcirco hactenus non apparet, quomodo habitus Physicus (ad quem istæ notitiæ pertinent) sit simplex & indivisibilis prorsus, idémque est in aliis. 132 *Non omne extensivè augmentum potest stare cum simplicitate habitus.*

Relinquitur ergo hactenus; quòd habitus, qui tale augmentum habent, sint compositi. Nunc autem explicandum est, qualis sit illa compositio? An habitus sit, ex illa compositione aliquid unum per se? An verò sit, quid unum per accidens. Igitur dico;

V. *Habitus qui tale augmentum extensivum habent, sunt compositi ex pluribus habitibus, & sic non sunt aliquid per se unum, sed per accidens, sive sunt Entia per aggregationem.* De singulis patet. Nam quòd sint compositi istiusmodi habitus, patuit ex priori assertione. Quòd autem singuli illi termini componentes, (ut sic dicam) unde isti habitus componuntur, sint veri habitus, patuit in prima assertione; Nulla enim ratio est; cur assensus alicujus conclusionis è demonstratione genitus, non dicatur habitus vel notitia scientifica illius conclusionis. Dehinc relinquitur; quòd habitus illi non sint compositi ad modum ejus; quod est unum per se, sed ejus, quod est unum per accidens. Entia enim per accidens tum semper fiunt, quando quid componitur ex Entibus integris & completis. 133. *Habitus isti sunt Entia per accidens.*

Et confirmatur; Si habitus istiusmodi esset compositus, ad modum ejus, quod est unum per se; tum id esset; vel per partium continuationem, vel inde, quod alia pars haberet rationem actus, alia potestatis. His enim modis, quod compositum est, potest esse quid per se unum. At neutrum hic militat, quia *continuatio* propriè loquendo locum non habet, nisi in rebus habentibus quantitatem & extensionem in subjecto, quæ nec animæ, nec habitibus convenit. Nec illud augmentum extensivum sic fit quasi anima una sui parte, v.g. in corde informetur per habitus, qui sunt de animali, & alia parte, v. g. in jecore aut cerebro informetur habitu alio. *Ratio autem actus & potestatis* inter istos partiales habitus si nulla esse potest, quia illi possunt esse de rebus diversissimis, veluti musca & elephante, vel arenula, & sic in aliis; quæ conclusiones consequenter ad summum non possunt habere convenientiam, nisi quòd continentur sub uno objecto scibili vel fine, & non potest quicquam habere, quasi actus informantis rationem, ad singu-

las istas partiales notitias. Unde unitas, quæ sumitur per ordinem ad subjectum vel finem, non potest, nisi ad summum esse accidentalis.

134 Visum igitur hactenus est: quòd habitus illi sunt aliquid compositum per aggregationem. Nunc igitur, quia nihilominus Metaphysicam, *unam*, & Physicam *unam, &c. scientiam* dicimus, videndum est, quinam debeant esse partiales habitus, qui ad unam istiusmodi scientiam pertineant, ne vagum chaos hactenus relinquamus. ad hanc igitur rem dico:

135 *Unitas disciplinarum unde sumatur.* VI. *unitas in habitibus practicis sumitur per ordinem omnium ad unum finem: Et unitas in scientia sumitur per ordinem omnium ad idem objectum, junctâ abstractione, quæ cuique scientiæ propria.* Ad unam igitur artem pertinent omnes illæ conclusiones, quæ pertinent ad modos sciendi. Rursus ad unam artem pertinent omnes illæ conclusiones & præceptiones, quæ pertinent ad bene dicendum: Iterum ad unam disciplinam pertinent omnia illa, quæ faciunt ad administrationem Reipubl. cæ. Et hinc (sequendo de scientiis) omnia illa ad Metaphysicam pertinent, quæ sunt Entia abstracta à materia secundùm rem & rationem: Ad Physicam, corpora naturalia, quæ abstracta sunt à materia signata. Ad Matheſin quantitas, quatenus abstrahit à materia (non intelligibili, sed) sensili. Sed hæc res pertinet ad discretionem scientiarum de qua est alibi.

ARTICULUS VII.

De diminutione & corruptione habituum.

136 INprimis habitus diminui, & tandem corrumpi satis docet experientia. Quare id inprimis præmittendum est: quòd quæ sunt causæ remissionis in habitibus, eædem sint causæ corruptionis. De his igitur aliquas assertiones pono:

Desinunt habitus cessatione ab actibus. I. *Minuuntur & tandem corrumpuntur habitus per cessationem ab actibus.* Sic Aristoteles *in lib. de long. & brev. vit. c.* 2. ait: scientiam desinere per oblivionem. Oblivio autem est nihil aliud, quàm cessatio vel dimissio notitiæ.

137 *An id sit per se aut per accidens?* An autem cessatio illa sit causa per se, an verò per accidens quæritum est, ut prolixiùs Suaretz recensendo Autores, persequitur *disp. 44. s. 2. num. 4. seqq.* Et patet id esse per accidens, quia inprimis habitus non postulat conservari per continuitatem actuum. Ergo per desistentiam actuum per se non corrumpetur. Et consequenter patet, quia illa solùm per cessationem actus per se corrumpuntur, quæ conservantur per continuationem actus: veluti, cùm corrumpitur lumen, per cessationem illuminationis, quod per conservationem illius illuminationis conservebatur: Ita est, & cùm corrumpitur creatura à Deo per annihilationem, quæ per continuum influxum conservativum persistebat. Jam, quòd habitus non conservetur per continuationem actuum, patet clarè, quia actus frequenter intermittuntur, manentibus habitibus, veluti, si quis dormiat, vel in casibus aliis.

138 Atque ita relinquitur: quòd per cessationem ab actu minuatur & corrumpatur habitus per accidens; quatenus scilicet posità istorum actuum intermissione exercentur actus, actibus istis contrarii, per quos cùm contrarius generetur habitus, præexistentem minui, & tandem corrumpi oportet.

139 II. *Minuuntur & tandem corrumpuntur habitus, per actus contrarios, & habitus contrarios.* Utrumque ex prædictis sequitur. Et de habitibus contrariis facilè pateret. Quia enim contraria non possunt simul esse in eodem subjecto, ideo nec potest id esse in contrariis habitibus. Cùm igitur contrarius habitus, verbi gratia, vitium introducitur, oportet cedere præexistentem habitum, hoc est, virtutem. De actibus autem similiter patet ex his. Nam per actus contrarios acquiritur habitus contrarius. qui, ut visum est, est alii præexistenti habitui incompossibilis.

140 Ex his facilè apparet etiam diversitas inter actus & habitus contrarios, quoad officium diminuendi & corrumpendi præexistentem habitum. Nempe habitus

iste

iste contrarius expellit priorem, expulsione formali, hoc est, per contrariam potentiæ informationem. Actus autem contrarius expellit habitum expulsione effectiva, hoc est, efficienter producendo illum contrarium habitum, à quo proximè sumitur ratio, cur abeat prior habitus.

III. *An habitus minuantur & corrumpantur ex defectu causæ materialis* (quam vocant, melius ex defectu subjecti) etiam hic quæri solet? Solent enim multa accidentia interire per interitum subjecti: veluti calor ignis, si corrumpatur ignis, & sic in aliis. Quam ad rem dicendum est: aliquos habitus hoc modo non posse corrumpi. Sunt enim aliqui habitus in subjecto incorruptibili, veluti sunt habitus intellectivi. Alii autem habitus, qui recipiuntur in potentia appetitiva sensuum, sine dubio etiam isto modo desinere possunt. Vide Suarez. *disp. loc. sect.* 13. & Thom. 1. 2. *q.* 53. tota *ubi & Interpp.* 141.

TITULUS V.

De divisionibus habituum.

PRincipales habituum divisiones quatuor sunt. Atque ita *primò*: Habitus est virtus vel vitium. *Deinde*, dividuntur habitus in infusos & acquisitos. *Tertiò*, in morales & intellectivos. Et *quartò*, in speculativos & practicos, quæ divisiones nunc explicandæ sunt. 142.

ARTICULUS I.

De divisione habitus in virtutem & vitium.

PLena tractatio de virtutibus & vitiis ad Ethicam pertinet, quia materia practica est. Nunc igitur solùm explicandum est nomen *virtutis*, & *vitii*. Et deinceps considerandum est: An bona sit illa habituum distributio? 143.

Explicatur nomen virtutis.

IGitur nomen *virtutis* est ambiguum. Aliquando sumitur pro naturali potentia, vel quovis principio, quod potest esse ad actus, vel etiam pro influxu ipso. Et sic animæ facultates dicuntur ejusdem virtutes: Et causæ secundæ dicuntur agere in virtute primæ. Hæc significatio non est hujus loci, ubi virtutem tantùm sumimus sub prima qualitatis specie. Virtutis *nomen quot modis dicatur?*

Deinde: Virtus sumitur pro eminentissimo bonarum actionum principio, quomodo virtutes Deo tribuimus, in quo tamen nulla est qualitas. *Tertio* in oppositum virtus sumitur pro qualicunque similitudine, vel umbra virtutis. Sic Aristoteles 7. 8. *de hist. an. c.* 1. brutis etiam virtutes tribuit, quas propriè loquendo iisdem denegat *l.* 7. *Eth. c.* 1. Solet & *quartò*, virtus quandoque distingui contra semivirtutem. Estque tùm semivirtus per modum dispositionis, virtus autem est qualitas per modum habitus consummati. Solet & *quintò*, virtus quandoque id dici, unde moraliter boni dicimur: cúmque id sit solùm per habitus morales idcircò habitus intellectivi hoc modo virtutes non sunt. *Denique*, quæ hujus loci est significatio, virtus sumitur pro omi qualitate, quæ ad naturalem potentiam addita, juvat eam ad actus *melius* exercendos. Unde in oppositum vitium sic adæquatè accipitur, pro habitu eo, per quem naturalis potentia disponitur ad pejus operandum. Atque hoc vult etiam definitio illa celebris ex August. *l.* 2. *de lib. arbit. cap.* 18. *Virtus est bona qualitas mentis qua rectè vivitur, &c.* de qua re vide Thom. 1. 2. *qu.* 55. *a.* 4. & Confer Arist. *l.* 2. *Eth. c.* 5, 6. & Piccol. *grad.* 4. *Phil. moral. c.* 2. & Armand. de Bello Visu *l.* 2. *term. c.* 72. 88. 107 *& alibi*. *Virtus quid sit?*

Cæterùm id hic diligenter notandum est: quòd rectitudo illa vel bonitas non sit intelligenda de rectitudine morali. Neque enim à quovis habitu boni vocatur moraliter: Sed bonitas illa est generalius intelligenda, ut significet eminem perfectionem, 144. *Bonitas quæ intelligatur in definitione virtutis.*

fectionem, quæ superadditur naturalibus potentiis, in ordine ad actus earum.

145. *Vox virtutis unde dicatur?* Porrò vocem *virtutis* Armand. *d. l.* deducit à *vi* vel *violentia*. Sed propior Etymologia est ut *virtus* à *viro* dicatur; tùm quatenus hæc vox ætatem. tùm quatenus sexum significat: Nam virtus viris & non pueris convenit: Et rursus viris convenit potiùs quàm fœminis.

146. *Vitium quid sit?* Atque ex his etiam intelligitur quid nunc sit vitium. Nempe per vitium nunc intelligitur habitus virtuti oppositus: Unde quæ vitia dicuntur, cùm sint naturales imperfectiones, vel quæ sunt puræ negationes, ut est ignorantia, quam puræ negationis vocant, huc non pertinent. Habitus enim debet esse quid positivum.

An bene dividatur habitus in virtutem & vitium?

147. *Probatur bonitas illius divisionis.* BOnitas & adæquatio hujus divisionis facilè apparet: Quam ad rem supponendum est, quod sæpè ostensum est: quòd habitus addantur naturalibus potentiis, in ordine ad actus facilitando eas. Aut igitur dant illi habitus facilitatem & majorem promptitudinem ad actus pejores, vel ad actus perfectiores: Si primum sunt vitia; Si postremum sunt virtutes. Omnis igitur habitus est virtus vel vitium. Atque ita etiam docet Aristoteles 7. *Phys. c.* 3. *t.* 17. ἕξεις αἱ μὲν ἀγεταὶ, αἱ δὲ κακίαι. *Habituum alii quidem virtutes, alii vitia.*

148. *Objectiones contra eam.* Nihilominus videri potest: hanc divisionem non esse bonam. Nam sanitas & pulchritudo sunt habitus, apud Aristot. *l. Categ. c.* 8. Et tamen illæ non sunt virtutes vel vitia; Cùm virtus & vitium solùm sint in anima. Sanitas autem & pulchritudo sunt corporis.

Deinde; Nullum vitium videtur habitus, quia I. Omnis habitus est difficulter mobilis, per Aristot. *d. l.* At vitium facilè est mobile, quia falsis principiis nititur, error v. g. Lubrico autem fundamento nihil firmiter superstrui potest. II. Omnis habitus est positivum quid. At nullum vitium est positivum quid. Nam omne positivum, quia Ens est, bonum est. At vitium bonum non est. Ergo nec est quid positivum. Ergo nec est habitus.

Denique; videtur illa divisio insufficiens esse. Nam opinio vera, nec virtus est, nec vitium. Non illud, quia opinio, quantum est ex se, potest ad falsum inclinare. Non hoc, quia non inclinat ad malum illius potentiæ (intellectivæ) sed ad bonum, licèt imperfecto modo. Atque hoc argumento utitur contra hanc divisionem Suarez *disp.* 44. *Met. s.* 13. *n.* 15. ubi docet; quòd habitus non debeat dividi in virtutem & vitium, sed in virtutem & non virtutem.

149. *Solvuntur.* Nihilominus hæc argumenta firma non sunt; & proinde ad *primum* respondeo; Sanitatem & pulchritudinem vocari habitus, sed per similitudinem; quatenus scilicet ob difficilem de subjecto mobilitatem, iisdem assimilantur; Aliàs autem, propriè loquendo, sunt Entia per aggregationem, ut suprà visum est.

150. *Vitia rectè dici habitus.* Ad *secundum* argumentum duplicatò respondeo; Proinde, quòd, ad primum attinet, experientia ostendit, vitia esse difficulter mobilia, ob consuetudinem & invalescentiam naturæ in vitiis. Quòd autem vitia lubrico fundamento nituntur, efficit quidem, ut ea ratione non sint per se immobilia. At ad rationem habitus satis est qualiscunque immobilitas. Quoad bonitatem verò vitiorum, de qua erat altera pars illius argumenti, vide suprà *lib.* 1. *cap.* 9.

151. Ad *tertium* respondeo; dividendo habitus in virtutem & vitium, sumitur, habitus cum indifferentia ad inchoatum & consummatum habitum. Ut igitur, servata proportione, aliquid virtus etiam dicatur sufficit, si sit virtus imperfecta. At tale quid utique est vera opinio, quia ad bonum potentiæ inclinat, etsi imperfecto modo, ut fatetur Suarez. Non potest igitur vera opinio esse sub extremo virtuti opposito, seu dicatur *vitium* seu *non virtus*.

ARTI-

ARTICULUS II.

De divisione habitus in infusum & acquisitum.

HÆc *secunda* est divisio habituum, & inprimis in ea intelliguntur habitus humani, quique specialiter habitus dicuntur, in qua specialitate habitus à speciebus intelligibilibus distinguitur, ut fatè dictum, quanquam sine incommodo, servata proportione, possit etiam ea divisio ampliari ad habitum in communi. 152.

Explicando tamen vocem *habitus*, juxta priorem intentionem. Habitus illi dicuntur infusi, qui non sunt apti produci per operationes agentis, sed qui aliunde infunt. Ita fides, spes, charitas, atque adeo justitia & sanctitas non comparantur actionibus nostris, imo nec comparari quidem possunt, sed postulant, ut per divinam gratiam infundantur nobis. 153. *Habitus infusi quid?*

Atque ita apparet, si quis habitus de facto quidem infundatur à Deo, posse tamen etiam actibus nostris acquiri, quod is non sit habitus infusus, sed acquisitus.

Hanc ad rem solent aliqui distinguere habitus infusos. Sic igitur aliqui eorum sunt infusi *per se*, alii sunt infusi *per accidens*. Infusi per se illi dicuntur, quos dixi; nempe, qui ex genere & natura sua non sunt producibiles, nisi ab extrinseco. Infusi autem per accidens sunt, qui etsi sint ab extrinseco, tamen ex genere & natura sua talem productionem non postulant. Sic habitus pingendi & sculpendi in Bezeleele erat infusus; sed per accidens dicitur habitus infusus, quia & propriis actionibus potest acquiri talis habitus. Atque ita habitus, qui hujus generis sunt, absolutè dicuntur habitus acquisiti, etsi pro isto statu sint per infusionem, non per acquisitionem. De habitibus istis infusis plurima tractari solent ab Interpp. *ad 2 secundæ in Thomam*. 154. *Eorum distinctio.*

Atque ita in oppositum nunc constat; Quinam habitus sunt acquisiti, nempe; qui vel de facto acquiruntur, vel saltem naturam habent, ut non repugnet eos per proprios actus agentis, nempe ipsius hominis, acquiri; quales sunt habitus morales, vulgo dicti, artes, prudentia & similes. 155.

ARTICULUS III.

De divisione habitus in moralem & intellectualem.

HÆc *tertia* est divisio habituum, & principaliter intenditur, tanquam subdivisio habituum acquisitorum. Sumitur autem juxta diversitatem potentiarum, quæ per illas afficiuntur. Alii nempe perficiunt appetentem, alii cognoscentem facultatem. Illi dicuntur *morales*; hi verò dicuntur *intellectuales*. Ubi id pòrro observa; quod moralis virtus quandoque dicatur in respectu ad actum; Et hoc modo etiam prudentia solet moralis virtus dici, quia ejus ad bonitatem morum multùm interest. Non, *ipsam*, illa moralis est ratione subjecti; sed ratione actus. Unde priori respectu, unde hæc divisio sumitur, simpliciter intellectiva est. Vide Armand. de Bello Visu l. 2. *term.* c. 93. 156. *Prudentia quare nunquam possit moralis virtus dici.*

Caterùm: Morales virtutes dividuntur in undecim species ab Aristotele *lib.* 3. *Ethic.* quæ sunt; *Fortitudo, temperantia, modestia, magnanimitas, liberalitas, magnificentia, patientia, affabilitas, urbanitas, veracitas & justitia*: quæ distributio intelligenda est, facta esse, non in species infimas, sed subalternas; Potest enim sub justitia, verbi gratia, gratitudo; sub temperantia, sobrietas, *&c.* comprehendi. Et rursus, ad adæquationem hujus divisionis comprehendendæ sunt etiam semivirtutes, veluti sub temperantia, continentia; & sub fortitudine, tolerantia; & sic de cæteris, sed de his, pòrro agunt Ethici. Et in proportione, hæc etiam extendenda sunt ad hujus vitiosos. 157. *Divisio virtutum moralium.*

158. *Divisio virtutum intellectivarum.*

Virtutes intellectivæ nunc sunt, quæ perficiunt intellectum nostrum. Et numerantur ab Aristot. quinque *in lib. 6. Ethic. c. 2.* nempe *intelligentia, scientia, sapientia, ars & prudentia.* Aliqui adduot habitus alios, sed hæc res ab Ethicis tractari solet & meritò. Nam finis Ethicæ est, beare hominem, sive producere hominem ad beatitudinem vel felicitatem civilem. Felicitas autem illa ex gradibus duobus est. Implicat nempe felicitatem speculativam, & felicitatem practicam. Unde sicut Ethica de virtutibus moralibus agit, tanquam mediis ad felicitatem practicam. Ita eadem agere debet de virtutibus intellectivis, tanquam mediis ad felicitatem contemplativam. Sed de hac re est alibi.

Pertinent ad Ethicam.

ARTICULUS IV.

De divisione habitus in Speculativum & practicum.

159. *Practicum dicitur bifariam.*

Hæc *quarta* est habituum divisio: Ad quam *primò* observandum est: quod vox *practici* sit ambigua. Aliquando enim practicum adæquatè opponitur speculativo, aliquando verò opponitur & speculativo & effectivo. Unde, qui hic sunt effectivi, priori modo sunt etiam practici. Hoc igitur posteriori modo habitus practici ii dicuntur, qui ultra cognitionem habent quidem aliquam operationem, sed non tendentem ad opus. Si tamen ultra cognitionem operatio tendat ad opus, habitus dicitur non practicus, sed πρακτικός. Et sic Aristoteles *l. 6. Ethic.* artem à prudentia distingui, quod ars sit factibilium (ποιητικὸν) prudentia autem sit agibilium (πρακτὸν.) Atque ita nunc non sumitur habitus practicus, quia habitus practicus nunc adæquatè opponitur speculativo, sive contemplativo.

160. *Habitus speculativus quid sit?*

Ad præsentem igitur divisionem sumitur habitus practicus generatim, sicut & accipitur ea vox, cùm intellectus dividitur in speculativum & practicum, *l. 3. de An. c. 7. 6. 29. 20.* Et similiter felicitas, *l. 10. Ethic. ad Nicom.*

Sic igitur habitus *speculativus* est, qui ultimò sistitur in cognitione; vel cujus finis ultimus est cognitio. Talis est Physica, Metaphysica, Mathesis. Habitus *practicus* autem est, cujus finis ultimus est, ex cognitione operari, vel porrò tendendo ad productionem operis, vel non. Sic habitus practicus est Ethica, Politica, Logica, Jurisprudentia, Medicina, ars fabrilis, pictoria, sculptoria, & similes.

161. *Habitus speculativus & practicus ex fine, non verò objecto dicuntur.*

Ut hæc res plenius intelligatur, tria sunt observanda: 1. *Denominationes speculativi & practici in ratione habitus, ex fine, ut divi, sumi, & non ex subjecto,* quod Algazel. voluit *lib. 1. de Phil. c. 1.* Nam habitus speculativus & practicus possunt in eodem objecto versari: objectum igitur, ut sic, non potest discernere habitus speculativos & practicos. Antecedens patet; Nam Physica & Ethica versantur in iisdem affectibus. Metaphysica & Logica in omni Ente. Medicina & Physica in corpore humano. Ars fabrilis & Physica in auro vel ferro, vel metallo alio, vel ligno. Et sic est in aliis. At in singulis istis combinationibus commiscentur habitus speculativi & practici. In uno igitur atque in eodem objecto, cùm versentur plures disciplinæ, una tamen est practica, alia speculativa, quia alia tractat illud objectum solius cognitionis causâ, (Et sic speculativa est) alia autem in eodem objecto occupatur, ut circa illud operetur & sic practica est.

162. *Et quidem sive ultimo.*

2. Observandum est, *quod finis, ex quo sumitur denominatio habitus speculativi & practici; sit intelligendus de fine ultimo solùm,* hoc est, habitus, qui ultimo refertur, ad cognitionem est speculativus: qui autem talis non est, est practicus. Et confirmatur; quod aliùs etiam habitus practici involvunt cognitionem, secus enim non essent habitus intellectivi. Debet enim omnis habitus intellectivus disponere saltem quomodolibet ad cognitionem. Unde etiam aliqui habitus practici dicuntur *scientiæ* practicæ. At si scientiæ sunt, utique saltem quo-

modolibet

modolibet ad sciendum facere debent. Oportet igitur ut illa pugnantia in ratione cognitionis & praxeos, sit in habitu speculativo & practico solùm quoad finem ultimum. Si ergo habitus speculativus est, qui ultimò refertur ad cognitionem. Habitus practicus autem est, qui etsi subjectum suum cognoscat, tamen eam cognitionem refert ad operationem. Ita speculativus habitus est Physicè quæ ultimò acquiescit in notitia rerum naturalium. Habitus autem practicus est Ethica, quæ non satis habet in eo, si quis sciat quid sit fortitudo, vel temperantia, &c. Sed requirit, ut temperanter & fortiter agamus.

Atque hinc porrò observandum est: quòd illa destinatio ad operationem, non sit idem, quod destinatio ad usum aliquem. Neque enim ulla scientia, etiam ex speculativis scientiis est, quæ nullum habeat usum. Est enim Physicæ usus in Medicina, Matheseos in rebus mechanicis, Metaphys. in omnium rerum cognitione. Et tamen isti habitus speculativi sunt. Illa ergo cognitio intelligitur destinari ad operationem, quæ instituitur sub ea ratione, ut sub ea doceamur agere. Ita ergo cognitio practica est, verbi gratia, quâ doceamur, quomodo debeamus agere temperanter, & nos gerere in rebus terribilibus, quomodo debeamus facere Syllogismum, vel definitionem, vel elegantem orationem. Si autem aliquis habitus non constituat modum aliquid faciendi, agendive, esto aliàs usum habeat, tamen simpliciter est speculativus. 163. *Destinatio ad usum non facit habitum practicum.*

Ex dictis duo colliguntur: 1. *Quòd non possit aliquis unus habitus esse & speculativus & practicus.* Implicat enim aliquid ultimò versari in operando, & etiam ultimò versari in cognoscendo. Errant ergo, qui logicam aiunt & speculativum & practicum habitum esse. 164. *Non potest unus habitus esse speculativus & practicus.*

2. Etiam ex his colligitur: quòd aliter sumatur denominatio speculativi & practici, cùm sumuntur ad designandas partes varias unius habitus: veluti, cùm Medicinæ pars alia dicitur speculativa, alia practica. Id enim non est attendendo ultimum finem (juxta quem Medicina simpliciter est habitus practicus) sed quod alia pars à praxi in ea disciplina remotior sit, quàm altera. 165. *Medicina quomodo distinguatur in partem speculativam & practicam.*

3 *Ultimus ille finis, ex quo habitus vocantur speculativus vel practicus, non desumendus est ex intensione discentis, sed ex natura, & juxta exigentiam disciplinæ.* Intensio enim discentis per accidens est ad disciplinas ipsas. Ex ista igitur non potest discrimen constans habituum transumi. Atque ita, Medicina est simpliciter habitus practicus, etsi hic vel ille, discens eam, non intendat in studio illius praxin Medicam, sed solùm, quod puter, jucundum esse, nôsse causas & differentias morborum. Et sic in aliis. Plenius hæc de re egi *in tract. de Philosophia*, 27. *seqq.* Et frequenter hæc res tractari solet à Philosophis *in Proœm. scient.* & apud Sententiarios *in Prolog. ad Magist.* & à Thomistis 1. *p. q.* 1. 166.

Et pertinacrunt quidem ea, quæ hactenus sunt dicta, ferè solùm ad discernendum speculativum & practicum in disciplinis: Et isdem tamen sumi potest explicatio de habitibus in communi, quatenus speculativi & practici dicantur.

TITULUS VI.

DE POTENTIA NATURALI.

Quæ ad considerationem potentiæ pertinent, & aliàs ab Autoribus hic tractari solent, ea maximâ ex parte declarata sunt, *lib.* 1. *cap.* 14. in doctrina de actu & potentia. Hic igitur hæc tria solum declaranda supersunt: 1. Nomen potentiæ naturalis. 2. Ejusdem potentiæ definitio tradenda & explicanda est. 3. Tractanda est quæstio: An potentia naturalis recte dicatur accidens? 167

ARTICULUS I.

In quo declaratur nomen potentiæ naturalis.

168 *Ambiguitas in voce potentiæ.*

IGitur inprimis vox *potentia* est ambigua. Aliquando est quasi differentia Entis quatenus scilicet Ens dicitur actus vel potentia. Hæc potentia transcendens est, & huc non pertinet. Loquimur enim nunc de potentia prædicamentali non transcendente. Rursus aliqua potentia est, quam Logicam vocamus, quæ non est vera & positiva affectio, sed consistit solùm in non repugnantia. Hæc etiam huc non pertinet. Nam species Entis (quales sunt, quæ sub prædicamentis ponuntur) non sunt negationes. Et vocatur hæc ipsa potentia *naturalis*, ad contradistinctionem ab illa negativa & Logica potentia, qualis est in lapide, quatenus ex eo panis potest fieri, vel filius Abrahæ, & sic in aliis. Alia ad hanc rem pertinentia posita sunt *d. lib.* 1. *c.* 14.

169 *Quatenus opponatur impotentiæ.*

Nunc ad hanc rem inprimis hæc duo porro notanda sunt: Primò, quòd potentia naturalis possit sumi, vel prout opponitur impotentiæ (sic enim Aristoteles conjunctim loquitur, *l. Categ. c.* 8.) vel, ut potentia naturalis significet adæquatè secundam speciem qualitatis. *Primo modo* potentia significat principium facilè & bene operandi (non intelligendo facilitatem illam, de facilitate habituali, sed quæ sit per εὐφυίαν aliquam.) Impotentia autem est principium actus alicujus, qui difficulter exercetur: Nunc autem posterior significatio amplectenda est. Atque ita potentia naturalis nunc dicitur, quæ naturaliter actum exercet seu ad facilè seu difficulter fit.

170 *Cur hæc potentia dicatur naturalis.*

Deinde notandum: cur hæc potentia *naturalis* dicatur? Et *respondeo*, posse id esse tribus: *Primò* certum est, etiam habitus posse dici potentias. Sic enim & Aristoteles, 5. *Metaph.* 12. artes fecit exempla potentiæ activæ. Dicitur igitur hactenus secunda species qualitatis, potentia *naturalis*, ad distinctionem ab habitu, quia habitus, etsi potentia est, tamen non est potentia naturalis, sed adventitia. *Deinde:* potentia illa naturalis dicitur, ad distinctionem à potentia Logica, ut modò dictum est. *Denique*, inprimis potentia naturalis vocatur, per ordinem ad actum suum, quem naturaliter sive juxta exigentiam naturæ suæ exercet. Ita potentiæ visiva, intellectiva, appetitiva trahendi terrum in magnete, item impetus in lapide projecto sunt potentiæ naturales, quia actus illos, quos præstant, præstant juxta exigentiam, & destinationem naturæ suæ.

171

Atque ex his porro apparet: quòd potentia naturalis non dicatur talis, per ordinem ad subjectum suum. Nam impetus ille in lapide projecto ad adscensionem, præstat quidem istam ascensionem, juxta exigentiam & destinationem naturæ suæ, unde ratione actus naturalis est: Nihilominus impetus iste non est naturalis ratione subjecti, sed est violentus, qua de re vide Suarez *disp.* 43. *sect.* 4. *num.* 2.

ARTICULUS II.

De definitione potentiæ naturalis.

172 *Propria definitio potentiæ naturalis.*

VUlgata eáque optima potentiæ naturalis definitio hæc est: *Potentia naturalis est qualitas à natura primò ordinata, ut sit principium primum alicujus actus.* Hic primò potentia naturalis dicitur *qualitas*. Distinguitur igitur hactenus potentia ab omni eo, quod accidens vel etiam qualitas non est. Si vel maximè aliàs potentia dicatur. Excluditur igitur hactenus *potentia transcendens*. Hæc enim hoc ipso, quia transcendens est, transcendit prædicamenta latitudine & universalitate sua, & pronde nullum prædicamentale genus, multòque minus aliquid sub eo de ea prædicari potest. Excluditur etiam *Logica potentia*, quæ ea negatio solùm est. At *denique* excludi solet sub hac particula omnis illa potentia,

tia, quæ realiter eadem est cum essentia subjecti sui, qualis est potentia activa Dei, & secundùm aliquos etiam potentia universalis, quæ est in materia, ad susciipiendas formas, item potentia sive propensio, quæ in separata anima est ad reunionem cum materia. Hanc enim realiter non differre ab anima, sed convenire ei ex vi essentiæ suæ incompletæ superiùs disputatum est, *cap.* 5.

Deinde dicitur: quòd potentia illa sit *principium actus*. In hoc distinguitur hæc qualitatis species à figura. Cùm enim figura sequatur quantitatem, quæ est Ens otiosum & inefficax, hinc neque ipsa figura actum exercet, nisi fortè spiritualem, veluti cùm est objectum sensile, quo in casu speciem sui producit. 173

Tertiò dicitur, quòd sit *primò ordinata*, ad præstandum actum. In hoc distinguitur illa potentia à qualitate patibili. Qualitas enim patibilis primò comparatur ad perfectionem subjecti, quasi ab intra, hoc est, præcisá operatione: Et si qua patibilis qualitas præster aliquem actum: tamen non est, nisi concomitanter & ultra primarium ejus officium, quod dixi, esse in perficiendo subjecto. Indéque hujus generis qualitates, si maximè actus non præstent, non tamen frustrà sunt, sicut potentiæ, quæ cùm primò & univocè destinentur ad actus, utique frustrà sunt, si istò fine careant. Et ex his Suarez *disp.* 43. *sect.* 3 *n.* 5. sumit indicium: an quid sit potentia naturalis, an non. Nempe, si secluso actu ponat aliquam perfectionem in substantia, potentia naturalis non est, sed qualitas patibilis: Si autem secluso actu nullum amplius usum habet, potentia est. 174

Denique dicitur: quòd potentia sit *primum principium* actus. In hoc distinguitur potentia ab habitu. Habitus enim est quidem principium actus, verùm non primum, sed superadditum potentiæ, eandémque juvans ad naturalem actum sumus, ut in superioribus visum est, *lib.* 4. *art.* 5. *punct.* 3. 175

Dicere addendum esse in definitione potentiæ, quòd sit principium facilè operandi, ut Aristoteles fecit *l. Categ. c.* 8. §. 7. 176

Sed respondeo: particulam illam Aristotelem addere solùm, cùm potentiam naturalem ab impotentia distinguit. Nos autem impotentiam illam etiam sub potentia comprehendimus, prout adæquatè significat secundam qualitatis speciem. Potentia igitur nunc est, seu sit ad facilè operandum, seu ad operandum difficilè. Confer Interpp. Categoriarum, & Zabarell. *lib. de facult. anim. c.* 3. & *l.* 1. *de prim. mater. c.* 9.

ARTICULUS III.

An potentia naturalis sit accidens?

177

Status quæstionis, & variæ ad eam opiniones.

INprimis certum est, non omnem naturalem potentiam esse accidens, ut prius patuit *in præced. artic. in princ.* Atque hæ potentiæ consequenter non sunt in specie qualitatis, ut ipsa id inprimis liquidum de potentia activa Dei.

Hoc igitur nunc inprimis quæritur, *An ulla sit naturalis potentia quæ accidens sit?* Id enim negat Piccolom. *grad.* 3. *Phil. Moral.* ut suprà relatum est, ad divisionem qualitatis. Idémque docet Scotus Arminens. aliíque Scoti Interpp. *ad* 2. *dist.* 16. quibus consentit Scal. *exerc.* 307. *s.* 15. ubi isti Autores docent, potentias animæ esse realiter eadem cum anima. Nulla enim ratio est, cur, si id sit in potentiis animæ, secus debeat esse in potentiis illis. Ergo omnes naturales potentiæ, juxta hanc hypothesin, habent realem identitatem cum subjectis suis. Ergo propriè & Physicè loquendo, nulla erit accidens.

Nihilominus opposita sententia vulgatior est, distinguens potentias ab essentia rei creatæ & consequenter asserens: quòd illæ potentiæ sint accidentia. Ita docet Thom. 1. *q.* 77. *a.* 1. Ægid. Roman. *lib. de anim. c.* 2. *q.* 1. Capreo. 1. *dist.* 3. *q.* 4. Hervæus *quodl.* 1. *q.* 9. Zabarell. *l. de facult. anim. cap.* 34. Colleg. Conimbr. 2. *Phys. c.* 7. *q.* 18. & *l.* 2. *de anim. c.* 3. *q.* 4. Suarez *disp.* 13 *sect.* 3 *n.* 2 *seq.* aliíque. Et pertinet huc, quòd in rebus spiritualibus etiam virtus ab essentia distinguatur à Dionys. *de cœlest. Hier. ach. c.* 9. §. 3.

178. Atque hanc sententiam veriorem puto. Et probatur 1. Actus est nobilior potentiâ, cùm hæc sit propter illum. Ergo si potentia illa est substantia, actus, qui accidens est, erit nobilior substantiâ. At hoc est absurdum. Ergo & illud.

Deinde: si potentia est idem, quod essentia subjecti in rebus creatis. Ergo etiam operatio est in rebus creatis idem quod esse earum, loquendo de operatione immanente, consequentia videtur sumi inde, quod hinc etiam essentia divina est realiter eadem cum actibus immanentibus, inde, quòd ejusdem essentiæ est realis identitas ad potentiam.

179. *Tertiò:* in Elementis sunt virtutes realiter distinctæ, ab essentiis illorum, veluti calor, frigus, humiditas, siccitas & levitas, adeò quidem, ut etiam divinâ potentiâ saltem separari possint à subjectis istis. Nulla igitur causa est, cur non possit debeátve ad esse, in anima vel Angelo, aliisque similibus. Alia mitto, quæ prolixiùs dicti Autores persequuntur.

180. *Objicitur* 1. Quod Entia non sint multiplicanda sine necessitate. At necessitas jam dum ostensa est, cur debeant istæ potentiæ differre ab essentiis suorum subjectorum.

Objicitur 2. Quod animæ conveniat definitio potentiæ, quam Aristoteles tradit 9. *Metaph.* Sic *potentia activa est principium transmutandi aliud.* At tale quid est forma: Ergo ipsa est potentia. Ergo non distinguitur realiter à potentia. Ad hoc *responderi* potest ex suprà *d. lib. c. 14. n. 29. & 30.*

181. *Objicitur* 3. Potentia passiva est idem quod materia. Ergo idem est etiam in potentia activa formæ. *Respondet* Zabarell. *lib. de facult. an. c. 5.* negando antecedens. Sed tamen admisso: quòd potentia passiva sit idem quod materia, tamen secus esset de forma; loquendo de ejus potentia, quæ est ad operationes, quia potentia, quæ est in materia, est ad formam recipiendam, unde hactenus solùm processit similitudo inter materiam & formam: sicut potentia, quæ est in materia, ad susciendam formam, non est distinctum quid ab essentia materiæ, ita etiam potentia formæ, quam habet ad informandam materiam, non est aliquid distinctum ab ea. Nunc autem sermo non est de potentia, quæ est ad informandam materiam, sed quæ est in ordine ad actus sive effectus, veluti est potentia nutritiva, visiva, motiva, & similes.

TITULUS VII.

DE QUALITATE PATIBILI.

182. TErtia species qualitatis dicitur *qualitas patibilis*. Aristoteles adjungit passionem, de quorum discrimine dictum fuit in superioribus. Nunc autem qualitas patibilis etiam complectitur passionem eam, quam Aristoteles hic intelligit.

183. *Quid sit qualitas patibilis?* Ex dictis autem in universum liquet, quid sit qualitas patibilis? Nempe est *illa, quæ ex prima intentione ordinatur ad dandam intrinsecam aliquam perfectionem subsistentiæ, hoc est, talem, quæ non sit per ordinem ad actus*, ut erat de potentia & habitu. Tales qualitates sunt colores, soni, qualitates tactiles, affectus animæ, odores, sapores, & similes.

TITULUS VIII.

DE FIGURA.

184. HÆc quarta est qualitatis species, quæ conjunctim ab Aristotele dicitur *figura & forma*, de quorum discrimine etiam aliquid fuit in prioribus. Nunc tamen figura adæquatè ponitur ad significandam illam speciem, & proinde includit, quicquid tamen illud sit, quod debeat intelligi sub voce *formæ*, hoc loco.

Est

Est igitur figura hîc nihil aliud, quàm extremorum lineamentorum dispositio, vel qualitas modificans quantitatis terminos. Unde cui non convenit quantitas ei consequenter nec figura, quæ modus illius est, convenire potest. Atque sic in Angelis, quâ tales sunt, figura nulla reperiri potest.

TITULUS IX.

De attributis qualitatum.

ATributa qualitatum Aristoteles tria recenset *l. Categ. cap. 8.* Primò: *Contrarietas est in qualitate.* Secundò: *Suscipiunt qualia intensionem & remissionem.* Tertiò: *Similia & dissimilia secundùm solas qualitates dicuntur.* Hæc attributa nunc sigillatim pro coronide explicanda sunt. 185

ARTICULS I.

De qualitatum contrarietate.

PRimò: Aristoteles, ut modò dixi, contrarietatem tribuit qualitatibus. Est autem inprimis hanc ad rem observandum, quòd vox *contrarietatis* sit ambigua, ut alibi plenius explico. Et nunc quidem contrarietas sumitur pro positiva pugnantia duorum extremorum, secundùm quam nempe unumquodque agat in alterum, corrumpendo, ut definiri solet ex Aristotele *l. 10. Metaph. cap. 6.* Atque hæc ipsa contrarietas sic sumpta, Physica est potiùs quàm Logica. 186

Hæc igitur sic exposita contrarietas est inter qualitates, hoc sensu, quòd illæ earum primis ea conveniat, & radicaliter quasi, in quantum scilicet actiones & passiones, in quibus consequenter reperitur contrarietas, eandem habent rationem terminorum, veluti calefactio & frigefactio, quatenus sunt in frigore & calore, qui termini sunt illarum mutationum. 187

Atque ita appareat generatim & indifferenter loquendo, solis qualitatibus non convenire contrarietatem. Eodémque modo etiam non convenit omnibus qualitatibus istiusmodi contrarietas. Nam species rerum contrariarum, veluti coloris albi & nigri, sunt in eodem subjecto compossibiles. Non ergo habet una in aliam actionem destructivam. At istæ species qualitates sunt. Sic & est in pluribus aliis. Ita multi habitus contrarietatem non habent, item potentiæ naturales. 188

ARTICULUS II.

De qualitatum intensione & remissione.

QUoad hanc materiam de qualitatum intensione & remissione quatuor videndum est. *Primò* explicandum est vocabulum intensionis & remissionis. *Deindè* quæritur: An detur remissio & intensio? *Tertiò*, quid sint *Quanta*, cui conveniant? Et *denique* qualitas, cui convenit, simplexne an composita sit? 189

PUNCTUM I.

De voce intensionis & remissionis.

VOces illas Metaphoricas esse, & à funicularibus sumi, docet Scalig. *Exerc. 12. s. 2.* Propriè igitur intendi dicitur arcus aut funis, quoties extrema coguntur plus distare. Ita arcus intenditur flexura: funis in rectum. Atque hinc ex vi vocis intensio est per accessum ad superius quid; Remissio autem est, per recessum ab eo quod summum est. 190

Est autem porro vox illa ambigua. Sumitur enim quandoque *essentialiter*. Et 191

nihil

nihil aliud est, quàm actio causæ illius, quæ aliquam qualitatem intendit. Vnde ipsa intensio ad qualitatem per accidens est, sicut calefactio ad calorem. Aliter intensio sumitur *formaliter*, estque tùm nihil aliud quàm actus formalis, unde intensum est. Simile quid est in voce compositionis, quæ aliquando sumitur efficienter pro influxu causæ efficientis componentis. Aliquando verò est actus formalis, unde compositum est, & dicitur compositum. Idémque est in voce remissionis.

Intensio formaliter vel efficienter dicitur.

PVNCTVM II.

An detur intensio & remissio?

191. HÆc quæstio ex duplici principio negari potest. *Primò:* quòd, quæ vulgò dicitur intensio, non sit intensio, sed accretio. Ita Scaliger disputat *Exerc.* 12. *sect.* 2. *Non fit*, inquit, *intensio qualitatum, sed accretio sicut & qualitatis.* Declarat hoc naturæ exemplo: *Sint*, inquit, *ignis partes nondum laborati, A. B. C. D. in quarum singulis, verbi gratia, totidem sint ignis partes, E. F. G. H. Malleo condensati ferri partes coëant in unum, quod sit I. Sic igitur ignis partes coibunt, & agent actionis quadruplæ in ipsum. Ea actio appellatur K. Manifestum est eundem gradus esse, qui prius, utrum ob compactionem efficaciores. Hoc igitur & actio & actio fit ob subjectorum contactionem. Quin etiam fit propter ipsius ignis partium unionem. Accipiatur enim ferri pars A. In eam introduci potest pars ignis E. primum. Deinde pars F. Tertiò G. Postremò H. Atque tunc A. sola efficiet actionem illam quadruplam, quæ erat K. Non est igitur calor major intensive ejusdem partis, sed alia non partium accessione.* Hactenus Scaliger.

Scaligeri opinionem non esse intensionem, sed accretionem.

192. Sed non satis bene. Neque enim semper intervenit, ad intensionem, quam vulgò dicimus, partium subjecti condensatio, veluti est in proposito exemplo; sed ut plurimum sit secus. Veluti, cùm in aërem, eundem manentem, vel aquam similiter eandem, introducuntur successivè plures gradus caloris, ut aqua, quæ primum erat tepida, postea incalescat summè. Neque etiam *secundo* efficaciori & valentiori operatione, semper augetur intensionem, illiusmodi. Nam fieri potest, ut aliunde major sit operatio. Sic verbi gratia, calor in igne semper est ejusdem gradus, non intensior vel remissior, & tamen efficacius urit in ferro vel lapide (propter unionem partium, extra intensionem) quàm in stipula; Et aër est humidior aquâ, nihilominus non tam humectat quàm aqua, quia ad actum humectandi, requiritur adhæsio ad objectum humectabile, quæ non ita præstari potest à corpore tenui, quale quid est aër. Sic & magis ponderat vel gravitat parvus lapis, quàm ingens lignum, utpote quod in aqua natat, illa succumbente, & tamen lapillus talis tantum pondus non habet, quantum ingens lignum. *Tertiò:* Illa contractio partium caloris, propriè loquendo, in tali ferro non potest accretio dici. Accretio enim propriè est per extensionem. Ibi autem termini qualitatum non dilatantur vel extenduntur, sed contrahuntur. *Denique* id admitti potest quod Metaphoricè loquendo, omnis intensio possit dici accretio, propter accessionem plurium graduum.

Refutatur Scaliger.

193. Alterum principium, ex quo proposita quæstio negari potest, est: si dicatur, in intensione, quæ dicitur, non remanere eandem essentiam, sed semper abjici priorem qualitatem, & introduci fortiorem. Ex quo sequitur, non esse intensionem, sed novam productionem. Per intensionem enim intelligitur partibilis acquisitio ejusdem formæ. Atque sic tenet Godfred. *quodl.* 11. q. 3. Durand. 1. *d.* 17. q. 7. n. 25. aliique.

194. Sed tamen nec hæc sententia procedit, quia actio corruptiva est à contrario, & non à simili. Nempe calor non potest corrumpi à calore, & frigus à frigore. Ejus autem contrarium sequitur ex hac sententia. Ira enim ignis intendens calorem in aqua, atque sic producens calorem majorem, & essentialiter corrumpens

In intensione non produci semper

pere calorem minorem, necessariò corrumperet istum calorem, secundùm calorem suum. Ergo simile corrumperet simile, quod est absurdum. *novas species.*

Deinde: sic alteratio non esset continua. Nam inprimis, non potest singulis instantibus sive momentis produci alia qualitas, quia duo instantia immediatè copulari non possunt. Oportet igitur ut agens producens calorem, juxta hanc sententiam, producat in instanti primum gradum caloris. Deinde aliquandiu cesset ab agendo. Et de hinc producat essentiam, quæ sit ut calor ad gradus duos & sic deinceps. At toties interrumpendo actionem, utique periret continuatio. At de ratione motus est, ut sit continuus, per Aristot. 3. 7 *hyf.* 196.

Denique: si extensio est per productionem, v.g. majoris caloris, essentialiter conversi à priori: Ergo remissio est per productionem, v.g. minoris caloris. At hoc absurdè dicitur. Nam aqua, v.g remota ab igne, remittit calorem. Si ergo ibi producitur aliquis calor, minor prior is, tùm quæro: quodnam sit principium productum illius? Ignis esse non potest illud principium, quia ut suppono, ab eo jam est illa remota. Nec aqua illius potest principium esse. Aqua enim forma non est ad productionem caloris disposita, cùm ejus qualitatibus contrarietur calor. Non producitur autem quicquam à suo contrario, sed à simili. Atque hæc communior est sententia & propter allatas rationes rectè probatur. 197.

Objectio, pro utraque hactenus refutata opinione, solet inde sumi: quòd secus intenderetur essentia, ut Scalig infert supra *d. l.* At hoc est absurdum, quia essentia consistit in indivisibili. 198.

Sed hæc *objectio* attingit modum, quo fiat intensio. Proinde ea, ex dicendis sequenti puncto intelligi poterit. Interim tamen observa: Essentiam ita esse indivisibilem, ut tamen ei non repugnet extensio, ut omnes fatentur. At intensio non magis infert divisibilitatem, quàm extensio. Unde si propter repugnantiam ad divisionem essentia intendi non potest, tùm ne quidem extendi potest. Quo posito, dico, essentiam indivisibilem esse sed solùm considerando partes essentiales, non autem quasi integrales ejus. Essentia igitur est indivisibilis, non excludendo multitudinem partium integrantium, sed quòd, si plures ad unius essentiæ integritatem requirantur, indivisibiliter requirantur: Et unum non possit explere essentiam dimidio alio. Atque hoc modo etiam qualitates illæ esse suum in indivisibili habent. Vide Niphum. 8. *Metaphys. disp.* 11. *c.* 4. & Suarez *disp.* 45. *Metaph. sect.* 1. *num.* 12. 199. *Essentia quomodo sit indivisibilis?*

PUNCTUM III.

Quid sit intensio & remissio, & quomodo ea fiat?

HAc in re I. dico: *Quòd intensio & remissio non sint condensatio sive condensatio & diffusio qualitatis. Quòd etiam non sint idem, quod productio essentiæ fortioris vel majoris: aut productio minoris vel imbecillioris essentiæ.* Hæc enim tollebant rationem intensionis & remissionis, ut prior puncto visum est. 200.

Neque secundò: *Intensio est id. quod productio existentiæ perfectioris.* Ponunt aliqui in una re unam essentiam, sed existentiam perfectiorem, vel minus perfectam. Aiunt igitur isti: intendi calorem, verbi gratia, cùm acquirit nobiliorem & perfectiorem existentiam. Unde consequenter ajunt: qualitates non intendi ratione essentiæ sed existentiæ Tribuitur hæc sententia Capreol 1. *dist.* 17. *q.* 1. *art* 2. & Ægid. *quodl* 2. *quæst.* 14 Hanc igitur sententiam reicio præsenti propositione, & sequitur facile ex iis, quæ supra dicta sunt, de reali identitate essentiæ & existentiæ. Unde consequens est: non posse esse productionem novæ existentiæ, citra productionem essentiæ. Et confirmatur: quòd productio non terminatur, nisi ad essentiam existentem, hoc est, prout ipsa essentia ponitur in esse actuali. Si ergo intensio consistat in eo, quòd semper in ea acquiratur qualitatis nova existentia, tùm simpliciter illa intensio est productio, hoc est, aggregatio alterius essentiæ, quod priori puncto refutatum est. 201.

202. Neque III. *Intensionis essentia consistit in remotione contrariarum dispositionum, ut loquuntur.* Sic enim intensio illa non esset quid positivum, sed privativum. Absurdum autem hoc est, quia experientia docet intensionem caloris, verbi gratia, esse ad positivum esse caloris. Et confirmatur: quòd fieri potest intensio, cum nihil est contrarium termino intensibili. Veluti est in intensione scientiæ, quæ non habet aliquid contrarium, sed opponitur ignorantiæ, quæ privatio est. Privationes autem cùm non Entia sint, non dicuntur per se abjici. Unde hoc in casu intensio scientiæ non tam est per abjectionem ignorantiæ, quàm abjectio ignorantiæ, est per introductionem scientiæ, sicut neque Sol illuminat, abjiciendo tenebras, sed positivè influendo, & lumen producendo. Idémque est in privationibus aliis.

203. Atque hinc etiam sequitur; quod illa abjectio contrarii, ne quidem conditio sit necessaria, ad intensionem requisita. Nam, ut visum est, datur aliqua intensio, cujus terminus non habet positivum contrarium, quod absolutè & solum phrasi Aristotelicâ contrarium est.

204. Igitur IV. *intensio formaliter consistit in eo, quod est ejusdem formæ, eductio ulterior è potentia subjecti, & consequenter est per majorem radicationem ejusdem formæ in eodem subjecto, quæ major radicatio fit, per unionem plurium graduum ejusdem formæ in subjecto.* Atque ita in intensione concurrunt & *additio* aliqua (non novæ essentiæ simpliciter, ut priùs visum est, sed) gradus ad illam essentiam præexistentem. Est etiam *eductio* aliqua, quia intensio illa fit dependenter à subjecto. Id autem significat illa vox *eductionis* de potentia subjecti. Denique & *major radicatio*, quia qualitas, quæ plures habet gradus in subjecto, quod est in intensione, plenius & perfectius est in subjecto, quàm antea, unde etiam tùm subjectum perfectius, secundùm ejusmodi qualitatem operari potest, ac priùs poterat. Atque hæc omnia ex pribribus relinquuntur.

PUNCTVM IV.

Cui conveniat intensio & remissio?

205. *Substantiæ non est intensio & remissio.* IGitur ad hanc rem porro dico I. *Quòd substantia non intendatur & remittatur, seu quòd non suscipiat magis & minus.* Ita docet clarè Aristoteles *lib. Categ. c. 5.* Fuitque ea de re suprà hoc *lib. cap. 1.* Et nunc patet breviter, quia intensio significat mutationem in subjecto. Substantiæ autem non sunt in subjecto, ut Aristoteles docet *d. l.* Atque hoc imprimis procedit de composito & materia; Idem tamen etiam obtinet in formis, quia si forma susciperet magis & minus, tùm id redundaret etiam ad compositum. Ita nempe, quod magis haberet formam ignis vel aquæ, etiam magis esset ignis vel aqua.

206. *Intensio cum variatione speciei est æquivocè intensio.* Averroës, Zabarella, aliique docent: quòd formæ elementorum suscipiant magis ac minus, sive intendantur sive remittantur; atque remissionem illarum esse in maior. Vide Zabarellæ *de mistione, cap. 6 seqq.* Aiunt enim intensionem & remissionem esse duplicem, aliam cum variatione speciei, aliam sine variatione speciei. Et illam esse in elementorum formis. Sed illa remissio, quæ est cum variatione speciei, est æquivocè solùm remissio, & non juxta præsentem acceptionem. Intensio enim nunc est ejusdem formæ radicatior status in subjecto. Atque ita quia formæ istæ intendi dicuntur cum variatione speciei prioris; Ideò nihil hactenus inde est contrarium huic doctrinæ.

207. *Intensio non convenit quantitati.* II. *Quantitas non suscipit magis & minus, sive non intenditur & remittitur.* Hoc etiam docet Aristoteles, *lib. Categ. c. 6.* Et fuit hac de re *in præced. cap.* Et patet hic etiam breviter: quia effectus quantitatis est partium impenetrabilitas. Unde non possunt plures partes quantitatis, intra eandem subjecti partem continngi. At intensio aliter non fit, quàm plures formæ intensibilis partes, uniendo & continuando ad eandem subjecti partem. Plenius fiunt *d. l.* hac de re.

III. Ea

III. *In solo genere qualitatis datur per se intensio & remissio.* Hoc etiam docuit Aristot. *lib. Categ. c. 8.* Dixi autem in genere qualitatis: quia in particulari dantur aliquæ qualitates, quæ non intenduntur & remittuntur, veluti est figura & potentia naturalis. Illa quidem quia est modus quantitatis, unde sequitur naturam ejus: Hæc verò, quia naturales potentiæ solent esse adjuncta propria. Proprietates autem non suscipiunt magis & minus, ut Porphyr. docet *in Isagog.* Et plenè, patuit supra *l. 1. cap. 28* Inprimis igitur in habitibus & qualitatibus passibilibus datur intensio & remissio, quanquam & hoc sit particulatim. Neque enim ea est in omnibus. Dixi etiam *per se:* Quia mediante qualitate etiam in aliis prædicamentis reperitur intensio & remissio, ut statim dicam. 208

IIII. *In relatione, actione & passione datur intensio & remissio secundariò & mediante qualitate.* Id etiam docet Aristoteles *lib. Categ. c. 9* Ita alius alio similior est alicui tertio. Hîc intensio non est in similitudine præcisè, sed quatenus est in alio major minórve doctrina, vel calor, vel alia qualitas; in qua fundatur similitudo. Atque ita relationum intensio, est secundum fundamentum earum. Idem est in actionibus & passionibus. Ita frigefactio & calefactio dicuntur intensiores vel remissiores, ratione terminorum, quos producunt, caloris scilicet vel frigoris, & sic in aliis. 209

PUNCTUM V.

Qualis sit qualitas intensibilis, simplex an composita.

VAriant in hac quæstione sententiæ Philosophorum. Aiunt aliqui; Qualitatem esse prorsus simplicem & indivisibilem in quocunque statu sit. Ita tenet Soncinas 8. *Met. q. 21*, Javell. *ibid. q. 6* Cajet. *ad 1. 2. q. 52. a. 1. et 2. et q. 54. a. 2. et locis alus.* Capreol. *1. dist. 2. q. 2* Henric. *quodl. 5. q. 5. & quodl. 9 q. 13.* aliique. 210 *Variæ sententiæ.*

Alii autem docent; qualitatem intensibilem esse compositam ex pluribus partibus, ex quibus quasi integretur qualitas, quæ istam intensionem suscipit, vocantq; istas partes ejus *gradus.* Ita multi Sententiarii docent *ad 1. d. 17.* & Anton. Andr. 8 *Met. q. 6.* Niph. 8. *Met disp. 5. seqq.* Suarez *disp. 46. s. 1. n. 34 seqq.* Fonsec. 5. *Met. c. 14.* Tolet. *l. 1 de gen. & Inter. c. 3 q. 4.*

Estq; hæc sententia vera & tenenda. Neque enim apparet, quomodo simplex & indivisibilis Entitas possit majorem vel minorem effectum formalem largiri. Semper enim formalis effectus proportionatur ad formam ipsam. At omnes formæ intensibiles largiuntur majorem & minorem effectum formalem, juxta diversos status, nempe calor facit & magis calidum, & minus calidum. *Deinde:* alteratio intensiva est unus motus. Ergo habet unum terminum, quem continuè acquirit. Hinc ergo sequitur 1. si incipiat per intensionem istam primò produci qualitas, quòd deinceps non possit per eandem actionem produci aliquid specie diversum. Unitas enim motus postulat unitatem termini. Ergo una alteratio intensiva semper habet unum terminum. Non potest igitur hic formalis effectus (magis calidum) tribui à novo calore demum producto, qui antea in initio intensionis non fuerit. Requiritur igitur ut successivè producantur alii atque alii gradus ejusdem formæ, qui integrent eandem formam, prout plures vel pauciores ejusmodi gradus habet, etiam majorem vel minorem effectum formalem conferat. 211 *Qualitatem intensibilem esse compositam.*

Id *objicere* solent; quòd qualitas intelligi non possit esse composita ex pluribus quasi partialibus Entitatibus. Sed facile solvitur; considerando extensionem qualitatum. Nam & hic sunt plures partes caloris, eundem extensivè integrantes. Ita calor aeris integratur ex calore, qui propè me, & propè te, & in medio interstitio est. Ex quo apparet, qualitatibus simpliciter non repugnare integrales partes. Ac hactenus intensionis & extensionis eadem est ratio. Nam quas partes extensio ponit in plures partes ejusdem subjecti; eas partes intensio ponit intra eandem partem subjecti. Hactenus igitur in ratione partium, & proinde compositione ex illis nulla

est differentia. Atque ita: si qualitati non repugnent partes in extensione, hoc est, in pluribus partibus subjecti, etiam non repugnabunt in intensione, hoc est, in eadem parte subjecti.

ARTICULUS III.
De qualitatum similitudine & dissimilitudine.

TErtium attributum qualitatum ex Aristotele erat; quod *secundùm qualitates res dicantur similes vel dissimiles.* Id quod intelligendum est prorsus juxta ea, quæ de quantitate, quoad æqualitatem & inæqualitatem *in priori cap.* dicta sunt. Unde nihil necesse est hic aliquid addi. Atque ita hactenus absoluta sunt ea, quæ de qualitatibus dicenda erant.

CAPUT. IX.
DE RELATIONE.

1. TErtium genus accidentis est Relatio.

2. Relatio est accidens secundùm quod, aliquid, quicquid est, alterius est.

3. Ad eam pertinet subjectum, fundamentum, terminus, & fundandi ratio.

4. *Subjectum* est, quod suscipit relationem: veluti Anchises est subjectum paternitatis.

5. *Fundamentum* est, cui innititur relatio, sic albedo est fundamentum similitudinis, quæ est inter nivem & cygnum.

6. *Terminus* est id ad quod respicit relatio, & ex cujus positione resultat. Ita relatio patris terminatur ad essentiam geniti. Et relatio similis ad aliam, verbi gratia, albedinem.

7. *Fundandi ratio* est causa, cur relatio suo fundamento innitatur, qualis est actio generativa, ad fundandam paternitatem.

8. Porrò: relatio alia est in esse substantiali, ut patris & filii.

9. Alia est in quantitate: ut *æquale* & *inæquale*.

10. Alia est in qualitate, veluti, *similitudo* (rigidè dicta) & *dissimilitudo*.

11. Alia est in actione & passione, &c. quando res conveniunt, verbi gratia, in aliquo istorum.

COMMENTARIUS.

1. *Duplex causa in difficultate intelligendi.*

QUm intellectus noster sit perfectionis cujusdam mediæ, hinc fit, ut aliqua non facilè intelligantur à nobis, vel propter excessum perfectionis, vel propter perfectionis defectum. Ex utroque enim casu objecta fiunt improportionata intellectui. Sicut igitur intellectus noster cæcutit ad agnitionem Dei, tanquam Entis perfectissimi: ita etiam hæret in cognitione relationum, tanquam Entium debilissimorum.

Proponuntur tractanda.

Sunt tamen de iis nobis sequentia capita pertractanda. I. Dicendum est nobis de voce *relationis*, ubi etiam divisiones nominis explicandæ sunt. II. Inquirendum est: an omnia illa relationum genera sub relatione prædicamentali intelligantur? III. Explicanda est generalis essentia prædicamentalis relationis.

Atque

Atque hinc IIII. extruenda ejus definitio. Tum V. explicanda sunt requisita relationis prædicamentalis. VI. Ejusdem distributiones. Et *denique*, ejusdem attributa varia, qualia sunt, quæ Aristoteles *l. Categ. c. 7.* recensuit. Ubi hac de materia agit, sicut & *lib. 5. Met. c. 15.*

TITULUS I.

De voce Relationis *ejusdemque distinctionibus nominalibus.*

1. Relatio *melius dicitur, quàm relatum.*

IGitur quod ad vocem attinet, Albert. *c. 2. Categ.* existimat, melius *dici relatum*, quàm relationem. Sed non placet sententia. Nam concreta ex accidentibus sunt Entia per accidens, quia notant & formam & subjectum. At Entia per accidens non sunt in prædicamentis. Proinde melior est vox abstractiva *relatio*, quàm *relativum*.

2. *Explicatur vox* respectus, & ad aliquid.

Dicitur relatio alio nomine *respectus*, & *ad aliquid*. Quanquam vox hæc *ad aliquid* potest ambiguè dici, ut significet vel ipsam relationem, vel etiam relatum. Sic igitur pater est ad aliquid, & etiam paternitas est ad aliquid. Ubi ex posteriori genere loquendi, relatio & ad aliquid æquipollent. Unde & vocem relationis potiùs usurpo, ad evitandam istam æquivocationem, quæ est ad vocem ad aliquid. Etsi alias clariùs significatur respectus, per vocem *ad aliquid*, quàm per vocem *relationis* Vocula enim *ad* respectum insinuat. Vocula autem *aliquid* eundem terminat. Ut bene explicat Armand de Bello Visu *lib. 2. termin. c. 171.*

3. *Vox relationis ambigua.*

Porro etiam vox relationis est ambigua. Potest enim efficienter sumi & formaliter. Primo modo relatio est nihil aliud quàm actio quâ unum ab aliquo, (veluti eo, qui unum cum alio comparat) ad aliud refertur. Et sic de ea non est sermo in præsenti. Sumenda igitur est vox relationis formaliter, quatenus scil. ea est intrinseca ratio, unde quid intrinsecè tale est, ut relatum dicatur.

Nunc etiam explicandæ sunt aliquæ distinctiones relationis, quæ ad rationem nominis pertinent.

De distinctione Relationis in realem, & eam quæ est rationis.

5. *Relatio realis quid.*

IGitur nunc 2. distinguitur relatio in *relationem realem* & *rationis*. Quæ distinctio nominalis solùm est, sive vox sit ambigua, qua de re & ipsius imagine, nihil univocè prædicatur, sive secundùm unum conceptum.

Per relationem igitur *realem* ea intelligitur, quæ verè est relatio. Relatio igitur *rationis* erit, quæ cùm non sit relatio, apprehenditur tamen & concipitur à nobis tanquam relatio. Ita Petrus cùm simpliciter sit quid absolutum, apprehenditur tamen ut aliquid relativum, quatenus dicitur *idem sibi ipsi*. Quæ identitas relatio realis non est. Sic & animal est simpliciter quid absolutum, apprehenditur tamen ut aliquid relativum, quatenus, (quæ relatio est generis) apprehenditur ut constituens speciem humanam. Hic relatio generis realis non est, quia non est nisi accedente mentis operâ, quæ purificat rem aliquam à conditionibus specificis, per præcisionem, & sic apprehendit eam tanquam genus, tradúntque hanc distinctionem Dd. communiter. Vide inprimis Armand. de Bello Visu *lib. 2. term. cap. 177. seqq.* ubi ipse quatuor ad relationem realem conditiones requirit. Prima est, ut quod refertur relatione reali, sit aliquid reale. II. ut in eo quod sic refertur, sit aliquid positivum, per quod sic referatur. III. Ut terminus, ad quem est relatio, sit realis. Denique ut terminus, qui refertur, sit realiter distinctus à termino opposito.

Eius conditiones?

De distinctione Relationum secundùm dici & secundùm esse.

6. HÆc distinctio sumitur ex Aristotele, l. *Cat. c.* 7. Ex his igitur *relatio secundùm dici* non est ea, quæ dicitur relatio. Nam & ea quæ realis est, dicitur relatio, sed ea solùm est relatio secundùm dici, quæ (ut evincit oppositio ad esse) non revera, sed nomine quatenus solùm relatio est. Talis est, cùm refertur ala ad alatum & caput ad capitatum. Relatio igitur secundùm esse est illa, quæ & est & dicitur relatio.

Differunt relatio rationis & secundum dici.

Videtur hæc distinctio cum præcedente coincidere, prout & Avicennæ *l.* 1. *Metaph.* & Henrico *quodl.* 3 *q.* 4. visum est: nihilominus hactenus ex distinctione differunt, quòd relatio rationis semper eo modo quo concipitur, est relatio. Identitas enim & genus (quæ exempla erant relationis rationis) sunt ejusmodi. Ineòque relationes rationis assimilantur relationibus realibus. Sed id secus est in relationibus secundùm dici, quæ non habent nisi nomen relationis, nihil autem relationi prædicamentali simile. Dicimus enim potentiam *referrì* ad aliquid possibile. Intellectum *referri* ad verum. Voluntatem *referri* ad bonum. Hic usurpatur vox *referri*, sive relationis. Nihil autem hic concipitur tanquam relatio, quod secus esset in relationibus rationis.

De distinctione relationis in transcendentem & prædicamentalem.

DIstinctio relationis in transcendentalem & prædicamentalem vulgaris est, & latè explicatur à Cajetano in *lib. de Ente & essentia, cap. 7. qu.* 15. & Suarez *Disp.* 47. *Metaph. s.* 3. *n.* 10. & *seq.* 4. *tota.*

Discrimen relationis transcendentis & prædicamentalis.

Intelligitur autem illa relationum divisio, accuratè loquendo, solùm de relatione, quæ est secundùm esse. Et videtur habere hunc sensum, quòd alia sit relatio, quæ inter prædicamenta recensetur: Alia verò quæ intelligitur in transcendentali Entium divisione per absolutum & respectivum. *Sed* hoc discrimen bonum non est. Nam Ens respectivum ibi dicitur cum indifferentia ad respectum transcendentem & prædicamentalem, ut vidimus suprà *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 13. *seqq.* Optimum igitur discrimen est, quod ibidem notavi *n.* 24 quod relatio transcendens convenit rei ex vi essentiæ suæ, & sine ullo addito. Relatio autem prædicamentalis addit aliquid realiter distinctum, ad rem, quæ refertur (non hoc sensu, quasi ipsa relatio sit aliquid realiter distinctum semper sed) quia addit aliquid extraneum, coëxistens, ex qua alterius coëxistentia resultat quasi relatio, quæ secus non adesset. At relatio transcendens, utpote intimè implicata in essentia, semper est in ea, seu terminus sit coëxistens, seu non. Veluti paternitas significat relationem prædicamentalem. Ut igitur patet aliquis sit, requiritur aliquid reale extra patrem, quod hanc relationem terminet, hoc est, filius. Potentia autem implicat respectum ad actum suum, veluti potentia visiva ad visionem: respectum, inquam, transcendentem, qui respectus ipsi simpliciter convenit ex vi essentiæ istius potentialis, & non attento quoquam extraneo, seu scilicet sit visio coëxistens, seu non sit.

Duplex discrimen earum.

8 Colleg. Conimbr. *lib. Categ. c.* 7. Transcendentem & prædicamentalem relationem distinguit bifariam. *Altero* discrimine sumpto ex termino: *altero* ex subjecto. *Prius* est: quod relatum prædicamentale respicit aliud, ut purum terminum, hoc est, non sub ratione alicujus causæ, vel ut aliquem effectum circa illum exerceat, veluti est simile & simile, æquale & aliud æquale, &c. Transcendens verò relatio, non respicit aliud, ut purum terminum, & quasi gratis, sed intuitu alicujus muneris præstandi vel recipiendi, quomodo affectæ sunt potentiæ, ad actus & objecta sua, item materia ad formam, accidens ad substantiam, &c. *Posterius* discrimen, quod à subjecto sumitur, hoc est, quod relatio transcendens non supponit subje-

subjectum cui adveniat, tanquam forma, quódque referat, sed includitur essentialiter in eo quod refertur. Prædicamentalis autem relatio est rerum creatarum accidentaria quædam forma, adjacens subjecto quod relatum denominat, ut ex prioribus exemplis liquet.

Atque hæ potissimum sunt distinctiones relationis, quæ ad constituendum hoc prædicamentum relationis necessariò proponendæ sunt. Nunc igitur, quæritur.

TITULUS II.

An omnes relationes pertineant ad prædicamentum relationis?

UT de hac re constet, videndum est de singulis distinctionibus hactenus recensitis, quod ut fiat, sequentes statuo propositiones. 9.

I. *Ad prædicamentum relationis non debent referri relationes rationis.* Ita statuo contra Capreol. 1. d. 33. quæst. 1. Cajetan 1. p. quæst. 13. art. 7. Soncin. 5. Metaphys. quæst. 26. Ferrar. 4 cont. gent. cap. 14. Et alios, qui & relationem realem & rationis huc referunt. *Remittuntur relationes rationis.*

Veritas tamen assertionis inde certa est, quod subjectum Metaphysicæ, ut suprà l. 1. c. 1. visum est, non debet comprehendere Entia & realia & rationis, quia secus periret unitas hujus disciplinæ. Et nulla ratio est, cur ad relationem pertinere debeat relatio rationis, & non etiam ad substantiam debeat pertinere substantia per rationem facta. Unde vice versa, sicut absurdum est hoc, ita & illud. Docentque ita alii fere communiter.

II. *Relata secundùm dici non pertinent ad prædicamentum relationis.* Ita affero contra Boëthium Simpl. & Albert. quos ita sentire refert Soto l. Categ. c. 7. quæst. 1. Eosdemque recèns secutus est Toletus ad lib. Categ. c. 7. Et patet, quia divisio in substantiam & accidens non est eorum, quæ *dicuntur*, sed eorum quæ *sunt*, ut patet ex l. Categ. cap. 2. Et confirmatur ex vi vocis. Ea enim quæ dicuntur relata secundùm *dici*, dicuntur solùm relata, & non sunt relata. Si ergo non *sunt* relata. Ergo nec competit eis essentia, & proinde nec definitio relationis. Voces enim hæ *sunt* & *essentia* conjugata sunt. Sicut igitur absurdum est, id quod nominetenus solum aurum est, continere in doctrina auri: & doctrinam boni extendere ad id quod ὄνομα & σανιδώδες bonum est: Item doctrinam totius, ad id omne quod aliquo modo loquendi totum est: Ita similiter absurdum est; Relationis doctrinam extendere, tam ad ea quæ verè relata sunt, quàm ad ea quæ talia non sunt. Atque sic Aristot. etiam satis clarè rejicit ejusmodi relata à relatis prædicamentalibus. Propterea enim ait (non, quæ dicuntur, sed) quæ *sunt* aliorum, eo esse relata. 10. *Et secundum dici.*

III. *Nec omnis relatio secundum esse pertinet ad prædicamentum relationis.* Ita patet, quia relationis divisio in transcendentalem & prædicamentalem, est subdivisio relationis secundùm esse, ut priùs visum est. Relationes autem transcendentes ad prædicamentum non pertinent, ut statim dicam. 11.

IV. *Relationes transcendentes non pertinent ad prædicamentum relationis.* Ita sequitur tùm ex oppositione (transcendentales enim prædicamentalibus opponuntur,) tùm ex natura & conditione transcendentium. Transcendentia enim dicuntur à transcendendo, quia scilicet scalas prædicamentales transcendant, & communitate suâ superent, ut visum est supra lib. 1. c. 3. Sicut igitur absurdum est bonitatem transcendentem vocare qualitatem, aut multitudinem transcendentem dicere quantitatem. Ita similiter absurdum est, respectum transcendentem vocare prædicamentalem. 12. *Et transcendentes.*

His igitur dimissis, quæ supersunt erunt relationes prædicamentales. Nempe, quæ relationes sunt, nec tamen sunt relationis rationes, aut secundùm dici, aut transcendentales, ut mox clarius dicetur. 13. *Quænam sint relationes prædicamentales.*

TITULUS

TITULUS III.

Quænam sit generalis essentia relationis prædicamentalis?

AD hanc rem de duobus videndum est breviter. I. An relatio Ens sit? *Deinde* an accidens sit. Loquor enim de generica quali essentia relationis prædicamentalis.

ARTICULUS I.

An relatio prædicamentalis sit?

14. AUtores *lib. Cat. cap. 7. & lib. 8. Metaph. c. 5.* frequenter meminerunt, qui primus negarit prædicamentum relationis, fuisse Zenonem Eleaten. Imò omnes ante Platonem eam negasse, refert Albert. Magnus *in prædic. c. 8.*

15. *Dari relationes reales.* Principio igitur probo, esse aliquas reales relationes prædicamentales. Primum argumentum est. Dantur aliquæ reales denominationes accidentales, (hoc est, non sumptæ ex essentiis rerum) & respectivæ, veluti esse patrem, vel finium vel simile vel æquale alijs. Ergo oportet, ut sit aliqua forma, unde sumantur tales denominationes. Neque enim sunt prorsus extrinsecæ. At non est alia forma, à qua sint istiusmodi denominationes, quàm relatio. Relatio igitur est verum genus Entis realis. Quod autem eadem illa relatio constituat distinctum prædicamentum, inde patet: quia differentia prædicamentorum sumitur ex diversa habitudine Entium ad substantiam primam. Sine dubio autem alia est habitudo similitudinis, v. g. & alia caloris ad substantiam. In alio igitur prædicamento est similitudo: Et in alio calor.

16. Addunt aliqui argumentum ex relationibus divinis: ex quibus cùm distinguantur divinæ personæ, ajunt, inde apparere, quòd relatio, ut hic, non dicat solùm aliquid rationis. Priori tamen argumento potiùs immoror.

Objectiones.

17. OBjicitur I. Denominationes relativæ adveniunt rebus, absque ulla eorum mutatione & innovatione 5. *Phys. t. 10.* Et patet, si cui filius nascatur in Hassia: Et pater sit in Hungaria: tunc hic incipit esse pater, & tamen non advenit ei nova Entitas. Et proinde relatio nova non est nova Entitas.

Respondeo objectionem non esse ad propositum. Nam non quæritur nunc an relatio sit peculiare, hoc est, ab omni prorsus Ente distinctum Ens: sed simpliciter: an sit Ens? Quòd ipsum facilè obtinebitur. Si habeat realem identitatem ad suum fundamentum. Sine dubio enim albedo, quæ est similitudinis fundamentum verè aliquid est. Suppositâ autem illâ reali identitate eius ad fundamentum, de quâ infrà videbo, non debet nova mutatio advenire, sed sufficit ad eam ponendam, coëxistentia alterius.

18. II. *Objicitur*: Omnes denominationes relativas sufficienter sumi posse ab absolutis. Ergo non opus esse prædicamento relationis. Consequentia est evidens, quia ob diversitatem denominationum introducitur prædicamentum relationis. Antecedens autem probatur. Si enim ponantur duo calida, tùm non addendo aliud quid ista erunt similia. *Respondeo* esse æquivocationem in terminis. *Non addendo aliud.* Utique enim non addendo aliud, tanquam fundamentum, ista sunt similia. Sistendo tamen in caliditate simpliciter, nihil istorum denominabitur formaliter simile, sed calidum solum. Hinc enim solum est formalis effectus caliditatis.

Alia quæ objici solent, his similia sunt.

ARTICULUS II.

An relatio sit accidens?

19. *Rationes dubitandi.* RAtio dubitandi est duplex: Prima est, quòd relationes videntur esse nihil aliud, quàm transcendentales quædam habitudines, ut sensisse Zenonem, refert-

fert Soto *in initio ad cap. 7. Categ.* Ex Alexandro & Alberto *ad hunc locum.*

Altera dubitandi ratio est: quod omne accidens est in alio. At relationes non sunt in alio, sed ad aliud. Non igitur sunt accidentia.

Neutra tamen dubitatio evincit id, quod intendit. Nam transcendentia non denominant Entia contingenter, quod faciunt relationes. Et in superioribus dictum est. 20. *Solvuntur.*

Altera vero ratio solvitur ex iis, quæ supra dicta sunt, ad definitionem & essentiam accidentium in genere. Ibi enim patuit, quod accidentis prædicamentalis essentia in eo posita sit, ut substantiam afficiat extra essentialiter, quomodocunque id fiat: sive per modum essendi *in*: sive per modum essendi *An*, sive per modum essendi *Ad*, & quierant alii. Unde si relationes afficiant substantiam, nec tamen sint de essentia illius: Hactenus facis habent ad esse accidentis prædicamentalis. Deinde etiam relationibus convenit esse *in*, permissivè loquendo. Nam relationes in conceptu suo adæquato implicant fundamenta. Pleraque autem relationum fundamenta sunt inhærentia. 21.

TITULUS IV.

In quo proponitur & explicatur definitio relationis prædicamentalis.

VEteres ita definiebant relationem, *quod sit id, secundum quod unum ad aliud dicitur.* Hanc definitionem repudiat Aristot. *lib. Categ. c. 7. t. 7. 8.* inde, quia conveniat aliquibus, quæ nullam habent prædicamentalem relationem. Manus enim & caput, dicuntur alicujus manus & caput, & tamen istiusmodi relationem non habent. 22. *Aliorum definitiones.*

Alii definitionem relationis sumunt ex initio illius capitis. Sed revera Aristoteles ibi non definivit relationem prædicamentalem. Sed solum distinxit Relationes, ut non solum verba ipsa, sed etiam subjecta exempla (multa enim non sunt veræ relationes) ostendunt. Sic inquit ibi Aristoteles. *Ea ad aliquid dicuntur, quæcunque id quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur.* Proinde hactenus circumlocutus est Aristoteles omne illud, quod quoquo modo nomen relationis suscipit. Sumetúrque adeo optimè definitio relationis ad mentem Aristotelis, ex comparatione veteris definitionis, & *suæ ad t. 7. 8 d. c.* Discrimen ibi constituitur in *dici & esse.* Sic enim ait *t. 8 Prior* (Veterum) *definitio, sequatur quidem ea, quæ sunt ad aliquid, omnia; non tamen idem est, quod ipsorum ad aliquid esse, sit quod sunt aliorum dici.* 23.

Sic igitur *Relatio est accidens secundum quod aliquid quicquid est, alterius est.* Hic relatio dicitur *accidens*, quod quo jure fiat, jam ex *præced. art.* 20 patuit. Et vi illius particulæ a præsenti definitione excluduntur relationes *transcendentes*: Item *prius*, relationes *personales* in divinis, quæ accidentia non sunt. 24. *Definitio proposita.*

Deinde: particula illa *secundum quod*, est intelligenda sic, ut particula *secundum* notet principium formale, hoc sensu, quod illud, per quod aliquid dicitur formaliter relatum, vel ad aliquid, si ipsa relatio. Ita paternitas est formalis ratio, unde pater, alicujus pater dicatur. Paternitas igitur hactenus est relatio. Simili modo sumitur vox illa *secundum* in actionis definitione. Actio est *secundum quam* agere dicimur, hoc est, formalis ratio, ut aliquid agens denominetur, est ipsa actio. 25.

Tertio; particula illa *alterius*, notat terminum, sive correlatum. Sic filius cum sit terminus, ad quem refertur pater: Et vicissim cum pater sit terminus ad quem referatur filius: Hactenus ergo quicquid pater est, in quantum est pater, totum est in ordine ad filium. Et filius quicquid est, in quantum est filius, id totum est 26.

in ordine ad patrem. Et sic in aliis. Et per hoc relatio à cæteris omnibus accidentibus distinguitur.

Denique dicitur: Alterius *esse*. Quæ particula exponit differentiam veræ relationis à relatione, quæ solum nomine tenus est relatio, seu à relatione secundùm dici, prout & Aristoteles *d. l. Categ. c. 7. t. 8.* expressit.

TITVLVS V.

De requisitis Relationis prædicamentalis.

27. DE requisitis relationis, *primum* est agendum generaliter, *tum* seorsim est aliquid agendum de relationum fundamento, termino & subjecto.

ARTICVLVS I.

De requisitis Relationis generatim.

28. IN enumerandis requisitis ad relationem, quoad numerum, variant Autores. Aliqui *quinque* requirunt: nempe subjectum, fundamentum, terminum, relatum, & correlatum. Alii requirunt *tria*, nempe subjectum, fundamentum & terminum, alii his tribus addunt rationem fundandi, ex quibus hæc ultima enumeratio optima est. Nam optimè sub termino intelligitur correlatum. Quod enim alii per terminum intelligunt, per accidens est ad rationem relationis, & non magis appropriatur Relationi, quàm aliis. Relatum autem non est requisitum vel conditio relationis, sed est ipsum quasi formatum relationis, indeque relatione ipsâ quasi posterius. Sed tamen hac de re non magnoperè contendo, quomodocunque vocibus utamur, modò res ipsa declaretur.

29. *Quid intelligatur per subjectum.* Igitur I. per *subjectum* hic intelligi solet id, quod suscipit relationem, quod frequenter est aliquid absolutum. Ita homo est subjectum relationum harum, nempe paternitatis & filialitatis. Nix & cygnus, sunt subjecta similitudinum.

Id hic observandum est: quòd subjectum & fundamentum relationis aliquando in eandem rem coincidant. Veluti, cùm dicimus, nivem & cygnum esse res similes, tum fundamentum similitudinis (relationis,) hoc est, albedo, diversum quid est, a subjectis ejus, hoc est, cygno & nive. At cùm albedines similes dicimus, tùm albedo & subjectum & fundamentum est similitudinis.

30. *De fundamento.* II. *Fundamentum* requiritur: estque nihil aliud, quàm id cui innititur relatio, quódque est quasi ratio, cur aliud ad aliud referatur, unde & à Scal. vocatur ratio referendi *lib. 4 de caus. ling. lat. c. 95. p. 227.* Sic Arist. *lib. Categ. c. 6.* ait: maximè proprium esse quantitati secundum eam dici æquale & inæquale, *& cap. 8.* Maximè proprium esse qualitati, secundùm eam simile & dissimile dici. Fundamentum igitur æqualitatis & inæqualitatis est quantitas: at similitudinis, est qualitas, si maximè propriè loquamur.

31. *De ratione fundandi.* III. Requiritur ad relationem *ratio fundandi*, specialiter sumendo vocem. Solet enim quandoque æquipollenter sumi ad fundamentum. Estque tùm, ut ipsa vox insinuat, nihil aliud, quàm conditio ex parte fundamenti requisita, ipsum quasi porrò qualificans, ut proximè ab eo resultet quasi relatio. Sic fundamentum cui innititur relatio paternitatis est ipsum esse & natura parentis. Hæc tamen, nisi aliquid accedat, non fundabit relationem. Oportet igitur ut accedat actio generandi, quæ necessaria conditio est, ut fundamentum quasi ultimò compleatur in ratione fundamenti. Hæc igitur generatio, sive conditio illa vocatur nunc ratio fundandi: Et idem est in aliquibus aliis relationibus.

Dixit *in aliquibus*: Nam non requiritur ad omnem relationem, semper illa ulterior fundandi ratio, sed frequenter fundamentum statim & immediatè ac sine additamento aptum est, ut relationem aliquam fundet; ut & Suarez observavit. *Disp.*

47. sect. 7. n. 13. Et hinc fortasse factum est: cur aliqui in enumerandis requisitis relationis, rationem fundandi prætermittant.

Denique ad relationem hanc requiritur terminus, quem exprimit definitio relationis, sub voce *ad aliquid*. Illa enim particula ad, aliorsum refert, ut in initio notabatur. Terminus igitur est id, ad quod terminatur relatio, hoc est, correlatum, hoc enim terminat relationem unius, abstrahendo nunc, an sit formalis terminus an solùm terminet materialiter & concomitanter; quod infrà considero. Est enim in hoc aliqua differentia termini & correlati, ut Suarez attigit *disp.* 47. *sect.* 8. *num.* 11. Estque adeò terminus conditio maximè necessaria ad relationem, quia tota essentia relationis consistit in esse ad. Sic Augustin. *serm.* 181. *de tempore*, Patrem cùm audis, agnosce, quòd filium habeat, quomodo possessor dicitur qui aliquid possidet, & Dominus, qui alicui dominatur. Et Aristot. *lib. Categ. cap.* 7. *s.* 1. Duplum, inquit, id, quod est cujuspiam dicitur. Duplum alterius scilicet. Et quod est majus, similiter & cætera quæ istiusmodi sunt. 32.

ARTICULUS II.
De subjecto Relationis prædicamentalis.

Quod sit subjectum relationum, jam in priori articulo constitit, id autem nunc quæritur: 33

An unum sit subjectum inter utrumque terminum hoc est relatum & correlatum?

Velut: Estne unum subjectum similitudinis, quæ est inter cygnum & nivem ratione albedinis? Hic affirmativam tenuit Henricus *quodl.* 9. *qu.* 3. qui, sicut una via est, Thebis Athenas & Athenis Thebas, ita existimat unam esse relationem, quæ ultrò citróque est inter duo relata. 34.

Sed hæc sententia subsistere non potest, & inprimis clarè apparet id in relatis diversi nominis, ex quibus eadem ratio ampliari potest ad relata unius nominis. Nam patrem oportet habere aliquid formale sibi intrinsecum, unde pater sit, & hoc ipsum est paternitas. Et hoc quia patri intrinsecum est, non potest esse in eo, quod essentiâ & loco longissimè potest à patre distans esse. Et confirmatur: Relatio paternitatis, v.g. est vel unum quid simpliciter vel per aggregationem. Si hoc, quæro ex, ex quibus illa vel alia relatio aggregatur, quidnam sint. Certè nihil melius dici poterit, quàm quòd sint plures relationes. Ergo illæ relationes seorsim, & antè ejusmodi aggregationem erunt relationes, & proinde ad esse relationis simpliciter non expostetur istiusmodi aggregatio. Si autem primum dicatur. Ergo simpliciter est aliquid indivisum. At non potest quid indivisum esse, quod ad subjecta longissimè quandóque distantia extensum, & sic per ea divisum est. Confer Suarez *disp.* 47. *s.* 6. *n.* 3. *seqq.*

ARTICULUS III.
De fundamento relationis prædicamentalis.

In hac materia de duobus videndum est. *Primò*: quænam in particulari possint esse fundamenta relationum? *Secundò*: quomodo fundamentum se habeat ad relationem, sitne aliquid realiter idem cum ipsa, an diversum? 35.

PUNCTUM I.
Quænam in particulari possint esse fundamenta Relationum?

In enumerandis fundamentis relationum variant Autores. Aliqui relationes ponunt in tribus, nempe in quantitate, qualitate & motu, hoc est, actione, 36. *Variæ sententiæ*

& passione. Ita sentit Thom. ut ex dicendis constabit, & Toletus *lib. Categ. cap. 7. quæst. 1.* Timpl. *lib. 5. Metaph. cap. 5. in Theoremat. & quæst. 5.* Alii præterea addunt relationem fundari in substantia etiam, ut docet Suarez *disp. 47. sect. 7. n. 4.* Ubi *num. 3.* inducitur Thomas, ab hac sententia dissentiens, qui ait, relationem tam debile esse habere, ut semper præcisigat, non solùm esse substantiæ, sed etiam accidentium, *lib 4. contra Gent. cap. 4.* Et idem Thomas *ad lib. 5. Metaph. lect. 17.* ait, nec in ultimis quatuor prædicamentis posse esse relationes prædicamentales, quia potiùs consequantur relationem, quàm ut possint eam causare.

37 Armand. de Bello Visu *lib. 2. term. cap. 178.* quinque ponit fundamenta relationum. Alias igitur ait fundari in substantia; alias in quantitate; alias in qualitate; alias in pertinentibus ad actionem & passionem: alias denique in mensura & mensurato, ubi deinceps mensuram hanc interpretatur de mensura perfectionis.

Aristoteles *l. 3. Metaph. cap. 15.* Triplex fundamentum ponit relationis prædicamentalis, aitque aliam esse in unitate & multitudine; aliam in actione & passione: Et aliam in mensura & mensurato, de qua divisione seorsim erit *seq. titulo.*

Deinceps variant etiam Autores in prædicamento relationis: *An scilicet una*
38 *relatio possit in alia fundari?* Negat id Thomas *1. p. quæst 42. a. 4.* & locis aliis Ferr. *lib. 4. contra Gentes, cap. 11.* Soncin *5. Metaph. quæst. 29. ad 1.* Alii autem id affirmant, ut Scotus *2. d. 1. q 4. & 5.* ubi & Leuchettus & Mairon. Item Anton. Andr. *5. Metaph. q. 13.* quibus consequenter assentiuntur, qui existimant, relationem posse fundari in omnibus prædicamentis, ut Fonseca docet *l. 5. Metaph. cap. 15. q 1. s. 3.* Et Suarez *Disp. 47. s. 11 nu. 4.* Ubi etsi speciatim loquatur de relatione unitatis: tamen ad rem nostram nunc satis est, quum aliquam relationem ponat in omnibus generibus prædicamentalibus. Apparétque adeò ex hactenus dictis, plurimum variare Doctores in hac controversia. Ut igitur quid sentiendum sit rectè teneatur, particulares aliquas conclusiones subjiciam.

Relatio in quantitate, qualitate, actione & passione.

39 I. Assertio. *Relationum fundamenta possunt esse, quantitas, qualitas, actio & passio.* Hæc assertio inprimis certa est, & neminem, si rectè memini, adversantem habet. Ita relatio æqualitatis & inæqualitatis, adeóque minoris, majoris, tripli, &c. fundatur in quantitate. Similitudo & dissimilitudo in qualitate. Efficiens & effectum in facere & fieri, in agere & pati.

An relationes fundari possint in substantia?

40 I. Potest etiam aliqua relatio fundari in substantia. Loquor de substantia, non eo sensu, quasi sit qualicunque ratione fundamentum quasi remotum. (Nam ipsa in communi est basis & fundamentum ejusmodi omnium accidentium) sed loquor de fundamento proximo, quod scilicet proximè relatio aliqua possit in substantia fundari, & non mediante aliquo accidente. Atque ita hoc dico: substantiam esse aliquibus relationibus, quod quantitas v. g. est æqualitatis, vel qualitas similitudinis.

Ita patet in variis exemplis: Talis igitur relatio est, illa convenientia, quam duo aliqua animalia habent in anima. Cur enim convenientia illa duorum animalium, quæ est in albedine vel calore, possit esse relatio, & non etiam possit illa convenientia esse relatio, quæ est in anima.

Exempla relationis in substantia.

Deinde: huc pertinet etiam relatio creaturæ ad Deum, quæ ex communi doctrina Doctorum est realis, quicquid sit de relatione Dei ad creaturas, sine realis necne. Hæc igitur relatio creaturæ, v. g. hominis creati, ad Deum, non potest fundari, nisi in substantia ipsius creaturæ, quia dimisso quolibet eo, quod est extraneum ad essentiam hominis, adhuc homo, præcisè sistendo in essentialibus,

41 *Creatura ad Deum relatio est in substantia ejus.*

est

est aliquid creatum, & sic involvit relationem ad creata. E. relatio creaturæ ad Deum non potest fundari in medio aliquo accidente. Et confirmatur, quòd hoc ipsum rei creatæ accidens, est etiam creatum quid, unde & ipsum ex vi essentiæ suæ, fundat hanc ipsam relationem, quâ istiusmodi accidens creatum dicitur. Cur igitur, cùm accidens fundet hujusmodi respectum (ex quo creatum quid dicitur) per seipsum, non possit substantia per seipsam, eandem relationem, qua ipsa creatum quid dicitur, fundare.

42 Addunt & aliqui relationem patris & filii. Et rectè. Interrego enim, quod sit hujus relationis fundamentum? Nihil dici hic potest, quàm quòd talis relatio fundetur, vel in potentia generandi, vel in actione generativa, vel in essentia simpliciter; suppositâ tamen generatione, tanquam ratione fundandi. Nullum autem è prioribus dici potest. Nam *primo* quòd relatio patris & filii non possit fundari in actuali generatione, patet, quia actuali generatione cessante, actu pater manet pater, quamdiu vivit filius. At impossibile est relationem manere, fundamento ablato, veluti similitudinem inter cygnum & nivem, si cygnus denigretur. *Deinde:* quòd nec relatio illa possit esse in potentia generandi patet, quia per Dei potentiam auferri potest ab homine quodvis extrancum ab essentia ejus. E. si eadem potentia divina auferatur ab homine, qui genuit, qualitas illa sive potentia gignendi: quæro eo in casu, an manere queat pater, an non? Posteriùs ex nullo indicio dici poterit. Si autem manet pater, remotâ potentiâ generandi. E. potentia generandi non potest fundamentum esse istius relationis vi prioris argumentationis. Et sic summatim relinquitur Relationem patris & filii pro fundamento habere essentiam gignentis, quæ est substantia. Atque ita iterum relinquitur in substantia fundari posse relationem. *Paternitatis relatio est in substantia.*

An in relatione possit fundari relatio

43 III. Potest *relatio una fundari in alia.* Ita patet per exempla. Nam paternitas est relatio, quâ scilicet pater refertur ad filium. In ea tamen paternitate potest fundari similitudo. Ita nempe duo parentes sunt similes, in relatione patris, sive paternitate. Et confirmatur ex exemplis similitudinum comparatarum. Ibi enim comparatio illa, quæ relatio est, fumitur tanquam fundata in similitudine rationum. Sicut se habent tria ad sex, ita quatuor ad octo, sic illa similitudo fundatur in proportione dupla.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum:
Tempore sic duro est experienda fides.

Hinc etiam similitudo illa fundatur in proportione aliqua. At proportio est relatio.

44 Hic solet *objici.* Quòd procedendo à *Quod* in *quo*, sit sistendum *in quo*, quia secus fiat processus in infinitum. Veluti corpus habet essentiam per formam. Sed forma iterum non habet essentiam per formam. Superficies est alba propter albedinem. Sed albedo non est talis per aliam albedinem, sed per seipsam. Proinde etiam subjecta referuntur quidem per relationem. Relatio autem porro non referetur per relationem ulteriorem, sed per seipsam. Secus enim hactenus daretur progressus in infinitum, quia super hanc addita relatione, iterum possent fundari relationes aliæ, & sic deinceps. *Objectio.*

45 Sed *Resp.* Progrediendo à quod in quo sistendum est in Quo, loquendo de ejus ut sic dicam, proprio & formali effectu. Unde applicando eam regulam, ad relationes, vera etiam est. Nempe pater destinatur ad filium, per paternitatem. Jam paternitas non per aliquid aliud sed per seipsam destinatur ad filium. Quòd si autem paternitatem æstimemus non in ordine ad suum terminum, sed ad terminum alium, veluti quatenus paternitas terminatur (non ad filium, sed) ad aliam personam quæ patet est, & proinde in ratione paternitatis isti patri similis sit, tum quia terminus relationis alius est, oportet etiam aliam relationem subesse;

posteriorem statum eadem res denominat similem. Et ita eadem res juxta diversas habitudines ad substantias, etiam diversa prædicamenta ingreditur. Fuit de ea prædicamentorum distinctione etiam alibi.

53. *Argumentum ex separatione relationis à suo fundamento.*

II. *Objicitur:* Relatio separatur à suo fundamento. Ergo distinguitur à fundamento realiter, vel saltem modaliter. Consequentia patet ex dictis supra *l.1.c.8.* Ubi patuit indicium realis distinctionis esse, si qua separentur: vel saltem indicare distinctionem modalem, si separatio illa non sit mutua. Antecedens autem patet. Nam ab albedine cygni, v.g. potest separari similitudo ejus ad meum album parietem, si hic denigretur. Et relatio Patris, v.g. potest separari ab Æneæ, si moriatur filius ejus Ascanius. Et sic in aliis. Hæc ergo separabilitas ad minimum indicat distinctionem modalem relationis à fundamento, per ea quæ dicto loco inducta sunt.

54. *Respondeo* I. ad Antecedens, illud esse particulare. Nam non omnis relatio est à suo fundamento separabilis, ut est relatio creaturæ ad Deum. Et tamen est relatio realis, ut communiter admittitur. Ergo de hac relatione nullum est indicium, vel modaliter vel realiter eam distinguendi à fundamento. Ergo reistio prædicamentalis, ut sic, non postulat realem distinctionem à fundamento. Imò ex hac apparet, per accidens esse ad relationem, si separetur à fundamento suo: Ex consequenter per argumentum à simili, nec cæteras relationes à suo fundamento actualiter distingui. Et confirmatur II. Nam quòd relatio creaturæ ad Deum est inseparabilis, est propterea, quia terminum habet indefectibilem. Refertur enim creatura, vi istius relationis ad creatorem. Creator autem simpliciter est Ens indefectibile & necessarium. Unde III. respondeo, quòd aliquæ relationes sint separabiles, id est, non, quod decedat fundamento aliqua Entitas, quam prius habuerit, sed solùm quod desinat terminus relationis. Veluti: est in Petro relatio paternitatis. Hæc in Petro desinit, si filius desinat vel moriatur. A filio igitur pater, & in genere à termino relatio habet actualem distinctionem. Hic igitur desinit relatio paternitatis, non quia aliquid præexistens in Petro, pereat (quid enim corrumpit illam Entitatem) sed quia essentia Petri non aliter vocatur paternitas, quam prout existit aliquis terminus quem respicit. Ad eundem modum est in hoc albo corpore similitudo ad aliud album. Hæc similitudo perit, si illud aliud album pereat, quia hoc est terminus illius relationis. Relatio autem non potest consistere sine termino. Similitudo igitur sic separatur, non quantum ad id, quod amittitur ex parte albi, sed quia coëxistens vel terminus desinit. Albedo enim solùm sub ea ratione similitudo dicitur, quatenus ipsa est respiciens extrinsecum terminum. Ad summum igitur ex ista separatione sequitur, quòd fundamentum distinguatur a termino relationis, non autem quòd distinguatur à relatione ipsa. Nihil enim decessit fundamento, per istiusmodi desistentiam relationis, quod antè habuerit, præcisè sistendo in ipso, sed solùm decessit terminus sive correlatum.

ARTICULUS IV.

De *Termino Relationis.*

55. Quid intelligatur per terminum relationis jam dictum est, in *primi artic. 1. hujus tituli.* Rursus quomodo se ad relationem habeat similiter dictum, *art.3.* Unde & patuit quatenus terminus dicatur esse de essentia relationis. Nunc igitur solùm disquirendum restat qualis sit ille terminus? Quam ad rem tria pertinent. Ergo 1. disquirendum est: An ille terminus debeat esse existens? An sit quid absolutum? Et denique, quomodo a fundamento relationis distinguatur. Hæc ordine persequar.

PUN-

PUNCTUM I.

An terminus relationis semper debeat esse quid existens?

56. *Affirmativa probatur.*

TErminum relationis debere esse quid actu existens, ferè communis est Doctorum sententia loquendo de prædicamentali relatione. De relatione enim transcendentali certum est, eam non postulare terminum aliquem actu existentem. Scientia enim quæ istiusmodi habitudinem habet ad scibile, potest etiam esse per ordinem ad aliud, quod non est, veluti ad Eclipsim, quæ sequenti anno est futura. Videantur hac de re Interpp. ad Aristot. *l. Categ. c. 7. & l. 5. Metaph. c. 15.* quibus locis Aristoteles de relatione agit, & adde Scotum *1. d. 13.* Capreol. *1. d. 7. qu. 2. & dist. 13. ibid.* alióque. Et sumitur ex Aristotele qui passim ait relata esse *ἅμα χρόνῳ*, hoc est, simul tempore. Estque ejus ratio à priori hæc, secundùm Suarez. *Disp. 44 sect. 3. num. 7.* quòd essentia hujus relationis consistat in puro respectu ad terminum, neque aliud minus habet in natura. Et ideo non est per se intenta, sed merè resultans, tanquam quid accidens rebus, præter omne id, quod ex se & intentione naturæ ei convenit. Atque sic relatio illa, ut sic, non est, nisi supponatur fundamentum & termini coëxistentia, ex qua ipsa quasi resultat quia hac solum ratione potest habere rationem accidentis. Nam alii respectus, qui possunt esse ad non Entia, sunt essentiales, & præciso quovis extraneo ipsis, quæ sic referuntur, conveniunt. Unde clara ratio etiam dari potest, inter respectum transcendentalem & prædicamentalem: cur hic poscat coëxistentiam termini, ille non: quia scilicet, hic respectus secus non tueretur rationem accidentis.

57. *Objectio.*

Sed objicitur: quod Aristoteles *lib. 5. Metaph. c. 15.* doceat etiam illam esse relationem, quâ quid refertur ad actionem futuram, veluti calefactivum ad actionem quam potest ex intervallo præstare. Loquitur autem ibi Aristoteles ex intentione, de relatione prædicamentali. Sed *Resp.* Aristotelem intendere quidem ibi declarare relationem prædicamentalem: Sed tamen frequenter admiscerè ad explicandam vocis hujus ambiguitatem exempla, quæ secundùm relationem prædicamentalem non referuntur. Dicit enim etiam impossibile esse relata vum: Item scientiam ad scibile, sic & in aliis: Et tamen neutrum horum potest dici relatio prædicamentalis, vel relativum relatione prædicamentali, illud, quia negativum est: Hoc, quia habitudines habituum ad objecta sunt respectus transcendentes. Scientia autem & scibile habet se, ut habitus & objectum illius habitus.

PUNCTUM II.

An terminus relationis prædicamentalis sit quid absolutum an respectivum?

58. *Variæ sententiæ*

HAc in re tres sunt sententiæ. Igitur *aliqui* in relatione requirunt terminum relativum. Ita, verbi gratia, terminum paternitatis ajunt esse filialitatem, Sic sentit Fonseca *5. Met. c. 15. q. 5 sect. 1.* Cajetan. *in Tho. 1. p. q. 13. a. 7.* Hispal. *1. d. 13. q. 1* alique. *Alii* autem terminum relationis ajunt esse quid absolutum, ut v. g. terminus relationis, paternitatis sit, non filialitas, sed essentia genita. Ita tenet Scotus *1. d. 30. q. 1. art. 1.* Suarez *Disput 47. sect. 15. num. 6. seq.* Alii *denique* distinguunt relationes. Ajuntque aliquas terminari ad absolutum, veluti relationem creaturæ, ad Dei creantem essentiam: Alias terminari ad relativum, veluti relationem patris ad filium.

59. *Præcognita.*

Hac in re duo præcognoscenda sunt. 1. *Quòd sermo sit de termino formaliter, non autem quæ ei sunt concomitantia sunt, vel quoquo modo juncta ei, quod rationem termini habet, in ordine ad relationem.* Nam de eo nullum dubium est, quod ipsum relativum terminum concomitari saltem debeat, si maximè non sit formalis ratio

De distinctione Relatorum secundùm dici & secundum esse.

6. HÆc distinctio sumitur ex Aristotele, l. *Categ. c. 7.* Ex his igitur *relatio secundùm dici* non est ea, quæ dicitur relatio. Nam & ea quæ realis est, dicitur relatio, sed ea solùm est relatio secundùm dici, quæ (ut evincit oppositio ad esse) non revera, sed nomine quatenus solùm relatio est. Talis est, cùm refertur ala ad alatum & caput ad capitatum. Relatio igitur secundùm esse est illa, quæ & est & dicitur relatio.

Differunt relatio rationis & secundum dici.

Videtur hæc distinctio cum præcedente coincidere, prout & Avicennæ *l. 1. Metaph.* & Henrico *quodl. 3. q. 4.* visum est: nihilominus hactenus ex distinctione differunt, quòd relatio rationis semper eo modo quo concipitur, est relatio. Identitas enim & genus (quæ exempla erant relationis rationis) sunt istiusmodi. Ineòque relationes rationis assimilantur relationibus realibus. Sed id secus est in relationibus secundùm dici, quæ non habent nisi nomen relationis, nihil autem relationi prædicamentali simile. Dicimus enim potentiam *referri* ad aliquid possibile. Intellectum *referri* ad verum. Voluntatem *referri* ad bonum. Hîc usurpatur vox *referri*, sive relationis. Nihil autem hîc concipitur tanquam relatio, quod secus esset in relationibus rationis.

De distinctione relationis in transcendentem & prædicamentalem.

DIstinctio relationis in transcendentalem & prædicamentalem vulgaris est, & latè explicatur à Cajetano *lib. de Ente & essentia, cap. 7. qu. 15.* & Suarez *Disp. 47. Metaph. s. 3. n. 10. & seq. 4. tota.*

Discrimen relationis transcendentis & prædicamentalis.

Intelligitur autem illa relationum divisio, accuratè loquendo, solùm de relatione, quæ est secundùm esse. Et videtur habere hunc sensum, quòd alia sit relatio, quæ inter prædicamenta recensetur: Alia verò quæ intelligitur in transcendentali Entium divisione per absolutum & respectivum. *Sed* hoc discrimen bonum non est. Nam Ens respectivum ibi dicitur cum indifferentia ad respectum transcendentem & prædicamentalem, ut vidimus suprà *lib. 1. c. 10. n. 13. seqq.* Optimum igitur discrimen est, quod ibidem notavi *n. 24* quod relatio transcendens convenit rei ex vi essentiæ suæ, & sine ullo addito. Relatio autem prædicamentalis addit aliquid reale, ter distinctum, ad rem, quæ refertur (non hoc sensu, quasi ipsa relatio sit aliquid realiter distinctum semper sed) quia addit aliquid extraneum, coëxistens, ex qua alterius coëxistentia resultat quasi relatio, quæ secus non adesset. At relatio transcendens, utpote intimè implicata in essentia, semper est in ea, seu terminus sit coëxistens, seu non. Veluti paternitas significat relationem prædicamentalem. Ut igitur patet aliquis sit, requiritur aliquid reale extra patrem, quod hanc relationem terminet, hoc est, filius. Potentia autem implicat respectum ad actum suum, veluti potentia visiva ad visionem: respectum, inquam, transcendentem, qui respectus ipsi simpliciter convenit ex vi essentiæ istius potentialis, & non attento quoquam extraneo, seu scilicet sit visio coëxistens, seu non sit.

8 Colleg. Conimbr. *lib. Categ. c. 7.* Transcendentem & prædicamentalem relationem distinguit bifariam. *Altero* discrimine sumpto ex termino *altero* ex subjecto.

Duplex discrimen earum.

Prius est: quod relatum prædicamentale respicit aliud, ut purum terminum, sed est, non sub ratione alicujus causæ, vel ut aliquem effectum circa illum exerceat, veluti est simile & simile, æquale & aliud æquale. &c. Transcendens verò relatio, non respicit aliud, ut purum terminum, & quasi gratis, sed intuitu alicujus muneris præstandi vel recipiendi; quomodo affectiones sunt potentiæ, ad actus & objecta sua, item materia ad formam, accidens ad substantiam, &c. *Posterius* discrimen, quod à subjecto sumitur, hoc est, quod relatio transcendens non supponit subje-

subjectum cui adveniat, tanquam forma, quòdque referat, sed includitur essentialiter in eo quod refertur. Prædicamentalis autem relatio est rerum creatarum accidentalis quædam forma, adjacens subjecto quod relatum denominat, ut ex prioribus exemplis liquet.

Atque hæ potissimum sunt distinctiones relationis, quæ ad constituendum hoc prædicamentum relationis necessariò proponendæ sunt. Nunc igitur, quæritur.

TITULUS II.

An omnes relationes pertineant ad prædicamentum relationis?

9. UT de hac re constet, videndum est de singulis distinctionibus hactenus recensitis, quod ut fiat, sequentes statuo propositiones.

I. *Ad prædicamentum relationis non debent referri relationes rationis.* Ita statuo contra Capreol. *d.33. quæst.1.* Cajetan *1.p. quæst.13. art.7.* Soncin. *5. Metaphys. qu.26.* Ferrar. *4 cont. gent. cap.14.* Et alios, qui & relationem realem & rationis huc referunt. *Removentur relationes rationis.*

Veritas tamen assertionis inde certa est, quod subjectum Metaphysicæ, ut suprà *l.1.c.1.* visum est, non debet comprehendere Entia & realia & rationis, quia secus periret unitas hujus disciplinæ. Et nulla ratio est, cur ad relationem pertinere debeat relatio rationis, & non etiam ad substantiam debeat pertinere substantia per rationem facta. Unde vice versa, sicut absurdum est hoc, ita & illud. Docentque ita alii ferè communiter.

10. *Relata secundùm dici non pertinent ad prædicamentum relationis.* Ita affero contra Boëthium Simpl. & Albert. quos ita sentire refert Soto *l. Categ. c.7. quæst.1.* Eosdemque recèns secutus est Toletus *ad lib. Categ. c.7.* Et patet, quia divisio in substantiam & accidens non est eorum, quæ *dicuntur*, sed eorum quæ *sunt*, ut patet ex *l. Categ. cap.2.* Et confirmatur ex vi vocis. Ea enim quæ dicuntur relata secundùm *dici*, dicuntur solùm relata, & non sunt relata. Si ergo non *sunt* relata. Ergo nec competit eis essentia, & proinde nec definitio relationis. Voces enim hæ *sunt* & *essentia* conjugata sunt. Sicut igitur absurdum est, id quod nominetenus solum aurum est, continere in doctrina auris & doctrinam boni extendere ad id quod ὄνομα, & φαινόμενον bonum est; Item doctrinam totius ad id omne quod aliquo modo loquendi totum est: Ita similiter absurdum est; Relationis doctrinam extendere, tam ad ea quæ verè relata sunt, quàm ad ea quæ talia non sunt. Atque sic Aristot. etiam satis clarè rejicit istiusmodi relata à relatis prædicamentalibus. Propterea enim ait (non, quæ dicuntur, sed) quæ *sunt* aliorum, eo esse relata. *Et secundum dici.*

11. *Nec omnis relatio secundum esse pertinet ad prædicamentum relationis.* Ita patet, quia relationis divisio in transcendentalem & prædicamentalem, est subdivisio relationis secundum esse, ut priùs visum est. Relationes autem transcendentes ad prædicamentum non pertinent, ut statim dicam.

12. *Et transcendentes.*

IV. *Relationes transcendentes non pertinent ad prædicamentum relationis.* Ita sequitur tùm ex oppositione (transcendentales enim prædicamentalibus opponuntur,) tùm ex natura & conditione transcendentium. Transcendentia enim dicuntur à transcendendo, quia scilicet scalas prædicamentales transcendant, & communitate suâ superent, ut visum est suprà *lib.1.c.3.* Sicut igitur absurdum est bonitatem transcendentem vocare qualitatem, aut multitudinem transcendentem dicere quantitatem. Ita similiter absurdum est, respectum transcendentem vocare prædicamentalem.

13. *Quænam sint relationes prædicamentales.*

His igitur dimissis, quæ superstant erunt relationes prædicamentales. Nempe, quæ relationes sunt, nec tamen sunt relationis rationes, aut secundùm dici, aut transcendentales, ut mox clarius dicetur.

TITULUS

TITULUS III.

Quænam sit generalis essentia relationis prædicamentalis?

AD hanc rem de duobus videndum est breviter. I. An relatio Ens sit? Deinde an accidens sit. Loquor enim de generica quali essentia relationis prædicamentalis.

ARTICULUS I.

An relatio prædicamentalis sit?

14. AUctores *lib. 5. Categ. cap. 7. & lib. 8. Metaphic. 15.* frequenter meminerunt, qui primus negarit prædicamentum relationis, fuisse Zenonem Eleaten. Imò omnes ante Platonem eam negasse, refert Albert. Magnus *in prædic. c. 1.*

15. *Dari relationes reales.* Principio igitur probo, esse aliquas reales relationes prædicamentales. Primum argumentum est. Dantur aliquæ reales denominationes accidentales, (hoc est, non sumptæ ex essentiis rerum) & respectivæ, veluti esse patrem, vel similem vel simile vel æquale alterius. Ergo oportet, ut sit aliqua forma, unde sumantur tales denominationes. Neque enim sunt prorsus extrinsecæ. At non est alia forma, à qua sint istiusmodi denominationes, quàm relatio. Relatio igitur est verum genus Entis realis. Quod autem eadem illa relatio constituat distinctum prædicamentum, inde patet: quia differentia prædicamentorum sumitur ex diversa habitudine Entium ad substantiam primam. Sine dubio autem alia est habitudo similitudinis, v. g. & alia caloris ad substantiam. In alio igitur prædicamento est similitudo: Et in alio calor.

16. Addunt aliqui argumentum ex relationibus divinis: ex quibus cùm distinguantur divinæ personæ, ajunt, inde apparere, quòd relatio, ut sic, non dicat tolùm aliquid rationis. Priori tamen argumento potius immoror.

Objectiones.

17. *Objicitur* I. Denominationes relativæ adveniunt rebus, absque ulla eorum mutatione & innovatione 5. *Phys. t. 10.* Et patet, si cui filius nascatur in Hassia: Et pater sit in Hungaria: tunc hic incipit esse pater, & tamen non advenit ei nova Entitas. Et proinde relatio nova non est nova Entitas.

Respondeo objectionem non esse ad propositum. Nam non quæritur nunc, an relatio sit peculiare, hoc est, ab omni prorsus Ente distinctum Ens: sed simpliciter: an sit Ens? Quòd ipsum facilè obtinebitur. Si habeat realem identitatem ad suum fundamentum. Sine dubio enim albedo, quæ est similitudinis fundamentum verè aliquid est. Suppositâ autem illâ reali identitate eius ad fundamentum, de quâ infrà videbo, non debet nova mutatio advenire, sed sufficit ad eam ponendam, coexistentia alterius.

18. II. *Objicitur*: Omnes denominationes relativas sufficienter sumi posse ab absolutis. Ergo non opus esse prædicamento relationis. Consequentia est evidens, quia ob diversitatem denominationum introducitur prædicamentum relationis. Antecedens autem probatur. Si enim ponantur duo calida, tùm non addendo aliud quid ista erunt similia. *Respondeo* esse æquivocationem in terminis. *Non addendo aliud.* Utrique enim non addendo aliud, tanquam fundamentum, ista sunt similia. Sistendo tamen in caliditate simpliciter, nihil istorum denominabitur formaliter simile, sed calidum solum. Hinc enim solum est formalis effectus caliditatis.

Alia quæ objici solent, hic similia sunt.

ARTICULUS II.

An relatio sit accidens?

19. *Rationes dubitandi.* RAtio dubitandi est duplex. Prima est, quòd relationes videntur esse nihil aliud, quàm transcendentales quædam habitudines, ut senserit Zenon, re-

ferente

fert Soto *in initio ad cap. 7. Categ.* Ex Alexandro & Alberto *ad hunc locum.*

Altera dubitandi ratio est: quod omne accidens est in alio. At relationes non sunt in alio, sed ad aliud. Non igitur sunt accidentia.

Neutra tamen dubitatio evincit id, quod intendit. Nam transcendentia non denominant Entia contingenter, quod faciunt relationes. Et in superioribus dist. 8. 20. *Solvuntur.* nguendo relationem transcendentem a prædicamentali, patuit, non omnem relationem habere naturam Entis prædicamentalis.

Altera vero ratio solvitur ex iis, quæ supra dicta sunt, ad definitionem & essentiam accidentium in genere. Ibi enim patuit, quod accidentis prædicamentalis essentia in eo posita sit, ut substantiam afficiat extra essentialiter, quomodocunque id fiat: sive per modum essendi *In*, sive per modum essendi *Ad*, & quidquid alii. Unde si relationes afficiant substantiam, nec tamen sint de essentia illius: Hactenus satis habent ad esse accidentis prædicamentalis. Deinde etiam relationibus convenit esse *In*, permissivè loquendo. Nam relationes in conceptu suo adæquato implicant fundamenta. Plerasque autem relationum fundamenta sunt inhærentia. 21.

TITULUS IV.

In quo proponitur & explicatur definitio relationis prædicamentalis.

VEteres ita definiebant relationem, *quod sit id, secundum quod unum ad aliud dicitur.* Hanc definitionem repudiat Aristot. *lib. Categ. c. 7. t. 7. 8.* inde, quia *Aliorum definitiones.* convenit aliquibus, quæ nullam habent prædicamentalem relationem. Manus enim & caput, dicuntur alicujus manus & caput, & tamen istiusmodi relationem non habent. 22.

Alii definitionem relationis sumunt ex initio illius capitis. Sed revera Aristoteles ibi non definivit relationem prædicamentalem. Sed solum distinxit Relationes, ut non solum verba ipsa, sed etiam subjecta exempla (multa enim non sunt veræ relationes) ostendunt. Sic inquit ibi Aristoteles. *Ea ad aliquid dicuntur, quæcunque id quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur.* Proinde hactenus circumlocutus est Aristoteles omne illud, quod quoquo modo nomen relationis suscipit. Sumeturque adeo optimè definitio relationis ad mentem Aristotelis, ex comparatione veteris definitionis, & *suæ ad t. 7. 8 d. e.* Discrimen ibi constituitur in *dici & esse.* Sic enim *a. t. 8 Prior* (Veterum) *definitio, sequitur quidem ea, quæ sunt ad aliquid, omnia; non tamen idem est, quod ipsorum ad aliquid esse, sed quod sunt aliorum dici.* 23.

Sic igitur *Relatio est accidens secundum quod aliquid quicquid est, alterius est.* 24. Hic relatio dicitur *accidens*, quod quo jure fiat, jam *ex præced. art.* repetunt. Et vi *Definitio pro.* illius particulæ a præsenti definitione excluduntur relationes *transcendentes*: Item *prio.* relationes *personales* in divinis, quæ accidentia non sunt.

Deinde: particula illa *secundum quod*, est intelligenda sic, ut particula *secundum* 25. notet principium formale, hoc sensu, quod illud, per quod aliquid dicitur formaliter relatum, vel ad aliquid, si ipsa relatio. Ita paternitas est formalis ratio, unde pater, alicujus pater dicatur. Paternitas igitur hactenus est relatio. Simili modo sumitur vox illa *secundum* in actionis definitione. Actio est *secundum quam* agere dicimur, hoc est, formalis ratio, ut aliquid agens denominetur, est ipsa actio.

Tertio; particula illa *alterius*, notat terminum, sive correlatum. Sic filius cum 26. sit terminus, ad quem refertur pater: Et vicissim cum pater sit terminus ad quem referatur filius: Hactenus ergo quicquid pater est, in quantum est pater, totum est in ordine ad filium. Et filius quicquid est, in quantum est filius, id totum est

in ordine ad patrem. Et sic in aliis. Et per hoc relatio à cæteris omnibus accidentibus distingu.tur.

Denique dicitur: Alterius *esse*: Quæ particula exponit differentiam veræ relationis à relatione, quæ solum nomine tenus est relatio, seu à relatione secundùm dici, prout & Aristoteles *d.l. Categ. c. 7. t. 8.* expressit.

TITVLVS V.

De requisitis Relationis prædicamentalis.

27. DE requisitis relationis, *primum* est agendum generaliter, *tum* seorsim est aliquid agendum de relationum fundamento, termino & subjecto.

ARTICULUS I.

De requisitis Relationis generatim.

28. IN enumerandis requisitis ad relationem, quoad numerum, variant Autores. Aliqui *quinque* requirunt: nempe subjectum, fundamentum, terminum, relatum, & correlatum. Alii requirunt *tria*, nempe subjectum, fundamentum & terminum, alii his tribus addunt rationem fundandi, ex quibus hæc ultima enumeratio optima est. Nam optimè sub termino intelligitur correlatum. Quod enim alii per terminum intelligunt, per accidens est ad rationem relationis, & non magis appropriatur Relationi, quàm aliis. Relatum autem non est requisitum vel conditio relationis, sed est ipsum quasi formatum relationis, indéque relatione ipsâ quasi posterius. Sed tamen hæc de re non magnoperè contendo, quomodocunque vocibus utamur, modò res ipsa declaretur.

29. *Quid intelligatur per subjectum.* Igitur I. per *subjectum* hic intelligi solet id, quod suscipit relationem, quod frequenter est aliquid absolutum. Ita homo est subjectum relationum harum, nempe paternitatis & filialitatis. Nix & cygnus, sunt subjecta similitudinum.

Id hic observandum est: quòd subjectum & fundamentum relationis aliquando in eandem rem coincidant. Veluti, cùm dicimus, nivem & cygnum esse res similes, tùm fundamentum similitudinis (relationis,) hoc est, albedo, diversum quid est, a subjectis ejus, hoc est, cygno & nive. At cùm albedines similes dicimus, tùm albedo & subjectum & fundamentum est similitudinis.

30. *De fundamento.* II. *Fundamentum* requiritur: estque nihil aliud, quàm id cui innititur relatio, quódque est quasi ratio, cur aliud ad aliud referatur, unde & à Scal. vocatur ratio referendi *lib. 4 de caus. ling. lat. c. 95 p. 227* Sic Arist. *lib. Categ. c. 6* ait: maximè proprium esse quantitati secundum eam dici æquale & inæquale, & *cap. 8.* Maximè proprium esse qualitati, secundùm eam simile & dissimile dici. Fundamentum igitur æqualitatis & inæqualitatis est quantitas: at similitudinis, est qualitas, si maximè propriè loquamur.

31. *De ratione fundandi.* III. Requiritur ad relationem *ratio fundandi*, specialiter sumendo vocem. Solet enim quandoque æquipollenter sumi ad fundamentum. Estque tùm, ut ipsa vox insinuat, nihil aliud, quàm conditio ex parte fundamenti requisita, ipsum quasi porrò qualificans, ut proximè ab eo resultet quasi relatio. Sic fundamentum cui innititur relatio paternitatis est ipsum esse & natura parentis. Hæc tamen, nisi aliquid accedat, non fundabit relationem. Oportet igitur ut accedat actio generandi, quæ necessaria conditio est, ut fundamentum quasi ultimò compleatur in ratione fundamenti. Hæc igitur generatio, sive conditio illa vocatur nunc ratio fundandi: Et idem est in aliquibus aliis relationibus.

Dixit *in aliquibus*: Nam non requiritur ad omnem relationem, semper illa ulterior fundandi ratio, sed frequenter fundamentum statim & immediatè ac sine additamento aptum est, ut relationem aliquam fundet, ut & Suarez observavit *Disp.*

47. *sect.* 7. *n.* 13. Et hinc fortasse factum est cur aliqui in enumerandis requisitis relationis, rationem fundandi prætermittant.

Denique ad relationem hanc requiritur terminus, quem exprimit definitio relationis, sub voce *ad aliquid*. Illa enim particula ad, aliorsum refert, ut in initio notabatur. Terminus igitur est id, ad quod terminatur relatio, hoc est, correlatum, hoc enim terminat relationem unius, abstrahendo nunc, an sit formalis terminus an solùm terminet materialiter & concomitanter; quod infrà considero. Est enim in hoc aliqua differentia termini & correlati, ut Suarez attigit *disp.* 47. *sect.* 8. *num.* 11. Estque adeò terminus conditio maximè necessaria ad relationem, quia tota essentia relationis consistit in esse ad. Sic Augustin. *serm.* 181. *de tempore*, Patrem cùm audis, agnosce, quòd filium habeat, quomodo possessor dicitur qui aliquid possidet, & Dominus, qui alicui dominatur. Et Aristot. *lib. Categ. cap.* 7. *t.* 1. Duplum, inquit, id, quod est cujuspiam dicitur. Duplum alterius scilicet. Et quod est majus, similiter & cætera quæ istiusmodi sunt. 32.

ARTICULUS II.
De subjecto Relationis prædicamentalis.

Quod sit subjectum relationum, jam in priori articulo constitit, id autem nunc quæritur: 33

An unum sit subjectum inter utrumque terminum hoc est relatum & correlatum?

Veluti: Estne unum subjectum similitudinis, quæ est inter cygnum & nivem ratione albedinis? Hic affirmativam tenuit Henricus *quodl.* 9. *qu.* 3. qui, sicut una via est, Thebis Athenas & Athenis Thebas, ita existimat unam esse relationem, quæ ultrò citróque est inter duo relata. 34.

Sed hæc sententia subsistere non potest, & inprimis clarè apparet id in relatis diversi nominis, ex quibus eadem ratio ampliari potest ad relata unius nominis. Nam patrem oportet habere aliquid formale sibi intrinsecum, unde pater sit, & hoc ipsum est paternitas. Et hoc quia patri intrinsecum est, non potest esse in eo, quod essentiâ & loco longissimè potest à patre distans esse. Et confirmatur: Relatio paternitatis, v. g. est vel unum quid simpliciter vel per aggregationem. Si hoc, quæro ex, ex quibus illa vel alia relatio aggregatur, quidnam sint. Certè nihil melius dici poterit, quàm quòd sint plures relationes. Ergo illæ relationes seorsim, & antè ejusmodi aggregationem erunt relationes, & proinde ad esse relationis simpliciter non exposcetur istiusmodi aggregatio. Si autem primum dicatur. Ergo simpliciter est aliquid indivisum. At non potest quid indivisum esse, quod ad subjecta longissimè quandóque distantia extensum, & sic per ea divisum est. Confer Suarez *disp.* 47. *sect.* 6. *n.* 3. *seqq.*

ARTICULUS III.
De fundamento relationis prædicamentalis.

In hac materia de duobus videndum est. *Primò*: quænam in particulari possint esse fundamenta relationum? *Secundò*: quomodo fundamentum se habeat ad relationem, sitne aliquid realiter idem cum ipsa, an diversum? 35.

PUNCTUM I.
Quænam in particulari possint esse fundamenta Relationum?

In enumerandis fundamentis relationum variant Autores. Aliqui relationes ponunt in tribus, utpote in quantitate, qualitate & motu, hoc est, actione, 36. *Varia sententia*

& passione. Ita sentit Thom. ut ex dicendis constabit, & Toletus *lib. Categ. cap. 7. quæst. 1.* Timpl. *lib. 5. Metaph. cap. 5. in Theoremat. & quæst. 5.* Alii præterea adduxit relationem fundari in substantia etiam, ut docet Suarez *disp. 47. sect. 7. n. 4.* Ubi *num. 3.* inducitur Thomas, ab hac sententia dissentiens, qui ait, relationem tam debile esse habere, ut semper præexigat, non solùm esse substantiæ, sed etiam accidentium, *lib 4. contra Gent. cap. 4.* Et idem Thomas *ad lib. 5. Metaph. lect. 17.* ait, nec in ultimis quatuor prædicamentis posse esse relationes prædicamentales, quia potiùs consequantur relationem, quàm ut possint eam causare.

37 Armand. de bello Visu *lib. 2. term. cap. 178.* quinque ponit fundamenta relationum. Alias igitur ait fundari in substantia; alias in quantitate, alias in qualitate, alias in pertinentibus ad actionem & passionem: alias denique in mensura & mensurato, ubi deinceps mensuram hanc interpretatur de mensura perfectionis.

Aristoteles *l. 3. Metaph. cap. 15.* Triplex fundamentum ponit relationis prædicamentalis, aitque aliam esse in unitate & multitudine; aliam in actione & passione: Et aliam in mensura & mensurato, de qua divisione seorsim erit *seq. titulo.*

38 Deinceps variant etiam Autores in prædicamento relationis: *An scilicet una relatio possit in alia fundari?* Negat id Thomas *1. p. quæst. 42. a. 4.* & locis aliis Ferrar. *lib. 4. contra Gentes, cap. 11.* Soncin. *5. Metaph. quæst. 29. ad 1.* Alii autem id affirmant, ut Scotus *2. d. 1. q. 4. & 5.* ubi & Leuchettus & Mairon. Item Anton. Andr. *5. Metaph. q. 13.* quibus consequenter assentiuntur, qui existimant, relationem posse fundari in omnibus prædicamentis, ut Fonseca docet *l. 5. Metaph. cap. 15. q. 1. s. 3.* Et Suarez *Disp. 47. s. 11. nu. 4.* Ubi etsi specialim loquatur de relatione unitatis: tamen ad rem nostram nunc satis est, quum aliquam relationem ponat in omnibus generibus prædicamentalibus. Apparétque adeò ex hactenus dictis, plurimum variare Doctores in hac controversia. Ut igitur quid sentiendum sit rectè teneatur, particulares aliquas conclusiones subjiciam.

Relatio in quantitate, qualitate, actione & passione.

39 I. Assertio. *Relationum fundamenta possunt esse, quantitas, qualitas, actio & passio.* Hæc assertio inprimis certa est, & neminem, si rectè memini, adversantem habet. Ita relatio æqualitatis & inæqualitatis, adeóque minoris, majoris, tripli, &c. fundatur in quantitate. Similitudo & dissimilitudo in qualitate. Efficiens & effectum in facere & fieri, in agere & pati.

An relationes fundari possint in substantia.

40 I. Potest etiam aliqua relatio fundari in substantia. Loquor de substantia, non eo sensu, quasi sit qualicunque ratione fundamentum quasi remotum. (Nam ipsa in communi est basis & fundamentum ejusmodi omnium accidentium) sed loquor de fundamento proximo, quod scilicet proximè relatio aliqua possit in substantia fundari, & non mediante aliquo accidente. Atque ita hoc dico: substantiam esse aliquibus relationibus, quod quantitas v. g. est æqualitatis, vel qualitas similitudinis.

Exempla relationis in substantia. Ita patet in variis exemplis: Talis igitur relatio est, illa convenientia, quam duo aliqua animalia habent in anima. Cur enim convenientia illa duorum animalium, quæ est in albedine vel calore, possit esse relatio, & non etiam possit illa convenientia esse relatio, quæ est in anima.

41 *Creaturæ ad Deum relatio est in substantia ejus.* *Deinde*: huc pertinet etiam relatio creaturæ ad Deum, quæ ex communi doctrina Doctorum est realis, quicquid sit de relatione Dei ad creaturas, sine realis necne. Hæc igitur relatio creaturæ, v. g. hominis creati, ad Deum, non potest fundari, nisi in substantia ipsius creaturæ, quia dimisso quolibet eo, quod est extraneum ad essentiam hominis, adhuc homo, præcisè essendo in essentialibus,

est aliquid creatum, & sic involvit relationem ad creans. E. relatio creaturæ ad Deum non potest fundari in medio aliquo accidente. Et confirmatur, quòd hoc ipsum rei creatæ accidens, est etiam creatum quid, unde & ipsum ex vi essentiæ suæ, fundat hanc ipsam relationem, quâ istiusmodi accidens creatum dicitur. Cùm igitur, cùm accidens fundet hujusmodi respectum (ex quo creatum quid dicitur) per seipsum, non possit substantia per seipsam, eandem relationem, qua ipsa creatum quid dicitur, fundare. 42

Addunt & aliqui relationem patris & filii. Et rectè. Interrego enim, quod sit hujus relationis fundamentum? Nihil dici hic potest, quàm quòd talis relatio fundetur, vel in potentia generandi, vel in actione generativa, vel in essentia simpliciter; suppositâ tamen generatione, tanquam ratione fundandi. Nullum autem è prioribus dici potest. Nam *primo* quòd relatio patris & filii non possit fundari in actuali generatione, patet, quia actuali generatione cessante, actu pater manet pater, quamdiu vivit filius. At impossibile est relationem manere, fundamento ablato, veluti similitudinem inter cygnum & nivem, si cygnus denigretur. *Deinde:* quòd nec relatio illa possit esse in potentia generandi pater, quia per Dei potentiam auferri potest ab homine quodvis extraneum ab essentia ejus. E. si eadem potentia divina auferatur ab homine, qui genuit, qualitas illa sive potentia gignendi: quæro eo in casu, an manere queat pater, an non? Posteriùs ex nullo indicio dici poterit. Si autem manet pater, remotâ potentiâ generandi. E. potentia generandi non potest fundamentum esse istius relationis vi prioris argumentationis. Et sic summatim relinquitur: Relationem patris & filii pro fundamento habere essentiam gignentis, quæ est substantia. Atque ita iterum relinquitur in substantia fundari posse relationem. *Paternitatis vel. latio est in substantia.*

An in relatione possit fundari relatio

III. Potest *relatio una fundari in alia.* Ita patet per exempla. Nam paternitas est relatio, quâ scilicet pater refertur ad filium. In ea tamen paternitate potest fundari similitudo. Ita nempe duo parentes sunt similes, in relatione patris, sive paternitate. Et confirmatur ex exemplis similitudinum comparatarum. Ibi enim comparatio illa, quæ relatio est, sumitur tanquam fundata in similitudine rationum. Sicut se habent tria ad sex, ita quatuor ad octo, sic illa similitudo fundatur in proportione dupla. 43

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro est experienda fides.

Hinc etiam similitudo illa fundatur in proportione aliqua. At proportio est relatio.

Hic solet *objici.* Quòd procedendo à *Quod* in *quo*, sit sistendum *in quo*, quia secus fiat processus in infinitum. Veluti corpus habet essentiam per formam. Sed forma iterum non habet essentiam per formam. Superficies est alba propter albedinem. Sed albedo non est talis per aliam albedinem, sed per seipsam. Proinde etiam subjecta referuntur quidem per relationem. Relatio autem porro non referetur per relationem ulteriorem, sed per seipsam. Secus enim hactenus daretur progressus in infinitum, quia super hac addita relatione, iterum possent fundari relationes aliæ, & sic deinceps. 44 *Objectio.*

Sed *Resp.* Progrediendo à quod in quo sistendum est in Quo, loquendo de ejus ut sic dicam, proprio & formali effectu. Unde applicando eam regulam, ad relationes, vera etiam est. Nempe pater destinatur ad filium, per paternitatem. Jam paternitas non per aliquid aliud sed per seipsam destinatur ad filium. Quòd si autem paternitatem æstimemus non in ordine ad suum terminum, sed ad terminum alium, veluti quatenus paternitas terminatur (non ad filium, sed) ad aliam personam quæ pater est, & proinde in ratione paternitatis ista patri similis sit, tum quia terminus relationis alius est, oportet etiam aliam relationem sub- 45

esse, quam rationem etiam insinuat Suarez *disp.47.s.1 n.8.* De addit 271. Non dari progressum in infinitum, quia sistendum sit in ea relatione, quæ eandem denominationem suscipit, quam habet fundamentum, & necessariò ac intrinsecè illam secum fert. Ut v.g. quamvis paternitas referatur similitudine, & illa similitudo sit similis alteri speciei ejusdem, non oportet ut sit similis per aliam relationem, sed seipsa, quia illa denominatio est ejusdem rationis, in quibus denominationibus non est progrediendum, ut dictum est, ad aliud *quo*. Proinde cùm paternitas ad filialitatem refertur, una relatio est: Cùm autem paternitas ad aliam paternitatem refertur, tanquam similem illi, alia relatio est. Deinceps autem progrediendum non est.

An relationes fundentur in ultimis prædicamentis?

46. IV. RElationes *fundari possunt in quatuor ultimis prædicamentis.* Possunt enim duo equi aliáve animalia, v. g. convenire in duratione. Sic distantia relatio est ad prædicamentum Ubi pertinens. Similérque potest esse convenientia in situ & habitu, quæ convenientia non minus potest similitudo dici ac in aliis Entibus. Similitudo enim etsi maximè propriè & rigidè loquendo sit in qualitatibus, tamen quo jure extenditur ad actionem & passionem, eodem jure extendi etiam potest ad situm & habitum. Prius autem est apud Aristotelem *l.5. Met. c.9.* Ubi similia dicit ταῦτὸ πάθη, hoc est, *idem passa.*

Generalis decisio.

47. VAtque ita summatim hactenus relinquitur, *Relationem prædicamentalem fundari posse in omnibus prædicamentis*, prout particulatim hactenus constitit.

PUNCTUM II.

Relatio prædicamentalis & ejus fundamentum quomodo conveniant vel differant?

48. *Varia sententiæ.* QUamvis ad hanc quæstionem, sententias invenio apud Philosophos. Igitur I. aliqui ponunt discrimen reale sumendo realem distinctionem pro ea, quæ est inter rem & rem, sive inter duas Entitates. Ita Cajetanus tenet in Thom. 1. *p.q.28.a 2.* Ferrar. *3. contra Gent. c.14.* Capreol. *1.d.30.q.1.*

II. Alii ponunt discrimen modale, aiúntque relationem non esse peculiarem Entitatem à fundamento distinctam, sed tamen esse ejus modum, sicut figura est modus quantitatis. Ita tribuitur Scoto *in lib. Categ. c.7. quæst.2.* Javello *5. Met. q.22.* & aliis.

49. III. Alii distinguunt relationes, aiúntque eas, quoad distinctionem à fundamento, non esse ejusdem generis. Igitur Scotus *2.d.1.q.3. & 1.3.d.8.q.1.* ait: alias relationes esse à fundamento inseparabiles, veluti est relatio creaturæ ad creaturam: Alias autem esse separabiles, velut est similitudo in albedine vel calore: Has igitur distingui realiter. Illas verò non sic & Durandus *1.d.30. quæst. 2.* aliquas relationes distingui ait, aliquas non, quanquam ex alio principio.

IV. Denique alii ponunt distinctionem rationis inter fundamentum & relationem, rationis inquam ratiocinatæ. Ita tenet Occamus *1. d.30. quæst.1. & 31. qu.1. Reg. d.1.d.26.q.4.* Greg. *ibid. d.28. qu.2. a.2.* Eandémque sententiam sequitur Suarez *disput.47.s.2.n.22.* ubi ait: Relationem non esse rem aliquam vel modum, ex natura rei distinctum ab omni forma absoluta: sed esse in re formam aliquam absolutam, non tamen absolutè sumptam sed ut respicientem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat, ita ut similitudo, v.g. sit aliqua forma realis existens in re, quæ denominatur similis: Illa tamen non sit in re distincta ab albedine, quatenus ad id, quod ponit in re, quæ dicitur similis, sed solùm quatenus ad terminum, quem connotat. Et ita similitudo in re illis non est aliud, quàm

quàm ipsamet albedo, v.g. ut respiciens aliam albedinem, tanquam eiusdem vel similis rationis.

50. *Propria sententia.*

Hæc igitur in re existimo: hanc posteriorem sententiam, veram, vel saltem probabiliorem esse; quod scilicet relatio sit realiter idem cum suo fundamento, adeo, ut nec ab eo distinguatur tanquam res à re, neque tanquam realis modus à re modificata, sed solum ratione ratiocinatâ. Ita patet, quia nulla potest causa efficiens dari illius relativæ Entitatis, quæ peculiariter producat eam, & fundamento quasi opponit: At nihil prorsus fieri potest sine causa. Veluti si quis hoc loco cygnus sit, erit albus. Jam si quis de novo nascatur cygnus in Austria, huic nostro cygno acquirit similitudinem ad illum cygnum, quam antea eo cygno non dum existente, non habebat. Si igitur hæc similitudo habet peculiarem, & ab omni alia distinctam Entitatem, quæro quæ causa hanc similitudinis Entitatem in hoc cygno nostro producat. Illeque in Austria est cygnus, eam non producet efficienter. Quomodo enim aget in rem adeo distantem? Unaquæque scilicet res habet sphæram activitatis suæ, quæ in tam longum spatium non esse potest. Neque dici potest, quod tum illa Entitas dimanet à fundamento suo, nempe ab albedine hujus cygni. Nam quos Physicos effectus præstat albedo, eos semper præstat. Utique autem esset Physicus influxus, quo produceretur nova aliqua Entitas. Et porro nihil aliud dici potest, quod efficienter producat illam Entitatem. Consequitur igitur infallibiliter, quòd relatio non sit realis modus, vel etiam peculiaris quædam & à fundamento distincta res. Alia argumenta nolo addere. Hoc enim satis est ad rem hanc demonstrandam, & evincunt etiam idem ea quæ relata sunt priùs, *tit. 3. art. 1.*

51. *Terminus an & quatenus sit de essentia relationis?*

In quo igitur hactenus consistit essentia relationis prædicamentalis? *Resp.* à parte rei nihil aliud exposcit, quàm in re, quæ refertur, fundamentum, quod si ponatur terminus aliquis, sine addito, eundem terminum respicit. Unde terminus iste hactenus ab aliquibus dicitur *de essentia relationis*: Cujus hic sensus non est, quasi relationem intrinsecè constituat. Neque enim est intra relationem ipsam, ut pars eam componens: sed frequenter loco distans quàm longissimè. Dicitúrque adeo terminus solùm esse de essentia relationis, quia relatio non potest absolvi à tali termino, sed in proprio conceptu suo involvit respectum ad ipsum. Et hinc erit ab loquuntur, quia aiunt (non terminum pertinere ad essentiam relationis, sed *Jesum* pertinere ad *quidditatem* eius. Per quidditatem enim intelligitur essentia, quam nos conceptu nostro, vel definitione exprimitur. Vide inprimis hac de re Suncin. 5. *Metaph. q.* 33. & Suarez *Disput.* 47 *s.* 8. *n* 9.

Objectiones.

52. *Argumentum ex distinctione prædicamentorum.*

COntra hactenus propositam sententiam *objicitur*. 1. Quod alia Entitas sit quam significat relatio, & alia quam significat fundamentum relationis, quia prædicamenta distinguunt. Similitudo enim est in prædicamento relationis. At albedo, v.g. quæ ejus fundamentum est, est in prædicamento qualitatis. Et sic in aliis.

Respondeo; Negando consequentiam. Nam prædicamentorum distinctio non sumitur à tali distinctione; Ita apparet clarissimè in actione & passione. Neque enim alia est res, v.g. quæ quasi egreditur ab igne, & alia quæ recipitur in aqua; Sed hæc ipsa, quæ ab igne egreditur, ea ipsa, inquam, recipitur in aqua. Et tamen in quantum illa res denominat ignem calefacientem, pertinet ad prædicamentum actionis; Et in quantum denominat eadem res, ab igne egressa, aquam calefactam, vocatur passio; Ita nempe prædicamenta non differunt, juxta differentiam Entitatum, sed solùm juxta alium atque alium modum denominandi substantiam. Indéque quia aliter denominat albedo rem simpliciter; Et aliter, sumpta, ut respiciens aliam similem albedinem; Hinc igitur, cùm sit à parte rei eadem, tamen juxta primum statum denominat rem albam, secundum posteriorem

posteriorem statum eadem res denominat similem. Et ita eadem res juxta diversas habitudines ad substantias, etiam diversa prædicamenta ingreditur. Fuit de ea prædicamentorum distinctione etiam alibi.

53. *Argumentum ex separatione relationis à suo fundamento.*

II. *Objicitur*: Relatio separatur à suo fundamento. Ergo distinguitur à fundamento realiter, vel saltem modaliter. Consequentia patet ex dictis supra *l.1.c.8.* Ubi patuit indicium realis distinctionis esse, si qua separentur: vel saltem indicare distinctionem modalem, si separatio illa non sit mutua. Antecedens autem patet. Nam ab albedine cygni, v.g. potest separari similitudo ejus ad merum album patietem, si hic denigretur. Et relatio Patris, v.g. potest separari ab Æneæ, si moriatur filius ejus Ascanius. Et sic in aliis. Hæc ergo separabilitas ad minimum indicat distinctionem modalem relationis à fundamento, per ea quæ dicto loco inducta sunt.

54. *Respondeo* I. ad Antecedens, illud esse particulare. Nam non omnis relatio est à suo fundamento separabilis, ut est relatio creaturæ ad Deum. Et tamen est relatio realis, ut communiter admittitur. Ergo de hac relatione nullum est indicium, vel modaliter vel realiter eam distinguendi à fundamento. Ergo relatio prædicamentalis, ut sic, non postulat realem distinctionem à fundamento. Imò ex hac apparet, per accidens esse ad relationem, si separetur à fundamento suo: Ex consequenter per argumentum à simili, nec cæteras relationes à suo fundamento actualiter distingui. Et confirmatur II. Nam quòd relatio creaturæ ad Deum est inseparabilis, est propterea, quia terminum habet indefectibilem. Refertur enim creatura, vi istius relationis ad creatorem. Creator autem simpliciter est Ens indefectibile & necessarium. Unde III. respondeo, quòd aliquæ relationes sint separabiles, id est, non, quod decedat fundamento aliqua Entitas, quam prius habuerit, sed solùm quod desinat terminus relationis. Veluti: est in Petro relatio paternitatis. Hæc in Petro desinit, si filius desinat vel moriatur. A filio igitur pater, & in genere à termino relatio habet actualem distinctionem. Hic igitur desinit relatio paternitatis, non quia aliquid præexistens in Petro, pereat (quid enim corrumpit illam Entitatem) sed quia essentia Petri non aliter vocatur paternitas, quam prout existit aliquis terminus quem respicit. Ad eundem modum est in hoc albo corpore similitudo ad aliud album. Hæc similitudo perit, si illud aliud album pereat, quia hoc est terminus illius relationis. Relatio autem non potest consistere sine termino. Similitudo igitur sic separatur, non quantum ad id, quod amittitur ex parte albi, sed quia coëxistens vel terminus desinit. Albedo enim solùm sub ea ratione similitudo dicitur, quatenus ipsa est respiciens extrinsecum terminum. Ad summum igitur ex ista separatione sequitur, quòd fundamentum distinguatur a termino relationis, non autem quòd distinguatur à relatione ipsa. Nihil enim decessit fundamento, per istiusmodi desistentiam relationis, quod antè habuerit, præcisè sistendo in ipso, sed solùm decessit terminus sive correlatum.

ARTICULUS IV.

De Termino Relationis.

55. QUid intelligatur per terminum relationis jam dictum est, in *primi artic. 1. hujus tituli.* Rursus quomodo se ad relationem habeat similiter dictum, *art.3.* Unde & patuit quatenus terminus dicatur esse de essentia relationis. Nunc igitur solùm disquirendum restat: qualis sit ille terminus? Quam ad rem tria pertinent. Ergo 1. disquirendum est: An ille terminus debeat esse existens? An sit quid absolutum? Et denique, quomodo a fundamento relationis distinguatur. Hæc ordine persequar.

PUN-

PUNCTUM I.

An terminus relationis semper debeat esse quid existens?

TErminum relationis debere esse quid actu existens, ferè communis est Doctorum sententia loquendo de prædicamentali relatione. De relatione enim transcendentali certum est, eam non postulare terminum aliquem actu existentem. Scientia enim quæ istiusmodi habitudinem habet ad scibile, potest etiam esse per ordinem ad aliud, quod non est, veluti ad Eclipsim, quæ sequenti anno est futura. Videantur hac de re Interpp. ad Aristot. *l. Categ. c. 7. & l. 5. Metaph. c. 15.* quibus locis Aristoteles de relatione agit, & adde Scotum *1. d. 13.* Capreol. *1. d. 7. qu. 2. & dist. 13. ibid.* alióque. Et sumitur ex Aristotele qui passim ait relata esse *ἅμα φύσει*, hoc est, simul tempore. Estque ejus ratio à priori hæc, secundùm Suaretz. *Disp. 44. s. 8. num. 7.* quòd essentia hujus relationis consistat in puro respectu ad terminum, neque aliud munus habet in natura. Et ideo non est per se intenta, sed merè resultans, tanquam quid accidens rebus, præter omne id, quod ex se & intentione naturæ ei convenit. Atque sic relatio illa, ut sic, non est, nisi supponatur fundamentum & termini coëxistentia, ex qua ipsa quasi resultat quia hac solum ratione potest habere rationem accidentis. Nam alii respectus, qui possunt esse ad non Entia, sunt essentiales, & præciso quovis extraneo ipsis, quæ sic referuntur, conveniunt. Unde clara ratio etiam dari potest, inter respectum transcendentalem & prædicamentalem: cur hic poscat coëxistentiam termini, ille non: quia scilicet, hic respectus secus non tueretur rationem accidentis.

56. *Affirmativa probatur.*

Sed objicitur: quod Aristoteles *lib. 5. Metaph. c. 15.* docet etiam illam esse relationem, quâ quid refertur ad actionem futuram, veluti calefactivum ad actionem quam potest ex intervallo præstare. Loquitur autem ibi Aristoteles ex intentionis, de relatione prædicamentali. Sed *Resp.* Aristotelem intendere quidem ibi declarare relationem prædicamentalem: Sed tamen frequenter adhiberi ad explicandam vocis hujus ambiguitatem exempla, quæ secundùm relationem prædicamentalem non referuntur. Dicit enim etiam impossibile esse relata unum: Item scientiam ad scibile, sic & in alios: Et tamen neutrum horum potest dici relatio prædicamentalis, vel relativum relatione prædicamentali, illud, quia negativum est: Hoc, quia habitudines habituum ad objecta sunt respectus transcendentes. Scientia autem & scibile habet se, ut habitus & objectum illius habitus.

57. *Objectio.*

PUNCTUM II.

An terminus relationis prædicamentalis sit quid absolutum an respectivum?

HAc in re tres sunt sententiæ. Igitur *aliqui* in relatione requirunt terminum relativum. Ita, verbi gratia, terminum paternitatis ajunt esse filialitatem. Sic sentit Fonseca *5. Met. c. 15. q 5. s. 1.* Cajetan. *in Tho. 1. p. q. 13. a. 7.* Hispal. *1. d. 13. q 1.* alique. *Alii* autem terminum relationis ajunt esse quid absolutum, ut v. g. terminus relationis paternitatis sit, non filialitas, sed essentia genita. Ita tenet Scotus *1. d. 30. q 1. art. 1.* & Suaretz *Disput 47. s. 15. num. 6. seq.* Alii *denique* distinguunt relationes. Aiuntque aliquas terminari ad absolutum, veluti relationem creaturæ, ad Dei creantem essentiam: Alias terminari ad relativum, veluti relationem patris ad filium.

58. *Variæ sententiæ*

Hac in re duo præcognoscenda sunt. 1. *Quòd sermo sit de termino formaliter, non autem quasi ea quæ concomitantia sunt, vel quoquo modo juncta rei, quod rationem terminat habet, in ordine ad relationem.* Nam de eo nullum dubium est, quod ipsum relativum terminum concomitari saltem debeat, si maximè non sit formalis ratio

59. *Præcognita.*

terminandi aliquam relationem. Unde quoad hoc nulla potest esse controversia. Eaque de causa ad æquivocationem vitandam, quærunt aliqui; quis sit *formalis terminus* relationis?

60. *Quid sit esse terminum relationis?*

II. Præcognoscendum est: *quid sit esse terminum relationis?* Igitur esse terminum relationis, hic non sumitur ab actuali officio terminandi, sic enim esse terminum, est denominatio prorsus extrinseca, & non dicit aliquid in ipso, quod terminat, sed solum dicit actionem alterius tendentis in ipsum. Sicut terminus visionis est color parietis, & scopus est Sagittario terminus. Ubi paries ex hoc non denominatur nisi extrinsecè, ab oculi scilicet officio vel operatione, per quam tendit in videndum istum parietem. Quòd igitur sub isto actuali officio terminandi, non possit sumi terminus relationis, patet, quia terminus in relatione requisitus non est de subsequentibus ipsam, sed de prærequisitis ad ipsam. Requiritur enim ad constitutionem relationis, & ex ejus positione resultat. Cùm autem aliquid actu terminat relationem, tùm utique est jamdum relatio. Terminus enim tùm non aliud officium habet quam ut admittat quasi actum alterius ad se.

61. Inquirimus autem de termino sub esse aptitudinali. Nempe non quævis relatio terminatur ad quidvis. Neque enim similitudo albi verbi gratia tendit ad essentiam & quæ sunt hujus generis alia: Sed terminatur ad aliud sibi homogeneum. Hoc igitur quod deest v. g. essentiæ genitæ, quo minus ipsa terminare possit similitudinem albi, vocamus terminum illius similitudinis. Et hoc ipsum natum erit terminare illam relationem. Veluti, si quid aliud album detur, illud poterit albi illius similitudinem terminare, & sic constituere similitudinem. Ex hac igitur albedine cùm resultet & quasi compleatur illa relatio unius albi ad aliud. Ideircò illa albedo hactenus commodè dicetur terminus. Utigitur hoc plenius constet, pono distinctas assertiones.

62. *De relatione non mutua.*

I. *In relationibus non mutuis certum est relationem realem non terminari ad aliquid relativum: sed terminatur ad aliquid absolutum.* Veluti relatio creaturæ ad Deum non potest terminari ad aliquid relativum. Et patet clarè, quia relatio non mutua exinde nomen habet, quia deest ex alterutra parte relatio vera & realis. Si ergo Deus non habet relationem realem ad creaturas, quomodo relatio creaturæ ad Deum potest terminari in aliquo relativo, quod sit in Deo?

63. Ajunt sufficere: quòd ex parte Dei sit relatio rationis, ad quam terminetur relatio creaturæ. Sed hoc prorsus gratis dicitur, quia relatio realis ad terminum refertur per resultantiam quasi ab ipso, ut prius constitit. Impossibile autem est, realem relationem posse resultare ab eo, quod rationis est. Entia enim rationis à parte rei nullam habent Entitatem. Et confirmatur: quòd, cùm relatio creaturæ sit fundata in esse ipsius, consequenter ipsum esse rei creatæ saltem ex semisse aliqua, esset à relatione rationis, junctâ essentiæ divinæ:

64. Atque ex his id saltem sequitur: quòd ad relationem prædicamentalem, ut sic, non requiratur pro formali termino aliquid relativum. Nam illa relatio creaturæ ad Deum, absolutè & simpliciter est vera relatio prædicamentalis. Et tamen ea, ut visum est, habet terminum absolutum. Atque ita, loquendo de relatione prædicamentali generatim, saltem pet accidens est, eam terminari ad aliquid relativum.

65. *Relationis terminus est quid absolutum.*

Nunc II. Dico: *Relationis terminum semper esse quid absolutum.* Permissivè loquor; Nam quando relationes fundantur in aliis pluribus relationibus (quod fieri posse patuit *præced. art. puncto* 1.) sine dubio terminus earum est quid relativum. Loquor ergo, dimissis istis relationibus, de cæteris, quæ fundantur in entibus absolutis. Et in his aio terminum non esse quid relativum, sed absolutum. Veluti similitudinis cygni v. g. terminum aio esse qualitatem, quæ in nive est, hoc est, albedinem. Non autem terminus illius est similitudo.

66. *Probatur*

Hanc igitur assertionem probo. 1. Terminus est naturâ prior relatione. Debet enim relatio ex illius positione demum resultare, quo sensu & de essentia relationis di-

nis dicitur. At relatio opposita non est natu. prior relatione hac. Relata enim sunt simul naturâ. Relatio igitur opposita non potest esse hujus relationis terminus, sed quid absolutum. assertio.

Nempe II. quod est fundamentum, v. g. ut innitatur ei relatio paternitatis: Id-ipsum est terminus, ut ad eam feratur relatio filialitatis. Et vicissim quod est fundamentum filialitatis in hoc, id est terminus alterius relationis, quæ est in patre. Hoc ipso enim quia fundamentum fundat aliquam relationem, facit eam rem aptam, ut aliorsum referatur, & sic vicissim, ut oppositi relativi relationem terminet. Sed fundamentum in istiusmodi relationibus est quid absolutum. Ergo etiam terminus est quid absolutum. 67

III. Id est terminus relationis, quod facit ut aliquid aptum sit, quod respiciat aliud: sed hujus causa non potest dari, ex relativo sed absoluto. Oportet igitur, ut terminus etiam sit quid absolutum, & non aliquid relativum. Assumptum patet. Nam si interrogetur: cur pater referatur ad filium, non respondetur accommodè: quia filius refertur ad ipsum. Sic enim fiet negatio & committetur circulus. Sed dicendum est: filium referri ad patrem, quia genitus est à patre, sicut vicissim patet refertur ad filium, quia iste hunc genuit. Terminus igitur unde resultat relatio patris, est essentia genita; sicut terminus unde resultat relatio filii, est essentia gignens. 68.

Id frequenter huic sententiæ opponi solet; quod unumquodq; relatum eum habeat terminum, ex quo definitur. Sed definitur ex suo correlato. Ergo terminus ejus est correlatum ipsum. *Resp.* admittendo conclusionem. Terminatur enim ad correlatum tanquam concomitans quid terminum absolutum. Terminatur inquam ad correlatum, non autem quâ tale est hoc est, sub esse respectivo, ut visum est, sed quatenus implicat aliquid absolutum, quod relationis in isto correlato fundamentum est, & consequenter terminativum istius, quæ in altero relatorum est, relationis. Et ex hoc possunt judicari argumenta alia, quæ huic similia sunt. 69. *Objectio.*

PUNCTUM III.

Terminus relationis quomodo ab ipsa debeat distingui?

Respondeo breviter; debere eum à Relatione ipsa distingui realiter. Tenétque ita Thom. 1. p. q. 42. art. 4. Soncin. 5. *Metaph. q.* 29. Arnand de Bello Visu *lib.* 2. *Termin. c.* 100. Suarez *Disp.* 47. *Metaph. sect.* 9. Colleg. Conimbr. *lib. 5 Categ. c.* 7. *q.* 1. *art.* 4. Et confirmatur: quia distinctio relationum est oppositio. Semper enim dividendo opposita, numerantur relata apud Arist. *lib. Categ. c.* 10 & *lib.* 2 *Topic. cap.* 8 & *lib.* 8. *c.* 6. *et l.* 5. *Metaph. cap* 10. Opposita autem utique differunt realiter. Et sic realiter differunt saltem paternitas & filiatio. Sed paternitas includit terminum filiationis; Et filiatio includit terminum paternitatis. Dum igitur filiatio realiter distinguitur à paternitate, etiam realiter distinguitur à suo termino: Et vicissim dum paternitas realiter distinguitur à filiatione, hoc ipso etiam realiter distinguitur à termino suo, qui in filiatione includitur. 70.

Et per hoc sequitur; quòd non possit esse relatio realis identitatis, quâ quid sibi ipsi idem esse dicitur, ut est in identitate numerali, prout & prædicti Autores, dictis locis, speciatim inferunt.

TITULUS VI.

De divisionibus relationis prædicamentalis.

VAriæ sunt divisiones relationis, quarum aliquæ nominales sunt. Et hæ considerate sunt in principio hujus capitis. Sunt deinceps etiam aliquæ 71

distinctiones reales, quæ qualemcunque relationum diversitatem insinuant, vel saltem insinuare videntur. Et hæ nunc sunt videndæ.

ARTICULUS I.

De divisione Relationum Aristotelica, *in eas, quæ fundantur in unitate vel multitudine: vel in actione & passione: vel in mensura & mensurato.*

71. *Aristotelica divisio explicatur.*

IN hæc tria relationum genera Aristoteles distribuit relationem, *l. 5. Met. cap. 15.* Ait igitur I. *aliquas relationes dici, ut duplum ad dimidium: Et triplum ad tertiam partem, simpliciter multiplex ad multiplicati partem, & excedens ad excessum.* Has relationes dicunt esse secundùm unitatem vel numerum. Pergit jam Aristoteles addere secundum genus: *Quædam* (ad aliquid dicuntur) *ut calefactibile ad calefactivum, & sectivum ad secabile, & simpliciter activum ad passivum. Quædam* (quod tertium genus dicitur) *ut mensurabile ad mensuram, scibile, ad scientiam; Et sensibile ad sensum.* Et hanc quidem divisionem communissimè non minus ac laboriosissimè defendunt Autores ferè communiter ad *h. l.* Aristotelis & Lombard. *l. d 30.* & Thom. *1. p q. 28.* Suarez eandem prolixè defendit & explicat *Disput. 47. s. 10. et seq. usque ad 15.* Et Collegg. Conimbr. eandem defendit, *l. Categ. cap. 7.* Inconstanter tamen. Ait enim durius culum esse relationem scientiæ ad scibile, intellectus ad intelligibile, visus ad visibile esse relationem prædicamentalem.

73. *Sententia autoris de ea.*

Mea de hac divisione sententia est, quòd ea non conveniat soli prædicamentali relationi; Sed Aristotelem, numerando varia exempla eorum, quæ relativa dicuntur; voluisse omnem vocis ambiguitatem comprehendere. Et proinde non voluisse dividere relationem prædicamentalem, sed solùm distinguere vocem relationis.

Ita ut sentiam, inde adducor, quòd video I. ab Aristotele varia exempla enumerari, quæ non possunt habere veræ relationis prædicamentalis rationem. Ita speciatim patet, quia ad secundum genus Relationum illarum etiam ab Aristotele referuntur, quæ dicuntur secundùm privationem potentiæ, ut *impossibile* & *invisibile*. De quibus nullo modo apparet, quomodo relatione prædicamentali dicantur talia. II. Eodem referuntur ea, quæ sunt ad terminum nondum existentem. Aut enim Aristoteles in secundo genere relationum, etiam secundùm tempora dicuntur ad aliquid, velut qui facit ad id quod factum est. Patuit autem in superioribus; Relationem prædicamentalem exigere terminum existentem. Vide *tit. 5. art. 4. punct. 1.* Denique quod durius culum dicebant Conimbr. revera ita est. Nam scientia ad scibile; item intellectus ad intelligibile referuntur solùm relatione transcendentali. Habitus enim naturales potentiæ, quæ respectus habent ad actus & objecta, eos habent ex vi essentiæ suæ. Ergo non referuntur per relationem prædicamentalem sed transcendentalem, per ea quæ de hujus & illius distinctionibus dicta sunt, in præcedentibus. Pertinentque ad hanc classem relatorum transcendentalem etiam illa exempla, quæ in secundo genere ponit Aristoteles, nempe calefactivum & calefactibile; Sectivum & secabile. Sunt enim hæc etiam exempla naturalium potentiarum, & earum objectorum, quæ ut visum, transcendentalem respectum habent.

Possent & alia vitia in illa divisione notari, si deberet pro exacta divisione relationis prædicamenta æstimari, Sed quæ enumerata sunt, satis id quod intendo evincunt. Alia igitur addere opus non est.

ARTI-

ARTICULUS II.

De divisione relatorum, in relata æquiparentiæ & disquiparentiæ.

74 HÆc est qualiscunque distinctio relationum prædicamentalium, quanquam absolutè loquendo & juxta omnes sensus, quos habere potest, relationis prædicamentali non sit adæquata.

75 Varii sensus illius divisionis.

Potest autem & solet illius divisionis sensus triplex esse. *Primò*: solent membra illa exponi secundùm *dignitatem* vel nobilitatem relatorum. Igitur sic relata *æquiparentiæ* sunt, quæ æqualem dignitatem vel nobilitatem habent, ut similia, amici, &c. Relata autem *disquiparentiæ* sunt, ubi dignitas relatorum est diversa, qualis relatio est inter creatorem & creaturam, patrem & filium, & sic in aliis. Ità exponunt hanc distinctionem Lovanienses, *in lib. Categ. c. 7. fol. 78.* Unde iidem malè aiunt *d. l.* hanc esse divisionem relationis prædicamentalis in species. Ex varietate enim nobilitatis, non potest specificum discrimen sumi.

76 Aliter solet illa distinctio intelligi quoad identitatem vel diversitatem *nominis*. Sunt enim aliqua relata unius nominis, ut similia, opposita, affines, &c. Alia autem sunt nominum diversorum, ut pater & filius, signum & signatum, principium & principiatum. Ista igitur dicuntur relata æquiparentiæ. Hæc verò dicuntur relata disquiparentiæ. Ita interpretatur hanc divisionem Damasc. *in Dial. c. 34.* Colleg. Conimbr. *in l. Categ. c. 7. q. 2. a. 2.* aliique.

77 Denique: Alii illam distinctionem interpretantur, juxta *identitatem vel diversitatem* relationis. Veluti pater reali relatione refertur ad filium: Et filius vicissim ad patrem. Est igitur in hoc exemplo eadem ratio ab utroque extremo. Hæc igitur hactenus dicuntur relata æquiparantiæ. Alia verò relata ejusmodi sunt, ut non sit ab utroque extremo eadem relatio. Veluti creatura ad creatorem refertur, relatione reali. At creator ad creaturam non refertur relatione reali. Ad hanc igitur diversitatem referendi significandam, dicuntur relata disquiparentiæ. idémque est, si alia aliqua diversitas intercedat. Et hoc modo explicat eam divisionem Suarez, *disp. 47. s. 15. n. 2.*

78. Relatio mutua vel non mutua.

Et ad hunc ultimum sensum intelligi potest distinctio relationis in mutuam & non mutuam. *Mutua* enim est, cùm ex utroque termino est realis. *Non mutua*, quando secus est veluti cùm ex uno termino realis, ex alio, rationis relatio est.

ARTICULUS III.

De divisione relationis juxta diversitatem fundamentorum.

79 QUænam fundamenta relationum sint, priùs visum est *tit. 5. art. 3. punctis 1.* lib. etiam *punctis secundo* patuit; quòd fundamenta habeant realem identitatem cum relationibus, quæ in eis sunt.

Unde nunc sequitur: quòd satis commodè distingui possint relationes, juxta diversitatem fundamentorum: ut sc. alia sit in substantia, alia in quantitate, alia in qualitate, & sic deinceps, prout in Theoremat. bus hujus capitis patuit. Et confirmatur, quòd propterea fortè tantopere curetur divisio Aristotelica, (quam *artic. 2.* consideravi) quia fit juxta diversitatem fundamentorum.

80 Id *objici* potest: quòd melius dividantur relationes, juxta diversitatem terminorum, quàm juxta diversitatem fundamentorum, quia terminus, est quid ultimum quasi in constitutione relationis. Potest enim fundamentum esse, nec tamen esse similitudo, quæ illicò erit, si terminus coexistens ponatur.

Sed *Respondeo*: In diversitate fundamentorum implicari diversitatem terminorum, tum quia fundamentum hujus relationis, est terminus relationis oppositæ, ut priùs constitit, *tit. 5. art. 4 part. 2.* tum etiam, quia fundamentum termino quæ-

Intercunque homogeneum esse debet. Confer Colleg. Conimbr. *l. Categ. c. 7. q. 2. art. 2. col. 4.*

TITVLVS VII.

De attributis relationum & relatorum.

81 NUnc pro coronide referenda et explicanda sunt attributa, quæ Aristoteles relatis attribuit *lib. Categ. cap. 7. §. 5. seq.* Sunt eorum quinque quæ distinctis articulis persequor.

ARTICVLVS I.

Contrarietas est in relatis.

82 INest *contrarietas in his, quæ sunt ad aliquid, ut virtus vitio contraria est, cùm utrumque eorum sit ad aliquid. Et scientia ignorantiæ.* Inquit Aristoteles *lib. Categ. cap. 7. §. 6.* Sed exempla non sunt ad propositum. Loquimur enim de relatione prædicamentali. At virtus et vitium sunt Entia absoluta, de prædicamento qualitatis. Et quanquam habent aliquem respectum, sicut et alii habitus, ad actus et objecta sua; tamen is respectus transcendens est, non prædicamentalis: Et non est inter virtutem et vitium ad invicem: sed ad alia, ut visum est. Idem est de scientia et ignorantia, quæ non relativè sed privativè opponuntur. Et quanquam scientia respectum habeat ad scibile, tamen nec is est prædicamentalis, sed transcendens respectus.

Vox contrarietatum exponitur.

83 Nihilominus axioma verum est, si distinctio attendatur. Possumus enim contrariorum vocem sumere vel Physicè vel Logicè vel Metaphysicè. *Primo modo* contrarietas significat repugnantiam unius contra aliud: consistitque adeò in actione et passione ad invicem. Talis Physica contrarietas relativis non convenit, neque enim relationibus convenit istiusmodi Physica actio. *Secundo verò modo* relata possunt habere contrarietatem, si contrarietas sumatur pro oppositione eorum, quæ Ciceroni *Adversa* dicuntur, sic, inquam, in relatis potest esse contrarietas; non æstimando relatum ad correlatum, (horum enim oppositio non est ex adversis sed relatis, si sic sumatur) sed si æstimetur una relatio ad aliam diversi ordinis. Veluti sic simile ad simile relativè dicitur: At similitudo ad dissimilitudinem dicitur contrariè, contrarietate adversorum. Et æquale ad aliud æquale opponitur oppositione relativâ. At æquale ad inæquale opponitur oppositione contraria.

ARTICVLVS II.

Relata suscipiunt intensionem & remissionem.

84 VIdentur ea quæ *sunt ad aliquid, accipere intensionem & remissionem. Nam, simile & dissimile dicitur magis & minus: æquale quoque & inæquale dicitur magis & minus, cùm utrumque eorum sit ad aliquid.* Inquit Aristoteles *l. Categ. c. 8. §. 7.*

85 Ad hoc observandum est. 1. quod intensionem et remissionem aliqui intelligant hic ratione fundamentorum. Et ut maximè id procedat de similitudine, quatenus ea in qualitate fundatur (qualitas enim magis et minus suscipit) tamen non potest id in genere dici de omnibus relatis. Fundantur enim aliqua in esse substantiali, et aliqua in esse quantitatis. At nec substantia nec quantitas magis et minus suscipiunt, per Arist. *lib. Categ. c. 5. & 6.* ut in prioribus visum est.

86 Atque sic 11. Dico: quòd etiam relata ex parte sui, hoc est, secundùm esse relationis ipsius, non suscipiant magis et minus. Intensio enim facit, ut Entitas subjecto conveniat perfectiori modo; Et remissio, ut modo imperfectiori. At similitudo

tudo & æqualitas, verbi gratia, consistunt in individibili. Veluti si quæ conveniant simpliciter in forma aliqua dicuntur similia. Et si habeant eandem quantitatem dicuntur paria. Et hinc paritas vel æqualitas, adeò exactam convenientiam significant, ut nullam prorsus latitudinem admittat illa æqualitas. Vide *lib. 10. Metaph. c. 3.*

87. *Axioma est intelligendum ex populari sermone.*

Atque hinc inprimis hoc dictum Aristotelis intelligendum est, juxtà popularem modum loquendi, quo Aristoteles sæpè in Categoriis usus est, prout & interpretatur Toletus & Conimb. *ad h.l.* & Fonseca *l. 5. Met. c. 15. q. 5. s. 2.*

Potest autem istud loquendi genus fundari in similitudinibus, v.g discretis. Veluti conveniunt alicui rei plura attributa, veluti homini, esse, vivere, intelligere, &c. Hinc igitur Homo v.g. est similior Deo quàm lapis, quia in pluribus attributis cum Deo convenit quàm lapis. Sic, si qui conveniant in eadem ætate & statura, & doctrina: æqualiores sunt, quàm si in sola ætate æquentur.

88. *Secundò:* potest illa æqualitatis (de ea enim potissima est difficultas) intensio & remissio fundari in majori recessu ab extremo. Etsi enim æqualitas præcisè sit quasi in centro posita: tamen isto populari genere loquendi, illud censebitur æqualius alii, quod ab extremo magis ad centrum vergit. Veluti si numerus alicujus sit, 11, decem, in duobus extremis, est æqualitas. Item si in duobus sit extensio decem pedum iterum est æqualitas. Hic igitur numerus ad novem æqualior est istis, quàm numerus ad quatuor, quia novem magis recedunt ab extremo, hoc est, ab uno, quàm quatuor, v.g. vel alius alicujus numerus infra novem. Cùm aliàs absolutè & Philosophicè loquendo hic nulla simpliciter sit æqualitas.

ARTICULUS III.

Relata dicuntur reciprocè.

89. Ἀντιστρέφοντα τὰ exponitur.

Πάντα τὰ πρός τι πως πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται hoc est, *omnia relata ad convertentiam & reciprocè dicuntur*, ait Arist. *lib. Categ. c. 7. §. 9.*

Octo significationes τῶ ἀντιστρέφειν καὶ ἀνταποδίδοσθαι, tradit Monlorius. 1. *prior. c. 2. ad Schol.* 1. p. 25. Igitur ut alias significationes mittam, ἀντιστρέφειν aliquando est, id quod æqualis est ponderis. Ita ἀντιστροφὴ dicitur quasi ἰσοστάσιον, ut sic etiam ἀντιστρέφειν sit idem quod ἰσοστρόφειν quo sensu Aristoteles *l. 1. Rhetor. in initio*, ait: ῥητορικὴ ἀντίστροφός τις τῇ διαλεκτικῇ, hoc est, *æqualis dignitatis & ponderis*, ut interpretatur Alex. Aphrodisæus *in præfat. comment. in Topic.* Et hunc ad modum etiam vocem ἀντιστρέφειν interpretatur Ammonius. *ad l. Categ. h. l.* ut relata dicuntur ἀντιστρέφοντα, hoc sensu, quòd æqualem habeant relationem, veluti, quod non magis pater ad filium, quam filius ad patrem referatur.

90. *Duæ cautelæ ad propositum axioma.*

Deinde particula illa ἀντὶ potest significare vicissitudinem. Sic ergo relata sunt ἀνταποδιδόμενα, hoc est, habent relationem mutuam & vicissitudinariam. Ita pater refertur ad filium & vice versâ filius ad patrem, & sic in aliis. Et hoc videtur inprimis Aristoteles intendisse. Indéque talis interpretatio communior est.

Atque tùm Aristoteles *d. loc.* duas cautelas adhibet sive observationes. *Prima* est, quòd ista mutua σχέσις non semper significetur casibus iisdem, sed quandoque diversis. Exempla tamen subjiciuntur, quæ ex relatione transcendentali sumuntur. Veluti scientia est scibilis scientia. Non dicimus autem vice versa, in genitivo casu: & scibile est *scientiæ* scibile, sed scibile est *scientiâ* scibile. Ex quo & similibus ab Aristotele positis exemplis patet: illam vicissitudinem debere qualiter intelligi in relatis. Aliàs enim hæ relationes, quæ tertii generis sunt, dicuntur ab Aristotele non mutuæ *lib. 5. Metaph. cap. 15.*

Altera observatio Aristotelis est; quòd illa σχέσις quandoque exprimatur per ἀνώνυμα: cùm vocabula idonea non sunt. Caput enim v.g. non refertur ad animal, vicissitudinariâ relatione, sed ad capitatum. Et sic in aliis.

ARTI-

ARTICULUS IIII.

Relata sunt simul naturâ.

91. ITa ait Arist. *l. Categ. c. 7. §. 17.* Addit tamen Aristoteles, ut detrahat universalitati ejus regulæ, ἢ ἐπὶ μὲν τῶν πρός τι ταῦτ' ἀληθές ἐστι. Et subjicit postea exemplo scientiæ & scibilis, sensus & sensibilis, ubi id non sit, cùm scibile & sensibile sint priora scientia & sensu.

92. *Simul naturâ quid sit?* Igitur ut hæc etiam propositio intelligatur; *Inprimis* sciendum est. Ea esse simul natura, quorum uno posito alterum ponitur, in essendi consequentia, ut intelligitur ex superiùs dictis, *lib. 1. c. 29. n. 22. seqq.* Relata igitur sunt simul natura, quia eorum uno posito vel remoto, alterum quoque ponitur vel removetur per essendi consequentiam.

93. Quibus positis, *secundo* observandum est; quòd axioma hoc universale sit, sed loquendo de relatione prædicamentali, non autem transcendentali. Relatio enim transcendens potest terminari ad id quod nondum est, veluti actualis scientia ad Eclipsin futuram, & sic in aliis, ut notat Suarez *in Met. d. 47. s. 4. n. 2.* In relatione igitur prædicamentali id specialiter procedit, quia ipsa simpliciter & purè est ad terminum, atque ita hæc relata sunt simul natura, quia cum resultat una ex fundamento & termino, resultat & alia, omnino concomitanter, absque ullo ordine prioris & posterioris inter se. Fundatúrque adeò hæc simultas-naturæ, non in formali habitudine earum inter se, sed in necessaria connexione, quam habent in fundamento & termino, quia neutra insurgere potest, nisi jam posito fundamento & termino, & illis positis ambæ statim necessario consurgunt. Vide Suarez. *disl. Disp. 47. s. 16. n. 24.*

94. *Censura aliorum.* Atque hinc apparet, frustrà laborare Thom. *1. p. q. 13 a. 7.* Ammon. *in prædicab.* & Zabar. *in tab. Lez. fol. 119.* & alios, ut ostendant, quomodo & scibile & scientia, & sensibile ac sensus sint simul natura, veluti, quod id fit loquendo de iis sub eodem modo essendi, alterve. Nam inter ista non est relatio prædicamentalis sed transcendens, ut visum est prius, *tit. 6 art. 1.* At relatio transcendens non exigit, ut ejus correlatum sit natura simul cum eo, ut modo visum est. Confer Anton. Scayn. *in Categ. c. 7.*

95. Atque de his relatis porro, quæ relatione prædicamentali relata sunt, intelligitur illa simultas, quatenus sunt sub esse relativo, non autem in esse absoluto. Ita pater, qua pater, est natura simul cum filio. At pater, qua homo, prior est, quàm sit ille homo, qui filius dicatur. Sic Damasc. *in Dial. c. 50.* ait, *patrem conterimi & comprehendi filio non quoad ὑπόστασιν sive subsistentiam, sed quoad σχέσιν sive respectum & relationem.*

Atque sic ex hoc relatorum attributo sequitur; *Earum imo posito & alterum ponì, & uno sublato, alterum etiam auferri,* & hoc est illud συναναιρεῖν ἢ συναναιρεῖσθαι, συναναιρεῖν ἢ συναναιρεῖσθαι in relatis, de quo agit Aristot. *d. l. Categ. c. 8. §. 17. 18. 19.*

ARTICULUS V.

Qui novit unum relatorum, novit & alterum.

HOc quidem relatorum attributum est, apud *Arist. l. Categ. cap. 7. §. 26.* Solet autem intelligi tribus modis.

96. *Triplex sensus illius attributi.* Aliqui intelligunt de notitia existentiæ, hoc sensu, qui novit unum relatorum esse; is novit etiam alterum relatorum esse. Et vera est hæc conditio, quia relata relatione prædicamentali exigunt terminum coexistentem, ut prius visum est. Sed tamen verba Aristotelis, hoc, ut contextus indicat, non videntur intendere.

97. Alii frequentius illud intelligunt, de notitia essentiæ & definitionis. Veluti qui novit definitionem patris, novit etiam definitionem filii. Hæc conditio etiam

verè

verè relatis convenit? Sed tamen nec ista videtur nunc intendi ab Aristotele. 98.

Hoc igitur præcisè videtur velle Aristoteles, quòd, qui novit aliquid relatum, hoc ipso sciat aliquem terminum vel correlatum, cujus respectu relatum dicatur. Veluti si notis patrem esse terminum relativum, oportet te nosse aliquid ad quod referatur pater. Et si nosti Dominum relativè dici, oportet te nosse aliquem terminum vel correlatum, ad quod dicatur relativè. Verba Aristotelis, quæ idipsum insinuant hæc sunt, *dict. 1. 1 categ. c. 7. Perspicuum est*, inquit, *quod si quis novit, hoc aliquid esse relatum, relatorum autem essentia nihil aliud est, quàm ad aliud quid modo quopiam esse affectum: etiam illud novit ad quod hoc est aliquo modo affectum. Etenim si omninò ad ignoret, ad quod hoc est aliquo modo affectum, ne quidem an sit aliquo modo ad aliquid affectum, cognosceret. Sed & in singulis hoc est perspicuum, ut si quis definitè novit hoc esse duplum, etiam cujus duplum sit statim definite novit, quia si nullus definitè sciret hoc esse duplum, neque an duplum sit omninò novit.*

Et hæc attributa sunt, quæ specialiter Aristoteles persequitur. Alia ex his cognosci possunt, quæ hactenus de relationibus tradita sunt.

CAPUT X.

De Actione.

1. Quartum genus Accidentis est Actio.
2. Actio est accidens secundùm quod, res agere dicitur: *seu* secundum quod principium activum in actum reducitur. 1.

COMMENTARIUS.

In hoc capite agendum *primo* est de voce actionis: *Tum* ejusdem definitione. *Tertio* explendus de illente actionis. *Quarto*, generatim de divisione actionum, unde scilicet earum divisio sumenda sit. *Denique* agendum est de divisionibus variis actionum. Attributa autem actionum commodiùs explicabuntur *seq. cap.* conjunctim cum voce passionis.

TITULUS I.

De voce actionis.

Aristoteles *lib. Categ. cap. 9* utitur verbo *agere*. Frequentius est nomen *actionis*. Utrumque horum satis commodè conjungitur, ad evitandum incommodum, quod utrinque esse potest. Verbum igitur *agere* hactenus commodum non est satis, quia verba significant actualitatem, ut Arist. docet *1. de interp. c. 1. §. 1.* inde, quia adjunctificant determinatam differentiam temporis. Tempus autem sumitur secundùm esse actuale rerum. At in prædicamentis res sunt cum indifferentia ad esse actuale & possibile. Ita in prædicamento substantiæ est homo, præscindendo, sitne actu an potentia. Ad eundem ergo modum in prædicamento actionis est calefactio, v.g. præscindendo, sitne aliquid actuale an possibile, quia hoc ipsum præcisè ei convenit, ex vi essentiæ suæ. Atque ad hoc insinuandum meliora sunt nomina quàm verba, atque adeò *actio* quàm *agere*. Nam nomina non continent actum in significato suo. Unde superiori libro dictum est, *Ens, perfectum, completum, &c.* nominaliter sumi & non ad modum verborum vel participiorum. 2. *In voce agere quæ incommoda.*

Ex alia tamen parte aliud incommodum est in nominibus, quod non est in

De voce actionis. verbis. Nomina enim specialia actionum ambigua sunt, ad significandam tùm actionem tùm passionem. Sic calefactio est & activa & passiva. Et frigefactio item induratio & emollitio & exiccatio, &c. possunt intelligi & activè & passivè. Hæc autem ambiguitas non est in verbis. Calefacere enim, frigefacere, exiccare, &c. non possunt passivè sumi. Hactenus igitur verba sunt commodiora nominibus. Dixi *de specialibus nominibus actionum.* Nam in isto generali nomine *actionis* illa ambiguitas non est. Unde & generatim loquendo de actione, absolutè melior est vox *actionis* quàm *rei agere.*

4. *Ambiguitas in voce actionis.*

Cæterùm vox actionis ambiguè sumitur, idque valdè variè. Igitur *primò* actio generatim aliquando sumitur, & significat omne illud, per quod, saltem more loquendi nostro, actuatur aliqua potentia activa. Et hoc modo frequenter etiam intellectio & volitio in Deo, vocantur actiones Dei, quia potentiam intelligendi & volendi in Deo, intelligimus per hæc actuari quasi, quod tamen à parte rei non est: Cùm intellectus in Deo non sit per modum potentiæ, sed per modum actus puri & ultimi, idque per identitatem ad essentiam divinam, ut prius visum est, *c. 3. tit. 14* Unde istas actiones in præsenti non complectimur. Actio enim est extra essentiale prædicatum substantiæ, de qua nunc sermo est.

5. *Omnis causa an & quo modo agat?*

Aliter vox actionis valdè generaliter sumitur: Et notat cujusque causæ causalitatem. Unde frequenter ista occurrunt: Quòd omnis causa agat. Et in specie, quòd materia non sit causa si non ageret. Vide Scalig. *lib 2. de Plant. pag.* 293. Et *Exerc.* 307. *s.* 27. *pag.* 977. Atque ita juxta hunc modum loquendi, & materia & forma & finis agunt. Non est tamen ea significatio hujus loci, sed præcisè actio hîc significat influxum effectivum. Et proinde cæteris causis solùm convenit actio, per Metaphoram & similitudinem ad actionem effectivam; ut de fine Scalig. docet *Exerc.* 254. Et Aristot. *lib. 1. de gener. c. 7. t. 55. Cum gratiâ*, inquit, *cætera fiunt, activum non est. Quapropter facultas ipsa non est activa, nisi per translationem.* Atque hinc malè specialiter causalitates materiæ & formæ, vocavit actiones immanentes Hervæus *quodl.* 2. *q.* 8. ut notavit Javell. *lib. 6. Metaph. quæst.* 16. & Suarez *Disp* 48. *s.* 2. *n.* 8.

6. *Actio quatenus vendicetur soli agenti per transmutationem.*

Atque hæ significationes latiores fuerunt actione prædicamentali. Nunc & de aliis videndum est, quæ sunt angustiores. Atque sic *tertiò* actio aliquando sumitur quasi per excellentiam, quæ evidentissimo & quasi nobilissimo modo, in hoc quidem genere Entium sit actio. Atque ita solet nomen actionis specialiter vindicari actionibus transmutativis, iisque, quæ non sunt spirituales, sed reales & materiales. Et hoc modo loquendi agens per emanationem, quod dicitur, non agit: non agit, inquam, in tali excellentia sumendo vocem actionis. Vide Zabar. *lib. 2 de med. demonst. c. 5. & l. 1. de motu grav. & lev. c. 11.* Et ad eundem modum vulgò receptum est, quod quantitatis & figuræ nulla actio: Et tamen dimissâ hac significatione, absolutè istis convenit aliqua actio, nempe spiritualis. Referuntur enim inter objecta sensilia, ab Aristot. *l. 2. de anima, c. 6.* At objecta sensilia debent agere in sensoria.

7. *Actio quomodo fiat à valentiori?*

Jam *quarto* actio aliquando sumitur pro tali impressione, quæ sit cum finali victoria adversus patiens. Veluti si habeas particulam glaciei intra manum tuam, illa aliquam actionem præstat utique, infrigidando manum tuam: Et sic absolutè convenit ei vera actio. Quia tamen tandem nihil efficit, ut vincat calorem manus, sed in contrarium vincitur à calore manus, & tota resolvitur, hinc aliquo modo loquendi, ea glacies censetur non egisse. Et ad hunc modum sumitur vox actionis, cum vulgò dicitur: Actionem fieri à valentiori. Non, inquam, simpliciter omnis actio fit à valentiori, sed quæ est cum victoria adversus passum, ut bene interpretatur Zabar. *in lib. de Reactione, cap. 4. & 7.*

8. *Quintò*: sumitur vox actionis angustè, pro ea solùm, quæ est in qualitatibus & aliàs alteratio dicitur. Et hoc modo sumitur vox actionis ab Aristotele, cùm ait, *l. 1. de gener. t. 45.* quòd motus latiùs pateat quàm actio, ut interpretatur Peter. *l. 13. de motu, c. 7.*

Sextò

Secundò. Actio opponitur speculationi. Idque bifariam, adæquatè, inquam, vel inadæquatè. Inadæquatè, quatenus inter actionem & speculationem sive cognitionem medius effectio. Græcis πρᾶξις. Adæquatè: cùm effectio dimittitur, veluti cùm habitus alius dicitur practicus (activus) alius speculativus, & ad eundem modum dividitur intellectus, *l.3. de anima. t.1. 29. 30.* & felicitas, *l.10. Eth. Nicomach.* 9 *Act.o quomodo opponatur Speculationi?*

Hactenus igitur cùm actio adæquatè opponitur speculationi notat in communi omnem illam operationem, quæ est ultra cognitionem, seu propriè tendat ad ἔργον sive opus quoddam, seu non. Quando verò actio opponitur & effectioni & speculationi, tum actio significat illam operationem, quæ ad nullum opus tendit, ut est actus liberalitatis, temperantiæ, veracitatis, &c. Effectio autem dicitur operatio, quæ ad opus tendit, qualis est operatio Architecti facientis domum, & sic in aliis. Et per hæc discernuntur ars & prudentia apud Aristotelem *l.6. Eth. c.3.* quod prudentia dicitur habitus *agendi*: Ars verò dicitur habitus *efficiendi*.

Hic igitur nunc recensitæ significationes angustiores sunt pro præsenti significatione: Dicitúrque nunc in universum omne id nomine actionis, per quod aliqua efficiens causa constituitur: quòdque adeò aptum est & sufficiens, ad hoc, ut aliquid abinde denominetur efficiens, id juxta præsentem significationem actio est & dicitur. 10 *Propria huius loci significatio.*

TITULUS II.

De definitione Actionis.

GIlbertus Porretanus *lib. de sex princip.* Actionem sic definit: *Actio est secundùm quam in id quod subjicitur, agere dicimur.* Sed rigorosè & Metaphysicè loquendo illa definitio bona non est. *Primò*, quod sub voce, *dicimur*, actio restringatur ad homines, cùm ex genere suo actio latiùs pateat, quàm ut ad homines restringi possit ut observat Armand. de Bello Visu, *l.2. term. c.187. Deinde* non appareat, quomodo ea definitio accommodari possit actionibus immanentibus, item creationi. Illud, quia actiones immanentes non sunt in passum: Hoc, quia creatio non est actio ex subjecto, sive in id quod subjicitur, sed in nihilum, quod subjecto contradistinguitur. Unde, etsi actio sic definiri possit. Logicè loquendo, (neque enim in prædicamentis Logicis oportet ut omnia sint limitatissima & exactissima) tamen rigidè & Metaph. loquendo bona non est, ex dictis. 11 *Porretani definitio examinatur.*

Eodémque modo definitio Melanchthonis, *in Dial. l.1.* nimis est angusta, nec actionibus immanentibus convenit: *Actio est applicatio agentis ad patiens, quâ fit mutatio aliqua in patiente.* 12 *De definitione Melanchthonis et aliorum.*

Sic rursus Conimbr. *lib Categ c.9.* anguste definiunt actionem. *Actio est ultimus actus agentis, ut agens est, quo mediante aliquid efficit.* Neque enim omne agens est ποιητικὸν sive effectivum, hoc est, alicujus operis productivum, ut constat ex prius dictis. Ubi tamen non diffiteor vocem *efficiendi* aliquando latè sumi, sicut & Arist. *lib. Categ c.6* Prædicamentum actionis constituit sub voce ποιεῖν. Unde & ista definitio sub hac ampliatione, commodè explicari potest, quo in casu concordabit cum nostra, quam mox refero.

Suarez sic definit *Disput. 48. sect. 5 num. 2. Actio est forma, quæ principium effectum primò in illum reducitur*: Seu; *est forma, quæ primo ex per se fluit, & per quam id quod properè fit, ab agente manat & pendet.* Et ex his quidem prior definitio satis commoda est. Ea autem quæ additur tanquam æquipollens priori, mihi non æquè probatur. Neque enim per omnem actionem aliquid fit, quod sit quasi ultra actionem, sed constituatur aliquæ præcisè in eo, ut actuet principium activum, citra productionem alterius, ut postea dicam, loquendo de termino actionis. Unde oportet ut optima sit illa definitio, quæ præscindit ab istiusmodi specialibus conditionibus.

13 Definitio propria.

Igitur actionis propria definitio hæc est; *Actio est accidens secundùm quod res agens dicitur*: Seu, *actio est accidens, secundùm quod principium activum in actum radicalem*. Hoc est, quod dico, quòd actio tale quid sit, ex quo formaliter aliquid agens dicitur, seu, actio est tale quid, per quod aliquid actu agere dicitur, cùm antea, ante scilicet hujus actionis præsentiam, dicebatur posse agere. Veluti: hæ actiones sunt, procreare, enutrire, &c. quia his positis est aliquid actu procreans vel conservans. Et sic de cæteris. Sed videamus seorsim de singulis.

14 Exponitur.

Primò: Actio dicitur *accidens*. Est enim extra-essentiale prædicatum substantiarum. Ac in hoc generatim consistit ratio accidentis, ut suprà visum est. An verò ad hoc requiratur etiam ut sit in subjecto, de eo postea aliquid dicendum est præter ea quæ ad hanc rem *hoc lib. 2. c. 6.* suprà dicta sunt.

15 Secundùm ambiguè dicitur.

Deinde dicitur; *secundùm quod*, &c. Potest autem hæc particula ambiguè sumi. Potest enim vox hæc *secundùm* sumi & formaliter & ad modum determinandi subjectum vel principium, prout Aristoteles hanc vocem explicat, *lib. 5. Metaph. c. 18.* Veluti: homo est albus secundùm albedinem. Hic particula *secundùm* notat formale principium. Formalis enim ratio unde sumitur denominatio albi, est albedo. Aliter dicimus: Hominem intelligere secundùm animam. Hic particula *secundùm* determinat ad principium Quò: Et adhuc aliter dicimus: Hominem esse immortalem secundùm animam. Hic particula *secundùm* determinat ad subjectum Quo. Actio igitur est id, *secundùm* quod agimus, non, ut particula secundùm determinat ad principium quo (hic enim intelligimus, v.g. secundùm animam, & tamen anima non est actio) aliàsve. Sed prout particula *secundùm* determinat formale principium, unde quid dicatur agere vel agens. Sicut priori capite dicebamus. Relationem esse id accidens, *secundùm* quod aliquid aliorsum dicitur.

16

Tertiò ponitur in definitione vocula *Res*. Notatque ea principium agens. Et malui rem dicere, quàm vel substantiam vel suppositum, quibus vendicantur specialiter actiones, quatenus de primo & radicali principio operationum loquimur, vel eo, quod est principium Quod. Aliàs autem loquendo de principio actionis simpliciter & illimitatè, sic actio non solùm convenit suppositis, sed etiam substantiis incompletis: imò & accidentibus. Sic Aristot. *l. 10. Ethic. c. 5.* definit beatitudinem esse actionem animi. Animus autem suppositum non est. Sic & *l. 3. de caim. cont. t. 21.* ait: animam intelligere & *ibid. t. 4.* ait: intellectum intelligere. Sic & passim Aristoteles ait qualitates esse activas vel actuosas, & Damascen. ex hoc distinguit ἐνεργητικὰ & ἐνεργείας, & dicit, supposita esse ἐνεργητικά. Alia esse ἐνεργητικά.

Quia ergo actio hactenus totuplex principium habet, idcircò melius in definitione actionis ponitur nomen communius *rei*, quàm nomen *substantiæ*, quod magis ad hanc rem angustum est.

17

Denique additur particula, *dicitur*. Ubi illa particula non est intelligenda per oppositionem ad esse, sicut ea vocula sumitur in oppositione relatorum secundùm esse & secundùm dici, de quo priùs erat *in cap. 8.* Sed tale *dici* hic intelligitur, cui res subsit, ad quem modum frequenter etiam vox sumitur: Veluti cùm universale illud esse definatur, quod *dicitur* de pluribus. *l. de Interp. c. 7.* & sic in aliis. Cur autem adhibeatur particula, *Dicitur*, & non *dicimur*, quod Porretanus habebat, de eo fuit in initio hujus tituli.

TITULUS III.

DE ESSENTIA ACTIONIS.

18

Quæ sit essentia actionis, ex his constare potest. Dicam tamen paulò plenius hac de re. Inquirendum igitur hic *primò* est de eo; An actio sit quid respectivum?

ctuum? *Deinde* de ejus respectu ad principium activum: *Tertio*, de ejus respectu ad terminum. Et *Quarto* de ejus respectu ad subjectum.

ARTICULUS I.

An Actio sit aliquid respectivum?

19. INprimis sciendum est, quantum ad hujus quæstionis decisionem, quòd vox actionis possit ambigue sumi. Igitur potest sumi vox actionis pro relatione, per quam agens refertur ad patiens, veluti causa efficiens ad effectum. Sic nunc non accipitur vox actionis. Relatio enim ordine naturæ est posterior termino suo, utpote ex quo posito resultat. Hactenus igitur quia terminus relationis, quo refertur agens ad patiens est passio, passio est aliquid prius actione. At nunc apprehendimus actionem tanquam aliquid prius passione, unde passio vocatur *effectus* actionis, vel ejus receptio à Perretano *in lib. de sex principiis*. Actio igitur nunc non est relatio agentis ad patiens, ut contra Capreol. docet Suarez. *Disp* 48 *s.* 2 *n.* 18.

Actionis vox bifariam sumitur.

20. Stando igitur in hac alia significatione, aio: actionem esse quid respectivum. Implicatque actio (permittivè loquendo. Neque enim id est in omnibus) multiplicem respectum. *Primus* est ad aliquod principium activum. Sic visio v. g. dicit respectum ad potentiam visivam. *Secundò*, actio implicat respectum quandoque ad terminum, hoc est, formam per actionem producibilem: Veluti calefactio ad calorem, frigefactio ad frigus. *Tertiò* implicat respectum ad objectum, hoc ipso, quia dicit respectum ad potentiam. Potentiæ enim implicant ordinem sive respectum ad objectum. Sic visio dicitur per ordinem ad aliquid visibile, veluti colorem vel lumen. Implicant & aliquæ actiones respectum ad subjectum, veluti calefactio ad calefactibile. Atque ita hactenus actio utique est quid respectivum.

Actio implicat multiplicem respectum.

21. Cæterùm, ille respectus non est prædicamentalis, sed transcendens. Nam includitur in unaquaque actione, ex vi essentiæ illius. At hîc est transcendens respectus. Confer Suarez. *Disp dict.* 48 *s.* 2 *n.* 17.

22. Argumenta contra hanc sententiam non sunt, nisi quæ sumuntur ex neglecto discrimine, inter relationem transcendentem & prædicamentalem. De aliquibus tamen respectibus seorsim dicendum est. In quibus etiam attingentur, quæ ad hanc rem pertinere videbuntur.

ARTICULUS II.

De Respectu Actionis ad principium agens.

23. HUnc respectum in actione negant Hervæus *quodl.* 1. *q.* 9. & *quodl.* 8. *q.* 14. Javellus *l.* 5. *Metaph. q.* 23. aiunque: aientes, actionem calefactivam, v. g esse simpliciter nihil aliud, quàm calorem productum: Et ab hoc calore ignem denominari agentem, solum per extrinsecam denominationem, quemadmodum paries ab actu oculi in ipsum, visus denominatur.

Hæc tamen sententia ex eo non potest procedere, quia datur aliqua actio quæ in nullo patiente recipitur, velut est de actionibus immanentibus, ut postea dicam. Et nihilominus actio, v.g. intelligendi vel volendi, denominat animam. Non potest igitur denominatio illa extrinseca esse, sumpta à patiente. Idem etiam patet de cæteris actionibus. Igitur neque ignis calefaciens denominatur denominatione extrinseca, hoc est, calore per ipsum producto, quia ut postea videbitur, actio non est simpliciter idem quod terminus, sed est ex parte agentis causalitas ejus, quâ influit formaliter, ad productionem illius termini.

24. Et ex his etiam solvitur objectio adversantium. Aiunt enim actionem dicere

denominationem extrinsecam ad agens, qui per hanc sufficienter explicetur natura ejus. Patuit enim nequaquam eam ad hoc sufficere. Atque ita relinquitur, respectum, quem habet actio ad agens, non esse quid extrinsecum actioni, sed intrinsecè in ejus essentia includi. Confer Suarez. *Disp.* 48. *s.* 1. *n.* 9.

ARTICULUS III.
De respectu Actionis ad terminum.

25 *Terminus actionis dupliciter dicitur.*

INprimis ne labamur in usu vocum in errorem, præscendum est, Philosophos *termino actionis* bifariam uti. Igitur aliquando terminus actionis est idem quod objectum. De ratione enim objecti est, terminare actionem potentiæ act. væ. Et ad hunc modum dici solet, visionis terminum esse colorem, & sic in actionibus aliis. Ad hunc modum nunc sermo non est de actionis termino. Igitur aliter sumitur terminus, pro eo qui aliàs terminus ad quem dicitur, hoc est, pro forma quæ per motum producitur sive acquiritur. Sic calefactionis, verbi gratia, terminus est calor, frigefactionis frigus. Et de hoc termino nunc quæritur.

Sunt autem duo inprimis, quæ de tali actionum termino disputantur. *Primum* est: An omnis actio habeat terminum? *Alterum* est: Quomodo actio comparetur ad terminum?

PUNCTUM I.
An omnis actio habeat terminum?

26 *Variæ sententiæ.*

AD hanc quæstionem inprimis tres sunt sententiæ. *Prima* est eorum: qui aiunt, omnem actionem habere terminum, sed sic, ut nunc à numero actionum prædicamentalium excludantur actus immanantes, qui dicuntur: Et hoc ipso, quia termino careant. Ita frequenter Thomistæ docent, & nominatim Soncinas *l.* 5. *Metaph qu.* 26.

Jam *secundò* aliorum sententia est: omnem actionem habere terminum, idq; esse etiam de actionibus immanentibus, nempe quòd & istæ terminos habeant, in quos agens ipsum. Ita tenet Scotus 1. *d.* 27. *qu.* 3. *et ibidem* Gabriel & Durand. Bonavent. 1. *d.* 3. *art.* 1. *q.* 1. Ant. Andr. 9. *Met. q.* 4. Suarez *disp.* 48. *s.* 1. *n.* 8 *seqq.*

Denique aliorum sententia est: Quòd non omnis actio habeat terminum, sic, ut actiones immanentes simpliciter & propriè sint actiones, atque adeò consequenter loquendo de actione in genere, sit ei per accidens habere aliquem terminum vel secus.

Ego, quod mihi videatur hac in re, per distinctas propositiones propono.

27 *Actiones immanentes verè esse actiones.*

I. Dico: *Actiones immanentes revera sunt actiones.* Ita teneo contra primam sententiam Soncinatis *dicto loco*, Ferrar. *lib.* 2 *de an. quæst.* 22. *et l.* 2. *contra Gent. c.* 82. Thom. *opusc* 48. Scotum *in quodl. quæst.* 13. Aliósque quos referunt Conimbr. *lib.* 3. *Phys. cap.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. Nam in universum id sine incommodo potest dici actio, quod sufficit ad constituendam causalitatem causæ efficientis. Atqui dantur causæ efficientes, quibus non convenit causalitas alia, quàm quæ sit actio immanens. Ergo actio immanens verè est actio. Propositio patet, quia prædicamentum actionis ponitur ad locandam causalitatem efficientis causæ, in genere Entium, ut suprà disputatum est, explicando divisionem prædicamentorum: Et confirmatur quod actio est adæquata causalitas efficientis ut suprà visum est *l.* 10 *ea.* 12. Assumptum patet. Nam homo absolutè est causa efficiens, in quantum denominatur videre vel intelligere. Et tamen isti sunt actus immanentes. Et hoc à fortiori appareat, cùm etiam per actus immanentes aliquis terminus producitur, veluti per intellectionem scientia, per visionem, amor & odium, & sic in aliis. Hæc enim dum fiunt, necessariò exposcunt aliquam efficientem causam. Nihil enim fit sine causa. At actio hic non intervenit nisi actio immanens. Ergo actio

immanens

immanens sufficienter est actio. Deinde ad actus immanentes sunt potentiæ activæ. Sed potentiæ activæ sunt per ordinem ad veras actiones, ergo actus immanentes sunt veræ actiones. Et si hæ solùm titulo tenus sunt actiones. Ergo etiam potentiæ illæ activæ titulo tenus sunt potentiæ illæ activæ. Quæro igitur quid revera sint?

Objiciuntur varia contra hanc assertionem. *Primò* omnis actio est ad terminum. At talis non est actio immanens. Sed *respondeo* antecedens in præsenti esse ipsum κατὰ διάνοιαν. 28.

Ajunt *secundò* omnem actionem esse successivam. At talis non est actio immanens. *Resp.* negando antecedens. Cur enim generatio non possit dici actio gignentis? Et illuminatio, actio luminosi sive corporis lucidi, præsertim cùm per istas actus producantur alia Entia, indéque suos terminos habeant. Unde hæc in parte meritò refutatur Soncinas a Suarez. *Disp.* 48. *s.* 2. *n.* 22.

Alia argumenta sunt ejusdem generis, quæ ex modò allatis decidi possunt.

II. Dico: *Actiones immanentes aliquæ non habent terminos: aliquæ eosdem habent.* 29. *Actiones immanentes aliquæ habent terminos, aliquæ non.*

Hæc assertio recedit tum ab iis, qui omnibus actibus immanentibus terminos assignant, ut faciunt Autores in secunda sententia citati; tùm etiam ab iis, qui omni actioni immanenti adimunt terminum, ut faciunt Autores tertiæ sententiæ.

Patet autem utrumque. Nam *inprimis* datur aliquis actus immanens ποιητικὸς sive effectivus, quo agens aliquid facit in seipso; veluti est operatio, quâ facimus syllogismum in mente nostra. Hæc utique est operatio sive actio. Syllogismus enim debet habere aliquam effectivam dependentiam à Syllogisante. Deinde clarè illa actio habet terminum, nempe ipsum syllogismum qui per illam actionem fit. Datúrque adeò hactenus aliqua actio immanens quæ habeat aliquem terminum. Illustrat hæc egregia *Scaligeri* sententia exer. 307. *s.* 23. *Sunt*, inquit, *quædam* (disciplinæ) *quæ extra contemplationem quidem sese extendunt, extra hominem haud semper exeunt: ut ars ratiocinandi. Ei namque non accidit opera exterior: sed intus secum, in seipso, ad sese, pro semet, potest homo facere syllogismum.* Similia habet exer. 1. *s.* 3.

Secundo: quòd non omnes actus immanentes habeant terminos, patet, quia secus omnes actus immanentes essent ποιητικὰ sive effectivi. Per terminum enim nunc ille intelligitur qui per actionem producitur. At actio postquam aliud reliquitur ποιητικὸν est, sive effectrix. Absurdum autem est omnes actiones esse ποιητικὰς, ut saltem patet ex discrimine artis & prudentiæ apud Aristot. *l.* 6. *Ethic.* quæ per agere & facere distinguuntur: Et confirmatur: quòd nullus possit dari terminus, qui producatur per actiones aliquas immanentes. Quid enim producit, *v.g.* intellectio vel visio. Nihil hic dici specio è potest quàm quod per istos actus producatur notitia habitualis. Sed hæc inprimis per accidens est ad actus illos, ut hîc etiam fatetur Suarez *d. l.* aliique. 30.

Objicit tacta *Disp.* 48. *s.* 2. *n.* 16. Quòd omnis actio ut vera, si vera sit & propria, nihil aliud sit, quàm effectio vel productio aut causalitas efficientis causæ. Sed impossibile est vel mente concipere veram productionem, quin per eam aliud fiat productum: vel causalitatem actualem, sine re aliqua causata. Ergo impossibile est etiam intelligere actionem sine termino. *Deinde*: si quæ essent actiones sine termino, maximè essent immateriales. Sed hæ non, quia actiones immanentes sunt qualitates quæ habere possunt propriam rationem termini producti per propriam actionem, etiam si talis actio in agente maneat. *Tum* etiam si actus immanens esset pure actio, esset immutabilis & invariabilis. *Deinde*: Actio ut actio non dicit formam quæ habet propriam entitatem, sed modum alicujus formæ vel entitatis, nimirum dependentiam ejus ab agente. De ratione modi autem est, ut sit alicujus rei modus, neque aliter reperiri possit. Ergo in præsenti dependentiæ non potest esse nisi alicujus, quod pendeat, & illud vocamus terminum actionis seu dependentiæ prout est ab agente. 31. *Objectiones.*

Ad

32. Ad *primum* respondeo: omnem actionem esse causalitatem. Sed non omnis
Solvuntur. causalitas est per modum productionis propriè & rigorosè, per quam scilicet producatur aliquid post actionem remanens. Nam & ipsæ actiones dicentur effectus præcisè & in se, quia habent esse dependens aliunde, ut fatetur Suarez *disp.* 18. *Met. s.* 10. *n.* 8. Ex quo etiam apparet: nullam in eo repugnantiam esse, si aliqua sit causalitas, neque tamen sit aliqua res causata, distincta à causalitate, quia causalitas ipsa potest esse hoc ipsum causatum.

33. In *secundo argumento* petitur principium. Neque videntur satis commodè actus immanentes posse dici qualitates agentis, quia simpliciter eis convenit definitio actionis, & de substantia præd cantur in quid agere, non in qualis est. At ex his denominationibus sumuntur prædicamenta.

34. Quomodo verò sequatur (quæ *tertia* erat objectio) quòd actio immanens non possit esse variabilis, si purè sit actio & non habeat ordinem ad terminum, non video, quia suppositâ, v. g. hominis libertate, poterit convertere oculos ad aliquod objectum, ut illud apprehendat. Sic ergo erit actio visiva. Rursus poterit oculos recludere, ut non amplius immutentur ab objecto. Ergo sic desinet visio. Atque ita in ist aliis actibus immanentibus. Possunt igitur præcisè sistendo in actionis essentia, mutari & variari.

35. Respondeo ad *quantum*, quod modalis natura actionis, æstimetur non per ordinem ad terminum, sed per ordinem ad agens, quod attingitur per actionem: loquendo de actione, ut sic. Visum enim est, quod actio dicat respectum ad agens.

36. III. Dico: *Actio ut sic non dicit respectum ad terminum.* Ista assertio relinquitur ex priori. Nam quod alicui, quatenus ipsum, convenit, convenit omni. At non omni actioni convenit terminus, ut visum est in aliquibus actibus immanentibus.

Actio non necessariò postulat respectum ad terminum.

PUNCTUM II.

Quomodo Actio comparetur ad terminum?

27. AD hanc rem dico I. *Actioni, ut sic, respectum ad terminum esse accidentalem.* Ita patet, quia in specie datur aliqua actio, quæ non exigit terminum qui per actionem producatur, ut visum est. At ea generibus accidentalia sunt, quæ non reperiuntur in omnibus speciebus.

38. II. *Illis verò actionibus quæ terminum habent, respectus ad terminum essentialis est.* Veluti calefactio essentialiter implicat respectum ad calorem, generatio ad aliquid gignendum, illuminatio ad lumen. Patet autem quia supposito eodem principio ad actiones, nihilominus actiones possunt specie differre, quod non posset aliunde esse, quàm ex diversitate terminorum. Ita emollitio & exiccatio fiunt ab uno principio, veluti, virtute calefactiva Solis. Et tamen emollitio & exiccatio specie differunt. Idémque est in aliis.

Locutus autem sum nunc non de termino ipso, sed de respectu qui est ad terminum. Quomodo agitur nunc ipse terminus se habeat videndum nunc est.

39. III. *Actiones quæ tendunt ad terminum non sunt realiter idem cum termino.* Ita teneo cum Collegio Conimbr. *l.* 5. *Phys. c.* 2. *q.* 1. *art.* 4. & Suarez *Disput.* 48. *s.* 1. *n.* 10. dor. Ique ita Aureol. & Venetus, ut Pererius minuit *in Phys. l.* 13. *c.* 9. *q.* 10. Differunt autem, Perer. *d. l.* Averroes *l.* 5. *Phys. com.* 9. Albertus & Simplic. *ad l.* 3. *Phys. c.* 2. Et tribuitur Commentatori, *l.* 3. *Phys. com.* 4 & 5. *Phys. com.* 9. aliisque. Hi ergo posteriores Autores ajunt calefactionem, v. g. idem esse cum calore, frigefactionem cum frigore, addúntque se loqui non de forma, ut forma est, sed ut est in fluxu aliquo.

Actio non est idem quod terminus.

40. Atque ex hac ad ita determinatione primum refutari ea potest. Nam dantur aliquæ actiones terminum habentes, quarum terminus in nullo fluxu consistit, veluti est in actionibus instantaneis; qualis est generatio substantialis & illumi-

natio,

ratio. Si igitur solùm motus realiter idem est cum forma, quatenus est in fluxu ista forma sive terminus, & non absolutè, quatenus forma vel terminus est. Ergo illuminatio, v.g. non habet realem identitatem ad lumen. At quæ tandem causa est, cur illuminatio realiter differat à lumine, calor autem realiter idem sit cum calefactione.

Deinde: calor v.g. fluens simpliciter est Ens permanens. Nam in quolibet indivisibili momento fluxus illius simpliciter calor habet totum esse simul, nihilque deest ei ad integritatem & complementum essentiæ suæ, ut supra visum est *Lib. c.* 19. At motus ipse calefactionis simpliciter est quid successivum, & non habet totum suum esse simul. Ea enim actualitas, quam motus dicit semper est cum possibilitate ad ulteriorem gradum formæ.

Tertio: patet hoc clarissimè in motu locali. Ejus enim terminus est ubi. Ubi autem etsi sit forma quædam intrinseca, tamen complectur per denominationem extrinsecam ad spatium. Non potest igitur motus localis Petri realiter idem esse cum termino ad quem illius motus. Alia mitto, & summatim ex his dico: Motum vel actionem non esse terminum ipsum sed tendentiam seu viam ad ipsum.

Argumenta Pererii potissima duo sunt. *Primum* est: Si calefactio, verbi gratia, habet esse distinctum à calore. E. oportet ipsam productam esse per actionem aliam. Et sic dabitur progressus in infinitum. De hac enim ulteriori act.one eadem redibit argumentatio. Consequentia patet, quia calefactio utique habet esse causatum & participatum. At non potest causa aliqua alii esse tribuere nisi per actionem. 41. *Objectiones.*

Respondeo: Id *quod* producitur est calor, id *quo* producitur est calefactio. Procedendo autem à *quod* ad *quo* sistendum est in *quo*. Calefactio igitur habet esse à calefaciente, non per ulteriorem calefactionem vel actionem, sed per seipsam. Sicut id erat in istis actionibus, quæ terminis carebant. Evitatur igitur hactenus processus in infinitum. 42.

Alterum argumentum est: Si calefactio differat realiter à calore, tum vel differente numero solum vel etiam specie. At neutrum dici potest. Non numero tantum, tum quia duo accidentia, *inquit*, solo numero differentia non possunt simul esse in eodem subjecto. At tam calefactio aquæ quàm calor, quæ per calefactionem aquæ producitur subjectivè sunt in aqua. Tum: quia unum est Ens permanens alterum successivum. Non etiam specie. Nam qui possunt specie distingui, cum ambo producuntur ab eodem numero igne, & per idem numero principium nempe calorem qui est in igne. 43.

Resp. Calefactionem à calore specie distingui. Neque ratio Pererii militat. Nam idem numero agens facilè potest producere effectus specie differentes. Ita est una simplex virtus in Sole, nempe illuminativa. Ab hac tamen sunt specie distincti effectus, veluti calefactio, illuminatio, exiccatio, emollitio. Et hoc à fortiori est in rebus productis. Producit enim hic idem numero agens & ranas & vermes, & herbas & alia. 44.

ARTICULUS IV.

De respectu Actionis ad subjectum.

QUoad respectum actionis ad subjectum, de duobus videndum est. *Primò*: An actio transiens sit in agente: *Deinde* agendum est de actione immanente, atque adeò de actione in communi, & quatenus exposcat subjectum. Hæc igitur distinctè sunt considerandæ. 45.

PUNCTUM I.

An Actio transiens sit in agente?

PEr actionem transeuntem, quid intelligatur, postea specialiter edisseram. Nunc satis sit, per actionem transeuntem eam intelligi, quæ ab agente 46. *Actio transf.*

Quid? transit in extraneam materiam, veluti est calefactio, quæ ab igne transit in lignum vel aquam.

47. *Varia sententia.* De hac igitur actione existimârunt aliqui: eam esse in agente, quod à fortiori dixerunt illi Autores de actione immanente, & sic de actione in universum. Differenter tamen id fit, ab Autoribus. Intelligunt enim aliqui per actionem, relationem quæ fit ab agente ad patiens. Ita Scotus 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. Anton. Andreas *l. de prædic. & de actione.* Docentque ita plurimi alii Scotistæ. *Alii* autem per actionem intelligunt ipsum agentis influxum, seu dependentiam ipsam, quam habet calor, v.g. à calefaciente. Ita Cajetan. 5. *p. q.* 25. *art.* 1. & alii.

Alii tamen existimant: Actionem transeuntem non esse in agente, veluti calefactionem non esse in igne: Et illuminationem non esse in Sole illuminante. Ita tenet Capreol 2. *d.* 1 *q.* 2. *a.* 3. *& lib.* 4. *d.* 49. *q.* 1 *a.* 3. Hervæus *quod.* 4. *q.* 4. Soncin. *l.* 5. *Metaph q.* 17. Colleg. Conimbr. *l.* 3 *c.* 3. *q.* 1. *a.* 2. Ferrar. *ibid. q.* 4. Iavellus *l.* 9. *Met. q.* 15 Suarez. *Disp.* 48. *Metaph. s.* 4. *art.* 6. Perer *l.* 13. *Phys. & q.* al. ique.

48. *Autoris sententia.* Atque hanc etiam sententiam veriorem puto. Nam *Primò* quoad priorem modum loquendi, quo actio dicebatur relatio, caret is fundamento, ut priùs visum est *tit.* 3 *art.* 1. Et si omninò inter agens & patiens deberet intervenire aliquid per modum relationis, tamen actio ipsa non esset hæc relatio sed potiùs esset fundamentum illius, vel potius ratio fundandi. Et passio esset terminus oppositus hujus relationis. Unde ad istam relationem agentis ad patiens actio & passio præsupponerentur, sic ut ex iis demum resultaret hæc relatio.

49. Jam *Secundo* quòd etiam actio sub esse actionis (& dimisso respectu sive relatione) non sit in agente. Variè probari potest. Et primò argumentor, à voce actionis *transeuntis.* Quæro igitur quomodo dicatur ista actio transiens? Aut, intelligendus est ille transitus ab agente in subjectum, tanquam à subjecto ad subjectum, aut tanquam à causa ad subjectum. Primum dici non potest. Nam impossibilius est transitus de subjecto in subjectum. Si autem postremum dicatur, ut omninò dicendum est, jam actio non est in agente. Nam habitudo effecti ad causam non explicatur per *esse in*, sed per *esse ab* Et tota intentio Adversariorum est, agens ad actionem habere respectum subjecti.

50 Et confirmatur per Arist. *l.* 3. *Phys. tit.* 20 ubi ait eundem actum esse agentis tanquam à quo, & patientis tanquam in quo, hoc est, ibi habet respectum effecti, hic verò habet respectum adjuncti.

II. Actio, verbi gratia, calefactiva est motus: At motus non est in movente, sed in mobili. Ergo nec actio est in calefaciente, sed in calefactibili, & proinde generatim non est in agente sed in patiente. Propositio patet. Illa enim actio est alteratio. Assumptum etiam patet. Quia si motus esset in movente, tum movens moveretur eo motu, quo movet aliud. Impossibile autem est, calefactionem, v. g. esse in aliquo quin calefiat, sicut impossibile est esse in aliquo calorem, quin sit calidum.

51. *Tertiò*: Actio transiens & passio sunt idem realiter, ut constabit sequenti capite: Sed passio non est in agente. Ergo nec actio est in agente. Consequentia bona est, quia quæ sunt in distinctis sive separatis subjectis, realiter differunt. Plura argumenta vide apud citatos Autores.

Sed varia sunt quæ *objiciuntur*. Actio transiens est accidens. At omne accidens est in alio. Ergo & actio transiens est in alio At actio transiens non est in patiente. Ergo est in agente. Assumptio prosyllogismi (cætera enim sunt plana) patet, quia in patiente amittit nomen & dicitur passio, quia omnis receptio est passio.

Respondeo primò ad assumptionem principalis syllogismi: Accidens esse in alio, loquendo per κατ' ἐγκλησιν. Omne scilicet accidens est in alio, sensu negativo, quatenus non habet esse καθ' ὑπόστασιν, sive per se subsistens. Alias autem loquendo de generali essentia accidentis, non est ea in inhærendo, si rigorosè loquamur, sed in eo quod id quod accidens est, afficit substantiam extra essentialiter sive ea

ua es-

tra essentiam sui rationem ejus existendo. Proinde etsi actio rigorosè loquendo non inhæreat, tamen satis habet de ratione accidentis, quia subsistentiam adhuc & denominat extraessentialiter. Unde porro respondeo ad assumptionem prosyllogismi, admittendo, quod actio transiens non sit in patiente, loquendo de actione ut sic, & sub esse actionis. Quod igitur actio transiens dicitur esse in patiente, id non est intelligendum formaliter sed materialiter. Nempe illa res quæ est actio est in patiente, non tamen sub formali actionis, sed sub formali passionis. Eadem enim res quæ actio est, est etiam passio.

52. II. *Objicitur:* Cujus est actus ejus est & potentia, apud Aristotelem *lib. de som. & vigil. c.* 1. Sed potentia est in agente. Ergo & actus est in agente. *Respondeo:* cujus est actus, ejus est & potentia. Non autem hoc dicitur: *In quo* est potentia *in eo* est actus. Proinde sensus propositionis hic est, quod ei tribuenda sit operatio cui convenit potentia: id autem non necessariò est utrobique, per *inesse*: sed sufficit etiam si illa convenientia sit alterius generis, nempe juxta exigentiam Entitatis, quæ est in unoquoque.

53. *Tertiò:* Omnis realis relatio exigit fundamentum, quod sit intra rem, ut priori cap. constitit. Ergo & relatio agentis ad patiens. Hæc enim verè est relatio per Arist. *l.* 5. *Metaph c.* 15. At fundamentum hujus relationis est actio. Ergo actio est in agente. Et hoc à fortiori procedit, si actio sit relatio ipsa.

Respondeo I. quod actio non sit relatio ipsa, ut antea visum est in initio hujus puncti. II. Neq; secundò in universum ea quæ Aristoteles *d. l.* inter genera relationum recenset, omnia sunt talia, relatione prædicamentali, ut visum est præcedenti capite. Nec denique fundamentum istius relationis est actio, sed potentia activa. Actio igitur solùm est ratio fundandi. Et ex his judicari potest de aliis quæ sunt his similia.

PUNCTUM II.

De subjecto actionis immanentis: Atque adeò de subjecto actionis in communi.

54. *Immanens actio quomodo dicatur immanens.*

QUod ad actionem immanentem attinet: Dicitur ea immanens ab *immanendo*, quòd scilicet in agente maneat. Existimo tamen eam non esse intelligendam positivè sed negativè. Nempe actio immanens, quâ talis est, est in agente, hoc sensu, quia non transit ad patiens. In ipso autem agente non est per modum adjuncti, sed simpliciter ad ipsum comparatur ut ad causam. Unde hæc propositio. Homo intelligit, vel disputat, non est ut adjuncti de subjecto, sed ut effecti de causa. Et patet. Nam actio transiens, nullum habet subjectum ne quidem ipsum patiens, ut visum est. Ergo etiam actio immanens à fortiori non postulat subjectum. Consequentia prima est, quia actio transiens magis est ex subjecto, & magis postulat subjectum quàm actio immanens. Sed actio transiens in esse actionis nullum habuit subjectum, ut visum est. Ergo idem à fortiori est in actione immanente. Et confirmatur, quòd actio ut sic non dicit, nisi egressum à virtute activa alicujus agentis. *Egressus* autem opponitur *ad esse in.* 55

Et hinc relinquitur, generatim loquendo de actione ut sic, eam non postulare subjectum. Neque enim genus debet habere naturam repugnantem suis speciebus. At neque immanens est in subjecto, neque actio transiens est in subjecto. Ergo nec actio simpliciter. Sufficit igitur ad Entitatem actionis habere modum ellendi ab aliquo, ut maximè non sit in aliquo.

TITULUS IV.

Unde sumenda sit specificatio atque adeò divisio actionum?

56. *Variæ sententiæ.* HAc in re triplex est sententia. *Alii* igitur sumunt specificationem, atque adeò specificam divisionem actionum ex termino: *Alii* ex principio activo: *Alii* ex utroque simul. Hanc igitur rem ut persequar, distinctas assertiones propono.

57. *Non potest generatum sumi ex habitudine ad terminum.* Atque ita dico I. *Specificatio actionum atque adeò generalis divisio earum, non potest sumi ex habitudine ad terminum.* Ita patet, quia multæ sunt actiones quæ non habent terminum, quem producant, ut ostensum est *præced. tit. art.* 1. Et patet per exempla: Cur enim nomen & speciem accipiunt calefactio & frigefactio ex terminis, hoc est, calore & frigore: Actiones autem vitales, v. g. videre & audire, sumunt nomen non à termino (quippe quem non habent) sed à principio activo. Sumit enim actio visiva nomen à principio illius actionis, hoc est, à facultate visiva: Et auditio à facultate audiendi. *Deinde* idem probatur inde, quòd etiam loquendo de actionibus transeuntibus possint diversæ specie actiones esse ad eundem specie terminum. Sic verbi gratia specie differentes actiones sunt gignere (hominem) & resuscitare (hominem) à mortuis. Et tamen utriusque est idem numero terminus. Nempe Johannes à parentibus genitus primum, is idem numero per resuscitationem talem redit in vitam. Sic & diversæ specie actiones non sunt necessariò ad diversos specie terminos. Et alia specie actio est, quâ Deus creavit Adamum. Et alia specie actio est, quâ Adam genuit Abelem. Et tamen Adam et Abel non sunt diversæ speciei. Nam modus producendi est rebus extrinsecus, unde non potest, præcisè in eo sistendo, inde sumi specificum discrimen, vid. August. *Epist.* 49. *ad Deogratias*, q. 1. Et Pereir *l.* 7. *Phys. c.* 1. Atque hinc etiam probabile videri potest, specie differre illam calefactionem, quæ est à Sole, & illam quæ ab igne, prout & Suarez asserit *Disp.* 48. *s.* 3. *n.* 17. contrarium non facilè convinci posse, etsi aliàs opinatur, specificam distinctionem actionum desumendam esse ex termino.

58. *Objectio Suarez.* Excipit Suarez ad exemplum de creatione & generatione *dict. loc. nu.* 10. & 18. creationem & generationem non habere simpliciter eundem terminum, quia creatio sit & ad productionem formæ & materiæ, sed generatio sit solùm ad productionem formæ.

Sed *Resp.* Mutationum istarum terminum non esse partes compositi, sed compositum ipsum sive speciem. Et patet, quia secus creatio hominis non esset una mutatio sed duplex, quod absurdum est. Porro species utrobique eadem est, sive idem compositum. Nempe generationis & resuscitationis, terminus erit idem numero, quia Johannes, v. g. idem numero est. Et creationis Adami, ac generationis Abelis terminus est idem specie, quia Adam & Abel (qui termini sunt) sunt res specie eædem.

59. *Nec ex activo principio.* II. Dico. *Ex solo principio activo non potest sumi specificatio, neque adeò specifica divisio actionum.* Ita patet. Nam illuminatio & calefactio & emollitio & exiccatio sunt actiones specie distinctæ, & tamen principium activum ad omnes istos actus in Sole est unum idemque. Et ex hoc etiam specie diversæ sunt actiones, productio ranæ & herbæ. Et tamen principium activum in Sole idem est. Atque ita hinc apparet, respectum ad terminum, in actione inprimis transeunte seponendum non esse. Et hoc videtur indè non obscurè insinuari quòd actiones istiusmodi soleant nomen suum sortiri à termino, veluti quòd actio ad calorem dicitur calefactio: Actio ad frigus dicitur refrigeratio, & sic in aliis. Vide Aristotelem ea de re *l.* 3. *Phys. c.* 1. *t.* 4. & *c.* 5 *t.* 48. Quod speciosum sit contra istam propositionem non inverto. Igitur pergo & dico.

60. III. *Actionum specificatio, & proinde earum specifica distinctio sumitur ex utroque*

que

quæ, sic, ut alterutra eorum variata sufficiens sit occasio specificè distinguendi actionem. Sic, etsi principium agendi in Sole sit idem ad exiccationem & illuminationem: tamen hæ actiones specie differunt, quia terminus illius est siccitas, hujus verò terminus est lumen, quæ Entia specie differunt. Sic cùm terminus in creatione & generatione sit idem, actiones tamen istæ specie differunt, quia principium activum differens est, nempe virtus activa infinita Dei, & essentia gignentis. Et hæc assertio ex prioribus relinquitur, videturque idem velle Thomas 1. *part. quæst. 77. artic. 3. Ex his duobus*, inquit, *actio speciem recipit, scilicet ex principio vel ex fine seu termino.*

TITULUS V.

De divisionibus actionum.

INprimis multæ actionum divisiones sumi & intelligi possunt, ex divisionibus causæ efficientis. Quia enim actio est causalitas efficientis, ut visum est *l. 1. cap.* 22. Idcirò ad varietatem causarum efficientium sumitur etiam varietas actionum. Atque sic intelligi potest, quid sit actio generans & conservans, principalis vel instrumentalis, univoca vel æquivoca: Et sic in cæteris. Nunc igitur aliæ quædam divisiones solùm sunt explicandæ. 61

ARTICULUS I.

De divisione actionis in immanentem & transeuntem.

DIstributionem hanc undique inculcat Aristoteles. Vide *l. 9. Met. c. 9. & lib. 6. Eth. c. 4. & lib. 1. Magn. moral. c. ult. & l. 10. Eth. c. 3. 4. 5. 6.* & alibi. 62

Igitur inprimis certum est: quòd hæc divisio ex vi terminorum latior sit quàm actio prædicamentalis. Nam frequenter etiam intellectio & volitio divina dicuntur actus immanentes, & tamen non sunt actiones de prædicamento actionis, quia sunt idem quod essentia divina, ut visum est priùs, *hoc lib. c. 3.* 63 *Ad quæ sit extendenda illa divisio?*

Cur verò distributio hæc coangustari debeat ad solas actiones accidentales (ad mentem Suarez *disp. 48. s. 6. n. 6.*) non video. Cur enim actio quâ gignens producit aliud, non sit transiens? Egreditur enim è virtute activa gignentis in materiam ex qua fit compositum.

Cæterùm actio immanens dicitur *immanens* negativè. Immanens enim actio est in agente non per positivam inhærentiam in ipso, sed quatenus non datur extraneum subjectum, in quod transeat. Vide priùs dicta, *tit. 3. art. 3 p. 2.* Ergo in oppositum actio transiens est, quæ habet externum patiens. Actio immanens hominis, verbi gratia, est ejus intellectio. Actio autem transiens ejus, est verberatio, & sic in aliis. 64 *Immanens actio cur sic dicatur. Et quid sit?*

Porrò illud extraneum patiens, ex quo discrimen sumitur actionis immanentis à transeunte, intelligi potest bifariam: Nempe tum de externo supposito (quale quid est, si actio ab igne transeat in aquam) tum de alia parte ejusdem suppositi, si scilicet in una parte sit potentia activa. In alia autem suppositi parte recipiatur illa actio (quale quid est motio, quæ, ab anima egressa, recipitur in corpore) & utroque in casu, rigorosè & Philosophicè loquendo, simpliciter est actio transiens. Atque ita relinquitur actio immanens, eo solùm in casu, si ab agente non egrediatur ad aliud suppositum, vel egrediatur ad aliam compartem. Atque hic est proprius sensus illius divisionis. 65 *Externum patiens actionis transeuntis explicatur.*

Hervæus *quod l. 2. q. 8.* valdè catachrestice explicat hanc distinctionem. Ait igitur omnem causalitatem effectivam esse transeuntem, quia potentia activa (ex qua sumitur effectiva causalitas) definitur ab Aristotele *lib. 9. Metaph.* quòd sit principium transmutandi aliud. Dum igitur actiones transeuntes solùm possint esse in genere causæ efficientis, infert, quod actio immanens sit ea, quæ exercetur 66 *Hervæi sensus.*

Causalitas materiæ & formæ non debet dici actio immanens.

tur à materia & forma, dum essentialiter constituunt compositum. Unde consequenter actio immanens, illa dicitur secundùm essentialem immanentiam. Sed inprimis patuit suprà, *hoc cap. n.* 5. quod prædicamentum actionis solùm comprehendat actiones effectivas. Actio igitur immanens non debet ampliari ad causalitatem formæ & materiæ. Neque fundamentum Hervæi satis forte est, quia definitio illa Aristotelica activæ potentiæ satis bona non est, rigoroſè loquendo, ut visum est *lib.* 1. *c.* 14. Vide plura ad hanc rem contra Hervæum, apud Javell. *l.* 9. *Met. q.* 16. & Suarez *disp.* 48. *s.* 2. *n.* 8.

67

Discrimen ſpurium actionis immanentis & transeuntis.

Discrimen actionis transeuntis & immanentis vulgò solet hoc constitui, ex Aristotele *l.* 9. *Met. cap* 9. *t.* 16. quod per illam fit aliquid, per hanc verò non ita. Sed & actionem immanentem aliquando terminum habere, priùs visum est, in exemplo effectionis Syllogismi. Ubi etiam disputatum est: An actiones immanentes verè sint actiones, quod ibi contra Soncinatem confirmatum est. Alia igitur addenda non sunt.

ARTICULUS II.

De divisione actionis in instantaneam & successivam.

68.

Quid Ens successivum sit, suprà declaratum, *lib.* 1. *c.* 19. Ex quibus nunc actio successiva erit illa, quæ partes habet, sibi per fluxum quendam succedentes. Unde actio instantanea erit, per defectum istiusmodi fluxus. Ergo actio instantanea est, veluti illuminatio, generatio, & sic in aliis. Actio autem successiva est, veluti augmentatio, calefactio, frigefactio, & deinceps.

Incidit hæc quæstio:

An actio instantanea verè sit actio?

69.

Negat id Soncin. *l.* 5. *Metaph. qu.* 26. Argumentum ejus, hoc est, quia omnis actio sit motus per Aristotelem *lib.* 3. *Phyſ. tit.* 19. Motus autem est Ens successivum.

Sed neque sententia vera est, neque argumentum est firmum. Non primum. Nam quicquid fit, postulat efficientem causam, ut ex terminis notum est. Nulla autem datur vera efficiens sine vera causalitate. At causalitas efficientis est actio. Ergo omne efficiens postulat aliquam veram actionem. At datur aliquod efficiens, quod non agit nisi per actionem instantaneam, veluti est in productione luminis, vel formæ substantialis. Ergo actio instantanea vera est actio.

Non est am sat firmum esse argumentum, patet; quia non omnis motus est quid successivum, ut probavi suprà *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 27. & 28.

ARTICULUS III.

De divisione actionis in materialem & ſpiritualem.

70.

Inprimis actio materialis potest bifariam sumi. *Primùm* actio materialis dicitur ea, quæ requirit dependentiam ad materiam, & non potest fieri nisi in materia. Ita actio materialis est nutritio, accretio, generatio & similes. At actio immaterialis est, intelligere & velle. Sumiturque tunc distinctio actionis in materialem & immaterialem, juxta similes harum vocum significationes, cùm per eas dividitur forma, de quibus alio in loco [illegible]

71.

Actio ſpiritualis quid?

Nunc autem non ita sumitur hæc [illegible] spiritualis igitur actio nunc dicitur, quâ quid producit sui imaginem vel speciem. Ita homo stans coram speculo, agit actione spirituali, producendo sui imaginem in speculo, idémque est in ordine ad quemvis intuentem. Et ad hunc modum agunt etiam cætera sensilia (in quantum talia sunt) in suos sensus, item intelligibilia in intellectum. Hactenus igitur est actio spiritualis, quæ alio nomine solet *intentionalis* dici. Atque sic in oppositum actio materialis erit ea, quâ quid agit, (non sui speciem, sed) rem aliquam

produ-

producendo, veluti calor in aquam agit actione materiali. Ibi enim producit calorem. In intellectum verò idem calor agit, actione spirituali, quia hic sui imaginem producit, solétque hæc actio alio nomine etiam *realis* dici, non quasi actio spiritualis sit per rationem, sed eo modo loquendi, quo res & signa distinguuntur, per ea quæ dixi *in initio cap. 24. n. 1.* Actio enim materialis rem producit: spiritualis verò actio producit signum rei. Et eo intuitu ista realis dicitur. Confer Ægid. *Lib. 2. de anim. c. 7. q. 7. art. 2.* Et Zabarell. *de sensu agente, cap. 4. & 5.*

Materialis actio, quomodo dicatur realis.

ARTICULUS IV.

De divisione actionis in mutuam & non mutuam.

DIvisio hæc frequens est. Igitur per actionem mutuam, significatur ea, quâ agens agit in patiens & patiens agit vicissim in agens. Solet hæc actio dici specialibus nominibus *reactio & repassio*. Ea igitur erit actio non mutua, si tale quid non sit. Sic calor manus agit in glaciem, calefaciendo & liquefaciendo eam. Vicissim glacies agit in manum refrigerando eam. Ita in ventriculo agit calor illius in vinum, qualitercunque alterando illud idémque attenuando, ut spiritus vini educantur. Quo facto vinum, acceptâ prius calefactione à ventriculo, vicissim calefacit ventriculum. Hæc ergo exempla sunt actionis mutuæ. Actio autem non mutua est, qua, v. g. Sol illuminat aërem. Is enim nihil repatitur ab isto suo lumine vel aëre. Item qua generans generat. Et sic in aliis. 72.

Cæterùm istæ reactiones possunt esse trifariam. *Primò* secundùm actionem eamdem specie. Sic vinum à ventriculo calefactum, eundem vicissim calefacit. Idémque est de plumis, quæ calefactæ à corpore animalis, vicissim idem intensiùs calefaciunt. *Deinde* alia reactio est, secundùm actionem contrariam. Veluti si glacies calefacta à manu, reagat in manum, refrigerando eam. *Denique* est secundùm actionem disparatam; veluti si serra agat in lignum, secando ipsum, lignum autem reagat in serram, habetando ipsam. Prolixè & diligenter de hac materia agit Zabarella *peculiari libro de reactione*. Sed quia controversia illa maxima ex parte Physica est, hic eam persequi nolo specialius. 73. *Reactio est trifariam.*

Suellanus, aliíque, distinguunt reactionem, in privativam & positivam. *Positivam* igitur ajunt eam esse quæ agit v. g. calidum in frigidum, imprimendo aliquos gradus caloris, & vicissim frigidum in calidum, imprimendo gradus aliquos frigoris. *Privativam* autem reactionem ajunt eam, quæ consistit in resistentia, qualis est v. g. in lapide ad sectionem, aliamvé comminutionem. Sed resistentia, ut sic non est reactio. Nam quod reagit, (ut ex vi vocis apparet) utique debet aliquid *agere*, resistentia autem, pure loquendo de ea, solùm consistit in defectu vel carentia actionis extranex, ut visum est suprà, *lib. 1. cap. 14. num. 42 seqq.* Atque ita positiva resistentia, quam dicunt, solùm est, propriè loquendo, reactio. 74. *Reactionis divisio in positivam & privativam.*

Aliæ divisiones actionum, ut initio hujus articuli dictum est, intelligi possunt ex divisione causarum efficientium.

CAPUT XL.

De Passione.

1. QUintum genus accidentium continet passiones.
2. Passio est actionis illatio sive receptio.

COMMEN-

COMMENTARIUS.

1. IN hoc capite agendum *primò* est de nomine Passionis. *Deinde* de ejusdem definitione. *Tum* de ejusdem essentia. Atque sic an faciat peculiare prædicamentum. Et *porrò* de ejusdem distributionibus. *Denique* de actionis & passionis attributis.

TITULUS I.

De voce Passionis.

2. ARist. in hoc prædicamento non usurpat nomen *passio*, sed verbum *pati*. De eo autem quid judicandum sit, colligi potest ex dictis, in præced. cap. in initio.

Perpessio. Usurpant aliqui vocem *perpessionis*. *Sed ridiculi sunt*, inquit Scaliger, Exerc. 345. sect. 2. *qui passionis vocabulum Romana tribu amovarunt, censore M. T. Ciceronc, perpessionem ejus in locum succenturiarunt. Nam passio levis non potest dici perpessio, & multa patimur, quæ non perpetimur.*

3. *Ambiguitas in voce passionis.* Aliàs vox passionis ambigua est. Aristot. *lib. 5. Metaph. cap. 21.* enumerat significationes quatuor. Igitur: *Passio*, inquit, *dicitur uno quidem modo qualitas, secundum quam alterari contingit, ut album & nigrum, dulce & amarum, gravitas & levitas & quæcunque alia similia*, (ubi quidem, ut exempla indicant, intelliguntur qualitates tertiæ speciei, non autem naturales potentiæ, ut Averroës vult *comment. 26.*) *Alio modo*, inquit, *horum actiones & alterationes. Item horum magis, quæ noxiæ alterationes, & maximè quæ tristes & dolorosa, item calamitatum & tristium magnitudines passiones dicuntur.* Hæc illæ. Sed tamen plures sunt significationes, quas ideircò distinctiùs propono, inprimis verò eas quæ frequentiores sunt.

4. Igitur vox passionis potest *Primò* generatim sumi. (Sicut & Græca vox πάθος) pro affectione in communi. Sic scientia dicitur considerare passiones subjecti sui, apud Aristot. *1. post. t. 76.* & alibi. Et sic consequenter omnia idiomata sive proprietates possunt dici πάθη sive *passiones*. Idémque est in attributis aliis. Sic etiam cùm conceptus sint in anima, illi dicuntur *passiones* animæ *lib. de interp. c. 1.* Et ex eadem generalitate affectus animæ, veluti, ira, amor, odium, tristitia, gaudium, *&c.* dicuntur *passiones* animæ.

II. Passio aliquando significat qualitatem tertiæ speciei, eam, quæ cito transit. Quomodo Arist. *l. Categ. c. 8.* in ea specie qualitatis distinguit, passionem & patibilem qualitatem. Fuitque de hac significatione suprà *c. 8.*

III. Passio significat quandoque receptionem rei, dolorem, tristitiam vel nocumentum afferentis. Ad quam significationem ferè solùm usurpatur nostrum Germanicum, *Leiden.*

IV. Significat etiam quandoque eam passionem, quæ est cum finali succumbentia: Sicut actio quandoque ita specialiter sumitur, ut significet eam solùm, quæ est cum finali victoria. Ita Scal. *Exerc. 12. s. 3.* docet, quicquid patitur à potiori pati, & proinde omnem actionem fieri à valentiori. Quatenus enim passio significat quamlibet actionis receptionem, sic ea non solum potest inferri à valentiori sed etiam infirmiori, ut ostendat materia reactionum. Confer Zabar. *l. de Reali c. 6, & 7.*

Denique passio significat cujusvis actionis receptionem. Atque hoc modo nunc accipitur vox passionis. Confer Armand. de Bello Visu. *lib. 2. term. cap. 148.* Comment. in Hisp. *Strab. 3. fol. 147.*

TITU-

TITULUS II.

De Passionis Definitione.

LOvanienses *ad l. Categ. cap. de Passione*, eam sic simpliciter & apertè definiri 5.
ajunt. *Passio est secundum quam ab ea, quod viribus superius est, quid pati dicitur.* Sed hæc definitio generalis non est. Nam non omnis passio est à valentiori sive viribus superiori illata. Agit enim & calor ad gradus sex, in frigus ad gradus duos, & in id quod est ad gradus octo, ut ostendit doctrina de reactionibus. Ex proinde patitur etiam frigus à fortiori calore & ab imbecilliori. Vide plenius Zabarellam *de Rectt. c. 2. 4. & 7.* videtúrque adeò occasio erroneæ illius definitionis solùm esse sumpta ex quadam vocis ambiguitate, quam paulò ante retuli.

Gilbertus Porretanus, *l. de sex princip.* sic definit: *Passio est effectus illatióque actionis, secundum quam aliquid pati dicitur.* In ea definitione, si vox *effectus* accipiatur rigidè, vitiosa est ipsa. Actio enim non est causa efficiens passionis. Sin verò particula illa accipiatur quomodolibet, ut sit æquipollens ad vocem alteram *illationis*, tùm coincidit sensus illius cum definitione nostra, modo particula illationis non sumatur activè. Neque enim sic inferre actionem est pati. Particula autem *secundum*, est ibi intelligenda formaliter sicut ad definitionem actionis dictum est. 6.

TITVLVS III.

De Essentia Passionis.

QUæ essentia sit passionis, ex ejus definitione tradita, aliquantulum patet: ut 7.
tamen ea de re plenius constet, speciatim de aliquibus, hanc rem concernentibus, dicendum est: 1. An essentia passionis eadem sit, quæ est essentia actionis? 2. An eandem cum motu habeat essentiam? 3. An ad essentiam passionis requiratur actualis influxio vel etiam successio?

ARTICULUS I.

An actio & Passio idem sint?

NEgat id in universum Scotus, *4. d. 13. q. 1. & quodl. 12.* sequuntúrque eum 8.
plurimi ejus asseclæ. Hypothesis tamen Scotistarum lubrica est. Existimant enim actionem significare relationem, qua agens referatur ad patiens. Unde consequenter sequeretur discrimen actionis à passione. Sed per actionem nunc non intelligimus relationem, sed ipsum actualem influxum agentis, prout prius constitit *cap. 10.*

Ut igitur quid de hac quæstione statuendum sit, dextrè intelligatur, distinctas 9.
propositiones pono. 1. *Non omnis actio est passio, loquendo de eis materialiter.* Ita *Non omnis actio est passio.*
patet. Nam sunt aliquæ actiones, quibus nulla correspondet passio, nisi per extrinsecam denominationem. Ita patet in actibus immanentibus. Nam videre est actus vitalis immanens. Id autem quod denominatur videri, non est tale per receptionem actionis visivæ, sed solùm est hic extrinseca denominatio: dicitúrque aliquid videri solùm, quatenus ad id terminatur visio aliqua alias ex agente, vidente non egrediens.

Neque hic dari potest aliqua passio, ad quam illa videndi actio identificetur, 10.
intra principium quod denominatur videns. Nam passio illa ne fingi quidem posset alia, quàm si dicantur, actiones immanentes esse productivæ alicujus termini immanentis. Sed hoc jam supra rejectum est, *in præsedenti cap.* Summatim cùm nulla realis passio consequatur ad *videre* (videri enim non notat realem passionem, sed extrinsecam denominationem) idcircò videre non identificatur

alicui passioni. Idémque est in actione intelligendi, appetendi vel amàndi, aliísque actibus appetitivis & cognoscitivis.

11. *Actio & passio formaliter non sunt idem.*

Dixi autem *loquendo de iis materialiter*. Nam si sub proprio formali loquamur de actione & passione: in universum actio non est passio, hoc est. Id quod formaliter significat actio, id non significat passio. Actio enim dicit egressionem ab agente. Passio non dicit egressionem ab agente. In oppositum, passio formaliter significat receptionem actionis. At actio non significat receptionem actionis, unde simpliciter & sine additis falsæ sunt hæ propositiones: *Actio est passio*, vel in specie, *calefacere est calefieri*. Ad ejusmodi enim prædicationes non sufficit identitas à parte rei, ut alibi visum est.

12. Dico II. *Actio & passio loquendo de iis disparatè differunt realiter.* Hæc res est expedita & à nemine in dubium vocatur. Loquimur autem de actione cujuscunque, si loquamur de actione hac, & passione alterius ordinis. Aliud igitur est videre & aliud calefieri. Aliud est generare & aliud humectari. Et sic in simil., progrediendo ad actiones & passiones diversorum ordinum.

13. *Principiis controversiæ.*

III. *Actio & passio ex correspondens, non sunt duæ res, sed una, sub inadæquatis conceptibus.* Dico: *passio ex correspondens*, ad removendam passionum disparatam, de qua priori propositione dixi. Hoc igitur est quod dico, quòd non sint duæ res, quarum una egrediatur ex igne: Et alia ingrediatur in aquam. Sed hoc ipsum, quod ab igne egreditur (& sic ejus respectu *actio* dicitur) hoc ipsum, inquam, & non aliud in aquam recipitur, (& hujus aquæ respectu, *passio* dicitur.) Indéque addo; distingui solum actionem & passionem per inadæquatos conceptus. Quatenus enim illa res apprehenditur, ut egrediens ab agente, vocatur actio; Et quatenus ea res apprehenditur, ut ingrediens vel recepta in aquam, vocatur passio. Sicut unus motus est Gilla Francofurtum, qui per inadæquatos conceptus duo fortitur nomina. Quatenus enim is motus apprehenditur ad terminum à quo, vocatur *recessus* à Gilla. Quatenus autem is motus apprehenditur in ordine ad terminum ad quem, vocatur *accessus* Francofurtum versus. Et tamen simpliciter est unus & idem motus. Et de hoc inprimis est controversia, soletque vulgatius ita teneri, ut propositum est. Vide Interpp. *ad lib. Categ. cap. 9 & lib. 5. Metaph. c. 21. & l. 3. Phys. t. 18. seqq.* ubi Aristoteles clarè hanc sententiam tenet.. *Unus*, inquit, *amborum* (agentis & patientis) *æquè est actus. ut enim inter unum ac duo, & duo ac unum, idem est intervallum. Utique unum idémque sunt acclive & declive* (hæc enim unum quidem sunt, *ratio tamen una non est*) *ita & in movente & eo quod movetur res habet.* Idémque probat postea Aristoteles.

14. Patet autem ejusdem veritas inde; quòd nullum sufficiens indicium dari potest, majoris distinctionis, inter actionem & respondentem ei passionem. Tamdiu autem standum est in unitate rei. Neque enim entia, citra necessitatem, sunt multiplicanda. Hoc autem non patebit melius, quàm solvendo objectiones.

15. *Objectiones.*

Igitur 1 *objicitur*; actionem differre à passione, quia actio sit actus agentis; Passio autem sit actus patientis.

Respondeo; hinc sequi quidem diversitatem in conceptu actionis & passionis; Non autem in re ipsa. *Neque necesse est* (verba sunt Aristot. in ejusdem solutione, *lib. 3. Phys. t. 21.*) *docentem qui docet discere, ejsi facere & pati idem sint. Sunt enim unum sicut via Thebis Athenas, & Athenis Thebas idem sunt.* Et addit Aristot. generalem regulam. *Non eadem omnibus congruunt, quæ quovis modo eadem sunt.* Et confirmatur. Nam potentia Dei est in ordine ad possibile; Scientia autem in ordine ad scibile. Et tamen idem est à parte rei, potentia & scientia Dei, solùm sub differenti conceptu. Idémque est in omnibus, distincta ratione, præsertim ratiocinata.

16. II. *Objicitur*; quod actio & passio constituant distincta prædicamenta. Unde inferunt ea realiter distingui. *Sed* consequentia non est bona. Nam distinctio prædicamentorum adæquatè junctum ex diversa habitudine ad faciendi substantiam

tiam primam, ut alibi dictum est. Unde cùm actio & passio aliter atque aliter substantiam primam afficiant: idcò ea diversa prædicamenta constituunt. Et confirmatur: quòd alias etiam, quæ in diversis prædicamentis constituuntur, possunt habere realem identitatem. Ita patuit in relatione & fundamento ejus, veluti similitudine & qualitate: æqualitate & quantitate, de quibus erat *prior cap. 9.* Idem docent multi de corpore & quantitate: Item de forma substantiali & potentia naturali, ut suis locis visum est. Idémque tenent plurimi de præsentia & duratione rerum creatarum, quæ significantur per prædicamentum *ubi* & *Quando*, quod ea à rebus ipsis non distinguantur realiter.

III. *Objicitur*: Potentia activa & passiva realiter distinguuntur. Ergo etiam 18.
distinguuntur actio & passio. *Respondeo* ad antecedens. Potentia activa & passiva distinguuntur, quatenus sunt ad terminos diversatos. Alia nempe est potentia activa, quâ intelligimus: Et alia potentia passiva, quâ verberamur. Idem autem etiam esse de actione & passione prius patuit, *propositione secunda*. Secundò cùm potentia activa & passiva intelliguntur ad eosdem terminos (veluti potentia secundùm quam quid calefaciens, & secundùm quam quid calefactibile dicitur) adhuc ex sunt distinctæ, nec procedit ab iis consequentia ad ipsam actionem & passionem, quia istæ sunt in diversis subjectis, veluti, igne & aqua. Unde essentias habent etiam loco separatas. Estque adeò sic in illis satis manifestum signum realis distinctionis. Id autem non est in actione & passione, quæ non sunt in diversis subjectis. Neque enim actio est in agente, & passio est in patiente. sed actio est ab illo in hoc, unde non est diversitas subjectorum, sed ad summum est diversitas in modo denominandi, sicut & similia exempla antea dabantur. Apparuitque adeò hactenus: nullum fuisse indicium verum realis distinctionis. Unde simillimè realis identitas; per ea quæ dicta sunt, stabilitur.

ARTICULUS II.

An passio & motus idem sint?

Dimissâ vocum ambiguitate, juxta quam potest facilè inveniri differentia inter 19
passionem & motum: de re ipsa loquendo, duo dico.

I. *Motus & passio, quoad rationem significandi, non sunt idem.* Ita patet, 20.
quia passio præcisè non adsignificat nisi patiens. Motus autem habet indifferentiam, ad connotandum respectum vel ad agens vel ad patiens. Dicitur enim motus & actus moventis & actus mobilis. At passio non est actus moventis sive agentis.

II. *Si motus sumatur ex parte mobilis, est nihil aliud quàm passio.* Ita patet, quia 21.
si motus sumatur ex parte moventis, est nihil aliud quàm actio. Et præterea: quia non potest sufficiens discrimen adsignari. At Entia non sunt multiplicanda sine necessitate & sufficientibus distinctionis indiciis.

Relinquiturque adeò ad summum: si aliqua distinctio hîc sit, eam esse non 22.
aliam, quàm quæ est rationis ratiocinatæ. Potest autem hæc distinctio rationis bifariam sumi. Nam *primò* potest intellectus influxum illum præcisè considerare, ut est via ad terminum, abstrahendo præcisè, ab hoc, quod afficiat aliquod subjectum, vel manet ab aliquo principio. Sic igitur apprehensus ille fluxus, dicetur motus. Prout autem apprehenditur, ut afficiens subjectum dicetur passio. Aliter alii explicant hanc distinctionem, quòd scilicet motus connotet antegressam privationem. Omnis enim motus est à non fuisse. Hanc autem privationem non connotat passio. Confer Suarez *disp. 49. s. 2. num. 12. seqq.* Atque ex his etiam, quæ hactenus hoc titulo dicta sunt, potest sumi, decisio illius quæstionis sequentis,

ARTICULUS III.

An Passio faciat peculiare prædicamentum?

23. *Rationes dubitandi.* PRincipalis dubitandi ratio est; quòd actio & passio idem sint, unde videntur ea debere unum prædicamentum fieri, quod sub nomine *motus* (sub quo et actio et passio comprehenditur) factum est à Timplero *lib. 5. Metaph. cap. 4.* Alio modo; nec actio nec passio videntur facere prædicamentum, sed solùm species relationum.

24. *Affirmativa defenditur.* Neutra tamen sententia procedit. Nam quòd actio et passio facere debeant diversa prædicamenta, inde necessariò sequitur, quòd secundùm aliam denominationem actio afficit et denominat substantiam; Et secundùm aliam denominationem eandem afficit passio. At ex varietate afficiendi substantiam, sumitur varietas vel diversitas accidentalium prædicamentorum, ut suprà visum est. Deinde; si maximè actio et passio facerent unum prædicamentum; tamen id non posset fieri sub voce *motus* Motus enim dicitur quasi æquivocè ad actionem et passionem. Secundùm aliud enim actio dicitur motus, et secundùm aliud passio. Prædicamentalia autem genera non debent esse æquivoca ad sua inferiora. Et confirmatur; quòd secus oporteret actionem et passionem specie differre. Sub generibus enim prædicamentalibus (rigorosè loquendo) non continentur nisi species. At actio et passio adeò non differunt specie, ut potiùs idem sint, ut jam visum est, *art. 1.*

Non etiam altera procedit sententia. Nam ut maximè actio et passio dicant relationes; tamen istæ relationes solùm sunt transcendentes; Non autem de genere relationis prædicamentalis, ut visum est, *primo capite.* Relationes autem transcendentes, ut ex ipsa voce apparet, non sumuntur sub relationibus prædicamentalibus. Secus enim omnia accidentia essent relationes. Nam accidens, ut sic, involvit transcendentem relationem ad substantiam.

25

ARTICULUS IV.

An ad essentiam Passionis requiratur inhæsio actualis in subjecto, vel etiam successio?

26. AD hanc rem dico I. *Passio non postulat inhæsionem actualem, quia accidens sit.* Patet; Nam, ut suprà visum est, accidens ut sic non postulat inhærentiam nec actualem nec aptitudinalem. Exinde ergo, quia quid accidens sit, non potest sum, quod habeat actualem inhærentiam.

27. II. *Nec passio postulat actualem inhæsionem ad subjectum, quia sit modus.* Nam admisso, quòd passio habeat rationem modi: tamen non est modus nisi termini, non autem est modus subjecti. Veluti sic calefieri erit modus caloris, non autem est modus aquæ. Sicut figura non est modus substantiæ, sed quantitatis. Modus autem postulat actualem conjunctionem cum re modificata solùm, non autem cum alio. Non potest igitur figura esse nisi in actuali quantitate. At si daretur quantitas extra substantiam, tum nihilominus ea posset esse figurata: Et proinde hactenus non diceret figura essentialem habitudinem ad substantiam, quæ est pro radicali subjecto.

28. III. *Passio nec ex conditione naturæ propriæ postulat actualem inhæsionem in subjecto.* Ita patet, quia actualis inhæsio passionis non est nisi per illationem termini, ad quem destinatur actio in subjectum. At non omnis actionis terminus est capax subjecti. Ita patet; Nam terminus productionis substantialis est species, veluti homo vel canis. At species hujusmodi (quicquid sit de forma substantialibus) non sunt in subjecto. Generari igitur non significat passionem, quæ subjecto inferatur, sed simpliciter, quâ aliquid fiat, quod non erat.

IV. Pas-

IV. *Passio quæ sumitur secundùm motus accidentales, dicit, actualem inhæsionem in subjecto.* Ita patet, quia hi motus non sunt nisi per unionem formæ ad subjectum. Veluti ut Petro inferatur quantitas, vel calor, vel præsentia (juxta diversas species motuum,) quæ antea in eo non fuerunt. Et hactenus fuit de priori parte hujus quæstionis: sequitur etiam ut de successione dicatur. 29

V. *A Successione passionis non requiritur, ut sit successiva.* Hoc patet ex iis, quæ de actione dicta sunt *superiori capite*. Datur, inquam, actio transiens momentanea. Ergo etiam datur passio momentanea. Consequentia patet, quia actio transiens non dicitur nisi per receptionem in extraneum subjectum. Non potest igitur actio transiens dari, cui non correspondeat passio. Unde si in illo genere dantur actiones instantaneæ, oportet, ut iisdem etiam correspondeat passiones instantaneæ. Id autem patet: Nam non solùm intellectio & volitio (qui actus immanentes sunt, & proinde à præsenti probatione alieniores) sed etiam illuminatio est actio instantanea per Aristot. *l. 2. de anim. c. 6.* Ergo & illuminari fit in instanti. Ergo passio aliqua est in instanti. Et proinde, loquendo de passione ut sic, præscindendo ab esse instantaneo & successivo, sicut & actio, de qua re fuit priori capite plenius. 30 *De successione passionis.*

TITULUS IV.

DE DISTRIBUTIONIBUS PASSIONIS.

DIstributiones passionis primùm sumi possunt ex iis, quæ de actionum distributione dicta sunt *priori capite*, mutatâ proportione & habitudine: Et ex iis quæ modò dicta sunt *præcedenti tit. 3.* Similiter relinquitur nota, distributio passionis, in instantaneam & successivam. 31

Alia distributio est, quâ passio distinguitur in perfectivam & corruptivam. Hæc igitur distributio inprimis non est intelligenda, juxta impositionem vocis. Sic enim passio potius damnum vel nocumentum significat, quàm perfectionem per Arist. *l. 5. Met. c. 21.* deviavit tamen hæc vox passionis ab hac impositione, ut nunc etiam passio sumatur pro illatione perfectionis. Unde consequenter passio dividitur in perfectivam & corruptivam, præeunte Aristotele *lib. 2. de anim. cap. 5. t. 57.* At verò, inquit, *neque ipsum pati simplex esse videtur. Sed aliud est à contrario, corruptio quædam. Aliud est salus potius, eius quod est in potentia, ab eo quod est actu.* Ex quo textu apparet quid utraque, perfectiva scilicet & corruptiva passio sit. 32 *Passio corruptiva vel perfectiva.*

Et ex hac distinctione expediri potest dubium, quod Aristoteles proponit *lib. 3 de anim. c. 4. t. 12.* quomodo nempe intellectus intelligatur cùm intelligere sit quoddam pati. Ipse tamen est simplex & passionis expers, nihilque habeat cum illa re (per modum materiæ) commune. Nempe intellectus est expers passionis corruptivæ, quâ scilicet ipse debeat desinere, ad quam etiam communitas materiæ necessaria est. Ipsum autem intelligere est pati quoddam perfectivum, quatenus scilicet per intellectionem acquiritur et in mente recipitur aliqua notitia, quæ non præexistiterat. Confer Colleg. Conimbr. *lib. 3. de anim. c. 4. ad t. 15. h. a.* 33

TITULUS V.

DE ACTIONIS ET PASSIONIS attributis Aristotelicis.

ARistot. *l. 1 Categ. c. 9.* duo actioni et passioni attribuit. Primum est: *suscipit & ipsum agere patique contrarietatem.* Secundum est: *Gradus quoque suscipiunt agere & pati, ut magis & minus dicatur*, utrumque probat Aristot. exemplis. *Calefacere*, namque, inquit, *& frigefacere: calefieri & frigefieri: Voluptate & dolore affici, contraria sunt.* Et postea ad alterum attributum. *Fit*, inquit, *ut magis quippiam minusve calefaciat, vel calefiat: Et doleat magis minusve.* 34

35. Et *contrarietas* quidem convenit actioni & passioni: susceptio item τῷ magis & minus, ratione terminorum. Sic igitur contraria sunt, & secundùm magis ac minus dicantur, calefacere & calefieri, item frigefacere & frigefieri, quia tale quid convenit calori & frigori. Unde in quantum in terminis non est contrarietas vel intensio et remissio; in eisdem etiam non est susceptio ista vel contrarietas, nisi servatâ proportione, ut vel rigidè id, vel etiam populariter & quomodolibet intelligatur.

Possunt tamen & actiones & passiones dici secundùm magis & minùs, attendendo principium actionum: quatènus scilicet id est vel sola naturalis potentia, vel adjuta ab habitu. Habitus enim addit bonitatem actioni, & ulteriorem sive intensiorem perfectionem.

CAPUT XII.

DE QUANDO.

1. SExtum genus accidentium continet durationes finitas, sub nomine *Quando*.
2. Quando igitur est accidens notans finitam durationem.
3. Finita duratio est, vel in ævo, vel in tempore esse.

COMMENTARIUS.

1. TOta igitur doctrina de durationibus suprà proposita est, *lib. 1. c. 16.* Ibi igitur sufficienter tractatum est, tum in genere, quid sit duratio rei? Tum etiam quæ sit infinita vel finita duratio? Similiterq; quæ nam in particulari sint finitæ durationes? Indeq; prolixè ibi de ævo & tempore actum est, sicut & hoc ibi ostensum est: non esse plures finitas durationes præter ævum & tempus. De tribus igitur, ultra ea, hîc solùm tractandum superest. *Primò* de nomine Quando. *Deinde*, quæ nunc sub prædicamento Quando contineantur? De hoc enim peculiaris dubitatio est, ad hunc locum pertinens. Et sic deinceps: quomodo definiendum sit prædicamentum Quando?

TITULUS I.
DE NOMINE QUANDO.

2 *Vox Quando trifariam sumitur.*

COmmuniter Doctores notare solent: quòd vox illa *Quando* possit trifariam sumi. 1. Interrogativè; ut Quando venies? 2. indefinitè: ut, Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium. Harum significationum neutra est ad propositum; Adverbia enim non possunt significare peculiaria Entia. Aliter igitur *tertiò* sumitur per modum nominis cujusdam indeclinabilis, quale est vocabulum, *postò*. Posseq; adeò ad vitandam illam æquivocationem, non incommodè τὸ *Quando* dici *duratio*; si aliunde hæc vox non importaret hanc inconvenientiam, ut existimandum sit; ad hoc prædicamentum pertinere quamvis durationem. Proinde sicut esse *nunc* vel *cras* significant aliquam durationem, ita significant aliquod Quando. Hactenus enim durationem & quando æquipollentia facimus. Notificatur tamen hoc *nominale Quando*, per *interrogativum quando*, sicut ad interrogationem qualis est? vel quantus est? &c. manifestatur qualitas & quantitas.

TITU-

TITULUS II.

Quænam duratio pertineat ad prædicamentum Quando?

AD hanc quæstionem variant sententiæ. Aliqui enim omnem durationem in hoc prædicamento ponunt: Et proinde etiam æternitatem. Ita sentit Albertus Magnus *in prædicamentis, tract.4.c.1.* Alii autem in oppositum hîc ponunt, valdè anguste solam durationem temporis. Ita Fonsec. dicit *lib. 5. Metaph. cap. 15. q. 10. sect. 2. conclus. 1.* Alii denique medîâ viâ procedunt: removentes à prædicamento *Quando* durationem infinitam, hoc est, æternitatem: cæteras autem omnes excludunt. Quanquam, de tempore, tùm porrò hæc etiam incidit dubitatio: *An sub prædicamento Quando intelligatur tum tempus intrinsecum.* Complectar hanc rem paucis propositionibus. 3. *Variæ sententiæ.*

De duratione temporali.

I Gitur I. Dico: *Durationem temporalem comprehendi in prædicamento Quando.* Ita fatentur omnes. Nec ulla hac de re est dubitatio. Dico autem *durationem.* Ad intinuandum: quòd loquar de tempore intrinseco, quod vocant. Nam tempus extrinsecum non est duratio, sed solùm ejus mensura. Unde scilicet duratio rerum, sive tempus intrinsecum, cognoscitur solùm. Et proinde summatim non dat talem denominationem qualis requiritur ad denominationes prædicamentales. Id enim quòd tale est, debet esse quasi forma rei denominatæ. Unde superiùs conclusum est, quòd denominationes à potentiis cognoscitivis & appetitivis non possint pertinere ad prædicamenta, quia sint prorsus extrinsecæ. Atque hinc id consequitur: quòd tempus extrinsecum, sub eâ ratione, qua est extrinsecum, non possit pertinere ad prædicamentum quando. Dixi: *sub ea ratione qua est extrinsecum.* Nam si duratio cœli (quæ est hoc ipsum extrinsecum tempus in ordine ad res naturales alias) sumatur ut est ipsi cœlo conveniens: Sic omninò illa pertinet ad prædicamentum *Quando.* 4.

De duratione ævi.

II. ETiam *duratio ævi rectè refertur ad prædicamentum Quando.* Ita assero contra Fonsecam, qui secus sentit *primo dicto loco.* Patet autem: quia nulla firma causa dari potest, cùm alia accidentia communiter conveniant Angelis & aliis rebus creatis, cur id non debeat esse in prædicamento isto. Priùs autem apparet. Nam in eodem prædicamento sunt potentia intelligendi, quæ est in Angelo & homine. Item habitus: item intellectio & volitio, & sic in aliis. Cur igitur non sit in eodem prædicamento duratio Angelorum & rerum Naturalium? 5.

Contra hanc assertionem aliqua opponuntur à Fonseca *citato loco.* Hæc igitur non sunt consideranda. 6. *Objectiones Fonsecæ.*

Igitur 1. *objicitur*, quod Aristot. Ubi vocat prædicamentum loci: & Quando vocat prædicamentum temporis, *l. 1 Ethic. c. 6.* Ad solum igitur *tempus* voluit Aristoteles rò quando restringere. *Deinde* Arist. hoc prædicamentum dicit unum ex manifestis, *lib. Categ. c. 9.* At id non esset, si includat durationem ævi, quæ satis obscura est. *Tertiò*, quia hoc prædicamentum constituitur per solas differentias temporis, velut sunt, præsens, præteritum & futurum. Id autem probatur per exempla, quæ ad prædicamentum *Quando* posuit Aristoteles *lib. Categ. c. 4.* Quando, inquit, *ibi significatur, ut heri, superiore anno.* *Quarto*: quia sex ultima prædicamenta non conficiuntur, nisi ex iis, quæ alia ratione ponuntur in alio prædicamento. Sed ævum & aliæ durationes non habent locum in alio prædicamento.

Hæc tamen argumenta firma non sunt.

7. Ad *primum* respondeo: A nomine non duci firmum argumentum. Potest enim
Salvatur. nomen esse synecdochicum, & proinde ex vi impositionis, latius esse vel angustius, ipsa re nominata. Et confirmatur, quod etiam Ubi, ab Aristotele vocetur prædicamentum *loci*. Et tamen continet aliqua quibus non convenit locus. Inprimis juxta Fonsecæ opinionem, qui etiam præsentiam Dei collocat in prædicamento Ubi, *l.5. Metaph.c.15.q.9.§.3.& 7.* Quid quod tempus aliquando adeo generaliter sumitur ut comprehendat omnem durationem? ut tradit Doumam *l.1. Comment. Logic.c.11.p.907.* ut relatum est suprà *lib.1.cap.17.nu.72.* Sic igitur & ævum poterit dici tempus; Et inprimis quia frequenter tempus solet adæquatè opponi æternitati, & temporale æterno.

8. Ad *secundum* respondeo: Prædicamentum *Quando* dici esse ex manifestis. Dici autem idem etiam de prædicamento Ubi. *De cæteris verò*, inquit lib. Categ.cap 9. *ut de quando, ie ubi, & de habere, quia sunt manifestia nil aliud dicitur.* Proinde sicut prædicamentum ubi manifestum dicitur, etsi contineat præsentiam spirituum (quæ in se latis obscura.) Ita etiam prædicamentum quando perspicuum est, etsi contineat durationem Spirituum, quæ & ipsa satis obscura est. Nempe utrumque eorum dicitur manifestum, quia potissimum, quod in utroque attenditur, hoc est, præsentia & duratio, rerum materialium, (quæ significantur nomine loci & temporis) sunt valdè nota, saltem quantum Logico sufficit, ad prædicamentorum constitutionem. Cum alias etiam exquisita & accurata notitia loci & temporis sit intricatissima, ut ex Physicis constat, & ex parte etiam ex Metaph. quatenus hic tractatur de duratione & præsentia in communi, & potiò etiam ea extenditur ad res in particulari.

9. Ad *tertium* respondeo: Exempla non debere esse necessario adæquata. Ad definitionem artis Aristoteles *lib.6. Ethic.cap.4.* solùm posuit exempla artium liberalium: nec tamen hinc sequitur, quod ea definitio non possit extendi ad artes liberales, velut Logicam vel Medicinam. Et confirmatur: quod eodem loco, nempe *lib.Categ.c.4.*; pro exemplis *ubi*, Aristoteles ponit solùm hæc: *esse in foro*, & *esse in Lyceo*: quibus significatur præsentia corporum. Et tamen admittit Fonseca in prædicamento ubi contineri posse etiam præsentiam Spirituum, *loco prius citato*; Et patet porro; quod exempla frequenter soleant afferri, ex iis quæ notiora sunt. Atque hoc consilio & in prædicamento *quando*, & in prædicamento *ubi* afferuntur ab Aristotele exempla à præsentia & duratione corporum.

10. *Secundò* respondeo: Illa exempla rò quando, *fuisse heri*, vel *superiori anno*, æquè posse accommodari æviternis ac temporalibus. Sumuntur enim præcisè solum istæ denominationes per coexistentiam alterius, & sic ab extrinseco. Dicitur enim, v.g. hos *fuisse heri*, v.l *superiori anno*, quia coëxtitit motui cœli, qui fuit heri vel superiori anno. Atidem est etiam in Angelis. Nam etiam coëxt cum motui hesterno cœli, & ei qui fuit superiori anno. Nulla igitur causa est; cur peculiariter hæ denominationes adstringantur ad tempus, hoc est durationem rebus corruptibilibus intrinsecam; Et non etiam ad eam quæ convenit rebus incorruptibilibus.

11. Ad *quartum* respondeo I. Gratis dici, quòd sex ultima prædicamenta sumantur ex aliis. II. Si tempus sumendum sit ex alio prædicamento, nulla causa est, cur duratio ævi, non ponatur in prædicamento eodem, in quo est tempus.

De duratione æternitatis.

12. III. Dico, *Durationem æternitatis non posse esse in prædicamento Quando.* Ita tenco contra Albert. *prius citato loco.* Et patet; quia attributa divina non possunt dici accidentia, ut visum est suprà; tùm etiam, quia æternitas est quid infinitum, & realiter idem cum Deo ipso. At quod infinitum est, per se non est in prædicamento; Et multo minus in prædicamento accidentis. Ita enim conveniret ei & perfectio summa, & summa imperfectio. Illud, quia esse infinitum

tum est maximè perfectionis. Hoc, quia esse accidens est maximæ imperfectionis.

Sed *objicitur* hic: quod potest respondeti ad quæstionem quando est, id est in prædicamento quando. At Æternitas potest responderi ad quæstionem, quando est. Ergo est in prædicamento quando. Assumptum patet. Si enim interrogem: quando facta sit Electio hominum, rectè respondetur *ab æterno*, & sic in similibus: Et confirmatur quòd Deus dicitur *heri, hodie* &c. At hæc sunt nomina temporis. 13. *Objectio.*

Resp. Particulam *quando* ambiguam esse: unde non adæquatur ea ad prædicamentum quando, juxta omnem ambiguitatem suam. Et confirmatur, quia in communi solemus ioqui de divinis, per nomina rerum nostrarum, veluti materialia applicando ad spiritualia, & temporalia ad æterna. Ita enim & intellectio divina vocatur actio ejus & ei existenti in universo mundo, attribuitur quædam extensio & tamen illa intellectio non est in prædicamento actionis, nec Deus vi istius extensionis habet quantitatem ullam. Et sic in aliis. 14. *Solvitur.*

Atque hoc etiam porrò dicendum est de applicatione temporalium nominum, ut *heri*, hodie & similium. Quanquam de his etiam non incommodè dici potest quòd ea intelligantur accommodari Deo, per extrinsecam denominationem, quatenus scilicet nos cognoscimus durationem Dei per coexistentiam ad motum cœli. Quatenus enim Deus coexistit hesterno cœli motui dicitur fuisse heri. Et quatenus coexistit hodierno motui, dicitur esse hodie secundùm illas extrinsecas denominationes verò non ponitur aliquid in prædicamento.

Generalis determinatio quæstionis.

IV. Dico: *Ea omnia & sola in prædicamento quando, quibus significatur finita duratio.* *Sola* inquam ea, ad excludendam æternitatem, quæ est duratio infinita. Quod enim hæc non pertineat ad prædicamentum hoc, v. g. sum est *propositione tertia*. *Omnia* etiam ea dico: quia etiam ad hoc prædicamentum pertinet duratio ævi & duratio temporis, ut visum est *propositione prima & secunda*. At non datur duratio aliqua, quæ finita sit, præter has. Proinde veritas hujus propositionis ex prioribus relinquitur & quadantenus illustrabitur ex iis quæ statim addo. 15.

TITULUS III.

Quomodo definiendum sit prædicamentum quando.

16. *Aliorum definitiones.*

POrretanus *in lib. de sex princ.* *Quando*, inquit, *significat rationem ex infidentia temporis relictam, non tempus ipsum.* Hoc vult Porretanus dicere: quòd quando sit affectio quædam rebus addita, unde dicuntur *esse, fuisse, & fore*. atque inde Thomas dicit definit, *in opusc* 48. *Quando est id quod ex adjacentia temporis relinquitur.*

Sed definitiones istæ, obscuriores sunt, imprimis propter involutam ambiguitatem, in voce temporis, quod frequenter significat tempus extrinsecum, aut etiam solum durationem rerum corruptibilium naturâ. Ne igitur putetur prædicamentum *quando* vel includere illud extrinsecum tempus, vel etiam solùm significare durationem rerum cæruptibilium, quam Metaphys. tempus vocant: Ideircò melior est definitio in Theorematibus posita.

17. *Definitio propria.*

Nam; *Quando est accidens notans finitam durationem.* Hic quando dicitur *accidens*. Quod est genus ex quando. Intelligiturque per hoc, quod duratio dicat habitudinem non essentialem ad substantiam. Per *finitam* autem *durationem* intelligitur ævum & tempus. Quæ dicuntur finitæ durationes, quæ desciunt ab æternitate, quæ est infinita duratio. Sunt autem finitæ, quoad inceptionem vel desitionem aptitudinales. Æviternis enim (si maximè ponantur esse ab æterno, tamen) non repugnat habere initium in tempore, nec repugnat eis habere finem. Attendendum: quòd Deus generalem concursum suum suspendere possit. Idemque est in iis, quæ sunt temporalia. Nempe & ista possunt incipere & desinere. At hi sunt fines durandi. Indéque durationem aliquam finitam denominant.

CAPUT XIII.

De Ubi.

1. SEptimum accidentis genus est *Ubi*.

2. Ubi est accidens, notans finitam rei præsentiam.

3. Estque vel circumscriptivum vel definitivum.

4. Ubi circumscriptivum est accidens, secundum quod aliquid dicitur esse totum in toto spatio, & pars ejus in parte spatii.

5. Ubi definitivum est accidens, secundum quod aliquid est totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatii.

COMMENTARIUS.

TOta doctrina de rerum præsentia, tradita est suprà, *l. 2. cap. 17.* Ibi igitur sufficienter tractatum est, tum quid sit alicubi esse, tum quo genere adessendi unumquodque sit alicubi. Expositi etiam sunt speciales modi adessendi, adeóque præter omnipræsentiam etiam ibi tractatum est, de ubi circumscriptivo & definitivo, peculiari consilio, ut ibi *dixi, n. 5.* Etsi alias eorum doctrina propriè huc pertineat. Proinde ad complendam doctrinam prædicamenti ubi, ad ea, quæ ibi dicta sunt, solùm cætera quæ jam ad prædicamentum quando tractabantur, recurrunt. Nempe *primo* explicandum est nomen ipsa ubi. *Secundo* inquirendum est in particularia: quænam pertineant ad prædicamentum ubi? *Et denique ex* his exurgenda est definitio ubi prædicamentalis.

TITULUS I.

De voce ubi.

VOcula *ubi* est ambigua, ad eum modum quo de voce *quando* dictum est. Potest enim sumi interrogativè, ut Matth. 2. *ubi* est, qui natus est Rex Judæorum? *Deinde* sumitur absolutè & non per modum interrogationis. Ut ubi cadaver ibi & aquilæ. Et ubicunque quidam habet significationem adverbialem. *Nunc* autem sumitur per modum nominis ut indicat constructio, cum præpositione, ille *in* Tyro. Item moveri *ab ubi* uno, *ad ubi* aliud. Et hæc nominalis significatio ad hunc locum pertinet, quæ tamen significatur per illud ubi interrogativum: ut in simili de voce *quando* prius dictum est.

Primo.

TITULUS II.

Quænam præsentia in particulari pertineat ad prædicamentum ubi.

AD hanc quæstionem variæ sunt sententiæ. Aliqui enim omnem modum adessendi in hoc prædicamento complectuntur. Ex quo generatim etiam, divinam præsentiam sub hoc prædicamento contineri, docetur à Fonseca *l. 5. Met. c. 15. q. 5. s. 3. & 7.* Aliqui verò in oppositum nimis coarctant hoc prædicamentum, qui solùm in eo ponunt præsentiam corporum, indéque negant, Angelos aliósque spiritus habere ubi prædicamentale. Ita facit Cajet. *1. p. in Thom. q. 52. 13.* Ferrar. *l. 3. contra gentes, c. 68.* Armand. de Bello Visu, *tract. 2. termino. c. 198.* Capreol. *2. dist. 2. q. 1.* Denique alii modo modo progrediuntur, & Deo excepto, singulis entibus tribuunt ubi prædicamentale. Ita sentit Scalig. *Exerc. 5. s. 6. & 359. s. 5. & 95. s. 2. p. 26.* Suarez. *in Metaphysic. 51. s. 3.* alique.

Variæ sententiæ.

Hanc igitur ad rem dico 1. *Præsentia circumscriptiva, sive ea quæ est corporum pertinet ad prædicamentum ubi.* Ita inprimis certum est, nec à quoquam negatur. Et si hæc non esset in hoc prædicamento, à fortiori id esset de præsentia rerum spiritualium, & proindè sic in universum tolleretur hoc prædicamentum.

Primo.

II. *Etiam ubi Angelorum est verum Ubi prædicamentale.* Ita patet imprimis, quod Angelo convenit motus, ut suprà visum est. c. 4. At motus localis non est nisi attendendo ubi prædicamentale. Unde Aristoteles augmentationem, alterationem, & motum localem distinguit, juxta diversitatem prædicamentorum, quòd alius illorum motuum est in quantitate, alius in qualitate, alius in Ubi. Deinde cum quando spirituum & corporum sint in eodem prædicamento, & sic in aliis attributis aliis, ista Entia conveniunt in eodem prædicamento, cur non erit in eodem prædicamento præsentia corporum & spirituum? 5

Objicitur: quòd ubi prædicamentale requirat quantitatem, extensionem, situm & distantiam. Hæc autem non possunt convenire Angelis. 6

Sed *respondeo:* Omnia illa sine sufficiente probatione dici. Nam quantitas, extensio & situs, solùm requiruntur ad ubi circumscriptivum. Et confirmatur. Si enim motus localis potest convenire rei citra extensionem vel quantitatem, & situm, oportet, ut etiam ubi (quippe cum sine eo non possit esse motus localis) prædicamentale possit esse sine tali extensione, quantitate & situ. Distantia autem prorsus per accidens est ad rationem ubi. Si enim unum corpus esset solùm, nihilominus illud haberet suum ubi. Et tamen juxta hanc hypothesin non haberet distantiam. Distantia enim semper est inter duo. Ut loquimur nunc de aliquo corpore solitario. Tum etiam nulla ratio est: cur Angelis non possit convenire distantia. Distantia enim simpliciter, sign ficat discontinuationem. At utique Angelus, qui v. g. Gissæ est, & qui est Francofurti, discontinuati sunt.

III. Dico: *Deo ubi non convenit ubi prædicamentale, nec præsentia eius significatur per ubi prædicamentale.* Ita patet: quia præsentia divina est quid infinitum. Infinitum autem non potest esse in prædicamento per se, multòque minus in prædicamento accidentis. Ita relinquitur ex iis, quæ *præcedenti c.* dicta sunt *lib. 2. ad propositionem tertiam.* 7

Sed *objicit* Fonseca, ubi suprà. Quòd Deus dicatur ubique sive in omnibus locis. Si sic certò præsens est alicui spatio. At præsentiæ modus est ubi. Ait, ut Fonseca *d. l.* meminit, sic argumentantur. Quæcunque sunt, inveniri & quæri possunt. At quæ quæri & inveniri possunt, sunt *alicubi.* Ergo & Deus est alicubi. At quid est aliud esse alicubi & esse in ubi. 8 *Objectiones Fonsecæ.*

Resp. Ad *primum.* Deus est quidem præsens omnibus spatiis vel locis. Non tamen propterea est ejus præsentia *in ubi*, sicut, cùm Deus perduret per omne tempus, non est tamen ejus duratio in prædicamento *quando*, ut Fonseca non distinxerit, ut *priori capite* visum est.

Ad *secundum* respondeo. Phrasin, *esse alicubi*, ambiguam esse. Igitur *esse alicubi*: aliquando idem est quod non esse nusquam. Et hoc modo Deus dicitur esse alicubi. Quatenus verò esse alicubi designat ubi prædicamentale, sic Deus non dicitur esse alicubi, sed in seipso, ut August. *doctr. l. 8; q. 1. q. 20.* Chrysost. *Hom. 5. in Epist. ad Coloss.* Lombard. *lib. 1. dist. 37. in.* C. Et v. de supra *lib. 1. c. 17. n. 6, 11.* Quæritur autem & investigatur Deus: non tam investigando locum, vel ubi, in quo sit, quàm cognoscendo excellentiam, proprietates & actus ejus, quibus nihil commercii est, cum ubi. Unde istud argumentum hactenus est inefficax, eodem Fons. judice, *lib. 5. Metaph. c. 15. q. 9. s. 7.*

IV. Dico: *Ea omnia & sola esse in prædicamento ubi, quibus significatur finita præsentia.* Hæc propositio sumitur ex prioribus, & confirmatur ad eum modum, quo id factum est de *quando* in prioris capitis *tit. 2. ad prop. 4.* 9

TITULUS III.

Quomodo dicendum sit prædicamentum ubi?

Gilbert. Porret. *lib. de sex prin.* & Armand. de Bello Visu, *tract. 2. c. 197.* Vbi sic definit *ubi est circumscriptio corporis à loci circumscriptione procedens.* Sed hæc definitio mala est, quia per eam ubi restringitur ad *locum*, & *corpora* & *circumscriptivam præsentiam.* 10 *Aliorum sententia.*

Tolet. *d. Categ. c. 10. fol. 89. colum. 1.* ait: Vbi esse aliquid extrinsecum, videlicet locum, hoc est, superficiem corporis ambientis. Itidem male. Locus enim pro ambiente superficie sumptus, est veluti indumentum vel tunica locati. Vndè rectè placuit Metaphysicis, cum, propter identitatem habitudinis, ponere in prædicamento habitus. Et confirmatur: quòd, remoto omni extraneo, adhuc res dicitur esse alicubi, sed hæc de re fuit plenius, *l. 1. c. 17. n. 7 seqq.*

11. *Definitio prima.*

Optima est igitur hæc definitio, quod *ubi sit accidens notans finitam præsentiam.* Hic *sit* ubi quasi genus est, quod illud *accidens* dicitur, qua voce sicut & in cæteris, significatur hoc loco quod ubi sit extra essentiale prædicatum substantiæ. Hæc enim suprà erat generalis natura accidentis. Per *finitam* autem *præsentiam* intelligitur ea, quæ designatur per ubi definitivum & circumscriptivum: vocaturque utraque præsentia finita, ad differentiam ab omni præsentia, quæ nullos fines habet, & proinde est infinita præsentia. Hæc autem ad prædicamentum ubi non pertinet, ut prius visum est, *in præcedenti titulo.*

CAPUT XIV.

DE SITV.

1. OCtavum genus accidentis est Situs.

2. Situs est accidens secundùm quod corpus habet ordinem suarum partium in suo ubi.

3. Estque rectus vel inflexus.

4. Rectus, ut stare, facere; inflexus, ut sedere.

COMMENTARIUS.

1. IN hoc capite de paucis agendum est. Est enim materia sterilis. *Principio* igitur tractandum est de nomine situs & æquipollentibus. *Deinde* de definitione & quidditate situs. *Tertiò* de ejus divisione, & *denique* An rectè Metaphysicus agat de situ?

TITVLVS I.

De voce Situs & Æquivalentibus.

2. *Ambiguitas in voce situs.*

DIcitur vox Situs ambigua est, & sumitur tribus modis, apud Suarez, *Disp. 42. s. 1. num. 1.* Primò dicit; generatim significare locum illum extrinsecum, in quo res sita est, quæ non est forma vel accidens rei, sed quasi sustentaculum ejus, ut si dicas portionem terræ, in qua arbor plantata est, esse situm ejus. Hæc significatio huc non pertinet. *Deinde*, situs potest significare quandam relationem ordinis, ut esse sursum deorsum; aut in prius vel posterius, loco, seu in digniori vel minus digno; quæ relationes sunt. Et proinde, huc etiam non pertinet hæc significatio. *Tertiò*, significat situs positionem partium in ordine ad locum; Et sic censetur constituere peculiare prædicamentum.

3. Pro voce *situs* alii usurpant vocem *positionis*, quam modis variis sumi, tradunt ferè communiter Dd. ad hunc locum, et nominatim Armand. de Bello Visu *tract. 2. term. c. 200.* Igitur *primò* positio solet sumi pro immediato principio demonstrationis; Quomodo Aristoteles *1. post.* dividit principium demonstrationis in suppositionem et positionem. *Deinde*, (sicut Græca vox θέσις,) significat vox positionis, assertionem vel sententiam, aut conclusionem alicujus disputantis. Ita Thesis Heracliti fuit; *contradictoria posse esse simul vera.* Et Copernici positio erat, *Terram moveri. Tertiò*, aliquando positio significat fundamentum disputantis. *Quartò*, notat ordinationem partium in suo toto; Et *Quinto* notat ordinationem partium in loco, Et hanc significationem in præsenti habet vox positionis.

TITV-

TITULVS II.
De Quidditate & definitione situs.

DE quidditate situs variæ sententiæ Doctorum.

Igitur I. aliqui aiunt situm significare denominationem extrinsecam, sicut est id de habitu. Ita docet Fonseca *l. 5. Metaph. c. 15. q. 7.* 4. *Non significat extrinsecam denominationem.*

Sed hæc sententia mala est. Nam remoto omni extraneo considerari potest, & reperiri peculiaris quædam positio partium in re, veluti si ponatur in vacuo. Si enim ad rationem sessionis, v.g. quæ ex hoc prædicamento sumitur, non sumitur ista denominatio à sella, in qua quis sedet, sed simpliciter sistendo inter rem sedentem, consistit in inflexo, vel curvato positu partium.

Jam igitur II. Aliorum sententia est: quòd situs sit relatio. Ita Scotus docet, et fundatur opinio hæc in Aristot. qui recubationem & sessionem relationes vocat *l. Categ. c. 7.* & repetit *c. 9.* Sed neq; hæc sententia vera est, neque Aristotelica. *Non hoc*: quia ad mentem Aristot. decem sunt Categoriæ, ut patet *lib. Categ. c. 4.* Sic autem situs esset exemplum speciale relationis, & proinde non faceret peculiare prædicamentum. Et hinc sumitur etiam probatio prioris partis. Nam omnino oportet, ut maneant decem prædicamenta, per ea, quæ in initio hujus Libri disputata sunt. At sic non fierent nisi novem prædicamenta. 5. *Nec relationem.*

III. Et ex iisdem fundamentis concidit etiam sententia eorum, quia aiunt: situm significare absolutũ cum respectivo, veluti ut absolutum in sessione sit locus: Respectivum autem sit habitudo ad locum, in quo quidque situm sit. Sic enim situs esset Ens per accidens. Et proinde ne sic quidem posset esse prædicamentum. In prædicamentis enim per se non sunt Entia per accidens. Confer Javellum *l. 5. Metaph. q. 28.* 6. *Nec absolutum et respectivum simul.*

IV. Ad eundem modũ cadit sententia Vallæ, qui *l. 1. Dial. c. 13. & 17.* docet: situm non esse peculiare prædicamentum, sed vel esse actionem, quia ibi semper agimus: aut qualitatem, quia per situm ad certum modum formata sunt membra. Et patet specialiter falsitas hujus sententiæ, quia ne fingi quidem potest, quomodo *facere*, v.g. vel *pendere* significent influxum aliquem. Ar influxus ad actionem requiritur. Deinde deficit situs à qualitate, quod licus significat ordinem partium in respectu ad ubi. At id non est in qualitate. Et pugnantia dicit Valla, quod situm refert & ad actionem & ad qualitatem. Sed hac de re etiam suprà fuit. 7. *Sententia Vallæ rejicitur.*

Argumenta autem, quæ insinuantur in iis quæ modò allegata sunt, non sunt satis efficacia. Nam neque verum est situm semper connotare actionem, neque si connotaret eam, proinde actio esset. Non etiam omnis forma pertinet ad qualitatem. Omnia enim accidentia dicuntur formæ, inprimis, quæ intra subjectum recipiuntur, ut suprà visum est, *hoc lib. c. 6.* 8

V. Igitur juxta propriam sententiam explicando *quid sit situs?* Existimo; situm non significare peculiarem Entitatem, sed significare modũ quendam in ea re, quæ denominatur. Neq; enim inprimis apparet judicium, unde sumitur realis distinctio. 9. *Propria sententia.*

Atq; hæc ipsum etiam exprimit hæc definitio. *Situs est accidens, secundum quod corpus habet ordinem suarum partium in ubi.* Veluti; potest aliquis habere talem ordinem partium, in aliquo ubi, ut superior pars corporis porrigatur in lineam rectam. Crura autem obliquentur; Et deinceps pedes rursus in directum porrigantur. Hic ordo vocatur *sessio*; Talis ergo sessio est situs sedentis, sic & in exemplis aliis. Restringitur autem in hac definitione situs *ad corpus*. Ad situationem enim requiritur extensio, & multitudo partium materialium. At extensio et materiales partes non reperiuntur, nisi in rebus materialibus.

TITVLVS III.
De divisione situs.

Thelemann. *l. 2. cap. 8. Disc.* et Tolet. *ad l. Categ.* 10. dividunt situm in naturalem et non naturalem sive accidentalem. Naturalem vocant eum, quem 10.

Postulat natura cujusquè rei. Ita naturalis situs hominis est, quemque in quavis alia positione retinet, quod caput habet erectum, & in sublimi, deinde collum, posteà humeros, & ad latus annexa brachia, deinde thoracem, abdomen, crura, genua, tibias, pedem. In bruto hæc naturalis est positio, veluti in equo, quod declive & ad terram prospiciens habet caput, quod per qualitercunque porrectum collum jungitur tergo, in transversum posito, cui æqualiter subjaceat venter, cui etiam pedes quatuor æqualiter, terram versus, conjunguntur, & sic in aliis. Accidentalem autem & non naturalem, vel conditionalem vocant eum situm, quem voluntas humana præfigit, vel saltem præfigere potest: veluti sunt stare, sedere, jacere, obliquari, erigi, & similes.

Et bona quidem est illa divisio: Sed non viderunt insinuari ubi specifica diversitas, per situm naturalem, & non naturalem. Neque enim differunt specie stationes, v.g. si arbor haberet erectum positum, qui ei naturalis est, & si homo sterl, quod stare homini est accidentalis situs. Specifica autem diversitas situum sumitur ex rectitudine & obliquitate, unde in tabulis prædicamentalibus potius poni solet diversitas in rectum & obliquum, quàm ea, quæ est in naturalem & non naturalem, prout & in theorematibus factum est. Confer Albert. *l. de sex princ. tract. de posit. c. 1.* 11.

TITULUS IV.

An vellè Metaphysicus agat de situ?

12. Quid situs sit, hactenus ostensum est; Et similiter suprà *l. 1. c. 1.* pauci quærunt in Metaph. tractanda sint? Nempe ea solùm, quæ sunt abstracta à materia secundùm rem & rationem, tractanda sunt in Metaph. ubi tamen & id patuit, quòd Metaphysicus aliquando possit egredi ex abstractione sua, & sic facere opus alienum, ut faciat proprium.

Quibus positis dico: Situm non comprehendi sub abstractione Metaphysica. Est enim solùm accidens rei corporeæ, ut visum est *tit. 2 hujus capitis.* Ea autem quæ solùm sunt rerum corporearum, à materia secundùm rem & rationem non abstrahunt. Nihilominus quia officium Metaphysici est, declarare summa Entium genera, è quibus est situs, ideireò ad complementum illorum summorum generum, de situ porrò tractat, præsertim, quia, cùm pauca de situ tractanda sint, nihil ferè (si solùm in Metaphys. fieret præcognitio) de situ porrò tractandum reliquitur. Vide dicta *lib. 1. c. 1. num.* 58.

CAPUT XV.

DE HABITU.

1. Nonum genus accidentis est Habitus.

2. Habitus est accidens corporis, notans adjacentiam corporis alterius.

3. Tales habitus sunt: *Esse indutum habitu regio: esse tunicatum vel palliatum: esse galeatum vel cataphractum: Esse circumamictum lacerto corpore; esse deauratum, vel dealbatum, &c.*

COMMENTARIUS.

1. Cum habitus sit accidens corporis, non minus ac situs, inde & de ipso an & quatenus in Metaphysica tractari possit, intelligi potest, ex dictis, *præced. c. 4.* Quot item modis sumatur vox habitus, jamdiù suprà constitutum est in prædicamento qualitatis. Proinde tria solùm hic supersunt tractanda. I. Cui subjecto conveniat habitus? II. An habitus sit adjacentia corporis, an verò ipsum corpus adjacens? III. Ex his constituenda & explicanda est definitio habitus.

TITU-

TITULUS I.

Cui subjecto conveniat habitus?

ARmand.de Bello Visu *lib.2.Term.cap.204.* Habitum coarctat ad sola corpora viventia, eorumque exteriores partes. *Habitus*, inquit, *non est accidentium sed substantiarum, nec substantiarum omnium sed corporalium: nec corporalium omnium, sed earum quæ habent partium diversitatem, qualia sunt corpora viventia: Idque non secundum omnes partes, sed solum secundum exteriores & organicas.* Ita & Thomas *in opusc 48.* Non est tamen prædicamentum habitus adeò coarctandum. 1

Igitur duo dico: 1. *Habitus est rerum corporearum solum.* Ita patet: Nam habitus requirit adjacentiam. Adjacentia autem dicit corporalem contactum, qui non est nisi in corpore. 2

Objicit: Etiam Angelis convenire habitum, idque habitudinem, tùm, quod apparent vestibus induti: tùm quod ipsum corpus in quo apparent est quasi vestis eorum. Hactenus igitur habituari dicuntur. *Respondeo* 1. Cùm Angeli apparent induti vestibus, vestis non tam est habitus Angeli quàm corporis, quod Angelus assumpsit. Nam ad corpus illud vestis habet corporalem contactum. 2. Neque corpus assumptum potest dici habitus Angeli. Nam aliàs posset dici corpus organicum etiam esse vestimentum, & proinde habitus animæ. Quod si utrobique placeat ita loqui, dicetur id solum esse catachresticè. Ex istis autem catachresticis locutionibus non debet extrui prædicamentalis denominatio. 3

II. *Dico. Habitus non est viventium solum, sed quorumcunque corporum.* Ita assero contra Armand.de Bello Vis.& Thom. *citatis locis*, Patet autem. Nam (quicquid sit de vocis impositione) in rebus non viventibus dantur habitudines eædem ex adjacentia aliorum, quæ etiam reperiuntur in viventibus. At exinde denominantur habituata viventia. Ergo idem etiam erit in rebus non viventibus. Ita patet. Nam non minus ipsa statua vel imago Mariæ potest indui tunicâ, vel vestimentis aliis, ac Maria ipsa. Nulla igitur causa est, cur ex istiusmodi adjacentiâ Mariæ imago non dicatur habituata. Accedit, quod circumdatum esse ab ambiente superficie ponitur in prædicamento habitus, ut rectè docet Suarez *Disp.51.s.2 nu.10.* & Colleg.Conimbr.*1.Categ.c.9.q.3.art.2.* Hæc autem denominatio locati, qua quid tale denominatur ex ambiente superficie, cadit in quodvis corpus. Sic etiam ex adjacentia albi, veluti calcis vel cretæ, denominatur quid dealbatum; Item ex adjacentia auri, vocatur quid inauratum. Et hæ denominationes sunt ex prædicamento habitus. Et tamen cadunt illæ etiam in res non viventes. 4

Argumenta quæ huic assertioni contrarientur, non invenio. Ubi interim non difficeret, quod prius etiam insinuavi, impositionem vocis esse inventam primo ad habitus rerum viventium, & in specie, hominum. Exinde autem postea vox illa derivata est, propter identitatem habitudinis, ad res etiam alias. 5

TITULUS II.

An habitus sit ipsum corpus adjacens, an vero corporis adjacentia?

HIc variant sententiæ. Aliqui igitur ajunt habitum esse non v.g tunicam, sed adjacentiam tunicæ. Ita Colon.enf. docent *in Hisp illustr 3.copul. Legionum fol 351.fac.1.* Gilbert.Porret.*in l.de sex princip.* quos secutus sum *introduct. Log. c.15 n.6.* Alii autem habitum dicunt esse ipsum corpus adjacens. Ita Suarez *Disp. 52.s.1.n.3.* Thom.*in Opusc.48.* Ægid Roman.*l.5.Metaph.c.15.q.unic.* Colleg. Conimbr.*l.Categ.c.9.q.3.art.2* & plurimi alii. 6

Et hanc etiam sententiam nunc probabiliorem existimo. Nam inprimis ipsum adjacens corpus dat denominationem accidentalem corpori alii. Ergo oportet, ut id significetur per aliquod prædicamentum. Modus autem afficiendi subjectum illud, solum designatur per adjacentiam. Et confirmatur. Sicut enim in prædicamento, qualitatis est calor, non verò inhærentia caloris, ut per inhærentiam solum

significetur

ficetur modus, quo hoc accidens afficit subjectum: Ita etiam in prædicamento habitus, erit tunica, v.g. non verò adjacentia tunicæ, ut per adjacentiam solùm significetur modus, quo hoc accidens afficit subjectum.

9. Principale argumentum contra hanc sententiam est illud, quod prædicamentum habitus non sit prædicamentum si sit corpus adjacens, quia prædicamentum debeat esse genus summum. Genus summum autem non habet supra se genus. At corpus adjacens habet supra se genus, nempe corpus simpliciter. Corpus adjacens igitur non potest esse prædicamentum.

Resp. Prædicamentum non habet quidem supra se genus. At nihilominus potest supra se habere aliquod latius prædicatum. Ut vel ex hoc patet, quod qualitas, v.g. & ens & accidens communi nomine dicitur. Esto igitur corpus adjacens, dicatur corpus, tamen corpus non est genus corporis adjacentis. Neque enim specie differunt corpus adjacens & non adjacens. Et aliàs patuit, diversitatem in prædicamentis non necessariò debere esse realem. Unde sequeretur à parte rei, nomen unius prædicamenti posse dici de re ex prædicamento alio.

TITULUS III.

In quo constituitur & explicatur definitio habitus.

10. GIlb. Porret. *I. de sex princip.* Habitus, inquit, est corporum & eorum, quæ circa corpus sunt, adjacentia. Sed hæc definitio exinde bona non est, quia insinuat, quod habitus non sit adjacens, sed corporis adjacentia. Id quod modò refutatum est.

Definitio nostra hæc est: *Habitus est accidens corporis, notans adjacentiam corporis alterius.* Hic primò habitus dicitur *accidens.* Est enim prædicamentum non essentiale substantiæ. At in eo consistit generatim ratio accidentis.

Dices: Habitum non esse in alio, & proinde non esse accidens. *Resp.* Non omne accidens debet esse in alio, rigidè loquendo, ut sæpe patuit. Satis nempe est ad rationem accidentis, si quid substantiam extrà essentialiter afficiat. At tale quid est habitus.

Deinde: Habitus dicitur accidens *corporis.* Hoc enim proprium habitus subjectum est, ut *tit. primo* v. sum est.

Tertiò dicitur: *notans adjacentiam corporis alterius.* Non inquam, est adjacentia ipsa, sed eandem solùm notat. Nisi enim corpus adjaceat, sed separatum sit, non habet rationem habitus. In universum igitur ad hoc prædicamentum pertinent omnes illæ denominationes, quæ constituuntur & sumuntur ab extrinsecè adiacentibus corporibus. Unde ad prædicamentum habitus, ut priùs induxi, pertinent etiam hæ denominationes, si quid dicatur dealbatum vel inauratum, vel loco circumdatum, seu quod idem est, locatum. Cur autem hæc extrinseca denominatio prædicamentum faciat, & idem non sit in aliis extrinsecis denominationibus, de eo priùs fuit, *hoc lib. 2. c. 6. tit. 5. art. 3. punct. 3.* Atque ita hactenus etiam declarata sunt singula novem accidentium genera, & proinde specialis Metaphysica, quæ consistit in doctrina de substantiis & accidentibus, in universum sic absoluta est. Præpotenti Deo sit laus & honor in Seculorum secula, AMEN.

INDEX

INDEX RERVM ALPHABETICVS

LIBRI PRIMI

PRIOR NUMERUS CAPUT: POSTERIOR, numerum marginalem cujusque capitis notat.

A.

A se & ab alio.

QUID sint? 13.11

Esse ab alio, ambiguè dicitur. 12.13. *& cap 21. num. 13. & 22.*

Absolutum.

De absoluto est. 6.10

Ejus variæ significationes. 20.2

Absolutum positivè & privativè quid? 20.4

Absolutum cur definiatur nominibus privativis. 20.21

Abstractum.

Quid sit? 24.134

Abstractio.

Omnis scientia exigit aliquam abstractionem. 1.41

Quid sit? 1.42

Abstractionis triplex genus. 1.43

Quales in Metaphysica? 1.44

De abstractione secundùm indifferentiam. 1.47

Abstractio quousque se extendat. 1.53

Abstractio non arcet ea quæ præcognoscuntur in scientia. 1.60

Abstractio coerceat scientiam. 1.115

Abstractio realis & intentionalis quid? 7.134

Abstractio negativa & præcisiva quid? 7.135

Accidens.

An sit per se scibile? 1.75

Quando non sit Ens. 1.75

Absolutè est Ens. ibid.

Quomodo sit non ens? 2.6

Accidentia unde individuentur. 7.76

Non individuari per se ipsa. 7.77

Solo numero differentia possunt esse in eodem subjecto. 7.78

De quibus id esse possit. 7.79

Individuari per essentias suas. 7.85

Accidens posse esse Ens completum. 12.45

Quo sensu sit incompletum? 12.47

Accidentis existentia non est substantia. 15.6

Quæ sit ejus existentia. 15.7

Accidens existere, existentiâ propriâ. 15.64

Accidentia an possint esse subjecta & quomodo? 23.14

Accidens potest esse proximum subjectum alterius accidentis. 23.17

Accidens prædicabile non est idem, quod adjunctum commune. 23.96

Actus. Ens actu. Actualitas.

Ens actu quid sit? 14.101

Ejus formalis ratio est existentia. ibid.

Actus & potentia quomodo faciant compositionem. 5.85

Pure actuale quid sit? 13.26

Quid sit potentia? 13.28

De actu vide aliqua ad vocem potentiæ est de eo. 6.14

Actus purus bifariam dicitur. 14.10

Actus immanentes, quomodo contineantur sub potentia activa. 14.32

Actus vox unde dicatur? 14.58

Ejus variæ significationes. 14.60

Ejus definitio. 14.61

Actus impurus quis? 14.62

Explicatur divisio in actum primum & secundum. 14.64.

Per actum ibi non intelligitur sola forma substantialis. 14.65

Quid actus primus? 14.67

Actus secundus non est idem ac operatio. 14.69

An præter primum & secundum actum detur alius? 14.71

Explicatur divisio actus in formalem & entitativum. 14.74

Actus entitativi necessitas. 14.76
Non recte dicitur is imperfectus. 14.77
Explicatur divisio in actum existentiæ & essentiæ, 14.79
Explicatur divisio actus in actum signatum & exercitum. 14.80
Actus separari posse à potentiis. 23.65

Actio, agere.

Actio mixta quid? 22.95
Actio prærequiruntur ad actionem. 22.97
Actio immanens & per emanationem differunt. 22.123
Ambiguitas in voce actionis. 22.126
Ejus duplex significatio. 22.332
Quænam agant propter finem. 22.334. seqq.

Adjunctum.

Non potest esse genus. 6.126
De adjuncto est. cap. 23
Vox adjuncti explicatur. 23.3
Adjungi quid. 23.8
Adjuncti divisio in proprium & commune explicatur. 23.32
Adjuncti divisio in separabile & inseparabile explicatur. 23.100

Æquivocum,

Non potest esse genus. 6.145
Æquivoca causa quid? 22.113
Semper est nobilior effecto. 22.114
Ambiguum quid? 24.133

Æternum æternitas.

Æternitas non est accidens. 16.10
An sola sit duratio? 16.29. & 84
An æternitas sit duratio? 16.31
Æternum unde dicatur. 16.38
Ambiguitas in voce æterni. 16.39
Ejus definitio explicatur. 16.41
Æternitatem esse durationem. 16.42
Quomodo distinguatur ab aliis durationibus. 16.43
Actualis exercitia termini an sufficiat ad æternitatem? 16.43
Æternitatem soli Deo convenire nec alii rei cuiquam convenire posse. 16.47
Æternitas an sola sit permanens? 16.48
Æternitas participata restituitur. 16.53. & 90

Ævum.

An sit specialis duratio? 16.31. & 85
Ævum unde dicatur. 16.50
Varia ejus significationes. 16.51
Quæ ejus definitio. 16.52
Ævo an possit durare quid supernaturale? 16.53
Ævum non consistere in ratione mensuræ. 16.55
Non consistere in actuali inchoatione & cessatione desitionis. 16.63
In qua differat à durationibus aliis. 16.65
Duæ sunt ævi conditiones. 16.66

Affectiones in scientia.

Quales esse debeant. 1.34. & 3.35
Affectiones entis, vide entis affectio.
Non semper faciunt compositionem in subjecto. 3.11
Affectiones scibiles possunt connotare subiectum. 3.13
Quid ad eam requiratur? ibid.
Earum variæ conditiones. 3.18.15

Ἀγαθὸν.

Unde dicatur. 10.8

Alicubi esse.

Est de eo toto. cap. 17.
Est affectio transcendentalis. 17.2
Alicubi esse unde dicatur. 17.5
Ambiguitas ejus. 17.6
Quid sit 17.7. & specialiùs. 17.19
Non consistere in denominatione extrinseca. 17.7
Nec in operatione transeunte. 17.9
Formaliter non est idem quod spatium. 17.13
Non est ubi prædicamentale. 17.16
Alicubi esse non est res distincta ab ea quæ est alicubi. 17.17
Alicubi esse dividitur in esse alicubi repletivè, definitivè & circumscriptivè? 17.21
De Phrasi: alicubi esse repletivè. 17.22
Tollitur ut sit extra cœlum etiam. 17.25
Quid sit esse alicubi repletivè. 17.30
Explicatur phrasis esse alicubi definitivè. 17.30
Quid sit 17.36
Quid sit esse totum in toto spatio & totum in qualibet parte spatii? 17.40
Quid sit occupare locum? 17.43
De phrasi: Alicubi esse circumscriptivè. 17.48
Unde dicatur circumscriptivæ præsentia. 17.49
Quod definitive est alicubi, est hic & non alibi. 17.50
Ubi circumscriptivi divisio in naturale & supernaturale explicatur. 17.62
Eorum, quæ circumscriptivè adsunt alia per se talia sunt, alia non. 17.65
Quomodo sit actus corporis. 22.265
Animæ contrariæ an sint in homine. 22.288
Anima vegetans, sentiens & rationalis, non sunt realiter distinctæ in homine. 22.292
Objectiones multæ solvuntur. 22.293
Animã communicare corpori suas potentias. 23.80
Animi vox explicatur. 23.20
Anima quomodo sit numerus. 25.48

Aliquid.

Non importat realem distinctionem vocabulum

Ium Aliquid. 24.40
Unde dicatur? 2.5
Æquipollet enti. ibid.
Non est genus entis? 2.18. & 20
Est transcendens. 2.4

Analogia, Analogum.

Vox analogi explicatur. 6.147
Analogum, quomodo sit idem quod πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς 6.148
Non omnis analogia constituit aliquid per modum generis. 6.150
Analogum dicitur univocum & æquivocum, quomodo. 6.151
Analogum quid sit? 6.158
Analogia proportionis continetur sub æquivoco. 27.9

Angelus.

Incorruptibilis creatura, quomodo dicatur Angelus. 16.66
Angeli superioris duratio non mensurat inferioris Angeli durationem. 16.60
Et quomodo circumscripti. 13.39
Quomodo sint simplices? 5.6
Unde individuentur. 7.54
Non sunt ex se singulares. 7.55
Quomodo sint puri actus? 13.16
Angeli durant ævo. 16.68
Angelus non est alicubi per operationem transeuntem. 17.10
Angelus quomodo sit totus in toto spatio & totus in qualibet parte spatii? 17.41
Angelus Dei potentiâ potest esse in pluribus ubi. 17.46
Quomodo sit alicubi circumscriptivè? 17.48
Angeli actus sunt liberi & contingentes. 18.25
Angeli an sint entia necessaria? 18.47
Quomodo sint naturâ immortales. 18.50
Quomodo dicantur forma. 22.228

Anima, Animus.

Quomodo sit simplex. 5.6
Animam separatam non esse Ens completum. 12.29
Etiam separata retinet naturalem aptitudinem ad corpus. 12.32. (14.13
Anima quomodo sit actus entis in potestate.
Anima quando dicatur naturâ incorruptibilis. 16.66
Anima rationalis durat ævo. 16.69
Anima quomodo sit tota in toto spatio, & tota in qualibet parte spatii. 17.40
Non occupat spatium. 17.43
Anima an sit Ens necessarium? 18.47
Quomodo sit immortalis naturâ. 18.50
Anima bruti & plantæ quomodo sit mortalis. 18.52
Anima separatus status non est violentus. 18.53
Anima quomodo dicatur homo. 21.233

Ἀντίλεψις.

Quid sit? 22.414
Ejus duo genera. ibid.

Appetitus.

Appetitus complacentiæ. 10.46
Appetitus quomodo possit esse rei præsentis. 10.46.
Quomodo non esse appetatur. 32.360

Ars.

Quid Lucius. 1.10
Quot modis vox artis sumatur? 1.14
Artis finis internus & externus. 22.398

Axioma.

Unde dicatur. 21.73
Quid sit? ibid.
Vide propositio.
Dignitatum divisio in propriæ & communes explicatur. 21.75

B.

Bonum.

De eo agitur toto. 6.10
Unde dicatur bonum. 10.2
Bonum morale, naturale & transcendens. 10.4
Bonum verum vel apparens. 10.7
Bonum corporis, animæ vel fortunæ. 10.8
Bonum honorabile vel laudabile. 10.9
Utile vel fruibile. 10 10
Honestum, delectabile vel utile. 10.11
Boni divisiones iuxta divisionem Entium. 10.14
Boni vox dupliciter sumitur. 10. 18. & 11.40
Bonitas transcendens quid sit. 10. 19
Re non differt ab essentia. 10.21
Non esse de prædicamento qualitatis. 10.23
Non est relatio rationis. 10.28
Etiam non significare negationem. 10 29
Non est Bonitas idem quod perfectio. 10.29
Quomodo ab invicem distinguantur. 10.31
Quomodo sint idem. 16.32
Bonitatem etiam esse in extrinseca denominatione. 10.33
Quid sit bonitas transcendens? 10 35
Quid addat entitati? 10.36 seq.
Addit respectum ad voluntatem. 10 38
Declaratur per collationem ad doctrinam de vero. 10.48
Non consistit in actuali relatione. 10.48
Bonum transcendens adæquatur Enti. 10.51.
Omne bonum esse ens. 10. 64
Bonum ἔντως vel δαιμόνιος. 22.344
Inter bonum & malum, quomodo mediet indifferens. 22.358

Bonum & finis quomodo convertantur. 22.355

C.

Casus.

Quid sit? 22.109
Non omnia casu fieri. 22.335

Causa, causatum, causaliter.

Causarum tractatio ad Metaphysicam non pertinet, ut sint principia subjecti. 2.45. & 22.13
De causa & causato est cap. 22
Cujus disciplinæ sit agere de causis. 22.4
Quomodo ad Logicam pertineant & quomodo ad Metaphysicam? 22.6. & 13
Causa unde dicatur? 22.17
Ambiguitas ea in voce. 22.19
Ejus definitio traditur & explicatur. 22.20
Disputatur de divisione causarum sine qua non, quid sit? 22.24
Causa sine qua non, quid sit? 22.40
Probatur quatuor esse causas. 22.41
Causarum divisio in internas & externas explicatur. 22.42
Causa procreans vel conservans. 22.56
Solitaria vel socia. 22.73
Causa solitaria bifariam dicitur. 22.75
Causæ coordinatæ vel subordinatæ quid? 22.77
Causæ quæ per se & accidentaliter ordinatæ. 22.78.
Causarum per se ordinatarum conditiones. 22.79.
Causa principalis vel instrumentalis. 22.82
De causa per se & per accidens. 22.85
Vide in per se & per accidens.
De causa naturali & voluntaria. 22.93
Earum discrimen. 22.96
Divisio causæ in univocam, & æquivocam. 22.110.
Divisio causæ in eam quæ est per emanationem & per transmutationem. 22.119
Causæ divisio in universalem & particularem, primam & secundam. 22.127
Causæ efficientis divisio in externam & internam explicatur. 22.134
Causa προηγουμένη, προκαταρκτικὴ & συνεκτικὴ quid? 22.137
Quid moralis & naturalis? 22.138

Complectum.

Vide incompletum.

Causa, causarum.

Causatum quid sit? 22.406
De voce effecti. 22.407
Melione sit vox effecti an causati? 22.409
Causati divisio, in effectum, materiale, formale, formatum & fiatum qualis? 22.410

Christus.

Christus totus & totum Christi quomodo differant? 8.15
Christi humana natura existit existentia propria. 15.43
Non autem subsistit subsistentia propria. 15.44.
Christi corpus quomodo adessendi sit in Cana. 17.55
Humanam naturam Christi non esse divinæ adjunctum probatur. 23.26

Circumscriptum & incircumscriptum.

Quid sit? 13.36
Circumscriptio triplex. 13.37
Circumscriptio essentialis quæ? 13.39
Circumscriptive alicubi esse: vide alicubi esse.
Circumscriptio adinalis vel aptitudinalis. 17.50.
Unde dicatur præsentia circumscriptiva? ibid.

Cœlum.

Quomodo sit simplex? 5.6
Habet materiam. 22.102
Quomodo sit homogeneum? 6.106
Durare ævo. 16.71
An sit Ens necessarium? 18.95
An sit causa universalis & quomodo? 22.133

Color.

Inter colores quomodo albedo sit mensura aliorum? 15.21
Quatenus nigredo sit color imperfectissimus? 25.22.

Commune & communicatio.

Communicatio duplex. 7.13
Communicatio quidditativa, iterum duplex est. 7.15
Quænam communicatio repugnet rei singulari? 7.15
Quæ communicabilitas, faciat rem universalem? 7.21
Commune adinatum quid? 23.94
Communicatio propriorum defenditur. 23.73
Uno communicato non necessariò communicari reliqua. 23.90

Compositum, Compositio.

Quodnam sit per se unum? 4.9
De eo est toto capite. 5
Recte eius doctrina annectitur uni. 5.2
Ambiguitas in voce compositionis explicatur. 5.9
Quid realis & rationis compositio? 5.10
Compositum ignobilius est simplici. 5.15
Importat multiplicem imperfectionem. 5.17
Quando compositum sit nobilius simplici? 5.19

Compo-

Compositionum varia genera explicantur. 5.22
Quid compositio ex esse & essentia? 5.23. & 15. 35.
Cui conveniat? ibid.
Convenit solùm Enti actuali. 5.26
Non faciunt realem compositionem. 5.26.29
Quodnam fundamentum huius compositionis. 5.30.
Compositio ex natura & supposito explicatur. 5.31
Explicatur compositio ex actu & potestate. 5.35
Compositio ex genere & differentia. 5.38
Ex materia & forma. 5.44
Ex partibus quantitativis. 5.46
Ex subjecto & accidente. 5.51
Compositi existentia est composita. 15.54

Conceptus.

Objectivus & formalis quid? 2.31
utriusque discrimen. 2.32. & 24.83. *seqq.*
Formalis conceptus an sit signum rei? 24.88
Conceptus quomodo dicantur imagines? 24.90
An sint apud omnes iidem? 24.94
Sunt signa naturalia. ibid
Conceptus sunt iidem specie, non numero. 24. 97
Conceptus medius & ultimus quid? 24.99
Quid adæquatus, & inadæquatus? 24.100
Conceptus Entis rationis formalis & objectivus quomodo differant. 27.21

Concretum.

Accidentalia sunt Entia per accident. 4.12
Concretum quid sit? 24.134

Causa conservans & procreans, conservatio.

Conservatio duplex. 16.58
Conservans & procreans causa quid? 22.57
Causa procreans quomodo primò efficiat? ibid.
An conservans rectè dicatur efficiens? 22.59
Qualis sit earum causarum distinctio? 22.64
An solius efficientis sit conservare? 22.67
An detur causa media inter procreantem & conservantem? 22.69
Procreans non dicitur per ordinem ad esse substantiale solum. 22.70

Consuetudo.

Quid sit? 24.52

Contingens.

Vide aliqua ad vocem necessarii.
Contingentium, quomodo non sit scientia? 14.21. & 18.100.
De contingentia est. 6.18.
Contingentis definitio. 18.12. & 11
Contingentia an detur in rebus? 18.22
Sensualia experimenta contingentia. 18.28
Contingentis variæ significationes. 18.99
Contingentia est in essendo vel in operando. 18. 103
Contingentia in ratione causæ & in ratione subjecti quid. 18.104
Quænam contingentia possint in scientia tractari? 18.105
Quid contingentia rerum & principiorum? 18. 106

Contradicentia.

Contradicentium incompossibilitatem negans quomodo redarguendus? 21.87

Corpus.

De corpore, quomodo agat Metaphysicus. 1.59. & 60.
Quomodo ibi præcognoscatur. 1.61
Unde individuetur? 7.64
Corpora non individuari per materiam. 7.65
Nec per formam solùm. 7.68
Nec per materiam signatam. 7.69
Nec per accidentia. 7.71
Nec per existentiam. 7.73
Nec per agens. 7.74
Non convenit ei adesse repletivè. 17.41
Quomodo corpora occupent spatium. 17.43

Corpus.

Corpus unum divina potentia potest esse in pluribus ubi. 17.54
Corpora naturalia habent durationem permanentem. 18.31
Sumuntur ad modum totius & partis. 24. 260

Corruptio, corrumpens.

Aliqua corrumpentia non sunt causæ. 22.71
Aliqua sunt causæ procreantes. 22.72

Corruptibile.

Corruptibile & incorruptibile, non conveniunt in eodem genere: explicatur. 3.18.

Creatum & increatum.

Creatum ens non est adæquatum objectum Metaphysicæ. 1.104. & 94
Nec increatum. 1.78. & 80
Entia creata quomodo sint singularia. 7.41
Sunt composita ex natura & differentia individuali. 7.42
An constituatur tale per additionem alicuius differentiæ individualis? 7.43
Creatum ens quomodo dicatur verum. 10.43
Creatum ens est finitum ratione essentiæ perfectionum, operationum &c. 13.7. *seqq.*
Creati entis dependentia multiplex. 13.16
Divisio entis in creatum & increatum explicatur. 13.16

Increatum bifariam sumitur. 13.19
Creatum & increatum non æquipollent genito & ingenito. 13.20
In rebus creatis existentiam & essentiam non distingui realiter. 15.34
Nullum creatum potest esse æternum. 16.47
Ens creatum posse habere durationem permanentem. 16.97
Ens creatum non est ens successivum. 16.99

D.

Dependens & independens.

Entis divisio in dependens & independens explicatur. 13.14
Filius Dei non est ens dependens. 13.15
Dependentia infert diversitatem in essentia. ibid.
Dependentia entis creati multiplex. 13.16

Definitio.

Debet esse ex genere proximo. 1.16
Quomodo indicet essentiam. 2.28
Definitur facilius singulare quàm universale quid sit. 6.4
Definitionis diversitas non est indicium realis distinctionis. 8.25.89
Definitio & definitum quomodo sint idem? 14. 81
Definitionis partibus respondeat partes definiti. 22.283

Definitur esse alicubi.

Vide alicubi esse.

Demonstratio.

Non postulat terminos realiter distinctos. 1. 34
Demonstrationis genus duplex. 1.47
Demonstratio ad impossibile, ex quo principio procedat, 2.48. & 21.86
Demonstratio potissima in Metaphysicis quomodo fiat. 2.51
Demonstrationes ab experimento quales sint. 21. 89

Deus.

Non est adæquatum objectum Metaphysic. 1. 78 & 80
Deum esse & tractandum in Metaph. 1. 10
Deus quomodo dicatur aliquid transcendens. 32
Non est compositus ex esse & essentia. 5.28
Nec ex natura & supposito. 5.34
Nec ex genere & differentia. 5.39.& 40
In Deo non datur differentia. 5.40
Deus quomodo dicatur totum quid? 6.5
Deus nullius rei potest esse genus. 6.125
Non est genus patris, filii & Spiritus sancti. 6.133
Deus an sit aliquid universale? 7.24
Non potest esse quid universale. 7.26
Essentia divina quomodo dicatur communis à Damasceno. 7.27
Deum esse aliquid singulare, 7.28
Quid sit Deum esse unum numero? 7.31
Quomodo essentia divina sit communicabilis, nec tamen universalis? 7.32
Essentiam divinam non esse genus personarum. probat Augustinus. 7.33
(Ad vocem *Deus* plura vide in fine literæ D.)
Dei præsentiam non consistere in operatione transeunte. 17.11
Judicium ejus quomodo sit operatio? 17.2
Deus quomodo dicatur alicubi esse repletivè? 17.23
Ejus omnipræsentia postulat, ut sit in omni spatio extra cœlum. 17.25.*seqq.*
Deum esse ens purè necessarium. 18.41
Non posse ullo modo desinere. 18.42.*seqq.*
Actus Dei immanentes sintne entia necessaria? 18.30.
Quid de transeuntibus. 18.31
Actus divini possintne contingentes dici? 18.34
An solus Deus sit Ens necessarium? 18.38
An pater possit dici principium filii, vel prior eo? 21.29.*seqq.*
Pater quomodo vocetur prima persona? 21.40
An solus Deus sit causa universalis? 22.131
Non habet materiam. 22.197
An & quatenus propter finem agat? 22.331
Quomodo agat propter se? 22.332
Quomodo sit à se? ibid.
Deum esse, subjectum suorum attributorum. 23.25
Dei intellectus non facit entia rationis. 27. 51
Intelligit tamen ea. 27.52
Deus quomodo dicatur mensura sui esse? 245
Deus an rectè dicatur mensura perfectionis aliorum. 25.23
Generatio filii non facit ut Deus pater tempore sit prior filio. 26.18
Pater quomodo sit filio prior? 27.30.

Dialectica.

Aliquando est idem, quod Metaphysica. 1.8
Quomodo sit ad docendum aptissima? 1.153
An & quomodo à Metaphysica differat? 1. 165
Quomodo versetur in omni Ente? 1.161
Quomodo agat de veritate & falsitate, necessitate & contingentia &c. 1.169
Dialectici termini quomodo sint simplices? 5.7
Non debet tractare de Ente rationis in genere, 27.7

Differentia, differre.

De differentia non debet prædicari genus speciei, 2.43
Differentia & genus quomodo faciant compositionem

Ionem. 5.38
Quid sit differentia? 6.50
Plurima differentiarum conditiones ex Aristotele explicantur. 6.51. *seqq.*
Differentiæ non sunt genera specierum. 6.128
Differre specie, quid sit? 6.130
Differentia & diversa, quomodo distinguantur? 6.132. & 8.8
Differre ratione, quid aliquibus sit? 7.47. & 8. 37
Vide & ad vocem distinctio.
Differentia cur sit quid incompletum? 12.24. & 27

Dignitas.

Vide axioma.

Distributio.

Eius membra quatenus dissentire debeant? 24 70

Distinctio.

Est de ea cap. 8
Differre realiter quid? 8.14
Quænam differant realiter? 8.17
Ampliatur realis distinctio etiam ad negationes. 8.19
Realis distinctionis varia indicia examinantur 8 20
Non sumitur ex diversitate loci. 8.21. *temporis,* 22. *prædicamentorum.* 23. *ex ratione constituentis & constituti.* 24. *nec ex diversitate definitionis.* 8.25.
Indicia propria realis distinctionis. 8.27
Distingui ratione, quot modis dicatur? 8.38
Quid sit? 8 42
Non tantum restringitur ad Entia rationis. 8.43
Distinctio rationis quomodo simplex sit? 8.40
Rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. 8.40
Distinctionis rationis ratiocinatæ, quodnam fundamentum? 8.47
Distinctio virtualis & eminentiæ quid? 8 49
Distinctio rationis ratiocinantis quid? 8.50
Distinctio modalis quid? 8 53
An præter distinctionem realem & rationis detur distinctio alia? 8.14
Non necessariò addit aliam distinctionem. 8.55
Non denominantur tales ab extrinseco. 8. 58
Modalis distinctio an & quomodo differat à distinctione reali? 8.74
Distinctio ex natura rei quid sit? 8.77
Distinctio formalis quæ? 8. 83
Distinctio essentialis quæ? 8.86
Distinctio potentialis quæ? 8.92
Esse eam realem. 8.92
Distinctio includentis inclusi. 8.95
An sit realis? 8.96
De distinctione rei à re per respectum ad tertium. 8.102
Differre genere, specie, numero quid? 8.104
Differre numero bifariam dicitur. 8.106
Ad distinctionem modalem qualis modus requiratur? 15.38

Divisio, indivisio.

Divisio implicat aliquid positivum. 4.22
Quid indivisio entitativa & accidentalis? 4. 26
Indivisio an sit privatio? 4.25
Indivisio à se & ab alio quid sit? 4.27
Divisio ab alio, bifariam intelligitur. 4.29

Deus.

Quomodo personæ divinæ dicantur distingui numero? 7.35. & 8.106
Deus non est singularis per additionem. 7.40
Personæ Deitatis quomodo dicantur differre ratione, à Damasceno? 8.40
Dei attributa quomodo distinguantur? 8.49
Deus quomodo solus bonus? 10.15
Deus solus quomodo bonus secundùm essentiam? 10. 26
Deus quomodo bonus dicatur per ordinem ad voluntatem? 10.44
An sit aliquid completum? 12.36
Deus quomodo infinitus ratione essentiæ, perfectionum, operationum, &c. 13.13
Filius & spiritus sunt ens à se quomodo? 13.13
Deo cur repugnet creatio & non generatio. 13.21
Dei potentia activa quomodo dicatur rationalis? 14.55
Deus potest aliquid facere, quod non fecit. 14.93
In Deo existentia & essentia non differunt realiter. 15.26
Deo purissimè convenit existentia. 15.65
Quomodo dicatur esse nusquam? 17. & 7.

E.

Effectum.

Effecti vox quot modis dicitur. 22.399
Effecti an causati vox melior? 22.409
Non potest esse non Ens. 17.40
Effectus non sunt propriè signa. 24.140

Efficiens.

Efficiens & effectum differunt realiter. 8.22
Efficiens an sola sit causa? 22.24
Efficientis non est definitio, cum dicitur principium primum motus. 22.34
An rectè præponatur causis aliis? 22.47
Cur præponatur? 22.50
Quid sit efficiens? 22.51

Efficientis causalitatem esse actionem. 22.53
Efficiens dividitur in procreantem & conservantem. 22.56. *seqq.*
Vide plura ad vocem conservans.
Quomodo efficiens det esse. 22.61
Efficiens per emanationem quid. 22.120
An rectè dicatur efficiens. 22.124

Elementum.

Quomodo sit quid simplex? 5.6
An sit ens necessarium? 18.56
Elementi variæ significationes. 22.146
Explicatur definitio elementi. 22.150
Quatuor conditiones elementi. 22.150
Debet esse quid homogeneum. 22.152
An vulgata quatuor elementa rectè dicantur elementa? 22.154
Sunt elementa quodammodo. ibid. & 157
Elementorum formæ, non sunt qualitates elementares. 23.52
Eorum qualitates an & quomodo separari possint ab ipsis? Ens. 23.71
Non habet rationem generis ad sua inferiora. 1.29
Ens præcisè sumptum est absolutum negativè. 1.46
Ens creatum non est objectum adæquatum Metaph. 1.77. & 94
Nec ens increatum. 1.78. & 80
Ens latissimè sumptum non est objectum Metaphysicæ. 1.95
Ens æquivocè dicitur de ente reali & rationis, positivo, & privativo, &c. 1.96
Ens quomodo sit subjectum Metaphysicæ? 1.108
Entis variæ significationes. 2.2
Quid sit ens nominaliter & participialiter sumptum? 2.3
De non ente vide Non Ens.
Ens in Metaphysica an sumatur nominaliter, an participialiter? 2.17
Entis definitio explicatur. 2.18
Ejus nullum posse dari genus. 2.18
Quid sit habere essentiam. 2.23
De entis conceptu disputatur. 2.31. *seqq.*
Ens non est æquivocum ad inferiora. 2.33
Quomodo dicatur æquivocum. ibid.
Ejus an sit unus conceptus isque præcisus ab inferioribus? 2.35
Ens non esse univocum, sed analogum. 2.38
Non est analogum ter proportionum. 2.37
Analogia ad creatum & increatum. 2.39
Ad substantiam & accidens. 2.40
Non cont dicitur ad inferiora per superadditas differentias. 2.41
Ens non est genus suorum inferiorum. 2.41
Entis determinationes conceptus sunt æquè simplices, ac est ipsum ens. 2.42
Non esse quid compositum ex suis affectionibus. 3.11
An habeat affectiones? 3.8
Omne ens an sit unum. 4.38
An rectè dividatur in unum & multa? 4.40
Ens quomodo dicatur genus? 6.114
Omne ens quomodo verum? 9.32
Non omne ens habet materiam. 22.196
Quomodo distribuatur in ens reale & rationis. 27.12
Entis divisiones an sumantur secundùm perfectionem. 12.2
Entis divisio quænam prima. 12.3
Ens est à se vel ab alio. Explicatur. 13.11
Ens dependens, & independens vide dependens.
Entis divisio in creatum & increatum. 13.17
Entis divisio in ens per essentiam & per participationem explicatur. 13.23
In pure actuale & potentiale. 13.24
In circumscriptum & incircumscriptum. 13.26
Entis divisio in ens actu & potestate explicatur. 14.83
An ea divisio bona sit & adæquata? 14.84
Vide de eis porrò ad vocem.

Actus & potentiæ.

Entis divisio in necessarium & contingens explicatur. 6.18
Vide necessarium & contingens.
Entis divisio in permanens & successivum est. 6. 19

Vide permanens & successivum.

Entis divisio in ens absolutum & respectivum explicatur. 6.20
Entis divisio Scotistica, in quantum & non quantum, rejicitur. 20.19

Ens actu.

Vide actus.

Ens potestate.

Vide potentia.

Ens rationis.

Quatenus de eo agat Metaphysica. 1.101. & 2.8
Ens rationis quomodo dicatur bonum. 10.66
Ens rationis est simia entis realis. 27.41
Ejus proprie intellectus causa non est. 27.42
An fiat à voluntate? 27.45
An à sensu? 27.46
Fieri à solo intellectu. 27.47
Non ab intellectu divino. 27.51
Ens rationis quid sit? 27.52

Cujus

Cujus disciplinæ sit de eo agere. 27.3
Cur nulla scientia possit de eo per se agere. 27.5
Non posse de eo generatim agi in Logica. 27.7
Nec per se in Metaphysica. 27.9
Agendum de eo ubi est per reductionem. 27.14
Ens rationis bifariam dicitur. 27.15
Unde dictu? 27.16
Quomodo sit in intellectu objective tantùm? 27.17
Ens rationis dari. 27.20
Diversitas ejus sub conceptu formali & objectivo. 27.21
Non omne quod est in ratione est Ens rationis. 27.24
Non consistit in denominatione extrinseca. 27.29
Optima ejus divisio quæ sit? 27.54
An omne ens rationis sit accidens? 27.54
Aliud est loqui de ejus conceptu formali & aliud de objectivo. 27.54
Divisio Entis rationis in relationem, negationem & privationem, an sit sufficiens? 27.58
Denominatio cogniti non facit ens rationis. 27.60
Superior divisio quatenus bona sit. 27.63
Ens rationis quatenus pendeat ab intellectu. 27.68
Est de eo toto. c.27
Quæ sit propria essentia entis rationis. 27.36
Entia rationis possunt rebus convenire præter operationem mentis. 27.37
Propriè loquendo intellectus non efficit ens rationis. 27.39
Solùm habet aliquid simile efficienti. 27.40

Ens per accidens.

Quatenus excludatur à scientia. 1.97
Quatenus de eo agat Metaphysica. 1.101
Vide etiam unum per accidens.

Ἐνέργεια.

Quid sit? 22.412
Quid ἐνέργεια? 22.413

Ἐντελέχεια.

Quid sit? 22.234
Unde dicatur? ibid.

Entis affectiones.

De iis est generatim, & earundem distributione. cap.3.toto.
An habeat affectiones? 3.8
Nullam faciunt in ente compositionem. 3.11
Nec sunt realiter distinctæ ab eo. 3.12
Connotant subjectum. 3.13
Significans ens sub inadæquato conceptu. 3.13
An entis affectiones sint reales & positivæ? 3.14
Quomodo sint reales & positivæ? 3.16
Recenseuntur variæ conditiones affectionum entis. 3.18
Quænam sint generales affectiones entis. 3.21
Affectionum entis duo genera. 3.24
Affectionum convertibilium discrimen. 3.25

Essentia.

Quid sit habere essentiam? 2.23
Essentia & entitas quomodo ab aliquibus distinguantur. 2.24
Essentia, esse rei, natura, quidditas, forma, quatenus sint eadem volentia. 2.25
Essentiæ variæ indicia explicantur. 2.26
Esse & essentia quam faciant compositionem, & quomodo? 5.23.seqq.
Essentia & existentia quomodo differant. 15.25
An sit separabilis ab essentia? 15.40
Non potest esse sine existentia. 15.40
Essentia indicium quare sit operatio. 22.170
Essentia ullius rei an possit esse in ratione mensuræ? 25.11

Ex.

Non semper notat materiam. 21.37
Omnibus causis tribui potest. 22.161
Imò & rebus & aliis. 22.164

Exemplar.

Vide idea.

Existentia.

An sit generalis affectio entis? 3.26
Est de ea toto. c.15
Quomodo accipiatur in Metaphysicis? 15.2
Est formalitas entis actualis. 14.101.& 151
Ambiguitas in voce existentiæ explicatur. 15.3
Quid sit? 15.4
Existentia ut sic, non est accidens. 15.5
Nec substantia. 15.6
Sed transcendens. 15.8
Ab essentia non differt realiter. 15.8.& 25
Involvit in conceptu adæquato essentiam. 15.9
Quid addat essentia? 15.10
Quomodo sit modus? 15.11.& 12.& 21
Existentia est actualitas essentiæ. 15.14
Explicatur definitio existentiæ. 15.18
Est actus. 15.18
Actus primus quomodo sit? 15.20
Quomodo ultimus? 15.21
Quomodo ponat rem extra causam? 15.22
Nec in Deo, nec in rebus creatis, realiter differt ab essentia 15.26
Essentia actualis & existentia differunt modaliter. 15.36
Essentia & existentia an sint separabiles? 15.40

Essentia non potest esse sine existentiâ. 15.41
Et eâ quidem propriâ. 15.42
Essentiæ plures possunt esse in una re. 15.51
Existentia non potest esse sine essentia. 15.56
Existentia cui rei conveniat. 15.57

Externum.

Externum & internum bifariam dicuntur. 22.43.
Quomodo intelligantur in divisione causæ. 22.43

F.

Falsitas.

Non est entis affectio. 9.39
Dicitur solùm ab extrinseco. 9.39
Falsitas nulla est ab intrinseco. ibid.

Finitum Ens, vide infinitum.

Finis & finitum.

Finis quomodo dicatur prima causa? 22.48
Finis unde dicatur? 22.320
Quot modis dicatur? 22.321
Finis & causa finalis an & quomodo differant? 22.322
Quomodo finis & scopus. 22.324
Finis definitio explicatur. 22.326
Finem esse causam probatur. 22.329
Finis quomodo nulla sit actio. 22.330
Quomodo non agat. 22.331
Quomodo principio ordinatur. 22.333
Quænam agant propter finem. 22.334
Agentia naturalia an & quomodo agant propter finem? 22.336
Quænam vere possint esse finis an malum, incognitum, indifferens. Non Ens, &c. 22.343
Finis an cadat in esse reali, an in esse intentionali? 22.361
Finis an quietet agens. 22.364
Quænam sit causalitas finis. 22.369
De divisione finis in ultimum & non ultimum 22.370
Finis omnis est ultimum quid dupliciter. 22.373
De divisione finis in finem cujus & cui. 22.374
Finem cui esse verè finem. 22.375
Convenit ei definitio finis, 22.379
Cur dicatur finis quodammodo. 22.380
Quomodo sit subjectum. 22.381
Finis divisio in formalem & objectivum, exponitur. 22.385
De divisione finis in finem indigentiæ & assimilationis. 22.388
De divisione finis in finem principalem & minus principalem. 22.392
Finis per se vel per accidens. 22.388
Internus vel externus. 22.398
Finis adæquatus vel inadæquatus. 22.399
Actionis & rei factæ per actionem. 22.400
Est per motum vel circa motum. 22.419
Finitum quid sit? 22.419

Forma.

Quomodo æquipolleat essentiæ. 2.25
Formæ substantiales unde individuentur. 7.57
Non per compositum. ibid.
Non per materiam. 7.58
Non per accidentia. 7.60
Quomodo forma dicatur potentia. 14.29
Quomodo sit actus materiæ. 15.49
De forma an possit in Metaphysica agi. 22.9
Forma an possit dici elementum. 22.151
Forma unde dicatur. 22.219
Ejus variæ significationes. 22.220
Forma totius & partis quid sit? 22.221
Discrimina inter eas. 22.222
Forma Physica & Logica quid? 22.223
Forma substantialis & accidentalis quid? ibid. 225
Forma informans & assistens quid. 22.227
Varia ejus nomina explicantur. 22.232
Quomodo dicatur ratio quidditatis. ibid.
Forma bifariam dicitur actus. 22.236
Bifariam dicitur species. 22.237
Quomodo dicatur terminus? ibid. 238
Quomodo harmonia? ibid. 239
Definitio formæ explicatur. 22.240
Formas esse, variè probatur. 22.245
Non omnem formam esse substantiam. 22.244
Nec omnis est accidens. 22.247
Formam esse causam probatur. 22.257
An sit nobilior compositio? 22.260
Forma cujus causa sit. 22.261
An informet materiam? 22.265
Informatio duplex. 22.263
Forma quænam causalitas. 22.269
Divisio formæ in substantialem & accidentalem. 22.271
In genericam, specificam & numericam. 22.273
Qualis ea sit distributio? 22.276
De divisione formæ in totalem & partialem. 22.277
Qualis ea sit distributio? ib.
Plures formæ an possint esse in eodem composito? 22.279
Non plures specificæ. 22.280
Non sunt multiplicandæ juxta quidditativa prædicata. 22.283
Quatenus una forma possit dare plura esse. 22. 296

Formæ partiales plures an sint in eodem composito? 22.304
Formam mixti in viventibus, distinctam esse ab anima. 22.309
Formæ divisio in materialem & immaterialem. 22.314
Formarum materialium quinque conditiones. 22.318
Formarum bifariam dicitur. 22.418
Forma quomodo sit prior materiâ? 26.28

Fortuna.

Fortunæ, hoc est, fortuitæ causæ definitio. 22.103
Non omnia fortuitò fieri. 22.335

G.

Generatio.

Quomodo sit mutatio totius? 6.14
Generatio cur non exigat infinito? 13.21
Generatio unius, quomodo sit corruptio alterius? 22.312
Generatio quomodo sit mutatio totius in totum? 22.313
Generatio etiam applicatur motibus accidentalibus. 22.70

Genus.

Debet esse aptum, ut sit in multis. 1.21
Aliquando idem est, quod materia. 1.32
Cum differentia quomodo faciat compositionem. 5.38
Quomodo componatur ex differentiis? 5.45
Genus potest dici totum. 5.109
Generis variæ significationes. 9.110
Aliquando idem est, quod subjectum. 6.113
Explicatur Aristotelica definitio generis. 6.121
Rami definitio rejicitur. 6.122
Quomodo prædicetur de pluribus? 6.123
Prædicatur in quid est. 6.126
Genus non dicitur conversim. 6.129
Prædicatur de differentibus specie. 6.130
Generis divisio, in generalissimum & subalternum, explicatur. 6.139
Item in remotum & propinquum. 6.143
In univocum & analogum. 6.145
Quomodo ibi sumatur vox generis? 6.146
Analogum non esse semper genus. ibid.
Genera non esse entia incompleta. 12.21
Quomodo sint incompleta secundùm quid. 12.28
Generica unitas non est realis. 22.298

H.

Habitus.

Quomodo de eo agatur in Metaphysicis? 1.58

Hoc aliquid.

Quid sit? 7.10

Hoppo.

Eius potestas alia quomodo sit rationalis, alii irrationalis? 14.5
Hominum actus esse contingentes. 18.2
In homine non sunt duæ contrariæ animæ. 22.281
In homine quomodo sint contrariæ operationes. 22.294
Diversis modis omnia sunt propter hominem. 22.308
Quomodo sit regula viventium? 25.20

Honestum.

Honestum bonum quid sit? 10.11

I.

Idea.

Quæ Idea Platonica? 7.112
Quid Idea sive exemplar? 22.35
An sit peculiaris causa? ibid.
Non potest nisi ab efficiente constitui. 22.36
Quomodo dicatur forma? 22.39. & 219

Identitas.

Est de ea. 8.8
Idem & unum non sunt æquipollentia. 8.3
Explicantur variæ significationes vocis idem. 8.5
Idem negativè & positivè quid? 8.6
Identitas realis non satis est, ut aliqua de se invicem prædicentur. 22.289

Imago.

Quid sit? 24.89
Eius requisita. 24.92
Quomodo debeat dependere ab imaginato? ibid.

Immateriale.

Bifariam sumitur. 1.47
Immaterialis substantia, non est adæquatum objectum Metaphysicæ. 1.76
Immmateriale & abstractum à materia non sunt idem. 1.88
Dicitur positivè & negativè. 20.6

Immediatum.

Immediatio est vel ratione causæ vel ratione subjecti. 23.47

Impedimentum.

Impedimenta sunt privationes. 14.44

Imperium.

Imperium duplex. 1.9

Imperfectum.

De eo est c. 11. n. 14. sequ.
Dicitur solùm secundùm accidentalia. 11.14
Imperfectum per ordinem ad finem. 11.22
Per admixtionem contrarii. 11.23
Imperfectio privativa & negativa quid? 11.24
Imperfecta sunt entia duobus modis. 11.55
Imperfectio quæ est ex defectu partium materialium, quò sit referenda? 11.46

Impossibile.

Non est affectio Entis. 3.28

An sit medium inter necessarium & contingens? 18.19

Quomodo sit medium? 18.37

Impotentia.

An contineatur sub potentia? 14.37

Bifariam sumitur. 14.39

Quomodo in Categoriis distinguatur à potentia? 14.39

Incognitum.

An possit esse finis? 22.349

Incompletum, completum, complens.

De iis est toto. 6.12

Completum sumitur nominaliter vèl participialiter. 12.6

Complens dicitur aliquid bifariam. 12.7

Completum non est idem quod consummatum. 12.10

Completum & incompletum non æquipollent perfecto & imperfecto. 12.13

Quid sint? 12.15

Disputatur de generibus, anima & Deo, &c. finine illa entia completa an incompleta? 12.20

Divisio hæc comprehendit omnia entia. 12.40

Incompletum per se non est in Prædicamento. 12.46

Incompletum & completum quid sint? 12.51

Incompletorum entium catalogus. 12.52

Incorruptibile.

Trifariam dicitur. 18.10

Incorruptibile naturâ, ambiguè dicitur. 16.66

Increatum *vide* creatum.

Indifferens.

An possit esse finis? 22.352

Individuum, individuatio.

Quomodo differat à singulari? 7.7

Non repugnat ei omnis communicabilitas. 7.18

Videtiam aliqua de singulari.

Individuationis principium quodnam sit? 7.52

Individuum non addere aliquid naturæ communi, realiter distinctum ab ea. 7.45

Inductio.

Quomodo omnis à singularibus? 7.4

Infinitum & Finitum.

Non possunt esse ultra infinita. 7.26

De finito & infinito est toto. 6.13

Ambiguitas in voce finiti & infiniti explicatur. 13.2 13.2

Finitum in mole & essentia. 13.5

Quomodo possit mensurare aliquid? 25.24

Finitum quomodo habeat fines in essentia? 13.6 *& perfectionibus.* 8. *& operationibus.* 9. *& duratione.* 10. *& præsentia.* 11

Infinitum quomodo careat finibus in essentia &c. 13.2

Infinito repugnat, ut fiat. 13.14

Repugnat ei ut definat. 13.15

Infinitum quomodo sit à se? 13.21

Finitum quomodo sit ab alio? 13.22

Infinitum quomodo sit purè actuale? 13.24

Infinitum caret omni passivâ potentiâ. 13.28

Finitum quomodo sit ens potentiale? 13.31

Infinitum quomodo sit purè necessarium? 13.33

Entis divisio in finitum & infinitum est adæquata. 13.42

An sit analoga divisio? 13.49

Instrumentum.

An sit quinta causa? 22.28

Esse principium. 22.29

Contineatur sub efficiente non sub materia. ibid. 32

Vox instrumenti explicatur. 22.83

Ejus duæ conditiones. 22.84

Integrum.

Trifariam sumitur. 6.91

Integrum in doctrina totius non opponi mutilo. 6.92

Integri divisio in similare & dissimilare, explicatur. 6.97

Intellectus.

Propriè non est causa entium rationis. 27.43

Quod ad intellectum pertinet subjectivè, vel effectivè. vel objectivè, non est illicò ens rationis. 27.17 & 25

Intellectus triplex operatio. 27.31

Καλὸν.

Unde dicatur? 10.2

L.

Liberum, Libertas.

Liberum an sit medium inter necessarium & contingens? 18.19

Libertatem esse in actibus humanis. 18.23

Libertas non est per indifferentiam ad bonum & malum. 22.347

Locus.

Quomodo conveniat omni Enti. 17.3

Etiam Deo & Angelis tribuitur. ibid.

In loco esse repletivè, definitivè & circumscriptivè quid sit? 17.21

Vide alicubi esse.

Locum occupare, quid sit? 17.43

Logica.

Vide Dialectica.

Malum, Malitia.

Malitia vitiosi actus, in quo consistat? 10. 61
Mala doctrina non pertinet ad Metaphysicam. 18. 70
Nihil est malum removendo bonitatem transcendentem. 10. 71
Malum an possit esse finis? 22.345

Materia.

Quomodo non ens? 2.6
Quomodo dicatur genus? 6.80
Materia unde sit individua? 7.62
Quomodo sit imperfecta? 11.56
An subsistat per seipsam? 15.45
An habeat actum entitativum? 15.45
Non potest existentiam habere à forma. 15.46
Quomodo sit pura potentia? 15.47
Materiam primam durare ævo. 16. 70
Materiam primam non esse ens necessarium. 18. 57
Quomodo sit ingenerabilis & incorruptibilis? 18. 58
De materia an possit in Metaphysicis agi? 22.9
Materia vox explicatur. 22. 143
Materia in qua, ex qua, circa quam quid? 22. 143
Materia Physica & Logica quid? 22. 143
Materia prima an sit elementum? 22.152
Materiæ definitio explicatur. 22.158
Materia absoluta & respectiva notio. 22. 166
Materia quomodo ens & non ens? 22.67
Materiæ vox ambigua. 22.171
An omnis sit substantia? 22.172
An sit ens actuale 22.175
Ejus actualitas probatur. 22. 176
Materia quomodo sit informis? 22.180
Per quid materia sit actualis? 22.181
Non est actualis per formam. 22. 182
Ejus duo attributa, potentia & privatio. 22. 182
Materia non est in obiectiva potentia. 22. 184
Quomodo sit pura potentia? 22.185
Ejus potentia quomodo universalis. 22.187
Materiem esse causam probatur. 22. 190
Quatenus nihil agat. 22.195
Quænam res habeant materiam? 22.196
Materia causat duobus modis. 22.204
Explicatur divisio materiæ in remotam & propinquam. 22.206
In immanentem & transeuntem. 22. 207
Immanens materia bifariam dicitur. ibid.
Divisio materiæ in sensilem & intelligibilem explicatur. 22.210
Materia intelligibilis trifariam dicitur. 22.211
Materiæ divisio in primam & secundam. 22. 214
Primam materiam esse probatur. 22.214
Eius variæ descriptiones. 22.215
Materiatum quid sit? 22.217

Mathesis.

Quomodo nos abstrahat à materia intelligibili? 22 213
Mathematicarum rerum quomodo non finis? 22. 401

Medium.

An possit esse finis? 22. 354
Materialiter convenire possunt. 22. 356
Media quid sint? 22 402
Necessaria vel contingentia. ibid.
Mediorum alia differentia. 22.395
Quid ex fine habeant? 22.396

Mendacium.

Quid sit? 22.106
Mentiri unde dicatur? ibid.

Mensura, mensurabilitas.

De quo primò dicatur? 25.7
Dicitur tripliciter. ibid.
Eius definitio explicatur ex Aristotele. 25.9
Mensura duplex. 25. 15
Mensura adæquationis quid? 25.14
Quid mensura repetitionis. 25.13
De mensura perfectionis. 25.18
Cui propriè conveniat esse mensuram. 25.27
Malè distribuitur in intrinsecam & extrinsecam. 25.34
Variæ conditiones mensuræ & mensurati. 25. 38
Omne mensurabile est finitum. 25.40
Explicatur axioma, primum in unoquoque genere est mensura reliquorum. 25.43
Quomodo mensura sit aliquid indivisibile? 23. 44
Quomodo sit quodlibet minimum? 25.46
Quomodo sit homogenea mensurato? 25. 47
Quid sint? 16. 23
Mensurabile non est quid ab intrinseco. 16
Debet esse notior mensurato. 16.57
Est de ea toto. c.25
Mensura est species signi. 25.1
De eis agi debet in Metaphysica. 25.2
Mensura & mensuratum abstrahunt à materia 25.4
Vox mensuræ ambigua. 25. 5
Sumitur activè & passivè. 26.6

Metaphysica.

De Metaphysica in genere est totum cap. 1

Unde dicatur Metaphysica? 1. 2
Dicitur Philosophia. 1.4
Et prima Philosophia. 1.5
Non est prima inventa. ibid.
Dicitur Sapientia. 1.6
Quomodo dicatur Theologia? 1.17. & 83
Et Dialectica? 1. 7
Quodnam sit genus Metaphysicæ? 1. 8. seqq.
Quomodo dicatur prudentia? 1. 13
Non est ars proprie loquendo. 1. 14
Non videtur ei convenire definitio artis à Luciano tradita. 1. 17
Ejus genus non est sapientia. 1.20
Non est aliqua universalior scientia, quàm sit Metaphysica. 1.22
Ejus genus esse scientiam. 1. 24
Quomodo sit scientia & sapientia. 1 26
An sit speculativa scientia? 1.35
Quomodo imperet aliis scientiis? 1. 39
Qualem abstractionem habeat Metaphysica? 1. 41
Abstractio Metaphysicæ duplex. 1.44
Abstractio secundum indifferentiam defenditur. 1.46
Metaphysica quenam tractare possit? 1.48
An & quomodo agat de prædicamentis? 1. 54
An & quomodo agat de corpore? 1.59
Obiectum Metaphysicæ quodnam. 1.64
Quinam angustius subiectum ponant. & refutatio eorum? 1,70. seqq.
Quinam latius subiectum ponant, & refutatio eorum. 1.93. seqq.
Metaphysicam non debere descendere ad omnia inferiora. 1.98. & 103
Propria sententia de subiecto Metaphysicæ exponitur. 1 107
Metaphysicam posse descendere ad aliqua inferiora. 1. 115
Metaphysicæ varia munera enumerantur. 1. 117.
Eius utilitas & necessitas. 1.119
Confirmat & demonstrat principia aliarum scientiarum. 1. 120. & 21.99
An possit principia propria probare & confirmare? 1.122
Quomodo præscribat subiecta aliis scientiis? 1. 124.
An ei subalternentur aliæ scientiæ? 1.129
Metaphysica est de rebus omnibus. 1.150
De abstractissimis. 1.151
Est certissima. 1.152
Ad decendum aptissima? 1.153
Per se appetitur. 1.154
An sit scientia nobilissima? 1.155
Quomodo sit una? 1. 158
Non est simplex qualitas. 1.160
An & quomodo differat à Logica? 1.161
Metaphysica quomodo sit dividenda? 1.172
Aliorum divisiones examinantur et rejiciuntur. 1.173
Traditur divisio propria. 1 185
Metaphysica non demonstrat per genera causarum. 2.45
Qualia sint principia in demonstrationibus Metaphysicis. 2.46
Metaphysica non esset una, si per se ageret de entis rationis. 2. 79

Mistum.

Forma misti distincta est ab anima vivente. 22. 309

Modus, Modale.

De distinctione modali. 8.55 et 63
Modi vox ambigue sumitur. 8. 64. et 15.24
Modus à re modificata quomodo differat? 8.70
Modalis distinctio quomodo differat à reali? 8. 74

Momentum.

Dicitur per defectum successionis in tempore. 15. 17
Potest in uno momento esse successio in ordine naturæ. ibid.
An sit aliqua duratio momentanea? 16.32 et 86

Monstra.

Variorum generum. 11. 15

Morbi.

Quid sit? 22.235

Motus.

Qualis sit actus primus an secundus? 14 71
Bifariam potest dici actus. 14.61
Esse actum secundum. 14.72
Non est ens permanens. 19. 6
An & quatenus sit Ens successivum? 19. 27
Substantialis motus non est successivus. ibid.
Et aliqui accidentales sunt instantanei. 19. 28

Mundus.

Non est aliquid necessarium. 18.67
Ne quidem, si Deus ex necessitate naturæ ageret. 18. 69

Mutilum.

Quid sit? 11.16
Eius septem conditiones explicantur. ibid.

N.

Natura

Natura, Naturale.

Quomodo æquipolleat essentiæ? 2.25
Quid sit cùm contradistinguitur supposito? 5.32
Quotlis sit compositio ex illis? ib.
Natura indissolubile esse, quid sit? 16.66
Naturalia agentia an & quomodo agant propter finem? 22.336

Necessarium, Necessitas.

Purè necessarium & contingens, quid sint. 13. 32
Est de eo. cap. 18
Unde dicatur 18.2
Χρεὼν & ἀνάγκη differunt. 18.3
Necessarii variæ significationes. 18.4
Aristotelica distinctio vocis. 18.5
Necessarium in causando, essendo & prædicando quid. 18.7
Necessarii definitio. 18.11
An necessitas possit generatim definiri per immutabilitatem? 18.14
Necessitas immutabilitatis quæ? 18.14
Ens adæquatè dividi in necessarium & contingens. 18.15
Necessitatis divisio in complexam & incomplexam exponitur. 18.88
In necessitatem absolutam & hypotheticam. 18. 90
In necessitatem naturæ & violentiæ. 18.91
Necessitas finis. 18.94
De divisione in necessitatem consequentis, & consequentiæ. 18.94
In eam quæ est ad esse & bene esse. 18.97
Necessitatis divisio per ordinem ad causas. 18. 98
Necessitas expedientiæ quid sit. 18.98

Negatio.

Negationes an comprehendat subjectum Metaphysicæ? 2.8
Negationes quomodo declarent essentiam. 2.19
Duæ æquipollent affirmationi. 4.22
Negationes quomodo possint significare perfectionem 5.21
Negationum quomodo possit esse conceptus? 24. 92

Non Ens.

Quot modis dicatur? 26.& 22.169
Non entia quomodo dicantur vera? 9.35
Non esse quomodo bonum sit? 10.65
An possit esse finis. 22.359
An possit esse subjectum vel adjunctum. 23.22

Nota.

Quid sit; 24.142
Debet esse simul cum notato. 24.144
Debet esse propria, non communis. ibid.
Debet esse notior notato. 24.146
Et à notato inseparabilis. 24.146

Notius.

Secundùm naturam & nos, quid sit. 26.42

Numerus.

Non est ens per se. 6.34
Numerale totum quid sit? ib.
An differat ab integrali? 6.35
Numero differre bifariam dicitur. 8.106
Unitati prius convenit esse mensuram, quàm numero vel quantitati continuæ. 25.32

O.

Objectum.

An potius causa sit, an subjectum? 23.107
Objectum quâ tale non debet movere. 23.108
Objecti divisio in adæquatum & inadæquatum 23.110
Subjectum perfectionis quod dicatur? 23.114
Objecti scientiæ, conditiones. 23.115
Divisio objecti in objectum per se & per accidens 23.116

Operatio.

Operatio indicat essentiam. 2.26
Operationes mixtæ quid sint? 22.95
Operatio est inadæquatum indicium essentiæ. 22. 178

P.

Pars, Particulare.

Partes quantitativæ quid. 5.46
Est de partibus toto. cap.6
Pars quomodo prior toto? 6.10
Ejus ambiguitas explicatur. 6.11
Partes totius essentialis, quænam? 6.48
Principales & minus principales, quomodo differant? 6.107
De partibus similaribus & dissimilaribus. 6. 97
Particulare & singulare quomodo differant, 7. 7. & 8
Partes existere existentiâ propriâ. 15.50
Quo sensu existant per se. 15.55
Existentia convenit toti & partibus. 15.63
Partes communicant propria sua toti. 23.78

Passio.

Etiam est actus secundus. 14.69
Aliquando dicitur actio. 14.70
Quot modis illa particula usurpetur. 22.243

Perfectum, perfectio.

Perfectum & bonum quomodo differant? 11.43.& 10.19

Quomodo sint idem. 10.32.& 11.2.& 41
De perfecto est, toto. c.11
De perfecto prius agendum quàm de bono. 11.1
Perfectum & totum quomodo idem? 11.2
Perfectio moralis, naturalis & transcendens quid differant? 11.3
Ambiguitas in voce perfecti. 11.4
Alia ambiguitas. 11.6
Perfectum sumitur nominaliter vel participialiter. 11.7
Sumitur absolutè vel comparatè. 11.7
Perfectio sumitur formaliter vel efficienter. 11. 11
Essentialiter vel accidentaliter. 11.12
Perfectio transcendens quid sit? 11.25
Ejus definitio ex Aristotele. 11.30
Qualem ne et indefectibilitatem? 11.31
Perfectio an potest privationem? 11.32
Perfectum an sit verum transcendens? 11.34
Non aequipollet enti. 11.35
Non comprehenditur sub bonitate. 11.39
Perfectionem esse transcendens. 11.47
Omne ens esse perfectum & vicissim. 11.51
Perfectionis quis adaequatus conceptus? 24. 100
Perfectionis quomodo sit aliqua mensura? 25.18

Permanens, permanensio.

Permansionis vox ambigua. 15.15.& 19.2
Permansio quomodo denominet ens permanens. ib.
Res permanens potest etiam durare tempore. 18. 76
De ente permanente, est cap. 19
Entis permanentis definitio explicatur. 19.4

Per se & per accidens.

Quid sint in ratione causae? 22.86
Quid in ratione effecti? 22.89
Per accidens in ratione effecti est trifariam. 22. 90
Causa per accidens requisita quatuor. 22.91
De causa per accidens in specie est. 22.99
An causa per accidens detur in solo efficiente? 22. 100
An rectè distinguatur per necessitatem & fortunam? 22.103
Rectè dividitur per casum & fortunam. 22.107

Persona.

Quid sit? 7.10

Physica.

Physica abstractio quid praestet? 1.115. & 176
An sit subalternata Metaphysicae? 1.145
Corpus mobile quomodo sit ejus subjectum? 17. 45

Politica.

Quomodo sit disciplina διαγνωστικη vel? 2. 155
Quomodo imperet aliis? ib.

Potentia, potestas, Ens potentia.

Vide ad vocem actus aliqua. Est de ea cap. 14
Unde dicta sit vox potentiae? 14.3
Variae ejus significationes. 14.4
Potentia & potestas quomodo differant? 14.6
Aliquando significat solam potentiam passivam. 14.10
Potentia, praedicamentalis & transcendens quid differant? 14.11
Potentiae definitio. 14.15
Declaratur divisio potentiae in naturalem & obedientialem. 14.18
Potentia obedientialis cur Logica dicatur? 14. 20
Cur dicatur obedientialis? 14.21
An omnis sit passiva? 14.22
Quid sit potentia objectiva? 14.24
Esse in potentia objectiva duo implicat. 14.25
Explicatur divisio potentiae in activam & passivam. 14.26
Definitiones Aristotelicae examinantur. 14.29
Non omnis potentia est qualitas. 14.29
Propria definitio activae & passivae potentiae. 14. 33
Potentia objectiva, an sit addenda potentiae activae & passivae? 14.40
Quomodo sit realis? 14.40
Quomodo dicatur quid, ens possibile? 14.40
Explicatur divisio potentiae in remotam & propinquam. 14.48
In rationalem et irrationalem. 14.50
Potentia rationalis per participationem. 14.51
Esse in potentia quid sit? 14.91
Bifariam exponitur. 14.92
Est per ordinem ad efficientem et materiam. 14. 92
An etiam illud sit in potentia, quod nunquam futurum est? 14.92
Ens in potentia an et quomodo sit ens? 14.94
Habet entitatem in causis suis. 14.95
Ens in potentia non est ens rationis. 14.99
Quomodo sit ens et non ens? 14.100
Ens in potentia non habet existentiam. 15.58
Nec durationem. 16.4
Dicitur durare per denominationem extrinsecam. 16.5
Potentiae naturales an intendantur? 23.61

Pra-

Practicum.
Vide scientia.
Πρᾶξις quid. 22.415
Factum quid. 22.416
Factum non est solum per ordinem ad materiale opus. 22.416

Prædicamenta.
An versentur solum in rebus materialibus? 1. 52
An de iis in Metaphysicis agendum? 1 53
In prædicamentis per se non sunt incompleta. 12. 46
In prædicamentis sunt entia, cum indifferentia ad esse possibile & actuale. 14.98

Præsentia.
Vide ad vocem Alicubi esse.

Principium & principiatum.
Est de eis. cap. 21
Explicatur ambiguitas quæ est in voce principii. 21.1.
Principiati vox an congrua sit? 21.4
Aliorum definitiones principii. 21.5
Principium non debet definiri per dependentiam. 21.9
Principium est, unde est aliud, explicatur. 21. 10
Principiorum Aristotelica definitio explicatur 21.15
Principiati definitio. 21.21
Principiorum variæ conditiones. 21.24
Quomodo principium dicatur primum? 21.28
Sitne prius principiato? 21.29
Principium generatim quomodo sit prius principiato? 21.52
An id etiam sit in principiis cognoscendi? 2.53
Principiorum divisio, in principia essendi & cognoscendi explicatur. 21.56
Principium essendi comprehendit & principium fiendi. 21.58
Ea, quæ non sunt causæ. 21.60
Principium cognoscendi quid sit? 21.66
Aliqua principia cognoscendi esse incomplexa 21. 68
A principiis essendi quomodo distinguantur? 21. 70
Potissima principia cognoscendi sunt axiomata 21. 73
Principiorum, divisio in propria & communia 21.75
De divisione principiorum in indemonstrabilia & demonstrabilia. 21.79
Quomodo alia sint demonstrabilia, alia non? 21. 0.94
Variis modi quibus probantur principia. 21.86
De principiorum divisione in causalia & non causalia. 21.101
Principium conditionale. 21.102
Principium non causans est duorum generum 21. 103
Principium huius est causa. 21.105
De principiorum divisione in interna & externa. 21.108
Principium quod & quo. 21.97

Privatio.
Privationes distinguuntur realiter. 8. 57
Quomodo dicantur veræ? 9.35
Privationes quomodo bonæ sint & fines? 10.68
Privatio est principium. 21. 61
Privatio Physica quæ? 22.102
An & quatenus sit Ens rationis? 27.65
Dicuntur entia. 27.66

Prius, posterius & simul.
Prioritas originis quænam? 21.58
Est de priori, &c. toto. 6.26
Esse de eo agendum in Metaphysicis. 26.1
Ambiguitas in voce prioris. 26 3
Ejus duplex respectus. 26.4
Primum positivè & negativè quid? 26.5
Definitio priorum Aristotelica examinatur. 26.6.
Prioritas non involvit relationem realem. 26.9
Genera prioritatis varia. 26.10
Prioritas temporis explicatur. 26.15
Prioritas temporis aptitudinalis quæ? 26.20
Simul tempore quæ sint? 26.20
De prioritate naturæ. 26. 22
Pertinet ad eam prioritas secundùm essendi consequentiam. 26.22
Significatur per dependentiam? 26.24
Potest aliquid naturâ prius esse aliquo, cum quo est realiter idem. 26.25
Prioritas naturæ intuendentis & generantis quæ sit? 26.27
Prioritas naturæ positiva & privativa quæ? 26 28.
Prioritas ordinis sive enumerationis quæ sit? 26. 29
De prioritate cognitionis. 26 34
De prioritate dignitatis. 26.39
De prioritate loci. 26.39
De prioritate æternitatis. 26.41
Causæ. 26.44

Propositio.
An detur aliqua absolutè necessaria? 18.70
Necessariæ propositiones sunt de isto ex oppositis, & in primo modo dicendi per se. 18.71
An idem sit in propositionibus ex secundo modo dicendi

dicendi per se. 28.74
Differentia inter eas. 28.75
Quatenus propositiones secundi modi sint necessariæ. 28.76
Gradus necessitatis in propositione. 28.81
Necessitas oppositionum in quo fundetur? 28.83
Quatenus fundetur in intellectu divino. 28.85
Fundatur in aliqua terminorum identitate. 28. 86

Vide axioma.

Proprietas, proprium.

Non potest esse in extrinseca denominatione. 23. 33
Proprium quot, multis modis dicitur. 23.34
Quinque modi proprii. 23.36
Definitio proprii explicatur. 23.37
Quomodo unum soli conveniat? 23.38
convertitur cum. 23.41
Propriorum duo genera. 23.43
Proprium convenit subjecto semper. 23.44
Et primò ac immediatè. 23.46
Reciprocatur ad essentiam. 23.49
Unius proprium, non est alterius proprium. 23.50
Est naturâ posterius subjecto. 23.52
An suscipiat magis & minus? 23.54
Differentia proprium hac in re. 23.58
An possit separari à suo subjecto? 23.63
Divinitus separari posse, probatur. 23.67
Posse proprium communicari. 23.73. *à genere ad speciem.* 76. *à parte ad totum.* 78. *à parte ad partem.* 79
Solvuntur objectiones. 23.82
Non communicato non necessariò cæteris communicari. 23.90
Proprium est separabile etiam negativè. 23.110

Propter.

Vox hæc ambiguè sumitur 22.193. & 326

Pulchritudo.

Est ens per aggregationem. 4.12
Quid sit? ibid.

Q.

Qualitas.

Qualitates non esse entia successiva. 19.25
Quænam qualitates suscipiant magis & minus. 23.59
Qualitates quatenus sint notiores quantitate. 25.28

Quando.

Tribuitur etiam rebus immaterialibus. 1.57
Non continet adæquatè omnem durationem. 3.17. & 16.8.

Quantitas.

An & quatenus detur in Metaphysica? 1. 55
Quantitas molis vel virtutis. 23.9
Quantitas intelligibilis quæ? 22.212
Quantitas an in condensatione vel rarefactione intendatur? 23.62
Quantitas extensiva & intensiva. 25.9
In quantitate propriè & primo reperitur ratio mensuræ. 25.27
Quantitas non potest mensurare substantiam in qua est. 25.37

Quatenus.

Reduplicativè & specificativè acceptum quid sit? 1.109

Quidditas.

Quomodo æquipolleat essentiæ? 2.25
Quidditas rei non potest sive esse mensura ut ipsius. 25.36

R.

Rationalis. Ratio.

Rationalis & irrationalis potentia quid sit? 14. 51
Rationale per participationem quid? 14.52
Ratio quid? 14.54
Rationalis potentia non est necessario cum discursu. 14.55
Rationalis potentia est contrariorum: irrationalis unius quomodo? 14.56

Ratione differre.

Vide differre.

Relatio, respectus, respectivum.

Relationes divinæ sintne finitæ an infinitæ? 3.43
De respectivo est. cap. 20
Relativum & respectivum, & ad aliquid sunt æquipollentia. 20.8
Quid sit? 20.9
Respectivum an dicat perfectionem? 20.10
Divisio entis in absolutum & respectivum, an intelligatur secundùm respectum transcendentem, an prædicamentalem? 20.13
Respectus transcendens & prædicamentalis quid? 20.23
Relata quatenus realiter distinguantur. 24.38
Relationes rationis cur plurimæ sint. 27.53
Optimè intelliguntur per juxta positionem ad relationem realem. 27.69

Repletivè alicubi esse.

Vide alicubi esse.

Res, realis, realiter.

Unde res dicatur. 2.4
Quomodo aliqua distinguant inter ens & rem? ibid.
Est transcendens. 3.4
Realiter differre quid sit? 8.14

Resistentia.

An sit potentia distincta à potentia actiua & passiua? 14.38
An sit actio? 14.43
An sit priuatio? 14.44
Quatenus sit priuatio. 14.45
Quomodo differat à reflectione? 14.45
Quæ species resistentiæ? 14.46
Non est potentia actiua semper. 14.47

S.

Sapientia.

Sapientiæ sex conditiones. 1.6
Sapientia non est genus Metaphysicæ. 1.20
Sapientia quomodo distinguatur à scientia? 1.26
Nullius habitus genus est. 6.125

Scientia.

Scientiæ non multiplicantur ex diuerso modo abstrahendi. 1.178. seq.
Quomodo res scientiam mensurent & vicissim scientia res? 25.48
Quod in una scientia tractatur per accidens, non necessariò in alia per se tractatur. 27.5
Scientiæ quomodo dicantur artes? 1.15
Scientiæ vox ambigua. 1.16
Quomodo à sapientia distinguatur? ibid.
De tribus agit. 1.28
Scientiæ subjectum non debet necessariò esse genus. 1.32
Scientia quævis postulat aliquid abstractionis genus 1.41
Quæ in aliqua scientia tractantur per accidens, in alia non necessariò tractantur per se. 1.102
Explicatur axioma: una scientia speculatur ens, & species ejus & species specierum. 1 103
Explicatur axioma: Ejusdem scientiæ est agere de toto & partibus. 1 106
Scientiarum particularium principia quomodo confirmet Metaphysica. 1.121
Scientiæ certitudo est triplex. 1. 152

Scientia speculativa & practica.

Quid sit? 1.35
Potest subesse usum alicui. 1.38
Scientia practica quæ? ibid.
An danda sit quarta scientia speculativa? 1. 173 seqq.

Scientiæ subjectum.

Scientiæ subjectum non necessariò debet esse genus. 1.32 & 82. & 2.14
Quomodo dicatur genus? ibid.
Quomodo dicatur esse quid unum? 1.82
Non debet esse æquivocum. 1.95
Subjectum scientiæ demissâ abstractione, non satis constat scientiam. 1.215 & 176
Quomodo præscribatur à Metaphysica 1. 114
Subjecti prærogativa quid sit? 1.115
Quomodo particularia subjecta demonstrentur à Metaphysica? 1.126

Scientiæ subalternatio.

Scientia subalternata agit de ente per accidens. 1.97
Subalternata scientia unde dicatur? 1.130
Scientiarum subalternatio triplex. 1. 131
Subalternationis propriæ variæ conditiones. 1. 155
Certitudo sit ratione subjectorum, quàm ratione finium? 1.138
Quomodo ejus subjectum debeat contineri sub subjecto subalternantis. 1.138
Qualem differentiam debeat addere subalternata scientia ad subjectum subalternantis? 1. 139
Cur requiratur additio differentiæ accidentalis? 1.140
An necessariò debeat addere differentiam sensilem? 1.142
Scientiæ aliæ non subalternari Metaphysicæ. 1. 143

Scopus.

Unde dicatur? 22.3 14
Quomodo à fine differat? ibid.

Sensus.

An faciat entia rationis? 27.47
Non cognoscit reflexè. 27.49

Separatio.

Triplex est. 8. 23
Quomodo indicet realem distinctionem? ibid.

Sermo.

Quatenus sit naturalis? 24 115
Quod si brutus, vel alius sermo non possit esse naturalis. 24. 128

Signum, et signatum.

Est de iis. 6. 24
An de signo debeat in Metaphysica agi? 24 1
Signum & res quomodo opponantur? 24.3
Signum varie accipitur. 24. 3
Definitio eius ex Augustino. 24.6
Triplex definitio explicatur. 24. 11
Signum involvit respectum ad signatum, & potentiam cognoscentem. 24. 14
An ratio signi sumatur ejus ad sensum? 24. 18
An utramque istum respectum essentialiter includat. 24.24
Sitne respectus iste vera relatio prædicamentalis? 24.25
Nec eam consequi ad rationem signi. 24. 28
An debeat actu repræsentare? 24.31

A signato an debeat esse realiter distinctum? 24.33
Divisio signi, in arbitrarium & naturale explicatur. 24.42
An bona sit ea divisio? 24.41
Naturale signum quid? 24.48
Signorum arbitrariorum duo genera. 24.49
A voluntarium signum an dicatur per solum humanum arbitrium? 24.51
De divisione signi in rememorativum, demonstrativum & prognosticum. 24.54
De divisione signi in necessarium & contingens. 24.57
De divisione signi in instrumentale & formale. 24.59
Discrimen inter utrumque. 24.63
An bona sit ista divisio? 24.65
Signorum divisio in Theorica & Practica. 24.72
Practicum signum unde dicatur? 24.73
Divisio signi in συμβολικὸν & μεταδοτικὸν, exponitur. 24.76
Signum nudum quid sit? 29.79
Signorum divisio in doctrinale & non doctrinale. 24.81
Signum doctrinale an univocè dicatur de conceptu, voce & scripto? 24.83
Signum suppositivum & manifestativum quid sit? 24.112
Signa naturalia quæ sint? 24.127
Arbitraria possunt etiam ex naturis rerum sumi. 24.128
Signum actuale & aptitudinale quid? 24.138
Quid proprium vel improprium? 24.139
Est notificans, vel commonefaciens, vel obsignans. 24.142

Simile.

Similia quomodo sint eadem? 8.5

Similare vel dissimilare.

Quid sint? 6.97
Non dicuntur ex convenientia vel disconvenientia in nomine. 6.100
Differunt juxta identitatem vel diversitatem essentiæ 6.103
Similaris totius partes habent eadem attributa. 6.104 (12.34
Eius partes separatæ, cur sint entia completa?

Simplex.

Omne est per se unum. 4.9
De eo est toto. 6.5
Reliqua eius doctrina annectitur uni. 5.2
Explicatur ambiguitas in voce simplicis. 5.4
Dicitur absolutè vel comparatè. 5.5
Simplicitas quid sit? 5.13
Quod significet maiorem perfectionem quàm compositio. 5.14
Simplex quomodo individuetur à se? 13.22

Simul.

Vide prius.

Singulare, singularitas.

De eo est cap.7. & vide individuum.
Vox singularis explicatur. 7.3
Sumitur apud Philosophos duobus modis. 7.4
Singulare individuum & particulare, quomodo differant? 7.6
Tres conditiones rei singularis. 7.7
Quid sit singulare & singularitas? 7.12
Quomodo sit incommunicabile? 7.12
Non repugnat ei omnis communicatio. 7.18
Inter singulare & universale non datur medium. 7.26
Singulare quid superaddat naturæ communi, ut sit singulare? 7.39
Quicquid in re est singulare esse. 7.49
Individui rationis principium quodnam? 7.52
De individuatione Angelorum. 7.54
Formarum. 7.57
Materiæ. 7.62
Corporum. 7.64
Accidentium. 7.76
Singularium quomodo non sit scientia? 14.81

Situs.

De situ quomodo agatur in Metaphys. 8.58

Spatium.

Extra cælum an sit aliquid reale? 17.14
Est ens rationis. 17.15
Spatium quomodo sit reale? 17.20
Quid sit esse totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatii? 17.40

Species.

Intelligibiles & sensibles non sunt entia rationis. 27.17
Propriè sunt signa. 24.140
Speciei variæ significationes. 6.110 & 117
Specie differre quid sit? 6.130
Speciei definitio explicatur. 6.136
Quomodo dicatur pars generis? 6.138
Speciei divisio in specialissimam & subalternam explicatur. 6.139
Species specialissima an sit idem quod individuum? 6.142.

Subjectum.

Non habet rationem totius vel partis. 6.21
Idem subjectum successivè potest habere accidentia solo numero distincta. 7.84
In subjecto esse non semper notat essentiam accidentalem. 22.249
Fit de eo. 6.25
Vox subjecti ambigua. 23.3
Quatenus dicatur materia? 22.4

Subje-

Subiectum quid? 23.6
Subiectum informationis & denominationis quid sit? 23.97
Subjectum quod & quo. ibid.
Subiectum originis quid? 23.99
Subiecti divisio in subiectum, inhæsionis, adhæsionis & occupans, explicatur. 23.104

Substantia.

In prædicamento substantiæ genus generalissimum non est substantia corporea. 1.54
Non est adæquatum obiectum Metaphysicæ. 1.74. & 89
Substantia completa non est idem quod compositum. 12.41
Substantia non satis aucta, est completum ens. 12. 48
Substantiæ secundæ quomodo prædicentur de primis? 14.81
Quæ sit ejus existentia? 15.16
Substantiæ vox ambigua. 22.172
An possit esse adnunctum? 23.11
Non sunt in subiecto. 23.13

Successio, successivum.

Successio duplex. 16.48
Ex qua dicatur ens successivum? ibid. & 19. 8
Qualis in duratione? 16. 84
Successio realis vel imaginaria. 16.92. & 19.8
Positiva vel privativa. 16 94. & 19.9
De ente successivo est. c.19
Quinam fluxus faciat ens successivum? 19. 5
Successio discreta & continua quid? 19. 10
Entis successivi sex conditiones, 19.13
An existat per solum præsens? 19.19
Quo sensu existat per solum instans? 19.20
Quænam sint entia successiva in particulari? 19.26
A successione imaginaria non dicitur ens successivum. 19.34

Suppositum, suppositalitas.

Quid sit? 5. 31
Quomodo faciat cum natura compositionem? ibid.
Potest esse aliquid potentiale. 15. 16

Syllogismus.

Quam necessitatem habeat? 18.95
Quid necessitas consequentis & consequentiæ? ib.

Syncategoremata.

Quid significent? 24.120
Quid sint? 24.132

T.

Τεκμήριον.

Quid sit & unde dicatur? 25. 58

Tempus.

An diratio ipsarum essentiarum sit tempus? 16.33
Tempus discretum quid? 16.34. & 88.
An sit specialis duratio? ibid.
Ambiguitas in voce temporis explicatur. 16. 72
Quid sit tempus? 16.83
Physici & Metaphysici temporis discrimen. 16.74
Tempore durare etiam res permanentes. 16. 77
Tempus non constituitur per actualem inceptionem & desitionem. 16. 77
Tempore quænam durent? 16.79.
Nihil habemus de tempore nisi quod præsens est 19.21
Tempus non omne est ens successivum. 19.30
Quodnam sit successivum? 19.nult.

Theologia

Eius vox exponitur. 1.7

Transcendentia.

Quomodo possint dici immaterialia? 1.47
Transcendens bifariam sumitur. 3. 2
Quot sint transcendentia? 3.3
Eorum duæ conditiones. 3.2
Non omne transcendens est affectio entis. 3.4
Sex transcendentia, non sunt tanquam species infimæ. 3.5
Plura sunt transcendentia quàm tria. 3.6
Transcendentia aliqua sunt conjuncta. 3.7
Transcendens non potest esse qualitas. 10.24
Transcendens quid? 11.36. & 15.
Transcendentales divisiones quales? 13.45

Transmutatio.

Quid sit in definitione potentiæ activæ? 14. 34

Totum.

Est de toto & partibus, toto. c.6
Ambiguitas in hac voce explicatur. 6.4
Totum & omne quomodo differant? ibid.
Totus & Totum quomodo differant? 6.13
Conjunctim & disjunctim sumitur. 6.14
Quid sit totum in quantitate, modo, tempore, loco? 6.17
Totius definitio Aristotelica explicatur. 6.18
An possit definiri sine mentione partium? 6.19
Totius distributiones. 6.22
Totum perfectionale non est proprie totum. 6.23
Totum potestativum an recte dicatur totum? 6. 27
Non est totum integrale. 6.28
Totum numerale bifariam dicitur. 6.33
Quale sit totum numerale? ibid.
Integralis totius pars qualibet est essentialis. 6.35
Totum individuale non est peculiaris species totius. 6.37
Totum est essentiale, integrale vel universale. 6. 39
Essentialis & integralis quæ distinctio? 6.40

Quid sit totum essentiale? 6.43
Totum essentiale est Metaphysicum vel Physicum. 6.45
An quod est Metaphysicè totum, sit etiam Physicè totum? 6.77
Quomodo distinguantur totum à partibus? 6.81
De integrali toto. 6.90 seqq.
Quid totum similare & dissimilare? 9.97
De toto universali. 6.109
Totum an realiter differat à partibus seorsim sumptis? 8.98

V.

Ubi.

Ubi non tribuitur solis rebus materialibus. 1.57
Ubi prædicamentale non convenit omnium præsentiam. 17.15
Ubi, unde alicubi.

Verum, veritas.

Est de eo. cap.9.
De eo cur agatur post unum? 9.1
Cur præcedat doctrinam de bono? 9.2
An Metaphysica sit agere de veritate? 9.3
Veritatis tractatio in actu exercito pertinet ad omnes scientias. 9.4
Quenam disciplina agat de veritate in actu signato. 9.8
Veritas Ethica, Logica, Metaphysica. 9.9
Quid sit veritas transcendens? 9.12
Importat essentiam subjecti. 9.13
Non addit entitatem. 9.14
Non significat denominationem extrinsecam. 9.21
Veritas declaratur negativè. 9.23
Quomodo dicat conformitatem ad intellectum. 9.25
Ad quem intellectum intelligatur ista conformitas. 9.26
Intelligitur de conformitate ordinali. 9.29
Datur per modum mensuræ & mensurati. 9.28
Veritas adæquatur Enti. 9.34
Veritas ubi considerandæ 14.81

Violentum.

Violentia quid sit 28.92
Violenti duæ conditiones. 28.92

Vitium.

Vitium morale, an sit bonum? 10.58
Vitiositas in quo consistat? 10.61
Vitiosus habitus, est ens per aggregationem, sicut & actus vitiosus. 10.62

Univocum.

Univoci vox extenditur. 6.45
Univocum simile. 6.151
Quid sit Aristotelis 6.152
Ejus definitio explicatur. 6.155
Quomodo æqualiter se communicet? 6.157
Univoca causa quæ? 22.116
Univocum quid postulet? 22.301

Universale.

De universali toto est. 6.109
De universalibus agitur; cap.7
Universale quomodo sit communicabile? 7.81
Universale non esse in re distinctum à singulari. 7.45
Distinctio universalis, in universale in essendo, causando & prædicando explicatur. 7.87
Universale ens, quot modis dicatur? 7.90
Universalis definitio explicatur. 7.92
Universale quomodo sit unum? 7.94
Ejus veritas in quo consistat. 7.99
Universalia in re non habent. 7.101 & 102
Universale quomodo sit commune multis? 7.103
Universale potest de facto esse in uno. 7.108
Universale an sit res extra singulare? 7.110
Non est à singularibus abiunctum. 7.113
Universalia non sunt solum communia communia. 7.116
Universalia in singularibus non sunt actu universalia. 7.119
Non habent communitatem nec unitatem, in singularibus actu. 7.122. seqq.
An universale fiat actu universale per operationem mentis. 7.130
Quâ operatione mentis fiat? 7.131
Fiunt abstractione & comparatione. ibid.
Universali non convenit propria existentia. 15.60
Quomodo dicatur incorruptibile? 18.10
An & quomodo sit Ens necessarium. 18.61
Universale quomodo sit semper. 18.63 seqq.
Quomodo sit perpetuum. 18.66

Unum, unitas.

De eo est tract. 4.
Explicatur ambiguitas in voce unius. 4.2
Unitas transcendens non est unitas singularis. 4.3
Nec est unitas idem quod unitas numeralis. 4.4
Quid unitas transcendens. 4.16
Non addit Enti aliquid positivum. 4.19
Non addit identitatem ad seipsam. 4.20
Addit indivisionem. 4.23
Qualis sit illa indivisio? 4.26
An sit privatio? 4.26
Non addit indivisionem ad aliq.

Quid sit divisio ab alio? 4.29
Unum & ens an adæquentur? 4.37
Cur omne Ens sit unum ibid.
rerum & multa quomodo dividant Ens 4.40
Unitas formalis, universalis & individualis, quid sint? 7.95
Unum adæquatus conceptus. 24.100

Unum per se & accidens.

Quid sint, explicatur. 4.7
Omne simplex esse per se unum. 4.9
Conditiones ejus quod est unum per accidens. 4. 10
Entium per accidens gradus aliqui. 4.12
Concreta accidentalia sunt Entia per accidens. 4. 11
Et privativa. 4.13

Voluntas.

Non sufficit Entia rationis. 27.45
Quid præstet circa ea. 27.48

Vox.

Ambiguitas in nomine vocis. 24.101
An voces sint signa conceptuum. 24.102
Cur voces supponantur pro rebus, non pro conceptibus? 24.113
An etiam significent res? 24.117
An sint naturalia signa? 24.123
Esse signa arbitraria. 24.124
Vocum aliquæ divisiones. 24.129
Categorematica vel Syncategorematica. 24.131
Primæ vel secundæ notionis. 24.132
Certa vel ambigua. 24.133
Abstracta vel concreta. 24.134

Uti, Utile.

Uti & frui, quomodo differant. 10. 10
Utile bonum quid. 10.12

FINIS.

INDEX RERVM ALPHABETICVS LIBRI SECUNDI.

Prior Numerus Caput: Posterior, numerum marginalem in Commentario indicat.

A.

ACCIDENS.

QUOMODO dicatur non ens? 1.31
Absolutè est ens. ib.
In ejus definitione quomodo subjectum ponatur πρότερον ὑστερον. 3.39
Necessitas doctrinæ de accidente. 6.2
Accidens unde dicatur? 6.3
Ejus æquipollentia. 6.4
Ambiguitas in voce accidentis explicatur. 6.6
Accidens & per accidens non sunt idem. 6.9
Accidens prædicamentale & prædicabile quid differant? 6.10
De definitione accidentis. 6.11
Accidens quomodo dicatur ens in alio? 6.12
Accidens habet essentiam. 6.15
Quomodo id sit? 6.17
Quod accidens dicat unam essentiam. 6.18
Accidens de aliquibus dicitur univocè. 6.28
De aliis analogicè. 6.29
Non esse univocum. 6.30
Accidentis essentia non est inhærentia. 6.32
Accidentis essentia quidnam sit? 6.39
Accidentia an habeant materiam? 6.42
In concreto, habent materiam. 6.46
Accidens quomodo sit prius substantiâ? 6.50
Prius cognitione ea quomodo sit? 6.53
Accidentium productio per resultantiam a subjecto explicatur. 6.59
Resultantia eorum duplex. 6.61
Eorum productio per transmutationem. 6.66
An fiat ab agente? 6.68
Omni accidenti an conveniat actio? 6.70
Accidens an possit producere substantiam. 6.78
Quod accidentia non sint ab hoc excludenda. 6.82
Accidens non posse producere substantiam sua virtute. 6.86
Accidens in virtute substantiæ agere, quid sit, malè docetur à Peterio. 6.95
Posse accidens in virtute substantiæ producere substantiam. 6.95
Accidentia an & quomodo producant accidens? 6.96
An tum necessariò postulent influxum formæ? 6.97
Accidens in accidentis productione, an debeat dici instrumentum substantiæ? 6.100
Accidentia verè & non æquivocè esse formas. 6.103
Non tamen univocè cum forma substantiali. 6.107
Accidens quid informans? 6.109
De distributione Accidentis in quant. qualit. &c. 6.16
Non est genus eorum. 6.112
Accidentium esse novem genera, probatur. 6.117
Accidentia quo ordine sint docenda? 6.130
Accidentia duobus in casibus substantiam denominant ratione communi. 8.12
Accidentium posse esse accidens. 8.66. & 67
Accidens quomodo dicatur esse in alio. 10.51

Actio.

Non facit compositionem in agente. 3.97 & 247
Ne quidem immanens. ibid.
Quomodo ea dicatur immanens? ibid.
Ad agendum qualis requiratur contactus? 3 702
Actiones quomodo suppositorum? 3.119
Actioni non convenit cohærentia. 6.37
Actionis non esse actionem. 6.73

Ea etiam convenit partibus suppositorum. 6.91
Quòd actiones non vitales non exigant dependentiam à forma. 6.98
Socius est in actionibus vitalibus. 6.99
Ambiguitas in voce actionis. 8.55
Quod sit suppositorum. 8.65
Actiones habituum antecedentes & consequentes quæ? 8.104
Actus immanentes bifariam considerantur. 8.105
Quatenus eis conveniat actio. 8.105
Actio an sit nobilior habitu? 8.106
Actio valentior non semper indicat intensionem in agente. 8.193
In actione quomodo non detur intensio? 8.209
De actione & cap. 10 toto.
Melitène dicatur hoc prædicamentum actio, an agere? 10.2
Vox actionis multipliciter dicitur. 10.4
Quatenus actio vendicatur soli agenti per transmutationem. 10.6
Actio quatenus sit solùm à valentiori. 10.7.
Actio quomodo opponatur speculationi. 10.9
Actionis definitio secundùm Porretanum reiicitur. 10.11
An Actio sit aliquid respectivum? 10.19
Actionis vox bifariam sumitur. 10.19
Actio implicat multiplicem respectum. 10.20
De respectu actionis ad principium agens. 10.23
Explicatur respectus actionis ad terminum. 10.25
Actionis terminus dupliciter dicitur. 10.25
An omnis actio habeat terminum? 10.26
Actiones immanentes vere esse actiones. 10.27
Aliquæ earum habent terminos, aliquæ non. 10.29
Actio non necessario postulat respectum ad terminum. 10.36
Actionis respectus ad terminum est accidentalis. 10.37
Actioni, quæ terminum habet, terminus est essentialis. 10.38
Non est realiter idem quod terminus. 10.39
Solvuntur ad hanc rem obiectiones. 10.41
Explicatur respectus actionis ad substantiam. 10.45
An actio transiens sit in agente? 10.46
Actio transiens quid? 10.47
Eam non esse in agente. 10.48
Actio immanens quomodo dicatur immanens? 10.54
Vnde sumenda sit specificatio actionum. 10.56
Non potest generatio fumi ex habitudine ad terminum. 10.57
Nec ex proprio activo. 10.59
Sumitur ex utroque. 10.60
De divisionibus actionum. 10.61
De divisione actionis in immanentem & transeuntem. 10.62
Actio immanens unde, & cur sic dicatur? 10.64
Extrancum patiens actionis transeuntis explicatur. 10.65
Causalitas materiæ & formæ non potest dici actio immanens. 10.65
Actionis immanentis & transeuntis discrimen ex Aristotele, rejicitur. 10.67
De divisione actionis in instantaneam & successivam. 10.68
Actionem instantaneam, verè esse actionem. 10.69
Divisio actionis in materialem & spiritualem exponitur. 10.70
Materialis actio quomodo dicatur realis? 10.71
De divisione actionis in mutuam & non mutuam. 10.72
Actio & passio an sint idem? 11.3
In actionibus quomodo sit contrarietas? 11.34
Quomodo suscipiant magis & minus? ib.

Ævum.

Ævi durationem pertinere ad prædicamentum Quando. 12.5

Æquivocum.

Æquivoca non sunt per se in prædicamento. 1.19
Æquivocum activè & passivè, quid? 1.19
Bifariam dicitur. 3.159. & 1.8
Æquivocum quid? 3.144

Æquale & inæquale.

Quomodo soli quantitati conveniat, secundùm eam dici æquale & inæquale? 7.92
Quomodo suscipiant magis & minus? 9.88

Æternitas.

De Dei æternitate est. 2.3.1.347
Æternitatis duratio non est in prædicamento Quando. 12.12

Analogum.

Quid sit? 1.34
Quomodo dicatur ab uno ad unum? 1.34
Vnde distinguatur ab univoco? 1.35
Analogum proportionis & attributionis quid? 1.38
Analogum attributionis duplex est. 1.40. & 3.158
Analogi duæ conditiones? 3.169
Analogum per se positum stat pro suo significato

famosiori. 6.17
Analogi triplex genus. 6.19

Angelus.

Angeli an sint in prædicamento? 1.12
Quomodo dicantur corpora? 2.101
Quomodo dicantur simplices? 3.74
Quatenus dicantur naturâ incorruptibiles. 3. 694
Angeli nomen unde dicatur? 4.2
Alia angelorum nomina. 4.3
Eos dari probatur. 4.5
An Physica de iis agere possit? 4.11
Proprie an dicantur astrales? 4.14
Αγγελολογία non est peculiaris scientia. 4. 16.
De Angeli definitione. 4.18
Sunt Entia. 4.21
Esse substantias. 4.22
An sint corporei? 4.23
Non esse propriè corporeos. 4.28
Patres quomodo eos corporeos dicant? 4.30
Eorum apparitio non indicat corporeitatem. 4. 33
An generent? 4.31
De ustulatione dæmonum in inferno. Quatenus iis locus & localis motus conveniat. 4.33
An habeant extensionem & figuram? 4.35 seqq.
An & quatenus delectentur rebus corporeis, veluti, odoribus? &c. 4.38
Esse eos intellectuales. 2.40
Cur non dicantur rationales? 4.40. & 193
Angeli sunt multiplicitèr finiti. 4.42
An sint compositi ex esse & essentia? 4.45
Ex natura & supposito. 4.46
Angelos supponi posse per divinam subsistentiam. 4.47
An sint compositi ex genere & differentia? 4. 48
An & quatenus Angeli sint actus puri? 4.49
An sint compositi ex materia & forma? 4.50
Non subtilem quidem materiam habent. 4.51
Duobus modis habent materiam. 4.52
An sint compositi ex partibus quantitativis? 4.54
Item ex subjecto & accidente. 4.58
Angeli an sint æterni? 4.61
Lumine naturæ nos constare, an sint ab æterno facti an in tempore? 4.65
Angelos secundùm Scripturas factos in tempore. 4.66
An sint incorruptibiles? 4.67
Possint dici naturâ corruptibiles. 4.72
Et naturâ incorruptibiles. 4.76
Non possint aliunde corrumpi. 4.77
Non possint desinere per collapsum naturæ. 4.79
Qua duratione duret Angelus? 4.82
Non esse eos immensos. 4.83
Non esse in omni loco. 4.84
Non esse in loco Physicè. 4.85
Quomodo Angeli sint alicubi? 4.86
Esse alicubi definitivè Angelos. 4.88
Præsentia Angeli habet fines. 4.90
Posse Angelum in spatio indivisibili esse. 4.92
Plures Angelos posse esse in uno spatio. 4.95
Angeli non sunt infiniti numero. 4.98
An Angeli possint differre solo numero? 4.102
An Angeli possint differre specie & non solo numero? 4.105
Posse Angelos esse diversæ speciei. 4.106
Ordines Angelorum unde sumantur. 4.110
Distinctio Angelorum in bonos & malos exponitur. 4.111
Quomodo dicantur simplices? 4.119
Angelus cur dicatur mens & intellectus? 4.120
In Angelis dari habitus, probatur. 4.127
Et morales & intellectivos. 4.128
Angeli an loquantur? 4.210
Non efformant voces. 4.212
Convenit iis loqui propriè. 4.213
Quomodo? 4.216
Angeli an moveantur? 4.220
Non moventur Physicè. 4.227
Non per extrinsecam denominationem. 4.228
Non quidem in assumpto corpore moventur per accidens. 4.230
Angeli motus an sit instantaneus? 4.231
Eius motus celerrimus. 4.234
An transiens ab uno extremo ad aliud necessariò transeat per medium? 4.235
An Angelus possit producere substantias? 4.238
Non potest creare. 4.240
Nec generare corpus. 4.241
Nec animas. 4.245
Nec Angelos. 4.247
An possit producere qualitates materiales? 4.248
Angeli an possint movere corpora? 4.254
Cur possint motum producere & non etiam materiales qualitates. 4.256
In Angelo ponitur peculiaris potentia motiva. 4. 258
Quomodo per voluntatem. 4.259
An imprimat mobili impetum. 4.261
An assumat corpus. 4.265
Qualia sint ea corpora. 4.267
Quomodo dicantur aërea. 4.267
Quomodo faciat Angelus corpus. 4.269
Quomodo queatur corpori. 4.270

Unio

Unio triaca requirit. 4.272
Quos actus possit in assumpto corpore exercere? 4.273
Non potest ibi exercere actus vitales. 4.275
Nec generare. 4.276
Angelus & anima rationalis an sint ejusdem speciei? 581
An Angelus sit nobilior animâ rationali? 5.85
Angelis an conveniat habitus, qui ultimum prædicamentum significat? 154

Angeli intellectio.

An intelligant per animam? 4.115
An intellecti ejus sit esse? 4.116
Potentiam cognoscitivam in ipso esse distinctam ab ejus essentia. 4.118
Angelum intelligere per species. 4.121. & 174
Aliquando non omnes habet species. 4.123
Angelica intellectio an fiat ex habitu intellectivo? 4.127
Angelus cognoscit seipsum. 4.136
Et quemvis alium Angelum. 4.139
Inferiorem & superiorem. 4.141
Et res materiales. 4.143
Et separatas animas. 4.144. & 148
An naturaliter cognoscat Deum? 4.145
Cognoscens singularia & universalia. 4.152
An cognoscant futura & quanam? 4.153
Aliqua futura præscivit. 4.159
Angelos non cognoscere cogitationes cordis. 4.166
Intellectum Angelicum non semper esse actu. 4.175
An simul multa possit cognoscere? 4.178
An omnia mente intelligat? 4.180
An intelligat componendo & dividendo? 4.193
Intelligitne discurrendo? 4.188
Cur nos dicantur rationales? 4.193. et 40
Quod ipse discurrat. 4.194

Angeli volitio.

Angelos habere voluntatem. 4.197
Quodnam sit proprium illius? 4.199
An differat ejus voluntas ab intellectu? 4.203
Volitio Angeli non est ejus substantia. 4.206
Ea est libera. 4.207
Objectum ejus. 4.208
Angelus quomodo moveat per voluntatem? 4.259

Anima.

Separata non est suppositum. 2.85
Quomodo dicatur corpus? 2.101
Anima habet præsentiam indivisibilem. 3.496
Quomodo tota sit in qualibet corporis parte? 4.408
Tota est etiam in pede. 3.410
Substantia an & quatenus sit corporea? 4.24
Substantia an possit esse in ubi indivisibili? 4.93
Aliquando non habuit speciem intelligibilem. 4.124
Anima cur moveatur? 4.221
Anima cur possit producere qualitates materiales, & non possit id Angelus? 4.267
An de anima rationali debeat agere Metaphysicus? 5.1
Potest ea quadrifariam considerari. 5.3
Ejus physica consideratio quæ? 5.4
Consideratio ejus Metaphysica. 5.6
De animæ immortalitate disputatur. 5.9
Sitne immortalis naturâ an gratiâ? 5.11
Non est simpliciter immortalis. 5.14
Non est immortalis à parte ante. 5.15
Quomodo dicatur naturâ immortalis? 5.16
Posse eius immortalitatem naturali lumine probari 5.17
Variæ eius probationes. 5.20
Operationes animæ indicant eius immortalitatem. 5.22
Sunt illæ independentes à materia. 524
Obiectiones contra immortalitatem animæ. 5.26
Animarum μετεμψύχωσις improbatur. 5.31
μετεμψύχωσις allegorica qua? 5.32
Animam humanam posse transire in aliud corpus humanum. 5.36
Animæ an status separationis sit naturalis? 5.38.
An sit ei violentus? 5.44
An sit præter eius naturam? 5.46
Non esse supra naturam. 5.50
Non esse contra naturam. 5.51
Anima separata statum non esse præter naturam. 5.55
Utrumque statum esse animæ naturalem. 5.62
Anima separata an retineat propensionem ad corpus? 5.63
Esse in ea appetitum ad corpus. 5.69
An conveniat ei appetitus elicitus? 5.79
Eius potentiæ an sint accidentia? 8.177
Anima & Angelus an sint eiusdem speciei? 581
An sit Angelo nobilior? 5.85
De potentiis animæ separatæ. 5.92
An comitentur eam potentiæ vitales & animales? 593
Animam unam esse in homine. 5.96
Animam sentientem & vegetantem hominis separari. 5.97
Animæ separatæ an moveantur per se an

per accidens? 5.146
Patres vitales & animales separari. 5.98
Habitus linguarum an maneant? 5.103
Scientia animæ quomodo dicatur destrui? 5.105
Anima an assortet secum species intelligibiles? 5.110
De animæ separatæ cognitione. 5.114
Quod ea aliunde cognoscat. 5.117
De objecto cognitionis illius. 5.123
Animas nos acquirere notitiam earum quæ hic geruntur. 5.125
De modo quo cognoscit anima separata. 5.130
De volitione animæ separatæ. 5.133
Eam esse liberam. 5.137
An anima separata moveatur? 5.140
An id sit per se an per accidens? 5.146
An cum anima egrediatur aliquid corporis? 5.148
Animæ quomodo dicantur sortiri? 5.150
An possit movere aliqua corpora? 5.152
Animarum apparitio post mortem rejicitur. 5.159

Annihilatio.

Quomodo Deus res annihilet? 3.669

Appetitus.

An in appetitu sensitivo possit esse habitus? 8.77
Est ad non habitum. 3.509
Appetitus sine inclinatione naturalis duplex. 5.54
Naturalis & elicitus appetitus quid? 6.65
Appetitus innatus, non est res distincta ab essentia. 5.67

Aqua.

Quidnam principium reducat eam calefactam ad frigus pristinum? 6.60

Ars, artificium.

Artificiorum duo genera. 1.20
An sint per se in prædicamento? ibid.
Artificem quatenus commendet operis stabilitas? 3.691
Artes aliquæ quomodo dicantur manuariæ? 8.76
Artis exempla qualia apud Aristotelem? 12.9

Attributum.

Unde dicatur? 3.87. & 6.5

B.

Bonum.

Bonum est quod omnia appetunt. 3.307
Esse bonum per essentiam quid sit? 3.309

Brutum.

Quomodo non dicatur numerare? 7.63
Artes competant brutis? 8.68
Non competere brutis rationem. 8.69
Nec habitus. 8.70. & 87
Quomodo eis virtutes tribuat Aristoteles? 8.71
Actus assuefactitii in brutis non indicant habitus in illis. 8.72
Ratione eorum habent aliquid habitui simile. 8.72
Quid desit eis ad rationem habitus. ibid.

C.

Corpus.

Corporum resurrectio naturaliter non potest cognosci. 5.75

Continuum.

Et contiguum, quomodo differant? 7.19
Vide vocem Quantitatis.

Causa.

In per se subordinatis non potest procedi in infinitum. 3.34. & 37
Per se subordinatæ quid sint? ibid.
Earum tres conditiones. 3.35
Causalitates non efficientes in quo sint prædicamento? 6.127
Omnis causa an & quomodo agat? 10.5.

Christus.

Unio ejus est homo, cum hominibus aliis. 2.56
An & quatenus debeat dici compositus ex humana & divina natura? 3.283

Cœlum.

Quomodo simplicissimum dicatur? 3.220
Non indiget motrice intelligentia. 4.254

Cognitio, cognitio.

Comprehensiva quæ? 3.21. & 25
Quidditative cognoscere quid sit? 3.24
Cognitio nulla etiam esse pure negativa. 3.27
Cognitio ejusdem rei potest esse per fidem & per rationem. 36.75
Connaturalis est vel certa. 4.154
Cognitio cordis potest bifariam cognosci. 4.167

Compositio.

Vide de Dei simplicitate.
Extrinseca non faciunt compositionem. 3.249
An sit compositio extensa & modo? 3.733
Multiplicem imperfectionem importat. 3.734 seq.

Concretum.

Concreta accidentia non sunt per se in prædicamentis. 1.17
Cur non idem sit de concretis substantialibus? ibid.

Concursus sive cooperatio.

Est de concursu Dei cum causis secundis cap. 3. n.695
An concurrat Deus ad quosvis actus causarum secun-

secundarum? 3.703
Concursus iste non est indignus Deo. 3.711
Nec laboriosus. 3.712
Quomodo præstet eum concursum? 3.713
Non est idem quod volitio ejus. 3.714
Non est in virtute aliqua addita. 3.715
An dici possit motio rerum creatarum? 3.716
Quid sit iste concursus? 3.718

Conservatio.

Quid sit? 3.677
Distinctio conservationis in eam quæ est per se & eam quæ est per accidens. 3.678
Conservatio positiva & negativa quæ? 3.679
Quâ conservatione Deus res conservet? 3.679
Conservatio & creatio an & quomodo differunt? 3.680
Esse unam rem. 3.681
Quomodo ea ratione distinguantur? 3.683
An & quomodo Deus res conservet? 3.688
Conservatio permissiva. 3.689

Consilium.

An & quatenus Deo conveniat? 3.497

Contingens.

Contingens res bifariam cognoscitur. 3.441

Contradictio.

Extrema contradictoria, quomodo non possint convenire in eodem conceptu? 3.152

Contrarium.

Quot modis dicatur? 1.62
Contraria aliqua dicuntur dupliciter. 1.64
Contrariorum vox ambigua. 7.84. & 9.83
An quantitati sit aliquid contrarium? 7.83
An & quomodo qualitatibus conveniat contrarietas? 8. 86

Corpus.

Habitudinem capax corpus non est.
Quot modis sumatur vox corporis? 2.100
Sumitur ad modum partis & totius. ibid.
Quid sit eum dividit substantiam? 2.103
Quæ res de eo agat Metaphysica? 2.104
Fit id bifariam. 2.206. & 5.160
Corpus infinitum vel immensum cur non possit dari? 3.340
Corpora cur non habeant præsentiam indivisibilem? 3.405
Corpora posse agere probatur. 3.658
Corporis vox multipliciter dicitur. 4.24
Corporis est tangere vel tangi. 4.265

Creatio.

Unde dicatur? 3. 618
Ambiguitas in hac voce. 3.619
Ejus distinctio in mediatam & immediatam. 3. 615
Varia creationis definitiones. 3.618
Explicatur definitio Scaligeriana. 3.622
Quomodo fiat ex esse intelligibili? 3.623
Non esse idem quod relationem Dei. 3.625
Realiter differre à Deo. 3. 631
Non signat relationem. 3.633
An possit dici mutatio? 3.635
Quomodo dicatur mutatio contradictoria? 3. 636
Quatenus sit actio? 3.638
An sit actio? 3.639
An ad rationem creationis necessaria sit novitas essendi? 3.641
Posse Deum rem aliquam ab æterno creare. 3. 645
Deum posse creare. 3. 652
An creatura possit esse creationis causa principalis? 3.653
An possit esse causa instrumentalis? 3.658
Non solum creantur entia immaterialia. 3. 633
An probari possit quod aliquid de facto sit creatum? 3.668
Aliqua de ea ex sola Scriptura habentur. 3. 675

Creatum & increatum.

Quomodo creatum dicatur nox ens? 3.153 & 6.17
Cur ea componantur ex esse & essentia, non vero Deus? 3.239
In rebus creatis quodnam sit fundamentum compositionis ex natura & supposito? 3.242
Inter creatum & increatum non datur medium. 3.254. & 280
Res creatæ an sint bonæ bonitate divinâ atque adeò extrinsecâ? 3.211
In rerum creatarum essentiis duplex est successio. 3.358
Creatum Ens. ambigue dicitur. 3.632
Creatura an possit creare? 3.613
An possit semper fieri? 3.686
Res creatæ an aliquid vere agant? 3.696
Relatio creaturæ ad Deum fundatur in essentia creaturæ. 9.42

D.

Definitio.

Ad perfectam definitionem postulatur genus & differentia. 3.64

Densum.

Non esse intensum raro. 7.88

Deus.

An sit in prædicamento & quatenus? 1.12
Deus non dicitur de persona ut de subjecto. 1.27

Quomodo sit corpus? 2.100
Ejus tractatio an pertineat ad Metaphysicam? 3.2
Quænam de Deo ad Theologiam pertineant? 3.4
Quænam ad Philosophiam? 3.5
Quænam, in specie, de eo debeant in Metaphysicis tractari? 3.7
Nos necesse est ut fiat specialis doctrina de Deo. 3.101
An naturaliter cognosci possit? 3.17
Qui negârint esse Deum. 3.18
Posse Deum naturaliter cognosci. 3.19
Quomodo Dei notitia sit naturalis? 3.19
Notitia Dei comprehensiva quæ? 3.21
An ea detur? ibid. & 25
Nec est quidditativa. 3.24
Deus cognoscitur tripl. negativè, viâ eminentiæ, & ex effectis. 3.27. & 75
Cur melior sit Dei cognitio negativa, quàm positiva? 3.28
Deum esse probatur. 3.31
Dei confusus conceptus quid? 3.33
Dei nomen Hebræum, Græcum, Germanicum & Latinum exponitur. 3.45. seq.
Dei gentilia nomina non sunt usurpanda. 3.48
Vocis Dei variæ notationes. 3.50
Vox illa an sit nomen essentiæ an officii? 3.54
Quomodo Deus dicatur Deus Deorum? 3.56
Ambiguitas in voce Dei exponitur. 3.58
An Deus definiri possit? 3.60
De hac re Simonidis historia. 3.70
Deo non convenire differentiam probatur. 3.66
Deus cur non differens sed diversus ab aliis? 3.67
Non convenit e Deo genus probatur. 3.61
Deum describi posse. 3.71
Quomodo & qualiter Deus definiri possit. 3.75
Varia descriptiones Dei recensentur. 3.79
Minùs rectè Deus dicitur animal. 3.81
Descriptio propria. 3.85
Deum esse Ens. 3.139
Deus potest Ens & essentia dici. 3.141
Quomodo Ens prædicetur de Deo & creaturis, æquivocè, univocè, an analogicè. 3.142
Deo omnia conveniunt, quibus generativa indicatur ratio Entis. 3.45
Ens dici de Deo & creaturis secundùm unum conceptum. 3.147
Deus à creaturis cur dicatur primò diversus, cum conveniat cum iis in conceptu Entis? 3.151
Entis istum communem conceptum ad Deum & creaturas non esse analogum per proportionem vel denominationem extrinsecam? 3.154
Deus an sit substantia? 3.175
Quomodo dicatur [illegible]; 3.178
Quomodo Deus sit substantia? 3.181
Non est substantia prædicamentalis. 3.182
Nisi per reductionem. 3.183
An Deus sit spiritus? 3.185
Probatur: Deum esse essentiæ spiritualis. 3.186
Divina natura quomodo dicatur communis à Damasceno? 3.215
Cur sit immobilis? 4.221
Dei providentia arguit animam esse immortalem. 5.21
Deus & creatura quomodo dicantur primò diversa? 6.25
Divina essentia etsi distinctis suppositis sit communicabilis, tamen non est universalis. 3.724
Non habet rationem generis. ibid.
Deus pater ab aliquibus quomodo dicatur causa filii? 3.738
Nec univoca nec æquivoca causa filii est. 3.739
Melius dicitur proprium filii. 3.740
Deo an conveniat anima? 3.192
Rerum corporearum partes & attributa quomodo Deo tribuantur? 3.195
Possitne Deus dici aliquid singulare? 3.208
Substantia cur non sit genus Dei? 3.238
Deus aut persona cur non sit genus divinarum personarum? 3.235
Cur Deus non possit apprehendi ut latens in potentia? 3.238
De ejus essentia est existere. 3.238
In Deo non dari subsistentiam absolutam. 3.241
Deo non convenire accidentia, probatur. 3.251
Quòd accidentia divina non possint habere esse increatum. 3.253
Increatum præter Deum nihil est. 3.254
Quod nec essent illa quid creatum. 3.255
Sententia Vorstii de accidentibus Dei refellitur. 3.256
De decretis divinis. 3.257. & seq.
Quid ea sint? 3.265
Approximatio ad Deum, an & quatenus sit medium perfectionis? 3.196
Deus quomodo sit ens à se? 3.342
Quomodo sit actus purissimus? 3.344
Nulla convenit ei potentia passiva. 3.344
Est Ens purè necessarium. 3.345
Est ens incircumscriptum. 3.346
An Deus sit autor peccati? 3.512
An id sit saltem per accidens? 3.516
Deo quomodo attribuatur pœnitentia? 3.530
Deo an & quatenus conveniant virtutes morales

ra'tr. 3.547
An Deus exerceat justitiam commutativam. 3.551
Deo an & quo sensu tribuantur effectus. 3.554
Eorum ab humanis effectibus differentia. 3.555
Actus externi Dei qui. 3.609
Nulla res praeter Deum potest habere esse improductum. 5.690

Dei attributa.

Attributorum negativorum quis sensus. 3.76
Dicuntur accidentia & quomodo. 3.88
Dicuntur perfectiones simpliciter. 3.89
An Deo conveniant attributa. 3.90
Attributa Dei quidditativa. 3.91
Alia attributa sunt Dei effectiones. 3.92
Attributa divina non esse accidentia 3.97. & 246
Esse inadaequatos conceptus essentiae divinae. 3.100
Implicare essentiam divinam. 3.101
Observatio de adaequato conceptu divinorum attributorum. 3.102
Quid addant attributa illi ad essentiam. 3.106
Nihil reale addere. 3.107
Esse realiter eadem cum essentia divina. 3.110
Nec inter se realiter distingui. 3.111
Removentur indicia majoris distinctionis. 3.112
Distingui inter se ratione ratiocinatâ. 3.113
Occasiones distinguendi illa attributa. 3.125
Attributa divina cum de Deo enunciantur non intelligi efficienter. 3.118
Non omnia esse metaphorica. 3.119
Posse ea bifariam apprehendi. 3.120
Quaenam de Deo dicantur Metaphoricè. 3.120
Posse enunciari de Deo & in abstracto & in concreto. 3.121
Sintne abstractiva & concretiva meliores. 3.122
Sunt illae conjugendae. 3.126
Attributorum divinorum divisiones. 3.127
Eorum aliqua sunt quidditativa, alia naturam circumstantia. 3.127
Alia propria, alia communia. 3.128
Alia positiva, alia negativa. 3.129
Qualis sit negatio in attributis negativis. 3.130
Quomodo ea dicant negationem. 3.131
Ulterum alia sunt ὑπερτυπικὰ alia ἀντίτυπα. 3.132
Alia absoluta, alia respectiva. 3.133
Alia propria, alia tropica. 3.134
Attributa divina a parte rei non habent ordinem. 3.136
Qualis sit eorum ordo in nostra intellectione. 3.137
Attributa divina quomodo dicantur accidentia. 6.10

Dei bonitas.

De ea quid Manichaei senserint. 3.301
Ea probatur. 3.302
An & quatenus Deus solus bonus sit. 3.304
Dupliciter soli Deo conveniat esse bonum per essentiam. 3.320

Dei perfectio.

Quomodo Deus dicatur perfectus. 3.315
Ea dupliciter intelligitur. 3.316
Non convenit ei imperfectio privativa. 3.318
Quomodo Deus contineat aliarum rerum perfectiones. 3.320
Perfectiones simpliciter, quomodo sint in Deo. 3.322
Quomodo intelligenda sit convenientia in iis, cum rebus creatis. ib.
Quomodo Deus habeat perfectiones, secundum quid. 3.323
Quomodo aliquas habeat eminenter. 3.324
Infinitas perfectionum divinarum declaratur. 3.331

Dei infinitas.

Est de ea cap. 3.n.327
Infinitas in essentia declaratur. 3.328
Nec per intrinsecum nec per extrinsecum Deus definere potest. 3.329
Infinitas ejus in duratione. 3.330
Et in operatione. 3.332
Infinitae virtutis quomodo sit Deus, multipliciter declaratur. 3.334.
Infinitas multiplicem imperfectionem à Deo removet. 3.341
Quomodo conveniat Deo. 3.383
Esi secundum quid infinitus Possit. 3.396

Dei aeternitas.

Est de ea cap. 3 n.347
An Deus aeternus sit. 3.348
Soli Deo convenire aeternitatem. 3.349
Quid egerit Deus ab aeterno. 3.351
Non fuisse ab aeterno otiosum. 3.352
Cur ab aeterno mundum non crearit. 3.352
Dei aeternitas qualis sit. 3.353
Esse totam simul & non successivam. 3.354
An & quomodo ea sit successive, vel non. 3.356
Quomodo ea dicatur tota simul. 3.359

Dei praesentia.

Est de ea cap. 3. n. 360
Et vide Praesentia, & ubi.
Nihil detrahit ejus majestati praesentia ad res sordidas. 3.382

Nec inde Deus sit pars rerum. 3.387
An & quomodo Deus sit alicubi? 13.8

Dei vita.

Est de ea cap. 3 n. 411. Et vide ad voces Vita.

Dei visio.

Est de ea cap. 3. n.388
Non videtur oculis corporeis. 3.389
Visio ejus non tollit ejus infinitatem. 3.390

Dei potentia.

Potentiæ Dei distinctio in absolutam & ordinatam. 3.604
De potentia Dei distinctione. 3 603
Eam Voluntas finitam constituit. 3.395
Deo non convenire potentiam passivam. 3.557
Convenire ei potentiam activam. 3.558
An potentia Dei sit idem quod ejus intellectus vel voluntas? 3.560
Dei potentiam esse omnipotentiam probatur. 3. 564
Potentiæ divinæ objectum quodnam. 3.571
Quænam sint extra illud. 3.573
Unde sumatur repugnantia ut posse esse. 3 575
An Deus possit facere aliquid infinitum, vel alium Deum? 3.578
Non posse peccare. 3.582
Si præteritum non sit præteritum. 3.579
Non posse mori. 3 583
Quatenus eius potentia sit ad materiales actus. 3. 584
Quatenus sub eius potentia continentur, sustentare formam, vel informare materiam. 3. 586
An ea extendatur ad impossibilia? 3.587
An possit facere quod nondum fecit? 3. 589
An possit solum facere quæ vult? 3 594
An possit facere melius? 3.598

Dei concursus sive cooperatio.

Vide Concursus.

Dei simplicitas.

An Deus sit compositus cum aliis? 3.282
Deum non posse esse genus. 3.285
Non est esse differentia cuiusquam. 3.286
Nullius rei est materia. 3.287
Nullius rei est forma. 3.290
Qui Deum animam mundi dicant. 3.390
Infinitis pluribus relationibus simul Deus dicendus compositus? 3.729
Deum non esse compositum. 3.732. seqq.
Quomodo trinitas cum eius simplicitate consistat? 3.736
Deus quomodo dicatur quid simplicissimum? 3. 69
Deum non habere materiam & formam. 3.189
Deus simplex. 3.218
Cur ei repugnet aliqua rationis compositio? 3. 221
Removetur ab eo compositio ex materia & forma. 3.224
Ex genere & differentia. 3.225
Deo non convenit genus. 3 68. & 225
Obiectiones ad hanc rem proponuntur & solvuntur. 3.226
Ex esse & essentia. 3.236
Cur ea compositio illi non sit? 3.237
Removetur compositio ex natura & supposito. 3. 240
An ita sit Deus compositus attendendo pluralitatem personarum. 3.244
Removetur compositio ex subiecto & accidente. 3. 246

De Dei unitate.

Unitas eius transcendens probatur. 3.198
Plures Deos qui introduxerint. 3.201
Probatur esse Deum unum numero ex Scripturis. 3.204
Ad idem, rationes. 3.205
Non posse esse plures Deos, coordinatos. 3.206
Nec subordinatos. 3.206
Gentilium testimonia de unitate Dei. 3.208
Orpheus πολυθεότητα primum introduxit. 3. 209
Solvuntur obiectiones contra Dei unitatem. 3. 213
Trinitas quomodo non evertat unitatem. 3. 216
Dii multi quomodo dicantur in Scriptura. 3.217

Dei Decreta.

Quid sint? 3.265. & 257
Non facere realem compositionem. 3.274
Quomodo differant? 3.276
Quatenus sint in Deo. ibid.
Quatenus sint libera. 3.277

Dei intellectus & intellectio.

Intellectio Dei est idem quod essentia divina. 3. 268
Etiam eaquâ cognoscit res creatas. 3.270
Intellectionem Dei esse unam respectu omnium obiectorum. 3.272
Eâ, quâ se cognoscit, cognoscit omnia. 3.273
Deum esse naturæ intellectualis. 3.417
Intellectus non est in eo per modum potentiæ. 3. 418
Nec per modum habitus. 3.419
Esse ibi per modum actus ultimi. 3.429
Esse divinam essentiam. 3.421

Deum

Deum cognoscere seipsum & quæ in se sunt. 3. 423
Cognoscit se comprehensivè. ibid.
Etiam cognoscit omnes res creatas. 3. 424
De horum quomodo Deo non dicantur esse curæ? 3. 424
Aristoteles quid senserit de Dei intellectu in ordine ad res creatas? 3. 427
Deum non solum res in communi cognoscere. 3. 429
Cognoscit res materiales & immateriales. 3. 429
Cognoscit eas juxta proprias earum essentias? 3. 434
Cognoscit eas in esse proprio. 3. 437
Non tamen nisi cognoscendo essentiam suam. 3. 437
Cognoscit etiam res contingentes. 3. 441
Cognoscit eas in esse proprio. 3. 443
Cognoscit & ea quæ nunquam fiunt. 3. 444
& modus sit talium cognitionis 3. 446
Cognoscit etiam non Entia. 3. 447
Et possibilia. 4. 448
Cognoscit etiam entia rationis, non autem formas ea. 3. 450
Et negationes. 3. 453
Et impossibilia. 3. 454
Et mala. 3. 455
Et ipsam malitiam. 3. 458
Scientia Dei quomodo sit causa rerum? 3. 459
Ea est perfectissima. 3. 460
Certa & infallibilis. 3. 461
Non est per speciem. 3. 464
An Deo conveniat prævisio & recordatio? 3. 491
Deus an cognoscat per fidem? 3. 495
Deo non convenit opinio. 3. 496
Consilium an & quatenus Deo conveniat? 3. 497
Scriptura Deo tribuit consilium. 3. 498
Non convenit Deo scientia à posteriori. 3. 490
Quatenus ei conveniat, scientia à priori 3. 491
An Deo conveniat judicium & quæ ratio 3. 493
Deus non cognoscit componendo & dividendo. 3. 465. & 4. 185
Cognoscit complexa. 3. 466
Non cognoscit discurrendo. 3. 468
Nec discursa continuo nec discreta. 3. 469
Cognitionem Dei esse unam. 3. 473
Quomodo intelligenda sint divisiones cognitionis. 3. 474
Distinctio scientiæ Dei, in simplicem & scientiam approbationis, explicatur. 3. 475
De divisione in scientiam visionis & intelligentiæ. 3. 476
Deus quomodo dicatur videre? 3. 479
De divisione in scientiam practicam & speculativam. 3. 482
Se cognoscit Deus speculativè. 3. 485
Respectu malorum quomodo sit practicum? 3. 488
Deo non convenit scientia confusa & inadæquata. 3. 489
Deus solus cur præcognoscat futura? 4. 158
Solus Deus præcognoscit casualia. 4. 162
Deus solus cur αὐτόθεος? 4. 168

Voluntas & volitio Dei.

Volitio Dei est idem quod ἐνέργεια Dei. 3. 268
Etiam ea quâ amat & vult res creatas. 3. 270
una est quâ vult omnia. 3. 271
Ama scilicet amat se. 3. 272
In volitione Dei quomodo sit libertas, cum sit eadem cum divina essentia. 3. 273
Deum sine addito esse quid liberum. 3. 279
Deum habere voluntatem. 3. 499
Quid ea sit? 3. 500
Eam esse eandem cum ejus essentia. 3. 501
Esse in eo per modum actus ultimi. 3. 502
Volitionem creaturarum etiam esse divinam essentiam. 3. 504
Quatenus divina voluntas habeat aliquod objectum. 3. 507
Terminatur ad seipsum. 3. 509
An etiam terminetur ad res creatas? 3. 510
Et quidem in esse earum primo. 3. 512
An Deus velit peccatum & proinde an ejus autor sit? 3. 512
Quod nec per accidens Deus sit peccati causa. 3. 516
Deum se necessariò amare. 3. 518
Alia libere. 3. 519
Volitionis & intellectionis divinæ hac in re diversitas. 3. 521
Deum esse agens liberum. 3. 522
Voluntatem Dei unam esse. 3. 531
Discriptas ea in re nostræ & divinæ volitionis 3. 532
Quomodo tollit distingui voluntas? 3. 534
Voluntatis divisio in voluntatem signi & beneplaciti exponitur. 3. 535
Voluntatis signi divisio. 3. 537
Duplex abusus illius divisionis taxatur in Calvinianis. 3. 539
Permissio an recte dicatur voluntas signi? 3. 543
Divisio voluntatis in antecedentem & consequentem exponitur. 3. 545

Diabolus.

Ejus fraus in prædicendis futuris. 4.163

Διάνοια.

Vox hæc exponitur. 4.188. & 191

Dialectica.

Quomodo dicatur ars, & Rhetorica. 9.89

Est ars. 129

Dispositio.

Ab habitu quomodo differat? 8.39 & 46 & 112.

Ambiguitas in voce dispositionis. 8.46

Dispositionum duo genera. 8.97

Distinctio.

Realis non nec sarió sumitur ex diversitate operationum, negationum, conceptuum, vel respectuum. 3.112

Distingui virtualiter quid sit? 3.115

Diversa.

Prima diversa quænam? 6.24

Possunt ea in aliquo convenire. 6.25

Differentia.

Differentia nec genus, nec speciem quam constituit, includit. 3.66

Duratio.

Unde dicatur successiva. 3.353

Non habet rationem mensuræ. 3.350

E.

Effectum.

Nullum totell esse infinitum. 3.138

Vox effecti ambigua. 3.630

Effectus externi & interni discrimen apud Veterum. 6.87

Et externus effectus non potest esse nobilior causa. 6.89

Effectus quomodo possit esse nobilior causa. 8. 106

Ἐνεργῶ ἐνεργημένον.

Quid differant? 10.16

Ens, essentia.

Quomodo prædicetur de Deo & creaturis univoce, æquivocè & analogicè? 3.144

Essentia indicatur per operationem. 3.140

Essentiæ quid sit? 3.144

Ens non est genus ad simplex & compositum. 3. 150

Non esse univocum ad Deum & creaturas. 3. 164

Quomodo univocum dici possit? 3.61

Esse analogum. 3.168

Quomodo contrahatur ad inferiora? 3.233

Essentia quomodo judicetur ex effectis? 3.238

Essentia quomodo dicatur indivisibilis? 8,199

Entia rationis,

Non sunt directè in prædicamento. 3.15

Sunt ibi per reductionem. 1. 15

Cognoscit Deus. 3. 450

Non autem formas eas rationis. 3. 450

Entis divisio in substantiam & accidens.

Ejus divisio in substantiam & accidens, cur faciat specialem partem Metaphysicæ? 1. 6

Quid in ista divisione intelligatur per Ens? 1. 8

An in ea divisione continuatur inconvertibile? 1. 10

Item Deus, Angeli, entia incompleta, negationes, æquivoca, &c. ibid. n. seqq.

An ea divisio bona sit? 1.2

Ejus duplex sensus. 1.13

An illa divisio sit univoca, an analoga, an æquivoca? 1. 25 prolixè.

Ens non esse æquivocum. 1.28

Merè æquivocum non est. 1.29

Non esse merè univocum. 1.33

Esse analogum. 1.38

Ea analogia deducitur. 1.43

Aristotelis locus de Analogia attributionis quam habeat Ens, explicatur. 3.159

Ens univocum esse tribus modis non incommodè dicitur. 3.160

Ens incompletum.

Non est per se in prædicamentis. 9.18

Ens per accidens.

Non est per se in prædicamento. 1. 16

Extensio.

Habet tria genera. 7.52

In quo posita sit essentia quantitatis. 7.52

F.

Fides.

Notitia per fidem quid sit? 3.495

Figura & forma.

An possit convenire rei spirituali? 4.17

Figura & forma inter species qualitatis quid differant? 8.43

Quod sint? 8.184

Figura quomodo non sit actio? 106

Finitum.

Vide infinitum.

Finitum in virtute quid sit? 3.333

Ens finitum unde dicatur? 3.339

Finitas & infinitas primo reperiuntur in quantitate. 3. 342

Forma.

Forma spiritualis quid dicatur? 2.95

Forma & non solo supposito convenire actionem 6.92

in-

Informationis vox ambigua. 6.109
Forma quomodo dicatur qualitas? 8.43
Forma quid sit inter species qualitatis? 8.43
Forma causalitas non potest dici actio immanens. 10.5. & 66

Futurum.

Futurorum verum discrimen quoad provisionem vel præscientiam. 4.153

G.

Genus.

Generis definitio. 3.68
Non omnis communis conceptus habet rationem generis. 3.73. & 150. & 250. et 6.25
Habentia genus & differentiam non illinc habent materiam & formam. 4.40
Genus quomodo dicatur materia? ib.

H. Habitus.

Situs qualitas an relatio? 8.21
Ab Aristotele quomodo dicatur relatio? 8.23
Habitus & dispositio quomodo distinguantur? 8.39
Ambiguitas in voce habitus. 8.45
Habitus, essentia & definitio quænam? 8.47
Habitus dari probatur. 8.47
Esse qualitates & non relationes. 8.48
Unde discernantur a qualitatibus aliis? 8.50
An omnis habitus sit operativus? 8.51
Sanitas & agilitudo propriè non sunt habitus. 8.53
Nec pulchritudo. 8.54
Omnem habitum superaddi alicui naturali potentiæ. 8.56
Habitus principiorum, vide Intelligentia.
Quid habitus præstet in naturalibus potentiis? 8.60
Quæ potentia sit incapax habitus? 8.61
Habituum proximum subjectum, quodnam? 8.62
Primum subjectum eorum non esse suppositum 8.65
Esse eos in potentia activa. 8.66
An sint in brutis? 8.68. & 87
An sint in potentia materiæ? 8.73
An in appetitu sensitivo? 8.77
Quatenus in sit habituum subjectum. 8.78
An in col utente fuerit esse habitus? 8.79
Generalia Theorematæ de subjectis habituum. 8.85
Habitus an possint esse à natura? 8.91
Actiones non prærequiri ad habitus, tanquam dispositiones. 8.96
Nec ut causalitates. 8.101
Sed ut causas. 8.102
Ad habitus quomodo dicatur non esse alteratio? 8.100
Actiones aliæ antecedunt, aliæ consequuntur habitum. 8.104
Habitus an sit nobilior actu? 8.106
Habitus duobus modis potest esse à natura. 8.92
Habitus ab actibus pendere. 8.94
Cum plures actus præcurrantur ad habitum quatenus singuli concurrant ad eum efficiendum, & non solum ultimus actus. 8.110
Habituum quæ sit finalis causa? 8.113
Habitus an sit causa aliorum actuum? 8.115
Habitum ne è esse essentiam. 8.116
Quatuor modis intelligi potest, quòd habitus juvet potentias. ibid.
Quòd habitus etiam concurrat ad substantiam actus. 8.118
Nihil efficeret habitus, si non efficeret substantiam actus. 8.118
Habitus quomodo sit principium actionis vel non? 8.123
Habituum augmentum intensivum & extensivum quodnam? 8.124
Non posse in habitibus omnia explicari per intensionem eorum. 8.126
Habitus non necessariò postulat extensionem, sed habet consistere in unitate simplici. 8.127
Multitudo objectorum non semper confert habitui compositionem. 8.128
Diversi habitus possunt in uno objecto occupari. ibid.
Unus simplex habitus potest ad plura servi diversis modis. 8.129
Subordinatio actuum quatenus indicet unum habitum? 8.130
Non omne extensivum augmentum posse stare cum simplicitate habitus. 8.132
Habitus ipsos esse entia per accidens. 8.133
Habitum practicorum & speculativorum unitas unde sumatur? 8.135
Habitus desinere per cessationem ab actu. 8.163
An id fiat per se an per accidens? 8.137
De desitione vel diminutione habituum per actus, & habitus contrarios. 8.139
Item ex defectu subjecti. 8.142
Habitus intellectuales non desinunt ex defectu subjecti. 8.141
De divisionibus habituum. 8.142

Habitus in specie.

Habitus practici unde sumant unitatem? 8.135
De speculativis? ibid.
Habitus principiorum, vide Intelligentia.
De habitus divisione in virtutem, & vitium.
Vide Virtus.

De divisione habitus in infusos & acquisitos. 8. 152
Quomodo illi distinguantur? 8.158
Infusi per accidens quis dicantur? 8.154
De divisione habitus in moralem & intellectivum. 8.156
De divisione habitus in speculativum & practicum. 8.158
Habitus speculativus & practicus quid? 8. 160
Dicuntur sic non ex subjecto sed ex fine. 8.161
Et quidem fine ultimo. 8.162
Habitus practici etiam speculantur. 8. 162
In eadem re possunt versari habitus speculativus & practicus 8.161
Destinatio ad usum non facit habitum practicum. 8.162
Non potest unus habitus esse speculativus vel practicus. 8. 164
Ultimus finis, ex quo sumitur speculativi & practici habitus designatio, non sumendus est ex intentione discentis, sed ex natura disciplinæ. 8.166

Habitus pro ultimo prædicamento.

Propriè non potest dici sic ma. 6.105
Non recte dicitur qualitas. 6.119
Non convenit duo prædicamenta. 8.129
De illo habitu an possit Metaphys. agere? 15.1
Cui subjecto conveniat habitus? 15.2
Habitus non est rerum incorporearum sed corporearum. 15.3
Non est solum viventium. 15.5
Habitum esse ipsum corpus adjacens, & non ejus adjacentium. 15. 7
Habitus definitio traditur & explicatur. 15.10

Hoc aliquid.

Quid sit? Et ejus conditiones. 1.61
Quid sit? 2.37

Homo.

Ex natura & conditione hominis quomodo arguatur esse Deus? 3.13
De hominis libertate. 3. 708
Quomodo cõsistat cum divina cooperatione? 3.709

Hypostasis.

Vox hæc quot modis dicatur? 2.47
Unde dicatur & quid sit? 2.48

I.

Jehova.

Nomen hoc exponitur. 3. 45
Est Dei proprium. ibid.

Illuminatio.

Quatenus sit motus instantaneus? 4.235

Illuminatio

Quot modis dicatur? 2.111

Subjecti quid sit? 2.119
Substantiæ immaterialis conditiones. 2. 127
Quænam substantiæ in particulari sint immateriales? 2. 132

Immortalis.

Duplex distinctio. 5.12.& 13

Imperfectio.

Negativa & privativa quid? 3.317

Impotentia.

Quid sit inter species qualitatis? 8.10
A potentia naturali quomodo distinguantur? 8. 41

In alio.

Esse in alio multipliciter dicitur. 6.12
Quomodo appropriatur accidenti? 6.12
Bifariam sumitur. 6.13

Incommunicabile.

Bifariam dicitur. 2. 67
Quomodo persona sit incommunicabilis? 2.66

Incorporeum.

Quot modis dicatur? 2.111
Quid sit? 2.119

Incorruptibile.

Quid sit? 1.10
An sit in prædicamento? ibid.
Incorruptibile & corruptibile quomodo differant? 1.10
Dicitur bifariam. 4.68
Incorruptibile per naturam & gratiam quid dicatur? 4.69.& 74

Individuum.

Individuationis principium non est sola materia 4.103

Infinitum.

Cur non possit definiri? 3. 74
Non potest fieri. 3.5 8
Infinita non posse esse plura probatur. 3.205
Vide Finitum, & Dei finitas.
Infinitum numero an cognosci possit? 3.432
Plura infinita cur esse non possint? 3.726

Inhærentia.

Actualis vel substantialis. 6. 32
Quid utraque sit? 6. 33.& 34
Non est in essentia accidentis. ib.

Invocatio Sanctorum.

Pugnantia loquuntur de ea Tridentini. 5. 127

Intellectus, & intellectio.

De intellectione Dei, vide Dei intellectio.
Inter intellectum & intelligibile qualis debeat esse proportio? 3.432
Intellectionis humanæ tres gradus. 3. 465
Tripliciter ea dicitur speculativa vel practica. 3. 482
Intellectus & res intellecta quomodo sint idem 4.126

Intel-

Intellectus certus an possit cognoscere infinitum Deum? 4.47
Cur non habere possit notitiam futurorum? 4. 158
Intellectus bifariam potest esse in potestate. 4. 175
Intelligere componendo & dividendo quid? 4. 184
Intellectio quomodo pendeat à sensibus? 5. 121
An in intellectu possint esse habitus? 8.82
Intellectus patiens an in omnibus habitibus idem sit? 8.83
In difficultate intelligendi duplex causa. 9.1
Intellectus quomodo intelligat, cum intelligere sit quoddam pati? 11.33

Intelligentia sive habitus principiorum.

Non est idem quod naturalis vis intelligendi. 8. 58
Est verè habitus. ibid.
Non acquiritur per discursum sed per actus simplices. 8.58
Quomodo habitus principiorum dicatur materialis? 8.92

Intensio & remissio.

Quid sint? 7. 87
Unde dicatur intensio? 8.190
Dupliciter dicitur. 8.191
An detur intensio & remissio? 8.191
Intensio non est idem quod accretio. 8.192
In intensione non semper produci novas species. 8.195
Quid sit intensio & remissio? 8. 200
Intensio non est idem quod productio existentiæ perfectionis. 8.201
Intensionis essentia non consistit in remotione contrariorum dispositionum. 8.208
In quo consistat formaliter? 8.204
Cui conveniat intensio & remissio? 6.205
Intensio cum variatione speciei est æquivocè intensio. 8.206
Qualis sit intensa qualitas, simplexne an composita? 8. 210

L.

Libertas.

Convenit Deo. 3.522
Non est solum restricta ad bonum & malum. 3. 524

Locus.

Loci denominatio pertinet ad prædicamentum habitus. 15.2

Loquutio.

Quid sit loqui generatim loquendo? 4.214
An conveniat Angelis? 4. 212

M.

Malum.

Potest trifariam considerari. 3.456
Autor mali an sit Deus? 3. 513
Responsiones ad hoc negandum. 3.514

Materia.

Materia prima cur non dicatur incorporea? 2. 134
Materiæ quas imperfectiones implicet? 3. 188
Materia non est idem quod Deus. 3.287
Materialia quomodo materiâ carere possint? 3. 664
Quomodo dicatur non Ens? 6.17
Materia qua non est causa. 6.44
Materiæ causalitas non potest dici actio. 10.5. et 66

Mathesis.

Mathesis generalis probatur. 7.8
Ea quomodo agat de quantitate? 7.2

Medicina.

Quomodo ejus pars aliqua speculativa alia practica? S. 165
Simpliciter est disciplina Practica. 8.166

Mensura, mensuratum.

Non sunt necessario sub eodem genere. 3.232
Mensura duplicis generis. 7.41
Mensuræ ratio non postulat aliquid extrinsecum. 7.44
Mensura dicitur per ordinem ad intellectum. 7. 44

Metaphysica.

An ei liceat descendere ad specialia? 1.2
Possit id fieri. 1.3
Quomodo dicatur generalissima scientia? 1.4
Quousque liceat ei descendere? 1.5
Ex qua Entis divisione constituatur specialis ejus pars? 1.6
Non potest scientificè agere de corpore. 2.104
Cur id sit, cum agat de spiritu? 2.105
Quomodo sit scientia universalis? 3.16

Miracula.

Quæ in mundo fiunt indicant esse Deum 3. 42

Mors.

Quomodo dicatur separatio animæ à corpore? 5. 40
Animæ separatio in morte non est necessariò per distantiam localem. 5. 42

Multitudo.

Prædicamentalis multitudo est solùm in materialibus. 7. 56
Ejus diversitas à multitudine transcendente. 7.57

Index.

Quid sit? 7.70

Mundus.

Ejus constitutio quomodo indicet esse Deum? 3.39
Alia aliis in eo quomodo deserviant? 3.42

Mutatio, motus.

Vox hæc quot modis dicatur? 3.636
Immobile aliquid duplicitèr. 4.223
An & quatenus immobilitas sit perfectionis? 4.223. & 5.141
Motus 7 hysici requisita. 4.227
Non convenit Angelis. 4.227
Motus tarditas in corporibus unde fit? 4.234
Motus omnis quomodo sit inter contraria? 7.85
Motus cujusque terminus quomodo suscipiat magis & minus? 7.91
Potentia motiva an sit capax habitus? 8.73
Motus & passio an & quomodo differant? 11.22
Motus non constituit prædicamentum. 11.24

N.

Natale.

Quot modis dicatur? 5.43

Negatio.

Negationes an & quomodo sint in prædicamentis? 1.14
Non possunt esse genera vel species, ibi.
Negationum differentiæ. 3.27

Non Ens.

Multifariam dicitur. 3.447

Notatio.

Non est necessariò adæquata. 1.50

Notus.

Dicitur quid? Ejusdem. 6.53

Numerus.

An sit Ens rationis? 7.52
Vide Multitudo & quantitas continua.
Est numerus Ens reale. 7.59
Numerare quomodo conveniat brutis? 7.65
Numeri forma quomodo dicatur unitas. 7.55 & 72.
An ei conveniat desinitio quantitatis? 7.80
An ejus proprietas? 7.81

O.

Opinio.

Quid sit? 3.196
Opinio vera sine vitius an vitium? 8.131

Oratio.

Orantes cur elevent oculos ad cœlum? 3.385
Cur ad Orientem? 3.385

P.

Pars.

Pars quantitativa quæ? 4.57
Partes distributionis utcunus debent dissentire? 8.23

Passio.

Passionis non esse actionem. 6.74
Non potest referri ad actionem. 6.123
A qualitate patibili quid differat passio inter species qualitatis? 8.42
In passione quomodo detur intensio? 8.209
Vox passionis quot modis sumatur? 11.1
Malè dicitur Perpessio. 11.2
Malè desinitur passio quòd soleat inferatur à valentiori. 11.5
Desinitio passionis ex Forretano. 11.6
Passio & actio an sint idem? 11.8
Non sunt idem formaliter 11.11
Non sunt duæ res. 11.13
Passio & motus an & quatenus sint idem? 11.19
Quod passio faciat peculiare prædicamentum. 11.23
Passio, an & quatenus postulet inhæsionem? 11.26
Non ad omnem passionem requiri successionem. 11.30
Passio corruptiva et perfectiva, quæ? 11.32
In passionibus, quomodo sit contrarietas? 11.34
Quomodo suscipiant magis & minus? ibid.

Perfectio.

Perfectio simpliciter quid sit? 1.79
Ejus indicium, an & quatenus sit indicium perfectionis? 3.296
Perfectum dupliciter dicitur. 3.315
Perfectiones simpliciter & secundùm quid prædicantur. 3.322
Perfectionem aliquam eminenter habere quid sit? 3.324

Pertinsio.

An rectè dicatur voluntas signi? 3.543

Persona.

Unde dicatur? 2.50
Quot modis dicatur? 2.51
An persona sit nomen substantiale? 2.52
Vulgaris sententia hac de re 2.53
Quòd vox personæ substantiam notet. 2.56
Persona est substantia. Nec tamen tres personæ sunt tres substantiæ. 2.60
Personæ conditiones. 2.64
Persona est quid incommunicabile. 2.66
Personæ propria definitio traditur. 2.69
Definitio Boetiana examinatur. 2.70

Philosophus, Philosophus.

Non contrariantur Scripturæ. 3.720
Philosophi in Nicæno concilio historia. 3.723

Physica.

An possit agere de Angelis? 4.11
Directè id loci fieri non posse. 4.12

Ejus

Ejus subjectum est corpus naturale. 4.14

Positio.

Idem est quod situs. 14.3
Ambiguitas in voce positionis. ibid.

Potentia, Possibile.

Possibile quid dicatur? 3.372
Vox potest est ambigua. 3.392
Potentia obedientialis potest dici naturalis. 4.172
Potentia activa an & quatenus respondeat passivæ? 5.78
Potentia potest esse ubi non est actus. 3.113
Potentiæ passivæ Aristotelica definitio est angusta. 6.65
Potentia naturalis an recte constituat speciem qualitatis? 8.21
Potentia naturalis & impotentia quomodo distinguantur? 8.41
Quæ potentiæ sint incapaces habituum? 8.61
De potentia naturali cur pauca tradantur in prædicamento qualitatis? 8.167
Ambiguitas in voce potentiæ explicatur. 8.168
Quatenus opponitur impotentiæ. 8.169
Cur hæc potentia dicatur naturalis. 8.170
Non dicitur sic per ordinem ad substantiam. 8.171
Potentia naturalis propria definitio explicatur 8.172
Potentiæ naturales an sint accidentia? 8.177
Cujus est actus, ejus est potentia, exponitur. 10.52
Potentiæ activæ & passivæ differentia. 11.18

Practicum.

Bifariam dicitur. 8.159

Vide Habitus practicus.

Prædicamentum.

Potest etiam prædicamentum supra se habere commune prædicatum modo non sit genus. 15.9
Quotuplex sint in prædicamento? 1.9
& vide tit. Entis divisio in substantiam & accidens.
Prædicamentum signi rejicitur. 1.15
Prædicamenta cur non possint perfectè definiri? 2.64
Prædicamentorum numerum sumi ad substantiam primam. 6.116
Intra prædicamenta quanta debet esse distantia? 6.118 & 9.52. & n.17.
Non necessario est realis. 6.118. & 82
An ad prædicamentum pertineant extrinsecæ denominationes? 6.128

Præsentia.

De Dei præsentia cit. cap. 3. n. 360.
An Deus sit omnipræsens? 3.361
Quid sit omnipræsentia? 3.360
De præsentia Dei Aristotelis sententia. 3.361
Sententia Vorstii. 3.363
Deum omnipræsentem esse ratione essentiæ suæ. 3.364
Deum esse præsentem omnibus partibus mundi. 3.367
Deum etiam esse extra mundum. 3.376
Objectiones pro partiali Dei præsentia solvuntur. 3.380
Scriptura non docet Deum esse in solo cælo. 3.382
Præsentia divisibilis est imperfectionis. 3.387
Præsentia non consistit in operatione transeunte. 3.399
Præsentia potest esse remoto omni extrinseco. 3.402
Præsentiam Dei esse indivisibilem. 3.403
Malè negat Vorstius, Deum totum esse, ubi est. 3.404

Vide plura ad vocem tibi.

Principium.

A principiato non necessario distinguitur realiter. 3.740
Principiorum habitus quid sit. 8.58
Principia quomodo dicantur naturâ nota? 8.59

Proprium.

Proprietates an emanent ab essentia subjecti, an verò sint ab agente? 6.62
Subjectum esse efficiens passionis. ibid.

Prudentia.

Quatenus possit moralis virtus dici. 8.156

Q. Qualitas.

Qualitates Spirituales habere indivisibilem præsentiam. 3.407
Sola quantitas est activa. 6.77
In quale est bifariam dicitur. 6.119
Qualitas an sit prior relatione? 6.132
De Qualitate est toto cap. 8.
Ambiguitas in voce qualis. 5.3
Qualitatis definitiones aliquæ rejiciuntur. 8.5 seqq.
Non sola qualitates dari ad ulteriorem perfectionem substantiæ. 8.7
Qualitas est accidens unde substantia denominatur qualis. 8.8
Qualitates non denominant eodem modo subjectum quale. 8.11
De divisione qualitatis in habitum, potentiam naturalem, qualitatem passibilem, & figuram. 8.16
Timpleri & Piccolominei argumenta contra illam divisionem. 8.17. seq.
Quis ordo inter illas species observatus? 8.10

Quomodo

Quomodo istæ species qualitatis ab invicem distinguantur. 8.32. & 17
Illam distributionem esse in species non in modos. 8.24
Non potest una qualitas esse sub diversis speciebus. 8.25
Ad primam speciem qualitatis non pertinet calor & frigus. 8.26
De sufficientia illius divisionis. 8.28
Explicantur duplicata numina specierum qualitatis Aristotelicæ. 8.38
Qualitas patibilis & passio, quomodo distinguantur? 8.42
Quid sit qualitas patibilis? 8.183
Qualitatibus quomodo conveniat contrarietas? 8.186
De qualitatum intensione & remissione. 8.190
Vide intensio & remissio. 8.205
Intensionem per se esse in solo genere qualitatis 8.208
Quod qualitas intensa non sit simplex sed composita. 8.210
De qualitatum similitudine & dissimilitudine. 8.213

Quando.

Non est actio. 6.122
Vox quando quot modis sumatur? 12.2
Quænam duratio pertineat ad prædicamentum quando? 12.3
Pertinere hoc tempus. 12.4
Et durationem ævi. 12.5
Non tempus existimatum. 12.4
Quomodo dicatur prædicamentum temporis? 12.6. & 7.
Quomodo dicatur manifestum? 12.8
Non pertinere hoc tempus. 12.12
De definitione hujus prædicamenti. 12.16

Quantitas.

Non impedit actionem. 3.702
An & quomodo ei conveniat actio? 6.70
Quantitas non recte dicatur quantitas. 6.119
Quantitas cur prius sit aliis accidentibus? 6.131
De quantitate est cap. 7 toto.
De ea cujus disciplinæ sit agere? 7.2
Quomodo & quatenus id fiat in Metaphysica? 7. 3 & 4.
Quantitas intelligibilis non est vere quantitas. 7.6. & 12.
Quantitas discreta an conveniat rebus immaterialibus? 7.7
Cur Aristoteles quantum dicat & non quantitatem? 7.10
Quantitatis vox ambigua. 7.11
Cur Aristoteles in Categoriis non definierit quantitatem? 7.13
Quanti definitio Aristotelica expenditur. 7.15
Ejus descriptio. 7.17
Divisio quantitatis in continuam & discretam exponitur. 7.18
An bona sit illa divisio? 7.21
Non esse absolute bonam. 7.22
Quantitas comparata non pertinet ad prædicamentum quantitatis. 7.24
Nec intensiva. 7.25
De quantitate continua. 7.26
An ejus essentia sit eadem cum essentia substantiæ? 7.27
Non esse. 7.30
Potest a divina potentia abesse à corpore. 7.36
Quomodo dicatur ab Aristotele substantia? 7.38
An essentia quantitatis consistat in ratione mensuræ 7.39
Quantitatis quomodo non sit alius? 10.6
Non consistit in ullius mensuræ ratione. 7.43
Est aliquid prius in quantitate quàm ratio mensuræ. 7.45
Inter attributa quantitatis quis ordo? 7.45
Ejus essentia an sit possita in indivisibilitate? 7.48
Quomodo essentia quantitatis consistat in extensione? 7.51
De quantitate discreta. 7.56
An verè sit ens reale? 7.58
An sit aliquid unum & quomodo? 7.57
Non est propriè species quantitatis. 7.75
Aristoteles cur retinuerit quantitatem discretam in prædicamentis? 7.78
An ei conveniat definitio Quantitatis? 7.80
An ejus propriæ sit? 7.81
Quantitati an & quatenus nihil sit contrarium? 7.83
Quantitas non recipit intensionem & remissionem. 7.78. & 8 207
Tribus modis posse id esse. 8.90
Quantitati maxime proprium, secundùm eam æquale & inæquale dici. Quomodo? 7.92

R.

Ratio, Rationale.

Rationale quid sit? 1.83

Reactio.

Quid ea sit? 10.72
Est tvifariam. 10.73
Ejus divisio in positivam & privativam. 10.74
Non esse idem quod resistentia. ib.

Relatio, respectus.

De divinarum relationum finitate vel infinitate

iste. 3.725.727
Quid sit, præcisè de illis loquendo? 3.728
Relationum non esse actiones, 6.72
Relatio non recte dicitur qualitas. 6.119
An prior sit qualitate? 6.132
In relatione quomodo datur intensio? 8.209
De relatione est toto cap. 9.
In prædicamento relationis melius dicitur relatio quam relatum. 9.2
Æquipollentia relationi sunt, respectus & ad aliquid. 9.3.
Vox relationis est ambigua. 9.3
Divisio relationis in relationem realem & rationis. 9.5
Relationis realis conditiones. 9.5
Distinctio relationum secundùm dici & secundùm esse. 9.6
Relatio rationis & secundum dici non sunt idem 9.6
Distinctio relationis in relationem transcendentem & prædicamentalem. 9.7
Quid differant? 9.7
An omnes relationes pertineant ad prædicamentum relationis? 9.9
Relationes rationis huc non pertinere. 9.9
Nec relatio secundum dici. 9.10
Nec omnis relatio secundum esse. 9.11
Non transcendentes relationes. 9.12
Quænam sint relationes prædicamentales? 9.13
An relatio prædicamentalis sit? 9.14
Dari relationes. 9.15
An relatio sit accidens? 9.19
Ad denominationes relativas non sufficit relatio transcendens. 9.20
Aliorum definitiones relationis examinantur. 9. 22
Propria definitio exponitur. 9.24
Quæ generatim requirantur ad relationem? 9. 28
Quid subjectum relationis? 9.29
Quid ejus fundamentum? 9.30
Quid ratio fundandi. 9.31
Quid terminus. 9.32

Relatio, Relatum.

An unum sit subjectum inter utrumque terminum, hoc est, relatum & correlatum. 9.33
Quænam possint esse fundamenta relationum? 9. 35
Debilis essentia in relationibus. 9.36
Variæ sententiæ de numero fundamentorum relationis. 9.36
Relationem esse in quantitate, qualitate, actione & passione. 9.39
Exempla relationis in substantia fundatæ. 9.40
Talis est relatio creaturæ ad Deum. 9.41
Patris ad filium. 9.42
Fundari etiam aliquam relationem in relatione. 9.43
Fundari aliquas in quando, ubi, situ & habitu. 9.46
Variæ sententiæ de relationis & fundamenti eius distinctione. 9.48
Non differre realiter. 9.50
Terminus an & quatenus sit essentia relationis? 9.51
An relatio separetur à suo fundamento? 9.53
Quod terminus relationis semper debent esse quid existens. 9.56
Id non esse in relatione transcendente. 9.56
Relatio actionis ad futurum non est realis. 9.57
Terminum relationis esse quid absolutum. 9.58
Quid sit esse terminum relationis. 9.60
In relationibus non mutuis terminum esse quid absolutum. 9.62. Et in mutuis. 9.65
Non sufficit ad eam relatio rationis. 9.65
Correlatum quomodo sit terminus. 9.69

Relatio.

Terminum relationis à relatione distingui realiter. 9.70
Exponitur & reprobatur divisio relationum in eas, quæ fundantur in unitate & multitudine, & eas quæ sunt in actione & passione. Et eas quæ sunt in mensura & mensurato. 9.72
Continet ea divisio aliqua relationum exempla minus commoda. 9.73
De divisione relatorum in relata æquiparantia & & disquiparantia. 9.74
Multiplex eius divisionis sensus exponitur. 9.75
Relatio mutua & non mutua quæ? 9.78
De divisione relationis juxta diversitatem fundamentorum. 9.79
Relatis quomodo conveniat contrarietas? 9.82
Relata quomodo suscipiant intensionem & remissionem? 9.84
Non est id in omnibus ratione fundamentorum. 9. 85
Intelligitur id axioma populariter. 9.87
Relata quomodo dicantur reciproca & convertentia. 9.89
Relata quomodo sint simul natura? 9.91
Non est id in relatione transcendenti. 9.95
Quæ novit unum relatorum, novit & alterum, quomodo sit intelligendum. 9.96

Remissio.

Vide intensio.

S.

Scientia.

Ejus subjectum qualem debeat habere unitatem? 13.12

Quatenus requirat species. 3.14

Quales requirat affectiones. 3.92

Non debent ex necessitate realiter distincta esse. 3.92

Scientia quomodo dicatur destrui in statura vitæ? 4.106

Scientia unde dicatur realis? 7.61

Scientia speculativa non potest habere pro subjecto Ens rationis. 7.61

Scientia potest agere de Ente per accidens. 7.71

Quolibet per accidens Aristoteles arceat à scient.? 7.71.

Scientia essi sit habitus tamen potest esse ex uno alio 8.108

Scientiarum unitas unde sumatur? 8.135

Scientia speculativa & practica, vide, habitus speculativus & practicus.

Scientiam & scibile non referri relatione prædicamentali, sed transcendente. 9.73

Scientia Dei.

Vide Dei intellectus.

Secundum.

Vox hæc bifariam dicitur. 10.15

Sensus.

Non apprehendit Ens rationis. 7.62

Separatio.

Realis & mentalis quid? 5.38

Separatio positiva & privativa quid? 5.39

Simul.

Simul natura esse quid sit? 9.92

Simplex.

Simplicissimum bifariam dicitur. 3.220

Potest in eo esse comparatio rationis. 3.221

Simplicitas summa duo removet. 3.222

Simplex unde dicatur? 3.293

An res quæ est simplicior sit præstantior? 3.294

Simplicitas majorem perfectionem signat quàm compositio. 3.295

Singulare.

Quomodo non definiri dicatur? 2.28

Quomodo ejus non sit scientia? 3.15

Qualis communicabilitas ei repugnet? 3.215

An sit incommunicabile? 3.722. seqq.

Situs.

Non rectè dicitur actio vel qualitas 6.120

Ambiguitas in voce situs. 14.1

Situs non significat extrinsecam denominationem. 14.4

Nec relationem. 14.5

Nec absolutum & respectivum simul. 14.6

Nec esse actionem aut qualitatem. 14.7

Propria definitio situs. 14.9

Divisio situs in naturalem & accidentalem exponitur. 14.10.

Divisio situs in rectum & obliquum. 14.11

Metaphysicus an rectè agat de situ? 14.12

Spatium.

Extra cœlum malè à Vossio increatum dicitur. 3.254

An sit aliquid vel nihil? 3.400

Esse Ens rationis probatur. 3.401

Species intelligibiles.

Ejus officium quodnam? 3.464

Non semper est in nostra intellectione necessaria. 3.464

Ad intelligendum cur requiratur? 4.122

An species etiam sumi possit à re immateriali? 4.170

Species intelligibiles non esse nihil. 8.36

Esse habitus. 8.37. & 62

Species intelligibiles ad intelligendum non satis esse. 8.81

Spiritus, Spirituale.

Spiritus vox quot modis dicatur? 2.113.

Unde vox ea sit imposita? 2.113

Quod præcipuè sit spiritus. 2.114

Ens spirituale quid sit in doctrina de anima. 2.118

Quid sit substantia spiritualis? 2.119

An sicut ea expers est materiæ, ita etiam expers sit formæ? 2.124

Spiritus non sunt quanti. 2.128

Nec sunt alicubi circumscriptivi. 2.139

Nec physicè mobiles. 2.130

Res spirituales totæ sunt ubi sunt. 3.406

Spiritus vox dicitur multifariam. 4.23

Suppositum.

Est ea vox ambigua. 1.39

Unde dicatur? 1.40

Suppositum est quid bifariam. ibid.

Suppositi definitio Thomæ, rejicitur. 1.41

Suppositorum quatuor conditiones. 1.43

Definitio suppositi proxima. 1.44

Suppositum an sit idem quod substantia prima vel persona? 2.45

Suppositum quid addat naturæ & quomodo distinctum? 2.72

Variæ ad hanc rem sententiæ. 2.74

Suppositum includere naturam. 2.77

Suppositalitatem posse abesse à natura. 2.78

Non distingui sola ratione. 2.79

Non addere rem peculiarem. 2.80

Nec

Non distingui realiter. 2.81
Non est negatio. 2.83
In quo consistat suppositalitas? 2.84
Quænam aptitudo dependendi repugnet suppositi 2.87
Non addit naturæ singularitatem. 2.89
Non accidentia individualia. 2.90
Nec existentiam. 2.91
Nec denominationem extrinsecam. 2.92

Substantia.

Vox hæc quadrifariam sumitur. 1.48
Unde dicatur substantia? 1.49
Eius definitio exponitur. 1.51
Quomodo substantiæ non sint in subjecto? 1.55
Prædicatur Synonymice. 1.58
Significat hoc aliquid quomodo? 1.59
An non habeat contrarium? 1.62
Non suscipit intensionem & remissionem. 1.65
Substantiæ primæ quomodo sint magis substantiæ quàm secundæ? 1.67
Et maximè proprium est contraria suscipere posse. 1.68
Substantiæ divisio in incompletam & completam exponitur. 2.2
Ejus divisio in materiam, formam & compositum an bona sit? 2.5
Ici compositum non est idem quod substantia completa. 2.7
Deus & Angeli ibi non continentur sub composito. 2.9
Nec sub forma. 2.10
Explicatur divisio substantiæ in primam & secundam. 2.17
Quid intelligatur per substantiam primam & secundam? 2.17
Explicatur definitio substantiæ primæ. 2.18
Cur substantia singularis dicatur prima substantia? 2.19
Duplicitèr prima substantia prius subsistit quàm secunda. 2.22
De substantia secunda. 2.23
An substantia prima comprehendat quamvis singulorum substantiam? 2.24
An bene dividatur substantia in primam & secundam? 2.30
Substantiæ divisio in corpus & spiritum exponitur. 2.99
Substantia non dicitur à subsistendo. 3.178
Subsistere bifariam exponitur. 3.179
Substantia multipliciter est accidente prior. 6.50
Est eodem nobilior. 6.88
Quòd non suscipiat magis & minus. 8.205

Subjectum.

In subjecto esse bifariam sumitur. 1.55
Quid sit Aristoteli, in subjecto esse? 1.57
Subjecti præcognitio est in rebus. 2.107

Subsistere.

Ambiguè dicitur. 1.53
Subsistere per se quid sit? 1.54

T.

Tempus.

Durationem temporalem pertinere ad prædicamentum quando. 12.4
Non autem tempus extrinsecum. 12.4
Aliquando tempus comprehendit omnem durationem. 12.7

Unde.

Unde dicatur? 3.46
Varia notationes. ibid.

Transcendens.

Unde dicatur? 1.13
An sit in prædicamentis? 1.13
Non signant accidentia. ibid.

V.

Ubi.

Vox ubi est ambigua. 13.2
Quænam præsentia pertineat ad prædicamentum ubi? 13.3
Præsentia divina non significatur per prædicamentum ubi. 13.3.& 7
Pertinet hùc præsentia corporum. 13.4
Et Angelorum. 13.5
Ubi prædicamentale non requirit quantitatem, extensionem, situm, &c. 13.6
Distantia est per accidens ad rationem ubi. 13.6
Esse alicubi bifariam dicitur. 13.8
Ubi male definitur, mentione loci & corporum. 13.10
Ejus definitio propria. 13.11
Ubi dicatur prædicamentum loci, quomodo? 12. 6.& 7

Virtus, vitium.

Vocabulum hoc ambiguum. 8.71
Bonitas quomodo contineat vel non. 8.71.& 143
De divisione habitus in virtutem et vitium. 8. 143
Virtutis nomen quot modis dicatur? 8.143
Quæ bonitas intelligatur in definitione virtutis. 8. 144
Virtus unde dicatur? 8.145
Vitium quid sit? 8.146
An bona sit divisio habitus in virtutem & vitium? 8.147
Vitia rectè dici habitus. 8.15
Habitus in illa divisione includit etiam dispositionem.

sitionem. 8.111
Virtutes intellectivæ & morales, quæ. 8.156
Divisio moralium virtutum. 8.157
Non est in specie infimas. ibid.
Divisio virtutum intellectivarum. 8.158

Vita.

Unde dicatur? 3.413
Deo quomodo conveniat? 3.414
Rerum creaturarum quas imperfectiones habeat? 3.415
Deo propriè convenit. 3.414
Quam perfectionem significet? 3.417
Vivere bifariam dicitur. 4.117
Vitales actiones exigunt dependentiam à forma. 6.99

Violentum.

Quid dicatur? 5.73

Univocum.

Quid sit? 1.26. & 34
Univocorum definitio Aristotelica exponitur. 1.43
Univocatio non est judicanda ex præciso conceptu. 1.45
Univocum ambiguè dicitur. 3.161
Ab analogo unde distinguatur? 3.164

Unum.

Unum per se quot modis sit 8.133

Voluntas.

Voluntas Dei an sit immutabilis? 3.517
Quomodo id sit? 3.527
In quo ea consistat? 3.529
Vide pluta, Dei voluntas.
An in voluntate possit esse habitus? 8.79

Z.

Zeus.

Unde dicatur? 3.47

FINIS.